Biblioteca Univ...
GRANA...
Sala A
Estante 3
Tabla
Número 115

24.a.6.01

19 vto 1-7

~~151~~ 126

Biblioteca Univ...
GRANA...
Sala A
Estante 3
Tabla
Número 115

~~24.a.6.0~~

19 vto 1-7

1
4-29

# VITÆ
# ET SENTENTIÆ
## PATRVM OCCIDENTIS,

*LIBRIS VII. DIGESTÆ.*

del Colleg.º de la Comp.ª de Jesus de Granada Bd

Corregi este libro conforme al expurgatorio de 1640
Luis Guerrero

R.2370

Ba

# VITÆ
# ET SENTENTIÆ
## PATRVM OCCIDENTIS,

*LIBRIS VII. DIGESTÆ.*

EX GRAVISSIMIS AVCTORIBVS, NECNON ANTIQVIS manuſcriptis Codicibus, & Eccleſiarum Breuiariis collectæ, & Annotationibus ſelectis exornatæ.

*Opera & ſtudio* BENEDICTI GONONI *Burgenſis, Monachi Cæleſtini Lugdunenſis.*

ACCESSERVNT INSVPER AD CALCEM INSIGNIVM quorumdam Eremitarum Orientis Vitæ.

*EDITIO ACCVRATA.*

QVA NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT MVLTO concinniori quàm antea ordine compilatæ, & in gratiam Sanctitatis Patrum amantium, eorúmque veſtigiis inſiſtentium, vnico volumine concluſæ, luculentiſque Indicibus ditatæ.

*LVGDVNI,*

Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

*M. D C. X X V.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Sanctiſſ°. & Beatiſſ°. Patri, ac Domino D. N.

# VRBANO OCTAVO
## PONTIFICI MAXIMO,

LAVRENTIVS DVRAND
LVGDVNENSIS, D. C.

BEATISSIME PATER,

*Præcedens prodiit ab octo potiſsimùm annis è meâ Typographiâ in lucem editum ſummo labore, & recolunda induſtria* HERIBERTI ROSVEYDI *Vltraiectani, è Societate* IESV *Theologi, Eorum Patrum concinnè elaboratum & recognitum Aulæum. Nunc ab eâdem ſequens prodit præacutâ mentis ſolertiâ, & non mediocri ingenij acumine* BENEDICTI GONONI *Burgenſis Seguſiani ex Cœleſtinis noſtris Lugdunæis elaboratè concinnatum, & emendatum Occiduorum Patrum & Seceſſorum Opus; quod (ſi placet) lubentiùs, volentiùs, humiliùs Veſtræ Sanctitati eo conſecratum. Ille à Beato Hieronymo ratione vitæ ſanctitatis inchoauit: hic à Beato Benedicto iure & merito caſtitatis cœpit. In vtroque,* BEATISSIME PATER, *velut in communibus Phrygionum aulæis varios colores, diuerſa vitæ lineamenta, ac inſtituta, variáſque Sanctorum hominum effigies tui perſpicaciſsimi legent, ſeligent, colligent oculi. Verumenimverò ſtellam à ſtella, lumen à lumine, cœlum à cœlo, ſolum à ſolo, ouum ab ouo, coruum à coruo differre audis: aliud lumen Solis, aliud Lunæ intelligis. Omneis renatos ex aqua & Spiritu ſancto in pretioſo Chriſti cruore vnum corpus quidem ſub eodem Chriſto apice, & Te eiuſdem Vicario, legitimo Petri ſucceſſore effici: ſed diuerſa membra cùm ſimus, non omneis eumdem actum habere (licèt eumdem aſſequamur finem) vel orto Sole clariùs, Te apice Iudice, Paulo Doctore & Ductore, iure, ratione & Iuſtitia*

*Iustitiâ ducibus & cynosuris, noscis, prospicis, intueris. Quid? quòd summus & ingenitus Parens cùm sit incomprehensum numen, & omnium simplicissimum entium, diuinæ suæ & indefinitæ Majestati, ac inaccessæ sapientiæ complacere videatur non modò in diuersis rerum naturalium ordinibus, vt videre est in differentiis generum & specierum, in varietatibus differentiarum, propriorum, indiuiduorum, substantiarum, accidentium, qualitatum, locorum, motuum, situum, actionum, passionum, relationum, correlationum, figurarum, formarum, dispositionum & habituum: sed & in ipsis ipsius institutione & propagatione in terris firmissimæ, ac sanctissimæ suæ Domus militantis Ecclesiæ; quæ licèt iisdem vnius increati flaminis auris, virtutibus & luminibus, Te Summo Rectore, Patre, Principe, Pontifice, Antistite & Pastore monarchicè gubernetur, non desunt tamen augustissimo eius mixto regimini plures Prorectores, Propatres, Prochristi, & Propastores, qui prudentissimæ, sapientissimæ, & vigilantissimæ tuæ intersint, & consulta ferant Paternitati. Siquidem assertor Christus ante suum conspicuum & admirabilem ad cœlos Ascensum, Petro in pascendis agnis & ouibus relicto vigili ac Pastore principe, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, Doctores, & Prædicatores creauit, constituit, ordinauit, reliquit: atque ita demum ad dexteram Patris sedens, aliis atque aliis diuersa dona vbique terrarum magis magisque in dies semper diffundit & impertitur, testante Paulo vnicuique nostrùm datam esse gratiam secundùm mensuram donationis Christi. Hinc tanquam ex limpidissimo fonte, velut immenso Oceani gurgite, vt ex lucidissimo Solis globo tot Patriarchatus, Primatus, Episcopatus, & Rectoriatus Diœcesium & Parochiarum, Te (vt cum Bernardo loquar) solo Sacerdote magno, Summo Pontifice, Patriarcharum culmine, Primatum lumine, Episcoporum Principe, Rectorum seu Parochorum Duce, Apostoli Petri hærede, Primatu Abele, Gubernaculo Noëmo, Patriarchatu Abrahamo, Ordine Melchisedecho, Dignitate Aarone, Authoritate Mosè, Iurisdictione Samuële, Vnctione Christo, Potestate & Majestate Petro, emanant & surgunt. Tu es, cui claues regni cœlorum traditæ sunt. Tu, cui oues ouilis creditæ. Sunt & alij (fateor) cœli Ianitores, gregúmque Pastores, quibus peccata remittendi, alligandi & soluendi data est libera vis, & concessa facultas: sed Tu tantò glorioſius, quantò & differentius præ cæteris nomen & potestatem in Petro per Christum hæreditasti. Tu es Cephas, hoc est, Petra. Tu es, ex Isaia, ille lapis in fundamentis Sion positus, lapis probatus, angularis, pretiosus, in fundamento fundatus. Habent reliqui sibi assignatos greges & populos, singuli singulos. Tibi subest Vniuersum. Tibi vni vnum Totius ouile creditum. Nec modò ouium, sed & Pastorum apex es. Tu præes vnus omnibus omnium Pastor. Nimis clarè sonant illa Christi ad solum Petrum, reliquâ adstanti Apostolorum coronâ, tertiùm effata & prolata augustissima & lucidissima verba;* Pasce oues meas: *&,* Pasce agnos meos: *quicquid in contrarium euomant miserrimi & perditissimi latrent huius ideo deflendi nostri ævi veritatis*

*oppugnato*

*oppugnatores, falsitatis propugnatores Nouatores canes; quid canes dico? Lupi rapaces, ac velocissimi & sceleratissimi Tygres. Adde quòd reliquis à pluribus sæculis iam Apostolorum deficientibus Patriarchatuum Sedibus, tua sola tanquam firmissimo petræ Petri propugnaculo & fundamento innitens, & contra quam nec Inferni vires, nec tentamenta prævaleant, Sedes subsit augustior, & Vniuerso excelsior æternum effulgeat. Ita vt Vniuersa perpetuæ Ecclesiæ stabilitati, firmitati, ac sanctitati tuæ Sedis tanquam firmissimæ petræ (supra quam fundatur Ecclesia) iuncta, annexa, desponsata sit perpetua stabilitas, firmitas, sanctitas, vtpote quæ nullo casu vnquam sit ruitura, asserente & confirmante diuino Christi oris oraculo;* Et portæ Inferinon prævalebunt aduersus eam.

*Iam verò,* BEATISSIME PATER, *quid pietas, probitas, sapientia, prudentia, scientia, timor Domini, intellectus, & idgenus virtutes iuuent, oracula, scita, verba, vita, monita, exempla, sententiæ, sermones, responsa, apophthegmata, saxiomata, instituta, propositiones, assertiones, constitutiones denique horum Sanctorum, Seniorum, Patrum, Anachoretarum, Secessorum proponunt, docent, instruunt. Siquidem,* BEATISSIME PATER, *ad horum paupertatem ditamur; ad eorundem mansuetudines, luctus, secessus, famem & sitim iustitiæ, miserationes, & misericordias, nitores & munditias, paces, persecutiones, opprobria, maledicta, probra, iurgia, contumelias, angustias, & mala omnia quæ pertulerunt propter iustitiam, ditamur, possidemus altam terram, consolamur, vnimur, saturamur, misericordiam à Domino consequimur, Deum videmus, filij Dei nominamur, & sumus, benedicimur, & viridantes lauros, palmas, cælorumque corollas assequimur. Ad horum amussim condimur, componimur, recti fimus. Ad hunc salem condîmur, ad hanc lucem dirigimur, ad hos pedes ambulamus, ad has vias rectum tenemus & sequimur, per hos scalarum gradus ascendimus, in his pietatis gurgitibus seu piscinis mundamur, ad hæc spectacula comimur, his columnis, firmamentis, & propugnaculis innitentes firmamur, stabilimur, roboramur, ad hos portus post longas diuersorum æquorum tumultuantium iteratas nauigationes contendimus, tendimus, appellimus. Sunt hæ veluti infirmiores mundi partes, quas selegit Deus de hoc mundo, ad hoc vt fortiora quæque quæ sunt mundi confundat, perdat, comprimat, conterat. Hi sunt qui spretis sæcularibus terrenorum regnorum curis & negotiis, & fucis sæculi contemptis opibus & illecebris sese totos mundo, soli Christo, & cœlitibus consecratos, abdicarunt.*

*Atque si Tu,* BEATISSIME PATER, *ampliſsimum, sanctissimum, maxumum, optumum & augustissimum munus Vniuersi sustines; si vnus omnibus præs, leges & iussa ponis, maria, terras, pacem, bella, Imperatores, Reges, Principes, Optumates moderaris, & adeò rectum cursum in tam vndoso Papali mari, omnium stupore, nullis licentiæ in illa summa fortuna ventis, illecebris illectus, perculsus, abreptus, tenes, non aliunde hæc euenire puto, quàm quòd ab ineunte ætate tantorum & tam sanctorum hominum, tamque piorum & religiosorum Patrum & Secessorum sectanda vestigia, amplectenda monita, imitanda exempla,*



*audienda*

*audienda ſcita, intelligenda axiomata, ſcrutanda oracula, legendos ſermones, imitanda inſtituta, obſeruandas propoſitiones, recolundas ſententias, coaceruandas aſſertiones, ita propoſueris, vt iam ideo in ſublimiori magnitudine, in maiori amplitudine, in ampliori altitudine, & in altiori gloriæ, fortunæ, & honoris cacumine conſtitutus, firmatus, roboratus, vitiorum expers, ſpretor, & neſcius, Te virtutum exemplar ſingulare omnium oculis præbeas. Interea,* BEATISSIME PATER, *ille idem Deus Optimus Maximus apex omnium, & Chriſtus (cuius Proapex vices geris) Te longæuum Vniuerſo ſeruet, & donet tandem aliquando ſub tanto & prouidentiſſimo Principe & Moderatore Summo Pontifice, fluctuanti vndique Chriſtigenarum nauigio optumum ſtatum, nimirum deſideratam tranquillitatem & ſuæ Domui pacem. Lugd. 3. Idus Aprilis, Anno 1625.*



# PROLOGVS AVCTORIS.

QVAMVIS omnium Sanctorum Vitæ neſcio quam animi delectationem, deuotionem, atque ad imitandum inſtigationem parere ſoleant: Sanctorum tamen Eremitarum Hiſtoriæ ſpecialem quandam virtutem ad hoc præſtandum habere videntur. Patet ex hoc, quod præcipui & inſigniores Sancti, vtpote Domitianus, Benedictus, Romualdus, Caſſiodorus, Dominicus, Thomas Aquinas, Ignatius Societatis IESV, & alij innumeri, Patrum Vitas, eorúmque Collationes indeſinenter peruoluebant. Ipſe etiam S. Auguſtinus ante & poſt conuerſionem ſuam, valdè delectabatur in lectione Vitæ S. Antonij. Vnde etiam in lib. 8. Confeſſ. cap. 6. ſcribit, quod cùm duo nobiles equites ambulantes per agros, fortè ingreſſi eſſent in cellam quandam Eremiticam, & ſupra pauperem menſam inueniſſent librum Vitæ S. Antonij, & legere incepiſſent, tam vehementi inde feruore accenſi ſunt, atque adeò mutati, vt exinde nullatenus in ciuitatem redeuntes, ibidem remanſerint, ſeſeque totos vitæ Eremiticæ tradiderint, & temporalem militiam cum æterna fœlicitate commutarint. S. etiam Aibertus Incluſus, Monachus ſummæ abſtinentiæ, cùm adhuc iuuenis in ædibus paternis degeret, & fortè quodam die Mimum audiuiſſet cantionem quandam depromentem, qua conuerſio S. Theobaldi Eremitæ, & vitæ eius aſperitas, fœlíxque eius obitus continebatur, ita repentè compunctus eſt, vt ſecum ſtatuerit mundo valedicere, atque in frigore & nuditate Deo hilariter inſeruire.

Ego etiam (licèt peccator maximus) non ſolùm ex lectione libri illius antiqui de Vita Patrum Orientis, ſed ex inſpectione & contemplatione quarundam imaginum ipſorum, necnon & noſtrorum Occidentalium, non paruum fateor me in initio conuerſionis meæ emolumentum reportaſſe. Cernens autem Patrum Orientalium Vitas tam copiosè à multis fuiſſe deſcriptas, ſcilicet à D. Hieronymo, ab Euagrio, à Theodoreto, à Palladio, ab Heraclide, à Ioanne Moſcho, & aliis, & nouiſſimè à doctiſſimo Heriberto Roſvveido Societatis IESV in vnum redactas: noſtri verò Occidentis Eremitarum Hiſtorias nondum à quoquam (quod ſciam) in vnum fuiſſe collectas: tantum laborem vires meas excedentem aggreſſus ſum. In quibus Hiſtoriis conſcribendis, breuitatis ſtylum, nunc valdè quæſitum, & legentibus omnino neceſſarium, quantum potui obſeruare volui, præcipuè in illis Vitis ſatis vulgaribus, quæ iam apud Surium, aliósque recentiores fuſiùs deſcribuntur. De hoc enim non ſemel à doctis admonitus fui.

Neque verò putes, pie Lector, me tantùm deſcripſiſſe Vitas quorum cernuntur imagines: nam multas hactenus incognitas, & numquam typis mandatas, ex manuſcriptis Codicibus, & Eccleſiarum Breuiariis, & non vulgaribus hiſtoricis

hiſtoricis collegi, atque vt eis maior fides adhiberetur, Annotationibus exornaui. Iis autem non contentus, vt liber iſte volumini de Vitis Patrum Orientis correſponderet, Sententias & egregia dicta Sanctorum Patrum Occidentis conquirere, & hic inſerere neceſſarium putaui. Vt autem Lectori conſolatio maior accreſceret, Inſignium quorumdam Eremitarum Orientis Vitas, quæ in antiquo illo libro de Vita Patrum non habentur, quaſque prætermiſit doctiſſimus Heribertus, in fine voluminis apponere volui.

Si autem in iſtis Sanctorum Vitis à me collectis, non omnium per extenſum, ortum, progreſſum, & finem hic deſcriptum repereris; ſed aliquorum integras, aliorum dimidiatas, quæ duo vel tria ad ſummum patrata miracula contineant, non illicò debes turbari, nec de eorum ſanctitate, nec de mea diligentia dubitare: quia ex his duobus vel tribus virtutis actibus (vt Sanctus Gregorius in Vita S. Stephani Abbatis Reatini ait) valent eius bona multa penſari, & qualis in vno dumtaxat facto extitiſſe comperitur: talis in toto vitæ curſu haud dubiè præſumendus ſit. Adde quod in cauſa eſt, vel quia plura mihi non fuerunt miſſa, vel quia in Breuiariis, & hiſtoricis ita eas reperi imperfectas. Ita etiam fiet, vt tibi labor, ſimul & faſtidium tollatur, & mihi dolus, vel negligentia, aut ignorantia non imputetur. Vale.

CATA

# CATALOGVS AVCTORVM QVI IN TOTO OPERE CITANTVR.

*Ado Epiſc. Treuirenſis.*
*Aeneas Syluius.*
*Aegila Abbas.*
*Agilbertus Monachus.*
*Aloyſius Lippomanus.*
*Alphonſus Villegas.*
*Alphonſus à Caſarubios.*
*D. Antoninus Arch. Florent.*
*Antonius Sabellicus.*
*Antonius Maria Gratianus à Burgo S. Sep. Epiſc. Amerinus.*
*Antonius Abbas Valladolidenſis.*
*Albertus Crantzius.*
*Adamannus Abbas.*
*Arnoldus Vvion.*
*Andreas Iacobus Fabrianenſis.*
*Aymo Monachus.*
*Bernardus Epiſcopus Lodouenſis.*
*Bertrandus Argentræus.*
*D. Braulius Epiſc. Cæſaraug.*
*D. Beda.*
*Baptiſta Fulgoſius.*
*Blaſius Melaneſius.*
*D. Bonauentura.*
*Bonfinius.*
*Baronius Cardinalis.*
*Bozius.*
*Bugianus.*
*Belforeſtius.*
*Bonaſpes.*
*Cæſarius Monachus.*
*Carolus Sigonius.*
*Carolus Sauſeyus.*
*Carolus Bouillus.*
*Camuzatus.*
*Cornelius Graſius Carth.*
*Chronicon Ciſterc.*
*Chronicon Camerac. & Atrebatenſe.*
*Chronicon S. Franciſci.*
*Demochares.*
*Dionyſius Faber Cæleſt.*
*Eugyppus Abbas.*
*Euerhelmus Abbas.*
*Egbertus Abbas.*
*Ermenoldus Diaconus.*
*Ermenricus Elevvangenſis Monachus.*
*Fælix Ennodius Ticinenſis Epiſc.*
*Fredericus Metius.*
*Fælix Crolandienſis Monachus.*
*Florentius Abbas.*
*Fazellus.*
*Flodoardus Presbyter.*
*Felici.*
*Franciſcus de Roſeriis.*
*Franciſcus Irenicus.*
*Franciſcus Cheraſcus Carmelita.*
*Franciſcus Victonius.*
*Folengius.*
*D. Gregorius Papa.*
*D. Gregorius Arch. Turonenſis.*
*Gennadius.*
*Galeſinus.*
*Georgius Vvicelius.*
*Gazetus.*
*Hepidannus Monachus.*
*Hermannus Contractus.*
*Haræus.*
*Hector Boëtius.*
*Hieronymus Rubæus.*
*S. Hildegardis Abbatiſſa.*
*Henricus Caniſius.*
*Hincmarus Rhem.*
*Hieronymus de Villa Vitis.*
*Iacobus de Vitriaco Card.*
*Iacobus Seuertius.*
*Iordanus de Saxonia.*
*Ioannes Chenu.*
*Ioannes Dubrauius Epiſc. Olomuz.*
*Ioannes Abbas.*
*Ioannes Maldonatus Hiſp.*
*Ioannes à Boſco.*
*Ioannes Chappotus.*
*Ionas Abbas.*
*Ioannes Denÿze.*
*Ioannes Herbutus.*
*Ioannes Iacobus Chiffletius.*
*Ioannes Pitheus.*
*Leo Oſtienſis.*
*Lucius Marineus Siculus.*
*Molanus.*
*S. Maurus Epiſc. Quinqueccleſ.*
*Marcus Marulus.*
*Matthæus Pariſienſis.*
*Matthæus Oliuerius Monachus.*
*Martinus Cromerus.*
*Martinus Marrierius.*

*Matthæus*

# INDEX AVCTORVM.


Matthæus Vveſtmonaſt.
Michaël Seruita Florent.
Michaël Cottignonus.
Martyrologium Romanum.
Nauclerus.
Nicolaus Salius Pragenſis.
Nicolaus Farneſius.
Osbernus Monachus.
Petrus de Alliaco Card.
Petrus Cluniac.
Petrus de Natalibus Epiſc. Equil.
Petrus Cratepolius.
B. Petrus Damianus.
Paulus Diaconus.
Philippus Bergomenſis.
Petrus Galenius.
Platus.
Polydorus Vergilius.
Primus Epiſc. Cabil.
Robertus Cænalis Epiſc. Abrincenſis.
Rhegino Abbas.
Rogerius Houetenſis.
Robertus Gaguinus.
Raulinus Cluniac.
Renatus Benedictus.
Ribadeneira.
Raphaël Volaterranus.
Richardus de Valle Iſera.
Sigebertus.
Sidonius Apollinaris.
Simon Fagellus.
Sauaro.
Syluester Prierates.
Surius Carth.
Sanderus.
Sebaſtianus Brantius.
Sebaſtianus Marcallius.
Thomas Cantipratenſis.
Thomas de Trugillo.
Trithemius Abbas.
Theodoricus Abbas.
S. Theodorus Eremita.
Trophæum Eccleſiæ Anglicanæ.
Vincentius Beluacenſis.
Vincentius Baralius.
Vſuardus.
Vvandelbertus.
Vaſæus.
Vualafridus.
Vuilhelmus Malmesburienſis.
Viola Sanctorum.
Vuolfangus Lazius.
Zacharias Lippeolo.


CATA

# CATALOGVS BREVIARIORVM.


Breuiarium S. Matris Romanæ Eccleſiæ.
Breuiarium Eccleſiæ Mediolanenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Lugdunenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Viennenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Pariſienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Bituricenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Agennenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Cænomanenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Rhotomagenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Tullenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Narbonenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Nannetenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Aurelianenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Ambianenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Dienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Gratianopolitanæ.
Breuiarium Eccleſiæ Ebroicenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Eboracenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Matiſconenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Cabilonenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Metenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Claromontenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Sueſſionenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Eduenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Lemouicenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Tharentaſienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Senonenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Pictauienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Carnotenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Rhemenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Lingonienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Beluacenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Anicienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Antiſiodorenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Niuernenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Conſtantienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Meldenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Maſſilienſis.
Breuiarium Eccleſiæ Engoliſmenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Arelatenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Aptenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Tricaſtrinenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Vzetenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Carpentoractenſis.
Breuiarium Eccleſiæ Cauallicenſis.
Breuiarium Eccleſiæ B. Mariæ de Belna.
Breuiarium Eccleſiæ Sedunenſis.
Breuiarium Monaſticum.
Breuiarium Ordinis S. Antonij Viennenſis.
Breuiarium Ordinis Cluniacenſis.
Breuiarium Ordinis Ciſtercienſis.
Breuiarium Monachorum S. Nichasij Rhemenſis.
Breuiarium Monaſterij S. Andreæ prope Auenionem.
Breuiarium Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani.
Breuiarium Ordinis Præmonſtratenſis.
Breuiarium ſeu Officium proprium Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.
Breuiarium Caſadæi.
Breuiarium Ordinis Camaldulenſis.
Breuiarium S. Ioannis in vineis Sueſſionenſis.
Breuiarium Ordinis Prædicatorum.
Breuiarium Ordinis Carmelitarum.
Breuiarium Monaſterij S. Eparchij Engoliſmenſis.


†† CATA

# CATALOGVS SANCTORVM
## LIBRI PRIMI.


S. Benedictus Abbas. 1
S. Benedictus Iunior. 11
S. Florentius. 11
S. Marcius. 12
S. Menas. 13
SS. Honoratus & Libertinus. 13
S. Equitius Abbas. 15
S. Nonnosus, & Anastasius. 17
S. Eleutherius Seruus Dei. 18
S. Spes Abbas. 18
S. Stephanus Vir Dei. 19
S. Suranus Abbas, cum duobus Monachis. 19
SS. Antonius, Merulus, & Ioannes. 20
SS. Gerontius, & Mellitus. 20
S. Victorinus, alias Aemilianus. 21
S. Eremita qui mortem impiissimi Theodorici Regis prædixit. 21
S. Cuthbertus Episcopus. 22
V. Oidiualdus. 23
S. Isaac. 24
S. Goar. 25
S. Antonius. 27
S. Corentinus. 27
S. Columbanus. 28
S. Victorinus Episc. & Martyr. 31
S. Ioannes Syrus. 31
S. Eucherius Episc. Lugd. 32
S. Caprasius. 32
B. Munio Oniez. 33
S. Antonius Cyrus. 34
S. Lannomarus. 35
S. Guduualus. 36
S. Gilda Episc. cum aliis. 37
S. Fiacrius. 40
S. Alfreda Virgo. 42
S. Amatus. 43
S. Machutus, vel Machutes. 44
S. Carilephus. 46
S. Radulphus. 48
S. Iudocus. 48
S. Gobrianus Episc. 49
Salomon Rex Hungariæ. 50
Santacopius, vel Suatacopius Rex Moraviæ. 55
Doneualdus & Mazota. 56
Inas Rex. 57
S. Vvithburga. 57
S. Etheldrida. 57
SS. Vvireburga, & Fredesuuida. 58
S. Paulus Episc. 58
S. Guthlacus. 59
S. Dympna Virgo & Martyr. 59
S. Richardus Rex. 63
S. Richarius. 63
S. Meinradus. 64


## LIBRI SECVNDI.


SS. Lvpicinius & Romanus. 65
S. Lupicinus Inclusus. 68
S. Aemilianus. 69
S. Leobardus. 70
S. Monegundis. 70
S. Martius. 71
S. Caluppanus. 72
S. Friardus. 73
S. Eparchius. 73
S. Patroclus. 75
S. Vvlphus. 75
S. Georgia Virgo Aruernica. 76
S. Marianus. 77
S. Eusichius. 77
S. Iulianus. 78
S. Abraham. 78
S. Maxentius. 79
SS. Gallicanus & Hilarinus Martyres. 79
S. Vulmarus. 81
S. Goluenus. 82
S. Arbogastus. 83
S. Florentius. 84
S. Bauo. 84
B. Montanus Inclusus. 85
SS. Theodulphus, & Theodoricus. 86
SS. Domicius, & Vlfia. 87
S. Disibodus. 88
S. Monon Eremita & Martyr. 88
S. Ermelendis Virgo. 89
S. Arnulphus Episcopus. 91
S. Landrada Virgo. 91
S. Iustus Episc. Lugd. 93
S. Auentinus. 94
S. Victor. 95
SS. Vvinebaudus, & Flauitus. 96
S. Gallus Abbas. 97
S. Godricus. 100
S. Ioannes Ortheca. 102
S. Vlfricius, vel Vlfricus Erem. 105
S. Vvinnualocus. 105
S. Vvendelinus. 107.394
S. Ioannes Reomaensis, vel Reomensis. 107
S. Procopius. 108
S. Venantius. 109.110
S. Senoch. 111
S. Ebrulphus. 112
S. Heruæus. 113
S. Giselenus. 115
S. Odilia Virgo. 116. 400
S. Aibertus. 116
S. Simeon. 117
SS. Elesmes, Sindulphus, Bathfridus, & Amnichadus. 118
SS. Eberhardus, & Gregorius. 119
S. Vviberadis Virgo. 120
S. Paulina Inclusa. 120
S. Vdegeba. 120
SS. Ottilia, Vvalpurgis, Gertrudis, & Adheleidis, Virgines. 120
S. Hildegardis Virgo. 121
S. Mactildis, vel Mecthildis Virgo. 121
S. Elisabeth Virgo. 121
S. Hildulphus. 125.127
S. Deodatus. 131
S. Paulus Leonensis Episc. 132
S. Theobaldus. 134
S. Lætus. 136
S. Honoratus Episc. 137
SS. Castor, & Pirminius. 140
SS. Benedictus, Suiradus, Frambaldus, & alij. 141


## LIBRI TERTII.


S. Fronto Episc. 143
SS. Marinus & Leo. 144
S. Benedicta Virgo & martyr. 144
S. Quiteria Virgo & Martyr. 145
S. Maglorius Episc. 145
S. Magnus Episc. 146
S. Metron. 146
S. Venerius. 147
S. Ioannes Cassianus. 148
S. Ioannes Calabyta. 149
S. Paternus Episc. 150
S. Desideratus Inclus. 151
S. Seuerus Abbas. 151
S. Hilarius. 152
S. Florentius. 153
S. Maurus Monachus & Martyr. 154
S. Aegidius Abbas. 154
S. Ethbinus. 156
S. Valericus. 156
S. Aurea Virgo. 156
S. Deicolus. 157
SS. Zoërardus Confessor, & Benedictus Martyr. 159
S. Victor Eremita & Martyr. 160
S. Veredemus Episc. 160
S. Beatus. 162
S. Iuan. 162
SS. Matthæus, Benedictus, Ioannes, Isaac, Christinus Martyres: & Barnabas Confessor. 163
S. Bononius. 164
S. Simeon. 165
S. Elphegus Episcopus. 167
S. Guido. 168
S. Alferius. 169
S. Aurelia Virgo. 171
S. Fælix. 171
S. Rumoldus Erem. & Martyr. 173
S. Arnulphus Episc. 173
S. Guillelmus Eremita, quondam Dux Aquitaniæ. 175
S. Stephanus Ord. Grandim. Instit. 186
S. Stephanus Abbas Cisterc. 188
S. Robertus Abbas Cisterc. 189
S. Robertus Abbas Casadei. 190
S. Adelelmus. 191
SS. Benedictus, & Laurentius. 192
S. Druonus Inclusus. 192
B. Iachelina Virgo. 193
S. Liphardus. 194
S. Sola. 195.433
S. Seuerinus. 195.395
S. Gregorius Arch. & Erem. 197
S. Odo Abbas. 200


## LIBRI QVARTI.


SS. Eremitæ Amandus & Iunianus. 208
S. Leonardus. 209
S. Pardulphus. 210
S. Leonardus. 211
S. Gundulphus. 213
S. Domitianus Abbas. 214
SS. Euspicius, & Maximinus. 217
S. Auitus. 218
S. Marculphus. 219
S. Simpertus. 222
S. Bertholdus Erem. & Martyr. 222
S. Principinus Erem. & Martyr. 223
S. Sebaldus. 224
S. Guillelmus. 224
S. Sibertus. 225
SS. Episcopi Cannatus, & Aygulphus. 226
S. Ioannes de Montemirabili. 226
S. Angelus Eremita & Martyr. 227
S. Simon Stock. 233
S. Mecthildis Virgo. 233
S. Iterius Episc. 237
S. Mandetus. 238
S. Dulchardus. 238
S. Emanus Eremita & Martyr. 239
S. Lautenus. 239
S. Cæsaria Virgo. 240
S. Clodoardus. 240
S. Patricius. 241
S. Gendulphus Episc. 241
S. Marianus. 242
S. Martianus. 242
S. Seuerinus Inclusus. 243

S. *Ambrosius Episc. & Erem.* 243
S. *Donatus.* 243
S. *Iacobus.* 244
S. *Boamadus.* 244
S. *Orientius Episc.* 244
S. *Lupus Arch.* 245
S. *Baldomerus.* 245
S. *Racho Episc.* 246
S. *Clarus Abbas.* 246
S. *Siuiardus.* 247
S. *Syria Virgo.* 248
S. *Laurianus Episc. & Martyr.* 248
S. *Enremundus Erem.* 249
SS. *Brigitta, & Maura Virgines & Martyres.* 249
S. *Ebrulphus.* 249
S. *Vvlgisus.* 250
S. *Bassolus.* 250
S. *Herneus Abbas.* 251
S. *Barnardus Episcopus.* 252
S. *Libaria virgo & Martyr.* 253
S. *Gratus Episcopus.* 255
S. *Bandaridus Episc.* 356
S. *Antoninus Martyr.* 356
S. *Paulus* Episc. 257
SS. *Peregrinus, Machoratus, & Viuentianus Monachi.* 258
S. *Martinus.* 258
S. *Amon Episc. & Erem.* 258
S. *Aper.* 259
S. *Aemilianus Abbas.* 260
S. *Sylueſter Abbas.* 261.441
S. *Guillelmus Abbas.* 261
S. *Fremundus Erem. & Martyr.* 262
SS. *Decumanus Martyr, & Benignus Confeſſor.* 262
S. *Clarus Eremita & Martyr.* 262
S. *Guntherus.* 263.434
V. *Trebellius Rex Bulgariæ.* 264
S. *Albanus Eremita & Martyr.* 267
SS. *Pelagius, Arsenius, & Syluanus.* 268
S. *Ventila.* 270
S. *Venantius Eremita & Martyr.* 271
S. *Lenfredus Abbas.* 271
S. *Fructuosus Episc.* 275
S. *Fructuosus Erem.* 276
S. *Goda.* 276

LIBRI QVINTI.

S. *Romualdus Anachoreta.* 277
S. *Bonifacius Arch. & Martyr.* 292
SS. *Eremitæ Ioannes & Benedictus.* 293
B. *Rodulphus Episcopus.* 294
S. *Dominicus Loricatus.* 295
S. *Dominicus Calciatensis.* 296
B. *Petrus Damianus.* 297
S. *Benno Episc.* 298
S. *Ioannes Gualbertus.* 300
S. *Dominicus Silensis.* 304
SS. *Eremitæ Gerlacus, Eleſmes, & Inachus.* 304
S. *Iutta Incluſa.* 305
S. *Bruno.* 305
S. *Maria Oegniacensis.* 307
S. *Franciscus.* 308
S. *Antonius Paduanus.* 320
V. *Petrus Eremita.* 325
S. *Christina virgo Mirabilis.* 327
S. *Gerardus Episc. & Martyr.* 333
B. *Ioannes Bonus.* 335.336

LIBRI SEXTI.

SS. *Eremitæ, Bonus filius, Amideus, Bonajuncta, Manettus, Alexius, Sothenius, & Vnguccionus.* 337
S. *Philippus Ord. Seruorum* B. *Mariæ institutor.* 339
B. *Ioachinus.* 343
S. *Petrus Cælestinus.* 344
SS. *Ioannes & Felix.* 371
B. *Robertus Salentinus.* 373
V. *Ræmundus Lullius Erem. & Martyr.* 378
B. *Christianus.* 382
B. *Coleta virgo.* 383
B. *Ioannes Gandauensis.* 385
B. *Michaël Incluſus.* 385
B. *Bernardus Tolemæus.* 385
B. *Carolus Erem.* 386
B. *Petrus Ferdinandus.* 387
V. *Nicolaus Eremita.* 387
B. *Elias Erem.* 388
B. *Gerardus Erem.* 389
S. *Franciscus Paulensis.* 390

CATAL. SANCTORVM, QVORVM SENTENTIÆ in libro ſeptimo continentur.

S. *Dominicus Ord. Prædic. Inſtit.* 393
S. *Franciscus.* 393
S. *Heribertus Colon. Episc.* 393
S. *Eugendus Abbas.* 393
S. *Seuerinus.* 393
S. *Ioannes.* 393
B. *Aegidius.* 393
S. *Ludouicus Arch. Tholoz.* 394
B. *Laurentius Iuſtinianus.* 394
V. *Gerardus.* 394
V. *Florentius.* 394
S. *Adalbertus Episc. & Martyr.* 394
S. *Vvinuualocus.* 394
S. *Paula.* 395
S. *Hugo Lincol. Episc.* 395
S. *Clara de Montefalconis.* 395
S. *Ottho Episc.* 395
S. *Brigida.* 395
S. *Richardus Episc.* 395
B. *Iordanes.* 396
S. *Fulgentius.* 396
S. *Hermelandus.* 396
S. *Adhelardus.* 396
S. *Edmundus Episc.* 397
S. *Thomas Aquinas.* 397
S. *Isaac.* 399
S. *Guillelmus.* 399
S. *Nilus.* 399
V. *Ioannes discipulus S. Odonis.* 400
B. *Aloysius Bertrandus.* 401
S. *Hugo Gratianopol. Episcopus.* 403
S. *Constabilis, Abbas.* 404
S. *Odilo Abbas.* 404
S. *Anselmus.* 404
S. *Malachias Episc.* 405
S. *Attala Abbas.* 405
S. *Gertrudis.* 407
S. *Odo Abbas.* 407
S. *Coleta.* 408
S. *Portianus Abbas.* 414
SS. *Martinus, & Cyprianus.* 415
SS. *Vrsus & Leubatius.* 415
S. *Sequanus,* 416
S. *Eloquius.* 416
S. *Maximinus Episc.* 417
S. *Pancharius.* 418
S. *Hymerius.* 418
S. *Columba Abbas.* 420
S. *Bernardus Eremita.* 423
SS. *Nertus, & Ailuuinus.* 424
S. *Gerardus Episc.* 425
S. *Sturmio Abbas.* 425
S. *Eparchius Incluſus.* 428
S. *Theuderius Abbas.* 431
S. *Medericus.* 432
S. *Casilla virgo.* 432
S. *Sola Eremita.* 433
S. *Guntherus.* 434
S. *Didacus.* 437
S. *Sylueſter, Abbas.* 441
S. *Georgia Virgo.* 447
S. *Pappula Virgo.* 447
S. *Desideratus.* 448
S. *Hospity Incluſi miraculum.* 448
S. *Iunianus.* 448
S. *Vviborada.* 448
S. *Findanus Incluſus.* 455
S. *Magnus Abbas.* 456
*Ioannes Guarinus.* 467
S. *Cannatus.* 469
S. *Nilus Abbas.* 470
S. *Franciscus Paulensis.* 475

CATAL. SANCTORVM APPENDICIS.

S. *Ioannes Incluſus.* 447

## APPROBATIO.

LECTVM sanè, & lectu dignum est opus istud Reuerendi Patris BENEDICTI GONONI, quod est *De Vitis & Sententiis Patrum Occidentis*, illúdque verè nedum Regularem vitam profitentibus, sed & quibuslibet aliis vtile fore credimus, vnde & dignum prælo dicimus & iudicamus. Actum Lugduni die 3. Maij 1625.

FR. ROBERTVS BERTHELOT Episcopus Damascí.

*Fr. CLAVDIVS COCHET, Prior Prædicat. Lugd.*

## *SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO Galliarum Rege concessi.*

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus Litteris cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos sex à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inscribitur; *Vitæ & Sententiæ Patrum Occidentis, Libris VII. digestæ, ex grauissimis Auctoribus, necnon antiquis manuscriptis Codicibus, & Ecclesiarum Breuiariis collectæ, & Annotationibus exornatæ, opera* BENEDICTI GONONI *Burgensis, Monachi Cælestini Lugdunensis*, &c. præter LAVRENTIVM DVRAND Biblipolam Lugdunensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eumdem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti LAVRENTII DVRAND, idque omne sub confiscatione Librorum, aliisque pœnis originali diplomate, contra delinquentes expressis. Datum apud Sanctum Germanum die 7. Octobris, 1624.

*De mandato Regis*

Signatum,

DRAVD.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

CATA

# CATALOGVS LIBRORVM.

## LIBER PRIMVS COLLIGITVR

*Ex D. Gregorio Papa, & aliis variis.*

## LIBER SECVNDVS

*Ex D. Gregorio Turonenſi Archiepiſcopo, & aliis.*

## LIBER TERTIVS

*Ex Petro de Natalibus Epiſcopo Equilino, & aliis.*

## LIBER QVARTVS

*Ex antiquis MS. Codicibus, & Eccleſiarum Breuiariis: & incertis Auctoribus.*

## LIBER QVINTVS

*Ex B. Petro Damiano Card. & Epiſc. Oſtienſ. & aliis.*

## LIBER SEXTVS

*Ex Michaële Seruita, & aliis variis.*

## LIBER SEPTIMVS

*Continet Sententias Sanctorum Patrum Occidentis.*

## APPENDIX

*Partim ex grauiſſimis Auctoribus, partim ex Breuiariis, & antiquis MS. Codicibus colligitur.*

DE



# DE VITIS PATRVM OCCIDENTIS.

## LIBER PRIMVS.

*Ex D. Gregorio Papa, & aliis variis collectus.*

### LECTORI.

*Breuitatis cauſa Diſputationes, Interrogationes, & Reſponſiones, quæ fiunt inter B. Gregorium, & Petrum Diaconum ſuum in Vitis & Hiſtoriis ſequentibus, prætermittere volui ad tuam maiorem conſolationem. Quare ſi eas videre deſideras, ad fontes, ſcilicet eius opera, vel ad Lippomanum & Surium, recurrere poteris. Mihi verò ſufficit breuiter Hiſtoriam perſtringere.*

## VITA SANCTI BENEDICTI ABBATIS,

*Ex Diuo Gregorio Papa.*

*Habetur lib. 2. Dial c. 1. cum ſequentibus.*

EVIT vir vitæ venerabilis, A gratia Benedictus, & nomine, ab ipſo ſuæ pueritiæ tempore cor gerens ſenile. Ætatem quippe moribus tranſiens, nulli animum voluptati dedit: ſed dum in hac terra adhuc eſſet, quo temporaliter liberè vti potuiſſet, deſpexit iam quaſi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex prouincia Nurſiæ exortus, Romæ liberalibus litterarum ſtudiis traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat retraxit pedem, ne ſi quid de B ſcientia eius attingeret, ipſe quoque in immane præcipitium totus iret. Deſpectis itaque litterarū ſtudiis, relicta domo, rebuſque patris, ſoli Deo placere deſiderans, ſanctæ conuerſationis habitum quæſiuit. Receſſit igitur ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. Huius ergo omnia geſta non didici: ſed pauca quæ narro, quatuor diſcipulis illius referentibus agnoui; Conſtantio ſcilicet reuerendiſſimo valde viro, qui ei in Monaſterij regimine ſucceſſit. Valentiano quoque, qui annis multis Lateranenſi Monaſterio præfuit. Simplicio, qui congregationem illius poſt eum tertius rexit. Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius in qua prius conuerſatus fuerat, præeſt. Hic C itaque cum iam relictis litterarum ſtudiis petere deſerta decreuiſſet, nutrix quæ hunc arctius amabat, ſola ſecuta eſt. Cumque ad locum veniſſet, qui dicitur Enſide, multiſque honeſtioribus viris pro charitate ſe illic detinentibus, in Beati Petri Eccleſia demorarentur, prædicta nutrix illius, ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præſtari ſibi capiſterium petiit; quod ſuper menſam incautè derelictum, caſu accidente fractum eſt, ſic vt in duabus partibus inueniretur diuiſum. Quod mox rediens nutrix illius vt ita inuenit, vehementiſſimè flere cœpit: quia vas quod præſtitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem Religioſus & pius puer, cùm nutricem ſuam flere conſpiceret, eius dolori compaſſus, ablatis ſecum vtriſque fracti capiſterij partibus, ſeſe cum lacrymis in orationem dedit, qui ab oratione ſurgens, ita iuxta ſe vas ſanum reperit, vt in eo inueniri fracturæ nulla veſtigia potuiſſent, moxque nutricē ſuam blādè conſolatus, ei ſanum capiſterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco à cunctis eſt agnita, atque in tanta admiratione habita, vt hoc ipſum capiſterium eius loci incolæ in Eccleſiæ ingreſſu ſuſpenderent, quatenus præſentes, & ſecuturi omnes agnoſcerent, à quanta Benedictus puer conuerſationis gratiam perfectione cœpiſſet, quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & vſque ad hæc Longobardorum tempora ſuper fores Eccleſiæ pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes, & pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli, nutricem ſuam occultè fugiens, deſerti loci ſeceſſum petiit, cui Sublacus vocabulum eſt, qui ab Romana vrbe quadraginta ferè millibus diſtans, frigidas atque perſpicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenſo prius loco colligitur, ad extremum verò in amnem deriuatur. Quò dum fugiens pergeret, Monachus quidam Romanus

*S. Benedictus contemnit omnia, vt Chriſtum lucrifaciat.*

*Fractum capiſteriū oratione integrū reſtituit.*

nomine, hunc euntem reperit, quò tenderet requiſiuit. Cuius cum deſiderium cognouiſſet, & ſecretum tenuit, & adiutorium impendit: eique ſanctæ conuerſationis habitum tradidit, & inquantum licuit miniſtrauit. Vir autem Dei ad eundem locum perueniens, in arctiſſimum ſpecum ſe tradidit, & tribus annis, excepto Romano Monacho, omnibus hominibus ibi incognitus manſit, qui videlicet Romanus non longè in Monaſterio ſub Theodaci patris regula degebat. Sed piè eiuſdem patris ſui oculis furabatur horas, & & quem ſibi ad manducandum ſurripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem verò ſpecum à Romani cella iter non erat: quia excelſa deſuper rupes eminebat, ſed ex eadem rupe in longiſſimo fune ligatum Romanus ponere panem conſueuerat, in qua etiam reſti paruum tintinabulum inſeruit, vt ad eius ſonum vir Dei cognoſceret quando ſibi Romanus Monachus panem præberet: quem exigens acciperet. Sed antiquus hoſtis, vnius charitati inuidens, alterius refectioni, cùm quadam die ſubmitti panem conſpiceret, iactauit lapidem & tintinabulum fregit. Romanus tamen modis congruentibus miniſtrare non deſiit. Cum verò iam Deus omnipotens, & Romanum vellet à labore quieſcere, & Benedicti vitam in exemplum hominibus demonſtrare, vt poſita ſuper candelabrum lucerna clareſceret: cuidam Preſbytero longius manenti, qui refectionem ſibi in Paſchali feſtiuitate parauerat, per viſum Dominus apparere dignatus eſt dicens: Tu tibi delicias paras, & ſeruus meus in illo loco fame cruciatur. Qui protinus ſurrexit, atque in ipſa ſolemnitate Paſchali, cum alimentis quæ ſibi parauerat, ad locum tetendit, & virum Dei per abrupta montium, per concaua vallium, per defoſſa terrarum, quæſiuit: eumque latere in ſpecu reperit. Cúmque oratione facta benedicentes Dominum omnipotentem conſediſſent, poſt dulcia vitæ colloquia, is qui aduenerat Presbyter dixit: Surge, ſumamus cibum, quia hodie Paſcha eſt. Cui vir Dei reſpondit dicens. Scio quia Paſcha eſt: quia hodie videre te merui. Longè quippe ab hominibus poſitus, quia die eodem Paſchalis ſolemnitas eſſet ignorabat. Venerabilis autē Preſbyter rurſus aſſeruit dicēs: Veraciter hodie Reſurrectionis Dominicæ Paſchalis dies eſt; abſtinere tibi minimè congruit, quia & ego ad hoc miſſus ſum, vt omnipotentis dona Dei pariter ſumamus. Benedicentes igitur Dominum, ſumpſerunt cibum; expleta itaque refectione, & colloquio, ad Eccleſiam ſuam Preſbytet receſſit. Eodem quoque tempore, hunc in ſpecu latitantem etiam paſtores inuenerunt: quem dum veſtitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam eſſe beſtiam crediderunt, ſed cognoſcentes Dei famulum, eorū multi ad pietatis gratiam à beſtiali mente mutati ſunt. Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis. Factúmque eſt vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœpiſſet, qui cum ei cibum afferrent corporis, ab eius ore in ſuo pectore alimenta referebant vitæ.

*Sumpto ſanctæ conuerſationis habitu, abdit ſe in arctiſſimum ſpecum.*

*Paſcitur à Romano Monacho.*

*Mittitur ad eum diuinitus quidā Preſbyter.*

*Grauem patitur carnis tentationem.*

Quadam verò die, dum ſolus eſſet, tentator affuit. Nam nigra auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiuſque vultui importunè inſiſtere, ita vt manu capi poſſet, ſi hanc vir ſanctus tenere voluiſſet; ſed ſigno Crucis edito, receſſit auis. Tanta autem carnis tentatio aut eadem recedente ſecuta eſt, quantam vir ſanctus numquam fuerat expertus. Quan-

A dam namque aliquando fœminam viderat, quam malignus ſpiritus ante eius mentis oculos reduxit: tantoque igne ſerui Dei animum in ſpecie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam penè deſerere Eremum voluptate victus deliberaret. Tunc ſubitò ſuperna gratia reſpectus, ad ſemetipſum reuerſus eſt, atque vrticarum & veprium iuxta denſa ſuccreſcere fruteta conſpiciens, exutus indumento, nudus ſe in illis ſpinarum aculeis, & vrticarum incendiis proiecit: ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque bene pœnaliter foris B ardere, extinxit quod intus illicitè ardebat. vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium. Ex quo videlicet tempore, ſicut poſt diſcipulis ipſe perhibebat, ita in eo eſt tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid in ſe minimè ſentiret. Cœperunt poſtmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius magiſterium feſtinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure factus eſt virtutum magiſter.

*Sedat libidinem volutādo ſe in ſpinis, & vepribus.*

Recedente igitur tentatione, vir Dei quaſi ſpinis erutis exculta terra de virtutum ſegete feraciùs fructus dedit. Præconio itaque eximiæ conuerſationis, celebre nomen eius habebatur. Non autem longè Monaſterium fuit, cuius C congregationis pater defunctus eſt, omniſque ex illo congregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit, & magnis precibus vt eis præeſſe deberet, petiit. Qui diu negando diſtulit, ſuis illorumque fratrum moribus ſe conuenire non poſſe reſpondit. Sed victus quandoque precibus aſſenſum dedit. Cumque in eodem Monaſterio regularis vitæ cuſtodiam teneret, nullique vt prius per actus illicitos, in dexteram læuamque partem deflectere à conuerſationis itinere liceret: ſuſcepti fratres, inſanè ſæuientes, ſemetipſos prius accuſare cœperunt, quia hunc ſibi præeſſe popoſcerant: quorū ſcilicet tortitudo in norma eius rectitudinis offendebat. Cumque ſibi ſub eo conſpicerent D illicita non licere, & ſe dolerent adſueta relinquere, durumque eſſet quod in mente veteri cogebantur noua meditari, & quia grauis eſt ſemper prauis moribus vita bonorum: tractare de eius morte aliqui conati ſunt, qui inito conſilio, venenum vino miſcuerunt. Et cùm vas vitreum in quo ille peſtifer potus habebatur, recumbenti patri ex more Monaſterij, ad benedicendum fuiſſet oblatum, extenſa manu Benedictus ſignum Crucis edidit, & vas quod longius tenebatur eodem ſigno rupit: ſicque confractum eſt, ac ſi in illo vaſe mortis, pro Cruce lapidē dediſſet. Intellexit protinus vir Dei, quia potū mortis habuerat, quod portare non potuit ſignū vitæ. Atque illico ſurgens vultu placido, E mente tranquilla, conuocatos fratres alloquutus eſt dicens. Miſereatur veſtri fratres omnipotens Deus: quare in me iſta facere voluiſtis? Numquid non prius dixi vobis, quia veſtris ac meis moribus minimè conueniret? Ite, & iuxta mores veſtros patrem vobis quærite, quia poſthac me habere minimè poteſtis. Tuncque ad locum dilectæ ſolitudinis rediit: & ſolus in ſuperni aſpectoris oculis habitauit ſecum.

*Signo Crucis edito S. Benedictus vas in quo venenum erat, rupit.*

Cum ſanctus vir diu in ea ſolitudine virtutibus, ſigniſque ſuccreſceret: multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei ſunt ſeruitium congregati; ita vt illic duodecim Monaſteria cum omnipotētis IESV CHRISTI Domini opitulatione

*Cōſtruit duodecim Monaſteria.*

conſtrueret;



conſtrueret: in quibus ſtatutis patribus duodenos Monachos deputauit: paucos verò ſecum retinuit, quos adhuc in ſua præſentia aptius erudiri iudicauit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles, & religioſi concurrere: ſuoſque ei filios, omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ ſpei ſuas ſoboles, Euicius Maurum, Tertullus verò Patricius Placidum tradidit, quibus Maurus iunior, cum bonis polleret moribus, magiſtri adiutor cœpit exiſtere. Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.

*Traduntur ipſi nutriendi filij nobilium.*

In vno autem ex eis Monaſteriis, quæ circumcirca conſtruxerat, quidam Monachus erat, qui ad orationem ſtare non poterat: ſed mox vt ſe fratres ad ſtudium orationis inclinabant, ipſe egrediebatur foras, & mente vaga terrena aliqua & tranſitoria agebat. Cumque ab Abbate ſuo ſæpius fuiſſet admonitus, ad virum Dei deductus eſt: qui ipſe quoque ſtultitiam eius vehementer increpauit, & ad Monaſterium reuerſus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertia ad vſum proprium reuerſus vagari tēpore orationis cœpit. Quod cùm ſeruo Dei ab eodem Monaſterij patre, quem conſtituerat, nunciatum fuiſſet, dixit: Ego venio, eumque per memetipſum emendo. Cumque vir Dei veniſſet ad idem Monaſterium, & conſtituta hora, expleta pſalmodia, ſeſe fratres in orationem dediſſent: aſpexit quod eundem Monachū qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per veſtimenti fimbriam foras traheret. Tunc eidem patri Monaſterij Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo ſecretè dixit. Numquid non aſpicitis quis eſt, qui iſtum Monachum foras trahit? Qui reſpondentes, dixerunt. Non. Quibus ait. Oremus vt vos etiam videatis, quem iſte Monachus ſequitur. Cumque per biduum eſſet oratum, Maurus Monachus vidit, Pompeianus verò eiuſdem Monaſterij pater videre non potuit. Die igitur alia expleta oratione, vir Dei oratorium egreſſus, ſtantem foris Monachum reperit: quem pro cæcitate cordis ſui virga percuſſit, qui ex illo die nihil perſuaſionis vlterius à nigro puerulo pertulit: ſed ad orationis ſtudium immobilis permanſit, ſicque antiquus hoſtis dominari non auſus eſt in eius cogitatione: ac ſi ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere.

*Virga percutiens Monachum, ab eo fugat dæmonem.*

Ex his autem Monaſteriis quæ in eodem loco conſtruxerat, tria ſurſum in rupibus montis erant, & valde erat fratribus laborioſum, quod ſemper ad lacum oportebat deſcendere vt aquam haurire debuiſſent, maximè quia è deuexo montis latere erat graue deſcendētibus in timore periculū. Tunc collecti fratres ex eiſdem tribus Monaſteriis, ad Dei famulum Benedictum venerunt dicentes: Laborioſum nobis eſt propter aquam quotidie vſque ad lacum deſcendere, & idcirco neceſſe eſt ex eodem loco Monaſteria mutari. Quos blande conſolans dimiſit, & nocte eadem, cum paruo puerulo nomine Placido, cuius ſuperius memoriam feci, eiuſdem montis rupem aſcendit: ibique diutius orauit. Et oratione completa, tres petras in loco eodem prò ſigno poſuit: atque ad ſuum cunctis illis neſcientibus, Monaſterium rediit. Cumque die alia ad eum pro neceſſitate aquæ prædicti fratres rediiſſent, dixit: Ite, & rupem illam in qua tres ſuper inuicem poſitas petras inueneritis, in modicum cauate, valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborē tanti itineris dignetur auferre. Qui

*Impetrat ſuis diuinitus aquam.*

A euntes, rupem montis quam Benedictus prædixerat, iam ſudantem inuenerunt. Cumque in ea concauum locum feciſſent, ſtatim aqua repletus eſt: quæ tam ſufficienter emanauit, vt nunc vſque vbertim defluat, atque ab illo montis cacumine vſque ad inferiora deriuetur. Alio quoque tempore Gothus quidam pauper ſpiritu ad conuerſionē venit: quem vir Dei Benedictus libentiſſimè ſuſcepit. Quadam verò die ei, dari ferramentum iuſſit, quod ad falcis ſimilitudinem falcaſtrum vocatur, vt de loco quodam vepres abſcinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipſe quem mundandum Gothus ſuſceperat, ſuper ipſam laci ripam iacebat. Cumque Gothus idem denſitatem B veprium totius virtutis anniſu ſuccideret: ferrum de manubrio proſiliens in lacum cecidit. Vbi ſcilicet tanta erat aquarum profunditas, vt ſpes requirendi ferramenti nulla iam eſſet. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum Monachum cucurrit Gothus, damnum quod fecerat nunciauit, & reatus ſui pœnitentiā egit. Quod Maurus quoq; Monachus mox Benedicto famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hęc audiens, acceſſit ad lacum, tulit de manu Gothi manubriū, & miſit in lacum, & mox ferrum à profundo rediit, atque in manubrium intrauit. Qui ſtatim ferramentum Gotho reddidit dicens: Ecce labora, & noli contriſtari.

*Ferrum natat ſuper aquam.*

C Quadam verò die dum idem venerabilis Benedictus in cella conſiſteret; prædictus Placidus puer ſancti viri Monachus ad hauriendam de lacu aquā egreſſus eſt, qui vas quod tenuerat in aquam incautè ſubmittens, ipſe quoque cadendo ſequutus eſt. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius ſagittæ curſum eum à terra introrſus traxit. Vir autem Dei intra cellam poſitus, hoc protinus agnouit, & Maurum feſtinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: iamque eum longius vnda trahit. Res mira, & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata. Benedictione etenim poſtulata, atque percepta, ad patris ſui imperium D concitus perrexit Maurus. Itaque vſque ad eum locū, quo ab vnda deducebatur puer, per terram ſe ire exiſtimans ſuper aquam cucurrit: eumque per capillos tenens curſu rapido rediit. Qui mox vt terram tetigit, ad ſe reuerſus, poſt tergum reſpexit, & quia ſuper aquas cucurriſſet agnouit: & quod præſumere non potuiſſet vt fieret, miratus extremuit factum. Reuerſus itaque ad patrem, rem geſtam retulit. Vir autē venerabilis Benedictus hoc non ſuis meritis, ſed illius obedientiæ deputare cœpit. At contra Maurus, pro ſolo eius imperio factum dicebat; ſeque conſcium in illa virtute non eſſe, quam neſcius feciſſet. In hac itaque mutuæ humilitatis, & amica contentione, acceſſit E arbiter puer qui ereptus eſt, nam dicebat. Ego cum ex aqua traherer ſuper caput meum melotem Abbatis videbam: atque ipſum me ex aquis educere conſiderabam.

*Maurus Monachus iuſſioni viri Dei obediens ambulat ſuper aquam.*

Cum iam loca eadem in amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti longè lateque ferueſcerent, & ſecularem vitam multi relinquerent, & ſub leui Redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent: ſicut mos prauorum eſt inuidere aliis virtutis bonum quod ipſi habere non appetunt: vicinæ Eccleſiæ preſbyter Florentius nomine, huius noſtri Subdiaconi Florentij auus, antiqui hoſtis malitia percuſſus, ſancti viri ſtudiis cœpit æmulari, eiuſque conuerſationi derogare, quoſque etiam poſſet ab

*Patitur ſibi infeſtiū quendam preſbyterum.*



illius

illius visitatione compescere. Cumque iam se conspiceret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris ipso quoque opinionis eius præconio indesinenter vacare: inuidiæ facibus magis magisque succensus, deterior fiebat: quia conuersationis illius apparebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiusdem inuidiæ tenebris cæcatus, ad hoc vsque perductus est, vt seruo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret, quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicina sylua coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cum more solito venisset, panem quem presbyter transmiserat, vir Dei ante coruum proiecit, eique præcepit dicens: In nomine Iesu Christi Domini nostri, tolle hunc panem, & tali eum in loco proiice, vbi à nullo hominum possit inueniri. Tunc coruus aperto ore, expansis alis, circa eundem panem cœpit discurrere, crocitare, ac si apertè diceret, & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui vir Domini præcipiebat iterum, atque iterum dicens. Leua, leua securus, atque ibi proiice vbi inueniri non possit. Quem diu demoratus, quandoque coruus momordit, leuauit, & recessit. Post trium verò horarum spatium, abiecto pane rediit, & de manu hominis Dei annonam quam consueuerat accepit. Venerabilis autem pater contra vitam suam inardescere Sacerdotis animum idens: illi magis quàm sibi doluit. Sed prædictus Florentius quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ita vt in horto cellæ cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quę coram eis sibi inuicem manus tendentes, & diutius ludentes, illorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsusque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens: idque pro sua solius persecutione fieri pertractans, inuidiæ locum dedit: atque oratoria, & cuncta quæ construxerat, substitutis præpositis, adiunctis fratribus ordinauit, & paucis secum Monachis ablatis, habitationē mutauit loci. Sicque vir Dei eius odia humiliter declinauit, quem omnipotens Deus terribiliter percussit. Nā cum prædictus presbyter, stans in solario, Benedictum discessisse cognosceret, & exultaret, perdurāte immobiliter tota domus fabrica hoc ipsum tantum in quo stabat solarium cecidit; & Benedicti hostem conterens extinxit. Quod viri Dei discipulus Maurus nomine, statim venerabili patri Benedicto, qui adhuc à loco eodem vix decem millibus aberat, æstimauit esse nunciādum dicens: Reuertere, quia presbyter qui te persequebatur extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens, sese in grauibus lamentationibus dedit; vel quia inimicus occubuit; vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Qua de re factum est, vt eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret: quod mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

*Coruus ad viri Dei præceptum panē venenatū aliò transfert.*

*Vltio diuina in sancti viri inimicum.*

*Veniens ad montem Cassinum, mox idola subuertit, & dedicat ibi Ecclesiam.*

Sanctus autem vir ad alia demigrans loca, non hostem mutauit, Nam tanto post grauiora prælia pertulit, quantum contra se apertè pugnantem ipsum malitiæ magistrum inuenit. Castrum namque quod Cassinum dicitur, in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distenso sinu, hoc idem castrum recipit, sed per tria millia in altum se subrigens, velut ad aëra cacumen tendit, vbi vetustissimum phanum fuit, in quo ex antiquorum more Gentilium à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu dæmonū luci fuccreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perueniens, contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, oraculum Beati Martini, vbi ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum Sancti Ioannis construxit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè, vel per somnium, sed aperta visione, eiusdem patris oculis sese ingerebat: & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent, quamuis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis venerabilis pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus, & succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus sæuire videbatur. Iam verò quæ diceret audiebant omnes, prius enim hunc vocabat ex nomine. Cui cum vir Dei minimè responderet: ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret dicens: Benedicte, Benedicte, & cum sibi nullo modo responderе consp iceret: protinus adiungebat, maledicte, non benedicte, quid mecum habes? quid me persequeris? Sed iam nunc expectanda sunt contra Dei famulum antiqui hostis noua certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriæ ministrauit inuitus. Quadam die dum fratres habitacula eiusdem cellæ construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cumque eum duo vel tres mouere non possent, plures adiuncti sunt: sed ita immobilis mansit, ac si radicitus in terra teneretur, vt palam daretur intelligi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei missum est vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens, benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate leuatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.

*Fremit in cū diabolus.*

*Lapidem immobilem signo Crucis reddit mobilem.*

Tunc in conspectu viri Dei placuit vt in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic idolum fratres inuenerunt. Quo ad horam casu in coquinam proiecto, exire ignis repente visus est, atque in cunctorum Monachorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur ostendit. Cumque iaciendo fratres aquam ad ignem quasi extinguendo perstreperent: pulsatus eodem tumultu vir Dei aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis verò non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos quos phantastico reperit igne deludi, vocauit fratres, monuit vt oculos suos signarent, vt & fanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, & flammas quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

*Suscitat diabolus ignem phantasticū.*

Rursus dum fratres parietem, quia res ita exigebat, paulo altius erigerent, vir Dei in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultans apparuit, & ei quod ad laborantes fratres pergeret indicauit. Quod vir Dei per nuncium celerrimè fratribus indicauit, dicens: Fratres cautè vos agite: quia ad vos hac hora malignus



lignus spiritus venit. Is qui mandatum detulit, vix verba compleuerat, & malignus spiritus eundem parietem qui ædificabatur euertit: atque vnum puerulum Monachum cuiusdā curialis filium opprimens ruina contriuit. Contristati omnes, ac vehementer afflicti, non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili patri Benedicto celeriter cum grandi luctu nunciarunt. Tunc idem pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri iubet. Quem portare non nisi in sacco potuerunt, quia collapsi saxa parietis non solum eius membra, sed etiam ossa contriuerant. Præcepitque vir Dei statim eum in cella sua in psyacio quo orare consueuerat proiici, missisque foras fratribus, cellam clausit, qui orationi instantius quàm solebat incubuit. Mira res, eadem hora hunc incolumem, atque vt prius valentem, ad eundem iterum laborem misit, vt ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cuius se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

*Fratrē mortuum suscitat vir Dei.*

Cœpit verò inter ista vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus etiā absentia nunciare. Mos etenim cellæ fuit vt quoties ad responsum aliquod egrederentur fratres, cibum potumque extra cellam minimè sumerent. Cumque hoc de vsu regulæ solicitè seruaretur, quadam die ad responsum fratres egressi sunt, & in eo tardiori compulsi sunt hora demorari. Qui manere iuxta religiosam fœminam nouerant, cuius ingressi habitaculum, sumpserunt cibum. Cumque iam tardius ad cellam rediissent, benedictionem patris ex more petierunt. Quos ille protinus percunctatus est dicens: vbi comedistis? Qui responderunt. Nusquam. Quibus ille ait. Quare ita mentimini? Numquid illius talis fœminæ habitaculum non intrastis? Numquid hos & illos cibos non accepistis? Numquid tot calices non bibistis? Cumque eis venerabilis pater, & hospitium mulieris, & genera ciborum, & numerum potionum diceret, recognoscentes cuncta quæ egerant, ad eius pedes tremefacti cediderunt: & se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinus culpæ pœnitētiam præcepit, perpendens quod in eius absentia vltra non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent. Frater quoque Valentiniani eius Monachi, cuius superius memoriam feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui vt serui Dei orationem perciperet, & germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam eius ieiunus venire consueuerat. Quadam igitur die dum iter ad Monasterium faceret, se illi alter viator adiunxit, qui sumendos cibos in itinere portabat. Cumque iam hora tardior excreuisset, dixit: Veni frater, sumamus cibum, ne lassemur. Cui ille respondit. Absit frater, hoc non faciam: quia ad venerabilem patrem Benedictum ieiunus semper peruenire consueui. Quo responso perspecto, ad horam coniator tacuit. Sed cum post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit vt manducarent: noluit consentire qui ieiunus peruenire decreuerat. Tacuit quidem qui ad manducandum inuitauerat, & cum eo ieiunus adhuc pergere modicum consensit. Cumque iter longius ageret, & eos tardior hora fatigaret ambulantes, inuenerunt in itinere pratum, & fontem, & quæque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc coniuator ait. Ecce aquā, ecce pratū, ecce amœnus locus in quo possumus refici, & parū quiescere, vt valeamus iter nostrum postmodum incolumes explere. Cum igitur & verba auribus, & loca oculis

*Pollet spiritu prophetico.*

blandirentur, tertia admonitione persuasus consensit, & comedit; vespertina verò hora peruenit ad cellam. Præsentatus autem venerabili Benedicto patri, sibi orationem petiit: sed mox ei vir sanctus hoc quod in via egerat improperauit dicens: Quid est frater quod malignus hostis, qui tibi per coniuatorem tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, & te ad hoc quod voluit superauit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, eius pedibus prouolutus, tanto magis cœpit culpam deflere, & erubescere, quanto se cognouit etiam absentem in Benedicti patris oculis deliquisse. Gothorum temporibus, cum Rex eorum Totila sanctum virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad eius Monasterium pergens paulo longius substitit, eique se venturum esse nunciauit. Cui dum protinus mandatum de Monasterio fuisset vt veniret, ipse sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam verò eius spatharius Riggo dicebatur, cui calceamenta sua præbuit, eumque indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit. In cuius obsequio tres qui sibi præ cæteris adhærere consueuerant comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum, & Blindinum, vt ante serui Dei oculos ipsum Regem Totilam esse simulantes, eius lateri obambularent, cui alia quoque obsequia quasi spatharij præberent, vt tam ex eiusdem obsequiis, quàm ex purpureis vestibus Rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratis vestibus obsequētium frequentia decoratus, Monasterium fuisset ingressus; vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens, cum iam ab eo audiri potuisset, clamauit dicens: Pone fili, hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit. Et quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit, omnésque qui cum eo ad hominem Dei veniebāt, terræ consternati sunt. Surgentes autem, ad eum minimè propinquare præsumpserunt: sed ad suum Regem reuersi, nunciauerunt trepidi, in quanta velocitate fuerant deprehensi.

*Totila Gothorum Rex volens experiri num vir Dei spiritum haberet prophetiæ, spatharium suū regalibus indutum vestimentis cum magno comitatu ad virū Dei mittit.*

Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cum longè sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cum vir Dei bis terue diceret, surge; sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet, Benedictus Christi Iesu famulus, per semetipsum dignatus est accedere ad Regem, prostratumque de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus, cuncta quæ illi erant euentura prænunciauit dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus, oratione petita recessit: atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit, & non multo post Romam adiit, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei iudicio, regnum cum vita perdidit.

*Prædicit Regi Totilæ ipsi euentura.*

Præterea Camisinæ Antistes Ecclesiæ, ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ, & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem ciuitas ista destruetur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, corusćis, turbinibus, ac terræ-

*Romanā Ciuitatem tem-*

*peſtatibus, turbinibus, & coruſcis prædicit conquaſſandam.*

motu fatigata, inardeſcet in ſemetipſa. Cuius prophetiæ myſteria nobis iam facta ſunt luce clariora, qui in hac vrbe diſſoluta mœnia, euerſas domos, deſtructas Eccleſias turbine cernimus, eiuſque ædificia longo ſenio laſſata, quia ruinis crebreſcentibus proteſtantur, videmus, quamuis hoc Honoratus eius diſcipulus, cuius mihi relatione compertum eſt, nequaquam ex ore illius audiſſe ſe perhibet: ſed quia hoc dixerit, dictū ſibi à fratribus fuiſſe teſtatur. Eodem quoque tempore quidam Aquinenſis Eccleſiæ Clericus dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Conſtantio eiuſdem Eccleſiæ Antiſtite, per multa fuerat martyrum loca tranſmiſſus, vt ſanari potuiſſet. Sed ſancti Dei martyres noluerunt ei ſanitatis donum tribuere, vt quanta eſſet in Benedicto gratia demonſtrarēt. Ductus itaque eſt ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Ieſu Chriſto Domino preces fundens, antiquum hoſtem de obſeſſo homine protinus expulit. Cui ſanato præcepit dicens. Vade, & poſthac carnem non comedas, ad ſacrum

*Curat dæmoniacum.*

Ordinem numquam accedere præſumas, quacumque autem die ad ſacrum Ordinem accedere præſumpſeris, ſtatim iuri diaboli iterum mancipaberis. Diſceſſit igitur Clericus ſanus, & ſicut terrere ſolet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præceperat, interim cuſtodiuit. Cum verò poſt annos multos omnes priores illius de hac luce migraſſent, & minores ſuos ſibimet ſupponi in ſacris Ordinibus cerneret: verba viri Dei quaſi ex longo tempore oblitus poſtpoſuit, atque ad ſacrum Ordinem acceſſit: quem mox is qui reliquerat diabolus tenuit; eumque vexare quouſque eius animam excuteret non ceſſauit.

Vir quidam nobilis Theoprobus nomine, eiuſdem Benedicti patris fuerat admonitione conuerſus, qui pro vitæ ſuæ merito, magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cùm quadam die eius cellam eſſet ingreſſus, hunc amariſſimè flentem reperit. Cumque diu ſubſiſteret, eiuſque non finiri lacrymas videret, nec tamen vir Dei conſueuerat orando plangere, ſed mœrendo, quænam cauſa tanti luctus exiſteret, inquiſiuit. Cui vir Dei illico reſpondit: Omne hoc Monaſterium quod conſtruxi, & cuncta quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio, gentibus tradita ſunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit, nos autem cernimus, qui deſtructum modo à Longobardorum gente eius Monaſterium ſcimus. Nocturno enim tempore,

*Sancti viri Monaſterium à Longobardis euerſum.*

& quieſcentibus fratribus, nuper illi Longobardi ingreſſi ſunt: qui diripientes omnia, ne vnum quidem hominem illic retinere potuerunt, ſed impleuit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiſerat; vt ſi res gentibus traderet, animas cuſtodiret. Qua in re Pauli vicem video tenuiſſe Benedictum: cuius dum nauis rerum omnium iacturam pertulit, ipſe in conſolatione vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit.

Quodam quoque tempore Exhilaratus noſter, quem ipſe conuerſum noſti, tranſmiſſus à domino ſuo fuerat, vt Dei viro in Monaſterium vino plena duo lignea vaſcula, quæ vulgò flaſcones vocantur, deferret: qui vnum detulit, alterum verò pergens in itinere abſcondit. Vir autem Domini, quem facta abſentia latere non poterant, vnum cum gratiarum actione ſuſcepit, & diſcedentem puerum monuit dicens: Vide fili, ne de illo flaſcone, quem abſcondiſti bibas: ſed inclina illum cautè, & inuenies quid intus habet. Qui confuſus valde à Dei homine exiuit. Et reuerſus volens adhuc probare quod audiebat, cum flaſconem inclinaſſet, de eo protinus ſerpens egreſſus eſt. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc quod in vino reperit, expauit malum quod fecit. Non longè autem à Monaſterio vicus erat, in quo non minima hominum multitudo ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione conuerſa. Ibi quoque quædam Sanctimoniales fœminæ inerant, & crebro illuc pro exhortandis animabus fratres ſuos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam verò die miſit ex more, ſed is qui miſſus fuerat Monachus poſt admonitionē factam, à Sanctimonialibus fœminis rogatus mappulas accepit: ſibique eas abſcondit in ſinu. Qui mox vt reuerſus eſt, eum vir Dei vehementiſſima amaritudine cœpit increpare dicēs: Quomodo ingreſſa eſt iniquitas in ſinum tuum? At ille obſtupuit, & quid egiſſet oblitus, vnde corripiebatur ignorabat. Cui ait. Numquid ego illic præſens nō eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepiſti, tibique eas in ſinu miſiſti? Qui mox eius veſtigiis prouolutus ſtultè ſe egiſſe pœnituit, & eas quas in ſinu abſconderat mappulas abiecit.

Quadam quoque die, dum venerabilis pater veſpertina iam hora corporis alimenta percipere, eius Monachus, cuiuſdam defenſoris filius fuerat, qui ei ante menſam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipſe autem cum lucernæ miniſterio adſtaret, cœpit per ſuperbiæ ſpiritum in mente ſua tacitus voluere, & per cogitationem dicere: Quis eſt hic cui ego manducanti aſſiſto, lucernam teneo, ſeruitium impendo? Quis ſum ego vt iſti inſeruiam? Ad quem vir Dei ſtatim conuerſus vehementer cœpit eum increpare, dicens:

*Cogitationes cordis ipſi innoteſcunt.*

Signa cor tuum frater, quid eſt quod loqueris? ſigna cor tuum. Vocatíſque ſtatim fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli, ipſum verò iuſſit à miniſterio recedere, & ſibi hora eadem quietum ſedere. Qui requiſitus à fratribus quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto ſuperbiæ ſpiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquidò omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latere nihil poſſet, in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba ſonuiſſent.

Alio quoque tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coanguſtabat. Iamque in Benedicti Monaſtèrio triticum deerat. Panes verò penè omnes conſumpti fuerant, vt non pluſquàm quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuiſſent. Cumque eos venerabilis pater contriſtatos cerneret, eorum puſillanimitatem ſtuduit modeſta increpatione corrigere, & rurſum promiſſione ſubleuare, dicens: Quare de panis inopia veſter animus contriſtatur? Hodie quidem minus eſt: ſed die craſtina abundanter habebitis. Sequenti autem die, ducenti farinæ modij ante fores cellæ in ſaccis inuenti ſunt: quos omnipotens Deus quibus deferentibus tranſmiſiſſet, nunc vſque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia, nec in egeſtate dubitare. Alio quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta Tarcanoſenſem vrbem miſſis diſcipulis ſuis conſtruere Monaſterium debuiſſet. Qui roganti conſentiens, deputatis fratribus patrem conſtituit, & quis ei ſecundus eſſet

*Diuinitus Monachis aſſeruntur cibaria.*

ordinauit,



ordinauit, quibus euntibus ſpopondit dicens: Ite, & die illo ego venio, & oſtendo vobis in quo loco Oratorium, in quo Refectoriū fratrum, in quo ſuſceptionem hoſpitum, vel quæcumque neceſſaria ſunt, ædificare debeatis. Qui benedictione percepta illico perrexerunt, & conſtitutum diem magnopere præſtolantes parauerunt omnia quæ his qui cum tanto patre venire potuiſſent, videbantur eſſe neceſſaria. Nocte verò eadem qua promiſſus illuceſcebat dies, eidem ſeruo Dei, quem illic patrem conſtituerat, atque eius præpoſito, vir Domini in ſomnis apparuit: & loca ſingula, vbi quid ædificare debuiſſent, ſubtiliter deſignauit. Cumque vtrique à ſomno ſurgerent, ſibi inuicem quid viderant, retulerunt. Non tamen viſioni illi omnino fidem dantes, virum Dei ſicut ſe venire promiſerat expectabant. Cumque vir Dei conſtituto die minimè veniſſet, ad eum cum mœrore reuerſi ſunt dicentes: Expectauimus pater vt venires ſicut promiſeras, & nobis oſtenderes vbi quid ædificare deberemus, & non veniſti. Quibus ipſe ait. Quare fratres, quare iſta dicitis? Numquid ſicut promiſi, non veni? Cui cum ipſi dicerent, quando veniſti? reſpondit. Numquid vtriſque vobis dormientibus non apparui, & loca ſingula deſignaui? Ite, & ſicut per viſionem vidiſtis, omne habitaculum Monaſterij ita conſtruite. Qui hæc audientes vehementer admirati, ad prædictum prædium ſunt reuerſi, & cuncta habitacula ſicut ex reuelatione didicerant, conſtruxerunt.

*In ſpiritu adeſt ſuis fratribus.*

Longè ab eius Monaſterio duæ quædam Sanctimoniales fœminæ nobiliori genere exortæ, in loco proprio conuerſabantur, quibus quidam Religioſus vir ad exterioris vitæ vſum præbebat obſequium. Sed ſicut nonnullis ſolet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, vt minus ſe in hoc mundo deſpiciant, qui plus ſe cæteris aliquid fuiſſe meminerunt, nedum prædictæ Sanctimoniales fœminæ perfectè linguam ſuam ſub habitus ſui fræno reſtrinxerant, & eundem Religioſum virum qui ad exteriora neceſſaria eis obſequium præbebat, incautis ſæpe ſermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diu iſta toleraret, perrexit ad Dei hominem, quantaſque pateretur verborum contumelias enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit dicens. Corrigite linguam veſtram, quia ſi non emendaueritis, excommunico vos. Quam videlicet excōmunicationis ſententiam non proferendo intulit, ſed minando. Illæ autem à priſtinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ ſunt, atque in Eccleſia ſepultæ. Cumque in eadem Eccleſia Miſſarum ſolemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret; ſi quis non communicat, det locum: nutrix earum quæ pro eis oblationem Domino offerre conſueuerat, eas de ſepulchris ſuis progredi & exire videbat. Quod dum ſæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Eccleſiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit quæ vir Dei de illis adhuc viuentibus mādauit. Eas quippe ſe communione priuare dixerat, niſi mores ſuos & verba corrigerent. Tunc ſeruo Dei cum graui mœrore indicatum eſt, qui manu ſua protinus oblationem dedit, dicens: Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuiſſet immolata, & à Diacono iuxta morem clamatum eſt, vt non communicantes

*...oblationem pro animabus defunctorum in Miſſa.*

ab Eccleſia exirent: illæ exire ab Eccleſia vlteriùs viſæ non ſunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati ſunt, minimè recederent: communionem à Domino per ſeruum Domini recepiſſent.

Quadam quoque die, dum quidam eius puerulus Monachus parentes ſuos vltra quàm deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, ſine benedictione de Monaſterio exiiſſet: eodem die mox vt ad eos peruenit defunctus eſt. Cúmque eſſet ſepultus, die altero proiectum foras corpus eius inuentum eſt, quod rurſus tradere ſepulturæ curauerunt. Sed ſequenti die iterum proiectum exterius, atque inhumatum, ſicut prius inuenerunt. Tunc concitè ad Benedicti patris veſtigia currentes, cum magno fletu petierunt vt ei ſuā gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei protinus manu ſua communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus ſuper pectus eius cum magna reuerentia ponite, & ſic ſepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit.

*Pœna inobedientis Monachi.*

Quidam autem eius Monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in Monaſterio nolebat. Cumque eum vir Dei aſſiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipſe verò nullo modo conſentiret in congregatione perſiſtere, atque importunis precibus vt relaxaretur innueret: quadam die idem venerabilis pater nimietatis eius tædio affectus, iratus iuſſit vt diſcederet. Qui mox vt Monaſterium exiit, contra ſe aſſiſtere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumque eum idem draco qui apparuerat deuorare vellet: cœpit ipſe tremens & palpitans, magnis vocibus clamare dicens: Succurrite, ſuccurrite, quia draco iſte me deuorare vult. Currentes autem fratres draconem minimè viderunt, ſed trementem atque palpitantem Monachum ad Monaſterium reduxerunt. Qui ſtatim promiſit nunquam ſe eſſe à Monaſterio receſſurum, atque ex hora eadem in ſua promiſſione permanſit. Quippe qui ſancti viri orationibus contra ſe aſſiſtere draconem viderat, quem prius non videndo ſequebatur.

*Monachum ſuum à Draconе liberat.*

Sed neque hoc ſilendum puto, quod illuſtri viro Antonio narrante cognoui, qui aiebat patris ſui puerum morbo elephantino fuiſſe correptum, ita vt iam pilis cadentibus cutis intumeſceret, atque increſcentem ſaniem occultare non poſſet. Qui ad virum Dei ab eodem patre miſſus eſt, & ſaluti priſtinæ ſub omni celeritate reſtitutus.

Neque illud taceam, quod eius diſcipulus Peregrinus nomine, narrare conſueuerat, quia die quadam fidelis vir quidam neceſſitate debiti compulſus, vnum fore ſibi remedium credidit, ſi ad Dei virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti neceſſitas indicaret. Venit itaque ad Monaſteriū, omnipotentis Dei famulum reperit: quia à creditore ſuo pro duodecim ſolidis grauiter affligeretur, intimauit. Cui venerabilis pater nequaquam ſe habere duodecim ſolidos reſpondit, ſed tamen eius inopiam blanda locutione conſolatus ait. Vade, & poſt biduum reuertere: quia deeſt hodie quod tibi debeam dare. In ipſo autem biduo more ſuo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio, is qui neceſſitate debiti affligebatur rediit, ſuper arcam Monaſterij, quæ erat frumento plena, ſubitò tredecim ſolidi ſunt inuenti. Quos vir Dei deferri iuſſit, & afflicto petitori tribuit dicens, vt duodecim redderet, & vnum in expenſis propriis

*Oratione ſua cuidam indigenti tredecim ſolidos impetrat.*

priis haberet. Sed ad ea nunc redeam, quæ eius discipulis in libri huius exordio prædictis referentibus agnoui. Quidam vir grauissima aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius ad hoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret. Qui quamuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ita vt diffusa in corpore eius varietas, lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus salutem pristinam citius recipit. Nam mox vt eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugauit. Eo quoque tempore quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus Monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam Subdiaconus Agapitus nomine aduenit, magnopere postulans vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cælo omnia reseruaret, hoc ipsum parum quod remanserat olei iussit petenti dari. Monachus verò qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cúmque post paululum si id quod iusserat datum esset, inquireret, respondit Monachus se minimè dedisse, quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc iratus præcepit vt hoc ipsum vas vitreum in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proiicerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque est. Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat saxorum molibus asperum. Proiectum itaque vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si minimè proiectum fuisset, ita vt neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum, petenti tribui. Tunc collectis fratribus, inobedientem Monachum de infidelitate sua & superbia coram omnibus increpauit.

Qua increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco vbi cum fratribus orabat, vacuum erat ab eo do-

*Oleum sancti viri precibus multiplicatū.*

lium & coopertum. Cumque sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij oleo excrescente subleuari. Quo commoto, atque subleuato, oleum quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci in quo incubuerat inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinus orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latius admonuit, vt fidem habere disceret, & humilitatem. Ideo verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis pater virtutem omnipotentis Dei, quā admonitione intimauerat, miraculis ostendebat; nec erat iam vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset, qui in vno eodemque momento pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

Quadam die, dum ad Beati Ioannis Oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei hostis antiquus in mulo Medici specie obuiam factus est, cornu & terpidicam ferens. Quem cum requisisset dicens, quò vadis? Ille respondit. Ecce ad fratres vado, potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis pater Benedictus ad orationem; qua completa concitus rediit. Malignus verò spiritus vnum seniorem Monachum inuenit aquam haurientem, in quem statim ingressus est, eumque in terram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapum dedit, & malignum ab eo spiritum protinus excussit: ita vt ad eum redire vlterius non auderet.

*Alapam impingens Monacho, fugat ab eo dæmonium.*

Gothorum quidam Galla nomine, perfidiæ fuit Arrianæ, qui Totilæ regis eorum temporibus, contra Catholicæ Ecclesiæ Religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit, ita vt quisquis ei Clericus Monachusque ante faciem venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quadam verò die auaritiæ suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quendam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumque per supplicia diuersa lanaret, victus pœnis rusticus sese, & res suas Benedicto Dei famulo commendasse professus est, vt dum hoc à torquente crederetur, suspensa interim crudelitate ad horam vita repararetur. Tunc idem Galla cessauit rusticum tormentis affligere, sed eius brachia loris fortibus astringens, ante equum suum cœpit impellere, vt quis esset Benedictus, qui eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens duxit ad sancti viri Monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit, & legentem. Eidem autem subsequenti & sæuienti Gallæ rusticus dixit. Ecce iste est de quo dixeram tibi, Benedictus pater. Quem dum feruido spiritu, cum peruersæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore, quo consueuerat acturum se existimans, magnis vocibus cœpit clamare dicens. Surge, surge, & res istius rustici redde quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinus oculos leuauit à lectione, eumque intuitus, mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachiis lora deuoluere, vt dissolui tam concitè nulla hominum festinatione potuissent. Cumque is qui ligatus venerat, cœpisset subitò astare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla, ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius commendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit, sed vocatis fratribus eum introrsus tolli vt benedictionem aciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantæ crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus recedens nihil vlterius petere à rustico præsumpsit, quem vir Domini non tangendo, sed respiciendo soluerat.

*Solo aspectu hominē ligatum soluit.*

Quadam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus: quidam verò rusticus defuncti filij corpus in vlnis ferens, orbitatis luctu æstuans ad Monasterium venit, Benedictum patrem quæsiuit. Cui cum dictum esset, quia idem pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante Monasterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus ad inueniendum venerabilem patrem sese in cursum concitus dedit. Eadem verò hora vir Dei ab agri opere iam cum fratribus reuertebatur. Quem mox vt orbatus rusticus aspexit, clamare cœpit; Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem Dei in hac voce substitit dicens: Numquid ego filium tuum tibi abstuli? Cui ille respondit. Mortuus est, veni, resuscita eum. Quod vt mox Dei famulus audiuit, valdè contristatus est, dicens: Recedite fratres, recedite, hæc nostra non sunt, sed sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille quem nimius cogebat dolor, in sua petitione

*Suscitat & alium puerū mortuum.*



titione perstitit, iurans quod non recederet, nisi eius filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisiuit, dicens: Vbi est? Cui ille respondit. Ecce corpus eius ad ianuam Monasterij iacet. Vbi cum vir Dei cum fratribus peruenisset, flexit genu, & super corpusculum infantis incubuit, seseque erigens, ad cælum palmas tetendit dicens: Domine non aspicias peccata mea, sed fidem huius hominis, qui resuscitari filium suum rogat, & redde in hoc corpusculum animam quam abstulisti. Vix in oratione verba compleuerat, & regrediente anima, ita corpusculum pueri omne contremuit, vt sub oculis omnium qui aderant apparuerit concussione mirifica tremendo palpitasse. Cuius mox manum tenuit, & eum patri viuentem, atque incolumem dedit.

Soror eius Scholastica nomine, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueuerat. Ad quā vir Dei non longè extra ianuam in possessione Monasterij descendebat. Quadam verò die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis eius descendit frater, qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris, simul acceperunt cibos. Cúmque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem Sanctimonialis fœmina soror eius, eum rogauit, dicēs: Quæso te vt ista nocte non me deseras, vt vsq; mane de cælestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respōdit. Quid est hoc quod loqueris soror? Manere extra cellam nullatenus possum. Tanta verò erat cæli serenitas, vt nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus omnipotentē Dominū rogatura declinauit. Cúmque de mēsa leuaret caput, tanta coruscationis & tonitrui virtus, tātáque inūdatio pluuiæ erupit: vt neq; venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cū eo aderant, extra loci limen quo confederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus declinans, lacrymarum fluuium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluuiam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est; sed tanta fuit conuenientia orationis, & inundationis, vt de mensa caput iam cum tonitruo leuaret, quatenus vnum idēque esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos & tonitruos, atque ingentis pluuiæ inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens, Parcat tibi omnipotens Deus soror, quid est quod fecisti? Cui illa respondit. Ecce te rogaui, & audire me noluisti; rogaui Dominum meum, & audiuit me. Modò ergo si potes egredere, & me dimissa ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, quia manere sponte noluit, in loco mansit inuitus. Sicque factum est, vt totam noctem perui gilem ducerent, atque per sacra spiritualis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent.

*Nota miram S. Scholasticæ orationis virtutem.*

*Videt S. Bened. sororis animā in specie columbæ cæli secreta penetrare.*

Cúmque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset; vir Dei ad Monasterium rediit. Cum ecce post triduum in cella consistens, eleuatis in aëra oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam, de eius corpore egressam, in columbæ specie cæli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit: eiusque obitum fratribus denunciauit. Quos etiam protinus misit, vt eius corpus ad Monasterium deferrent, atque in sepulchro quod sibi ipse parauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorū mens vna semper in Deo fuerat: eorū quoq; corpora, nec sepultura separaret.

Alio quoque tempore Seruandus Diaconus atque Abbas eius Monasterij quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia ex more venire consueuerat. Eius quippe Monasterium frequentabat, vt quia idem quoque vir doctrina gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cælestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterāt, saltem suspirando gustarent. Cúmque hora iam quietis exigeret, in cuius turris superiobus se venerabilis Benedictus, in eius quoque inferioribus se Seruandus Diaconus collocauit, quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius continuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant. Cúmque vir Dei Benedictus quiescentibus adhuc fratribus instans vigiliis, nocturnæ orationis tempora præuenisset: ad fenestram stans, & omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est, quia, sicut post ipse narrauit, omnis etiam mundus velut sub vno solis radio collectus ante oculos eius adductus. Qui venerabilis pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cælum deferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum iterato bis terque eius nomine cum clamoris magnitudine vocauit. Cúmque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus ascendit, respexit, partémque iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum vir Dei per ordinē, quæ fuerant gesta narrauit, statimque in Cassinū castrum Religioso viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbem sub eadem nocte transmitteret, & quid de S. Germano Episcopo ageretur, agnosceret, & indicaret. Factumque est, & reuerendissimum virum Germanum Episcopum is qui missus fuerat iam defunctum reperit, & requirens subtiliter, agnouit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius cognouit ascensum. Inter tot autem miracula quibus vir Dei in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores, vitamque cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit.

*Totus ei mūdus ostēditur.*

*Videt Germani animam Episcopi Capuani, in sphæra ignea ab Angelis in cælum deferri.*

Eodem verò anno quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus sanctissimi sui obitus denunciauit diem, præsentibus indicens, vt audita per silentium tegerent, absentibus indicās quod vel quale eis signum fieret, quando eius anima de corpore exiret. Ante sextum verò sui exitus diem, aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cúmque per dies singulos languōr ingraueſceret, sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibique exi-

*Prædicit suū obitum.*

*Munitus sacrosãcto Eucharistiæ Sacramẽto paulo post moritur.*

tum ſuum Dominici corporis & ſanguinis perceptione muniuit, atque inter diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans, erectis in cælum manibus ſtetit, & vltimum ſpiritum inter verba orationis efflauit. Qua ſcilicet die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autem longius poſito, reuelatio vnius, atque indiſſimilis viſionis apparuit. Viderunt namque quia ſtrata palliis atque innumeris coruſca lãpadibus via recto Orientis tramite, ab eius cella in cælum vſque tendebatur. Cui venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cuius eſſet via quam cerneret inquiſiuit. Illi autẽ ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ipſe ait. Hæc eſt via qua dilectus Domino cælum Benedictus aſcendit. Tunc itaque ſancti viri obitum ſicut præſentes diſcipuli viderunt, ita abſentes ex ſigno quod eis prædictum fuerat, agnouerunt. Sepultus verò eſt in oratorio beati Ioannis Baptiſtæ, quod deſtructa ara Apollinis ipſe conſtruxit. Qui & in eo ſpecu, in quo prius habitauit, nunc vſque, ſi petentium fides exigat, miraculis coruſcat.

*Insana mulier in ſpecu viri Dei ſanata.*

Nuper namque eſt res geſta quam narro. Quædam mulier mente capta, dum funditus ſenſum perdidiſſet, per montes & valles, & ſyluas & campos, die noctuque vagabatur, ibi tãtummodo quieſcebat, vbi hanc quieſcere laſſitudo coëgiſſet. Quadam verò die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti ſpecum deuenit: ibique neſciens ingreſſa manſit. Mane autem facto ita ſanato ſenſu egreſſa eſt, ac ſi eam numquam inſania capitis vlla tenuiſſet, quæ omni vitæ ſuæ tempore in eadem quam accepit ſalute permanſit.

---

*Sequuntur alia S. Benedicti geſta partim ex ipſo D. Gregorio, aliiſque grauiſſimis Auctoribus collecta.*

*D. Greg. lib. 3. Dialog. c. 42.*

FVIT in parte Campaniæ vir valde venerabilis Marcius nomine, qui in monte Marſico ſolitariam vitam duxit. Hic autem cum primùm ſe in eundem montem contulit, nec dum clauſo ſpecu habitans, catena ſibi ferrea pedem ligauit, camque ſaxo ex parte altera affixit, ne ei liceret vltra progredi quàm catenæ eiuſdem quantitas tendebatur. Quod vir, vitæ venerabilis Benedictus audiens, ei per diſcipulum ſuum mandare curauit. Si ſeruus Dei es, non teneat te catena ferri, ſed catena Chriſti. Ad quam vocem Marcius protinus eundem compedem ſoluit; ſed nunquam poſtmodum ſolutum tetendit pedem vltra locum qui hunc tenere ligatum conſueuerat, atque in tanto ſpatio ſine catena ſe coërcuit: in quanto & antea ligatus manſit.

*Notabile S. viri dictum.*

*Hincmarus in vita Sancti Rhemigij.*

Quędam puella ab vrbe Tholoza præclaris orta natalibus, ab infantia maligni ſpiritus obſidione captiua, & fruſtra ad ſancti Petri ſepulchrum, in Romanam vrbem deducta, deinde & ad virũ quoque venerabilem gratia & nomine Benedictum; tandem cum eiuſdem Benedicti literis ad beatum Rhemigium Epiſcopum Rhemenſem miſſa, ab eodem Rhemigio ſpecialiter eſt liberata & curata.

*Diuinitus cognoſcit sãctitatem S. Rhemigij Rhem. Epiſcopi*

*Bertricanus Cœnomanenſ. Epiſcopus mittit ad eũ nuncios.*

Per id tempus beatus vir Bertricanus Cœnomanenſis Epiſcopus audita fama ſanctiſſimi Benedicti & ſociorum eius, miſit duos venerabiles viros ad eum, ſcilicet Flodegarium Archidiaconum ſuum, & Ardecadum vicedominum ſuũ cum magnis eneæniis, rogans vt mitteret ei de Monachis ſuis perfectos viros, qui in fundo Eccleſiæ ſuę ædificarent Monaſterium. Licet autem B. Benedictus obitum ſuum longè antè ſibi reuelatum ſciret, vt A ſatisfaceret piæ petitioni Epiſcopi, miſit diſcipulũ ſuum Maurum cum quatuor aliis Monachis, deditque ei Regulam quam ſcripſerat manu propria, proferrique iuſſit pondus libræ panis, & æreum vaſculum pro certa menſura vini ſingulis in prandio vel cœna dandi. Iter igitur aggredientes, cum prima die hoſpitati fuiſſent in quodam Monaſterio Ordinis, B. Benedictus hoc ſciens miſit duos Monachos ad Maurum & ſocios, vt ei darent ex parte patris certam capſulam eburneam cum reliquiis, ac etiam quandam Epiſtolam breuem hæc dulcia verba & prophetica continentem. Accipe dilectiſſime extrema inſtitutoris tui dona, quæ & longum teſtentur amorem, & tibi, & commilitonibus tuis, contra omnia perpetuum munimen præbeant impedimenta malorum. Non multo poſt miſit etiam alium diſcipulum ſuum Placidum in Siciliam, qui cum celeberrimum cõſtruxiſſet Monaſterium, tandem à Manuca Pirata crudeliter, vna cum ſorore & Monachis, trucidatus eſt. Quorum omnium martyrium diuinitus cognouit ſanctus pater, fratribuſque narrauit.

*Muneribus to Mauro in Gallias proſ. ciſcẽti data.*

*Diuinitus cognoſcit diſcipulũ Placidum martyrio coronatum.*

### NOTÆ.

Benedictus.] *De quo Mart. Romanum 21. Martij cum Baronio in Notis, & tom. 4. Annal. Græci autem in Menologio pridie Idus Martij. Plura autem de eo in Chronico Ordinis ipſius tom. 1. Agunt præterea* C *de ipſo omnes tam antiqui, quàm recentes hiſtorici. Eius vitam carmine ſcriptam affert Arnoldus Vvion. tom. 2. Ligni vitæ. Porro de tranſlatione corporis ipſius, & de miraculis eius plura in Bibliotheca Floriacenſi. Hic de claris parentibus, vir clariſſimus enituit: cuius Pater Probus Iuſtiniani Imperatoris nepos, Comes Nurſenſis: mater verò Abundantia dicta, Marchioniſſa Monteferratenſis fuit. Hæc periclitata in partu, geminos edidit: filium, ſcilicet Benedictum, & filiam, nomine Scholaſticam. Hæc Trithem. lib. 1. de Viris Illuſtribus Ord. S. Bened. cap. 1.*

Nutrix.] *Hæc iuxta Anaſtaſium Biblioth. & Petrum Diaconum, Cirylla vocabatur.*

Capiſterium.] *Vt Georgius Merula inquit, Scaphiſterium melius dicitur à Græco σκαφὶς. Eſt genus vaſis* D *ad purgandum triticum. Vnde Columella lib. 2. cap. 9. Quicquid exteretur, capiſterio expurgandum erit, &c.*

Romanus Monachus.] *De quo Mart. Roman. cum Baronio 22. Maij. Eius Vitam ex M.S. Codicibus adfert Ioannes à Boſco, circa finem Biblioth. Floriac.*

Dum veſtitum pellibus.] *Antiqui Monachi veſtimentis pelliceis vtebantur, quæ quidem conſuetudo à Monachis Orientis, in Occid. deuenit.*

Quod Caſſinum dicitur.] *Scribit Sigebertus anno 529. quod cum Sanctus Benedictus à Sublaco pergeret ad Montem Caſſinum, in omnibus biuiis duos Angelos ante ſe præire videbat, vt ei iter demonſtrarent.*

In pſyacio in quo orare conſueuerat.] *Pſyacium ſumitur pro vili ſcamno in quo Monachi ſedere,* E *vel orando procumbere ſolebant. Vide Vitam S. Ioannis Caſſ. infra.*

Scholaſtica nomine.] *De qua Mart. Rom. cum Baronio 10. Febr. Plura de eius ſacri corporis in Gallias tranſlat. in Bibliotheca Floriacenſi, & in Chronico Ord. S. Benedicti, tom. 1.*

Vidit Germani animam.] *De S. Germano Epiſcopo Capuano agit Mart. Rom. cum Baronio in Notis 30. Octobris.*

Ad Capuanam vrbem.] *Fuit olim totius Campaniæ vrbs præſtantiſſima, quã Vulturnus amnis interfluit, à camporum latitudine in quibus ſita eſt, ita dicta, vt inquit Cic. Liuius à Capy Samnitium Duce dictam exiſtimat.*



*mat. Alij à Falcone, ſub cuius augurio condita eſt, qui priſca Thuſcorum lingua Capys dicebatur. Quidam à capacitate, quod omnem fructum vitæ capiat. Vide Conradi Geſneri Onomaſticon.* A

*Habetur lib. 3. Dial. c. 18.*

## VITA S. BENEDICTI IVNIORIS. Ex D. Gregorio Papa.

FRATER quidam eſt mecum in Monaſterio conuerſatus, in Scriptura ſacra ſtudioſiſſimus, qui me ætate præibat: ex multis quæ neſciebam, me ædificare conſueuerat. Huius itaque narratione didici, quod fuit quidam in Campaniæ partibus, intra quadrageſimum Romanæ vrbis miliarium, nomine Benedictus: qui quidem ætate iuuenis, ſed moribus grandæuus: & in ſanctæ conuerſationis regula ſe fortiter ſtringens. Quem Totilæ Regis tempore, cum Gothi reperiſſent; hunc incendere cum ſua cella moliti ſunt. Ignem namque poſuerunt, ſed in circuitu arſerunt omnia: cella verò illius comburi non potuit.

*S. Benedictus licet iuuenis ætate, tamen moribus grãdæuus.*

*A Gothis eius cella comburi non potuit.*

*Proiectus in ardentẽ clibanum S. Benedictus, inde illæſus egreditur.*

Quod videntes Gothi, magiſque fœuientes; atque hunc ex ſuo habitaculo trahentes, non longè aſpexerunt ſuccenſum clibanum, qui coquendis panibus parabatur, eumque in illo proiecerunt: clibanumque clauſerunt. Sed die altero ita illæſus inuentus eſt: vt non ſolum eius caro ab ignibus, ſed neque extrema vllo modo cremarentur. C

### NOTÆ.

In Campaniæ partibus.] *Campania eſt Regio Italiæ, ſic dicta quod campeſtris ſit. Et nunc dicitur Terra Laboris fertiliſſima, vbi Capua, Neapolis, & Cumæ ſunt.*

Benedictus.] *De quo Martyrologium Romanum cum Baronio in Notis 23. Martij. Agunt de eodem Sigeb. in Chronico, anno 538. Petrus in Cat. lib. 3. c. 216. Vvionius in Mart. Monaſtico, & alij.*

*Habetur lib. 3. Dial. cap. 15.*

## VITA S. FLORENTII EREMITÆ. Ex D. Gregorio Papa. D

IN Vrſinæ partibus Prouinciæ duo viri in vita, atque habitu ſanctæ cõuerſationis habitabant: quorum vnus Eutichius, alter verò Florentius dicebatur. Sed idem Eutichius in ſpiritali zelo, atque in feruore virtutis ſe exercuerat, multorúmque animas ad Deum perducere exhortando ſatagebat; Florentius verò ſimplicitati atque orationi deditam vitam ducebat. Non longè autem erat Monaſterium, quod Rectoris ſui morte erat deſtitutum: ex quo ſibi Monachi eundem Eutichium præeſſe voluerunt. Qui eorum precibus acquieſcens, multis annis rexit Monaſterium, ac ne Oratorium in quo priùs habitarat, ſolum remanere potuiſſet, illic venerabilem virum Florentium reliquit. E

*S. Eutichius vacat cõuerſioni animarum.*

*S. Florentius viuit ſolitarius.*

In quo dum ſolus habitaret, die quadam ſeſe in orationem dedit, atque ab omnipotenti Domino petiit, vt ei illic ad habitandum aliquod ſolatium donare dignaretur. Qui mox vt impleuit orationem, Oratorium ingreſſus, ante fores vrſum reperit ſtantem: qui dum ad terram caput deprimeret, nihilque feritatis in ſuis motibus demonſtraret: apertè dabat intelligi, quod ad viri Dei obſequium veniſſet, quod vir Dei protinus agnouit. Et quia in eadem cella quatuor, vel quinque pecudes remanſerant, quibus omnino deerat qui paſce-

*Committit vrſo cuſtodiã pecorum.*

ret, & cuſtoditet; eidem vrſo præcepit dicens: Vade, atque oues has ad paſtum eiice, ad horam verò ſextam reuertere. Cœpit itaque hoc indeſinenter agere: iniungebatur vrſo cura paſtoris, & quas mãducare conſueuerat, paſcebat beſtia ieiuna.

Cùm vir Domini ieiunare volebat, ad nonam præcipiebat vrſo eadem hora cum ouibus reuerti: cùm verò noluiſſet, ad ſextam. In omnibus itaque mandatis viri Dei obtemperabat vrſus: vt neque ad ſextam iuſſus redire, veniret ad nonam: neque ad nonam iuſſus, veniret ad ſextam.

Cumque diu hoc ageretur: cœpit in loco eodem tantæ virtutis fama lõgè latéque creſcere. Sed quia antiquus hoſtis, vnde bonos cernit eniteſcere ad gloriam, inde peruerſos per inuidiam rapit ad pœnam. Quatuor viri ex diſcipulis venerabilis Euthicij vehementer inuidentes quod eorum magiſter ſigna non faceret, & is qui ſolus ab eo relictus fuerat, tanto hoc miraculo clarus appareret: eundem vrſum inſidiantes occiderunt. Cumque hora qua iuſſus fuerat non rediret: vir Dei ſuſpicatus eſt eum rediturum, & vſque ad veſperam expectãs, affligi cœpit, quod idem quem ex ſimplicitate multa fratrem vocare conſueuerat, vrſus minimè reuerteretur. Die verò altera perrexit ad agrum, vrſum pariter & oues quæſiturus: quem occiſum reperit. Sed ſollicitè inquirens, citius à quibus fuerat occiſus inuenit. Tunc ſeſe in lamentum dedit: fratrum malitiam magis quàm vrſi mortem deplorans. Quem venerandus vir Euthicius ad ſe deductum conſolari ſtuduit: ſed idem vir Domini coram eo doloris magni ſtimulis accenſus, imprecatus eſt dicens; Spero in omniporenti Deo, quia in hac vita ante oculos omnium ex ſua malitia vindictam recipiant, qui nihil ſe lædentem vrſum meum occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina ſecuta eſt. Nam quatuor Monachi, qui vrſum occiderant, ſtatim elephantico morbo percuſſi ſunt: vt membris putreſcentibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius vehementer expauit: ſéque ita fratribus maledixiſſe pertimuit. Omni enim vitæ ſuæ tempore flebat, quia exauditus fuerat ſe crudelem, ſe in eorum morte clamauit homicidam. Quod idcirco omnipotentem Dominum feciſſe credimus, ne vir miræ ſimplicitatis quantolibet dolore commotus intorquere vltra præſumeret iaculum maledictionis. Idem vir Dei egit aliud, quod filere non debeo. Cum enim magna eius opinio longè latéque crebreſceret: quidam Diaconus longè poſitus, ad eum pergere ſtuduit, vt eius ſe orationibus commendaret. Qui ad eius cellulam veniens, omnem locum per circuitum inuenit innumeris ſerpentibus plenum. Cumque vehementer expaueſceret, clamauit dicens: Serue Dei ora. Erat autem tunc mira ſerenitas. Egreſſus verò Florentius, ad cælum oculos & palmas te tendit: vt illam peſtem Dominus auferret. Ad cuius vocem ſubitò cælum intonuit: atque idẽ tonitruus omnes illos qui eundem locum occupauerunt ſerpentes interemit. Quos cum Florentius vir Dei interemptos adſpiceret, dixit. Ecce illos occidiſti Domine: quis eos hinc leuabit? Moxque ad eius vocem tantæ aues venerunt, quanti ſerpentes occiſi fuerant. Quæ aſportantes ſingulos, & longius proiicientes, locum habitationis illius mundum à ſerpentibus omnino reddiderunt.

*Patitur quoſdam inuidos.*

*Imprecatur occiſoribus vrſi, & ſtatim diuinam vindictam ſentiunt.*

*Per totã vitã flet amariſſimè mortem illorum.*

*Precibus ſuis occidit ſerpẽtes, necnon aues eoſdem auferunt.*

### NOTÆ.

Florentius.] *De eo Martyrol. Rom. cum Baron. 23. Maij. Meminit eiuſdem Petr. in Cat. lib. 2. c. 11. Vvio-*

*nius in Martyrol. Monastico hac die. Agit præterea de eo Ioannes Abbas lib. 3. Vitæ S. Odonis.*

Elephantico morbo percussi. ] *Elephanticus morbus est leprę genus, Elephantorum cuti simile, crebris summa corporis parte maculis ac tumoribus, rubore paulatim se in atrum vertente.*

Habetur lib. 3. Dial. c. 16.

## VITA S. MARCII EREMITÆ.
### Ex D. Gregorio Papa.

S. Marcius solitarius vixit in spelunca.

NVPER in Campaniæ partibus vir valdè venerabilis Marcius nomine, in monte Marsico solitariam vitam duxit, multisque annis in specu angustissimo inclusus fuit: quem multi ex nostris nouerunt, eiusque actibus præsentes extiterunt. De quo multa ipse & beatę memoriæ Papa Pelagio prędecessore meo, & aliis religiosissimis viris narrātibus agnoui. Cuius hoc miraculum primum fuit: quod mox vt se in prædicti montis foramine contulit, ex petra eadem quæ in semetipsa concaua angustum specum fecerat, aquæ stilla prorupit, quæ Marcio Dei famulo in vsu quotidiano sufficeret, nec plus adesset, nec necessitati deesset. Qua in re ostēdit omnipotens Deus quantam sui famuli curam gereret: cui vetusto miraculo potum in solitudine ex petræ duritia ministraret.

Conatur eum diabolus è specu pellere.

Sed antiquus hostis humani generis inimicus, eius virtutibus inuidens, hunc vsitata arte pellere ex eo specu molitus est. Nam amicam sibi bestiam, serpentem scilicet ingressus, hunc ab eadem habitatione eiicere facto terrore conatus est. Cœpit etenim serpens in speluncam venire solus cum solo: eoque orante se ante illum sternere: & cum

Magna S. viri patientia, & animi fortitudo.

cubante pariter cubare. Sed vir sanctus omnino imperterritus eius ori manū vel pedē extendebat, dicens. Si licentiam accepisti vt ferias: ego non prohibeo. Cumque hoc quotidie per triennium gereretur, die quadam antiquus hostis, tanta hac eius fortitudine victus infremuit: seque per deuexum montis latus in præcipitum serpēs dedit, omniaque arbusta loci illius, flamma ex se exeunte concremauit. Qui in eo quod montis latus omne combussit, cogente omnipotenti Deo, monstrare compulsus est, quantæ virtutis fuerat, qui victus abscedebat. Perpēde quæso, iste vir Domini in quo montis vertice stetit: qui cum serpente per triennium iacuit securus.

Nullam mulierem vult videre.

Vir iste venerabilis inclusionis suæ tempore, prius mò decreuerat vt vltrà mulierem non videret, non quia aspernabatur sexum: sed ex contemplata specie, tentationis incurrere metuebat vitium. Quod quædam mulier audiens, audacter ascendit montem: atque ad eius specum impudenter prorupit. At ille paulò longius intuens, & venientis ad se muliebria vestimenta conspiciens, sese in orationē dedit: in terram faciem depressit, & eousque prostratus iacuit, quo impudens mulier à fenestra cellulæ fatigata recederet. Quæ die eodem mox vt de

Vltio diuina in impudentē mulierem.

monte descendit, vitam finiuit; vt ex mortis eius sententia daretur intelligi, quia valdè omnipotenti Deo displicuit, quod eius famulum ausu improbo contristauit.

Alio quoque tempore, dum multi adhuc religiosa deuotione concurrerent, atque arcta esset semita, quæ in deuexo montis latere ad eius cellulam properantes ducebat: puer paruulus incautè gradiens, ex eodem monte cecidit, & vsque ad vallem corruit: quæ sub monte eodem sita quasi ex profundo conspicitur. In loco quippe eodem tanta mons ipse altitudine excreuit: vt arbusta ingentia, quæ ex eadem valle prodeunt, ex monte, aspicientibus, quasi fruteta esse videantur. Perturbati itaque sunt cuncti qui veniebant: summaque cura quæsitum est, sicubi corpus elapsi pueri potuisset inueniri. Quis enim aliud nisi extinctum crederet? quis vel corpus ad terram integrum peruenisse suspicaretur: dum interpositis vbique scopulis in partes discerpi potuisset? Sed requisitus puer, in valle inuentus est: non solum viuus, sed etiam incolumis. Tunc cunctis patenter innotuit, quod ideo lædi non potuit; quia hunc in casu suo Marcij oratio portauit. In specu verò illius magna desuper rupes eminebat: quæ cum ex parte exigua monti videretur affixa, Marcij cellæ prominens casum suum quotidie, & illius interitum ruitura minabatur. Ad hunc Mascatus illustris vir Armentarij nepos, cum magna rusticorum multitudine veniens, precabatur vt vir Dei de specu eodem dignaretur exire, quatenus ipse ruituram rupem ex monte potuisset euellere, atque in specu suo Dei famulus iam securus habitaret.

*Oratione sua liberat puerū à mortis periculo.*

Cumque hoc vir Dei nequaquā acquiesceret, ei quod posset vt faceret, præcepit: & ipse in cellæ suæ remotiori se parte contulit: si tamen moles rueret, dubiū non erat, quod simul & specū destrueret, & Marcium necaret. Itaque dum ea quæ venerat multitudo conaretur si posset sine periculo viri Dei, ingens illud, quod desuper incubuerat, saxum leuare: cunctis videntibus, repentè res valdè admirabilis contigit, quia moles ipsa, quam conabantur euellere, subitò ab eisdem laborantibus euulsa, ne speluncæ Marcij tectum tangeret, saltum dedit: & quasi serui Dei læsionem fugiens, longius cecidit. Quod ad iussum omnipotentis Dei Angelico ministerio actum intellexit, qui diuina prouidentia disponi omnia fideliter credit.

*Eius oratione rupem casum & ruinam minantē alio auertit.*

Hic cum primùm se in eundem montem contulit, necdū clauso specu habitās, catena sibi ferrea pedem ligauit, eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei vltra liceret progredi, quàm catenæ eiusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens (cuius superius memoriam feci) ei per discipulum suum mandare curauit: Si seruus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Marcius protinus eundem compedem soluit: sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem vltra locum, cui hūc tenere ligatum consueuerat, atque in tanto se spatio sine catena coērcuit: in quanto & antea ligatus mansit. Qui dum se postmodum in eiusdem loci specu concluisset: cœpit etiam discipulos habere, qui ab eius specu seorsum habitātes, ad vsum vitæ aquam de puteo haurire consueuerant. Sed funis in quo ad hauriendam aquam situla dependebat, crebrò rumpebatur. Vnde factum est vt eandem catenam, quam ex pede suo vir Domini soluerat, eius discipuli peterent: eamque funi adiungerent, atque in illam situlam ligarent. Ex quo iam tēpore cōtigit, vt idem funis tingeretur aqua, & nunquam rumperetur. Quia enim catenam viri Dei funis ille contigit: ipse quoque ad toleran-

*In initio conuersionis pedē suū catena ferrea ligat.*

*S. P. N. Benedicti monitu se compede soluit.*

*Funis catenam viri Dei tangens, non potest amplius frangi.*

dam aquam, ferri in se fortitudinem traxit.

### NOTÆ.

Marcius.] *Agit de eo Martyr. Rom. cum Baron. 24. Octob. Scribunt de eo Trith. de viris Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 27. Arnold. Vvion. tom. 2. Ligni vitæ hac die.*

Situla



Situla dependebat. ] *Situla est vas ad hauriendam aquam accommodum, quod aquam sitiat.*

Habetur lib. 3. Dial. c. 26.

## VITA S. MENÆ EREMITÆ.
### Ex D. Gregorio Papa.

S. Menas solitariam vitam ducit.

NVPER in Samnij prouincia quidam venerabilis vir Menas nomine, solitariam vitam ducebat, qui nostrorum multis cognitus, ante hoc fermè est decennium defunctus. De cuius operis narratione vnum authorem non infero: quia penè tot mihi in eius vita testes sunt, quot Samnij prouinciam nouerunt. Hic itaque nihil ad vsum suum aliud, nisi pauca apium vascula possidebat. Huic cum Longobardus quidam in eisdem apibus rapinā voluisset ingerere; prius ab eodem viro verbo correptus est: & mox per malignum spiritum ante eius vestigia vexatus. Qua ex re factum est, vt sicut apud

Etiam apud barbaras nationes honoratur.

omnes incolas; ita etiam apud eandem barbaram gentem eius celebre nomen haberetur: nullusque vltrà præsumeret eius cellulam, nisi humilis intrare. Sæpe verò ex vicina sylua venientes vrsi, apes eius comedere conabantur. Quos ille deprehensos, ferula quam portare manu consueuerat, cædebat.

Vrsos à suis apibus ferula fugat.

Ante cuius verbera immanissimæ bestiæ rugiebāt & fugiebant. Et quæ gladios formidare vix poterant, ex eius manu ictus ferulæ pertimescebant.

Huius studium fuit nihil in hoc mundo habere, nihil quærere: omnes qui ad se charitatis causa veniebant, ad æternæ vitæ desideria accendere. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret,

Notent hoc Monachi.

nunquam ab increpatione parceret; sed amoris igne succensus, studebat in eis vehementer per linguam sæuire. Consuetudinem verò vicini, vel longè positi eiusdem loci accolæ fecerunt: vt diebus certis per hebdomadam, vnusquisque ei oblationes suas transmitteret, vt esset quod ipse ad se venientibus offerre potuisset. Quodam verò tempore possessor quidam Carterius nomine, immundo desiderio deuictus quandam Sanctimonialem fœminam rapuit: sibique illicito matrimonio coniunxit. Quod mox vt vir Domini cognouit, ei per quos potuit, quæ fuerat dignus audire mandauit. Cumque ille sceleris sui conscius timeret, atque ad virum Dei nequaquam accedere præsumeret, ne fortè hunc asperè, vt delinquentes solebat, increparet: fecit oblationes suas, easque inter oblationes aliorum misit, vt eius munera saltem nesciendo susciperet. Sed cum coram eo fuissent oblationes omnium deportatæ, vir Dei tacitus sedit, sigillatim omnes considerare studuit, & omnes alias eligens atque seorsum ponens oblationes, quas idem Carterius transmiserat, cognouit per spiritum, spreuit, atque abiecit dicens: Ite, & dicite ei; Oblationem suam omnipotenti Deo abstulisti: & mihi tuas oblationes transmittis? Ego oblationem tuam non accipio: quia suam abstulisti Deo. Qua ex re factū est vt præsentes quoque magnus timor inuaderet, cum vir Domini tam scienter de absentibus iudicaret.

Etiam occulta scelera detegit.

### NOTÆ.

In Samnij prouincia.] *Samnium, quod nunc Apruccium vocamus, est Regio Italiæ, inter Picenum, Campaniam, & Apuliam.*

Menas.] *De eo Martyr. Rom. cum Baronio in Notis 11. Nouemb. Meminit eiusdem Sigeb. in Chronico anno 579. Agunt præterea de eo Arnoldus Vvionius, & quidam recentiores.*

Cum Longobardis.] *Longobardi sunt populi Germaniæ, quos à longis barbis cognominatos ferunt. Quando autem, & quo tempore ad Christianam fidem conuersi sint, vide Baronium in Notis Martyrol. 2. Martij, littera F.*

Ferula quam portare manu solebat. ] *Est ferula, baculus, siue virga, qua puerorum manus feriuntur.*

Habetur lib. 1. Dial. c. 1.

## Vita SS. Honorati Abbatis, & Libertini Monachi.
### Ex D. Gregorio Papa.

S. Honoratus etiamnū puer ab otiosis verbis cauet.

VENANTII quondam Patricij in Samnij partibus villa fuit, in qua colonus eius filium Honoratum nomine habuit. Qui ab annis puerilibus, ad amorem cælestis patriæ per abstinentiam exarsit. Cumque tam magna conuersatione polleret: seque iam ab otioso quoque sermone restringeret, multumque (vt præfatus sum) per abstinentiam carnem domaret: die quadam parentes eius vicinis suis conuiuium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt. Quas dum ille ad esum contingere per

Abstinet à carnibus.

abstinentiæ amorem recusaret, cœperunt eum parentes eius irridere, ac dicere: Comede, numquid piscem in his montibus tibi allaturi sumus? Illo verò in loco pisces audiri consueuerant, non videri.

Sed cum in his sermonibus Honoratus irrideretur: repentè in conuiuio aqua ad ministerium defuit, & cum situla lignea (sicut illic moris est) mancipium ad fontem perrexit. Dumque hauriret aquam, piscis situlam intrauit. Reuersumque mancipium, ante ora discumbentium, piscem cum

Miraculosè piscis capitur ad sustentationem Honorati.

aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Mirati sunt omnes: totaque illa parentum irrisio cessauit. Cœpere namque in Honorato venerari abstinentiam, quam ante deridebant: sicque à Dei homine irrisionis detersit opprobria piscis allatus de fonte.

Qui cum magnis virtutibus cresceret, à prædicto Domino suo libertate donatus est, atque in eo loco qui Fundis dicitur, Monasterium construxit; in quo ducentorum ferme Monachorum pater extitit: ibique vita illius circumquaque exempla eximiæ conuersationis dedit. Nam quadam die, ex eo monte, qui eius Monasterio in excelso prominet, ingenti saxi moles eruta est, quæ per deuexum montis latus veniens, totius ruinam cellæ, omniumque fratrum interitum minabatur. Quam

Inuocato Christi nomine, ingentem rupem cadentē alio auertit.

cum venientem desuper vir sanctus vidisset, frequenti voce nomen Christi inuocans, extensa mox dextera signū ei Crucis opposuit: eamque in ipso deuexi montis latere cadentem fixit: sicut Religiosus vir Laurentius perhibet. Et quia ei locus non fuerat, quo hærere potuisset: aspicitur ita, vt nunc vsque ad montem cernentibus casura pendere videatur.

Vir reuerendissimus Libertinus, qui tempore Totilæ Regis Gothorum, eiusdem Fundensis Monasterij præpositus fuit, in discipulatu illius conuersatus, atque eruditus est, de quo quamuis virtutes multas plurimorum narratio certa vulgauerit; prædictus tamen Laurentius Religiosus vir qui nunc superest, & ei ipso in tempore familiarissimus fuit, multa mihi dicere de illo consueuit: ex quibus ea quæ recolo, pauca narrabo.

Vita S. Libertini.

In eadem Prouincia Samnij (quam supra memoraui) idem vir pro vtilitate Monasterij carpebat iter.

iter. Dum Darida Gothorum Dux, cum exercitu, A in eodem loco veniſſet: Dei ſeruus ex caballo, quo ſedebat, ab hominibus eius proiectus eſt. Qui iumenti perditi damna libenter ferens, etiam flagellum quod tenebat, diripientibus obtulit dicens. *Iumentum auferentibus etiam flagellum dat S. Libertinus.* Tollite vt habeatis qualiter hoc iumentum minare valeatis. Quibus dictis, protinus ſe in orationem dedit. Curſu autem rapido prædicti Ducis exercitus peruenit ad fluuium qui vocabatur Vulteranus, ibique equos ſuos cœperunt ſinguli haſtis tundere, & calcaribus cruentare. Sed tamen equi verberibus cæſi, calcaribus cruentati, fatigari poterant, moueri non poterant, ſicque aquam fluminis tangere; quaſi mortale præcipitium pertimeſcebant. Cumque diu cædendo ſeſſores ſinguli B fatigarentur: vnus eorum intulit, quia ex culpa, quam ſeruo Dei in via fecerant, illa itineris ſui diſpendia tolerabant. Qui ſtatim reuerſi, poſt ſe Libertinum reperiunt in oratione proſtratum. Cui cum dicerent, ſurge, tolle caballum tuum, ille reſpondit: Ite cum bono, ego caballi opus non habeo. Deſcẽdentes verò inuitum eum in caballum, *Reſtituto equo S. viri, Gothorum equi audacter fluuium trãſeunt.* de quo depoſuerant, leuauerunt, & protinus abceſſerunt. Quorum equi tanto curſu illud quod prius non poterant tranſire, flumen tranſierunt: ac ſi ille fluminis alueus aquam minime haberet. Sicque factum eſt, vt cum ſeruo Dei vnus caballus redditur, omnes à ſingulis reciperentur.

Eodem verò tẽpore in Campaniæ partibus Bu- C cellinus cũ Francis venit. De Monaſterio verò præfati viri famuli Dei rumor exierat, quod pecunias multas haberet. Ingreſſi Oratorium Franci, cœperunt ſæuientes Libertinum quærere, Libertinum clamare, vbi in oratione ille proſtratus iacebat. Mira valde res, quærentes, ſæuienteſque Franci ingredientes, in ipſo impingebant, & ipſum videre non poterant, ſicque ſua cæcitate fruſtrati, à Monaſterio ſunt vacui reuerſi. *Ab inimicis licet in eum impingẽtibus videri nõ poteſt S. Libertinus.*

Alio quoque tempore pro cauſa Monaſterij, Abbatis iuſſu qui Honorato eius magiſtro ſucceſſerat, Rauennam pergebat. Pro amore verò eiuſdem venerabilis Honorati, quocumque Libertinus ibat, eius ſemper caligulam in ſinu portare D conſueuerat. Itaque dum pergeret, accidit vt quædam mulier extincti filij corpuſculum ferret. Quæ dum ſeruum Dei fuiſſet intuita, amore filij ſuccenſa iumentum ſuum per frænum tenuit, atque cum iuramento dixit: nullatenus recedes, niſi filium meum ſuſcitaueris. At ille inuſitatum habens tale miraculum, expauit petitionem illius, iuramenta declinare mulieris voluit: ſed nequaquam præualens, animo hæſit. Conſiderare libet, quale quantumque in eius pectore certamen fuerit. Ibi quippe pugnabat inter ſe humilitas conuerſationis, ac pietas matris: timor ne inuſitata præſumeret, dolor ne orbatæ matri non ſubueniret. Sed ad maiorem Dei gloriam vicit pietas illud pectus virtu- E tis: quod ideo fuit validum, quia victum. Virtutis enim pectus non eſſet, ſi hoc pietas non viciſſet. *Suſcitat mortuum.* Itaque deſcendit, genua flexit, ad cælum manus tetendit, caligulam de ſinu protulit, & ſuper extincti pueri corpus poſuit. Quo orante, anima pueri ad corpus rediit, quem manu comprehendit: ac flenti matri viuentem reddidit, atque iter quod cœperat peregit.

Quadam die is qui poſt venerabilis Honorati exitum Monaſterij regimen tenebat, contra eundem venerabilem Libertinum in graui iracundia exarſit, ita vt eum manibus cẽderet. Et quia virgã, qua eum ferire poſſet minime inuenit, compre- henſo ſcabello ſuppedaneo, faciem ei ac caput tutudit: totumque illius vultum tumentem ac liuidum reddidit. Qui vehementer cæſus ad ſtratum proprium tacitus receſſit. Die verò altera erat pro vtilitate Monaſterij cauſa cõſtituta. Expletis igitur hymnis matutinalibus, Libertinus ad lectum Abbatis venit: orationem ſibi humiliter petiit. Sciens verò ille quantum à cunctis honoraretur, quantũque diligeretur: pro iniuria, quem ei ingeſſerat, recedere eum à Monaſterio velle putabat, atque requiſiuit dicens: vbi vis ire? Cui ille reſpondit. Monaſterij cauſa conſtituta eſt pater, quam declinare nequeo, quia heſterno die me hodie iturum promiſi, illuc ire diſpoſui. Tunc ille à fundo cordis conſiderans aſperitatem & duritiam ſuam, humilitatem, ac manſuetudinem Libertini: ex lecto proſiliit, pedes Libertini tenuit, ſe peccaſſe, ſeque reum eſſe teſtatus eſt: qui tanto talique viro tã crudelem facere contumeliam præſumpſiſſet. At *Nota miram S. viri humilitatem & manſuetudinem.* contra Libertinus ſeſe in terram proſternens, eiuſque pedibus prouolutus, ſuæ culpæ, non illius ſæuitiæ fuiſſe referebat, quod pertulerat. Sicque actũ eſt, vt ad magnam manſuetudinem duceretur pater, & humilitas diſcipuli, magiſtra fieret magiſtri. Cumque pro vtilitate Monaſterij ad conſtitutionem cauſæ egreſſus fuiſſet: multi viri noti ac nobiles, qui eum valde honorabant, vehementer admirati, ſoliciti requirebant quidnam hoc eſſet, C quod tam tumentem ac liuidam haberet faciem. Quibus ille dicebat. Heſterno die ſero, peccatis meis exigentibus, in ſcabello ſuppedaneo impegi, atque hoc pertuli. Sicque vir ſanctus ſeruans in pectore honorem veritatis & magiſtri: nec patris prodebat vitium, nec falſitatis incurrit peccatum.

In eodem Monaſterio quidam magnæ vitæ Monachus erat hortulanus. Fur verò venire conſueuerat, & per ſepem aſcendere, & occulte olera auferre. Cumque ille multa plantaret quæ minus inueniret, & alia pedibus conculcata, alia direpta conſpiceret: totum hortum circuiens, inuenit iter vndè fur venire conſueuerat. Qui in eodem loco deambulans, reperit etiam ſerpentem, cui præci- D *Serpens iuſſu Monachi hortum cuſtodit.* piens dixit. In nomine Ieſu præcipio tibi, vt aditum iſtum cuſtodias, ac furem huc ingredi non permittas. Protinus ſerpens totum ſe in itinere in tranſuerſum tetendit, & ad cellam Monachus rediit. Cumque meridiano tempore cuncti fratres quieſcerent, more ſolito fur aduenit: aſcendit ſepem. Et cum in hortum pedem poneret: vidit ſubito quia extenſus ſerpens clauſiſſet viam. Et tremefactus, poſt ſemetipſum concidit, ciuſque pes per calceamentum in ſude ſepis inhæſit, ſicque dum hortulanus rediret, deorſum capite pependit. Conſueta hora venit hortulanus, pendentem in ſepe furem reperit: & ſerpenti dixit. Gratias E Deo, impleſti quod iuſſi: recede modo. Qui ſtatim abſceſſit. Ad furem verò peruenies, ait. Quid eſt frater? Tradidit te mihi Deus. Quare in labore Monachorum furtum totiens facere preſumſiſti? Qui hæc dicens, pedem illius à ſepe in qua inhæſerat, ſoluit: eumque ſine læſione depoſuit. Cui dixit. Sequere me. Quem ſequentem duxit ad *Mira S. Monachi erga furem manſuetudo.* horti aditum: & olera quæ furto appetebat auferre, ei cum magna dulcedine præbuit, dicens: vade, & poſt hoc furtum non facias, ſed cum neceſſe habes, huc ad me ingredere, & quæ tu cum peccato laborabas tollere: ego tibi deuotus dabo.

NOTÆ.



NOTÆ.

Samnij partibus.] *Eſt Samnium Regio Italiæ, quæ nunc Aprutia vocatur, inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. Vrbes in ea ſunt, Aquila, Amiternum, Sulmo, Aquinum, &c.*

Honoratum nomine.] *De Honorato agit Mart. Rom. cum Baronio 16. Ianuarij, cuius Vitam ex D. Gregorio afferunt Lippomanus tom. 1. & Sur. tom. 1. Agunt præterea de eo Petrus in Cat. Trithem. de Viris Illuſt. Ord. S. Ben. Arnoldus Vvionius tom. 2. Ligni vitæ, & alij.*

Mancipium.] *Sumitur pro homine ſeruituti addicto.*

Fundis dicitur.] *Eſt Fundis Oppidum Campaniæ, inter Tarracinam, & Caietam.*

Libertinus.] *De quo agunt ſupradicti ſcriptores.*

Vocabatur Vulturanus.] *Alias Vvlturnus dicitur. Eſt autem fluuius, qui per Capuam fluit, & circa Cumas in mare illabitur.*

Tolle caballum tuum.] *Hic ſumitur caballus pro equo. Sed notandum quod caballus numquam ferè ſine deriſione dicitur.*

Caligulam in ſinu ſemper portare conſueuerat.] *Eſt caligula tibiarum tegumentum.*

*Habetur lib. 1. Dial. c. 4.*

## VITA S. EQVITII ABBATIS.

### Ex D. Gregorio Papa.

FORTVNATI viri venerabilis Abbatis Monaſterij, quod appellatur Balneum Ciceronis, aliorumque etiam virorum venerabilium didici relatione quod narro. Vir ſanctiſſimus Equitius nomine, in Valeriæ prouinciæ partibus, pro vitæ ſuæ merito apud omnes illic magnæ admirationis habebatur, cui Fortunatus idem familiariter notus fuit. Qui nimirum Equitius pro ſuæ magnitudine ſanctitatis, multorum in eadem prouincia Monaſteriorum pater extitit. Hunc cum iuuentutis ſuæ tempore acri certamine carnis incentiua fatigarent: ipſæ ſuæ tentationis anguſtiæ eum ad orationis ſtudium ſolertiorem fecerunt. *S. Equitius carnis ſtimulis agitatus ad orationis ſubſidiũ confugit.* Cumque hac in re ab omnipotenti Deo remedium D continuis precibus quæreret, nocte quadam aſſiſtente Angelo, eunuchizari ſe vidit, eiuſque viſioni apparuit, quod omnem motum ex genitalibus eius abſcinderet, atque ex eo tempore ita *Liberatur à tentatione carnis.* alienus extitit à tentatione, ac ſi ſexum non haberet in corpore. Qua virtute fretus ex omnipotentis Dei auxilio, vt viris ante præerat: ita cœpit poſtmodum etiam fœminis præeſſe, nec tamen diſcipulos ſuos admonere ceſſabat, ne ſe eius exemplo in hac re facile crederent, & caſuri non tentarent donum, quod non accepiſſent.

Eo autem tempore, quo malefici in hac ſunt *Baſilius impites maleficus.* Romana vrbe deprehenſi, Baſilius (qui in magicis operibus primus fuit) in Monachico habitu, Va- E leriam fugiens petiit. Qui ad virum Reuerendiſſimum Caſtorium, Amiterninæ ciuitatis Epiſcopum pergens, petiit ab eo vt eum Equitio Abbati committeret: ac ſanandum Monaſterio illius commendaret. Tunc ad Monaſterium venit Epiſcopus, ſecumque Baſilium Monachum deduxit, & Equitiũ Dei famulum rogauit, vt eundem Monachum in congregationem ſuſciperet. Quem ſtatim vir ſanctus intuens ait. Hunc quem mihi commendas pater, ego non video Monachum eſſe: ſed diabolum. *Cognoſcit S. vir diuinitus Baſilium eſſe maleficum.* Cui ille reſpondit. Occaſionem quæris, ne debeas præſtare quod peto. Ad quem mox Dei famulus dixit: Ego quidem hoc eum eſſe denuncio quod vi- A deo, ne tamen nolle me obedire exiſtimes, facio quod iubes: ſuſceptus itaque in Monaſterio eſt.

Poſt non multos verò dies, idem Dei famulus pro exhortandis ad deſideria ſuperna fidelibus, paulo longius à cella digreſſus eſt. Quo diſcedente, contigit vt in Monaſterio Virginum, in quo eiuſdem patris cura vigilabat, vna earum, quæ iuxta carnis huius putredinem ſpecioſa videbatur febricitare inciperet, & vehementer anxiari, magniſque vocibus cum ſtridore clamare; Modo moritura ſum, niſi Baſilius Monachus veniat, & ipſe mihi per ſuæ curationis ſtudium ſalutem reddat. Sed in tanti patris abſentia accedere quiſpiam Monachorum in congregationem Virginum non au- B debat: quanto minus ille qui nouus aduenerat, eiuſque adhuc vitam congregatio fratrum neſciebat? Miſſum repente eſt, & Dei famulo Equitio nunciatum, quod Sanctimonialis illa immenſis febribus æſtuaret, & Baſilij Monachi viſitationem anxie quæreret. Quo audito vir ſanctus dedignando ſubriſit, atque ait. Numquidnam dixi, quod diabolus eſt iſte, non Monachus? Ite, & eum de *Iuſſu viri Dei Baſilius expellitur de Monaſterio.* cella expellite. De ancilla autem Dei, quæ anxietate febrium vrgetur, nolite eſſe ſoliciti: quia ex *Miraculoſe ſanatur Sãcti monialis maleficiata.* hac hora, neque febribus laboratura eſt, neque Baſilium quæſitura. Regreſſus eſt Monachus, & ea hora ſaluti reſtituam Dei Virginẽ agnouit, qua eandem ſalutem illius Dei famulus Equitius, lon- C ge poſitus nunciauit, in virtute ſcilicet miraculi, exemplum tenens magiſtri, qui inuitatus ad filium Reguli, eum ſolo verbo reſtituit ſaluti, vt reuertens pater ea hora filium reſtitutum vitæ cognoſceret, qua vitam illius ex ore veritatis audiſſet. Omnes autem Monachi iuſſionem patris ſui implentes, eundem Baſilium ex Monaſterij habitatione repulerunt. Qui repulſus dixit frequenter ſe cellam Equitij magicis artibus in aëra ſuſpendiſſe: nec tamen eius quempiam lædere po- *Baſilius maleficus tandẽ Romæ ignibus cõcrematur.* tuiſſe. Qui non poſt longum tempus in hac Romana vrbe, exardeſcente zelo Chriſtiani populi, igne crematus eſt.

Quadam verò die vna Dei famula ex eodem Monaſterio Virginum, hortum ingreſſa eſt, quæ D lactucam conſpiciens, concupiuit, eamque ſigno *Sãctimonialis lactucam comedens ſignũ Crucis facere oblita, arripitur à dæmone.* Crucis benedicere oblita, auide momordit, ſed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem patri Equitio ſub celeritate nunciatum eſt vt veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxque hortum idem pater vt ingreſſus eſt, cœpit ex eius ore quaſi ſatisfaciens ipſe qui hanc arripuerat, diabolus, clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi ſuper lactucam: venit illa, & momordit me. Cui cum indignatione vir Dei præcepit vt diſcederet, & locum in *Iuſſu viri Dei dæmon diſcedere cogitur.* omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abſceſſit: nec vltra eam contingere præ- E ualuit.

Quidam verò Fælix nomine Nurſiæ prouinciæ nobilis, pater huius Caſtorij, qui nunc nobiſcum in Romana vrbe demoratur, cum eundem venerabilem virum Equitium ſacrum Ordinem non habere conſpiceret, & per ſingula diſcurrere, atque ſtudioſe prædicare: eum quadam die familiaritatis auſu adiit dicens: Qui ſacrum Ordinem non habes, atque à Romano Pontifice, ſub quo degis, prædicationis licentiam non accepiſti, prædicare quomodo præſumis? Qui eius inquiſitione compulſus vir ſanctus indicauit prædicationis licentiam qualiter accepit dicens: Ea quæ mihi loqueris, ego quoque tecum ipſe pertracto. Sed

quadam

quadam nocte speciosus mihi per visionem iuue- A
*Ab Angelo iubetur verbum Dei prædicare.* nis adstitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est, fleubotomium, posuit dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Atque ex illo die, etiam cum voluero, de Deo tacere non possum.

Tantus autem illum feruor ad colligendas Deo animas accenderat: vt sic Monasteriis præesset, quatenus per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret: & corda audientium ad amorem
*Vilitas vestiũ sancti viri.* patriæ cælestis excitaret. Erat verò valde vilis in vestibus, atque ita despectus, vt si quis illum fortasse nesciret, salutatus etiam resalutare despiceret, & quotiens alia tendebat ad loca, iumento B
sedere consueuerat: quod esse despectabilius omnibus iumentis in sella potuisset; in quo etiam capistro pro freno, & verue cum pellibus pro sella vtebatur. Per semetipsum sacros codices in pelliceis sacculis missos, dextro læuoque portabat latere, & quocumque peruenisset, scripturarum aperiebat fontem, & rigabat prata mentium.

*Adulatores quantum noceant.* Huius quoque opinio prædicationis ad Romanæ vrbis notitiam peruenit, atque vt est lingua adulantium, auditoris sui animum amplectẽdum necans. Eo tempore Clerici huius Apostolicæ sedis Antistiti adulando questi sunt dicentes: Quis est iste vir rusticus, qui auctoritatem sibi prædicationis arripuit, & officium Apostolici no- C
stri Domini sibimet indoctus vsurpare præsumit? Mittatur ergo si placet, qui huc eum exhibeat, vt quid sit Ecclesiasticus rigor agnoscat. Sicut autem moris est, vt occupato in multis animo adulatio valde subrepat, si ab ipso cordis ostio nequaquam fuerit citius repulsa, suadentibus Clericis consensum Pontifex præbuit, vt ad Romanam vrbem duci debuisset, & quænam esset sua mensura cognosceret. Iulianum tamen tunc defensorem mittens, qui Sabinensi Ecclesiæ postmodum in Episcopatu præfuit, hoc præcepit, vt cum magno eum honore deduceret, ne quicquam Dei famulus ex conuentione eadem iniuriam sentiret. Qui parere de eo Clericorum votis concitus volens, festinè ad D
eius Monasterium cucurrit, ibique absente illo
*Etiam vilia officia exercet sanctus Abbas.* antiquarios scribentes reperit, vbi Abbas esset requisiuit. Qui dixerunt. In valle hac, quæ Monasterio subiacet, fœnum secat. Idem verò Iulianus superbum valde ac contumacem puerum habuit: cui vix poterat vel ipse dominari. Hunc ergo misit, vt ipsum ad se sub celeritate perduceret. Perrexit puer, & proteruo spiritu pratum velociter ingressus, hominesque illic intuens fœnum secantes, requisiuit quisnam esset Equitius. Moxque, vt
*Superbus & contumax solo viri Dei aspectu terretur, & humiliatur.* audiuit quis esset, eum adhuc longè positus aspexit, & immenso timore correptus, cœpit timere, lassescere, sequi ipsum nutanti gressu vix portare posse, qui tremens ad Dei hominem peruenit, at- E
que vlnis humiliter submissis, eius genua deosculans strinxit: suumque Dominum ei occurrisse nũciauit. Cui resalutato Dei famulus præcepit, dicens: Leua fœnum viride, porta pabulum iumentis in quibus venistis, ecce ego, (quia parum supereſt) opere expleto te subsequor.

Is autem qui missus fuerat Iulianus defensor mirabatur valde quidnam esset quod redire moraretur puer. Cumque reuertentem puerum conspicit, atque in collo fœnum ex prato deferentem: vehementer iratus cœpit clamare dicens: Quid est hoc? Ego te misi hominem deducere, non fœnum portare. Cui puer respondit. Quem quæris, ecce A
subsequitur. Et ecce vir Dei eleuatis calciatus caligis, falcem fœnariam in collo deferens veniebat. Quem adhuc longè positũ puer suo Domino quia ipse esset quem quæreret, indicauit. Idem verò Iulianus repente vt vidit Dei famulum, ex ipso habitu despexit: eumque qualiter deberet alloqui proterua mente præparabat. Mox verò vt seruus Dei
*Iulianus in spiritu despicien. virum Dei, tandem Deo agente virum sanctum venerari cogitur.* cominus affuit, eiusdem Iuliani animum intolerabilis pauor inuasit, ita vt tremeret: atque ad infinuandum hoc ipsum pro quo venerat, vix sufficere lingua potuisset. Qui humiliato mox spiritu, ad eius genua cucurrit: orationem pro se fieri petiit; & quia pater eius Apostolicus Pontifex eum videre vellet indicauit. Vir autem venerandus Equi- B
tius cœpit immẽsas gratias omnipotenti Deo agere, asserens quod se per summum Pontificem gratia superna visitasset. Ilico vocauit fratres, præcepit hora eadem iumenta præparari, atque executorem suum cœpit vehementer vrgere vt cito abire debuissent. Cui Iulianus ait. Hoc fieri nullatenus potest, quia lassatus ex itinere hodie non valeo abire. Tunc ille respondit. Contristas me fili, quia *Claret spiritu prophetico.* si hodierna die non egredimur, iam crastina non egrediemur.

Dei itaque famulus executoris sui lassitudine coactus, in Monasterio suo eadem nocte demoratus est. Sequenti verò die sub ipso lucis crepusculo, vehementer equo in cursu fatigato, ad Iulia- C
num puer cum Epistola peruenit, in qua præceptũ est ei ne seruum Dei contingere, vel mouere de Monasterio auderet. Quem cum ille requireret, cur sententia esset mutata: cognouit quia nocte eadem in qua ipse executor illuc missus est, per visum Põtifex fuerat vehementer exterritus, cur ad exhibendum Dei hominem mittere præsumpsisset. Qui protinus surrexit, seque venerandi viri commendans orationibus, ait: Rogat pater noster, ne fatigari debeatis. Cumque hoc Dei famulus audiret, contristatus, ait: Numquid non die hesterno dixi tibi, quia si statim non pergeremus, iam pergere minimè liceret? Tunc pro charitatis exhibitione *Charitas & benignitas viri Dei.* aliquantulum executorem suum in cella detinuit: eique laboris sui commodum coacto renitentique D
dedit.

Silere non debeo, quod de hoc viro, Abbate quondam meo reuerendissimo Valentino narrante agnoui. Aiebat namque quia corpus eius dum in beati Laurentij martyris oratorio esset humatũ, super sepulchrum illius rusticus quidam arcam cum frumento posuit, nec quantus qualisque vir illic iaceret perpendere ac vereri curauit. Tunc repente turbo cælitus factus rebus illic omnibus in sua stabilitate manentibus, arcam quæ superposita sepulchro eius fuerat, extulit, longeque proiecit, ita vt palam cuncti cognoscerent, quanti esset meriti is cuius illic corpus iaceret. Etiam ea quæ subiungo, prædicti venerabilis viri Fortunati, qui valde mihi ætate, opere, & simplicitate placet, relatione cognoui. Eandem Valeriæ prouinciam Longobardis intrãtibus, ex Monasterio reuerendissimi viri Equitij in prædicto oratorio ad sepulchrum eius Monachi fugerunt. Cumque Longobardi sæ- *Monachi ad S. viri sepulchrum cõfugiunt à facie Longobardorum.* uientes Monasterium intrassent: cœperunt eosdem Monachos foras trahere, vt eos aut per tormenta discuterent, aut gladiis necarent, quorum vnus ingemuit, atque acri dolore commotus clamauit: Heu, heu sancte Equiti placet tibi vt trahamur, & non nos defendas? Ad cuius vocem protinus sæ- *Arripiuntur à dæmonibus Longobardi.* uientes Longobardos immundus spiritus inuasit. Qui corruentes in terram, tamdiu vexati sunt,

quousque



quousque hoc cuncti (etiam qui foris erant) Lon- A
gobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare vlterius non auderent. Sicque vir sanctus dum discipulos defendit: etiam multis post remedium illuc fugientibus præstitit.

## NOTÆ.

Equitius.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 11. Augusti. Agunt præterea de eo Surius tom. 4. & Lippom. tom. 1. Trithem. de Viris Illust. Ord. S. Benedict. Vvion. in Mart. Monastico, Petrus in Cat. & alij.*

Medicinale ferramentum.] *Hoc verbum, ferramentum, est inusitatum, diciturque à ferendo, quasi ferens sanitatem.*

Id est, flebotomium.] *Est flebotomia, sanguinis* B
*missio.*

Et verue cum pellibus.] *Id est, ex veruecinis pellibus.*

Quænam esset sua mensura cognosceret.] *Dupliciter hic mensura potest intelligi, vel pro mensura pœnæ, vel pro mensura officij & iurisdictionis. Quasi diceret: ideo iussus est ante conspectum Summi Pontificis comparere, vt cognosceret quænam esset sua mensura, id est, grauitatem culpæ & pœnæ, quam propter prædicationis officium non sibi concessum incurrit.*

Antiquarios scribentes reperit.] *Olim in Claustris Monasteriorum, scamna & tabulæ positæ erant, & ibi Monachi lectioni & scriptioni vacabant. Fortassis per antiquarios possunt intelligi Senes. Vel melius antiquarij* C
*sunt, qui Antiquitates, & Historias scrutantur & peruoluunt.*

*Habetur lib. 1. Dial. c. 7. & 8.*

## VITA SANCTORVM NONNOSI Præpositi Monasterij in Monte Soractis, & Anastasij Abbatis Monasterij Suppentonia.

*Ex D. Gregorio Papa.*

DE vicino nunc loco tibi aliquid narrabo, quod & viri venerabilis Maximiani Episcopi & Laurionis, quem nostri, qui vterque D
nunc supereſt, relatione cognoui, quia scilicet Laurio in illo Monasterio quod iuxta vrbem Neptanam locatur, ab Anastasio viro sanctissimo nutritus est. Qui nimirum Anastasius, vitæ venerabilis Nonnoso Præposito Monasterij, quod in Soractis monte situm est: & propinquitate loci, & morum magnitudine, & virtutum studiis assiduè
*S. Nonnosi patientia.* iungebatur. Idem verò Nõnosus sub asperrimo sui Monasterij degebat patre: sed eius mores mira semper æquanimitate tolerabat. Sicque fratribus præerat in mansuetudine, sicut crebro patris iracundiam ex humilitate mitigabat. Quia verò eius Monasterium in summo montis cacumine situm est, ad quamlibet paruum hortum fratribus ex- E
colendum nulla patebat planicies. Vnus autem breuissimus locus in latere montis excreuerat, quem ingenti saxi moles naturaliter egrediẽs occupabat. Quadam verò die dum Nonnosus vir venerabilis cogitaret quod saltem ad condimẽta olerum nutrienda locus idem aptus potuisset existere, si hunc moles saxi illius non teneret: occurrit ani-
*Oratione rupem ingentẽ lõgius transfert.* mo, quod eandem molem quingenta boum paria mouere non possent. Cumque de humano labore facta esset desperatio, ad diuinum se solatium contulit, seque illic nocturno silentio in orationem dedit. Cumque mane facto ad eundem locum fratres venirent, inuenerunt molem tantæ magni- A
tudinis ab eodem loco longius secessisse: suoque recessu largum fratribus spatium ad excolendum hortum dedisse.

Alio quoque tempore dum idem vir venerabilis lampades vitreas in oratorio lauaret, vna ex eius manibus cecidit, quæ per innumeras partes fracta dissiluit: qui vehementissimum patris Monasterij furorem timens, lampadis protinus omnia fragmenta collegit, atque ante altare posuit, seque cũ
*Fractam lãpadem oratione restituit.* graui gemitu in orationem dedit. Cumque ab oratione caput leuasset, sanam lampadem reperit, quã timens per fragmenta collegerat. Sicque in duobus miraculis duorum patrum virtutes imitatus est. In mole scilicet saxi, factum Gregorij, qui montem mouit. In reparatione verò lampadis virtutem Donati, qui fractum calicem pristinæ incolumitati restituit.

Dum quadam die in Monasterio vetus oleum deesset, iamque colligendæ oliuæ tempus incumberet, sed fructus in oliuis nullus appareret: visum patri Monasterij fuerat, vt circumquaque fratres in colligendis oliuis ad exhibenda extraneis opera pergerent, quatenus ex mercede sui operis aliquantulum Monasterio oleum deportarent. Quod vir Domini Nonnosus fieri cum magna humilitate prohibuit, ne exeuntes fratres ex Monasterio, dum lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. Sed quia in Monasterij arboribus oliuæ paucæ inesse videbantur, eas colligi præcepit, & in prælo mitti, & quamlibet parum olei exire potuisset sibimet deferri. Factumque est, & *Oratione viri sancti oleũ multiplicatum.* susceptum in paruo vasculo oleum fratres Nonnoso Dei famulo detulerunt: quod ipse protinus ante altare posuit, cũctisque egredientibus orauit, arcersitis postmodũ fratrib. præcepit, vt hoc quod detulerant oleum leuarent, & per cuncta vasa Monasterij exigue fundendo diuiderent, quatenus benedictione eiusdem olei omnia infusa viderentur, quæ protinus vt erant vacua claudi fecit. Die vero altera aperta, omnia plena reperta sunt.

Eodem quoque tempore venerabundus vir A-
*S. Anastasius prius S. Romanæ Ecclesiæ Notarius.* nastasius, cuius superius memoriam feci, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deseruio, Notarius fuit. Qui soli Deo vacare desiderans, scrinium deseruit, Monasterium elegit: atque in eo loco quem præfatus sum Suppentoniam vocari, per annos multos in sanctis actibus vitam duxit: eique Monasterio solerti custodia præfuit. Quo videlicet in loco ingens desuper rupes eminet, & profundum subter præcipitium patet. Quadã verò nocte, cum iam omnipotens Deus eius venerabilis viri Anastasij labores remunerare decreuisset, ab alta rupe vox facta est: quæ producto sonitu clamaret, dicens: Anastasi veni. Quo vocato, alij *Diuinitus cũ aliis fratribus ad cælestia regna vocatur.* quoque septem fratres vocati sunt ex nomine. Paruo autem momento, ea quæ fuerat emissa vox E
siluit; & octauum fratrẽ vocauit. Quas dum aperte congregatio audisset, dubium non fuit, quia eorum qui vocati sunt obitus propinquasset. Intra paucos igitur dies primus venerandus vir Anastasius, cæteri autem in ordine, ex carne educti sunt, qui de rupis vertice sunt vocati. Frater verò ille ad quem vox parum siluit, atque eum tunc nominauit, morientibus aliis, paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit, vt aperte monstraretur, quia interiectum vocis silentium paruum viuendi spatium signauerit. Sed mira res contigit: quia vir venerabilis Anastasius, dum de corpore exiret, erat quidam in Monasterio, qui superuiuere ei nolebat. Prouolutus verò eius pedibus, cœpit cum lacry-

C

mis,

*Nota vim orationis S. Anastasij.*

mis ab eo postulare dicens: Per illum ad quem vadis deprecor, & adiuro, ne septem dies super te in hoc mundo viuam, ante cuius septimum diē etiam ipse defunctus est: qui tamen in illa nocte inter cæteros non fuerat vocatus, vt aperte claresceret, quia eius obitum sola venerabilis Anastasij intercessio obtinere potuisset.

NOTÆ.

In Soractis monte situm.] *De isto monte plura videre poteris apud Conradum Gesnerum in Onomastico.*

Nonnosus.] *Agunt de Nonnoso Mart. Rom. cum Baronio 2. Septemb. Lippom. tom. 1. & Surius tom. 5. Petrus in Cat. Trithem. de Viris Illust. Ord. S. Bened. Vvionius, & alij.*

Anastasius.] *Tam de eo, quàm de sociis ad cælestia regna vocatis agit Mart. Rom. 11. Ianuarij. Auctores etiam supracitati eorum meminerunt.*

*Habetur lib. 3. Dial. c. 33.*

## VITA S. ELEVTHERII SERVI DEI. Ex D. Gregorio Papa.

ELEVTHERIVS pater Monasterij beati Euangelistæ Marci, quod in Spoletanæ vrbis pomeriis situm est, diu mecum est in hac vrbe in Monasterio conuersatus, ibique defunctus est. Quem sui discipuli referebant plorando mortuum suscitasse. Vir autem tantæ simplicitatis erat, & compunctionis: vt dubium non esset, quod illæ lacrymæ ex ea humili simplicique mente editæ, apud omnipotentem Deum multa obtinere potuissent. Huius ergo aliquod miraculum narrabo, quod inquisitus mihi simpliciter & ipse fatebatur.

*S. Eleutherius plorando mortuum suscitauit.*

Quadam namque die dum iter carperet, facto vespere, cum ad secedendum locus deesset, in Monasterium Virginum deuenit, in quo quidam puer paruulus erat, quem malignus spiritus omni nocte vexare consueuerat. Sed Sanctimoniales fœminæ vt virum Dei susceperunt, eum rogauerunt dicentes: Tecum pater hac nocte puer iste maneat. Quem ipse benigne suscepit, secumque ea nocte eadem iacere permisit. Facto autem mane cœperunt Sanctimoniales fœminæ eundem patrem vigilanter inquirere, si quid ei puer quem dederant nocte eadem fecisset. Qui miratus cur ita requirerent, respondit. Nihil. Tunc illæ eiusdem pueri innotuerunt causam, & quod malignus spiritus nulla ab eo nocte recederet indicarunt, summopere postulantes, vt hunc secum ad Monasterium tolleret, quia iam vexationem illius videre ipsæ non possent. Consensit senex, puerum ad Monasterium duxit. Qui cum multo tempore in Monasterio fuisset, atque ad hunc antiquus hostis accedere minimè præsumpsisset: eiusdem senis animus de salute pueri immoderatius per lætitiam tactus est. Nam coram positis fratribus dixit: Fratres, Diabolus sibi cum illis sororibus iocabatur: at verò vbi ad seruos Dei ventum est, ad hunc puerum accedere non præsumpsit.

*Diabolus ad viri Dei præsentiam non potest amplius puero molestiam inferre.*

*S. vir immoderatius gaudens de liberatione pueri, statim à diabolo iterū corripitur.*

Postquam vocem emisit, hora eadem, ac momento, idem puer coram cunctis fratribus, diabolo se inuadente vexatus est. Quo viso senex se protinus in lamentum dedit. Quem dum lugentem diu fratres consolari voluissent, respondit dicens: Credite mihi, quia in nullius vestrum ore hodie panis ingreditur, nisi puer iste à dæmonio fuerit ereptus. Tunc se in orationē cum cunctis fratribus strauit, & eousque oratum est, quousque puer à vexatione sanaretur. Qui tam perfectè sanatus est, vt ad hunc malignus spiritus accedendi ausum vlterius non haberet.

*S. viri & fratrum oratione puer à dæmone perfectè liberatur.*

Huius viri oratio quantæ virtutis esset, in memetipso expertus sum. Nam cum quodam tempore in Monasterio positus incisionem vitalium paterer, crebrisque angustijs per horarum momenta ad exitum propinquarem, quam medici molestiam Græco eloquio syncopen vocant, & nisi me frequenter fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus funditus intercidi videretur. Paschalis superuenit dies, & cum sacratissimo Sabbatho, in quo omnes & paruuli pueri ieiunant, ego ieiunare non possem: cœpi plus mœrore, quam infirmitate deficere. Sed tristis animus consilium citius inuenit, vt eundem virum Dei secreto in oratorium ducerem, eumque peterem, quatenus mihi vt die illo virtus ad iciunandum daretur, suis apud omnipotentem Dominum precibus obtineret, quod & factum est. Nam mox vt oratorium ingressi sumus, humiliter se cum lacrymis in orationem dedit, & post paululum completa oratione exiit, & ad vocem benedictionis illius, virtutem tantam meus stomachus accepit, vt mihi funditus à memoria tolleretur cibus & ægritudo. Cœpi mirari quis essem, quis fuerim, quia & cum ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his quæ memineram recognoscebam. Cumque in dispositione Monasterij mens occupata fuisset, obliuiscebar funditus ægritudinis meæ. Si verò (vt prædixi) rediret ægritudo ad memoriam, cum tam fortem me esse sentirem, mirabar si non comedissem. Qui ad vesperam veniens, tantæ me fortitudinis inueni: vt si voluissem, ieiunium vsque ad diem alterum trāsferre potuissem. Sicque factum est, vt in me probarem & ea etiam de illo vera esse, quibus ipse minimè interfuissem.

*Precibus viri Dei obtinet S. Gregorius in infirmitate positus, gratiam ieiunandi in vigilia Paschæ.*

NOTÆ.

Spoletanæ vrbis.] *Est Spoletum ciuitas in Vmbria.*

Eleutherius.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 6. Septembris. Agunt de eo Lippom. tom. 1 & Sur. tom. 5. Vinc. in Spec. Petrus in Cat. Trithem. de Viris Illust. Ord. S. Bened. Vvionius, & alij.*

*Habetur lib. 4. Dial. c. 10.*

## VITA S. SPEI ABBATIS. Ex D. Gregorio Papa.

ADVVC in Monasterio positus, cuiusdam valde venerabilis viri relatione cognoui quod dico. Aiebat enim, quia venerabilis pater nomine Spes, Monasterium construxit in loco, cui vocabulum Cample est, qui sexti ferme milliarij interiacente spatio à vetusta Nursiæ vrbe disiungitur. Hunc omnipotens & misericors Deus ab æterno verbere flagellando protexit, eique dispensationis suæ maximam securitatem seruauit & gratiam, quantumque eum prius flagellando diligeret, postmodum perfectè sanando monstrauit. Eius namque oculos per quadraginta annorum spatium continuæ cæcitatis tenebris pressit, nullum ei lumen vel extremæ visionis aperiens. Sed quia nemo in verbere illius gratia se de destituente substitit: & nisi idem misericors pater qui pœnam irrogat, patientiam præstet, mox per impatientiam peccatum nobis ipsa auget correptio peccatorum, sitque modo miserabili

*S. Spes Abbas per 40. annos manet cæcus.*



miserabili, vt culpa nostra vnde sperare debuit terminum, inde sumat augmentum; idcirco nostra Deus infirma conspiciens, flagellis suis custodiam permiscet, atque in percussione sua electis filiis nūc misericorditer iustus est: vt sint quibus postea debeat iuste misereri. Vnde venerabilem senem dum exterioribus tenebris premeret, interna nunquam luce destituit. Qui cum flagello fatigaretur corporis, habebat per sancti Spiritus custodiam consolationem cordis.

*Circa finem vitæ ei diuinitus lumen restituitur, & obitus denūciatur.*

Cum verò iam anni quadragesimi fuisset in cæcitate tempus expletum, ei Dominus lumen reddidit, & vicinum suum obitum denunciauit, atque vt Monasteriis circumquaque constructis verbum vitæ prædicaret, admonuit: quatenus corporis recepto lumine, visitatis in circuitu fratribus cordis lumen aperiret. Qui statim iussis obtemperans, fratrum cœnobia circuiuit, mandata vitæ, quæ agendo didicerat, prædicauit. Quintodecimo igitur die ad Monasterium suum peracta prædicatione reuersus est; ibique fratribus conuocatis adstans in medio, Sacramentum Dominici corporis & sanguinis sumpsit, moxque cum eis mysticos psalmorum cantus exorsus est. Qui illis psallentibus, orationi intentus animam reddidit. Omnes verò fratres qui aderant, ex ore eius exisse columbā viderunt: quæ mox aperto tecto oratorij egressa, aspicientibus fratribus penetrauit cælum. Cuius idcirco animam in columbæ specie apparuisse credendum est, vt omnipotens Deus ex hac ipsa specie ostenderet, quàm simplici corde ei vir ille seruisset.

*Sumpto Eucharistiæ Sacramento, orationi intētus migrat in cælum.*

NOTÆ.

Spes.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio 28. Martij. Agunt præterea de eo Lippom. tom. 1. & Sur. tom. 2. Petrus in Cat. Vinc. in Speculo. Trithem. de Viris Illust. Vvionius, & alij.*

A vetusta Nursiæ vrbe disiungitur.] *In Italia, vrbs antiquissima Sabinorum. Communiter ab antiquis auctoribus Frigida Nursia nuncupatur, vel quia reuera talis est, vel quia venenosa. Vide Conradum Gesnerum in Onomastico.*

*Habetur lib. 4. Dial. c. 19.*

## VITA S. STEPHANI VIRI DEI. Ex D. Gregorio Papa.

PRobo Dei famulo, aliisque religiosis viris narrātibus agnoui ea, quæ indicare audientibus de venerabili patre Stephano, in homeliis Euāgelij curaui. Fuit enim vir, sicut idē Probus, & multi alij testantur, nihil in hoc mundo possidens, nihil requirens, solam cum Deo paupertatem diligens, inter aduersa semper patientiam amplectens, conuentus sæcularium fugiens, vacare semper orationi concupiscens. De quo vnum bonum virtutis refero, vt ex hoc vno valeant multa eius bona pensari.

*S. Stephanus magnus paupertatis amator.*

Is namque cum quadam die messem quam sua manu secuerat desiam ad aream deduxisset: nihilque aliud cum discipulis suis ad totius anni stipendium haberet, quidam peruersæ voluntatis vir, antiqui hostis stimulis instigatus, eandem messem igne suppositō ita vt erat, in area incendit. Quod factum dum alter conspiceret, eidem Dei famulo cucurrit & nunciauit. Quod postquam indicauit, adiunxit dicens: Væ, væ pater Stephane, quid tibi contigit? Cui statim vultu ac mente placida ille respondit. Væ quid illi contigit qui mihi hoc fecit: nam mihi quid contigit? In quibus eius verbis ostenditur in quo virtutis culmine sedebat, qui vnum quod in sumptum mundi habuerat, tam secura perdebat mente, magisque illi condolebat qui peccatum commiserat, quàm sibi, qui peccati illius damna tolerabat, nec pensebat quid ipse exterius, sed culpæ reus quantum pendebat intus.

*Nota magnā S. viri patiētiam.*

Hunc itaque cum dies mortis egredi de corpore vrgeret, conuenerunt multi, vt tam sanctæ animæ de hoc seculo recedenti, suas animas commendarent. Cumque lecto illius hi qui conuenerant, omnes assisterent, alij ingredientes Angelos viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt, alij omnino nihil viderunt. Sed omnes qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, vt nullus egrediente illa sancta anima, illic stare potuisset. Et hi ergo qui viderant, & hi qui omnino nihil viderant, vno omnes timore percussi & territi fugerunt: vt palam daretur intelligi, quæ & quanta vis esset, quæ illam egredientem animam susciperet, cuius egressum nemo mortalium ferre potuisset.

*Angeli visi, aliaque mira patrata in obitu viri Dei.*

NOTÆ.

De venerabili patre Stephano.] *Agunt de ipso Mart. Rom. cum Baronio 13. Ianuarij, Petrus in Cat. Trith. de Viris Illust. Lippom. tom. 1. Sur. tom. 1. Vvionius, & Vinc. in Speculo.*

*Habetur lib. 4. Dial. c. 20.*

## VITA DVORVM MONACHORVM Valeriæ Prouinciæ, necnon Surani Abbatis. Ex D. Gregorio Papa.

CIENDVM est, quia aliquando animæ meritum non in ipso suo egressu ostenditur, post mortem verò certius declaratur. Vnde & sancti martyres ab infidelibus crudelia multa perpessi sunt: qui tamen (vt prædiximus) ad ossa sua mortua signis quotidie & miraculis clarescunt.

Vitæ namque venerabilis Valentius, qui post in hac Romana vrbe mihi, sicut nosti, in eo quoque Monasterio præfuit, prius in Valeriæ prouincia suū Monasterium rexit. In quo dum Longobardi sæuientes venissent, sicut eius narratione didici, duos eius Monachos in ramis vnius arboris suspenderunt: qui suspensi, eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere, vtrorumque eorum spiritus claris illic apertisque vocibus psallere cœperunt; ita vt ipsi quoque qui eos occiderant, cum voces psallentium audirent, nimium mirati terrerentur. Quas videlicet voces captiui quoque omnes qui illic aderant, audierunt: atque eorum psalmodiæ postmodum testes extiterunt. Sed has voces spirituū omnipotens Deus idcirco pertingere voluit ad aures corporum, vt viuentes quique in carne discerent, quia si Deo seruire studeant, post carnis mortem verius viuant.

*Duo Monachi à Longobardis suspēsi auditi sūt psallere.*

Quibusdam religiosis quoque viris attestantibus, adhuc in Monasterio positus agnoui, quod hoc Longobardorum tempore iuxta in hac prouincia, quæ Sura nominatur, quidam Monasterij pater vitæ venerabilis Suranus nomine fuerit, qui captiuis aduenientibus atque à Longobardorum depredatione fugientibus, cuncta quæ in Monasterio videbatur habere, largitus est. Cumque in eleemosynis vestimenta sua, ac fratrum omnia, & cellarium consumpsisset, quicquid habere in horto potuit, expendit. Expensis verò rebus omnibus, Lōgobardi ad eum subitò venerunt, eumque tenue-

*Magnā sancti Surani charitas.*

runt, & aurum ab eo petere cœperunt. Quibus cum ille diceret se omnino nihil habere, in vicino monte ab eis ductus est, in quo sylua immensæ magnitudinis stabat. Ibi captiuus quidam fugiens in caua arbore latebat, vbi vnus ex Longobardis *Occiditur à Longobardis.* educto gladio prædictum venerabilem occidit virum. Cuius corpore in terram cadente, *Viro Dei occiso totus mõs cum sylua contremiscit.* mõs omnis protinus, & sylua concussa est, ac si se ferre non posse pondus sanctitatis eius diceret terra quæ tremuisset.

NOTÆ.

In Valeriæ Prouincia.] *Est hæc Prouincia Italiæ. Est etiam Valeria Regio in vltima Germania, versus Orientem, quæ hodie Stynia vocatur, vt placet Æneæ Syluio. Est etiam oppidum Hispaniæ Tarracon.*

Longobardi sæuientes.] *Populi Cisalpinæ Galliæ, à Germanis oriundi, & à barbarum prolixitate cognominati. Hi relicto Oceano, vltimisque Germaniæ oris, Albino duce, Italiam ingressi, breui omnes penè citerioris Galliæ vrbes cepere. Ibi cum ducentis annis regnassent, à Carolo Magno superati sunt.*

Venerabilis Suranus.] *De quo Mart. Rom. cum Baron. in Notis 24. Ianuary. Agunt præterea de eodem Lippom. tom. 1. & Sur. tom. 1. Petrus in Cat. Trith. de Viris Illust. Vvionius, & alij.*

*Habetur lib. 4. Dial. c. 46.*

## *Vita Antonij, Meruli, & Ioannis, Monachorum. Ex D. Gregorio Papa.*

PLERVMQVE de culpis minimis ipse solus pauor egredientes instorum animas purgat, sicut narrari de quodam sancto viro mecum frequenter audisti. Qui ad mortem veniens vehementer timuit: sed post mortem discipulis in stola candida apparuit, & quàm præclare sit susceptus indicauit. Nonnumquam verò omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius reuelationibus roborat, vt in morte minime pertimescant.

Nam quidam mecum in Monasterio frater, Antonius nomine viuebat, qui multis quotidianis lacrymis ad gaudia patriæ cælestis anhelabat. *S. Antonius habet donum lacrymarum.* Cumque studiosissime, & magno feruoris desiderio, sacra eloquia meditaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis inquirebat. Quatenus per hæc excitata mens eius inardesceret, & ima deserens, ad regionem cælestis patriæ per contemplationem volaret. Huic per visionem nocturnam dictum est; Paratus esto, quia Dominus iussit migrare te. Cumque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audiuit dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cum semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret: nocte quoque alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus, flentibusque defunctus est. *Diuinitus audit sua peccata esse dimissa, & de suo obitu admonetur.*

Alius etiam frater in eodem Monasterio Merulus dicebatur, vehementer lacrymis atque eleemosynis intentus. Psalmodia verò ex ore illius pene nullo tempore cessare consueuerat, excepto cum aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit, quod ex albis floribus corona de cælo in caput illius descendebat. Qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atque hilaritate defunctus est. Ad cuius sepulchrum dum Petrus, qui nunc Monasterio meo præest, sibi sepulturam fa- *S. Merulus Monachus in psalmodia & laude Dei pene assiduus.*

A cere post annos quatuordecim voluisset, tanta (vt asserit) de eodem sepulchro illius fragrantia suauitatis emanauit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata. Qua ex re manifeste patuit quàm verum fuit quod per nocturnam visionem vidit. *Suauissimus odor è sepulchro eius manat.*

In eodem quoque Monasterio alius quidam Ioannes dictus est, magnæ indolis adolescens, qui ætatem suam intellectu & humilitate, dulcedine & grauitate transigebat. Huic ægroranti, atque ad extremum deducto, per nocturnam visionem quidam senex apparuit, & hunc virga tetigit, eique dixit: Surge. Ex hac enim molestia modò minime morieris; sed paratus esto, quia longum tempus B hic facturus non eris. Qui dum iam esset à medicis desperatus, repente sanatus est, atque conualuit. Rem quam viderat, narrauit; seque per biennium in Dei seruitio, sicut prædixi, vltra ætatis suæ annos exhibuit. Ante hoc autem triennium, cum quidam frater fuisset mortuus, atque in eiusdem Monasterij cæmeterio à nobis sepultus, cunctis nobis ab eodem cæmeterio exeuntibus, idem Ioannes, sicut postmodum pallens & tremens indicauit, illic nobis discedentibus, inuentus ab eodem fratre qui mortuus fuerat, de sepulchro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis edocuit. Nam post dies decem inuasus febribus, carne solutus est. *Catalogus virtutum S. Ioannis.* *Diuinitus à graui ægritudine sanatur vir sanctus.* *Moritur.*

NOTÆ.

Antonius nomine, &c.] *De eis Mart. Rom. cum Baronio 17. Ianuarij. Agunt præterea de eis Lippom. & Surius tom. 1. Vinc. in Speculo, Petrus in Cat. Vvionius tom. 2. Ligni vitæ, & alij.*

## *Vita Gerontij & Melliti Monachorum. Ex D. Gregorio Papa.*

*Habetur lib. 4. Dial. c. 16.*

IN Monasterio meo quidam frater ante decennium Gerontius dicebatur. Qui cũ graui molestia fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros & clari omnimodo habitus, in hoc ipsum Monasterium descendere de superioribus aspexit. Qui dum coram lecto iacentis assisterent, vnus eorũ dixit. Ad hoc venimus, vt de Monasterio Gregorij quosdã fratres in militiam mittamus, atque alteri præcipiens adiunxit: Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, atque alios, quorum nunc minimè recordor. Quibus expletis, addidit dicens: Scribe & hunc ipsum qui nos aspicit. Ex qua visione certus redditus prædictus frater, facto mane innotuit fratribus qui, & qui essent in breui ex eadem cella morituri, quos se etiam denunciauit esse secuturum, cum die alio prædicti fratres mori cœperunt, atque sub eo- E dem ordine se in morte secuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati. Ad extremum verò & ipse obiit, qui eosdem fratres morituros præuidit. *S Gerontius de suo & fratrum obitu diuinitus edocetur.*

In ea quoque mortalitate quæ ante triennium hanc vrbẽ vehementissima clade vastauit, in Portuensis ciuitatis Monasterio Mellitus dictus est Monachus adhuc in annis iuuenilibus constitutus, sed miræ simplicitatis, atque humilitatis vir, qui appropinquante vocationis die, eadem clade percussus, ad extrema deductus est. Quod vir vitæ venerabilis Fælix eiusdem ciuitatis Episcopus audiens, cuius & hæc relatione cognoui, ad eum accedere studuit, & ne mortem timere debuisset, verbis hunc persuasoriis confortare, cui etiã adhuc de *S. Mellitus miræ simplicitatis vir.*



de diuina misericordia, longiora vitæ spatia polliceri cœpit. Sed ad hæc ille respondit, cursus sui tempora esse completa, dicens apparuisse sibi iuuenem, atque epistolas detulisse, dicentem: Aperi & lege. Quibus apertis asseruit, quia se, & omnes qui eodem tempore à prædicto Episcopo in Paschali festiuitate fuerant baptizati, scriptos in eisdem epistolis aureis inuenisset. Primùm quidem (vt dicebat) suum nomen reperit, ac inde omnium illo in tempore baptizatorum. Qua de re certum tenuit & se, & illos de hac vita esse sub celeritate migraturos. Factumque est vt die eadem ipse moreretur; atque post eum cuncti illi qui baptizati fuerant ita secuti sunt, vt intra paucos dies nullus eorum in hac vita remaneret. De quibus nimirum constat, quod eos prædictus Dei famulus circo aureo scriptos viderat: quia eorũ nomina, apud se fixa æterna claritas habebat. Sicut itaq; hi reuelationibus potuerunt uentura cognoscere: ita nonnumquam egressuræ animę possunt etiam mysteria cælestia, non per somnium, sed vigilando prælibare. *Mellitus suũ & omniũ in vigilia Paschæ baptizatorũ nomina aureis litteris scripta videt, & de suo, illorũque obitu admonetur.*

NOTÆ.

Gerontius.] *De quo Lippom. Sur. Petrus in Cat. Trithemius, & alij agunt.*

## *Vita Victorini, aliàs Æmiliani Monachi. Ex D. Gregorio Papa.*

*Habetur in Homilia super Euangelio centum ouium, & decẽ drachmarum.*

REM fratres breuiter refero, quam viro venerabili Maximiano, tunc patre Monasterij mei atque presbytero, nunc autem Syracusano Episcopo, narrante cognoui. Hanc itaque si solerter auditis, charitati vestræ non breuiter suffragari credo. Nostris verò temporibus Victorinus quidam extitit, qui alio quoque nomine Æmilianus appellatus est, non inopis substantiæ iuxta mediocritatem vitæ, sed *S. Victorinus in secuto graue quoddam peccatũ perpetrat.* quia plerumque regnat in rerum opulentia, carnis culpa, in quodam facinore lapsus est, quod debuisset valde pertimescere, ac de suæ mortis im- D manitate cogitare. Reatus ergo sui consideratione compunctus, erexit se contra se, mundi huius omnia dereliquit, Monasterium petiit. In quo nimirum Monasterio, tantæ humilitatis, tantæque districtionis extitit: vt cuncti fratres qui illic ad amorem diuinitatis excreuerant, suam cogerentur vitam despicere, dum illius pœnitentiam viderent. *Pœnitentia causa fit Monachus.* Studuit namque toto mentis annixu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, furtiuas orationes quærere, quotidianis se lacrymis lauare, despectum sui appetere, oblatam à fratribus venerationem timere. *Catalogus virtutũ eius.*

Hic itaque nocturnas fratrum vigilias præuenire consueuerat. Et quia mons in quo Monasterium E situm est, ex vno latere in secretiori parte prominebat, illuc consuetudinem fecerat ante vigilias egredi, vt se quotidie in fletu pœnitentiæ, quanto secretius, tanto liberius mactaret. Contemplabatur namque districtionem venturi iudicis sui, ac iam eidem iudici concordans, puniebat in lacrymis reatum facinoris sui. Quadam verò nocte Abbas Monasterij vigilans, hunc latenter egredientem intuitus, lento foras pede secutus est. Quem cum in secreto montis latere cerneret in oratione prostratum, expectare voluit quando surgeret, vt ipsam quoque longanimitatem orationis eius exploraret. Tunc subita lux cælitus emissa super eum *Lux cælica super virum sanctũ visa.*

A fusa est, qui in oratione prostratus iacebat, tantaque se in illo claritas sparsit, vt tota pars regionis illius ex eadem luce candesceret. Quam Abbas vt vidit, intremuit, & fugit. Cumque post longum horæ spatium idem frater ad Monasteriũ rediisset: Abbas eius vt disceret an super se effusionem tanti luminis agnouisset, requirere eũ studuit dicens: Vbi fuisti frater? At ille latere se posse credens, in Monasterio fuisse respondit. Quo negante, Abbas compulsus est dicere quid vidisset. At ille videns se esse deprehensum, hoc quoque quod Abbatem latebat aperuit, adiungens: Quando vidisti super me lucem de cælo descendere, vox etiam pariter venit dicens: Dimissum est tibi peccatum tuum. Et B quidem omnipotens Deus peccatum eius potuit tahando relaxare, sed loquendo per vocem, radiãdo per lumen, exemplo suæ misericordiæ, nostra ad pœnitẽtiam voluit corda conuertere. Miramur fratres charissimi, quod persecutorem suum Saulum Dominus de cælo prostrauit, de cælo alloquutus est. Ecce nostris quoque temporibus peccator, & pœnitens, vocem de cælestibus audiuit. Illi dictum est; Quid me persequeris? Iste verò meruit audire: Dimissum est tibi peccatum tuum. Longe est inferior meritis peccator pœnitens iste quàm Paulus. Sed quia adhuc in hac re de Saulo loquimur crudelitate necis anhelante; liceat audenter dicere, quia Saulus propter superbiam vocem increpationis, iste verò propter humilitatem, vocem consolationis audiuit. Hunc quia humilitas strauerat, diuina pietas erigebat. Illum quia superbia erexerat, diuina seueritas humiliabat. Habete ergo fratres mei fiduciam de misericordia cõditoris nostri: cogitate quæ facitis, recogitate quæ fecistis. Largitatem supernæ pietatis aspicite, & ad misericordem iudicem, dum adhuc expectat, cum lacrymis venite. Considerantes namque quod iustus sit, peccata vestra nolite negligere. Considerantes verò quod pius sit, nolite desperare. Præbet apud Deum homini fiduciam Deus homo. Est nobis spes magna pœnitentibus, quia aduocatus noster, factus est iudex noster, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen. *Comparatio Victorini cũ beato Paulo.* *Numquã de Dei misericordia desperandum.* *Audit diuinitus peccatum suum esse dimissum.*

NOTÆ.

Syracusano Episcopo.] *Est Syracus. ciuitas Siciliæ amplissima, vulgò dicta Saragosa, sub Pachyno monte sita, vbi fons Arethusa, ab Alpheo, vt creditur, Elidis fluuio, per subterraneos cuniculos means, magna aquarum vbertate erumpit.*

Victorinus quidam.] *De Victorino agit Lippom. tom. 2. Petrus in Cat. Trithem. de Viris Illust. Vvionius tom. 2. Ligni vitæ, & alij.*

*Habetur lib. 4. Dial. c. 30.*

## *VITA SANCTI EREMITÆ, QVI mortem impijssimi Regis Theodorici prædixit. Ex D. Gregorio Papa.*

CVM pater soceri Iuliani Romanæ Ecclesiæ secundi defensoris, in Sicilia exactionem canonis egisset, atque iam ad Italiam rediret: eius nauis appulsa est ad Insulam quæ Lipparis appellatur, & quia ibi quidam Eremita habitabat, dum nautę armamẽta repararẽt, visum est prædicto viro, ad eum sanctum virum pergere, seque eius orationibus commendare. Quos vir Domini cum vidisset, eis inter alia colloquens dixit. Scitis quia Rex Theodoricus mortuus est? Cui illi protinus respondẽ *S. quidã Eremita mortẽ impij Regis Theodorici prædicit.*

resonderunt. Absit. Nos enim viuentem dimisimus, & nihil tale ad nos de eo nunc vsque perlatum est. Quibus Dei famulus addidit dicens. Etiam mortuus est. Nam hesterno die, hora nona, inter Ioannem Papam, & Symmachum Patricium, discalciatus atque discinctus, & vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani ollam iactatus est. Quod illi audientes solicitè conscripserunt diem: atque in Italiam reuersi, eo die Theodoricum Regem inuenerunt fuisse mortuum, quo eius exitus, atque supplicium, Dei famulo fuerat ostensum. Vnde quia Ioannem Papam affligendo in custodiam occidit: Symmachum quoque Patricium ferro trucidauit, ab illis in ignem mitti apparuit, quos in hac vita iniustè iudicauerat. Cum autem aliqui de Siciliæ partibus, nauigio Romam peterent, in maris medio positi, eius animam ad cælum ferri viderunt. Qui descendentes ad terram, causamque an ita esset actu perscrutantes: illo die inuenerunt obiisse Dei famulum, quo eum ad cælestia regna ascendisse cognouerunt.

*Anima Sancti illius Eremitæ, à multis in cælum deferri videtur.*

## NOTÆ.

Eremita habitabat.] *Maurolycus, Molanus, & alij celebres Authores, istum Eremitam Sanctum esse Calogerum Eremitam, de quo agit Mart. Rom. 18. Iunij, pro certo affirmant.*

*Habetur lib. 4. Hist. Angl. c. 27.*

## VITA S. CVDBERTI EPISCOPI ex Anachoreta. Ex illa magna quam scripsit V. Beda.

IPso anno quo finem vitæ accepit Rex Ecgfridus, Episcopū fecit ordinari Lindisfarnensium Ecclesiæ virum sanctum & venerabilem Cudbertum, qui in insula permodica quæ appellatur Farne, & ab eadem Ecclesia nouem fermè millibus passuum in Oceano procul abest, vitam solitariam per annos plures in magna corporis & mentis continentia duxerat. Qui quidem à prima ætate pueritiæ, studio religiosæ vitæ semper ardebat: sed ab ineunte adolescentia Monachicum & nomen assumpsit & habitum. Intrauit enim primò Monasterium Mailros, quod in ripa Tindi fluminis positum tūc Abbas Eata, vir omnium mansuetissimus, regebat. Qui postea Episcopus Hagulstadensis siue Lindisfarnensis Ecclesiæ factus est. Cui tempore illo præpositus Boisil magnarum virtutum & prophetici spiritus sacerdos fuit. Cuius disciplinatui Cudbertus humiliter subditus, & scientiam ab eo sanctarum scripturarum, & bonorum operum sumpsit exempla. Qui postquam migrauit ad Dominum, Cudbertus eidem Monasterio factus præpositus, plures & authoritate magistri, & exemplo suæ actionis, regularem instituebat ad vitam. Nec solum ipsi monasterio regularis vitæ monita simul & exempla præbebat, sed etiam vulgus circumpositum longè lateque à vita stultæ consuetudinis ad cælestium gaudiorum conuertere curabat amorē. Nam & multi fidem, quam habebant, iniquis prophanabant operibus, & aliqui etiam tempore mortalitatis, neglectis fidei Sacramentis (quibus erant imbuti) ad erratica idololatriæ medicamina concurrebant, quasi missam à Deo conditore plagam per incantationes, vel phylacteria, vel alia quælibet dæmoniacæ artis arcana, cohibere valerent.

*S. Cudberti Religiosa pueritia.*

*Præponitur Monasterio Mailros.*

*Implicatos variis superstitionibus continuò reuocat ad meliorē frugem.*

Atque adeò ad vtrorumque corrigendum errorem crebrò ipse de Monasterio egressus, aliquotiens equo sedens, sed sæpius pedibus incedens, circumpositas veniebat ad villas, & viâ veritatis prædicabat errantibus, quod ipsum etiam Boisil suo tempore facere consueuerat. Cæterùm Cudberto tanta erat dicendi peritia, tantus amor persuadendi quæ docuerat, tale vultus Angelici lumen, vt nullus præsentium latebras ei sui cordis celare præsumeret, quin omnes palam quæ gesserant, confitendo proferrent: quia nimirum hæc eadem illum latere nullo modo putarent, & confessa digna, vt imperabat, pœnitentiæ fructibus abstergerent. Solebat autem ea maximè loca peragrare, & illis prædicare in viculis, qui in arduis asperisque montibus procul positi, aliis horrori erant ad visendum, & paupertate pariter ac rusticitate doctorum arcebant accessum. Quos tamen ille libenter, pio mancipatus labori, tanta doctrinæ solertis excolebat industria, vt de Monasterio egressus sæpe hebdomada integra, aliquando duabus, vel tribus, nonnumquam etiam mense pleno domum non rediret, sed demoratus in montanis plebem rusticam verbo prædicationis simul & opere virtutis ad cælestia vocaret.

*Nullius audet ei celare sua secreta.*

Sed cum venerabilis Domini famulus Cudbertus multos in Mailrosēsi Monasterio degēs annos, magnis virtutum signis effulgeret, transtulit eum Reuerendissimus Abbas Eata ad Insulam Lindisfarnensium, vt ibi quoque fratribus custodiam disciplinæ regularis, & authoritate præpositi intimaret, & propria actione præmonstraret. Nam & ipsum locum tunc idem Reuerendissimus pater Abbatis iure regebat. Siquidem & à temporibus antiquis ibidem & Episcopus cum Clero, & Abbas solebat manere cum Monachis, qui tamen & ipsi ad curam Episcopi familiariter pertinerent; quia nimirum Aidan, qui primus eius loci Episcopus fuit, cum Monachis illuc & ipse Monachus adueniens, Monachicam in eo conuersationem instituit. Sed exinde Cudbertus, crescentibus meritis religiosæ eius intentionis, ad Anachoreticæ quoque contemplationis silentia secreta peruenit. De quo illud sanè commemorare operæpretium est, quod aditurus insulam, protestatus est fratribus dicens: Si mihi diuina gratia in loco illo donauerit vt de opere manuum mearum viuere queam, libēs ibi morabor; sin aliàs, ad vos citissime, Deo volente reuertar. Erat enim locus & aquæ prorsus, & frugis, & arboris inops, sed & spirituum malignorum frequentia humanæ habitationi minùs accōmodus. Sed ad votum viri Dei habitabilis per omnia factus est: siquidem ad aduentum eius, spiritus recesserunt maligni.

*Transfertur vt erudiat fratres Lindisfarnenses.*

*Eodem lib. 4. c. 28.*

*Anachoreticam vitam amplectitur.*

*Impetrat diuinitus aquam.*

Quin etiam cum ipse sibi ibidem, expulsis hostibus, mansionem angustam, circumuallante aggere, & domos in ea necessarias, iuuante fratrum manu, id est, oratorium & habitaculum commune construxisset, iussit fratres in eiusdem habitaculi pauimento foueam facere. Erat autem tellus durissima & saxosa, cui nulla omnino spes venæ fontanæ videretur inesse. Quod dum facerent, ad hdē, & preces famuli Dei alio die aqua plena inuenta est, quæ vsque ad hanc diem sufficientem cunctis illò aduenientibus gratiæ suæ cælestis copiam ministrat. Sed & ferramenta sibi ruralia cum frumento afferri rogauit. Sed ecce dum præparata erant tempore congruo illud seminare, nihil tamen omnino non dico spicarum, sed ne herbæ quidem ex eo germinari vsque ad ætatis tempora contigit. Vnde visitantibus se ex more fratribus, hordeum iussit adferri, si fortè vel natura soli, vel voluntas esset

*Exercetur à Deo ipsius patientia, & postea remuneratur.*



esset superni largitoris, vt illius frugis ibi potius seges oriretur. Quod dum sibi allatum vltra omne tempus serendi; vltra omnem spem fructificandi, eodem in agro sereret, mox copiosa seges exorta desideratam proprij laboris viro Dei refectionem præbebat.

*Eligitur Episcopus Lindisfarnensis.*

Verùm cum ibidem multis iam annis Deo solitarius seruiret, contigit vt congregata synodo non parua, sub præsentia Regis Ecgfridi iuxta fluuium Aluæ, in loco qui dicitur Adtuniforda, quod significat ad duplex vadum, cui beatæ memoriæ Theodorus Archiepiscopus præsidebat, vno animo omniumque consensu, ad Episcopatum Ecclesiæ Lindisfarnensis idem Cudbertus eligeretur. Qui cum multis legatis ac literis ad se præmissis nequaquam suo Monasterio posset erui, tandem Rex ipse præfatus vnà cum sanctissimo Antistite Trumuuini, necnon & aliis religiosis ac potentibus viris in insulam nauigauit. Conueniunt & de ipsa insula Lindisfarnensi in hoc ipsum multi de fratribus; genu flectunt, omnes adiurant per Dominum, lacrymas fundunt, obsecrant, donec ipsum quoque lacrymis dulcibus plenum extrahunt latebris, atque in synodum pertrahunt. Quò dum peruenirent, quamuis multum renitens, vnanimi cunctorū voluntate, superatur atque ad suscipiendum Episcopatus officium collū submittere compellitur, eo maximè victus sermone, quod famulus Dei Boisil (cum mente prophetica ei, quæ ei essent superuentura, patefaceret) Antistitem quoque eum futurum esse prædixerat. Electus est autem primò in Episcopatu Hagulstadensis Ecclesiæ pro Trumberto, qui ab Episcopatu fuerat depositus. Sed quoniam ipse plus Lindisfarnensi Ecclesiæ, in qua conuersatus fuerat, dilexit præfici: placuit, vt Eata reuerso ad sedem Ecclesiæ Hagustaldensis, cui regendæ primò fuerat ordinatus, Cudbertus Ecclesiæ Lindisfarnensis gubernacula susciperet. Porrò susceptum Episcopatus gradum ad imitationem beatorum Apostolorum virtutum ornabat operibus. Commissam scilicet sibi plebem & orationibus protegebat assiduis, & admonitionibus saluberrimis ad cælestia vocabat. Et (quod maximè doctores iuuare solet) ea quæ agenda docebat, ipse priùs agendo præmōstrabat. Erat quippe ante omnia diuinæ charitatis igne feruidus, patientiæ virtute modestus, orationum deuotioni solertissimè intentus, affabilis omnibus, atque misericors. Erat abstinentiæ castigatione insignis, erat & gratia compunctionis semper ad cælestia suspēsus. Duobus autem annis in Episcopatu vixit. Quibus peractis, repetiit insulam ac Monasteriū suum diuino admonitus oraculo, quia dies sibi mortis, vel vitæ magis iam appropiaret introitus. Obiit autem pater reuerendissimus in insula Farne, decimotertio Calend. Aprilium, multum deprecatus fratres, vt ibi quoque sepeliretur, vbi non paruo tempore pro Domino militarat, tametsi tandem eorum precibus victus assensum dedit, vt ad insulam Lindisfarinensem relatus in Ecclesia deponeretur, quod & factum est, in quo loco signa sanitatum facta insigniter meritis eius testimonium ferunt. Obiit anno Domini 687. cuius corpus post annos vndecim repertum est incorruptum cum indumentis omnibus.

*Episcopus factus, insigniter insistit suo muneri.*

*Catalogus virtutū eius.*

*Eodem lib. 4. c. 24.*

*Migrat in cælum.*

*Lib. eod. c. 30.*

Erat quidam presbyter vitæ venerabilis nomine Heribercht, iamdudum viri Dei spiritualis amicitiæ fœdere copulatus, qui in insula stagni illius prægrandis, de quo Doruuentionis fluuij primordia erumpunt, vitam ducens solitariam, annis singulis eum visitare, & monita salutis audire solebat. Hic cum audiret eum ad ciuitatem Lugubaliam deuenisse, venit ex more, cupiens salutaribus eius exhortationibus ad superna desideria magis magisque accendi. Qui dum sese alterutrum cælestis vitæ poculis inebriarent, dixit inter alia Antistes. Memento frater Heribercht, vt modo quicquid opus habes, me interroges, mecumque loquaris: postquam enim ab inuicem digressi fuerimus, non vltra nos in hoc seculo carnis obtutibus inuicem aspiciemus. Certus sum namque, quia tempus meæ resolutionis instat, & velox est depositio tabernaculi mei. Qui hæc audiens prouolutus est eius vestigiis, & fusis cum gemitu lacrymis, obsecro, inquit, per Dominum, ne me deseras, sed memor sis fidelissimi sodalis, rogesque supernā pietatē, vt cui simul in terris seruiuimus, ad eius videndam gratiam simul transeamus ad cœlos: nosti enim quia ad tui oris imperium semper viuere studui, & quicquid ignorantia, vel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ voluntatis examen mox emendare curaui. Incubuit precibus Antistes, statimque edoctus in spiritu, impetrasse se quod petebat à Domino ostendit. Surge, inquit, frater mi, & noli plorare, sed gaudio gaude; quia quod rogauimus superna nobis clementia donauit. Cuius promissi & prophetiæ veritatem rerum astruxit euentus, quia & digredientes ab inuicem, non se vltra corporaliter viderunt, & vno eodemque die, hoc est, tertiodecimo Calendarum Aprilium, egredientes è corpore, spiritus eorum beata mox inuicem visione cōiuncti sunt: atque Angelico ministerio pariter ad regnū cæleste translati. Sed Heribercht diutina prius infirmitate decoctus fuit. Quidā autem frater nomine Baldudegn, cum dimidiam corporis partem paralysi depressam haberet, ad corpus viri Dei veniens, inter preces, in soporem solutus, sensit quasi magnam latamque manum caput sibi in parte qua dolebat tetigisse: atque statim euigilans, mox sanus surrexit. Quidam etiam adolescens, appositis capillis viri Cudberti, curatus est à tumore oculi.

*Heriberchtus Eremita impetrat vt moriatur cum beato Cudberto.*

*Paralyticus quidā sanatur ad reliquias S. Cudberti.*

*Item quidā à tumore oculi.*

## NOTÆ.

Cudbertus.] *De quo Martyr. Rom. cum Baronio 20. Martij. Agunt præterea de eo Petrus in Cat. lib. 3. cap. 212. Trithemius de Viris Illust. Ordinis S. Bened. lib. 3. cap. 127. Sur. tom. 2. Obiit anno Domini 687. vel 688. vt vult Vvionius in Martyrologo Monastico.*

Aidan.] *Fuit hic Episcopus, Sanctus, de quo Mart. Rom. 31. Augusti, cuius res gestas recensēt Beda, de gestis Anglorum lib. 3. c. 2. 5. & 14. Meminit eiusdem Polyd. Vergil. in Historia Angl. lib. 4.*

*Habetur lib. 5. Hist. Angl.*

## VITA VENERABILIS OIDILualdi Eremitæ. Ex V. Beda.

SVccessit viro Domini Cudberto, in exercenda vita solitaria, quam in Insula Farne, ante Episcopatus sui tempora gerebat, vir venerabilis Oidiluald, qui multis annis in Monasterio, quod dicitur Mhripum, acceptum Presbyteratus officium, condignis gradu ipso consecrauit actibus. Cuius vt meritum, vel vita, qualis fuerit, clarescat certius, vnum eius narro miraculum, quod mihi vnus è fratribus, propter quos & in quibus patratum est, ipse narrauit, videlicet Gudfrid, venerabilis Christi famulus, & presbyter, qui postea fratribus eiusdem

*Oidualdus solitariā vitam ducit in Insula Farne.*

dem Ecclesiæ Lindisfarnensis, in qua est educatus, Abbatis iure præfuit.

Venit (inquit) cum duobus fratribus aliis ad Insulam Farne, loqui desiderans cum R. Patre Oidilualdo. Cumque allocutione eius referti, benedictione petita, domum rediremus: ecce subitò, positis nobis in medio mari, interrupta est serenitas, qua vehebamur, & tanta irruit, tamque fera tempestatis hyems, vt neque velo, neque remigio, quicquam proficere, neque aliud quàm mortem sperare valeremus. Cumque diu multũ cum vento pelagoque frustra certantes, tandem post terga respiceremus, si fortè vel ipsam de qua egressi eramus Insulam, aliquo conamine repetere possemus: inueniebamus nos vndique pari tempestate præclusos, nullamque spem nobis restare salutis. Vbi autem longius visum leuauimus; vidimus in ipsa Insula Farne, egressum de latibulis suis amãtissimum Deo patrem Oidilualdum, iter nostrum inspicere. Audito etenim fragore procellarum, ac feruentis Oceani, exierat videre, quid nobis accideret. Cumque nos in labore, ac desperatione positos cerneret: flectebat genua sua, ad patrem Domini nostri Iesu Christi, pro nostra vita & salute precaturus. Et cum orationem compleret, simul tumida æquora placauit, adeò vt cessante per omnia sæuitia tempestatis, secundi nos venti ad terram vsque comitarentur. Cumque euadentes ad terram, nauiculam quoque nostram ab vndis exportaremus: mox eadem quæ nostri gratia modicum siluerat, tempestas rediit: & toto illo die multum furere non cessauit, vt palàm daretur intelligi, quia modica illa quæ prouenerat intercapedo quietis, ad viri Dei preces, nostræ euasionis gratia, donata est. Mansit autem vir Dei 12. annis in Insula Farne, ibique defunctus est, atque in Ecclesia Sancti Petri Apostoli sepultus, iuxta corpora Cudberti, & Eadberchti Episcoporum.

*Eius precibus grauis tempestas desinit.*

*Mortuus propè corpora sanctorum Cudberti, & Eadberchti, sepelitur.*

## NOTÆ.

Oidilualdus.] *Agunt de eo Surius tom. 2. Lippomanus tomo item 2. in vita S. Cudberti.*

## VITA S. ISAAC EREMITÆ.
### Ex D. Gregorio Papa.

*Habetur lib. 3. Dial. c. 14.*

PRIORIBVS Gothorum tẽporibus fuit iuxta Spoletanam vrbem vir vitæ venerabilis, Isaac nomine: qui ad extrema penè Gothorum tempora peruenit, quem nostrorum multi nouerunt: & maximè sacra virgo Gregoria, quæ nunc in hac Romana vrbe iuxta Ecclesiam B. Mariæ Virginis habitat. Quæ dum adolescentiæ suæ tempore constitutis iam nuptiis in Ecclesiam fugisset, & sanctimonialis vitæ conuersationem quæreret; ab eodem viro defensa, atque ad eum quem desiderabat habitum Domino protegente perducta est.

Multa autem de eodem viro narrante venerabili patre Eleutherio agnoui, qui & hunc familiariter nouerat. Hic itaque venerabilis Isaac ortus ex Italia non fuit: sed ea eius narro miracula, quæ conuersatus in Italia fecit. Cum primum de Syriæ partibus ad Spoletanam vrbem veniisset: ingressus Ecclesiam, à custodibus petiit, vt sibi quantum vellet licentia concederetur orandi, eumque horis secretioribus egredi non vrgerent. Qui mox ad orandum stetit, diemque totum peregit in oratione: cui sequentem continuauit ac noctem. Secundo etiam die cũ nocte subsequenti indefessus precibus perstitit: diem quoque tertiũ in oratione coniunxit. Cumque hoc vnus ex custodibus superbiæ spiritu inflatus cerneret, vnde proficere debuit: inde ad defectus damna peruenit. Nam hunc simulatorem dicere & verbo rustico cœpit: impostorem clamare, qui se tribus diebus & noctibus orare ante oculos hominum demonstraret. Qui protinus currens, virum Dei alapa percussit: vt quasi religiosæ vitæ simulator de Ecclesia cum contumelia exiret. Sed hunc repente vltro spiritus inuasit, & ad viri Dei vestigia strauit: ac per os illius clamare cœpit: Isaac me eiicit: Isaac me eiicit. Vir quippe peregrinus quo censeretur nomine nesciebatur: sed eius nomen ille spiritus prodidit: qui se ab illo posse eiici clamauit. Mox autem super vexati corpus vir Dei incubuit, malignus spiritus qui eum inuaserat abscessit, in tota vrbe tunc statim quid in Ecclesia factum fuisset innotuit: currere viri & fœminæ, nobiles atque ignobiles pariter cœperunt: certatimque eum in suis rapere domibus conabantur, alij ad construendum Monasterium prædia, alij pecunias, alij subsidia quæque poterant offerre viro Dei suppliciter volebant.

*Tribus diebus indefinenter orat.*

*Vexatum à dæmone sanat.*

Sed seruus omnipotentis Domini horum nihil accipiens, egressus vrbem, non longè desertum locum reperit: ibique sibi humile habitaculum construxit. Ad quem dum multi pergunt exemplo illius æternæ vitæ accendi desiderio cœperunt, atque sub eius magisterio in omnipotentis se Domini seruitium dederunt. Cumque eum discipuli humiliter admonerent, vt pro vsu Monasterij possessiones, quæ offerebantur acciperet: ille solicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat dicens: Monachus qui in terra possessiones quærit, Monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere: sicut auari diuites solent perituras diuitias custodire.

*Construit sibi habitaculum in deserto loco.*

*Egregia S. viri sententia.*

Ibi itaque prophetiæ spiritu, magnisque miraculis cunctis longè lateque habitantibus vita eius inclaruit. Nam die quadam ad vesperum in horto Monasterij fecit iactari ferramenta, quæ vsitato nomine nos vangas nominamus. Dixit itaque discipulis suis: Tot vangas in horto proiicite, & citius redite. Nocte verò eadem dum ex more cum fratribus ad exhibendas laudes Domino surrexisset, præcepit dicens: Ite, & operariis nostris pulmentum coquite: vt mane primo paratum sit. Factum autem mane, fecit deferri pulmentum quod parari iusserat: atque hortum cum fratribus ingressus, quot vangas iactari præceperat, tot in eo laborantes operarios inuenit. Ingressi quippe fures fuerant: sed mutata mente per spiritum apprehenderunt vangas quas inuenerunt: & ab ea hora qua ingressi sunt, quousque vir Domini ad eos veniret, cuncti horti illius spatia, quæ inculta fuerant, coluerunt. Quibus vir Domini, mox vt ingressus est, ait: Gaudete fratres, multum laborastis, iam quiescite. Quibus ilico alimenta quæ detulerat, præbuit: eosque post tanti laboris fatigationem refecit. Sufficienter autem refectis ait: Nolite malum facere: quoties de horto aliquid vultis, ad horti aditum venite, tranquillè petite, & cum benedictione percipite: & à furti prauitate cessate. Quos statim collectis oleribus onerari fecit. Actumque est, vt qui ad hortum nocturi venerant, cum laboris sui præmio & repleti ab eo, & innocui redirent.

*Mansuetudo S. viri.*

Alio quoque tempore accesserunt ad eum peregrini quidam misericordiam postulantes, scissis pannis



pannis obsiti: ita vt penè nudi viderentur. Cumque ab eo vestimenta peterent, eorum verba vir Domini tacitus audiuit, qui vnum ex discipulis protinus silenter vocauit, eique præcepit dicens: Vade, atque in illa sylua, in loco tali, cauam arborem require, & vestimenta quæ in ea inueneris defer. Cumque discipulus abiisset, arborem sicut iussus fuerat, requisiuit: vestimenta reperit, & latenter detulit magistro. Quæ vir Dei suscipiens, peregrinis nudis atque petentibus ostendit, & præbuit dicens: Venite, quia nudi estis, ecce tollite, & vestite vos. Hæc illi intuentes, recognouerunt quæ posuerant: magnoque pudore consternati sunt; & qui fraudulenter vestimẽta quærebant aliena, confusi receperunt sua.

*Diuinitus cognoscit fallaciam peregrinorum.*

Alio quoque tempore quidam se eius orationibus commendans, sportas duas plenas alimentis ei per puerum transmisit: quarum vnam idem puer surripuit, atque in itinere abscondit: vnam verò ad Dei hominem detulit, & petitionem illius qui se ei per xenium commendauerat enarrauit. Quem vir Domini benignè suscipiens, eundem pueruum admonuit dicens: Gratias agimus; sed vide sportam, quam in itinere posuisti, ne incantus tangere præsumas, quia in eam serpens ingressus est. Esto ergo sollicitus, ne si tollere incautus volueris, à serpente feriaris. Quibus verbis puer valdè confusus, exultauit quidẽ quod euasit mortem, sed tristis ad modicum factus est: quia quamuis salubrem pœnam euaserit: tamen pertulit verecundiam suam. Qui reuersus ad sportam, cautè ac sollicitè attendit: sed eam iam, sicut vir Dei prædixerat, serpens tenebat. Hic itaque cum virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione esset incomparabiliter præditus: vnum erat quod in eo reprehensibile esse videbatur: quia nonnumquam tanta ei lætitia inerat, vt illis tot virtutibus nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur.

*Prænoscit puerum vnã sportam alimentorũ surripuisse.*

## NOTÆ.

Isaac.] *De eodem Martyrol. Rom. cum Baronio 11. Aprilis. Agunt præterea de eo Petrus de Natalib. Episcopus Aquilinus in Cat. lib. 5. c. 84. Vvionius in mart. Monastico hac die, aliique recentiores. Viget adhuc Spoleti, vbi claruit sanctitate, eius illustris memoria. Vixisse dicitur circa annum Domini 560.*

Iuxta Spoletanam vrbem.] *Spoletum, melius Spoletium, est ciuitas in Vmbria, quæ nunc Ducatus Spoletinus dicitur.*

In Italia.] *Est Italia Europæ regio, prius Hesperia, ab Hespero Atlantis fratre, qui à fratre pulsus, & Hispaniæ & Italiæ dedit nomen. Siue vt Macrob. inquit, ab Hespero stella, quod occasui subiecta sit. Inde Oenotria, vel à bonitate vini quod in Italia nascitur, (nam Græci οἶνον vinum dicunt:) vel ab Oenotrio Sabinorum Rege. Postea Italia, ab Italo Siculorum Rege, qui agriculturã Italos docuit, & leges posuit. Vide Ambr. Calep. & Strabonem de Situ orbis.*

*Fuit Vvandelbertus iste Monachus Prumiensis, floruitq; (teste Trithemio de viris Illust. Ord. S. Ben. lib. 2. c. 36.) ann. Domini 854. Patria & parentes S. Goaris.*

## VITA S. GOARIS EREMITÆ.
### Ex ea quam scripsit Vvandelbertus Monachus.

GOAR Aquitaniæ Prouinciæ, quæ est totius propemodum Galliæ pars tertia, indigena fuit, genere à maioribus clarus, patre Georgio, matre verò Valeria. Fuit autem diebus Childeberti Francorum Regis. Ab ineunte igitur ætate, religiosis piisque actibus optimè deditus, breui ad culmen sanctitatis euasit. At quoniam non potest ciuitas abscondi supra montem posita, sancti viri fama ac vita eò profecit, vt sacerdotij gradu & honore presbyteratus accepto, dispensator mysteriorum Christi, & diuini verbi in populum fieret erogator. Dehinc cùm in ampliorem supernorum bonorum concupiscẽtiam mens eius excresceret, patriam parentesque deseruit: & in vltimos Galliæ fines, peregrinus seculo, & cælestis patriæ ciuis excessit. Veniens ergo in prouinciam quæ ripis Rheni contigua fluminis, Trigoria nuncupatur, atque ad diœcesim pertinet Treuirorum, intra terminos Vesalienses, ibi Deo liberè seruire delegit. Ibi in quodam loco super riuulum, qui nunc Vnochara dicitur, cum permissu & voluntate Episcopi Felicis Treuirorũ, Ecclesiam pro suis viribus construxit. In hoc igitur loco annis multis Deo seruiuit, vacans die noctuque vigiliis, orationibus & ieiuniis, studens hospitalitati: quam ita omni tempore secundum vires suas exercuit, vt cùm virtutibus animi cunctis polleret, hanc vt propriam & singularem habere videretur.

*Habitat in quadam cellula in diœcesi Treuirẽsi.*

Cœpit interea Gẽtilibus per circuitum simulachrorum cultui deditis, & vana idolorum superstitione deceptis, verbum salutis annunciare. Sic factum est vt plures è vicino pagani, qui ad ea vsque tempora in errore durauerant, eius & verbo commoti, & prouocati exemplo, errorem spernerent, & ad vitæ viam Christum conuerterentur. At ne prædicationi eius signorũ quoque deesset authoritas, vt incredulæ mentes quæ ratione non poterant, ad credendum miraculis mouerentur: cœpit in virtute nominis Christi sanitatum beneficia circa infirmos, & membrorum debilitate mulctatos aliquoties operari. Erat autem eius solemnis consuetudo, vt omni die Missarum solemnia celebrans, sacrificium corporis & sanguinis Christi pro statu Ecclesiæ offerret: psalterium ex integro, orando intentè compleret. Sed sicut bonorum hominum est, aliorum actibus, quos laude dignos aspexerint, gratulari, & eis ad suum vti profectum: ita contra reproborum mentes conantur semper recta electorũ opera offuscare, & quæ imitari nolunt, aut etiam nequeunt, maleuolo detractionis ore & studio carpere. Vnde accidit vt duo ad beatum Goarem, sub falsa specie pietatis, clientes Episcopi Treuirorum Rustici nomine, venirent. Qui videntes quod beatus vir cum pauperibus & peregrinis prandere soleret, (quod certè ille studio charitatis, non alicuius intemperantiæ vitio, faciebat) cœperunt ei detrahere apud Episcopum, dicentes, ipsum Goarem magis esse edacem viníque potatorem quàm Dei sacerdotem: quippe qui manè comedebat ac bibebat, quæ nisi essent authoritate Pontificali prohibita, ipsi Episcopo contumeliæ & vituperationis maculam afferrent. Itaque Episcopus Treuirorum, hæc à suis super viro Dei audiens, motus suorum sermonibus, eosdem ad beatum Goarem cum festinatione redire præcepit, mandans eum sibi vti quantocyùs exhiberent, habituro super eius actibus quæstionem. Illi celeriter ad sanctum virum, vt præceptum erat, reuersi, volentesque simulatione callida dolos suos & accusationem celare, cum tamen hæc eum minimè laterent, salutant eum ex nomine sui Pontificis, petere illum atque mandare, vt ad se debeat sub celeritate venire. Quo audito, vir Dei gratias egit. Quoniam tamẽ terminus

*Conuertit idololatras.*

*Quotidie Missam celebrat.*

*A quibusdã malignis eius charitas erga peregrinos & pauperes in malã partem interpretatur, & accusatur tanquã edax, & vini potator apud Episcopum.*

diei imminebat, nec iter statim arripere poterat, executores suos ea nocte detinuit, & cœnam secundum vires suas instruens, pro labore illos viæ refecit. Manè autem facto cum discipulo præcepisset vt prandium præpararet, illi mandatum audientes non potuerunt vltra pestem malitiæ internæ dissimulare. Nam reprehèdere cœperunt, quod legitimum & canonicum sumendi cibi tempus cótemneret: & quod illi in hac re ei nullo modo consentirent. Vt ergo illos obstinatè sibi resistere vidit vir sanctus dixit: vos si Deum timeretis, charitatem vtique non recusaretis. Dum hæc loquitur, venit eius puer, & indicat peregrinum stare pro foribus. Quo audito gauisus est: & appositа mensa cibum cum peregrino sumpsit. Executores B hæc videntes, cum ingenti festinatione suos equos strauerunt, & itineri sese dederunt.

*Vitio diuina in detractores.*

Beatus autem vnà cum ministro, ad vrbem Treuirorum profectus est. Iam aduenerat diei medium tempus, cum ecce in vindictam sui serui adest vltio diuina: & qui paulo antè oblatam sibi pro charitate cibi potusque respuerant copiam, esurire vehementer ac sitire cœperunt, tum etiam tanta lassitudine affici, quantam nunquam essent experti. Et eousque excreuit lassitudo eorum, vt vnus de equo velut exanimis caderet: alter verò ad virum Dei se conferẽs, magnis precibus rogabat vt sui & collegæ misereretur. Tũc ille misericordia motus, cùm illos corripuisset quod charitatem illis oblatã C respuissent, conspicit eminus tres ceruas ingentis formæ. Ille inuocata Trinitatis virtute, ceruas consistere præcepit. Illis confestim obedientibus,

*Nota rem miram.*

vasculum accepit, & ad ceruas perueniens, earum vbera mulsit. Tũc eas abire permittens lacte quod mulserat, illorum qui vt exanimes iacebant, membra pertractauit: statimque eos pristinæ virtuti & incolumitati restituit. Iter post hæc agentes multa die Treuiros peruenerunt. Quò vt ventum est, vir sanctus, vt illi moris erat, Ecclesiam est ingressus, vti se & causam suam Domino commendaret. Qui autem illum ad Episcopum deduxerant, quantocyùs venientes, cuncta quæ in itinere contigissent, ex ordine retulerunt. Ille cum debuerit in D admirationem diuinorum operum conuerti, in furorem accensus, cœpit sibi astantibus dicere, ea quæ Goar egerit, non tam ope diuina, quàm magica arte & maleficiis ab eo esse patrata: nec in illo aliquod veræ virtutis indicium posse existere, qui carni & ventri subditus, manè comedebat ac bibebat.

Dum hæc apud Episcopum geruntur, præsente Clero Ecclesiæ, venerabilis sacerdos domum, in qua cum suis Rusticus Episcopus consederat, ingressus est; cœpitque prospicere, quam in partem vel discipulus considere, vel ipse cucullam suam posset appendere: cum ecce videt in angulo domus tanquam vectem ligneum parieti hærentem. E

*In radio solis cappam deponit.*

Erat autem solis radius per modicam fenestram ingrediens, ad quem accedens, quoniam vectem putabat, in eo cappam suam appendit. Hoc dum Episcopus cerneret, quærere cœpit quid sibi vellet, quod ad solis radium vestem suam Goar appenderet: non esse id diuini miraculi, magis autem præstigiis artis magicæ, quàm virtutis merito facere. Proinde accederet propius, & rationem suorum operum redderet: sibi mirum videri quod in quo nulla sit excellentia sanctitatis, feras mulgeat, & solis radio pro ligno vtatur. Hæc cum audisset vir sanctus, secretorum inspectorem testem inuocãs Deum, se nihil prorsus artis magicæ aut scisse ali-

quando, aut scire respondit.

Hæc illo dicente superuenit puer quidam ex Clericis Ecclesiæ in vlnis infantulum gestans, cuius qui essent parentes ignorabantur. Moris quippe tunc Treuirorum erat, vt cum casu quælibet fœmina infantem peperisset, cuius nollet sciri parentes, aut certè quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum paruulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret. Postea infans Episcopo deferebatur, vt eius priuilegio authoritas nutriendi habendique paruuli ei, qui à matricularijs susceperat, firmaretur. Id igitur tunc accidit, & infans in concha repertus, à Clerico ad Episcopum delatus est. Quo viso Episcopus ad suos conuersus dixit: Nunc facile probare poterimus, Goaris opera ex Deo sint, an ex aduersario. Manifestet nunc nobis, qui sint huius pueri parentes: & si diuina virtute nititur, vt contra naturæ vsum infans triũ dierum loquatur, suorumque parentum nomina indicet, faciat. Imperatur igitur ei ab Episcopo vt ad ostẽdendam suorum actuũ innocentiã, hoc miraculi opus exhibeat. Quod si hoc facere nollet, vel non posset, in eum capitalis animaduersio, vt in magum & maleficum, fieret.

Vir igitur Domini tali conditione & præcepto arctatus, in nomine sanctæ Trinitatis puerum adiurauit vt genitores suos nominatim & clarè declararet. Tunc infans protensa manu ad Episcopum, absolutissimo sermone respõdit: Iste est pater meus Rusticus Episcopus, & mater mea Flauia nuncupatur. Itaque proditum se vidit Episcopus, & quæ celari posse crediderat omnibus reuelata cõspexit, confusus ad beati viri pedes procidit, veniamque postulauit de iniuria quam ei intulerat.

*Infans recens natus iubetur viro sancto, dicit patrem & matrem.*

Hæc postquam ita gesta sunt, fama horum ad Regem Sigebertum velocissimè peruenit, statimque suos ad beatum Goarem dirigens legatos, eum ad se accersendum curauit: moxque vt apud se esse cognouit, accitum interrogat super his quorum ad se esset fama delata, de legatis scilicet Episcopi, & feris quas mulserat, Episcopo quoque ipso, & infante, qui præter tempus esset locutus ætatis. Verum cũ nollet suas manifestare virtutes, tamẽ præcipiente Rege ei omnia significauit. Tunc Rex admiratione repletus, Episcopatum ei Treuirensem obtulit. Sed ille propter humilitatem hunc honorem recusauit. Verùmtamẽ arctaretur à Rege, humiliter petiit, vt permitteret ei prius ad cellam suam redire, vt maturius deliberare posset. Id continuò Rege permittente, rediit ad cellam: vt ergo peruenit ad cellam rogauit Deum, & obtinuit ne crearetur Episcopus. Nam ex voluntate Dei febre valida correptus, ægrotare cœpit, & longo corporis incommodo fatigari. Cum autem Sigebertus Rex bis suos ad eũ misisset legatos vt ad eũ venire dignaretur, & Episcopatum acceptare: vir Dei per spatium septem annorum continuis morbis & doloribus fatigatus, tandem in conspectu legatorum senex & plenus dierum migrauit ad Dominum.

*Sigebertus Rex honoris causa ad eũ mittit legatos.*

*Recusat Episcopatum.*

*Notant hic qui affectant honores.*

*Migrat ad Christum.*

NOTÆ.

Goar.] *De eo Mart. Rom. cum Baron. 6. Iulij. Eius vitam prolixiori stylo adfert Sur. tom. 4. Meminit eiusdẽ Sigeb. in Chron. ann. 600. Itẽ Rhegino in Chron. in Maurit. Imperat. Agunt etiam fusius de eo Vinc. in Spec. lib. 22. c. 13. Petr. in Cat. lib. 6. c. 62. & plures alij.*

Rhenus.] *Vel alio modo Rhenum, est fluuius Galliæ, qui de iugo Rheticarum Alpium vsque in Oceani profunda cursum suum dirigit.*

VITA



A *de eo Auctor Anonymus de Viris Illust. Cassin. & Vvionius in Mart. Monastico. Quæ autem nostra ætate ad sepulchrum eius admiranda fiunt, eaque crebriùs iterantur, percepit non à quibusuis narrata Baronius, sed à sincerissimis prudentissimisque Sacerdotibus, qui interfuerunt.*

## VITA S. ANTONINI EREMITÆ. Partim ex Folengio viro doctissimo, & aliis.

*Prouincia S. Antonini, eiusque pia educatio.*

XIMIÆ atque admirandæ sanctitatis Antoninus ex Italia extitit oriundus, nobilibus & ditissimis parentibus. Qui eorum filium Antoninum, vt erant pij, in timore & lege Dei, & in humanis scientiis, erudiendum curarunt. Erat autem bonæ indolis, mitis alloquio, charitate in pauperes præcipuus &

*Virtutũ eius catalogus.*

feruens, obedientia promptissimus: & denique iam tunc valde iuuenis, ostendebat quid futurus esset in adulta & matura ætate. Itaque cum in dies B eius erga Deum amor crescceret, nec ei in sæculo liberius seruire posset, audiens sanctam conuersationem Monachorum montis Cassini, illuc se contulit, & ad Abbatis pedes se prosternens, humiliter sanctæ conuersationis habitum petiit: quem & obtinuit. Quàm autem sanctè se gesserit, quàm in obseruanda monastica regula excelluerit, quàm in orationibus & macerationibus corporis, & charitate fraterna assiduus fuerit, non est huius operis edicere; ita vt etiam ipsis sanctis & perfectis Monachis admirationi esset & stupori. Qui Abbate defuncto, vnanimi consensu, cum sibi quamuis multum propter humilitatem renitentem, elegerunt Abbatem.

*Fit Monachus in monte Cassino.*

*Postmodum Abbas.*

Eo igitur prædictum Monasterium moderante, contigit gentem Longobardorum, quæ dudum à partibus Venetiarum ingressa fuerat, in Italiam velle irrumpere. Quæ gens, duce Agulpho, quem sibi Regem præfecerat, Deo ita permittente propter peccata populi, in totam penè irrupit Italiam, Romanamque aggreditur vrbem. Nec longè post à prædonibus prædictæ gentis, Monasterium beatissimi patris Benedicti, quod in Cassino situm est, noctu inuaditur, diripitur, destruitur. Qui cum vniuersa diriperent, ne vnum quidem ex Monachis tenere potuerunt: vt prophetia sancti patris Benedicti, quam longè ante præuiderat, compleretur, qua dixit: Vix apud Dominum obtinere potui, vt ex hoc loco mihi animæ concederentur. Fugientes autem ex eodem loco Monachi, Romam venerunt, codicem sanctæ Regulæ, quam supradictus Pater composuerat, & quædam alia eius scripta; necnon pondus panis, & mensuram vini, ac quicquid ex supellectili surripere potuerant, deferentes.

*Longobardi deuastãt Italiam, & Monasteriũ Casinense iuxta prophetiã S. Benedicti.*

Cum ergo huc, illucque Monachi aufugerent: beatus Antoninus, feruentissimè ad vitam solitariam anhelans secessit in Eremum vrbis Surrentinæ, ibique totum vitæ suæ tempus in magna vitæ austeritate transegit, multaque dæmonum passus est tentationes, quas tamen continuis orationibus, ieiuniis & vigiliis superauit. Tandemque E plenus dierum & meritis, gloriosum spiritum reddidit creatori 14. Februarij. Cuius sacrum corpus Surrenti requiescit, adhuc hodie miraculis coruscans, præsertimque in liberandis energumenis effulget.

*Degit in Eremo vrbis Surrentinæ S. Antoninus.*

*Moritur.*

NOTÆ.

Antoninus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 14. Februarij. Plura de ipso in monumentis Surrentinæ Ecclesiæ, quibus tam res eius gestæ, quàm miracula post obitum facta declarantur. Edidit eadem Paulus Regius, sed nondum videre contigit. Migrasse dicitur ex hac vita S. Antoninus anno Domini 625. Agũt*

## VITA S. CORENTINI EPISCOPI ex Anachoreta. Ex Bertrando Argentræo.

*Habetur lib. 1. cap. 23. Hist. Britannicæ.*

IN TEMPORE Grallonis secundi Britanniæ Regis, in supradicto regno beatus Corentinus floruit. Qui cum adhuc iuuenis, mundana omnia & caduca contempsisset; Anachoreticam vitam, & ab omni hominum consortio remotam amplexus habitabat in desertis & syluis horrendis, in summa abstinentia & austeritate.

*Grallo Rex Britanniæ.*

*S. Corentinus vixit solitarius.*

Verùm cum aliquando Grallo Rex in sylua, in qua manebat vir sanctus, venaretur, esset que fame & siti oppressus, (Deo Sanctum suum manifestare volente) casu venit ad tugurìolum & cellulam viri Dei, quæ quidem ex arbustis & iuncis constructa erat. Qui magna & subita admiratione perculsus, salutato viro Dei, petiit, num aliquid haberet mãducandum. Ille se vnum tantum piscem in fonte C habere dixit. Videnque Regem & nobiles qui cũ eo erant, fame laborantes, statim cucurrit ad fontem, apprehendenque piscem, scidit medium: & vnam quidem partem in fonte dimisit; alteram verò cum coxisset, attulit Regi. Mira res, hæc parua portio non solum ad satiãdum Regem, & omnes qui cum eo erant sufficiens fuit: sed & miraculum miraculo adiunctum est. Nam refectione transacta, cum beatus iuisset ad fontem, piscem integrum inuenit. Exinde Rex, Principes, omnisque vulgus, sanctum Anachoretam summo honore prosequi cœperunt: præcipuè autem Rex, qui ei palatium suum & domum regiã, quam in Kamper, loco sic dicto, habebat, dedit ad construendum Monasterium. Prius igitur in eo constructa D est Ecclesia paruula: postmodũ Cathedralis, sumptuoso opere elaborata; quæ viri sancti nomen retinuit: Ciuitasque Kempercorentina appellata est. Interea cum vir sanctus multis clareret miraculis, omnes eius sanctitatem, abstinentiam & paupertatem videntes, admirabantur: (præcipuè autem Principes atque nobiles,) quare eum in Episcopum Regi Gralloni concorditer petierunt. At ille votis eorum satisfaciens, & sciens virum tali honore esse dignissimum, missis legatis suis ad Sãctum Martinum Turonensem Archiepiscopum, qui tunc temporis sanctitate florebat, rogabat vt dignaretur Corentinum in Episcopum consecrare. Cum itaque legati cum Corentino ad Sanctum Martinum E venissent, eosque honorifice excepissent, videns Regis testimonium, totiusque populi, Corentinum in Episcopum Cornugalliæ consecrauit. Factus Episcopus vir beatus nihil de pristina sua austeritate & parcitate remittebat: optimeque suo fungebatur officio, prædicationibus insistens, & aliis sanctis operibus. Sicque postquam per multorum annorũ spatia optimè suam rexisset Ecclesiam, multosque ad Christũ cõuertisset: tandẽ senex, clarus sãctitate & miraculis, obdormiuit in Domino.

*Duo insignia miracula.*

*Consecratur Episcopus à S. Martino.*

*Moritur.*

NOTÆ.

Corentinus.] *Floruit tempore Theodosij magni Imperatoris*

*peratoris anno Domini 345. Meminit eiusdem Molanus in addit. ad Vsuardum.*

*Apud Surium. Tom. 5.*

## VITA S. COLVMBANI ABBATIS.
### *Ex illa prolixa quam scripsit Ionas Abbas.*

*S. Columbani genus.*

COLVMBANVS, qui etiam Columba vocatur, in Hybernia ortus est, inter ipsa fidei illic nascentis primordia. Genitrix eius cùm concepto fœtu grauida esset, vidit è sinu suo rutilantem solem, nimioque fulgore micantem, procedere. Porrò Columbanus exactis infantiæ annis, cum in pueritiæ ætate pubesceret, liberalium litterarum studiis & litteris Grammaticorum capaci ingenio operam nauare cœpit, in eaque per omne pueritiæ & adolescentiæ tempus perseuerans, vsque in virilem etiam ætatem magna animi contentione eandem prosecutus est. Et iam quidem haud frustratum laborem non mediocri ingenio,

*Insigniter proficit in omni genere scientiarum.*

in Grammatica, Rhetorica, Geometria, & ipsis quoque scripturis diuinis consumpserat, cum relicto natali solo, quod Lagenorum terram incolę nominant, ad virum venerabilem, qui Senilis dicebatur, se contulit, qui eo tępore singŭlari religione & scripturarum sacrarum eruditione inter suos pollebat. Qui cùm eum sagacis ingenij esse videret, omnium diuinarum scripturarum studiis eum imbuit. Vbi sanè vsque adeò profecit, vt intra adolescentiæ metas constitutus, psalmorŭ librum elimato sermone exposuerit, multaque alia, quę vel cantari sint digna, vel ad docendum vtilia conscripserit. Deinde verò operam dedit vt etiam Monachorum adiungeretur societati.

*Fit Monachus.*

Itaque Monasterium Bĕchor petiit, cui tunc præerat virtutum vbertate clarus beatus Commogellus egregius inter suos Monachorum Pater, quique religionis studio, & regularis disciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi autem solis orationibus & ieiuniis vacare cœpit, & leue iugum Christi in suos humeros recipere. Quo in Monasterio cum multos annos egisset, tandem tactus desiderio peregrinandi, venerabili Cŏmogello mœrente, nec tamen Dei arbitrio resistere volente, vigesimŭ ætatis annum agens, cum duodecim comitibus, quorum animos idem feruor accenderat, ascĕdens nauim, venit in Britanniam, & inde ad Galliam. Vbi à Rege Sigeberto humaniter susceptus, accepta ab eo optione commorandi vbi vellent, cum Eremum, quæ Vosagus dicitur, intrassent, inuenerunt castrum olim dirutum, quod antiqui Anagratas nuncupabant. Ad quod cum vir sanctus, per aspera vastæ solitudinis scopulosaque peruenisset loca: ibidem cum suis resedit, exiguo alimento contentus.

*Venit ad Vosagi Eremŭ.*

*Diuinitus cibaria eis administrantur.*

Ibi autem cum nulla alimentorum solatia adesset, præter cortices & herbas, Carantocus Abbas Monasterij Salicis diuinitus per visum admonitus, beato viro Columbano necessaria vitæ equis oneratis transmisit: quorum ductorem Marculphum eius discipulum constituit. Sed cùm ille viam penitus ignoraret, Deo duce ipse cum equis recto itinere ad cellam viri Dei peruenit.

*Cogitatio importuna.*

Cùm autem his in locis per opaca saltus inter deuia vir Dei ambularet, librumque humero ferens, de Scripturis sacris secum conferret, subitò eius animo incidit cogitatio, vtrùm potiùs eligeret hominum iniurias perpeti, an ferarum sæuitiam sustinere. Quæ cogitatio cum illi importuna esset, eumque vehementer vrgeret, crebrò frontem signo Crucis armans atque orans, intra se ait, præstare bestiarum feritatem absque alieno peccato, quàm hominum rabiem, cum damno animarum perpeti. Cumque hæc animo volueret, conspicit duodecim aduentare lupos, & dextra læuaque medium ipsum cingere. Attamen manet immotus, aitque: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*, &c. Accedunt lupi propius, oraque sua ad eius vestimenta adiungunt. Sed cùm ille constans permaneret, interritum relinquunt, & per saltum peruagantur. Aliàs etiam à cellula exiens, longiorique via vastam Eremum penetrans, reperit saxum immane, præruptaque cuiusdam rupis latera, terga scopulis aspera, hominibus inaccessa, simúlque cernit in caute sinum concauum, volensque abdita perscrutari, in eum ingreditur. Et ecce videt vrsum in interiori sinu suum habere habitaculum: iubet ergo mansuetè abire feram, nec deinceps eos repetere calles.

Solebat autem vir sanctus cum Dominicæ diei, aut quorumlibet Sanctorum sacratæ solemnitates aduentarent, ab aliorum societate separatus, in loca abdita se recipere, & longioris spatij Eremi secreta expetere; vt solida & tranquilla mente solus orationi vacaret. Ita etiam aliquando in hac scopuli cauerna solitariam vitam ducens adeò fuit inedia confectus, vt vix illum viuere putares. Non enim aliud suppetebat penitus nisi agrestium herbarum exigua mensura, vel pomorum paruulorŭ, quæ Eremus illa ferebat, quæ vulgò Bullugas appellant. Potus aqua erat. Cùm autem puer qui ei ministrabat cum magno labore aquam asportaret, clam ab eo perquisiuit, cur in promptu aquam non haberet. Cui Columbanus, fili, inquit, paulisper saxum scisciture, memento, Dominum populo Israël è caute latices produxisse. Tunc ille patri obediens rupem cædere aggressus est. Mox ad preces viri Dei erumpente aqua, fons cœpit manare perennis, qui vsque in præsens permanet. Cùm iã multi se in eius contubernium & societatem Monachi adiunxissent, de commodiori in ea Eremo inquirendo loco cogitare cœpit, vbi Monasterium construeret. Inuenit autem castrum quoddam à supradicto loco distans plus minus octo milliaribus, priscis temporibus Luxouium nuncupatum, vbi etiam thermæ siue aquæ calidæ eximio opere extructæ habebantur. Multæ illic statuæ lapideæ erãt, quas cultu miserabili rituq; profano pagani quondam coluerant. At nunc solæ illic feræ belluæ, vrsi, bubali, lupi frequentes visuntur. Ibi ergo vir egregius Monasterium construere cœpit. Cuius rei fama cùm percrebuisset, multi vndique eò aduolare, & religionis studio sese dicare cœperunt. Cùm autem numerus Monachorum excrescceret, alium inquisiuit locum quem aquarum copia ornaret. Quo reperto, aliud illic Monasterium ædificauit, quod Fontanas voluit appellari: eique præpositos dedit, & canonem siue Regulam, quam sequerentur, Spiritu sancto plenus condidit: ex cuius lectione prudens lector vel auditor facilè potest animaduertere, quanta viri sancti fuerit disciplina.

*Sustentatur agrestibus herbis.*

*Ad eius preces fons manat.*

*Venit ad locũ dictum Luxouium.*

*Cõstruit Monasterium.*

Morabatur alio rursus tempore in eo scopuli sinu, à quo vrsum expulerat, vbi diu oratione & ieiunio corpus afflixerat. Cognouit autem per reuelationem, fratres qui Luxouij erant, diuersis morborum generibus vexari, nec plures superesse incolumes, quàm qui ægrotis ministrarent. Egressus itaque de specu, Luxouium venit, cumque omnes afflictos cerneret, iubet omnes surgere, & messem in





in area cædere. Surrexerunt ergo quorum conscientiam feruor obedientiæ incendebat, ad areamque venientes, virgis fruges cædere aggressi sunt. Videns autem pater fidem illorum, dixit eis: Sinite, fratres, fessa ægritudine membra à labore recreari. Mirantur obedientes fratres, nullo doloris vestigio remanente, integra se sospitate frui. Increpare verò cœpit inobedientes, ægritudinis lõgam moram denunciat. Mira vltio, supra anni tempus immorigeros morbi dolor tam vehementer attriuit, vt vix mortem euaderent, impleueruntque mensuram pœnitentiæ pro admissa inobedientiæ ratione.

*Prõpta quorũdã Monachorum obedientia.*

*Pœna inobedientium.*

*Inclarescit eius sanctitas.*

Creuerat iam passim sancti vir fama in vniuersis Galliæ atque Germaniæ prouinciis, eratq; omnium sermone celebris, idque adeò, vt Theodoricus Rex, qui eo tempore regnabat, ad eum sæpe veniret, & orationum eius suffragia omni cum humilitate expeteret. Verum enimuerò cum pater sanctus eundem increparet, cur concubinarŭ polluereturamplexibus, & non potiùs legitimæ coniugis connubio frueretur, Brunechildis auia Regis, videns Regem viri Dei consiliis auscultare, se autem, si abiectis concubinis Regina in consortium regni assumeretur, dignitate esse minuendam; non cessauit Regem aduersus virum sanctum prouocare. Accidit autem vt vir Dei ad Brunechildem veniret, quæ tunc apud Brocariacum villam erat. Cumque illa eum in aulam venisse cerneret, filios Theodorici è concubinis susceptos ad illum adduxit. Quos vt videret, scisciturquid sibi velint. Et Brunechildis: Regis, inquit, filij sunt: tu eis bene peccare. At ille, noueris, ait, hos ad regni sceptra nequaquam peruenturos, qui de scortis nati sunt. Illa furens paruulos abire iubet; exiit etiam vir Dei extra aulam regiam. Sed cùm limen transiliret, tota domus fragore concussa, omnibus terrorem incussit: nec tamen miseræ fœminæ furorem compescuit, quin ad comparandas viro Dei insidias animum intenderet, vicinis Monasterij per nuncios mandat, vt nullum è Monasterio egredi patiantur, & neque domo vllum Monachum recepiant, neque vlla subsidia conferant. Cernens ergo beatus Columbanus regios in se animos concitatos, ad Regem properat, vt admonitionibus suis miseræ pertinaciæ frangat intentionem. Erat autem Rex apud Spissiam villam publicam. Eò cùm iam sole occumbente veniisset, Regi nunciatur adesse virum Dei, nec tamen in ædibus regiis velle hospitio vti. Ait ergo Rex, satius esse virum opportunis subsidiis honorare, quàm Dominum seruos eius offendendo, ad iracundiam prouocare. Iubet ergo regio cultu opportuna præparari, eaque viro Dei dirigi, veniunt ministri, & à Rege missa ei offerunt. Ille vt vidit dapes & pocula regio apparatu instructa, perquirit quid iis sibi velint. Aiunt illi, esse ad ipsum missa à Rege. At vir Dei abominatus ea, scriptum est, inquit, munera impiorum reprobat altissimus. Indignum est enim, vt seruorum Dei ora eius cibis polluantur, qui non solum à suis, sed etiam ab aliorũ habitaculis arcet Dei famulos. His dictis vascula omnia dirupta sunt: vinum & cicera in humum diffusa, cæteraque hinc inde disiecta. Pauefacti ea re ministri, nũciant Regi quid gestum sit. Ille terrore percussus, diluculo cum auia Brunechilde ad virum Dei properat: precantur pariter veniam: promittunt se deinceps emendaturos. Quibus promissionibus vir Dei placatus ad Monasterium rediit: sed illi non diu stant promissis, redit Rex ad solita stupra, cumulatque infœlicitatem suam. Quod vbi percepit beatus Columbanus, literas verberibus plenas scribit ad Regem, minatur excommunicationem ni concubinas repellat. Sed iis rursum inflammata Brunechildis, Regis animum aduersus beatum Columbanum incitat, omnique conatu perturbare contendit: orat etiam proceres aulicos, & optimates omnes, vt Regis animum in virum Dei commoueant, Episcopos quoque sollicitat, vt eius instituto & religioni detrahant. Coactus igitur Rex Luxouium venit ad virũ Dei, cœpitque expostulare cum illo, cur à prouincialium moribus discreparet, nec Christianis omnibus intra Monasterij septa secretiora aditus pateret. Beatus verò Columbanus vt erat imperterritus, & animo virili, Regi talia obiicienti, respondit se consuetudinem non habere, vt secularibus hominibus, & à religione Monastica alienis, liberum esse sinat in seruorum Dei habitacula ingredi: loca alia apta & opportuna instituta, vbi hospites omnes excipiantur. Tunc Rex: Si, inquit, largitatis nostræ beneficiis potiri vis, in loca omnia patebit omnibus accessus. Vir Dei respondit. Si tu id quod hactenus regularis disciplinæ habenis adstrictũ fuit, laxare & violare conatus fueris, equidem nullis tuis muneribus vel beneficiis sustentari velim. Et si ea causa in hunc locum aduenisti, vt seruorum Dei cœnobia destruas, & regularem disciplinam contamines atque conuellas, noueris regnum tuum funditus ruiturum, & cum omni regia propagine interiturum: id quod postea rei probauit euentus. Iam enim temerario conatu in refectorium ingressus fuerat: territus autem hisce verbis, celeriter egressus est; sed eum vir Dei acerrimè obiurgauit. Discessit ergo Rex, & virum Rudulphũ Procerem illic reliquit, qui virum Dei à Monasterio expulit, & iuxta Vesontionense oppidum in exilium abegit.

*S. viri sermones ad Brunechildem Reginam.*

*Nota insigne miraculum.*

*Reprehendẽs Regẽ pro suis sceleribus, suo Monasterio expellitur.*

Commorans ergo illic vir Dei, audiuit eo in loco carcerem esse plenum damnatorum hominũ vltima supplicia expectantium. Ad eum properè accedit, & nullo obstante, ostium ingressus, verbum Dei damnatis illis depromit. Qui cùm promisissent, ob admissa facinora pœnitentiam acturos, compeditos omnes de carcere diuina virtute solutos eduxit. Post hæc cernens vir Dei nullos sibi custodes adhiberi, nullam exhiberi molestiam, cum suis ad Monasterium regreditur. Id vbi percepit Theodoricus Rex & Brunechildis, atrocioribus iræ aculeis stimulantur: iubentque militum rursum eum vi inde abstrahere, & ad pristinum exilium reuocare. Veniunt milites, & cum Tribuno peruagantur per Monasterium, virum Dei perquirunt. Residebat tunc in atrio Ecclesiæ, & legebat in codice. Et illi quidem crebrò eò veniunt, prope eum transeunt, ita vt in eius pedes nonnumquam impingerent, & vestimẽtis suis attingerent, nec tamen eum videbant. Porrò Tribunus per fenestram respiciens, virum Dei coram ipsis vidit lætum residere & legere. Itaque exclamauit: Quid tam curiosè per atria Ecclesiæ discurritis, nec tamen quicquam reperitis? Non iam vos diutius insaniæ error occupet: non poteritis inuenire eum, quem virtus diuina tegit. Cessate iam, & ocyus nunciemus Regi, nos eum minimè reperisse. Vbi autem hæc nunciata sunt Regi, ille infaustæ intentionis aucto furore, misit Bertarium Comitem & Baudulphum ad eum studiosè perquirendum. Qui cùm eum cum discipulis in Ecclesia psalmis & orationi deditum reperissent, eum ignominiosè è

*In carcere detentos liberat vir sanctus.*

Monasterio exturbarunt, iam post incolatum Eremi illius anno vigesimo, & eum naui impositum in Hyberniam remittere festinabant. Et quidem faciunt illi metu Regis quod erant iussi: at verò cũ in alta pelagi nauis esset educta, vndarum se obiecere moles, nauemque ad littus redire coëgerunt, ita etiam, vt mox deinde subsidentibus vndis mare quiesceret, maneretque per triduum sine vndis. Quo miraculo omnibus non immeritò permotis, faciléque videntibus non esse diuinæ volũtatis, vt beatus vir in Hyberniam reuertertetur, ipse ad Clotharium Regem profectus est. Apud quem cum aliquãto tempore moraretur, spiritu prophetico si prædixit ipsum breui regna Theodeberti & Theodorici obtenturum. Egit deinde vir Dei apud Clotharium, vt adiumẽto ipsi esset, quo per Theodeberti regnum in Italiam per Alpium iuga peruenire posset. Itaque honorabiliter ad Theodebertum missus est. A quo hilariter exceptus, cùm per aliquot dies ei beatus Columbanus Scripturas sacras aperuisset, ille molestè ferens tantorum discessum virorum, permisit eis licentiam eligendi locum vbicumque voluissent. Vbi dum loca plurima perlustrassent, venerunt intra partes Alemanniæ, sibique sedem elegerunt in oppido Brigantio. At verò homines ibidem commorantes crudeles erant & impij, simulachra colentes, idolaque sacrificiis venerantes. Cum igitur inter loci illius habitatores versaretur, contigit eos profanũ velle sacrificium litare, vasque magnum quod vulgò cuppam vocant, 50. modiorum, vino repletam Deo suo libare volentes inuenit. Et cum sciscitaretur quid facere vellent, in cuppam insufflauit, statimque per frusta dissipatur, & vinum effunditur. Id autem videntes Barbari, stupefacti dicebant eum magnum habere spiritum. At ille castigatos dictis Euangelicis, admonitosque vt ab huiusmodi abstinerent sacrificiis, multi eorum, eius admonitione & doctrina ad Christi fidem conuersi, baptizati sunt. Versante autem beato Columbano cum suis apud vrbem Brigantinam, duræ egestatis tempus incidit. Cumque iam triduana inedia laborarent, tanta auium copia eis oblata est, quanta Israëlitarum castra coturnicibus aduolantibus operuit, ita vt omnem locum illum aues implerent. Intellexit autem vir sanctus ob suam suorumque necessitatem has dapes exhiberi. Capiebantur aues, vt iusserat pater: nec illæ pennigeræ instructæ volatu se subducebant; sed triduo permansit illud manna auium. Quarto deinde die quidam Pontifex ex vicinis vrbibus frumenti copiam diuino instinctu beato Columbano transmisit. Mox igitur vt aduenit frumentum, aues illæ, Deo iubente, omnes auolarunt.

*Insigni miraculo confunditur Rex improbus.*

*Venit in partes Alemanniæ.*

*Conuertit multos infideles.*

*Pascitur diuinitus cum suis.*

Interea temporis inter Theodoricum & Theodebertum oritur contentio, & vterque aduersus fratrem vsque ad internecionem sæuit atrociter, vtroque exercitus robore superbiente. Porrò vir Dei ad Theodebertum accedens exhortatur eũ, vt in Clerum se ascribendum curaret. Cumque id Regi cunctisque astantibus ridiculum videretur, beatus Columbanus ait: Si sponte tua Cleri honorem capere non vis, breui id facies vel inuitus. His dictis vir Dei ad cellam remeat: moxque prophetici dicti euentum res non diu dilata confirmat. Quamprimùm enim à Theodorico bellum Theodeberto denunciatur, is apud Tullum victus Theodebertus in fugam compellitur. Postea rursus collecto exercitu, fugientem Theodoricus persequitur. Porrò Theodebertus multis instauratis copiis, ad Tulpiacense castrum pugnaturus occurrit: consertoque illic prælio vtrimque plurimi ceciderunt. Victus tandem Theodebertus, fugit. Eo tempore vir Dei in Eremo commorabatur. Ea autem hora qua apud Tulpiacum pugna commissa est, quercus putrefactæ trunco vir Dei, librum legens, insidebat. Subito verò correptus somno spiritu cognouit, quid inter duos Reges ageretur: moxque excitatus ministrum vocat, & cruentam Regũ pugnam indicat. Persecutus est autem Theodoricus Theodebertum, & suorum proditione captum, ad auiam Brunechildem remisit, quæ cùm faueret partibus Theodorici, Theodebertum Clericum fieri voluit, & post dies non multos, cùm iam esset Clericus, nimis impiè perimendum curauit.

*Bellum inter Theodoricum & Theodebertũ Reges.*

*Brunechildis Regina misera mors.*

Porrò Theodoricus apud Metense oppidũ moratus, diuinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est. Brunechildis autem filium eius Sigebertũ ei suffecit in regno. Itaque Clotharius memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, fines regni, qui eius ditionis erant, recuperare conatur. Contra eum Sigebertus pugnaturus aduenit: sed eum Clotharius captum peremit, fratresque eius quinque Theodorici filios, cum proaua Brunechilde, pueros separatim peremit: Brunechildem verò primò ignominiosè camelo impositam hostibus circumducẽdo spectandam exhibuit, pòst indomitorum equorum caudis religatam, mirabiliter vita priuauit. Atque ita funditus, radicitusque deleta Theodorici stirpe, Clotharius potitus est trium regnorum Monarchia.

*Venit in Italiam S. vir.*

Beatus autem Columbanus vt vidit Theodebertum à Theodorico deuictum, relicta Gallia, in Italiam ingreditur, vbi ab Agylulpho Longobardorum Rege honorificè exceptus, ei optionem dedit, vt quocumque Italiæ loco vellet, habitationem sibi deligeret. Itaque dum eo tempore apud Mediolanum moraretur, atque interim hæresum fraudes, atque Arrianæ perfidiæ machinas scripturarum cauterio discerpere ac dissecare conatur, edito etiam aduersum illos florentissimæ scientiæ libello, ecce vir quidam Iucundus nomine ad Regem venit, indicat se in solitudine ruribus Apenninis beati Petri Apostoli Basilicam scire, in qua experimento didicerit virtutes & miracula fieri, locum ipsum esse vbertate fœcundum, veterum traditione eum Bobium appellari. Quò cùm vir Dei magna animi intentione venisset, Basilicam illic semirutam reperit, quam restaurans, prisco decori restituit. Porrò beatus Columbanus cùm vnum annum egisset in Monasterio Bobiensi: vita beata functus est, & animã corpore solutam Christo feliciter tradidit vndecimo Calend. Decembris. Reliquiæ verò eius in loco conditæ habentur: vbi & multis miraculis pollent.

*Scribit librũ aduersus Arrianos.*

*Fundat Monasteriũ Bobiẽse, & paulo pòst moritur.*

*NOTÆ.*

Columbanus.] *De eo Martyr. Rom. cum Baron. Agunt præterea de eodem Ado, & Vsuardus, hac die 21. Nouembris. Vitam eius prolixiori stylo descriptam à Iona Abbate affert Sur. tom. 6. Agunt de eodem Vinc. lib. 22. cap. 4. 5. 6. 7. 8. D. Anton. part. 2. tit. 13. c. 6. §. 11. Petrus in Cat. lib. 10. c. 94. Trithem. de viris Illustribus Ord. S. B. lib. 2. c. 5. Sigebertus in Chronico ad annum 598. Hermannus Contractus ad annum 614. Boëtius lib. 9. Hist. Scot. in Eugenio IV. Rege. Cratepolius de Episcopis Germaniæ, Car. Sigonius de regno Italiæ lib. 2. ad annos 613. & 614. quo obiisse refert.*

Vosagus.] *Est mons desertus in Burgundia, qui vulgò dicitur,* les Vosgues.

Luxouium.]



Luxouium.] *Vulgò dicitur* L'essieu.

Thermæ.] *Sunt balnea quæ aut calentibus aquis, aut ipso sine fornice igni calefacta, lauandi, sudandiue vsibus sunt deputata, quæ Græci Thermas vocauere, nam θερμὸν Græci calidum dixerunt, à θέρω, æstas.*

Bubalus.] *Est animal simile boui: vel syluestris bos, colore niger, fortissimis cruribus & breuibus, respectu sui corporis: cornua habet longa, estque magnæ velocitatis. Vulgò,* vn Beuffle, Beuf sauuage.

## *VITA S. VICTORINI EPISCOPI & martyris. Ex Martyrolog. Adonis Episcopi Treuirensis.*

SERVNT duo fratres, Victorinus & Seuerinus. Hi post vtriusque parentis obitum se inuicem pædagogantes, pari custodia se mutuis obsequiis æmulantes, germanitatis vinculo probabiles, Deo seipsos hostiam viuam obtulerunt. Cumque intantum excreuissent, vt sua omnia perfectionis intuitu relinquerent, & vendentes res suas, censum earum pauperibus erogassent, Deo expeditius seruituri, nudi facultatibus omnibus remanserunt. Alter itaque seruiens alteri, mutua vice & æmula charitate seruiebat.

*Sancti fratres Victorinus & Seuerinus, suas facultates erogant pauperibus.*

Igitur Victorinus spirans altius, & idipsum, quod sibi parebant, imperfectum computans, nec satis sibi factum, si alteri liceret in altero, aut alter alteri seruitium exhiberet: eremum ingreditur, seditque in specu excelsæ rupis, quã subterfluentis aquæ geminum sinuarat abruptum, vni tantum hospitium viro, vt sedens somnum caperet: vel si reciperet alterum, stans oraret. Texerat ostiolum vimine: assiduus in lectione & meditatione manebat. Cernit interim inuidus omnis boni, profectum viri, & ferre non valens, simulat se puellam, & ante fores viri gementia verba ingeminat. Heu, inquit, me miseram, syluis, errore, & tenebris vagam! locus non agnoscitur, iter quæritur. Quisquis es loci huius incola, cælum vndique & syluæ famam virtutum tuarum opusque ferent: eripe me à frendentibus apris, eripe à sæuientibus lupis, & à rictibus vrsorum. Quod victura sum, tuum erit: si moriar, tuum. Satis superque sufficiat operiri limine tuo. Non longum quæro habitaculum: vnius tantum noctis hospes ero.

*Habitat in spelunca S. Victorinus.*

*Dæmonis malitia aduersus S. Victorinum.*

Referat Victorinus cellam, & hostem, dum miseretur, secum includit. Vix horæ spatium intercesserat, dum inter molimina & assiduum corporis motum, protenso pede tetigit hominem Dei, & velut compungens vulnere, noxio calore succendit. Quid moror? facit casum columna arboris, alta radice quæ diu fũdata steterat. Furtiuus amor scelus perficit. Exclamat iam victor Victorini diabolus: Quid agis, inquit, vir perfectissime, cui etiam frater grauis fuit? Iam iungeris alteri, qui recessisti à tuo? Quid agis qui nouum dogma syluis constituens, suadebas scopulis castitatem? Hæc iactans, ex oculis decepti velut fumus euanuit. At is qui ceciderat, velut exanguis iacuit. In se autem aliquando reuersus, syluas deseruit, ad fratrem Seuerinum repedauit: pudore diu vocem supprimens, tandem causam facti exposuit, ipse pœnam sibi statuens.

*Peccat cum dæmone, quæ puellam putabat.*

*Irridetur à dæmone.*

*Grauis eius pœnitentia.*

Findens namque arborem, manusque per fissuram inserens præduratam cuneis & pessulo cicatricem arboris claudit. Sed mox Seuerinus factum pœnamque fratris Episcopo suo nunciat. Ille veniens, primùm eum soluere tentat: sed vt repugnantem vidit, orat, benedicit, consolatur, discedit. Vir autem Domini, qui se grauissima pœnitentia damnauerat, Dominica tantùm die modicum pànis & aquæ coactus à fratre percipiebat: qui etiam se simili cibo & ieiunio macerabat. Igitur in huiusmodi constrictione triennium voluitur. Cumque iam omnes penè mouisset eius in Christo miranda humilitas, Episcopus ciuitatis rediens, vix agere potuit, vt sese à pœna, qua ille memor tremendi iudicij se damnarat, absumptis penè carnibus, permitteret resolui.

Quantæ autem sanctitatis postea fuerit, quamque potens in miraculis, non facilè lingua alicuius explicabit. Electus deinde ab vniuerso populo, Amiterninæ vrbis sacerdotium adipiscitur. Inde postmodum sub Imperatore Nerua, cum aliis Dei seruis Eutyche & Marone, ab Aureliano Iudice primò relegatus in sexagesimo milliario ab vrbe via Salaria; deinde apud eum locum, qui Cutilias appellatur, vbi putentes aquæ manant & sulphureæ, in ipsis capite deorsum per horas tres suspensum teneri ab impio Iudice iussum est. Quod cum per triduum pro Christi nomine passus fuisset, gloriosè coronatus, migrauit ad Dominum. Cumque vna die iussu Aureliani, corpus eius inhumatum iacuisset, venerunt Aminternenses populi Christiani, & rapientes in suum territorium transtulerunt, & honorifica sepultura condiderunt Nonis Septembris.

*Claret miraculis, & Episcopus Amiternine ciuitatis ordinatur.*

*Martyrio coronatur.*

*NOTÆ.*

Victorinus.] *De eo Martyrolog. Rom. 5. Septemb. Vsuardus, & alij recentiores. Non defuerunt qui dixerint tantum vnum fuisse Victorinum, nempe eum de quo agimus, cum constet ex Martyr. fuisse alium Victorinum Septempedanum istius germanum, quare ij manifestè errare conuincuntur. Huius autem Victorini martyrium descriptum habetur in Actis SS. Nerei & Achillei, apud Sur. tom. 3. die 12. Maij, ex quibus cæteri accepere.*

Texerat ostiolum vimine.] *Vimen est omne virgultum molle.*

Amiterninæ vrbis Sacerdotium.] *Amiternum est vrbs Campaniæ.*

Apud eum locum qui Cutilias appellatur.] *De aquis Cutiliis vbi passus est Victorinus, scribit Plinius lib. 2. c. 95. & lib. 3. c. 12.*

## *VITA S. IOANNIS SYRI. Ex Adone Episcopo.*

*Habetur in eius Martyrol.*

APVD Pennensem vrbem natale beati Ioannis, magnæ sanctitatis viri, qui de Syria oriundus, peruenit ad Italiam. Cumque quæreret locum habitationis suæ, orationem fudit ad Dominum: Te deprecor Domine, qui lumen es verum, si prosperum facias iter meum, hoc mihi signum fiat: vbicumque ambulauero, si psalterium meum dedero, & eadem die mihi redditum fuerit, ibi sit permansionis meæ locus. Factum est, recepit eum hospitio matrona quædam, cui vir Dei psalterium dedit, requisiuit, eique mox à muliere redditur.

*Patria S. Ioannis.*

Hoc itaque signo, vt stationem suam vir Dei ibi faceret, confirmatur, ac inde non longè plus minusue, quàm duarum sagittarum progressus, habuit Angelum Dei obuium, qui ei dixit: Serue Dei, hic tibi permansionis locus à Domino parabitur. Erat autem hyems, & erat vir Dei sub arbore sedens.

*Apparet ei Angelus.*

sedens. Venatores verò, cum per locum transitum facerent, viderunt eum sedentem, atque arborem illam iuxta illum foliis vestitam. Requirentes autem virum, quis esset; ob Domini seruitium se de vltramarinis partibus venisse, morarique hic velle respondit. Nunciantibus igitur illis, famaque vitam beati viri longius spargente, tanta frequentia populi vndequaque illuc aduenit: vt Monasterio facto, congregatio magna seruorum Dei simul habitantium ibi fieret. Cui præfuit, multis clarus virtutibus B. Ioannes quadraginta quatuor ann. & requiescens in pace, depositus est 14. Calend. Aprilis, in loco vbi præstantur beneficia Dei vsque in hodiernum diem.

*Cœpit Monasterium.*

*Post mortem claret miraculis.*

NOTÆ.

Ioannes.] *De quo Mart. Rom. cum Bar. 19. Martij. Agunt præterea de eodem Petrus in Cat. Surius tom. 2. Mosander, Cornelius Grasicus, & Sigebertus.*

*Gennad. de Script. Ecclesiasticis cap. 63.*

## VITA S. EVCHERII EPISCOPI ex Anachoreta. Partim ex Gennadio, partim ex Breuiario Lugdunensis Ecclesiæ.

*S. Eucherius in sæculo valde diues & potens habuit duas filias.*

FVIT quidam vir ex ordine Senatorio, Eucherius nomine, habens vxorem nobilibus ortam natalibus, nomine Gallam, quos quidem ampla possessio, & numerosa familia, thesaurorumque copia claros in seculo fecerat: sed timor Domini, qui est initium sapientiæ, in conspectu conditoris omnium clarius exornabat. Cūque liberos non haberent, deprecati sunt Dominum, & exaudiuit orationem eorum dans eis filiam, quam votiuo nomine Consortiam vocauerunt, hæredem videlicet illam, propagatricem sui sanguinis habere cupientes. Cumque eam in timore Domini educarent, & illa in annis puerilibus posita, religiosum animum habere cœpisset, aucta est spes illorum, accepta alia filia, quam Tulliam vocauerunt.

*Mos Ecclesiæ Lugdunensis in eligendo Episcopo.*

Accidit eo tempore, vt Pontifex Ecclesiæ Lugdunensis migraret ad Dominum. Mos autem erat præfatæ Ecclesiæ, vt quoties (lege cunctis mortalibus debita) suo viduaretur Episcopo, in eligendo successore reuelationem Domini expectaret. Tunc ergo triduano à cunctis præmisso ieiunio, cuidam puerulo apparuit in visu Angelus Domini. Est, inquit, Senator quidam Eucherius nomine super fluuium Durentiam, retrusus in specu, qui relictis omnibus quæ possidebat, secutus est Dominum. Ad hunc adducendum pergite, & vobis pastorem illum constituite, quoniam à Domino est electus. Quod cum puer senioribus diluculò retulisset, omnipotenti Domino, cunctis fratribus conuocatis, gratias egerunt: missoque cum Clericis ad præfatum locum Archidiacono, qui tunc Ecclesiæ curam gerebat, inuenerunt eum, sicut eis Dominus reuelauerat. Cumque illi Archidiaconus rem propter quā venerat indicasset: cœpit cum iuramento dicere se voluntarium de specu non egressurum, nec cum eo nisi ligatus duceretur, iturum. Cumque talia diu repeteret, Archidiaconus effracto muro speluncæ, eduxit eum, & iuxta quod ipsi iurauerat, vinctum perduxit Lugdunum: quem pari animo, vnoque consensu Clerus & populus sibi eligens sacerdotem, in Pontificali Cathedra solemniter collocauit. Galla verò eius vxor, eum locum speluncæ ingressa, in quo vir Dei latuerat, reliquum vitæ suæ tempus vt cœperat, religiosè peregit: filia eius Consortia quotidianum victum ei subministrante, sicut ipsa prius fecerat viro suo. Obiit autem vir sanctus sub Valentiniano Imperat. anno Domini 458. vt Ado Viennensis refert.

*Degit in specu.*

*Ligatus ducitur Lugd. vt cōsecretur Episcopus.*

*Moritur.*

Multa præclarè scripsit, inter alia Cassiani opera laro tensa sermone, angusto tramite in vnum coëgit volumen. Scripsit ad Valerianum propinquum suum de contemptu mundi, & secularis philosophiæ epistolam: disseruit etiam ad personam filiorum Verani & Saloni postea Episcoporū, obscura quæque sanctarum capitula scripturarum. Reperitur interfuisse tertio Concilio Arelat. itemque Arausicano & Carpentoracti, poniturque vicesimus eius sedis Episcopus.

*Gennad. de Script. Eccles. c. 63.*

NOTÆ.

Eucherius.] *De eo Martyr. Rom. cum Baron. in Not. 16. Nouemb. Agunt præterea de eo Isid. Hisp. al. de vir. Illust. c. 15. Petr. in Cat. lib. 10. c. 67. Vincent. lib. 20. c. 20. Baron. in Annal. tom. 5. anno 433. & tom. 6. anno Christi 441. Vincent. Baralius in Chronol. Lerinens. & alij.*

## VITA S. CAPRASII EREMITÆ. Ex ea quam ex manuscriptis Codicibus collegit Vincentius Baralius Monachus Lerinensis.

FVIT beatus Caprasius ingenuus, ac spectabilis genere, sed quod laudabilius est, virtute mentis excelsus: à primæuo iuuentutis flore philosophiæ artibus imbutus, miro claruit ingenio, sed tandem diuina præuentus gratia, prudenter attendens, quia iuxta Apostoli dictum, sapientia huius mundi stultitia est apud Deum, & quia scientia inflat, charitas autem ædificat, elegit potiùs stultus ab omnibus reputari, vt apud Deum sapiens mereretur haberi; illa secreta sapientiæ diuinæ adipisci cupiens, quæ pater cælestis abscondit à sapientibus, & prudētibus, sed mira dignatione paruulis, id est, humilibus reuelauit: nec suo desiderio fraudatus est. Nā pius & misericors Deus, qui tam salubre propositum cordi eius inspirauit, gerendi gratiam, & perficiendi virtutem ministrauit.

*1. Cor. 3. & 8.*

Beatus igitur Caprasius, verus Christi discipulus, mundanam illam relinquens philosophiam, Euangelicam aggressus est disciplinam. In primis possessiones, & quæcumque in hoc seculo habere poterat, amore Christi contemnere, pauperibusque distribuere disposuit. Euangelicam ergo illis expeditus aggreditur paupertatem, onusque mundanæ solicitudinis deponit, & iuxta Apostoli doctrinam, quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ anteriora sunt, se extendit. Omnia huius sæculi concupiscibilia arbitratus est vt stercora, vt Christum lucrifaceret, & soli Deo liberius vacaret, non solum corde, sed etiam corpore, ab hominum aspectibus, & sæculi conuersatione recessit: & in quadam arcta, aridaque solitudine Monasticam vitam ducere, solitariamque institutionem aggredi deliberauit. In qua nimirum Eremi solitudine, ad tantum virtutum apicem prouectus est: vt non solum sibi ipsi proficeret, sed etiam quamplurimorum Deo militantium Monachorum Pater, & dux efficeretur, qui eius exempla sectantes pariter & doctrinam, latam viam, & spatiosam, quæ ducit ad mortem, deserentes, arctam, quæ ducit ad vitam æternam, Christo auctore ingredi contendebant.

*Sanctus Caprasius facultates suas pauperibus distribuit.*

*Solitariā vitam amplectitur.*

*Multos suo exemplo ad vitæ melioris institutū attrahit.*



bant. Interea eius magisterio se subdit ille Christi Præsul, virtute, sacerdotio, & nomine Honoratus, Lerinensis Monasterij pater, qui postmodum Arelatensi Ecclesiæ præfuit Episcopus: cui etiā adhæsit pretiosissima illa gemma, interno splendore perspicua, beatus videlicet Venantius, eiusdem S. Honorati frater, qui ambo præfatum senem Caprasium, pro suæ vitæ merito, & eximiæ sanctitatis prærogatiua (Domino sic ordinante) tanquam Patrem, & ordinatorem in Domino, atque custodem suæ adhuc teneræ ætatis elegerunt. Qui videns prædictos egregios duos iuuenes Christum sitientes, Honoratum videlicet, atque Venantium, patriam, ac parentes pro Christo velle relinquere: eorum approbans propositum, per terras mariaque eos assiduè comitatus est, licet iam esset ætatis grauitate confectus. Transcursis igitur è Nicomedia, immensis terræ marisque spatiis, vir Dei Caprasius, cum Honorato scilicet, & Venantio, Cisalpinam ingressus prouinciam, talibus lapidibus fidei igne fulgentibus, sanctam Insulam Lerinensem illustrauit. In quorum aduentu illa sacra Lerinensis Insula, diuino more est cultui mancipata, summæ religionis priuilegio decorata.

*Eius magisterio se subdunt sancti Honoratus & Venātius.*

*Peruenit ad Insulam Lerinensem.*

O fœlix virtutum magister, qui tantos ac tales meruit habere discipulos! O laudabilis pastor animarum, qui talium gloriatur in Christo spiritualium propagine filiorum! Erat autem vir Domini Caprasius feruidus charitate, humilitate dejectus, mitissimus pietate, modestus in incessu, abstinentia singularis, longanimitate fortis, orationis instantia continuus. Vir iste beatus, pro virtutum magnitudine, tantæ fuit opinionis & famæ, vt multi sanctorum Doctorum suæ tempestatis, eius dignæ conuersationis testimonium perhiberent: ac de ipso in suis Tractatibus memoriam facerent. Vnde præcipuus ille Lugdunensis Ecclesiæ Antistes Eucherius, in fine libri quem de Eremi laude composuit, cum de sanctis Lerinensis Insulæ incolis loqueretur, hunc virum Dei inter reliquos præcipuè nominauit ita dicens. Hæc, videlicet Lerinensis sancta Insula, nunc possidet venerabilem grauitate Caprasiū, veteribus Sanctis parem. Hæc nunc habet sanctos Senes illos, qui diuersis cellulis Ægyptios patres nostris Gallicis intulerunt. Et beatus Hilarius, in sermone, quem funebrem in Sancti Honorati laudem habuit, beatum Caprasiū perfectæ consummatæque grauitatis fuisse, Angelica in insulis conuersatione degisse, & inter Christi amicos connumeratum describit.

*Catalogus virtutum S. Caprasij.*

*Testimonia Sanctorū Eucherij & Hilarij Episcoporū, de sanctitate Caprasij.*

Cùm ergo beatus Caprasius annosus plurimùm grandæuusque esset, atque decrepitus, & tempus suæ resolutionis instaret, apparuit ei Sanctus Michaël Archangelus, atque suum fœlicem obitum post biduum imminere, diuino nutu reuelauit. Nec incongruè quidem, vt Angelico viro migraturo ex hac vita, Angelica legatio occurreret, quæ sanctam illam animam, & ab hostili improbitate defenderet, & cælestium ciuium gloria sublimaret. In eius igitur extremis conuenerunt gloriosæ & inclytæ memoriæ Sacerdotes, Faustus scilicet, Theodorus, Maximus, & Hilarius. Qui Hilarius Arelat. Antistes, beati Caprasij conscius meritorū, suæ pontificalis dignitatis oblitus, ad eius pedes residens, ipsius se orationibus commendabat, atque vt sui memor esset, grandi eum humilitate efflagitabat; non indignum reputans tantum Eremi incolæ obsequium impendere, ipsiusque eximiæ sanctitati dignitatem Sacerdotij substernere. Transiit autem ex hac vita vir Dei Caprasius ad optata gaudia supernorum, die Calendarum Iuniarum, in sacra Lerinensi Insula, circa annos humanæ Redemptionis triginta supra quadringētos, inibique sepultus, regnante Domino nostro Iesu Christo in secula seculorum. Amen.

*Paulò ante mortem apparet ei S. Michaël Archangelus.*

*Interfuit eius obitui multi Episcopi, & sacerdotes, eius suffragia postulantes.*

NOTÆ.

Caprasius.] *Agit de Sancto Caprasio Martyr. Romanum cum Baronio, Beda, Vsuardo, Adone & aliis. Meminit eiusdem Petrus in Catal. lib. 11. cap. 16. Trithemius de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti lib. 3. c. 279. ipsum inter Sanctos Ordinis prædicti annumerat, sed fallitur, vt optimè annotauit Vinc. Baral. Nam Caprasius S. Benedictum præcessit spatio centum ferè annorum. Porrò Sidonius Apollinaris in carmine Eucharistico ad Faustum, dum relegit Insulæ Lerinensis sanctos, hæc de Caprasio scribit.*

——— Quantos illa Insula plana
Miserit ad cælum montes, quæ sancta Caprasij
Vita senis, &c.

*Fuit alius Sanctus Caprasius Episcopus Agennensium primus, Eremita & martyr, qui fontem de silice à Deo impetrauit: sicut ex Breuiario, & antiquis Legendariis prædictæ Ecclesiæ colligitur, vbi prædictum miraculum, necnon Eremitorij illius descriptio ita habetur. Locus ille est in altissimo montis cacumine situs, cuius in superiori dorso gratissima planicies ostenditur, atque obiecta in sese fronte, pendentibus scopulis, cum frondosis arbustis opaca inter scenæ subtus præbet amœnitatem intrantibus. Qui locus nec hoc solo decoratur beneficio, ab ipsius rupis angusto hiatu purissimus fons leui cum murmure emittitur, quem pretiosus martyr Caprasius percussa silice dextra à Domino impetrauit. Cuius vnda quam gustu delectabilis, quamque debilibus membris tactu salubris, ex frequentissimo vsu expertum habemus: salua fide cunctis denotante posteris. Passus est autem S. iste Caprasius sub Præside Daciano.*

## VITA B. MVNIONIS ONIÆ EREMITÆ, necnon inuentio Imaginis beatæ Mariæ Vallisueneris. Ex Anthonio Abbate Valladolidensi.

*Habetur to. 1. Chron. Ord. S. Bened.*

VIXIT in montibus Disterciis insignis & crudelissimus latro, cui nomen erat Munio Oniez, de Montenigro oriundus, qui propter furta, latrocinia, & cædes suas, ab omnibus timebatur. Sed Deus qui neminem vult perire, hunc Munionem, quasi alterum Paulum conuertit, hoc modo. Rusticus quidam exiens in agrū ad seminandum & laborandum, priusquam manum operi admoueret, flexis genibus, iunctisque manibus, cœpit inuocare & implorare auxiliū Dei, quatenus benedicere vellet laborem manuum suarum. Munio non longè latitans & insidians, secundum consuetudinem, vt spoliaret & occideret, vibrato arcu, voluit occidere rusticum. Sed subitò compunctus, cœpit cogitare, in quantis miseriis versaretur, quantisque tormentis dignus esset si perseueraret in peruersa & execranda vita sua.

*Munio Oniez primò insignis latro.*

*Tandem resipiscit, & pœnitentiā agit in spelunca.*

Tunc ergo admirans deuotionem & virtutem rustici, proposuit omnino pœnitere, nec distulit in crastinum; sed statim relictis armis suis, cum filio suo (qui postmodum obiit) in speluncam quandam horribilem secessit, ibique habitauit prope fluuium quendam. Cum aliquandiu ibi demoratus fuisset, Sacerdos quidam nomine Dominicus, solitariæ vitæ ducendæ causa, ad hanc speluncam diuinitus inspiratus peruenit, inueniésque

Munionem, requisiuit quisnam esset. Cumque A peruersam vitam ei enarrasset; cœpit eum consolari vir Dei, proponens multa de misericordia Dei.

*Diuinis reuelationibus refouetur.*

Imbuit ergo eum & docuit perfectionis viam, intantumque profecit successu temporis pauper ille pœnitens, & ad tantum perfectionis culmen peruenit, quod etiam diuinis reuelationibus, & visionibus honorari meruerit.

Erat autem intra hos montes horribiles vallis quædam nomine Venerea. Reuelatum ergo fuit Munioni, inibi in concauo excelsioris & grossioris quercus, occultatam esse Imaginem beatissimæ. Virginis Mariæ: iussumque illi fuit vt ad eam quærendam pergeret, & deinceps ibidem suæ habitationis locum constitueret. Signa autem sibi diui- B nitus data, ad inueniendum thesaurum hunc pretiosum, fuerunt, limpidissimus fons de pede arboris scaturiens, examen apum, & fulgor mirabilis procedens de Imagine. Cum igitur visionem socio suo Dominico reuelasset, ambo per concaua vallium, per montium & scopulorum altitudines, inquirere cœperunt. Cumque venissent ad quendam locum inaccessibilem, ferro & instrumentis fecerunt sibi viam, ingredientesque inuenerunt

*Imaginẽ beatæ Dei genitricis inuenit Munio.*

Imaginem in concauo quercus, & signa, sicut Munioni Eremitæ fuerat reuelatum. Manserunt ergo ibi, Angelicam potius quàm humanam ducentes vitam. Sed Deus volens reuelare hunc thesaurum mundo, fecit vt sancti Eremitæ visitarentur à per- C

*Soror Munionis cæca visũ recipit per merita B. Virginis.*

sonis deuotis & piis. Soror etiam Munionis, quæ erat oculorum lumine priuata, audiens quæ de fratre dicebantur, venit absque læsione ad locum prædictum. Vbi cum peruenisset, meritis beatæ Mariæ statim visum recepit. Hoc miraculo diuulgato per loca adiacentia, cœperunt cateruatim habitatores confluere; multi etiam, pœnitentiæ agendæ causa, relictis omnibus, Anachoreticam vitam ibi exercere cœperunt.

*Munio cupiẽs latere degit in horribili spelunca.*

Munio verò cernens se non posse ita vacare exercitiis, propter multitudinem fratrum, & populorum confluentium ad. videndum Imaginem, secessit ad alium horribiliorem & inaccessibilem locũ, habitauitque in spelunca frigidissima & hu- D midissima, eo quod numquam Sol radios suos supra eam emittebat. Hanc ergo sibi propriis manibus aptauit, ibique reliquum vitæ suæ tempus in

*Coruscationes moriente Munione visæ.*

magna sanctitate peregit. Cum gloriosum spiritum emitteret sanctus Eremita, multi fulgores mirabiles circa loca adiacentia, & remota visi sunt à multis. Vnde alij Anachoretæ, cognoscentes eum migrasse ad Dominum, cum Dominico Presbyte-

*Cãpanæ omni humano destitutæ auxilio per se sonant.*

ro venerunt ad spelunca. Cumque portarẽt corpus ad Ecclesiam vt sepeliretur, cãpanæ, omni humano destitutæ auxilio pulsauerunt. Volentes ergo eũ sepelire in Ecclesia vbi erat Imago beatæ Virginis, numquam potuerunt, eo quod sanctus vir dum viueret, propter humilitatem, & reuerentiam Vir- E ginis, ibi sepeliri se indignum reputauerat. Posuerunt ergo sanctum corpus in quadam cauerna sub horribili rupe, distanti ab Ecclesia quasi quinquaginta passus; vbi sacellũ postea titulo sanctæ Crucis constructum fuit, magnoque in honore & reuerentia habetur sanctus iste Eremita ab incolis loci.

### NOTÆ.

Munio.] *Ab aliis appellatur Numa. Historia autem hæc accidit apud Hispaniam circa annum Domini 574. tempore Leouigildi Regis, quam fusius describit & narrat Antonius Yepez Abbas Valladoldiensis, in Chronico Ordinis S. Benedicti.*

## VITA S. ANTONII CYRI EREMITÆ. Ex ea quam scripsit Magnus Fœlix Ennodius Episcopus Ticinensis.

*Habetur in Chronol. Insulæ Lerinensis.*

BEATI Antonij narraturus insignia, primùm Sancti Spiritus mihi maiestas inuocanda est, vt qui illum rebus diuitem fecit, me in his explicandis per linguæ frena moderetur, & labiorum sordes prophetici carbonis diluere maturet incẽdio: ne conscientiæ nebulis lucem conuersationis illius, aut amplissimis pauperem faciam laudibus, aut infantia arcente deuenustem. Benedicitur indiuisa Trinitas Deus noster, qui seruum suum Antonium tãta virtutum dote sublimem circa Danubij flumi-

*Patria & parentes S. Antonij.*

nis ripas in ciuitate Valeria, Secondino patre lucis huius ianuam iussit intrare. Qui quamuis de splẽdore natalium conscientiæ iubar hauserit: tamen fulgorem stirpis præcipuè morum radiis obumbrauit. Qui ne sensim instituta propositi per parentum blandimenta frangeret, annorum fermè octo, genitoris tutela nudatus est. Mox tamẽ ad illustrissimum virum Seuerinum ignara fuci ætas deuolauit, qui dum eum mulceret osculis, futura in puero bona, quasi transacta relegebat. Sed postquam B. vir humanis rebus exemptus est, Constantij Anti- C

*Constantius Episcopus S. Antonij Patruus.*

stitis, ea tempestate florentissimi, iunctus obsequiis, gloriosis operibus vitæ rudimenta dedicauit, qui eum inter Ecclesiasticos exceptores cælestem militiam iussit ordiri. Erat enim venerabilis Sacerdos Antonij nostri Patruus. Quo defuncto, vt mundi gloriam fugeret, elegit secessum, & ad sublimem & excelsum montem, qui celsitudine sua vincebat aspectum, confugiens, ibi sedem sibi delegit. Nihil secum amplius nisi parum leguminis,

*Viuit solitarius in mõte.*

& ligonem quo terram sollicitaret, de mundi beneficiis assumens, dedicauit callem subiecta asperitate nescitum, iuga illa indomitam naturæ legem Antonio congrediente perdiderunt, reserata itinera post ingressum eius patuere cupientibus. Inuenit illic tamen duos senes, quos iam ita inter lustra belluarum habitatio longa miscuerat, vt nihil de illis mundo fama nuntiaret. Breui post horum

*Videt animã cuiusdã Eremitæ in specie colũbæ ignea ad cælos euolare.*

vnus assumptus est, terreni carceris mole deposita ætheream valetudinem fœlix anima resumpsit: nã absolutionis eius tempore columna ignea beati Antonij oculis ingesta est ad cælum vsque pertingens.

Tunc dum ibi Dei cultor tota disciplinis cælestibus virium suarum vela laxaret, cuius vigilias, ieiunia, lectionis assiduitatem, iure replicarem, ni haberem digna memoratu; numquam ille cibum sumpsit, nisi fatiscente corpusculo. Interea cùm tantis polleret virtutibus: vir quidam quem sponsæ suæ amor in facinus impulerat, & ad effusionem humani sanguinis affectu, & indignatione prouocarat, dum conscientiam se credit fugere mutatione terrarum, tandem venit etiam in eremũ in qua vir sanctus & alij serui Dei habitabant, putans in Dei seruitio constitutis de suis actibus nihil patere. Sed statim atque ad magnum venit Antonium, & cùm iã colloqueretur cũ eo, ille pec- *Patefacit occultũ scelus.*

catũ quod fecerat patefecit. Expauit deprehensus, cùm flagitia sua recenseri videret ab homine quæ sine teste humani generis commiserat.

Interea sanctus vir per regiones finitimas insidiatricis famæ linguis innotuit, quæ ne pareret de celebritate



celebritate iactantiam, ante prouisa sunt remedia A quam morbus adolesceret. Nam cùm à multis visitaretur, ciusque quies interrumperetur, ad eremi secretiora beatus Antonius credidit euolandum. Mox tamen secessus quem pendula rupes

*Solus habitat in excelsa rupe.*

commendabat electus est: in quo annis plurimis solus, & verè monachus, vitam sine humani generis consorte transegit. Dabat feras pro sodalibus montana solitudo. Mugitus vrsi, aliarumque belluarum minax immurmuratio pro blandæ confabulationis communione ponebatur. Denique ea tempestate vrsus petulantior gloriæ plus daturus, caules ipsius puberibus foliis lætiores, immani ingrediens contritione vastauit, ita vt nusquam de simplici fruge spes residua relinqueretur. Quẽ B ille baculo mulctatum, districtius abire præcipiens, testem virtutis suæ, & nuntium passionis ad alias ire bestias mox coëgit. Rursus tamen gradienti ei per destinatum callem rugiens se fera suggessit; quam ille sola iussione turbatam, iter fecit aperire, & occupata viæ claustra deserere.

Sed ecce iterum alis pernicibus per productionis suæ ordinem Dei seruum in quo loco degeret fama vulgauit, aliud de ipso pro sententiarum varietate diuersis opinantibus. Tunc liquidò patuit per occursus multiplices nihil obstare cupiẽtibus, planari ardua, solidari scissa, pendentia non timere. Sed potioribus insidiis ne per arrogantiam hostis subreperet fortiori consilio manus opposuit: C ne iam grandæuus perderet quod inter tirocinia virtutis seruasset. Acrius enim circa robustos diaboli certamen est, & maioribus copiis illos aggreditur, qui conflictus eius experti, ruboris sudore domuerunt. Vniuersa tamen secum ipse pertractans, breui animum suum allocutione firmauit. Quid agimus mens adhuc mundani oneris fasce depressa, quam nondum ad auctorem suum corporeus carcer euomuit? Non tibi certa est de perfectione fiducia dum adhuc includeris fragilitate carnali: Dum vniuersorum voce laudaris, vide quantis labores insidiis. Sanctorum igitur petamus exercitum, & illam Lerinensis Insulæ cohor-

*Venit Lerinum.*

tem irriguo inquiramus ardore. His dictis dimis- D sam fratribus cellulam, quos ibidẽ prædicti amor congregauerat, apud Lerinum improuisus apparuit, nuntiauit virum insignium meritorum facies ieiunij pallore decorata. In hac igitur nutrice Sãctorum Insula, cùm præstaret meritis, tamen omnium humillimus apparebat. Ibi biennio se ipso potior mundi istius sarcinam deponens, victor insidiarum quas antiqui hostis parat astutia, diem

*Migrat.*

nostrum & lucem præsentis seculi perpetui luminis adeptione commutauit.

### NOTÆ.

Antonius.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 28. Decembris, & in tom. 4. Annal. Vitam eius ex M.S. Vatic. adfert Vincent. Baralius in Chronologia SS. & Illust. virorum Lerinensium. Vixit anno Domini 480.*

Lerinensis Insulæ.] *Lerinum est Insula Prouinciæ Narbonensi adiacens, è regione Antipolis ciuitatis, quam describit Plinius lib. 3. cap. 5. Est in illa celebre Monasterium Ordinis nunc S. P. N. Benedicti, Congregat. Cassinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, fundatum olim anno Domini circiter 470. à S. Honorato Nicomediæ Regis filio, primo illius loci Abbate, deinde Arelatensi Archiepiscopo: cuius instituta constitutionesque retinuit vsque ad annum Domini 541. quo, illis relictis, Regulam S. P. Benedicti à S. Mauro Abbate in Gallias tendenti, sibi traditam obseruare incepit, quam vsque in hodiernum diem sanctissimè semper obseruauit, primum sub Congregatione Mauriana, siue Glanofoliensi: deinde sub Cluniacensi; nunc sub Cassinensi. Qualis autem fuerit hæc Insula, quale cœnobium, qualesque eius habitatores, ex numero Monachorum, in album SS. relatorum, manifestum euadit. Legatur Vincentij Baraly Chronologia Lerinensis.*

## VITA S. LAVNOMARI EREMITÆ. Ex ea quæ est apud Surium.

CVM Franci Gallias occupassent, abiectoque teterrimo dæmonum cultu, Christiana Religione initiari essent, tempestate qua Clotharius B filius magni illius Clodouei, qui primus ex Regibus illius gentis in Christum credens, à beato Remigio Episcopo baptizatus est, regnum obti-

*Patria S. Launomari.*

nuit intra Galliam Lugdunensem, Launomarus, apud Carnotenses, parentibus est Christianissimis editus in hanc lucem. Qui cùm etiamnum puer-

*Pascit pecora.*

lus in paternis ædibus versaretur, demandata illi cura est pascendis pecoribus, quod sedulò fecit. Porrò simul atque ad eam peruenit ætatem, qua iam posset sapere, omnibus suis renunciauit rebus & facultatibus.

Eodem tempore diuini amoris flammis incensus, captandæ solitudinis magno feruebat desiderio, sed ad tempus animi propositum celans, cùm C

*Fit Presbyter.*

adhuc in Carnotensi vrbe degeret, ad Presbyterij gradum Dei benignitate promotus est: nec multũ interfuit temporis, cùm à fratribus apud quos versabatur, rei familiaris dispensator est institutus (vale enim dixerat mundo, & ad Monasterium aduolauerat.) Deinde aliquot elapsis annis, cordis sui desiderium tamdiu celatum, Domino authore & cooperatore, in opus contulit. Intempestæ enim noctis captans silentia, ad optatam se eremum cõ-

*Petit Eremũ.*

tulit. Locus autem in quem vir sanctus se recepit, desiderio viuendi & vacandi soli Deo, procul ab vrbe fuit in abditissima solitudine syluæ illius quæ Pacticus appellatur. Ibi tota animi intentione Domino familiariùs inhærebat. Constituxit autem eodem in loco tuguriolum ex frondibus arborum. Et cùm nocte quadam diuinis hymnis & sanctæ meditationi insisteret, à latronibus diu laboriosissimè quæsitus est, spe prædæ. Sed cùm totam nocte per desertũ errando transegissent, tandẽ mane facto eũ inuenerunt. Et cũ vidissent magno timore perculsi,

*Mansuetudo viri sancti.*

procidẽtes ad eius pedes petierunt veniam. Quibus mãsuetè respondit dicens: filij nullã possideo pecuniam, Christus solus est possessio mea. Ego præuidi vestras insidias, Deus misereatur vestri filij: & abite in pace. Cùm igitur latrones ad propria reuersi essent: cœperunt viri Dei virtutem diuulgare, multi fama eius audita, mundo valedicentes, ad eum accedebant, & prope tuguriolum eius, E

*Multi magisterio eius se subdunt.*

cellulas construentes, orationi & contemplationi vacabant. Ambulabat aliquando in solitudine, iuxta Monasterium suum, secum nescio quid de scripturis ruminans, in occursum suum properantem conspicatus est ceruam, luporum infestam rabiem pennigero volatu effugere cupientem. Vt vidit autem lupos illos misertus ceruæ exclamauit; Cessate immanes & cruentæ bestiæ ab infestatione animãtis huius, & ad deserta loca discedite. En pessimum & crudele bestiarum genus, lupos istos, qui semper diripiendo, & deuorando inhiant pecori, nec vnquam desinunt suam ingluuiem alienis explere carnibus: expressamque gerunt similitudinem

illius lupi rapacissimi, quotidie circuientis & quærentis quos de Christi Ecclesia abstrahat, perdat, & deuoret. Ad has viri Dei voces, illicò subtiterunt lupi: dimissaque ceruæ insectatione in suas latebras aufugerunt. Cerua autem, illud quo venerat iter, repetere formidans, liberatorem suum comitata est, præcessitque illum in oratorium. Cúmque eam vir sanctus blandè palpasset manu sua, post duas horas misit eam in solitudinem.

*Obediunt lupi voci viri Dei.*

Quidam è vicino filium suum claudum ei cum lacrymis curandum obtulit: qui inter sacra Missarum libamina, pro sanitate pueri obsecrans, solemni prece peracta, fragmento panis benedicti, & patrem refecit, & filium à debilitate curauit. Casu accidit vt ianitor clauem oratorij perderet. Cúmque Dei famulus à fratribus secedens orandi gratia oratorium peteret, & clauem non inuenisset, ante foras humi prostratus aliquantisper orauit, moxque vltrò ianua est patefacta.

*Sanat claudum.*

*Ianua Ecclesia diuinitus patefacta.*

Interea Episcopus Malardus, comperta fama viri Dei, cupiebat eius collocutionis dulcedine recreari. Pro qua re accersitus ab eo, cùm & finem vitæ appropinquare sciret, iam senior ad vrbem properauit. Vbi per aliquot dies moratus, ægrotare cœpit, & præfato Episcopo desolationem religionis, quæ per barbaros post obitum vtriusque, fienda erat esset prædixit, & sic in pace quieuit.

*Moritur.*

## NOTÆ.

Launomarus.] *De quo Molanus in Addit. ad Vsuard. 19. Ianuarij. Agit & de eo Trith. de viris Illust. Ord. S. B. lib. 3. c. 251. Vincent. in Spec. lib. 21. c. 83. & 84. Petrus in Cat. lib. 2. cap. 104. Huius vitam per eius contemporaneum descriptam refert Surius tom. 1. de Sanctis. Vixit circa annum Domini 575.*

Apud Carnotenses.] *Carnotum ciuitas est totius Galliæ media, vulgò* Chartres.

## VITA S. GVDVVALI ARCHIEPIscopi & Eremitæ. Ex ea quæ est apud Surium.

*S. Guduuali genus.*

SANCTVS Guduualus, in Britannia ortus, parentes & cognatos habuit generis nobilitate insignes. Qui vbi ad viriles peruenit annos, Leuita & Sacerdos ordinatus cœpit prodere sapientiæ, à teneris annis acquisitæ, thesauros: quin & quosdam ita veri solis radiis inflammauit, vt ipsi quoque aliis & illustrandis & inflammandis idonei facti sint. Factus Episcopus, quo altiùs in populo Dei caput extulit, eo latiùs de se sparsit sanctæ conuersationis odorem, & quandiu quidem sacerdotio functus est, opus gratiæ suæ per illum magnificè declarauit Spiritus sanctus, omni Clero populoque lætante. Erat autem illi amplum patrimonium: sed ille fastidiens opes & copias omnes labentis vitæ, quicquid habuit facultatum, Ecclesiæ Christi elargitus est. Cernens etiam cura pastorali, ceu catenis quibusdam, seculo se illigari, cùm primùm potuit, illa se penitus expediuit. Itaque summo Pastori, & deinde idoneo substituto successori etiam Ecclesiam commendans, suæ diœcesis quoddam Monasterium petiit: vbi & vitam Monasticam, imò Angelicam vixit. Erat autem Monasterio illi propinquum mare. In cuius sinu rupem vastam extare vidit vir sanctus, quæ cuiusdam insulæ habitabilis speciem præferret. Cingebatur quidem vndique mari, sed tumescentibus eius fluctibus nequaquam obruebatur. Vno itaque comite contentus, eò se confert, & instar antiquorum Eremitarum, angustam sibi in ipsa rupe cellulam excindit. Solebat vir sanctus Missas assiduè celebrare: eoque sacrificanti sæpius Angeli apparebãt. Cùm sic solitarius viueret, discipulos illic collegit ad centum octoginta octo. Cui sanctæ multitudini cùm loci angustia ægrè sufficeret, vir beatus cum Deo tractans, magnaque Dei fretus potentia, cùm mare suo more recedens, vasta illic arenarum spatia detecta relinqueret, virga quam manu gestabat, certa arenis vestigia imprimens, in Christi nomine præcepit vndis, ne illa vnquam transgrederentur. Vidisses ad eas voces sancti viri, indomabile pelagus metuescere, suos cohibere impetus, tumores remittere. Et ecce in hunc vsque diem leges sibi præfixas mare transgredi non audet.

*Relicto Episcopatu, ingreditur Monasterium.*

*Habitat in spelunca vir sanctus.*

*Colligit discipulos ad centum octoginta octo.*

*Ponit indomabili mari certum terminum.*

Iam vir sanctus mundo, & omnibus quæ hic mundus offerre potest, amicisque suis vale fecerat, planéque mundo crucifixus erat, atque adeò etiam animam suã, perfectè oderat, nec tamen his contẽtus, semper perfectiora meditabatur. Itaque communicato cùm fratribus consilio, ex illa insula peregrè constituit proficisci. Interim septem apparauit nauigia, atque non multo pòst, cum omnibus fratribus ingressus dat se itineri. Inter nauigãdum autem exit ipse è naui, calcat pedibus fluctus maris; non solum toto corpore incolumi, sed etiam vestibus siccis graditur in vndis multa alacritate perfusus. Inter hæc ille, horis Christi & Apostolorum authoritate institutis, preces Deo persoluturus, cùm dixisset more Ecclesiastico, Deus in adiutorium meum intende, &c. Angeli subiunxerũt, Domine ad adiuuandum me festina, & ita totum officiũ alternis vicibus, cum viro Dei expleuerunt. Itaq; prospero cursu cũ omnis ille Domini exercitus ad terras quasdam delatus esset, Meuorus quidam Christianæ religionis cultor, vbi audiuit Guduualũ in eius fines ingressum, magnas planè Deo gratias egit; eique locum ad habitandum cum suis fratribus dedit. Ibi excitauit mortuum, puerum mutum sanauit, multisque aliis miraculis beatus hic Pontifex, præclarus Eremita, & Cœnobitarum dux egregius, coruscauit.

*Calcat pedibus siccis fluctus maris.*

*Recitant cũ eo Angeli horas Canonicas.*

Post hæc igitur aliaque miracula, optatissimum huius vitæ finem, Deo reuelante, cognouit. Nam cùm die quadam sacrosancti Quadragesimæ ieiunij, immolata iam in mensa altaris Redemptionis nostræ victima, piissimam Christi passionem mente recoleret, Angelus Domini iucundo aspectu illi se videndum præbuit, dixitque, breui illum cum palma victoriæ suo Regi Christo occursurum. Inde cælos repetens, tantam illic odoris suauissimi fragrantiã reliquit, vt vir Dei & anima & corpore, quod totius septimanæ inedia extenuarat, mirè recreatus, in Dei laudes deuotè prorumperet. Die autem decimo ante obitum suum, cum sacro altari adstaret, beatissimus Michaël Archangelus ei apparuit, & certum tempus suæ ex hac luce migrationis indicauit. Adhuc autem illo loquente, aduenerunt etiam præclari Apostoli Petrus & Paulus, iucundissimum nuncium confirmant Archangeli. Altero autem die iubet fratres omnes ad se venire, recitatque illis quæ vidisset & audiuisset, & eis vale vltimum dicens, lætus obdormiuit in Domino: visaque est à fratribus sanctissima anima eius in columbæ specie ad cælos euolare.

*Nunciatur ei ab Angelo eius obitus.*

*Apparet ei Michaël Archangelus.*

*Migrat ad Christum.*

Obiit autem vir sanctus octauo Idus Iunij in Insula Plect, & ad ipsas sacri corporis reliquias mirifica lux tota nocte resplenduit, quæ omnes noctis tenebras profligans, cellam illam vbi corpus sacrum repositum erat, immensa luce compleuit. Sacro autem eius corpore tumulato in hac insula, multo tempore conditum mansit, multis coruscans miraculis, donec postea barbaris incursantibus, cùm complures Britanni, relictis auitis sedibus in exteras regiones dispersi sunt, etiam fratres Monasterij absportato sacro corpore, mare quod Britanniam à Galliis separat, transfretantes, in Franciam peruenere: eamque perlustrantes, cum sacro pignore, vnde odores mirifici fundebantur, tandem ad Monasterioli Castrum appulerunt. Vbi quia non eo, quo par erat, honore afficiebatur, Arnulphus inclytus Marchio Flandriæ, multorum saluti diuinitus destinatus, Blandinum illud transferendum curauit, vna cum reliquiis nullo pretio æstimandis egregij Confessoris Bertulphi: quæ translatio facta est 3. Nonas Decembris, Clotario apud Francos sceptra regni moderante.

*Defertur eius sacrũ corpus ad Castrum Monasterioli in Francia, & tandem Gandauum.*

## NOTÆ.

Guduualus.] *De eo Molanus in Addit. ad Vsuard. & in Ind. SS. Belgij. Eius vitam habet Sur. tom. 3. 6. Iunij. Meminit eiusdem Vvionius etiam hac die. De eodem agitur in vita S. Bertulphi cap. 27. tom. 1. Surij Nonis Februarij. Vixit circa annum Domini 590.*

## VITA SS. EREMITARVM GILDÆ cognomento Sapientis, necnon Mailoci, Egreæ, Allæci fratrum, & Peteonæ sororis. Ex ea quam ex Membranis Floriacensibus descripsit Ioannes noster à Bosco.

*B. Gildæ parentes ac patria.*

BEATVS Gildas Arecluta fertilissima regione oriundus, patre Cauno nobilissimo & Catholico viro genitus, ab ipso pueritiæ æuo toto mentis affectu Christum studuit sequi. Cuius pater alios fertur habuisse filios, Cuillum videlicet valde strenuum in armis virum, qui post mortem patris, ei in regno successit. Mailocum quoque, qui à patre sacris literis traditus, & in eis bene edoctus, relicto patre, atque rebus paternis abrenuncians, venit Luythen in pago Elmail, ibique Monasterium ædificans, in quo in hymnis & orationibus, ieiuniis & vigiliis instãter seruiens Deo, clarus virtutibus & miraculis, in pace quieuit. Egreas verò cum Allæco fratre, & Peteona sorore Deo sacrata Virgine, similiter & ipsi relictis rebus paternis, & secularibus abrenunciantes pompis, in extrema parte regionis illius secedentes, non lõgè à se inuicem distantia singula sua constituxere oratoria: mediam statuentes sororem, cum qua alternatim suo die, horas diurnas alter cum Missa celebrabat, & post vesperas cum ea sumens cibum, & gratias agens Deo; ante solis occasum reuertebantur ad oratorium suum. Vnusquisque enim eorum separatim in suo oratorio vigilias celebrabat. Isti igitur quos prædiximus beati & sancti viri, Mailocus videlicet, Allæcus atque Egreas cum beata sorore, cunctis mundi, vt præmissum est, spretis opibus & deliciis: toto nisu mentis ad supernam tendentes patriam, in ieiuniis & orationibus suam commendantes vitam, tandem à Deo vocati, receperunt mercedem laborum suorum, & in suis quæ ædificauerant oratoriis conditi seruantur, clarificati & celebres assiduis miraculis, & in gloria resurrecturi. Beatus autem Gildas, qui & Gildasius, honor & decus gentis suæ futurus, & ipse à suis parentibus beato Hilduto traditur imbuendus. Qui susciens sanctum puerulum, sacris literis cœpit instruere illum. Tunc athleta Christi & strenuissimus miles in Cœnobio degens obedientiæ suscepit arma fortissima, puerilesque deserens mores, ætatem floridæ iuuentutis, in formam transtulit senectutis. In schola igitur supradicti doctoris Hilduti erudiebantur plurimi nobilium filij, inter quos præclariores erant, tam generis nobilitate, quàm morum probitate, Samson videlicet atque Paulus, sed hos quoque mira ingenij sagacitate superabat Gildas beatus.

*Fratrum & sororis Beati Gildæ mira sanctitas.*

*Allæcus & Egreas, cum Peteona sorore, Eremiticã vitã ducunt.*

*Migrant in cælum.*

*S. Hildutus Monachus & doctor, S. Gildæ magister.*

Habitabat autem præfatus Hildutus cum discipulis suis, in quadam arcta & angusta Insula, atque arenti solo squalida. Ad quem die quadam accedens beatus puer Gildas, eum alloquitur dicens: Domine doctor, audiui te nuper ex Euangelio verba nostri Saluatoris prædicantem: in quibus discipulos admonebat, vt cum fide à Deo ea quæ sibi erant vtilia peterent: & quia fideliter petita accepturi essent, dicens: Amen dico vobis, quicquid orãtes petieritis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Nùc ergo optime Doctor, cur non rogas ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui potens est præstare cuncta quæ fideliter ab eo petuntur, vt dilatet terminos, atque fructiferam reddat huius Insulæ glebam? Cum hæc audisset beatus Hildutus, admiratus fidem ipsius, conuocatis in vnum discipulis, oratorium cum eis ingreditur, & flexis in terram genibus, extensisque manibus in cælum, cum lacrymis orationem fecit. Qua finita, omnes egressi ab oratorio, vident dilatatam vndique esse Insulam, atque vernantem in circuitu diuersis olerum floribus. Tunc iterum reuertitur ad oratorium senior, & præ gaudio effusus in lacrymis vnà cum venerando discipulorum grege, clara voce hymnos, summasque laudes, rerum omnium Creatori Domino decantant, qui propè adest omnibus inuocantibus se in veritate. Igitur admirabili virtute dilatatam sibi Insulam cœpit excolere senior: atque fœcundandis iugeribus frumenti semina tradere. Cumque cœpissent læta frugum germina pullulare, aggregatæ aues marinæ ea cœperunt deuastare. Quod cum videret Pater Hildutus, præcepit discipulis suis, cum terrore eas effugare, atque vnumquemque eorum die suo segetem custodire. Et cum dies aduenisset, in qua segetem seruaturus erat B. Paulus, plus solito aduenit auium multitudo, quæ passim messem deuastabat tondendo. At contra miræ indolis puer Paulus, huc illucque discurrens cum ingenti clamore eas expellere nitebatur, nec prævalebat. Tandem ergo iam lassus, aduocat socios beatæ memoriæ, videlicet Gildam atque Samsonem venerandum. Ad cuius vocem aduolant socij, & inuocato nomine Christi multitudinem indomitarum auium congregantes ante se Dei virtute repleti minant pueri sanctissimi, tamquam inertium ouiũ greges. At vbi ventum est ad senis habitaculum, captiuæ & indomitæ aues cum recluderentur, in cælum dant voces. Quarum strepitum atque clangorem audiens senex, egressus ab oratorio, videt Dei virtutem, admiratusque non minimum tantam in puerorum cordibus fidem, ait illis: Sinite filij, sinite aues abire liberas, iam sufficiat quod sic castigastis illas, abeant liberæ, & amplius in nomine Domini, nostras segetes non præsumant lædere. Igitur iussionem senis non audentes spernere,

*Mira fides B. Gildæ.*

*Oratione B. Hilduti dilatatur Insula.*

*Miraculosè syluestres aues pueri capiunt.*

aues dimisſæ, longè receſſerunt: & vlterius in eadem Inſula vaſtare ſegetes non præſumpſerunt, quæ Inſula vſque in hodiernum diem, Launa Hilduti vocatur.

*Variis doctrini, operã dat B. Gildas, & orationi ſe dedit, ac vitæ aſperitati.*

Sanctus igitur Gildas, cum per aliquot annos in doctrina beati Hilduti commoratus fuiſſet, & tã ſæcularibus, prout res ſuppetebat, quam diuinis ſcripturis ab eo optimè quicquid ſibi à diuina bonitate creditum fuerat edoctus eſſet, valedicens pio magiſtro, venerandiſque condiſcipulis, ire perrexit, vt & aliorum Doctorum ſententias in Philoſophicis atque diuinis literis, inueſtigator curioſus exquireret. Sequutus itaque Apoſtolicam ſententiam, ne dum aliis prædicaret ipſe reprobus inueniretur, caſtigabat corpus ſuum in ieiuniis & vigiliis, noctes ducens in orationibus, ſtans ſine aliquo ſuſtentaculi adminiculo. A quinto decimo ætatis ſuæ anno, per totum vitæ præſentis ſpatium quo in hoc vixit mundo, vſque ad extremum diem vocationis ſuæ à Domino, ter (vt veraci relatione didicimus) in hebdomada parciſſimum ſumpſit corporis cibum.

*Mira eius abſtinentia.*

Igitur cum ad ſacros ordines promotus fuiſſet, & Presbyterij fungeretur officio, audiens quod gentes quæ Aquilonalem plagam Britanniæ Inſulæ incolebant, adhuc gentili errore detinerentur: & quod hi etiam qui videbantur inter eas Chriſtiani, non Catholici eſſent, ſed diuerſis hæreticorum fraudibus irrerirentur: de Chriſti adiutorio confidens cœpit illuc pergere, vt illis Chriſtum prædicaret. Gentes autem & hæretici videntes miracula quæ per eum Deus operabatur, ad viam veritatis adducti ſunt. Audiẽs autem beata Brigidda, quæ ipſo tempore inſignis erat, in Hybernenſi manens Inſula, & Monaſterio Virginum præerat Abbatiſſa, Virgo præclara, famam beati Gildæ, miſit ad eum nuncium, cum verbis deprecatoriis dicens: Gaude pater ſancte, ac ſemper in Domino polle. Obſecro te, vt aliquod indicium tuæ ſanctitatis mihi tranſmittere digneris, vt ſemper apud nos tua vigeat perenniter memoria. Tunc ſanctiſſimus Gildas percepta ſanctæ Virginis legatione, propriis manibus formulam fecit fuſili opere, & tintinnabulum compoſuit ſecundum petitionem ipſius, & per nuncium quem miſerat, ei tranſmiſit. Quod illa gaudens ſuſcepit, ac velut cæleſte munus ab eo ſibi tranſmiſſum libenter accepit.

*Creatur Sacerdos, & prædicat Chriſtum Gentibus, eoſque conuertit.*

*Beata Brigidda audita fama S. viri cupit aliquid habere ex eo ob memoriam ſanctitatis eius.*

*Ammericus Hybernia Rex.*

Eo tempore regnabat Ammericus Rex per totam Hyberniam, qui & ipſe miſit ad beatum Gildam, rogans vt ad ſe veniret: promittens ſe ipſius doctrinis in omnibus obediturum, ſi veniens Eccleſiaſticum ordinẽ in ſuo regno reſtauraret, quia penè Catholicam fidem in ipſa Inſula omnes reliquerant. Cum hæc itaque audiſſet beatus Gildas, munitus armis cæleſtibus, petiuit Hyberniã Chriſtum prædicaturus. Contigit autẽ quadam die dum pergeret ad Regis palatium, occurrere ſibi quendam paralyticum, quem parentes ſui circumquaque trahebant quærentes alimoniam ab incolis terræ. Quem videns beatus Gildas, miſertus illius genua flexit, ac pro eo Domino orationem fudit: eumque in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanauit. Poſtmodum à quibuſdam Nobilibus Regi præſentatus, multis precibus eum rogare cœpit Rex vt apud ſe maneret, & ſicut prius ei mandauerat, Eccleſiaſticum reſtauraret ordinem, quia penitus Catholicam fidem, à maximo vſque ad minimum, omnes amiſerant. Tunc ſanctus Gildas, munitus clypeo fortitudinis & galea ſalutis, omnes fines Hybernenſium circuiuit, & Eccleſias reſtauravit, Clerum vniuerſum in fide Catholica vt ſanctam Trinitatem colerent inſtruxit, populos graviter mortibus hæreticorum ſauciatos, curauit: fraudes hæreticas cum auctoribus ſuis, ab eis longè repulit. Multa deinceps vir beatus Monaſteria conſtruxit in eadem Inſula, non paucos in eis Nobilium filios enutriens, & norma Regularis diſciplinæ informans. Et vt plures Domino offerre poſſet alumnos, iam factus Monachus, collegit Monachos ſecum, tam ex nobilibus quàm ex pauperibus, pupillis & orphanis: necnon & captiuos tyrannica ſeruitute paganorum irretitos miſericorditer liberauit. Omnem denique regionem Hybernenſium & Anglorum, necnon & exterarum nationum ſuo inſtruxit exemplo, & eruditi ſermone. Quarum gentes & nationes actus & virtutes eius vſque in hodiernum diem honorificè venerantur vbique.

*Hybernos ad fidem Catholicam reuocat.*

*Multa conſtruit Monaſteria.*

Dimiſſa igitur poſt hæc Hybernia & Britannia, ad ſolitudinem adſpirans, rediit in Britanniam, ibique in quadam deſerta Inſula Horata no nine Anachoreticam diu exercuit vitam in magna abſtinentia. Cumque ſucceſſu temporis multi ad eum properarent cupientes inſtrui in Monaſtica vita, eis ibidem Monaſterium conſtruxit, populumque adhuc idolis deditum cõuertit ad Chriſtum, multaſque perſecutiones perpeſſus eſt. Nam cum quidam peruerſi eum occidere vellent, & ille vt eos ſibi vidit appropinquare, inuocato Chriſti nomine, ſ̃continuo nutu Dei, pedes eorum fecit adhærere terræ, ipſoſque veluti lapides obrigeſcere, recedenſque ab eis, cœptam tenebat viam. Cum autem longè ab eis receſſiſſet, conuerſus retrorſum, leuauit manum, & ſoluit eos. Qui ſoluti, in fugam verſi ſunt, & neminem poſtea in illis locis læſerunt. Deinde cum diſponeret in ſuam redire patriam non permiſit Deus. Nam cum Dei iuſſu peruenisſet in Armoricam quondam Galliæ regionem: tunc autem à Britannis à quibus poſſidebatur, Letania dicebatur: ab eis honorificè, & cum gaudio magno ſuſceptus eſt. Ipſe autem ſeculares fugitiuoſque deuitans honores, theoricam magis deſiderabat ducere vitam. Erat autem tunc temporis parua res Regum regnique Francorum; Childericus enim eo tempore Merouei filius Gẽtilium errori deditus, imperabat Francis: quod ex geſtis veterum prudens lector cognoſcere poteſt.

*Viuit ſolitarius in Inſula.*

*Eum occidere volentes, reddit immobiles.*

*Cũ fide Catholica accreuit Francorum Monarchia.*

Sanctus igitur Gildas triginta habens annos, venit ad quandam Inſulam quæ in Reum viſij pagi proſpectu ſita eſt, ibique aliquandiu ſolitariam vitam duxit. Sed non poſt longum tempus, cum iam non poſſet accenſa lucerna ſub modio manere, ſed ſuper candelabrum: cœperunt hinc & inde venire ad eum, & eius magiſterio & doctrinæ commendare filios ſuos erudiendos. Quos omnes libẽbenter ſuſcipiens, ſpirituali eos eruditione erudiebat. Veniens itaque ad quoddam Caſtrum in monte Reuuiſij, in proſpectu maris ſitum, ibi potioris fabricæ conſtruxit Monaſteriũ, atque in eo Clauſtra Cœnobitali ritu perfecit. Vbi tantum eius emicuit vita, vt plurimi infirmi ac debiles & leproſi, qui circumquaque erant ad eum venientes, ſanitati, eius orationibus & meritis, redderentur. Quod vſque in præſens tempus facere non deſinit, in eodem loco eius meritis, omnipotẽs Deus. Tunc deinde conſtruxit paruum oratorium ſuper ripam fluminis Blaueti, ſub quadam eminenti rupe, ab Occidente in Orientem ipſam concauans rupem, & ad latus eius dextrum erigens parietem, con

*Aliquandiu viuit ſolus in Inſula Reum viſij.*

*Conſtruit aliud Monaſterium, & variis morbis vexatos curat.*



congruum fecit oratorium, ſub quo de rupe emanare fecit fontem perlucidum. Cum verò feneſtrã Orientalem eiuſdem oratorij vitro claudere vellet beatus Gildas, vitrúmque ei deeſſet: proſtratus in terram Dominum deprecatur. Surgens autem ab oratione, abiit ad quandam rupem, & ex ipſa Domino largiente, optimum tulit vitrum. Molam quoque ibi fecit, cui triticum immiſit ac manu vertit, quæ vſque in præſens tempus in eodem loco ſeruatur, & à fidelibus infirmis, operantibus cum Chriſto ſancti viri meritis, languores ad eam expelluntur. Nec eſt ſilentio prætereundum, & illud quod per eum fecit Dominus miraculum. Nam cum in cella quadam die cum fratribus moraretur: venerunt ad eum hoſpites. Quos libenter ſuſcipiens, duxit ad orationem, ac deinde omnem eis exhibuit humanitatem. Et lauans pedes eorum ac manus, quod habuit cum charitate dedit eis. Sed cum non haberet vinũ quod eis tribueret: oratione facta, iuſſit impleri vaſa vinaria aqua, dataque ſuper eam benedictione, iuſſione diuina in optimum vinum eſt conuerſa. Quam virtutem cuncti admirãtes qui aderant, omnipotenti Deo gratias retulerunt. Quamuis autem talis ac tantus eſſet, vt per eum Deus tot miracula faceret, nulli tamen ſe præfecebat: ſed humilior omnibus eſſe videbatur. Licet verò Abbatis locum teneret, tamen vt ſuis ſubditis humilitatis exemplum oſtẽderet, ipſe omnibus ſeruire curabat. Sapiens quoque tam in doctrina quàm in actione erat, verax in collocutione, in orationibus aſſiduus, in colloquio affabilis, in eleemoſynis largus, in omni bonitate conſpicuus. Docebat quoque, hæreticos poſt primam & ſecundam correptionem deuitandos eſſe.

*Modus ſuſcipiendi hoſpites.*

*Aquam in vinum conuertit.*

*Humilitas S. viri, & alia eius virtutes.*

Denuò ſanctus vir à fratribus rogatus, qui ad eum è Britanniis venerant: poſt decem annos ex quo hinc receſſerat, ſcripſit Epiſtolarem libellum, in quo quinque Reges ipſius Inſulæ redarguit, diuerſis ſceleribus atque criminibus irretitos. Quàm eleganter itaque & ſuccinctè eorum ignauiam cõmemorauerit, & nominatim vnumquemque de ſuis nequitiis reprehenderit: huic paginæ addere placuit. Enimverò (inquit) celabunt ciues, quod non ſolum noſtri, ſed exprobrant iam in circuitu nationes? Habet etenim Britannia Reges, ſed tyrannos, Iudices habet, ſed impios, ſæpe prædantes & concutientes, ſed innocentes. Vindicantes & patrocinantes, ſed reos & latrones. Quamplurimas coniuges habentes, ſed ſcorta & adulteras. Crebrò iurantes & periurantes: vouentes, & continuò propemodum mentientes. Belligerantes, ſed ciuilia & iniuſta bella agentes. Et quæ ſequuntur in dicta Epiſtola.

*Scribit libellum Epiſtolarẽ de excidio Britãn. qui habetur in Bibliotheca SS. Patrũ.*

Nunc igitur Domino adiuuante, ad id vnde digreſſi fueramus, redeamus. Erat ergo in illis diebus quidam tyrannus nomine Conomerus, in ſuperioribus partibus illius regionis, peruerſa crudelitate, diabolica fraude ſeductus, qui hanc habebebat conſuetudinem, vt quotieſcumque ſuam cognouiſſet vxorem concepiſſe in vtero, ſtatim iugularet eam. Et cum multas interemiſſet mulieres, nobili proſapia exortas, cœperunt parentes earum multum ſuper hoc contriſtari, & longius ſe ab eo ſubmouere. Nullus itaque alicuius diſcretionis homo illi adhærebat, nec ei obedire volebat. Videns itaque ſe deſpici ab omnibus, ſancto Gildæ mandat, vt verborum ipſius petitionem perciperet. Verùm ſanctus vir calliditatem malitiæ eius perſpiciens, nullo modo aſſenſum ei præbuit. At præfatus tyrannus non valens perringere ad

*Conomeri tyranni horrẽda crudelitas.*

A hoc quod petebat; miſit ad quendam Principem, vt multi teſtes ſunt fideles, nomine Vuerocum, mandans, quatenus ei daret in coniugium filiam ſuam. Quod cum Vuerocus Venetenſium Comes audiſſet, ſtatim ad internuncium eius retulit dicens: Quomodo dare poſſum filiam meam mucrone Domini veſtri nefando interficiendam? Nũquid non audiui ſtragem quam fecit de mulieribus, quæ ſibi fuerant copulatæ? Nequaquam id faciam. Regreſſi itaque nuncij, retulerunt quæ eis Vuerocus dixerat.

*Vuerocus Princeps & Comes Venetenſium.*

Ille autem non deſiſtens ab hoc quod inceperat, iterum atque iterum Vueroco mandat dicens: Quoſcumque volueris obſides, vel fideiuſſores tibi dabo, tantum fac quod poſco. Cui Vuerocus: Vana eſt petitio tua, & fruſtra rogitando laboras. Niſi enim beatum virum Gildam fideiuſſorem dederis, minimè quod quæris impetrabis. Quia niſi per manum ipſius, eam nulli tradam. At ille mox nuncios miſit ad beatum Gildam, poſtulans ab eo, vt quantocyùs veniret, & puellam fide ſua de manu patris reciperet, & ſibi coniugem legitimo traderet matrimonio. Beatus verò non ſtatim primò conſenſit; poſtmodum cum nunciis profectus eſt, vt vtrorũque voluntates diſcuteret. Tunc veniens cum eis reperit ipſos Principes ob huiuſmodi cauſam in vnum conueniſſe. Et dum de hac re loquerentur inter ſe, ait pater puellæ beato Gildæ: Si manu tua ſuſceperis filiam meam, tibi credam, tibi eam tradam. Quod ſi illam ſuſcipere nolueris, hic nunquam habebit. Beatus igitur Gildas conſenſit vt puella dicto tyranno in coniugem daretur, deinde reuerſus eſt ad Monaſterium ſuum. Peractis igitur nuptiis, ſucceſſu temporis, vt cognouit eam tyrannus concepiſſe in vtero, cogitauit eam occidere ſolito more: ſed pertimeſcens iuſiurandum quod pactus fuerat cum beato Gilda, dicit apud ſe non poſſe fallere ſanctum virum. Verumtamen diaboli ſuggeſtu conſueto voluit eã occidere. Sed illa hoc perſpiciens, timore perterrita, in fugam latenter elapſa eſt. Quod vt cognouit vir eius maleficus, maiore iam ira ſuccenſus, inſequutus eſt eam. Quam cùm inueniſſet iuxta viam latentem ſub frondibus, (erat enim ex itinere fatigata) exempto mucrone amputauit caput eius, & ſic demum ad domũ ſuam reuerſus eſt.

*Conomerus Tyrãnis Vueroci Principis filiam in matrimonium poſtulat.*

*Tandem conſenſu B. Gildæ ipſi conceditur.*

Pater igitur illius, audiens quod accidiſſet filiæ ſuæ, magno concuſſus dolore, ſub magna feſtinatione mox miſit ad beatum Gildam dicens: Redde mihi filiam meam. Super hoc ſanctus valde cõmotus, concitus venit ad quandam munitiunculam vbi præfatus tyrannus habitabat. Verùm tyrannus vbi ſenſit beatum Gildã appropinquare, præcepit oſtiario domus, ne vllo modo ſanctũ virũ permitteret ad ſe ingredi. Cum ergo beatus Gildas diu pulſaſſet ad portam tyranni, & nullus ei aperiret, ſed potius ab his qui erant intus deriderentur: orauit Deum, ſi eius vita in melius non eſſet mutanda, vt dignaretur malitiæ eius finem imponere. Completaque oratione, circuiens totam munitionem accepit plenũ pugillum terræ, & proiecit ſuper habitationem, quæ ſtatim Deo volente, tota corruit. Deinde abiit vſque ad locũ, vbi exanime iacebat cadauer mulieris interfectæ prolem in vtero habentis, & facta oratione, recepit caput, & adhæſit corpori trunco, dicens: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Triſina tibi dico, ſurge, & ſta ſuper pedes tuos, & indica mihi quid videris. At illa continuò ſurrexit, ſana & illæſa ab omni corruptione. Et reſpondens ſancto viro dixit: Mox vt interfecta

*Vltio diuina in tyrannum.*

*Suſcitat mulierem mortuam.*

interfecta ſum, Angelico ſuſtentabar vehiculo, quaſi ferenda & iungenda choro martyrum, ſed tua vocatione reuerſa ſum ad te. Tunc beatus Gildas duxit eam ad patrem ſuum. Non multo poſt, cum mulier filium peperiſſet, nunciatum eſt ad beatum Gildam, qui iuſſit puerum baptizari, nomenque ſuum ei imponere fecit, & ablactatum liberalibus literarum ſtudiis erudiendum tradidit, matremque eius in Monaſterio Virginum permanere fecit. Quæ poſtea in caſtitate Deo ſeruiens, in ieiuniis & orationibus vitam ducens, tandem à Domino vocata, beato fine quieuit: filius verò eius & ipſe clarus virtutibus & miraculis beatam quam duxerat vitam, beato fine compleuit. Hunc ergo Britanni, ob diſcretionem alterius beati Gildæ, non Gildam eum, ſed Trechinorum vocant.

*Vocatur S. Trechinorus à Britannis S Gildas, ad differentiam alterius S. Gildæ.*

Et quia per miracula Sanctorum, omnium rerum creator laudatur & veneratur, qui in Sanctis ſuis manens mira per illos operatur: dignum duximus ſcribere etiam virtutem quam Dominus dignatus eſt operari per ſeruum ſuum Gildam in plebe S. Demetrij. Erat enim in præfata plebe ſtagnum in cuius portu reſidebant latrunculi: qui nudos ac verberatos, ſæpe etiam ſemiuiuos permittebant abire illuc aduenientes. De quorum igitur nequitia homines circumquaque ibi vehementer cómoti, cum per ſe illos illinc non valerent expellere, præſidium Sancti expoſcũt. Qui perueniens vſque ad os ſtagni, exorat Dominum vt concludat illius ſtagni aditum. Completa itaque oratione, ex arena erectus eſt tumulus magnus, vbi prius malignorum ad inſidiandum erat locus. Quod miraculum cernentes qui cum viro ſancto aduenerant, Deum glorificauerunt.

*Oratione cõcludit ſtagni aditum.*

In eadem quoque regione eſt oratorium, quod incolæ vocant Mons Coerlahem, quod ſonat interpretatum, Monaſterium nemoris. Cumque homines qui ſe faciebant terræ illius hæredes, ſeruis Dei ibi contemplatiuam vitam ducentibus ſæpe iniurias inferrent, aſſerentes illos de terra excolere quæ circum oratorium S. Gildæ adiacebat, pluſquàm eis oſtenderat. Vir verò Dei volens omnes quietam agere vitam, acceſſit ad litus maris, & cum Sanctis ſibi adhærẽtibus, flexis genibus, miſericordem Dominum, qui facit in cælo & in terra, omnia quæ vult, orat deuotius. Lucidiſſimus enim fons ad nutum Dei de loco vbi Sanctus orauerat ſurrexit: & ad oſtendendam certiſſimam metam atrij, ſequutus eſt veſtigia Sancti. Quod miraculum audientes fideles, non minimas Deo referunt laudes.

*Fons diuinitus emergit vbi vir Dei prauerat.*

Cùm verò diſponeret miſericors Deus, beatum Gildam à laboribus mundi & ærumnis educere, & ad gaudia æterna, quæ diligentibus ſe promiſit perducere, per viſionem Angelicam ei dignatus eſt denunciare. Quadam enim nocte, cum eſſet in amabili ſua Inſula Horata, vbi olim Eremiticam duxerat vitam, apparuit ei in ſomnis Angelus Domini dicens: Audi & intellige Domini Ieſu Chriſti amice, quoniam Deus exaudiuit orationes tuas, & vidit lacrymas tuas. Et ecce octaua ab hodierna die, ſolutus ſarcina carnis, videbunt ſpiritales oculi tui quod ſemper ab infantia deſideraſti: videbis etenim in maieſtate ſua deſideratam faciem Domini. Facto igitur mane, conuocatis in vnum diſcipulis, annunciauit eis obitus ſui diem, poſtmodum ad fraternam charitatem & dilectionem, ad amorem caſtitatis, paupertatis & obedientiæ, humilitatis & patientiæ, eos diu hortatus eſt.

*Angelico monitu didicit diem ſui obitus.*

Octaua igitur die iuſſit ſe in oratorium duci, ibique oratione facta, viaticum Dominici corporis ſuſcepit. Deinde diſcipulos proteſtatus eſt dicens: Per Chriſtum vos filios meos moneo, ne contendatis pro corporis mei cadauere: ſed mox vt ſpiritum exhalauero tollite me, & in nauim deponẽtes, ſupponite humeris meis lapidem illum, ſuper quem recumbere ſolitus eram. Nemo autem ex vobis in naui mecum remaneat, ſed impellentes eam in mare, permittite ire, quò Deus voluerit. Prouidebit autem Dominus ſepulturæ mihi locũ, vbi fuerit ei placitum. Deus autem pacis & dilectionis ſit ſemper cum omnibus vobis; & cum omnes reſpondiſſent: Amen, reddidit ſpiritum quarto Calendas Februarij, ſenex & plenus dierum. Diſcipuli verò illius tollentes corpus eius, fecerunt ſicut eis præceperat. Sed hi qui de Cornugallia venerant, qui plures erant, conabantur eum tollere, & in patriam ſuam transferre. Dum ergo inter ſe colloquerentur, & facere diſponerent, nutu Dei, nauis cum ſancto corpore demerſa eſt in profundum maris. Illi verò per multos dies illud huc illucque requirentes, cum nullo modo inuenire poſſent, ad propria ſunt reuerſi.

*Moribundus ſancroſanctam Euchariſtiæ Sacramentũ ſuſcipit.*

*Migrat in cælum.*

Diſcipuli quoque eius, qui ex Cœnobio erant, per tres menſes cum non poſſent & ipſi inuenire eum: tandem conſilio accepto, triduanum ſtatuerunt ducere ieiunium. Quo peracto, cuidam ex eis reuelatum eſt, quando & vbi inueniendum eſſet. Igitur cum dies Rogationum eſſent, & ipſi orationis gratia ad quoddam oratoriolum, quod ipſe in honorẽ ſanctæ Crucis conſtruxerat veniſſent, inuenerunt nauem in æſtuario quod vocatur Eroeſt, id eſt, domus ſanctæ Crucis, cum ſancto corpore integro & illæſo, ſicut ab ipſis collocatum fuerat in naui. Videntes autem gaudio magno gauiſi ſunt: & lapidem quidem ſuper altare eius loci in teſtimonium poſuerunt: corpus verò ſancti viri cum hymnis & laudibus ad ſuum Monaſteriũ detulerunt, & maxima multitudine populorũ proſequente cũ gaudio & lætitia magna. Dies autem illa quæ eſt quinto Idus Maij, ab illo tempore vſque ad præſens tempus, celeberrima colitur & ſeruatur apud Prouinciales Venetenſes. Plurimas etiam in illa die ſolitus eſt Dominus facere virtutes ad eius ſepulchrum, ſicut & ipſi oculis noſtris vidimus. Poſitum eſt autem corpus ſancti viri in Eccleſia, quam ipſe in antiquo Caſtro Reuiſij conſtruxerat, eadem qua præfati ſumus die. Vbi per multa annorũ curricula ſeruabatur, & ab vniuerſa Britonum gente venerabiliter colebatur, quoniam innumerabiles ibi fiebant virtutes. . . . .

*Dies Rogationum.*

*Inuentio corporis B. Gildæ v. Idus Maij.*

Succeſſu temporis cum eius Monaſterium, & denique tota Britannia deuaſtata fuiſſet, circa annum Domini Monachus illud reſtaurauit. Quidam mortuus ad tactum baculi beati Gildæ, vitæ reſtitutus fuit. Alius etiam vir moribundus ad eius ſepulchrum ſanatus fuit, poſtquam Monaſterium eius reparatum fuit.

*Mortuus ad tactũ baculi viri Dei ad vitam reuocatur.*

## NOTÆ.

Gildas.] *Extat in Bibliotheca Patrum iſtius Gildæ egregius Tractatus de Excidio Britannorum.*

## VITA S. FIACRII EREMITÆ.

*Partim ex Hectore Boëtio, partim ex Surio.*

*Hector Boëtius lib. 9. Hiſtor. Scot. Surius to. 4.*

BEATVS Fiacrius Eugenij Scotorum Regis filius, à patre ſanctiſſimo Epiſcopo Sodorenſi



*Eugenius Scotorũ Rex S. Fiacrij pater.*

*Traditur Cõnano Sodorẽſi Epiſcopo imbuendus.*

renſi Connano, moribus ac literis vna cum duobus fratribus Fequhardo & Donenaldo, traditus eſt inſtituẽdus. Fequhardus & Donenaldus præſulem & docentem literas & recta monentem libentes quidem audiere: verùm regio tumentes ſtemmate, tanta animi decoramenta, veluti parum profutura regnantibus, haud ex animo ſunt complexi. Fiacrius Pontificem ſaluberrimum & continentiæ & parſimoniæ exemplar, ſtudio imitatus, conſilium concepit omnis humani faſtigij dimittẽdi: concedendique aliquò, vbi procul ab hominum frequentia, ſecum gereret bellum: talique ſancto conflictu, Chriſto perpetuo militaret. Ergo humili aſſumpta veſte, quo minus cognoſceretur, à patria clam profectus, vbi in Galliam deuenit ſolitarium quærens locum, à ſancto Pharone tum Meldenſium Epiſcopo, locum in nemore, ad ſe ex proprio patrimonio pertinentem accepit, eumque ibidem perduxit.

*Relicta patria venit in Gallias ad S. Pharonem Meldẽſ. Epiſcopum, ab eoque locum ſolitarium accipit.*

*Nomine Brodolium.*

*Cõſtruit Monaſt. in honorẽ beatiſſimæ Virginis.*

Beatus autem Fiacrius, eruſco nemore Monaſteriũ in honorem beatæ Mariæ Virginis conſtruxit, ſimul & exiguam domum ſeorſum, in qua manens, hoſpites ſuſcipiebat. Erat ſanè corpori proprio hoſtis nimis auſterus: interim quod ſibi ſubtrahebat, peregrinis & pauperibus erogans. Vnde fama ſanctitatis eius longè lateque comperta, omnes robore priuati, elingues, ſiue contracti aut obſeſſi, aut alia incommoditate detenti, qui ad eum veniebant, vel deferebantur, ſola manus impoſitione ſanitati priſtinæ reddebantur. Quæ beata opinio eius, ſanctum quoque Gillenum, qui ex Romanæ peregrinationis itinere applicuerat, adduxit ad eum videndum. Quem & ſanctus Fiacrius ſibi ſanguine iunctum cognoſcens, ſpirituali cognatione & gaudio ſuſcepit: atque diuino alloquio cum eo vacans, aliquandiu apud ſe detinuit in Domino.

*Claret miraculis.*

*S. Gillenus B. Fiacrij cõſanguineus.*

Poſt hæc autem Fiacrius non habens vnde inopiam aduenientium releuaret acceſſit ad Epiſcopũ, perens vt liceret ei tantum nemoris euellere, vt ibidem poſſet hortum facere ad nutrienda olera pro pauperibus peregrinis. Cui Pontifex tantum rogati nemoris conceſſit, quantum in gyro circa domum ſuam propria manu fodiendo in vna die foſſato poſſet circumdare, & quicquid intra foſſam concluderet, liberum abſque cauillatione quaſi hæreditarium poſſideret. Quo audito, ad ſolitudinem reuerſus beatus Fiacrius facta oratione, baculum quem manu tenebat, per terram trahebat, & quod eſt dictu mirabile, ad nutum viri Dei tactu baculi terra dehiſcens patebat, & nemus hinc & inde funditus corruebat. Interea mulier quædam aduenit, quæ viſo terræ dehiſcentis miraculo, ad Epiſcopum celeriter feſtinauit: Eremitam eſſe Magum, maleficum, & incantatorem aſſerens, non Dei cultorem. Deinde cum celeritate ad Eremum reuerſa, ſancto viro conuicia, contumeliaſque & blaſphemias irrogauit; & authoritate Epiſcopi ab incepto opere ceſſans Sanctus, contriſtatus ſuper petram reſedit.

*Admodum ſolicitus eſt de pauperibus peregrinis.*

*Inſigne miraculum.*

*Temerè à quadam vocatur maleficus.*

Sed mirabilibus mirabiliora ſuccedunt. Petra namque duriſſima, nutu Dei, vt ſeſſioni Sancti eſſet habilior, ſub ipſo concauum eidem præſtitit locum. Quæ petra in hodiernum diem eodem in Monaſterio ſeruatur, & locus ſeſſionis eius demõſtratur: cuius tactu debiles ſæpius reſtituuntur ſanitati. Prouocatus igitur Pontifex verbis mulieris aduenit. Sed videns vtraque miracula, intellexit Eremitam magni eſſe meriti apud Deum, & deinceps eum feruentius dilexit, & quandiu vixit,

*Stupendis miraculis clarescit eius ſanctitas.*

eidem etiam familiarius adhæſit; foſſata verò tactu baculi viri Dei facta, & ipſa vſque in hodiernum diem ab incolis demonſtrantur.

Interea tantis miraculis ſancto viro Dei apud Gallos coruſcante, Eugenio patre defuncto, Fequhardus ei in imperio ſucceſſit. Verùm cum inteſtinis ſeditionibus Scotiæ regnum diſcerperetur, & illis extinguendis Rex negligentem ſe præberet: mox Scotorum regionibus cædibus ac depopulationibus ita exundantibus, vt nullus locus ab inimici iniuria cuiquam eſſet tutus, idque facinoroſi Regis incuria eueniſſe, nõ eſſet qui nõ atteſtaretur, exitiale omnium in eum odium eſt concitatum. Eóque tandem res proceſſit, vt Fequhardus, nec Deum veritus, nec publicæ curator ſalutis, cunctoſque timens, à nullo ſuorum timeretur. Aſpernati primores gentis illaudabilem adeo publici regiminis formam, pacis arbitris dictis, omnem litem inter factiones reparatis iniuriis rege compoſuerunt inconſulto. Erat id temporis multorum ſententia, Fequhardum flagitiis, pudore ſublato, totum addictum, in Pelagij delirium, quod antea Scotorum Regi acciderat nulli, abiturum. Auxit rumorem populi, Regis Fequhardi cum Britannicis ſacerdotibus, quos peſtis ea infectos per longa tenuerat tempora, diutina & continuata conſuetudo. Notatus eſt aliquando riſiſſe paruulorum baptiſma: peccatorumque ad Sacerdotis aurem confeſſionem. Scotorum majores horum fama impulſi, Fequhardum ad concionem per Fœcialem vocant: vt an vera eſſent, an falſa dignoſcerent, quæ vulgò ferebantur. Renuentem ad Fœcialis vocem venire, aggreſſi vi expugnata munitione, qua ſe tum ille continebat, capiunt, & in vincula coniiciunt, adhibitis cuſtodibus, qui cunctorum mortalium ad eum acceſſum prohiberent. Facto inde conſeſſu de regno adminiſtrando, de Fequhardo, an regno eſſet abdicandus, an publica perpetuò aſſeruandus cuſtodia, variè poſtquam erat conſultatum, itum eſt omnium ſuffragiis in hanc ſententiam, vt legati mitterentur in Galliã, qui Fiacrium ad paternum regnũ occupandum in patriã reuocarent. Id ſi nullis ſuaſionibus obtinere ab eo poſſẽt: quòd Monaſtica vita fortè plus æquo delectatus humanũ omne aſpernaretur faſtigium: Clotharium Regem qui tunc Francis imperabat, adirent, peterentque vt eius authoritate Fiacrius regni hæres, in patriam ſummi adminiſtratoris defectu multis fluctuantem incommodis, remitteretur. Nouerant enim fama referente, quàm Deo charus eſſet Clotharius, quàm ſacerdotũ venerator, quàm diligens æquitatis ac religionis cultor: quamque Regibus Reſpublicas ritè adminiſtrantibus amicus.

*Negligentia Fequhardi Regis Scotiæ regnum cædibus & depopulationibus diſcerpitur.*

*Fequhardus Pelagianæ hæreſi totus addictus.*

*Detruditur à ſuis in carcerem.*

*Legati à Scotis in Gallias mittuntur ad Fiacrium, vt paternum regnũ occupet.*

Legati imperia exequentes, in Meldenſem agrũ poſt longa itinera deueniunt, vbi Fiacrius Deo ſeruiebat. Facti igitur certiores, ad ſanctiſſimum virum, loci incolarum opera, quòd aſpectu venerandi viderentur, ocyùs ſunt adducti. Fiacrius nunciorum aduentus per quietem ſupernè admonitus, numen cæleſte piis lacrymis obſecrauit, ne deliciis, ad quas per ſolitariam vitã, Dei benignitas ipſum admiſerat, quoquo modo fruſtrarerur. Exaudiuit omnipotens deprecantem, effecitque vt aduentantibus legatis, lepra infecto ſimillimus hominum aſpectui appareret. Nuncij itaque ad Fiacrium venientes, conſpectum virum fœdiſſimo morbi genere, vt apparebat, laborantem, frigidè rogarunt, cuperétne redire in patriam: vbi natiui alimenti frequentia, potiùs quàm peregrini, opitulante

*Obtinet à Deo leproſus fieri, vt ſic Regni regimẽ effugere poſſit.*

natura contractam tabem fortassis tandem euaderet: se à Scotorum primoribus ad hoc missos, vt ipsi obtemperantes in iis quæ cuperet ad omnia affluenter ministrarent impensas. Ad ea Fiacrius, magistratum omnem non aliter quàm tetram pestem auersatus: Cernitis (inquit) opinor, vt vltrò in priuatam abiens vitam, solitarius agere potius quàm in hominum frequentia delegerim: tametsi plaga quam in me cernitis, vitæ potius emendatio, atque ad humilitatem incitamentum videtur æstimanda, quàm aliquis naturæ error. Satis mihi esse cognoscite cellam, vestem, olera, his manibus præparata. His enim contentus nihil est humani fastigij, vt res meæ sese habent, quod præ illis concupiscerem. Ite ergo, & germanis, nostræque gentis maioribus renunciate, vt Deum in primis reuerentes, religionis obseruationi incumbant: rectumque colentes, virtute se muniant & pietate: quas nulla hostium vis vnquam expugnabit. Me impensis, vti cernitis, non indigere: eóque Dei benignitate deueniisse, vt meo viuendi generi priuata vita magis, quàm publica deinceps conuenerit.

*Responsio S. Fiacrij ad legates.*

*S. Syra S. Fiacrij soror.*

Erat Fiacrio soror, virgo sanctissima, nomine Syra: quæ audita fratris sanctitate, ad eum in Meldensi agro Anachoreticam vitam agentem cum maiusculo sanctarum Virginum comitatu se recepit: quæ ab eo cum sodalibus in sancto proposito confirmata ad Gallicanam Campaniam se contulit, vbi per vitæ sanctitatem & clara sanctitatis signa, insignem sui reliquit memoriam. Reuersi autem supradicti Legati in Scotiam, quo in statu Fiacrium inuenerant, quàm tetro laborantem morbo, aspectuique humano fœdum, vbi in publica patrum concione narrauissent: consilium sumpsere primores, regni administrandi per quatuor eximiæ virtutis viros quos ea ætas custodes vocitabat, donec in re arduissima exactius consultaretur. Interea Ferquhardus multis variisque vexatus morbis, detentus in publica custodia, ne tantis calamitatibus diutius superesset in contumeliam, mortem sibi intulit: vt qui seditionibus ciuiumque cædibus viuens impiè fuisset delectatus, sibi ipsi in vitæ exitu non parceret.

*Sibi mortem infert Rex Ferquhardus.*

Interim beatus Fiacrius in Gallia miraculis resplendens, tandem cursum vitæ suæ fœliciter consummauit. Ad cuius tumulum quasi continuò gloriosa fiunt miracula. Inter quæ accidit quod septem peregrini de sancto Dionysio venientes, cùm non longè essent à Monasterio sancti Fiacrij, dixerunt quatuor ex illis: Eamus ad sanctum Fiacrium. Reliqui verò tres dixerunt: nos viscosi non sumus, non habemus necesse venire ad eum, ipse non habet peregrinos nisi viscosos.

*Moritur S. Fiacrius.*

*Diuinitus punitur sanctitatis eius irrisores.*

Quatuor etiam illis ad Sanctum incedentibus, tres iam dicti eos irridentes, sæpiùs clamabant: Ite viscosi ad medicum viscosorum. Nec mora, cæci facti sunt, & apertis oculis nihil videbant, donec cognoscentes culpam, & Sancti misericordiam implorantes, obtinuerunt visum sibi restitui. Sed & tanta meritis beati Cõfessoris quotidie perpetrantur in diuersis partibus miracula, quod de singulis non est nostræ possibilitatis dicere.

### NOTÆ.

Fiacrius.] *De eo Martyrologium Romanum 30. Augusti. Agunt de eodem Molanus in Addit. ad Vsuardum hac die. Surius tom. 4. Ioannes Lesæus de gestis Scotorum lib. 4. Franciscus Belforestius Annal. Franc. lib. 1. c. 36. Haræus de Vit. SS. 30. Aug. & multi alij.*

A *Plura de eodem in Breuiario Eccleſiæ Meldenſis.*

Ad Fecialis vocem.] *Fecialis proprie antiquitus dicebatur ille qui legatione vtebatur pro fœdere, & pace. Vel Feciales dicebantur, quia per eos fœdera & bella indicebantur. Non enim licebat alicui bellum inferre, nisi hi & iusta causa susceptum declarauissent, & prius indixissent.*

## VITA S. ALFREDÆ VIRGINIS.
### Ex Polydoro Vergilio.

*Habetur lib. 4. Hist. Angl.*

ALFREDA Offæ Merciorum Regis filia, ita ab incunte ætate instituta educataque fuit, vt deinceps vitiorum omnium fugiens, tantummodo in exercendis virtutibus operam daret. Cùm autem ad nubiles peruenisset annos, & matrimonio iam apta esset, erat quidam Ethelbertus nomine, Orientalium Anglorum Rex, vir eximiæ virtutis, qui cùm castitatis amore teneretur, decreuerat non labefactare corpus mulierum consuetudine, idcirco coniugium valdè horrebat. Contrà consiliarij maiorem in modum hortabantur vt posteritati consuleret, vxoremque duceret. Ad vltimum re ad consilium data, vnus à multis de sententia deducitur, sic, vt ei Alfreda Offæ Merciorum Regis filia pacta fuerit.

*Alfreda sancta educatio.*

*Promittitur in matrimonium Ethelberto Regi Anglorum.*

Post hæc longè humanissimus Princeps, cui cum primis charitas erat gratuita erga omnes, cupidus maioris gratiæ à socero ineundæ, ille ipse ad puellam deducendam proficisci voluit. Quem ita euntem prodigia multa terruisse ferũt: quippe quæ infœlicem illi vitæ exitum portenderent. Porrò cùm primùm in equum ascenderet, terra ei visa est tremere sub pedibus. Exin in itinere de medio die nebula derepentè circundatur, aliquandiu nihil vidit, & nouissimè visus est sibi in somnis videre fastigium regiæ suę subito corruere. Iis portentis etsi terrebatur (terrebatur autem vehementer:) attamen nihil fraudis suspicatus, vt qui suis aliorum metiebatur mores, ire perrexit. Accepit Offa adolescentem venientem humaniter: at eius vxor nomine Quendreda, mulier prudens, cæterum impia, non amore mouetur, sed magnum ausa nefas, viro persuadere conatur, vt Ethelberto interempto, regnum Orientalium Anglorum quamprimùm occupet.

*Signa mortẽ Ethelberti portendentia.*

*Quendreda Regina impia.*

Rex primùm à tanto scelere abhorret, increpátque vxorem grauiter, deinde tamen mulieris importunitate ac proteruitate flexus, in id facinoris conspirat. Negotium maturandæ cædis mandatum est cuidam prompti atque audacis animi, qui tempus & locum peragendæ rei caperet. Ille cum nonnullis aliis ad scelus edendum adiunctis: perinde quasi ab Offa missus ad Ethelbertum arcessendum noctu accessit, atque inopinantem iugulauit. Offa extincto iuuene, eius regnum statim armis inuasit, occupauitque.

*Occiditur Ethelbertus Rex.*

At Alfreda virgo cognita morte sponsi, parentes omnibus precibus detestata, subitò diuino instinctu concitata prædixit fore, vt mater sceleris tanti pœnas daret meritas: id quod breui pòst tempore contigit. Ipsa verò virginitate Deo dicata, ad Insulam cui nomen est Crolandia, se contulit: ibique sanctissimè vitam egit. Is locus admodum palustris inter Elym Insulam & Nynam flumen, olim circiter annum salutis D C X C V. cœpit esse celebris, ob memoriam diui Guthlaci qui ibi Anachoreticam vitam duxit, & sepultus est. Corpus verò Ethelberti

*Prædicit Alfredæ Quendredæ matri pœnas ob patratũ scelus. Ad Croládiæ Insulam desertam se cõfert Alfreda, & ibi moritur.*





*Ethelbertus martyr claret miraculis.*

Ethelberti martyris Herofordiæ postremò sepultum est; vbi multis fulget miraculis.

## VITA S. AMATI EREMITÆ.
### Ex ea quam ex M.S. Codicibus collegit Surius.

*Parentes & patria S. Amati.*

EMPORIBVS Dagoberti Regis, vt moribus egregius, ita & sanctitate, re & nomine Amatus extitit. Ortus est autem præclaræ indolis puer in suburbio ciuitatis Gratianopolitanæ, ex parentibus Romanæ stirpis nobilitate claris. Pater eius Theodorus dictus est, vir Christianæ religioni addictissimus. Promisit autem se filium Amatum Monasterio traditurum. Itaque beati Mauricij liminibus, id est, Agannensi cœnobio, pius adolescens munus Deo gratissimum oblatus est. Sed cum iam annos triginta, Monasticis institutis & disciplinis perpetuò incumbens, totum se virtuti dedisset, moris solitudinis secessum expetens, clam è Monasterio egressus est, & non procul ad cuiusdam excelsi montis rupem se contulit. Interim ab Abbate, & fratribus magno studio quæritur, & tandem triduano exacto ieiunio ægrè inuenitur. Repertum orant fratres, vt ad Monasterium redeat. Quibus ille respondit. Sinite, fratres, sinite me, obsecro, in hoc angusto loco flere peccata mea. Cum ergo eum non possent à sententia deflectere, aiunt ad eum: vel id saltem indicato nobis, quam tibi velis alimoniam huc afferri. Ille respondet. Panis & aqua post triduum præbeatur mihi: & ipse panis quem dabitis, oro, vt hordeaceus sit. Abeũt fratres, indicant Abbati repertum Amatum, & quid ex illo audierint. Mox ab Abbate designatur frater qui officiosè illi ministret. Is accepto pane, vrceoque aqua pleno, pergit ad virum Dei, & cum ea illi obtulisset recedit.

*Fit Monachus & paulò post in solitudinem se recipit.*

*Abstinentia S. viri.*

*Diabolus, in corui specie apparens, aufert panem eius, & effudit aquam.*

Cum autem vir Dei orationi vacaret, tentator in corui specie adfuit, ablatoque pane, aquam effudit. Id vbi post orationem animaduertit Amatus: Gratias tibi ago ait Domine Iesu Christe, qui me vis productiori ieiunio exerceri. Erit hoc mihi magno emolumento, quandoquidem nihil in hoc mundo geritur absque prouidentia tua. Non diu post angustam ei cellam vel specum ædificarunt. Sed cum iam vnum annum aqua illi à ministro Berino allata fuisset ex vallium amnibus, ille fratrum penuriam miseratus, ait. Accedamus, fratres, ad hoc saxum, & oremus: potest enim Deus etiamnum è petra aquam producere. Finitis precibus, surgunt à terra, & vir Dei baculo, quem manu gestabat, percutit petram, & mox erumpit aqua, perpetuò illic fluitans. Postea verò in eadem rupe exiguum terræ spatium vir Dei inueniens, excisis virgultis, agellum effecit tertiam modij partem capientem: atque illic, hordeum serere solebat, iustum existimans, vt suo quisque labore victitet. Porrò infra cellulam etiam molam habuit, quam consueuit versare manu, cum canenti ei & defatigato somnus obrepebat. Calceis in eo loco nunquam vtebatur. Illud autem spatium in quo molẽdi causa pedes extendere solebat, minutis iisque peracutis lapillis plenum erat. Itaque hoc in more apud illum positum erat, vt carnis tentationes & corporis somnum labore molendi abigeret.

*Magna resignatio voluntati diuinæ.*

*Percutiens baculo petrã, ex ea aquam erumpere facit.*

*Laborat manibus.*

*Numquam vtitur calceis.*

Cum aliquando in agello, quem excolere solebat, nonnihil foderet, ab excelsa montis rupe saxo immani ruente, vidit cellulæ suæ repentinum imminere excidium. Sed vir Dei Crucis signũ exprimẽs, In nomine Domini nostri Iesu Christi ait præcipio tibi, ne vlterius descendas. Iam nõ longè à tecto mansiunculæ aberat saxum, moxque figens gradum, monti inhæsit. Et crebrò sanè diabolus accedens cum satellitibus suis minabatur se cellulam funditus euersurum. At ille fortissimus miles inconcusso & intrepido animo respondit: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

*Præcipit saxo ne vlterius descendat.*

Loci illius Episcopus familiarissima ei charitate deuinctus erat, & cum crebrò illi libenter adesset, sæpiusque inuiseret virum Dei, statuit quandam pecuniæ summam pro eius consolatione illi largiri, in eius arbitrio relinquens, an seruare sibi, vel pauperibus distribuere vellet. Sed cum recusaset Sanctus munus oblatum, Episcopus clam egrediens, pecuniam imposuit altariolo, in quo sacrificare consueuerat. Cum autem nocte exacta ad sacra peragenda mysteria vir Dei accederet, repertos nummos, in profundam vallem magna vi abiecit.

*Pecuniam abhorret.*

*Vestes Sancti quales.*

Vestis ei erat ex veruecum pellibus. Porrò in Quadragesima, pro quotidiana refectione, post vespertinas persolutas laudes, quinque nucum nucleis, cum exiguo aquæ poculo, illius mensa instruebatur.

*Victus eius in Quadragesima.*

Per id tẽpus in Vosagi partibus vir egregius & religione celeberrimus Abbas Eustachius morabatur. Is quandoque Italiã petiturus, venit ad Agannense cœnobium. Vbi cum audiuisset Amati famam sanctitatis ad eum visendum properauit. Inuentumque virum Dei tanta charitate complexus est, vt nullo pacto eum sibi deesse pateretur. Reuersus namque ab Italia, hunc beatum secum duxit Luxouium. Vbi autem in eo Monasterio beatus Amatus aliquandiu versatus fuit, omnibus charus & amabilis effectus est. Contigit autem vt ea tempestate missus à fratribus, quasdam Austrasianorum vrbes perlustraret (multa enim concionandi gratia præditus erat.) Et cum ad domum viri nobilissimi Romarici diuertisset, & ab eo honorificè exceptus fuisset: inter epulas hortabatur eũ vir beatus ad contemptum mundi. Romaricus igitur viri Dei verbis inflammatus, spreuit diuitias, factúsque est Monachus. Postea verò ex instinctu diuino beatus Amatus vnà cum Romarico discipulo suo, puellarum Monasterium condidit. In eo autem puellarum cœnobio quædam Sanctimonialis absque senioris permissu ausa fuit pomum comedere. Et ecce mox à diabolo arrepta miserabiliter cruciabatur: sed vir Dei statim dæmonem profligauit.

*Visitatur à S. Eustachio.*

*Pollet gratia prædicandi.*

*Cõstruit Monasterium puellarum.*

*Notent hoc Monachi.*

Porrò Sanctus Amatus semper deserti loci secretum appetens, in vastis Vosagi spatiis castrum reperit, vbi multas virgines collegit, easque in septem turmas distributas, noctu diuque per vices sine intermissione psallere voluit, ita vt semper duodecim virgines in vnaquaque turmà essent. Ipse verò in obliqua parte montis concauum reperiens saxum, angustum illic sibi vni habitaculum construxit, vbi etiam lectulum habuit, ipsius corpori accommodatum. Nec enim specus amplius aut longius porrigebat sese. Superius autem immanis hærebat rupes, ex qua minister eius, tintinabulo ad funem ligato, exiguam panis particulam & parum aquæ in vasculo ei submittebat. Dominicis verò diebus inde progrediens, fratribus vel sororibus Scripturas sanctas proponebat. Erat sanè dãdis consiliis humanissimus, & quorumdam etiam

*Multas colligit virgines.*

*Solus degit in specu.*

*Prodit cordis cogitationes.*

cogitationes prodebat. Fratrem quendam furti arguens, Surge, inquit, & age pœnitentiam.

Ante annum vnum quibusdam fratribus obitum suum vir sanctus prædixit. Erat tunc quidam frater familiariter ei charus, cui præcepit vt cum Castorio iret ad propinquam syluam, collectoque cinere, è cilicio culcitram ei faceret, eamque cinere completam, in lectulo suo poneret. Vt iusserat ita factum est. Et post paucos dies coram fratribus culpas suas quas se admisisse meminit, voce publica confessus est, in cilicio & cinere prostratus. Cum igitur in ea esset pœnitentia, incommoda corporis affectus valetudine, perpetuo cruciabatur dolore. Sed ille sciens tempus adesse, quo ipsius peccata purgarentur: in illis doloribus mirificè exultabat.

*Prædicit suũ obitum.*

*Iacet infirmus in cinere & cilicio.*

*Patiẽtia viri Dei in doloribus.*

Iam annum in eo cilicio & cinere egerat, die ac nocte iugiter precibus vacans, cùm præ nimio membrorum cruciatu, cute & carnibus exesis, nuda ossa paterent. Interim ille nihilominus cum lacrymis semper Domino loquebatur. Cum autem finem adesse sentiret, cuidam fratri ait: Affer Epistolam Leonis Papæ, quam ille ad Sanctum Flauianum scripsit, in qua Catholica fidei plenissima ratio continetur. Allata est Epistola, & cum illi legeretur, ita dixit: Sic credo, ô Trinitas ineffabilis: ita confiteor, Deus omnipotens: ita de te sentio, Fili Dei Christe Iesu: sic de te intelligo, Spiritus sancte, æterne Deus: atque ita vnum Deum in Trinitate, trinumque in vnitate confiteor.

*Moriturus iubet sibi legi Epistolam S. Leonis Papæ ad S. Flauianum.*

Cum autem summa esset humilitate præditus indignum se putauit, qui intra Ecclesiæ septa sepeliretur. Iussit igitur sibi fodi sepulchrum in ipso aditu basilicæ matris Dei, & hoc Epitaphiũ, quod ipse composuit, ei imponi: Omnis homo Dei, qui in hunc locum sanctum ad orandum introieris, si meruerit obtinere quæ postulas, pro anima Amati pœnitentis hic sepulti, Domini misericordiam deprecari digneris: vt si quid mea prauitas de meis peccatis obtinere non potuit tepidè pœnitendo, obtineat vestra tantorum charitas, sedulè Domini misericordiam deprecando. Interim verò congregati fratres & sorores, non sine multo luctu sustinebant eius excessum è vita, legentes Euãgelia, psalmosque & hymnos apud lectum eius decantantes. Sub his autem vocibus ille veniam ab omnibus petens, eisque valedicens animam expirauit. Post vnum annum cuidam fratri reuelatum est, vt sacrum eius corpus ocyùs intra beatissimæ matris Dei basilicam conderetur. Quod & factum est cum summa reuerentia. Atque ad eum locum populorum cateruæ properantes propter eius solemnitatem, per eius interceſſionem sperant se salutis compotes fore.

*Humilitas sancti viri.*

*Ipse suum composuit Epitaphium.*

*Moritur.*

*Habetur in Bibliotheca Floriac.*

## VITA S. MACHVTIS EPISCOPI & Eremitæ. Ex ea quam collegit Ioannes noster à Bosco.

*Patria & parentes S. Machutis.*

MEnerabilis Machutes generosis parentibus secundum sæculi dignitatem in Britannia quandrangula, quæ regio Vventi dicitur, matre iam decrepita, nomine Darunla natus, quæ erat soror Ammonis patris S. Samsonis, & Vmbrafel patris S. Maglorij, ex patre nobilissimo virorum regionis illius, nomine Vvéro oriundus fuit. Vt autem ferunt viri credibiles, mater eius in sexagesimo anno erat, quando Machutem peperit, in valle quæ dicitur Carruanna. In qua nobile & elegantissimum Monasterium erat situm, cui Brendanus Christi Confessor præerat. Ad quod Monasterium mater S. Machutis, nocte Vigiliæ S. Paschæ ad vigilandum atque obsecrandum venerat: & ibidem eundem suum filium edidit, quem Brendanus deinde baptizans de sacro fonte leuauit, & educauit, sibique à parentibus commendatum sacris literis erudituit, ac Monachum suum fecit.

*S. Machutes nascitur in Monasterio in Vigilia Paschæ.*

Illa autem vallis Carruana in qua Sanctus Machutes ortus atque nutritus, eruditusq; fuit, prope mare est. Itaque dum adhuc esset puer, die quodam cum cæteris condiscipulis pueris in litore ludebat, & ab aliis secedens dormitauit, crescenteque mari, cuncti pueri recesserunt, & Machutem dormientem dimiserunt. Fluctus itaque locum vbi puer dormiebat circundantes, quasi Insulam dimiserunt: litus quoque diuinitus creuit adeò, quod Insula modica quasi monticulus effectus, ne maris elationes super soporatum puerum, & circa ipsum possent ascendere, defensauit. Qui quidem monticulus à mari circumdatus in testimonium miraculi ibidem manet vsque in diem hodiernum. Excitatus autem puer, & se ab vndis circumdatum videns, ac timens valde orationi se dedit. Cum autem à condiscipulis B. Brendanus audisset quod puerum soporatum dimisissent: pro puero hæsitans orare cœpit: & statim Angelus ei reuelauit, quomodo Deus illum seruare voluerat. Veniens autem ad litus puerum in Insula vidit, & cum nauicula illum ad se deferri mandasset, puer vsque in crastinum se ibi dimittendum rogauit: psalterium tamen suum ad legendum sibi mittendum postulauit. Quod dum illuc detulissent, iubente puero super alica illud posuerunt, ipsumque alica super vndas ad Machutem detulit incorruptum. Sequenti verò die puer nauicula ad Monasterium delatus est.

*Etiamnum puer claret miraculis.*

Erat mos, vt vnus puerorum in sua hebdomada ferret cum lumine laternam, ante magistrum adeuntem basilicam noctu, causa matutinalis officij. Adueniente verò septimana felicis pueri, socij extinxerunt ignem, quo accendi debebat lucerna. Quidnam faceret puer Machutes ambigens, ad coquinam cucurrit. Cumque non haberet quicquam paratum, in quo carbones tolleret, in sinu prunas detulit: & vestis eius omnino inusta permansit, reuersusque ad magistrum, reperit candelam ab Angelo diuinitus illuminatã. Cum verò prouectioris esset ætatis, & scientiæ competentis, Concionator institutus est. Sed dum toto animo intentus esset, de caducis transire ad æterna, & de labentibus ad stabilia, remotiorem sibi quærere satagens locum, Insulam in illis partibus famosissimam, in Oceano videlicet positam, vocabulo Imam, cum magistro & sociis disposuit nauigando adire. Parata itaque naue, proficiscentes nonaginta & quinque circiter numero fratres, cum vna spatiosa naui committunt se pelago. Vbi hac illacque diu nauigando vagantes, cum Insulam quam quærebant inuenire nequirent, peragratis Orcadibus, cæterisque Aquilonensibus insulis ad patriam redeunt.

*Candela ab Angelo accẽsa.*

*Ima Insula.*

Multis autem temporum curriculis, sese annuatim succedendo præterlabentibus, eundem beatum virum, persæpe miraculis coruscantem, omnique populo, flagrantia virtutum in eo non deficientium, complacentem, Reges & nobiles illius prouinciæ ad Episcopatus apicem, Deo disponente, æquanimiter elegerunt: atque ordinari solemniter

*Creatur Episcopus.*



niter fecerunt. Ordinatus verò Episcopus, atque sacerrimum id officium feliciter & digniter aliquandiu administrans, naualibus iteratò apparatibus instructis, ad prædictam Insulam, cum sacro quondam magistro Brendano, aliisque viris, aggressus est nauigare. In qua nauigatione pluribus in mari manentes annis, ad septennium vsque peruenerunt. Sicque factum est, vt vicissim annuali recursu anno interpollente, septies sanctum Pascha contingeret eis in mari celebrare. Peractis autem septem annis, prospero cursu ad auitas sedes repatriarunt. Postmodum B. Machutes, cum in Oceano inuenire nequiuisset stationẽ, patriam relinquere disposuit: prius tamen inuisit parentes, genitorem videlicet nomine Vvento, nobilissimũ Comitẽ, conditorẽ vrbis dictæ Guinicastrum; necnon genitricem nomine Darunalam. Quibus salutatis, & contradicentibus eis, & interdicentibus nautis, ne subuectionem nauium filio subrogarent: Deus Angelico ministerio nauem ei parauit. Angelo autem inuitante, & suadente introiuit nauim illam B. Machutes, & socij eius. Inter nauigandum verò interrogauit Angelus, quem putabant esse hominem, beatum Machutem, quonam deliberauerat nauigare. Respondit se nescire, nisi quò eum Dominus dignaretur dirigere. Cui respondit Angelus. Est insula in hoc mari, quam quidam Eremita inhabitat, nomine Aaron. Ad hunc te oportet pergere. Extemplo vt hæc audiuit B. Sacerdos & Pontifex, valde gauisus est, & sine vlla dilatione & hæsitatione, prospera nauigatione, directus ad Insulam Aaronis Eremitæ, exceptus ab eo est, humanéque habitus, mansitq; tandiu cum eo Reuerendus Christi Sacerdos, donec Episcopatus ciuitatis Britannicæ, quæ vocatur Aleta, eidem diuinitus extitit adapertus & destinatus, idemque ipsius ciuitatis Præsulatũ digniter est adeptus. Non enim erat eadẽ ciuitas lõgè ab Insula Aaronis, super litus quidem maris sita, habens ex vno latere fluuium, nomine Kinctus, ab altera verò parte mari alluebatur. Quibus in locis nondum erant Britanni penitus Christiani. Quocirca cœpit Machutes edocere, ac instruere populum, & ad viam veritatis attrahere. Quodam die Paschæ, celebrata Missa, mortuum suscitauit, aliisque miraculis claruit, & puellam à dæmone vexatam sanauit, & Duchẽ Ailiochum nomine, cœnobialem basilicam ab eodem S. Machute fundatam, euertere conantem cæcitate percussit: sed veniam precante Duce, aqua benedicta, oleoque sacro oculos eius perungens, pristinum ei restituit lumen.

*Cum S. Brẽdano peregrinatur per mare.*

*Inuisit parentes.*

*Ab Angelo monetur adire S. Aaronẽ Eremitam.*

*Suscitat mortuum.*

Post mortem Ailochi Ducis, qui beatum Antistitem, dum vixit, omni honore extulit: surrexit impia generatio hominum ipsius prouinciæ, aduersus Sanctum Dei inuidia & malignitate feruentes, pro eo quod homo Dei tam latam & spatiosam possideret terram, Dei nutu à fidelibus sibi per plures annos largitam & donatam. Ob hanc igitur causam irrogabant Sancto Præsuli, & suis Monachis multas iniurias. Pro multis itaque ac vehementibus contra fas, iusque diuinum sibi irrogatis offensionibus, infensus populo Britannico, excommunicationis & maledictionis notam inflixit generationi illi nequam. Cuius maledictionis & anathematis inualescente causa, ipsa terra cum hominibus cœpit confundi, ac retrolabi. Siquidem & hominum alij effecti sunt contracti, alij leprosi, alij excæcati, nonnulli languoribus grauibus & diutinis exesi, & luridi facti, diu admodum excruciati, & penè exanimati sunt. Nonnulli verò in eiusmodi ærumnis vitam miseram morte clauserunt. Terra verò nihilominus sterilis, & impotens germinandi vel procreandi fruges, inefficax extitit.

*Multos patitur amulos & inuidos.*

*Nota vim excommunicationis.*

Talibus ergo inquietudinum & scandalorum irritamentis propulsus, & fugatus de sede sua, nauigium cœpit in pelago occidentali. Quod totum semper psalmis & orationibus vacans, prosperè consummauit: expetens Xantonicæ vrbis pagum, prouinciæ Aquitaniæ. Quò cum peruenisset cum suis Monachis, interrogauit si consistentes inter ea loca viuerent Christiani. Responsumque est illi Christianos ea incolere & inhabitare arua, Leontium quoque copiosa claredine celeberrimũ Episcopali excellentia intimatum est, vrbem regere Xantonicam. Tali itaque rumore lætificatus B. Machutes, destinauit ad eum aliquos ex suis, qui illi suggererent de suo aduentu, & suæ peregrinationis causam fideliter depromérent. Quibus auditis spectabilis vir Leontius Episcopus, spiritali admodum gaudio affectus, beatum Machutem excepit cum multa veneratione, eique villam quandam ad construendum Eremitorium contulit. Cui aliquandiu illic manenti, cum rusticus quidam asinum ad ligna deferenda dedisset, & lupus eundem comedisset: beatus vir ad nemus accedens, lupum inuenit, & eum diuinitus adeò mansuefecit, vt cum Monachis domesticè habitaret: & aselli onera cuncta de cætero baiularet, eiusque opera perficeret. Quadam die cum filia Xantonici Comitis per viridarium sui genitoris cum aliis puellis spatiaretur, serpens illic delitescens ictu letifero pupugit eam. Tunc beatus Machutes ad parentum preces, folium hederæ aqua benedicta perfusum, vel saliua sua sacratum, indidit vulneri puellæ, quæ statim pristinæ sanitati restituta est. Suscitauit à mortuis puerum ab aquis præfocatum, necnon quandam viduam quæ cæca remanserat per quatuordecim annos.

*Venit ad S. Leontiũ Xãtonensem Episcopum.*

*S. viri iussu lupus asini onera baiulat.*

*Sanat puellã à morsu serpentis.*

His & aliis insignibus miraculis florente B. Machute, venerunt missi ad eum è Britannica legati prouincia, obnixè precantes, quatenus suæ reuersionis præsentia recrearet patriam, quam maledictionis & excommunicationis plaga inutilem & pestiferam cum incolis reddiderat. Super hac re triduano peracto ieiunio, monitus est ab Angelo vt rediret in Britanniam, terram illam à maledictione liberaturus, & iterum Xanctonas redituras. Cæsti admonitioni parens vir sanctus rediit in patriam, suaque benedictione ab omni pestium & miseriarum vexatione purgauit. Tunc Principes regni illius & Optimates, vel Episcopi conuenientes, rogarunt virum Dei ne vmquam ab eis recederet: sed inter eos vitam degeret. Quibus gratias agens, & valedicens, iterum abscessit rediturus ad Xantonicam ciuitatem. Ad quam feliciter reuersus, degensque in Eremitorio suo, vitam cum morte commutauit 17. Calend. Decemb. Dominicæ quidem diei conticinio noctis, adstantibus sibi cunctis fratribus. Vixit autem centum triginta tribus annis. Cuius sacrum corpus Leontius Episcopus tradidit sepulturæ. Post aliquot autem menses idem Episcopus amplius & decentiùs Sancti Præsulis Machutis volens honorare corpus, nouam & elegantem fecit ædificare Ecclesiam: inibi vtique vbi eum sepelierat, extra muros Xantonicæ vrbis: vbi extunc & de cætero, tot & tanta facta sunt miracula, quanta nec hominum memoria, nec scriptorum valet comprehendere industria vel solertia.

*Redit in Britanniam.*

*Moritur apud Xãtonas vir sanctus.*

*Construitur Ecclesia ad eius honorẽ.*

NOTÆ.

Machutus.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 15. Nouembris. Plura de eodem in Chronico Ordinis S. Benedicti tom. 1. sed quæ multa apocrypha contineant. Agunt de eo etiam Petrus in Cat. & Vincentius in Speculo Historiali.*

*Habetur tom. 4.*

## VITA S. CARILEPHI PRESBYteri, & Eremitæ. Ex ea quam collegit Surius ex M. S. Codicibus.

*Patria S. Carilephi.*

VIR vitæ venerabilis Carilephus ex prouincia Aquitanię pago Aruernico ortus est, parentibus non improbis, sed credentibus in Christum, ibique in crepundiis lactantis infantiæ ablactatus est & nutritus. Qui cum adolescere cœpisset, totum se in amore superni iudicis dedit. Porrò eius propinqui vt viderunt eum ab omnibus mundanis desideriis alienum, nutu Dei religiosis Monachis eum nutriendum tradiderunt. Vbi cum per dies singulos, ætate, sapientia, & amore æternæ patriæ cresceret: cœpit iam talis existere, qualem possis sine bonorum oblocutione asserere.

*Monachis educandus traditur.*

Cum autem tantæ virtutes & charismata cunctis eum redderent amabilem, & in magno honore ac reuerentia ab omnibus haberetur, metuens vir sanctus, ne sagitta diaboli vulneratus, in laqueum elationis incurreret, quodam die, accersitis quibusdam è fratribus, quos in Dei amore constantes cognouerat, eis animi sui arcanum patefecit: hortatusque est eos ad vitæ Monasticæ institutum. Votis autem viri Dei beatus Auitus, qui erat viuum quoddam sapientiæ domicilium, se socium adiunxit. Cœperunt igitur milites Christi singula Sanctorum loca visitare, & post aliquot dies peruenerunt ad Ligerim fluuium, eoque transmisso, ad partes occiduas iter intenderunt, soleter inquirentes, si fortè inuenire possent patres, quorum exemplo per melioris vitæ tramitem ad terram viuentium pertingere valerent. Interim præcurrente fama, audiunt de beatissimi Maximini, Aurelianensis præsulis, sanctitate, & labore atque virtutibus, feruentique desiderio ad eius properant Monasterium, quod ipse sibi in Ecclesiæ suæ parœcia constructerat, vbi carnem macerans, sedulus Domino seruiebat, & multis coruscabat miraculis. Cumque eò peruenissent, reuerenter ab eo susceptì, ibi aliquandiu morati sunt, vt confessoris Christi cognoscerent sanctitatem. Vt autem beatus Maximinus eorum sapientiam & abstinentiam perspexit, diuina inspiratione permotus, hortabatur eos presbyterij dignitatem suscipere. His auditis, beatissimi viri Carilephus, & Auitus, vt erant ad omnem humilitatem paratissimi, iussui Pontificis obtemperarunt: atque ab eodem Sacerdotij munus sibi imponi sustinentes, mox inde egressi sunt, vt spiritale semen in corda credentium iactarent.

*S. Maximini Aurelianensis fama.*

*Cella S. Auiti.*

Euntes autem peruenerunt ad vastam quandam Eremum in loco qui Pitiacus antè dicebatur, nunc autem Cella Sancti Auiti vocatur: ibique in multis ieiuniis & orationibus perseuerantes latitarunt. Porrò S. Carilephus, quemadmodum olim Moyses post oblatas Domino preces, aquam viuam illic inuenit. Super eum autem fontem sanctus vir ad laudem Dei summi oratorium extruxit: & vsque in præsens fons Sancti Carilephi vocatur. In quo loco dum morarentur, meritorum eorum fama vsque adeò longè lateque diffundi cœpit: vt ab omnibus inuiserentur. Id vbi animaduertit Carilephus, solitariam vitam appetens, valedixit Sancto Auito, & cum germano suo Daumuero, Galloque commilitone, ad partes Cœnomannorum perrexit, singulaque solitaria loca perlustrans, vbi secretius degere posset, explorabat. Sed Dominus qui voluntatem timentium se facere consueuit, perduxit eos ad locum solitudinis ipsi pergratum, qui Casa Iagani priscis dicebatur temporibus, super fluuium quem Auisolam appellant, vbi multi fontes frigidas fundunt aquas, à quarum frigiditate fluuium volunt sumpsisse vocabulum, tanquam ab auio, id est, tremo, & insula, dictus sit Auisola, hoc est, tremoris & frigoris insula. Atque hinc etiam Auates volucres dictas putant: quod semper in aquis versari eas delectet. Erat autem is locus valde solitarius & nemorosus.

*Venit vir sanctus ad locũ valde solitarium.*

Eò vt peruenit vir sanctus, perspexitque locum à secularium habitatione & hominum frequentatione alienũ, nullumque illuc mortaliũ accessum esse, nisi volucrum & bestiarum, sibi eum à Domino præparatum intelligens, humi prostratus, orauit, & gratias egit. Cœperunt itaque sarculo quod secum attulerant, sentes eruere, vt nonnihil possent colere humum, & iactis paruis seminibus, herbarum radicibus victitare. Dum autem totis viribus incumbunt extirpandis vepribus, repentè nutu Dei, maceriam dirutam offendunt: quæ ob niminiam vetustatem spinis & sentibus operta, serpentium erat hospitium, & habitaculum bestiarum. Ea re perspecta, athletæ Dei magno conatu spinas euellunt: & aliquot menses in opere perdurantes, ex vilibus virgultis tugurium sibi cõstruxere: multisque diebus Domino illic seruientes, Missarũ solemnia & singularum horarũ officia persoluebant.

*Missarum solemnia & horarum officia.*

Sed cum in eo loco, per singulos dies in Domini seruitio perseuerantes, aliquanto tempore sese occultassent, sicut non potest ciuitas abscondi supra montem posita: sic Sacerdotis magni Carilephi tegi non potuit sanctitas. Quo ergo ordine ad hominum notitiam eius merita peruenerint, exponamus.

Erat tunc in ea solitudine Taurus, qui syluester dicitur, miræ magnitudinis, miræque ferocitatis. Vulgò à bouis deriuatione, bubalum eum vocant. Is diebus singulis, posita feritate ad Sanctum Dei Carilephum venire solebat, & quasi benedictionem postulans, submisso capite, accedebat ad eum, stans immobilis, donec illius manibus contrectaretur. Itaque caput & collum eius seruus Dei contrectans, fratribus id quod futurũ erat, ita prædixit: Cuiusdam potentis hominis Taurus iste specie præ se fert, qui cum magna indignatione ad nos venturus est: sed dispensatione diuina coactus, cum omni mansuetudine recedet à nobis, idque postea rei probauit euentus. Per idem enim tempus Francorum Rex Childebertus, cum robustissima manu, regio more ad Cœnomanos veniẽs, aliquandiu illic morabatur. Indicatum est autem illi de prædicti bubali vastitate & ferocitate, & quod non solum capi non posset, sed etiam volatu pennigero ab oculis videntium aufugeret. Ille id audiens, cum omni venandi apparatu ingressus est Eremum, sagaciter inuestigans, vbinam bubalus latitaret. Ad eius verò strepitum, & clangorem buccinarum, canumque latratum, & hominum clamores commotum animal, ad Sanctum Dei Carilephum, quasi ad portum refugij se recipiens, tremens ac palpitans, huc illucque toruis oculis adspectabat. Quẽ venatores insequentes velociter, inuenerunt

*Prædicto viri Dei.*



inuenerunt prope Christi famulum stantem: timoreque perculsi non sunt ausi propè accedere: sed protinus veloci cursu reuertentes ad regem, ei quæ viderant, cum magno pauore nunciauerũt. At ille versus in furorem, eò se duci iubet ab ipsis: cumque vidisset seruum Dei, & bubalum ad tergum eius stantem, indignabundus ait: Quinam estis vos homines, aut vnde huc venistis, vel cuius hic authoritate commoramini, & regiam venationem interturbare audetis? At Christi Sacerdos Carilephus, non immemor præceptorum Domini dicentis; In patientia vestra acquiretis animas vestras, cũ humilitate properans ad Regem dixit ei. Nos Domine rex, ex Aquitaniæ partibus huc ad peregrinandum venimus. Reliquimus diuitias instabilis vitæ, vt ad semper mansuræ gloriã peruenire valeamus. His auditis, rex cum ingenti indignatione minitabundus ait: Omni cum celeritate hinc recedite, & alibi vobis sedem figite. Carilephus constanter respondit. Non est necesse clementissime Rex, vt hac de re quicquam tibi respondeamus: ex paucis autem vitibus, à Christo in hoc loco nobis ostensis, modicus vini liquor expressus in paruulo vase habetur: petimus vt pro benedictione cum his omnibus, qui tecum sunt, sumas inde, & sic ad tuum Palatium cum lætitia reuertaris.

*Childeberti Regis aduersus sanctum virum iniusta indignatio.*

*Humilitas S. Carilephi.*

Eius autem verba rex despiciens, equum vertit, aitque cum fremitu: Hoc facite quod præcepi: mihi verò & meis nihil opus est, vestræ rusticitatis mustum vt potemus. His dictis, vt fortissimus equi moderator abiit: sed Dominus Deus, qui serui sui merita decreuerat in lucem proferre, gradienti regi obstitit, ne posset iter prosequi. Repentè enim equus eius obriguit, & haud secus atque præcipitium viam, qua tendebant, oscitabundus refugiebat. Rex autem cœpit eum magna contentione impellere, virgis cædere, calcaribus cruentare. Sed videns nihil se proficere, nimia equi cæde fatigatus, mirabatur quid equo accidisset, vt nec progredi, nec retrocedere posset. Tunc vnus ex Comitibus eius, diuina, vt reor, inspiratione commotus, dixit ad eum: Superni regis famuli sunt hi, quibus tu comminatus es præcellentissime rex: qui, vt arbitror, si vel Soli ipsi dixerint, Sta; stabit profectò Sol, cursumque suum sine illorum imperio conficere non valebit. Dixit autem illi rex; Abi citiùs ad hominem Dei, si fortassis deprecari possis, vt vel ad sua nos vestigia repedare permittat. Mox veloci cursu, vt erat iussus, ad virum Dei reuersus Comes, & ad eius pedes aduolutus, indicauit quid regi euenisset. Ille verò gratias agens Deo, comiter iussit regem ad se reuerti. Id vbi rex didicit, equus qui paulò ante nulla verberum vi, aut calcarium punctionibus, vt se loco moueret, adigi potuit, ad Sanctum Dei solita velocitate regressus est. Postquam autem rex Dei seruum procul vidit, ab equo descendit, cursuque concito & curuato corpore ad eum cucurrit, eiusque prostratus vestigiis, transgressorem se & impium, qui Sancto Dei contradicere ausus esset, cum lacrymis clamabat. At Christi seruus eũ complexans, erexit à terra, exosculatúmque his instruxit admonitionibus. Rusticitatis meæ verba accipe nunc inuictissime Princeps, & quæ à me dicentur, in cordis tui penetralia admitte. Dominum qui in cælis est, Regem te habere memento, cui multum necesse est considerare quid placeat. Non te de loco regiminis inflata potestas extollat: nec reddat turgidum rerum transeuntium tumor: huius altitudo honoris temperetur sancta humilitate. Recordari te cõuenit, quod cum omnibus hominibus vnus te mulieris partus effuderit in mundum, vno sis cum cæteris hominibus mediatoris Dei & hominum Christi Iesu redemptus cruore, æquali etiam regeneratus baptismate, vno Christi corpore & sanguine cum pauperibus satieris. Dicit autem tibi Dominus per prophetam suum: Non aliud exquiro à te, nisi facere iudicium, & diligere misericordiam, & vt paratus sis ire post Dominum Deum tuum. Scriptum quippe est: Misericordia & veritas custodiunt Regem.

*Pedibus sancti viri prouoluitur Rex, veniã petit.*

*Mich. 6.*

*Prouerb. 20.*

His admonitionibus instructus Rex, stabat attonitus, ac si Deum in eius pectore cerneret, pollicebaturque sanctissimas præceptiones, ipsius precibus adiutum, sese impleturum. Deinde manus Sacerdotis exosculans, obnixè rogabat, vt pro diuina benedictione poculum, quod ante promiserat, porrigi iuberet. Quod cùm esset allatum, sua manu obtulit Regi vino plenum, qui illud hilariter accipiens, totum vinum exhausit. Inde etiam aliis qui aderant, bibentibus, rogabat eos Sacerdos Christi, vt terriò & quartò biberent vsque ad satietatem. Ita factũ est vt copiosa multitudo, quæ cum Rege erat, ad satietatem biberet: nec vinum tamen in vase minueretur. Postquam autem biberunt omnes & satiati sunt, iterum Rex ad sancti viri pedes se abiiciens, obnixè rogabat eum dicens: Video hominem Dei te esse, & illius huc missum voluntate. Oro igitur, vt digneris nostræ supplicationis munus accipere, & de Madoalensis fisci nostri finibus, vbi possis Monasterium condere, quantum tibi visum erit, eligere: vt congregata fidelium caterua, solitudo hæc vertatur in domum orationis, & vbi brutorum animalium fuit habitatio, ad laudem mundi Redemptoris fiat hospitium Angelorum: vt & te de constructione apud cælestem Iudicem magna maneat merces, & meorum, atque Francorum, qui mihi parent, fiat expiatio peccatorum. His Regis flagitationibus vir sanctus constrictus, id solum se accepturum assensit, quod ad recipiendos peregrinos vno die aselo vectus circuire posset. Atque eo munere accepto, bene precatus est Regi, atque omnibus sociis eius, hortabaturque vt alacriter ad suum Palatium rediret. Reuersus Rex domum, protinus cum multa exultatione omnia Vltrogodi Reginæ ordine intimauit, eaque dixit ei: Necesse est, Domine mi Rex, vt velociter operando custodias cuncta, quæ didicisti.

*Insigne miraculum.*

*Vltrogodis Regina.*

His ita gestis, cœperunt serui Dei magis magisque sedulis ieiuniis & orationibus vacare, vt quos aduersa perturbare non potuerant, prosperis successibus non eleuarentur. Porrò autem magnarum personarum sancti viri fama aures demulcente, multi ad eum hinc inde cateruatim conuenere, illius se precibus commendantes. Adeo verò diuinus in eo fauor sese declarauit, vt si ægrotis manus imponeret, curarentur, quocumque essent morbo oppressi: sed & de obsessis corporibus vociferabantur dæmonia, flagris se & cruciatibus nimiis Sacerdote Carilepho imperante, expelli, quos ille breui cum lacrymis fusa oratione, ad extremos orbis terrarum fines relegabat.

*Miraculis claret S. Carilephus.*

Quodam autem die fodiente illo terram cum fratribus, qui ad conuersationem eius se adiunxerant, eo in loco, vbi ad construendum Domino templum fundamenta iactari debebant, subitò magnum auri pondus in vase fictili sub terra inuenit repositum, vocatisque fratribus ait: En quantum

*Inuenit thesaurum.*

tum nobis præstitit Deus noster. Non ergo eleuet A se cor nostrum pro thesauri huius inuentione, quia non propterea ostensus est nobis, vt eum possideamus: sed vt per nos peregrinis & indigentibus distribuatur. Quod ita etiam factum est. Non enim erat in beato viro auri sacra fames; cui indumentum aliud non erat, nisi cilicium, & nuda humus substrato cinere lectum exhibebat: qui nudis semper gradiebatur pedibus etiam in quacumque aëris inclementia. De ferculorum verò perceptione quid dicam, quando cibi potusque ferè expers sola propemodum lectione pascebatur? Quoties tamen pro corporis sustentatione post biduum triduumque ad refectionem sedebat, vile olus, & parum leguminis capiebat: neque id tamen ad satie- B tatem. Vinum verò haud secus ac venenum respuebat, aquæ solius haustu contentus. Operabatur autem sedulò manibus: vtebatur lectione pro requie. His laboribus se macerans per singulos dies, ita se reddidit celebrem, vt ad eius conuersationem permulti aduolarent, crescerentque Monachorum cœtus ex ipsis etiam spectabilibus viris.

Dum hæc agerentur, peruenit ad aures Vltrogodæ Reginæ de beatissimi Carilephi sanctitate, abstinentia, humilitate, & quod esset prophetiæ spiritu plenus. Misit ergo ad eum quosdam ex iudicibus, qui reuerenter ab eo peterent, vt permitteret ipsi ad eum accedere, vt eius benedictione frueretur: simulque offerret Monasterio illius Madoa- C lenses fines omnes. Postquam illi hæc viro Dei significarunt, metuens ille ne discipulorum mentes in aliquo stimularentur, per eos comiter Reginæ *Sapiens viri S. responsum.* remandauit: Ite, renunciate Reginæ, Monachum in terris possessiones habere non debere: benedictionem verò quam fideliter expetit tanquam à seruis Dei, ipsam à supernis sedibus percepturam. Credo enim in omnipotentis Dei misericordia, qui me indignum ad hunc locum perducere dignatus est, intra hoc cœnobium sexum fœmineum nunquam ingressurum: quod quidem seruatur vsque in hodiernum diem. Reuersi illi, Reginæ nunciauerũt quæ sanctus vir mandauerunt. Illa verò vt fœmina prudentissima, de percepta benedictione gra- D tias agens conticuit. Tanta verò illi cura erat apud Regem intercedendi pro miseris, vt se illos iniuria affecisse existimaret, si casu aliquo nõ statim supplicem ad Regem epistolam misisset: quem etiam deprecando nunquam defessus est.

Cum verò morti esset proximus præclara ad fratres habita adhortatione, Sacerdos Domini cor- *Corpore Christi percepto migrat ad Dominũ.* pore Christi percepto gaudens & exultans emisit spiritum. Ad cuius sancti corporis excubias tantæ populorum turbæ conuenerunt, vt ad explicandum lingua non sufficiat. Eius sacrum corpus Calendis Iulij in basilica quam ipse Domino construxerat, post altaris confinia posuerunt, vbi, quid viuens gesserit, vsque hodie ossa mortua testantur. E *Miracula ad eius tumulũ.* Ad eius enim sacratissimum tumulum dæmoniaci liberantur, languidi curantur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuus & verus est Deus, cum Patre & Spiritu sancto, in vnitate Trinitatis viuens & regnans nunc & semper, & per infinita secula seculorum. Amen.

## NOTÆ.

Carilephus.] *De eo Vsuard. Galesinus & Maurolycus* 1. *Iulij. Res eius gestas grauiter & eruditè conscriptas adfert Sur. tom.* 4. *Easdem profert Petr. in Cat. lib.* 6. *cap.*37. *Agit & de eodem Petrus Crat. de Episcopis Germaniæ. Vulgò dicitur S. Cales.*

## VITA S. RADVLPHI EREMITÆ.
### *Ex variis Auctoribus.*

*Magna sancti Radulphi taciturnitas.*

FVIT sanctus Radulphus Monachus Ordinis sancti Benedicti, valde solitarius in Monasterio Affligenij in Brabantia, de quo scribitur, quod infra sexdecim annos, ab eius ore nec vna verbi syllaba audita sit. Contigit autem vt in claustro grauissimum ignis incendium grassaretur. Tũc beatus Radulphus videns humanum auxilium non valere, mox se contulit ad Dominum, oransque paululum in silentio, linguam diu mutam in hæc verba laxauit: Stet ignis. Hac hora flamma penitus quiescas. Mira res. Vim virtutis suæ oblitus est ignis, stetitque in verbo viri sancti, & flamma penitus extincta est. *Solo verbo ignem extinguit.*

Hic aliquando periuit à Deo, vt per totum vitæ curriculum febribus cruciaretur. Quam eius orationem cum Deus audiuisset, cum tanta patientia febrium cruciatus & dolores sustinuit, quod post obitum, morbidi ad eius sepulchrum orantes perfectæ sanitati reddebantur. *Petit & obtinet à Deo fieri infirmus.* *Morbidi ad eius sepulchrum curati.*

## NOTÆ.

Radulphus.] *De eo Molanus in Indiculo SS. Belgij: meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico. Plura verò scribit de ipso Richeomus in Academia honoris sect.* 63.

## VITA S. IVDOCI EREMITÆ.
### *Ex ea quæ est per Florentium Abbatem.*

*Extat apud Surium tom.* 6.

XIMIVS Christi confessor Iudocus, de illustri procedens genealogia Riouali, qui principabatur in tranlmarina siue maiori Britannia, quæ modò dicitur Anglia, & postmodum in copiosa nauium multitudine, ac manu valida, exteriorem sibi subiecit Britanniam, filius fuit Rethaël Regis Britonum, habuitque fratrem maiorem natu beatum Iudichaëlem, qui post ipsorum patrem regnauit Rethaëlum. Cæterùm contemporanei fuerunt Dagoberti Regis Francorum, cum quo etiam post graues adinuicem inimicitias pacificatus est tandem in palatio Clippiaco amicus Dei Rex ille Britonũ Rodichaëlus. Et quidem regressus vir Dei Rodichaëlus Rex in Britanniam, non multo pòst regnum relinquere meditatus est & patriam, ac vitam Monasticam ducere, & ideò fratrem suum iuniorem, beatum scilicet Iudocum, conueniri fecit de susciplenda regni gubernatione. At verò ille non minùs quàm ipse feruens in diuina dilectione, induciis deliberandi per octo dies à Rege, suo fratre, vix impetratis, die noctuque anxia cogitare cœpit intentione, cum interim, ipso in Monasterio Lammailmon, in quo literas didicerat, moram faciente, & orationi hac de causa frequentiùs incumbente, contigit per illud Monasterium vndecim peregrinos præterire, prætendentes quod Romam vellent proficisci. *S. Iudocus natales, & eius venerabilis frater.* *En piam concertationem pro contemptu regni terreni.*

Hos itaque insecutus secretò, & eis associatus, venit Parisios. Verùm vtrùm cum iis vlterius progrederetur, in dubio positus, consilium tandem à Spiritu sancto vtile consecutus, à strata declinauit publica, dimissisque sibi à Deo transmissis itineris comitibus, ad Pontini festinauit confinia, quæ *S. Iudocus contempto regno, venit Parisios, ac inde in partes Pontini.*



antiquis plena nemoribus deserta erant & inuia. A Qua delectatus locorum vasta solitudine, super fluuium Alteiam disposuit habere habitationem. Verùm à Duce Haymone obuiam ei facto retardatus est ab hoc proposito per spatium septem annorum, intra quos & literas magis addidicit: & sacros ordines suscepit, atque ita tandem Sacerdos effectus, filium iam dicti Ducis, qui eum in maxima habebat veneratione, de sacro fuscepit fonte, quem *Vitam exercet solitariã.* vocauit Vrsinum. Iam verò elapsum erat septennium, cum iuxta desiderium iampridem conceptũ ad vitam transiens solitariam, mansit in loco qui dicitur Brahic, fluminis riuulis vndique circundato, ædificatis ibidem Ecclesia & domuncula. Quo in loco ea quæ erga beatum virum Dominus B quotidie monstrare dignatus est miracula, totam longè latéque commouerunt patriam ad visitationem eius, & impetranda ipsius ad Deum suffragia. Quod cum diutius sustinere non posset, iam octo *Longè & latè viget miraculis.* annis ibidem elapsis, ad vlterius Domino duce, processit desertum, vt populi nimiam declinaret frequentiam, constituens oratorium in honorem B. Martini in loco qui dicitur Rimachus, super fluuium, vbi plurima tentamenta ab hoste antiquo, qui felicibus eius actibus inuidebat, passus est per quatuordecim annos quibus ibidem commoratus est.

Post quos, per sanctum edoctus Spiritum, vt aliò transmigraret, comitante se Duce Haymone, C vastam circuibat Eremum, vt inueniret in ea habitationis locum. Et vide rem stupendam. In quærendo eo, idem Dux graui torquebatur sitis molestia, ac præ sitis lassitudine obdormiuit, cum *Impetrat suis precibus à Deo fontem.* electus interim Domini Iudocus orationi incubuit, surgensque, baculo quo innitebatur, terræ infixo, sicut alter Moyses, aquam produxit, fontemque largius effluentem: quo exhilarati Dux & eius familia, suæ sitis extinxerunt ardorem, & transeuntibus perinde vsque in hodiernum diem aquam administrat indeficientem. Progressus autem inde versus mare, in vallicula vmbrosa riuulum ostendit paruum, quo delectatus: Hic est, in- D quit, cathedra, hæc requies mea in seculum seculi. Et mox Haymone Duce ad propria reuerso, vir Dei duo ibi lignea manibus propriis construxit oratoria: vnum Sancto Petro Apostolorum Principi, aliud Sancto Paulo Gentium Doctori. Deinde verò aliquanto interiecto tempore, profectus *Euocat eum ad se Martinus Papa.* est Romam ex mandato D. Martini sedis Apostolicæ summi Pontificis, qui longo tempore concupierat conspicere faciem eius, ac sancto ipsius frui colloquio: à quo & receptus est cum honore debito, ac multo dignitatis obsequio. Verùm ibidem edoctus est à Spiritu sancto, quem in omnibus magistrum habebat & custodem, vt ad Eremum suam reuerteretur: inde in breui transmi- *Iterum vadit ad Gallias.* graturus ad Angelorum collegium. Vnde & cum E pretiosissimis Sanctorum reliquiis à Domino Apostolico sibi datis, reuersus est ad Pontini confinia.

Sed & Duce Haymone præsente, cum innumera cleri plebisque caterua in occursum eius congregata sanctissimas reliquias, quas attulerat, cum ea qua decuit deuotione, vir sanctus reuerenter depositit in noua B. Martini Ecclesia, quam præ- *Celebrans diuina mysteria, accipit insigne testimonium sanctitatis à Deo.* fatus Dux lapidum ornatu iam restaurarat, necnon & ipse Domini Sacerdos præparauit se ad diuina celebranda mysteria, stolam ac casulam candidam indutus. Qui quidem cum adstaret sacro altari tertio Idus Iulij, ac diuina cum summa venerationetractaret Sacramenta, ecce manus Domini visibiliter apparuit inter sacrosancta Missarum solemnia, suumque Sacerdotem consignauit, & confirmauit benedictione perpetua, cum subsequente voce mirabili cælitus emissa. Quia paterni regni pro me refutasti culmina, præparaui tibi coronam inter Angelorum agmina, eroque loci huius, in quo resolueris, defensor & custos. Subsequente igitur tempore pretiosa Christi margarita Iudocus in carne præter carnem viuens, Angelus esse videbatur, non homo. Qui & tandem cupiens *Transit feliciter.* dissolui & esse cum Christo, feliciter Idibus Decembris obdormiuit in Domino, cuius corpus ita saluum ac integrum permansit in tumulo ad sexaginta ferè annos, ac si spiritus vitæ foret in eo.

Atque hæc de libro vitæ gestorum beati Iudoci breuiter excerpsimus. Prolixitatem enim miraculorum, quæ per ipsius merita dignatus est Dominus operari, penitus pertransire dignum duximus: quia enumerandis omnibus, nec memoria, nec sermo vires suppeditant. Quin & hæc quoque, quæ nostris vidimus temporibus, missa facientes, vnum tantum in medium proferemus, *Plures mortuos reuocat ad vitam.* videlicet de pluribus quos Dominus per eum resuscitare voluit à morte ad vitam, partim suspendio, partim aqua suffocatis, aut quouis alio mortis genere, etiam vnus, Ioannes nomine, per biduum aliquando submersus, adhuc penes nos est C Monachus. Vobis itaque Sanctum Iudocum annuatim deuotè visitantibus, ac vniuersis ipsius cultoribus sit pax & lætitia cordis, vosque & vestra conseruet Dei gratia.

## NOTÆ.

Iudocus.] *De eo Mart. Rom. cum Bar.*13. *Decemb. Vitam eius à Florentino Abbate editam, affert Sur. tom.* 6. *quam nos summatim descripsimus. Agunt de eodem Vincent. in Spec. lib.* 23. *cap.* 105. 106. *Petr. Aquil. Episcopus in Cat. lib.* 1. *cap.* 65. *Belfor. in Cosmogr. tom.* 1. *& in Annal. Franc. lib.* 1. *cap.*35. *Robert. Cœnalis de re Gallica lib.* 2. *perioche* 6. *Vvionius in Mart. Monast.* 13. *Decemb. & in Annot. Migrauit ex hac vita, vt dicit Meyer. lib.*1. *Annal. Fland. anno Domini* 653. *Plura de eo scribit Argentr. in hist. Britan.*

Ad Pontini festinauit confinia.] *Pontinum Gallicè dicitur* Pontieu, *non vt falsò quidam referunt Pontiniacum, Gallicè* Pontigny.

## VITA S. GOBRIANI EPISCOPI, & Eremitæ. Ex Roberto Cœnali.

*Lib.* 2. *de re Gallica, Perioche* 6.

GOBRIANVS genere clarus, vita clarior, miraculorum gloria clarissimus, secundus Venetensis Episcopus fuit. Hic tantæ sanctitatis fuit, vt passim sacro igne laborantes, obuios quosque nullo negotio curaret. Inde sequutum est, vt cum ad eum vndecumque, & ægritudinis genere laborantes turmatim affluerent, compulsus sit diuinitus *Claret miraculis.* ille Pontifex ab vrbe secedere, ne scilicet ægrotantium contagione vrbs ipsa inficeretur. *S. Gobriani clari natales. Secundus Venetensis Episcopus.*

Volens itaque mansuetus ille Pontifex tumultuantium cedere furori, ne torrenti se opponeret, secessit in locum solitarium, Anachoresin exercés, prope flumen quod Oudũ gens illa appellat. Illicq; vitæ suæ decursũ, post multos algoris, inediæ & vigiliarum exantlatos labores, fine concluſit optato, diuque desiderato, cupiens ipse cum Paulo dissolui, & esse cum Christo. *Fugit in locum solitarium.*

## NOTÆ.

Gobrianus.] *De quo plura in Breuiario Ecclesiæ Venetensis, vulgò*, de Vennes en Bretaigne.

*Habetur lib. 2. Hist. Hungaricæ Decad. 2.*

## *VITA SALOMONIS REGIS HVNgariæ, & Eremitæ. Ex Bonfinio.*

*Salomonis Regis optima institutio.*

SALOMON Andreæ primi huius nominis Hungariæ Regis filius fuit. Qui cùm in pueritia optime institueretur bonam spem omnes de eo concipiebant. Interea postquam pater eius Andreas multa prælia cum Henrico III. Imperatore gessisset: missis legatis suis ad prædictum Imperatorem, rogat filiam suam Salomoni filio in matrimonium dari, vt hoc pacto deinceps pax & cōfœderatio inter eos esse posset. Imperator gaudens, vltrò filiam daturum promisit, diemque sponsalibus nuptiisque ad Morauā amnem præstituit, qui Morauiam ab Hungaria planè disterminat. Huc ad præstitutum omnes diem conuenere, cum summo Hungariæ ac Germaniæ plausu, frequentissimoque Pontificum principumque conuentu, solemni ritu celebratæ nuptiæ, confirmata fœdera. Sophia Henrici filia in Hungariam deducta singulari pompa, vtrique principes cum summa concordia gratiaque digressi. Salomon infantia nondum excesserat, & tam intempestiuus vir factus est.

*Ducit adhuc puer filiam Henrici Imperatoris in vxorem.*

His ita constitutis, cum Andreas multis laboribus vexatus, grauescente iam senio in paralysin incidisset: quandoque carruca, hexaphoro sæpius ferebatur. Cùm verò solutis membris incedere nō posset, cœpit vir prudens, his incommodis circumuentus, de successore ac filio cogitare. Succurrebat & illud, quod Henrico promiserat se Regem filium declaraturum. Et vt promissis stare videretur, duodecimo regni sui anno infantem adhuc filium, conuocatis Pontificibus ac principibus vniuersis, Salomonem Regem pronuntiauit, legitimeque coronauit, Imperatoris causatus postulationem, qui ex compacto, generum diademate insigniri quotidie flagitabat, neque alio modo sine hac affinitate pax foret inita, quæ vtrinque fiduciam securitatemque perperit. Inter coronandum cum ex more caneretur illud Israëliticum; Esto Dominus fratrum tuorum: & hæc quidam Belæ, Andreæ Regis fratri interpretaretur, ex quibus reputabat, se sub infantis imperio futurum, admodum rei indignitate commotus est. Verum paulo post à factiosis disseminata seditio est; quippe alij Andreæ consulebant, (vt hac arte gratificari viderentur) puerum, ni frater è medio tollatur, nunquam tutò regnaturum: contra hi Belæ, tanti momenti regnum haudquaquam infantulum addecere, imò ad regis fratrem pertinere. Item vsurpandi regni occasionem optimam deferri, quandoquidem rex infans est, & pater senio, ac valetudine grauissima planè conficitur. Nec Andream quoque præteribat, inuito fratre, filium numquam regnaturum.

*Coronatus Rex à patre.*

*Bela Salomonis frater affectat Regnū.*

Inito igitur consilio cum duobus tantum intimis, cum in ferarum viuaria descendisset, & in cubiculum relatus, ante se coronam & gladium, strata humi purpura, inferri iubet, hæc regnum, ille ducatum referebat. Fidissimos Comites admonuerat, vt introducto Bela, & proposita optione, si gladiū is eligeret, laude ac donis cumulatus abiret, si verò coronam, eo confestim gladio fratrem obtruncarent. Initum Nicolaus ianitor tantum cum his consilium audiuit. Deinde ex composito Bela accersitur, cubiculum subiturus; quamprimùm à ianitore admonetur, vt si vitam amet, gladium accipiat. Ad Regem ingressus duo proposita ibi insignia admiratur. Cui hæc mox Andreas: Salomonem, inquit, filium, Bela, Regem declaraui, regalique diademate donaui, non tam vt priuatæ dignitati, quàm vt publicæ consulere saluti. Quid ab Alemānis semper acceperimus, & quàm magnis conatibus nuperrimè Regnum inuaserint, non ignoras: & quàm salutaris sit ista reconciliatio, ac pax nuper inita, pro se quisque facilè considerat. Tibi autem, ne qua ex nouitate hac expostulandi copia detur, qua pientissimum fratrem insimules, nunc optionem facio. Coronam tibi, & gladium præ oculis habes, vtrum vis potiùs, accipito: alterum filio relinquito.

Tunc Bela vel præmonitus periculi, vel conscientia, & fraterna liberalitate victus, optatum sumpsit gladium, coronam vltrò nepoti concessit. Spectata fratris modestia Rex, lectica ante Belæ pedes, profusis lacrymis extemplo prosiliuit: genua præter dignitatem amplexatus, ingentes gratias egit. Multis in fraterna charitate, ac filij tutela verbis eum confirmauit, dimisitque donatum amplissimè, ratus id absque vlla dissimulatione ab eo factum: sed id Belam præ timore fecisse, ostendit exitus. Quippe paucis post mensibus ad declinandas insidias vir sagacissimus, cum vniuersa familia ad Mesconem socerum, in Poloniam effugit. Quod vbi Regi significatum est, vt pari cautione certaret, Salomonem ad Henricum socerum, cum maximo optimatum Hungariæ equitatu misit. Interea cum Mescone Poloniæ Duce, acceptas à fratre iniurias Bela communicat, hortatur, vt datis auxiliis, in regnum sibi debitum restituat. His Mesco commotus, legiones tres comparat genero, Hungariæq; finibus appropinquare iubet.

*Salomon mittitur ad Hēricum Imperatorem.*

*Bela fraternum regnum inuadit.*

Cum se tot copiis Bela munitum esse cerneret, quot recuperando regno, & explendæ spei sat esse nouerat, fraternum regnum inuadit. Quod vbi factum est, ex Hungaris ad eum quamplurimi confluxere, qui eius partes antea sectabantur. Rex audito fratris ingressu, duas ab Imperatore Henrico legiones accepit, & ad Tibiscum amnem fratres ambo conuenere: vt regni litem, commisso prælio, dirimerent. Cum diu autem parique spe & conatu vtrinque pugnatum esset: Theutones tandem terga dare cœpere, inclinatisque hostibus, tanta animorum Hungaris facta fuit accessio, vt redintegratis viribus, à tergo instare viderentur. Tunc ex illis cecidere multi, cæteri palantes fugiunt. Quod vbi alij, qui Andream sequebantur, Hungari prospexere, mutata repente sententia, in Belæ partes contendere, & in suum Regem vertere arma. At is cum à se suos defecisse conspicaretur, consternatus animo, in Noricos fugam capit. Insequuntur eum inimici, & tanta quidem pernicitate, vt portas Musienses adhibuerint, ceperintque, in Baconiensemque syluam deduxerint. Ibi neglectissimè detentus, ad crucem suam quam Sterziam dicunt, diem obiit: sepultusque in cœnobio Tyconiensi, circa lacum Balatonem.

*Bela interit.*

Post Andreæ Regis interitum, Bela fraterno bello superior, fusis hostibus, rerumque potitus, Albam contendit, vt à Pontificibus Primatibusque Hungariæ vniuersis approbatus, ritè coronaretur. Inito regno, ad pacandam regionem, & curanda gentis commoda animum aduertit. Deinde tertio regni sui anno, cùm ad Demei oppidum venisset,





ex Heliocanum ruina confracto solio, ita Regis membra contusa, ita nonnulla ossa luxata sunt, vt desperata valetudine ægrotare cœperit. Mox pro quibusdam regni causis, quæ magni momenti fuerant, ad Canisiam fluuium lectica succollantibus prætorianis militibus delatus est, ibique vitæ diem increbescente morbo clausit: in Diui Saluatoris cœnobio sepultus, quod ipse ædificarat.

*Ab Henrico Imp. restituitur Salomon in Regnum suum.*

*Oratio Imperatoris.*

Audito Regis obitu, Salomon Henricum IV. nomine Imperatorem, ac Sophiæ vxoris fratrem indulgentissimum extemplo adit: rogatque, vt se in regnum restituat, hæreditario iure sibi debitum: neue patiatur, se cum Sophia Augustali sorore vlterius regia dignitate carere. His precibus ille victus, validissimum repente exercitum cogit, legiones & auxilia vndique conuocat. Deinde comparatis omnibus quæ bello sunt vsui, in Hungariam castra mouet, quam & Rege orbatam, & propugnatore carentem offendit. Henricus igitur cum Salomone Albam contendit, ibique habito sacrorum prophanorumque ordinū conuentu, ita disseruit: Nescio Pannones, quonam fato vobis datum est, vt non solum in rebus humanis, verum etiam nullā cum Deo ineatis tranquillitatem, sub nullo Rege verum otiū inueniatis. Diuo Stephano vestræ salutis auctore, in veri Dei agnitionem peruenistis. Subiuistis salutarem religionem, & non solum documentis, sed ingenti miraculorum experientia, quàm vtile & beatum sit, Iesum Christum Saluatorem nostrum colere & vnicè adorare, didicistis. Deinde vt prima quæ à Carolo Magno rudimenta acceperunt maiores vestri, nunc omittam, bis post D. Regem, ab orthodoxa fide defecistis. Bela pacato iam regno, vobis otium pepererat, remiserat vectigalia, & quo potuit studio, à miseria & calamitate redemit. Contra otio & opulentia vos abusi, nihil aliud quærere cœpistis, nisi vt reiecta fide, iterum atque iterum in pristinam feritatem, & profanam Deorum opinionem recideretis. Quousque tandem, Hungari, vester hic furor, & immanitas inaudita, in Deum hominésque grassabitur? quando acerbissima hæc vestra ingenia mitescent? Quid est, quod tantis inter vos factionibus & intestinis odiis quotidie laboratis? Nescitis, nescitis inquam Hungari, quanta vis concordiæ numini insit, quippe quæ humilia extollit, & illustrat obscura, & non modo Rempublicam & regna conseruat, verū etiam amplificat, ac immortalitate donat. Nonne maiorum exemplo iamdudum didicisse debueratis, quantum coniunctio animorum & concordia valeat? Contra vos intestina labe contabefacti, non solū potentatum amplificare, sed ne regnum quidē à maioribus partum retinere potestis. Semper inter se fluctuat Vngaria, quæ si mutuis simultatibus carere posset, & à vera fide non deficeret, vnde hæc omnia mala prouenere; ô quanta splendoris & potentiæ rebus Vngaricis fuisset accessio! Proinde vos quæso, omnes malos mores exuite, in primis Deum timete, Iesum Christum Seruatorem nostrum toto corde ac mente complectentes, amate, Diuina mandata seruate. Post hæc verum & legitimum Regem vestrum Salomonem, D. Stephani pronepotem, honorate & obseruate, huic vni obtemperate, hunc esse iubet Regem, huius imperio parete omnes. Abdicate regulos, & exigite ac pronunciate hostes, quicumque in Salomonem aut arma sumpserint, aut obsequium detrectarint. Vos autem Pontifices & Satrapæ, hunc ex more create Regem, ac solemnibus ceremoniis sacrosanctum facite. Ego verò quem vos iusseritis esse Regem, Salomonem, Augustali auctoritate confirmabo. Ad postremum orthodoxam fidem obseruate, amate pacem, & mutuam inter vos charitatem, & concordiam retinete.

*Coniunctio animorum quātum valet.*

*Fuit hic S. Stephanus.*

*Salomon in solium Regni solemniter restituitur.*

Imperatoris dicta primùm à Pontificibus & Primatibus, deinde ab vniuersa multitudine approbata, Salomonem Regem pronunciant, & exclamant. Mox de more in Sancti Regis basilica, sceptro ac diademate eum honestant. Omnes deinde ritè in eius manus, in solio collocati, iurarunt, se numquam eius imperium edictumve detrectaturos: sed sponte gratissima quæque obsequia præstituros. Restitutionem hanc sacris solemnibus, magnis plausibus, & faustis acclamationibus celebrarunt. Item edita spectacula diebus aliquot, variique ludi, & sparsa missilia. Henricus autem restituto Salomone, ac pacata Vngaria, ab eo magnificentissimè donatus, in Alemanniá reuertitur. Postquam igitur coronatus est Salomon, Geysa ac Ladislaus, prædicti Belæ Regis filij, vbi Imperatorē cognouerunt Hungaria abiisse, haudquaquam rem differendam rati, cum Polonicis copiis regnū repetunt. Salomon nondum satis expertus, audito aduersariorum aduentu, vt in tutiore se loco collocaret, Mosoniensem arcem petiit, pro loco ac tempore munitissimam. Pontifices ac Sacerdotes, ne fraterna bella vltra conspicarentur, se inter vtrosque medios ingerunt. In primisque Desiderius Episcopus, vir non minus probitate, quàm eloquentia potens, cum magno Sacerdotum ordine Geysam adit. Ad pacem & concordiam tanta dicēdi copia, ac orationis vehementia & suauitate hortatur, vti ad reconciliationem inclinarit. Fœdus inter patrueles fratres hac conditione ineundum persuasit, vt Salomoni, quamuis iuniori, regno cederet, & veluti legitimo Regi pareret: ipse verò paterno Ducatu potiretur.

*Desiderius Episcopus pacem inter Salomonē, Geysam & Ladislaum tractat.*

Huius monitis precibusque victus Geysa, vnà cum Ladislao fratre, in totius Vngariæ conspectu in Lauriensi vrbe Salomoni se reconciliat. Fœdus inter eos solemne ictum, mutuoque iuramēto munitum, quod dum Fabiani Sebastianique anniuersaria celebrantur, percussum fuisse ferunt. Reconciliatis animis, Regi cum Geysa Duce & Ladislao, mutua charitas, & assidua consuetudo intercessit. Subsequutum Pascha, in Quinqueccleseiensi vrbe, ab his cum vniuersa aulicorum ac Primatum multitudine celebratum: vbi in Diui Petri basilica inter solemnia, Salomon iterum acclamante populo, à Geysa coronatus. Quod tanta Vngarorum omnium lætitia celebratum, vt diem publicæ hilaritatis inter fastos retulerint. Deo Iesu optimo maximo, humanæ pacis authori, per omnes aras gratiæ actæ, & factæ supplicationes. Sed ingens futuræ discordiæ portentum proxima nocte intercessit, tota enim Petri basilica, contiguaque ædificia repentino quodam incendio absumpta sunt. Quare exorto tumultu, maximus vtrumque metus incessit, alter alterius id factum insidiis esse rebatur, vterque tamen culpa vacabat. Adleitha soror Salomonis, & Bratislai Boëmici Ducis vxor, duobus ante annis vita excesserat, quæ haud mediocri tristitia fratrem affecerat. id anno salutis 1062.

*D. Petri basilica repētino incendio absumpta.*

*Adleitha Salomonis soror.*

*Zolmirus Rex Dalmatiæ.*

Dum Salomon ac Geysa mutua se concordia fouent, ecce noua expeditio his offertur. Zolmirus Dalmatiæ Rex, qui Geysæ & Ladislai sororem connubio sibi copularat, per legatos ab vtroque auxilia sibi dari postulat: cum à Carinthiis, qui magnam Dalmatiæ partem dudum occuparāt,

grauissimo se bello infestari diceret. Subueniẽdum socio censuerunt fratres, inito consilio expeditionem suscipiunt: comparatis copiis veniunt in Dalmatiam, quam electis perbreui Carinthiis ac Noricis Zolmiro pacatam reddidere. Is tanto beneficio affectus Salomonem ac Geysam, cum vniuersis equitum præfectis, amplissimè donatos remisit. Pax & concordia inter Salomonem ac Geysam tredecim circiter annos perdurauit. Quare factum est, vt non modo regnũ opulentum effecerint, verũ etiam nulla bella nõ sine magna laude peregerint.

Per id temporis, Bratislao Duce, Boëmi audacia & temeritate elati, in Trenchenaensem agrũ erupere, abegere pecora, multosque cepere, ac agrũ denique ferro incendioque vastarunt. His iniuriis Vngarus accensus, Salomonis & Geysæ ductu auspiciisque, Boëmiam tam validus inuasit, vt hostibus in aciem prodire non audentibus, vniuersam ferè spoliarit, vastaritque. Post exactas à Boëmis cumulatissimè pœnas, Salomon cum exercitu magna præda onustus, in Vngariam se recepit. Deinde ne fortuna Pannoniam otio torpere pateretur, aduersus Chunos, regnum deuastantes processit, quos potenter deiecit & superauit. Quibus perdomitis auxilio eiusdem Geysæ & Ladislai Nandor Albam imperio Hungarico adiecit. Verum postquam capta fuit Alba, & multi in ea thesauri inuenirẽtur, ac inter Salomonem Regem & Geysam simultates & odia, hostilis prædæ partitione obortа fuissent: maiora indies incrementa inuenere. Quippe Græcorum Imperator, audita Ducis Geysæ liberalitate & clementia, fœdus cum eo per internuntios init. Salomon verò cum longè maiore apud externos Principes gratia Geysam quàm se pollere intelligeret, inuidia percitus, eo magis excanduit. Accedebat Viti pernicioſa suasio, maledicentiaque lethalis: qui crebris suspicionibus vtriusque animos irritabat. Augebat discordiam, & vt patruelem fratrem è medio tolleret, quotidie hortabatur, illud semper obiiciens, neque regnum duos capere, neque vaginam geminos enses continere. Neque maiestatem & amorem in vna sede residere posse: vnum solem, & vnum (vt aiũt) Iouem homines intueri: iisdemque verbis suspicionem quotidie Regis augebat. Itaque tanto magis hic rex irritamentis æstuat, & non minus odio quàm inuidia vexatur. Fluctuabat indies animus, & quas potissimum commentaretur insidias, impensius inquirebat.

Verum enim verò cum se amplius Rex continere non posset, copias hinc & inde ad bellum Geysæ faciendum congregat. Similiter etiam Geysa & Ladislaus. Commissum est igitur durum prælium, Salomon verò (Deo permittente) turpiter victus, ac regno ferè eiectus, cum in Mosonienſem agrum confugisset, & sapientissimam matrem adiisset, ab ea repentè dura increpatione correptus est: Huccine fili, parentis tuæ consilia aspernatus (inquit) peruenisti? Ad has te miserias pernicioſa Viti consilia redegerunt, vt regio fastigio deturbatus, cæsis tot cohortibus, equitumque turmis, egenus rerum omnium, nusquam tutum tibi locum inuenias. Si sapientissimæ matri ac Erueo, cæterisque fidelissimis olim credidisses, quietè tutoque regnares, non minus obseruatus quàm amatus ab omnibus. Si Ladislaum & Geysam patrueles tuos, vt par est, cum dignitate seruasses, dominatuque legitimo donasses, perpetuam tibi regnoque pacem & salutem comparasses. Quæ maior insania esse potest, quàm secum reputare,

*Victoria Salomonis de Boëmis.*

*Etiã Chunos superat.*

*Vitus malas suspiciones inter Salomonẽ & Geysam seminat.*

*Bellum inter Salomonẽ & Geysam, & Ladislaũ fratres.*

*Durè à matre increpatur Salomon.*

*Ladislaus & Geysa Salomonis patrueles.*

alienos sibi quàm suos fideliores fore, deque alienis potius, quàm suis esse bene merendum, & de his præcipuè qui nimia pietate ac religione præcellunt? Ladislaus neque virtute cuiquam, neque charitate cedit: accedit vitæ sanctitas, & honestatis amator. Neque Geysam ab æquitate & modestia quisquã dixerit alienum. Quo cũ officio & pietate commodius tibi certare licebat, quàm cũ vtroque fratre: qui si à te pariter redamari, & non insidiis se peti sensissent, nihil dignitate ac imperio tuo duxissent antiquius. Adhæc Salomon ita excanduit ira, vt matrem plura subdere conantem, præter æquũ, & fas pulsare perrexerit: & iam fecisset, nisi coniugis dextera remoratus fuisset. Cui incusato sæpe Deo, quem in bello sæpe iniquum habuisse querebatur, ac conserta aliquantisper cõuitiorum duntaxat velitatione, furor subinde deferbuit. Relictis in Mosonienſi agro matronis, ipse collecta (quanta fieri poterat) tumultuaria manu, Pisonium confugit: vbi se tutius habere, ac exercitum facilius reparare sperabat.

*Ladislai sanctitas.*

Postquã Geysa & Ladislaus victoria potiti, mortuorum corpora nullo sepulchri honore, pro cuiusque dignitate, defraudarant, ac iusta piè persoluerant: motis castris, Danubium transmittunt, vt ad Albam regalem contendant, vbi frater natu maior diadema ritè suscipiat. Proinde habito frequentissimo conuentu Geysa maior natu, omnium consensu & acclamatione, Rex Vngariæ declaratur, & insequenti die ex more ritè coronatur. Ladislaus ab eo dux regni pronunciatur. Salomõ interea semper noua moliebatur, vt si quo modo posset, amissum regnum recuperaret. Domestica igitur in primis cura leuare se statuit, vt quæ maiora sunt, expeditius disponeret. Agmundam igitur matrem, Ruteno sanguine natam, vxoremque Sophiam, Henrici III. filiam, secum in Stiriam duxit, in Monialiumque cœnobio reliquit. Deinde in Mesonienſem agrum se recepit, vt in Vngaros aliquid grauius moliretur. Quorum res cum successu magno indies cognosceret augeri, ad implorandũ Imperatoris auxilium sibi confugiendum esse intellexit. Quare Henricum IV. adit, cui quamuis magnam nummorum copiam attulisset, quo quidem stipendio copias assequeretur, nullum tamen militem ex Italis Theutonibusque habere potuit: quippe qui Vngarorum metu perculsi, nulla stipis magnitudine in formidolosam expeditionem conduci potuere. Quare eò vehementius apud Imperatorem Salomon in querelas exarsit, non tam sibi quàm Imperatori, & maiestati iniuriam illatam esse subiiciens: quandoquidem ad ius Romani Imperij spectare dicebat Vngariam, vbi cum Augustali auctoritate regnabat, & imperata cuncta præstabantur, statuta vectigalia soluebantur, & nihil erat quod Cæsareæ ditioni non obtẽperaret.

*Geysa Rex Vngariæ declaratur.*

*Agmunda Salomonis mater.*

*Sophia eius vxor.*

*Salomon se confert ad Henricũ Imperatorem.*

His igitur verbis Henricus IV. ita succensus est, vt habito statim delectu, magnas in Germania copias compararit, auxilia non pauca coẽgerit: non ignorans, quanto se apparatu Scythicam gentem adoriri oporteret. Cõmeatus abundè cum ingenti manu militum, instructa classe, Danubio deuehi imperauit: ipse cum vniuerso equitatu, præter vlteriorem Danubij ripam, in Vngariam properat. Atque vbi ad Vaghum amnem peruentum est, castra ponit, cum præfectis equitum consulturus, in quam potissimum vrbem esset erũpendum. Nitriam, quæ proxima castris erat, primùm inuadere visum est. Quare Salomoni legiones duæ, cum decenti equitatu datæ, vt Nitriam oppri

*Hẽricus Imp. cum magno exercitu venit in Vngariam.*





oppugnaret. Quibus copiis, cum de Senthe vico se mouisset, instructa acie ciuitatem adoritur. Contra oppidani, pari audacia freti, aduersus hostes prodeunt. Cum verò ex oppidanis Opos Bathor aduersus inimicos strenuè bellaret, & Alemanni spectatam equitis fortitudinem admirati, ad Imperatorem reuersi, illius audaciam ac vires prædicarẽt, mox ab Imperatore Salomõ interrogatus, an multi milites pari robore corporis & animi apud Ladislaum & Geysam forent? At ille magis Vngaricæ gentis, quàm propriæ vtilitatis charitate correptus, multos consimiles ac longè meliores apud Geysam esse consideratè respondit. Quibus verbis consternatus Imperator: Si tales (inquit) hostes nactus es, numquam (mihi crede Salomon) regnum recuperabis.

*Bathoris equitis fortitudo.*

Postquam Rex Vngariæ Imperatorem Vaciam peruenisse cognouit, arte sibi potius quàm viribus cum Germano principe agendum esse intellexit. Patriarchã Aquileiensem consiliorum Imperatoris moderatorẽ esse: inter cæteros Alemannorum primates illius dicta haud parum obseruare sensérat. Quare nihil commodius fore intellexit quàm si & hunc precibus, & largitionibus obstringeret, & nõ Patriarcham solum, verum etiam cæteros Germanorum optimates munerjbus obligaret: vt omnes dimittendam hanc expeditionem, & in Germaniã continuò redeundum esse, Hentico suaderent. Nec sua quidem arte ac spe Geysa frustratus est. Patriarcha Aquileiensis insomniorum auctoritate sua dicta muniebat, quibus ni Germanus quamprimum reuocaretur exercitus, præsentaneum interminabatur exitium. Nec minore quidem industria à Germanis principibus diuersa cõmenta excudebantur. Nã insequenti nocte in castris ex composito seditionem suscitant. Quosdam subornant milites, qui clamore scutorumque fragore exercitum circumueniant. Quod vbi factum est, magnus hinc horror Imperatorem ac vniuersos incessit. Tumultus ingens editur, & in lucem vsque passim fluctuatum. Manè autem coacto senatu, Imperator rem ad patres defert, & de reuocando exercitu sententias rogat. Patriarcha qui præ authoritate viri primùm sententiam dicere rogatus, ac ingenti pecunia corruptus erat, decernit, exercitum continuò reuocandum, inuito milite nullo modo dimicandum, & timendum ne externum bellum in domesticum transferatur, & ne periclitetur Romanum Imperium, commodius videri, si ab Vngarico bello reuocetur exercitus.

*Callida Geysa inuentio.*

*Pecunia & muneribus corrumpitur exercitus Imperatoris à Geysa.*

In Patriarchæ sententiam pedibus iuere cæteri proceres, qui pecunia quoque à Geysa coinquinati fuerant. Cæsar igitur suorum consilio deceptus, soluta expeditione, in Germaniam se recepit. Salomoni se excusat, dicens, rerum grauissimarum necessitate se reuocari: ac imposterum, cum tempus dabitur, auxilium polliceri. Nunc potius rei suæ, quàm amici rationem haberi oportere.

*Imperator deceptus à suis soluto exercitu redit in Germaniam.*

At Salomon vbi se ab omnibus destitutum conspicatur, magna desperatione circumuentus, Pisonium venit, Romanæ gentis opus. Quod cum munitissimum esset, ibi se tutò futurum rebatur. Prætorianam ibi tantum legionem habebat, qua se ac vrbem tutari posset. Geysa pacato vbique regno potitur, ac Magnus ex cognomento dictus est. Cum huc Salomonem se recepisse Ladislaus accepisset, haud insçius patruelis insidiarum, nequaquam respirandi tempus illi dandum esse censuit. Proinde Pisonium continuò obsidendum decernit, non vt fratrem ad extrema redigat, sed vt

*Salomon Pisonium se recipit.*

inuitum fraternam charitatem edoceat. Quod vbi factum est, ingens ex obsidione Salomoni aduncta est desperatio: vtpote qui subiectos iure regio coërcere deberet, nũc ab eis cõtra ius & fas arctissimè obsideatur. Verũ effluxis aliquot diebus, soluta obsidione, cum Saluatoris nostri natalitia appropinquassent, hæc in Saxardia Rex Geysa celebranda curauit. Eum Desiderius Strigonienſis Metropolita, cum vniuerso Pontificum collegio, procerumque manu sequutus, inter sacrificandum de fraterna concordia, de humana charitate, item de publica pace concionem habuit, neque se, neque auditoribus indignam.

*Obsidetur à Ladislao.*

*Desiderius Strigonensis Archiepiscopus Geysam ad pacẽ hortatur.*

Hac hucusque Regis animus commotus, & ita resipiscere visus est, vt spectante populo lacrymabundus ad Metropolitæ pedes se deiecerit, suum scelus ingenuè professus: quod Salomonis legitimè coronati regnum vsurparit, quod verum Regem exegerit, quod ius denique alienum occuparit. Proinde se pœnitentia ductũ publicè polliceri, vsurpatum Salomoni regnum, hac æqua conditione continuò redditurum, vt ipse tertiam regni partem cum suscepta corona retineat, quæ Ducalis quondam iuris erat: Salomon duas, cum primario diademate possideat, quemadmodum olim possidebat, quæ iuris regij esse solent. Hac Geysæ resipiscentia ac dignatione spectatorum animi vsque adeo prægestiẽte lætitia exhilarati sunt, vt diuinis Regem laudibus extollerent. Legati ad Salomonem extemplo creati, qui pacis ac restitutionis conditiones deferrent: quæ si placerent tunc ei foret integrum Vngarici Regni recipere potestatem. Legati mandata peragunt, responsa ferunt, quæ de proposita conditione aliquid deterrebant. Sæpe vtrimque oratores missi, & vltro citróque conditiones variæ tentatæ: nulla tamen reconciliatio fieri potuit. Dum agitur de pace, Geysa aduersa valetudine correptus, quamuis nihil antequam è vita excederet hac reconciliatione auidius affectabat, impos tamen desiderij septimo Calend. Maij rebus humanis excedere coactus est, cum tres tantum annos regnasset.

*Oratione Desiderij Episcopi resipiscit Rex Geysa.*

*Moritur Rex Geysa.*

Post funeratum honorificè Geysam, de Rege eligendo Vngari cogitare cœperunt. Et quamuis Salomonem legitimum Regem in finibus haberent, quem tutò reuocare potuissent, & vt id facerent, quotidie literis ac precibus sollicitarentur, nequaquam tamen Ladislaum mente obliterare poterant; quare vno consensu prædictum Ladislaũ Regem declararunt, dignitatem hanc obnixius recusantem. Qui tamen regio diademate coronari non permisit: quia Salomonem adhuc viuere intellexerat. Iniquum enim reputabat, legitimi Regis vsurpare coronam: futuram sibi cum eo concordiam sperabat, quam ex hac modestia promanaturam esse confidebat. Quod & accidit. Nam hac conditione fœdus inter Ladislaum & Salomonem ictum est, vt ea quotannis stipendia Salomoni penderet, quæ regiam addecerent dignitatem, adeundi tamen regni potestate careret, vnicus Vngariæ Ladislaus imperaret.

*Ladislaus creatur Rex Vngariæ.*

Reconciliatus igitur fratri Salomonis animus, aliquantisper acquieuit: sed mox vindictæ occasionem è concordia nactus, de parandis insidiis cogitare cœpit. Proinde Ladislaum in Mosonienſi agro colloquium exorat, quo perpetuam inter se concordiam vehementiùs firmarent: sperans sub hoc prætextu eum per insidias facilè circumuenturum. Ad statum diem adfuturum se recepit Ladislaus. At is cum sub diuina tutela foret, paucis

*Insidiæ Salomonis.*

post diebus clandestino admonetur internuncio, A cum Salomone in colloquio caueat, paratos esse dolos sciat. Commonefactus Rex, pari arte cum Salomone esse certandum intellexit. Quare postquam ad colloquium peruentum est, Ladislaus munitiore præsidio fretus, quod dissimularat, deprehensum in fraude Salomonem circumuenit, cepitque. Eius calamitatem cæli quoque prodigia significarũt. nam eodem anno tactam de cælo Saluatoris Crucem aiunt, quæ in Diui Stephani basilica apud Albam venerabatur. Captus igitur Salomon Vissegradum ducitur, quæ vetus olim regia fuerat, coniectusque est in carcerem.

*Coniicitur in carcerem Salomon.*

Sed quàm Deo abominabilis sit fraterna discordia, id potissimum ostendit. Nam cum D. Ste- B phanus in veneratione corporis, quod annis quinque & quadraginta delituerat, suum numen indicaturus esset, haud mediocre Ladislao Regi promendarum huiusce modi reliquiarum desiderium inspirauit, vt pronepotis beneficio diuinos sibi honores compararet. Quare patrum consulto & edicto Regis, triduo viris æquè ac mulieribus ieiunium indictum, vt aliqua diuinitus signa darentur, quibus omnipotentis Dei voluntatem intelligerent. Quarto die ad eius sepulchrum frequentissimi conuenere, vt è subterraneo fornice sanctissimi Regis corpus expromerent. Quod cum tentassent, lapis vi nulla amoueri potuit. Consulta Virgo mitæ sanctitatis, quæ in Saluatoris cœ- C nobio assiduè versabatur, respondit: Eos frustra niti, donec Salomon carcere liberetur. Ladislaus oraculo Virginis auscultans, eum continuò liberari iubet: ieiunium quoque triduanum cum supplicationibus indicit. Quibus ritè peractis, cum in basilicam cum vniuersa Pontificum procerumque manu iterum conuenissent, tactus lapis, qui sepulchro diu inhæserat, facilè amoueri passus est, & Diui Regis erutæ reliquiæ. Salomon igitur carcere emissus, paucos cum Ladislao Rege dies agit, nam in solitum furorem iracundiamque recidens, ad vlciscendas sibi illatas iniurias animum aduertit. Diuersus trahebatur infelix: nam si ad Henricum Imperatorem, à quo suo iure auxilium po- D stulare poterat, confugisset, eum partim Pontificio, partim Saxonico bello detineri sensérat. E Christianis nemo sibi offerebatur, à quo magnam opem sperare potuisset, quare ad prophanos animum adiecit. Illud enim continuò succurrit, Cuthescum Chunorum principem, barbara manu potentissimum, vicinum regni, ac Transsyluani dominatus auidissimum, ad hoc bellum facilè suscitari posse. Itaque barbaricum clam auxilium exorat: quo si in pristinam dignitatem restitui possit, pollicetur, ac iuramento affirmat, se Transsyluaniæ regnum, Chunorum ditioni perpetuò concessurum; accepturum quoque filiam in vxorem, & æternum cum eo fœdus percussurum. Barbarus E inani spe tractus, coacta ingenti multitudine, in Vngariam erũpit. Ladislaus confestim cogit exercitum, contendit in barbaros, & forti ita animo hostem aggreditur, vt dare terga coactos continuò fuderit fugaritque. Ex Chunis dena millia cæsa, ex Vngaris mille desiderati. Cuthescus cum Salomone clandestina sibi fuga salutem comparauit. Rex clara potitus victoria, cum ingenti præda rediit: fecit apud omnes aras rem sacrã, & supplicationes pro agendis Deo gratiis celebratæ. Spolia templis affixa, in monumentum victoriæ diuina ope comparatæ, & Saluatori erecta ædes.

*Miraculũ ad sepulchrum Sancti Stephani Regis.*

*Salomon diuinitus è carcere liberatur.*

*A Cuthesco Chunorum Principe auxilium petit Salomon, ad recuperandũ Regnum.*

*Chuni fugãtur ab exercitu Ladislai.*

Postquam Salomon rem è sententia minus prosperè euenisse cognouit, mutato consilio Chunorum vires in inferiorem Mysiam, quam nunc Bulgariam dicunt, subinde conuertit. Sollicitat Thraciam, prædis & rapinis vexat omnia, proinde Nicephorum Constantinopolitanum Imperatorem ad arma irritauit. Itaque Græci cum tumultuario exercitu his occurrunt. Facta pugnandi copia, barbaram multitudinem tanto furore adoriuntur, vt in fugam verterint. Maxima Chunorum pars cæsa, cum Salomone pauci euasere, qui dato tergo ad Istrum festinarunt. Quod eo magis facere cogebantur, quo vehementius phalangem Macedonicam instare à tergo cum valido equitatu respiciebant. Ad desertum tandem oppidum peruentum est. Quod cum celerrimè incolumitatis gratia occupassent, confestim à Græco milite occluduntur, vno die tantum ac nocte curata ibi corpora, & redintegratæ vires. Sed cum Salomon prærepta spe salutis, cum sociis loco euadere nullo modo posset, potius pulchrè mori, quàm fame perire statuit. Insequenti die in hostes erupit, & gladio sibi iter aperire cœpit.

*Nicephorus Græcorũ Imperator.*

Cum vtrimque multi cecidissent, Salomon cum nonnullis ense sibi viam inuenit, & cum ad Istrũ cucurrisset, ficco congelatum amnem pede traiecit. Mox citeriore cursu in proximam syluam se recondidit, vbi cótinuò socios curare corpora, equos ad pabula ducere iubet: ipse deposito scuto, veluti dudum reuersurus secretum petit: atque vbi se sociorum oculis eripuit, nusquam vltra visus est. Tot casibus agitatus, diuino Spiritu afflatus, & salutari pœnitentia mox percitus, in solitudines se recepit. Cum castigantis Dei manũ intellexisset, non reluctando, sed cedendo à se declinat; cumulatissimas in Eremo pœnas exoluit. Et quo ferociorem se hominibus exhibuerat, comitiorem deinde se præstitit Deo. Sæuientem in se fortunam laudare cœpit, & reputare sibi fœlicissimam quamcumque olim subiuerat aduersitatem, ratus quemcumque mundus oderit, Deo fore charissimum.

*Tandem Salomon pœnitentia ductus petit Eremũ.*

In solitudine delitescenti mos erat, herbis ac pomis vltro nascentibus sedare famem, corpus cilicio & subiectis quandoque ferarum pellibus tueri: siccis frondibus lectum sternere, vincere sitim aqua; somnum vigilia & labore captare, conficere perpetuo ieiunio corpus, ac die noctuque in sacris hymnis & diuina oratione versari. O ineffabilem Saluatoris nostri benignitatem! cui cum placitum fuerit, durissima continuo corpora permollit, sapientiam inspirat, & ad salutem dirigit, trahitque. Nimirum huius Regis nemo satis resipiscentiam admirari potest, hominem animo elatissimo, regio genere natum, collocatum in regali fastigio, conuersatum semper in deliciis, extemplo postquam diuinus eum spiritus incessit, ingenitam vltro deposuisse superbiã, pro trabea cilicium, pro purpureo strato frondes aridas, pro epulis regalibus baccas ac glandes, pro Syrmico sæpe vino palustrem aquam, & pro frequenti stipatorum manu, commutasse solitudinem, in eaque salubriorem quietem, quàm in regno inueniisse. Colomanni Regis tempore, semel tantum in Vngaria visus perhibetur, & è vestigio delituisse, nec vsquam amplius apparuisse.

*Herbis & pomis in deserto vtebatur ad vitæ sustẽtationem.*

Quis verò enarrare posset quantas dæmonum passus sit molestias in initio conuersionis suæ? Sæpe ei apparebant in diuersarum bestiarum figuris eum deuorare volentium, quas ille facto Crucis signo effugabat. Sæpe ei veniebant in mentem deliciæ quas in regno habuerat; sed considerans nihil in

*Multas dæmonum sustinet molestias.*



in hoc mundo esse stabile, insimul peccata quæ fecerat, totus compunctus & lacrymis perfusus veniam à Domino creatore postulabat. Verũ si Deus seruum suum multis modis tentari voluit, vt ei maior accresceret cumulus meritorum: consolationes tamen beatorũ spirituum non subtraxit. Ad postremũ vir Dei in syluis Istriæ secessit, vbi feruẽtiori zelo quàm antea fecerat Deo seruire cœpit. Cum verò in his auris & desertis omnino solitudinibus multos in abstinentia & austeritate magna vixisset annos, tandem ad cæleste regnum euocatus, migrauit ad Christum quem tota mente, totisque viribus diligebat. Corpus eius Polæ postea sepultum fuit, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui viuit & regnat per infinita sæculorum B sæcula. Amen.

*Secedit in syluis Istriacis.*

*Moritur & Polæ sepelitur.*

## NOTÆ.

Salomon.] *Licet non certi simus de canonizatione eius, tamen eum beatum esse in cælo non est dubitandum. Præter Bonfinium agunt de eo Abrahamus Bakschay, in Chronologia Regum Hũgariæ, Michaël Ritius de Regibus Hungariæ lib. 2. & Vvion. lib. 4. Ligni vitæ, qui eius gesta compendiosè refert.*

In paralysin incidisset.] *Paralysis est morbus quo membra dissoluuntur, & dicitur à para, quod est re, & lysis, solutio.*

Carruca.] *Est genus vehiculi, id est, currus.*

Hexaphorus.] *Lecticam significat, quæ à sex seruis lecticariis forebatur.*

Ferarum viuaria.] *Viuarium est locus in quo vel aues, vel pisces, vel feræ continentur & nutriuntur.*

Theutones.] *Sunt populi Germaniæ.*

Albam contendit.] *Alba Regalis dicta, est præcipua Hungariæ ciuitas, in qua Rex consecratur & residet, Vulgò*, Albe la Royale.

Satrapæ.] *Dicuntur sapientes Iudices, vel Reges & Præfecti, & dicuntur à satis, quasi satis sapientes vel potentes. vnde 1. Reg. c. 29. Satrapis non places.*

Sparsa missilia.] *Missilia hoc loco dicuntur munera quæ à Regibus populo spargebantur.* D

Dalmatiæ Rex.] *Dalmatia est regio Illyrica, contermina Lyburniæ, versus Occasum.*

Aduersus Chunos.] *Chuni dicuntur Æthiopes, nam Chus interpretatur Nigredo, vnde Chuni.*

Rutheno sanguine.] *Rutheni à quibusdam dicuntur populi Galliæ, ab aliis verò, melius populi Flandriæ vocantur, à rubeo colore.*

Patriarcha Aquileiensis.] *Aquileia est vrbs Metropolis Carnorum, iuxta quam defluit Timauus, à legendis aquis dicta. Plin. Aquileiam collocat in decima regione Italiæ.*

Pro trabea cilicium.] *Trabea est genus vestis Regalis & Imperialis, qua soli Reges & Imperatores vtebantur, quasi transbea, quia vltra alios beatum designabat.*

Baccas.] *Sumuntur baccæ præcipuè pro fructu arborum syluestrium.*

Syrmico vino.] *Syrmicum vinum dictum fuit à Syrmion ciuitate Pannoniæ, pro excellenti, eo quod optimum ibi nasceretur vinum.*

In syluis Istriæ.] *Istria est Regio Italiæ, Illyrico contermina, quæ in latitudine sexaginta passuum millia; in circuitu centum vigintiquinque millia complectitur. In ea multæ densissimæ & grandissimæ syluæ reperiuntur.*

Polæ.] *Est Pola celebris vrbs Istriæ.*

A

*VITA SANCTACOPII REGIS Moraviæ, & Eremitæ. Partim ex Æneæ Syluij S.R.E. Card. Hist. Bohemica, partim etiam ex Ioanne Dubravio Olomuzensi Episcopo.*

*Vide Dubravium lib. 4. hist. Bohemicæ.*

MORAVIA trans Danubium iacet, cui ad Orientem Hũgari Polonique regnum possident, Morava disiuncti amne, qui nomen regioni dedit. Occidentem solem Bohemi excipiũt; Austriales Meridianum: Septemtrionale latus Slesitæ occupant. Ager vini frumentique ferax, gens rapinis assueta: nulli tutum iter nisi armato, potentiorique præbet. Hic multos annos regnatum: Hũgari, Bohemi, Russani, Polonique, Morauorum principi paruerunt, Princeps ipse Romano Imperio. Caput regni ciuitas Volegradensis. Suatacopius Christianæ Religionis cultor, non solum huic regno, sed etiam supradictis populis imperabat. Qui quidem fuit penultimus huius regni Rex: & multos annos fæliciter regnauit. Fuitque Arnulphi Romanorum Imperatoris amicissimus, cui adeò commendatus fuit, vt Cæsar filium eius Suatobogium è fonte sacro leuauerit.

*Descriptio Moraviæ.*

*Suatacopius Rex est amicissimus Arnulph Imperat.*

Verùm cum gloriosè regnaret Suatacopius, & pacem cum vniuersis Regibus haberet, perrexit ad C Cæsarem Arnulphum. Eo absente quidam Mistibogius, Hostiuitij vndecimi Bohemiæ principis frater, volens amplificare principatum suum, animum ad Morauiam intendit, decerpere aliquid sibi de illa meditans, Rege præsertim absente, qui, vt iam dictum est, perrexerat ad Imperatorem Arnulphum. Igitur in Morauiæ fines penetrans Mistibogius, complures Morauos circumuenit, captosque in Bohemiam abduxit, prædamque cum fratre partitus est. Cum autem rediisset Suatacopius Rex, didicisseteque strages quas eo absente fecerat Mistibogius in regno suo, collecto magno exercitu processit aduersus eum. Quod cum audiuisset Hostiuitius Bohemiæ princeps & prædicti Mistibogij frater, amicus Suatacopij, præ- D dam omnem quam tulerat frater, ei restituit: quin etiam fratrem hortatus est vt Regi conciliaretur. Quod cum renueret Mistibogius, inter eos commissum est durum prælium, & Bohemi primo cæsi sunt: postmodum verò redintegrato prælio victoria potiti sunt. Ex hac etiam pugna Mistibogius captiuos ad fratrem misit: breuiq; plures se missurũ gloriabatur. Verùm Mistibogius iniuriam quam Suatacopio intulerat non impunè tulit. Nam Deo vlciscente, insolito genere mortis animam efflauit: à dæmone sub humana specie ipsum inuadente, suffocatus. Atque hoc ex pietate, quam Christiana Religione eximiè coluit Suatacopius tulit solatium, vt videret inimicos suos absque opera E sua, sine magno detrimento suorum diuinitus fuisse prostratos. Ne igitur Vngari tam facilè Morauiam incursarent, Suatacopius cœpit castella ædificare, præsidiaque illis imponere, postremò arces & oppida mœnibus cingere, murisque firmare. Atque id tunc maximè faciebat, cum iam nemo restaret qui regnum ipsius temerè infestaret. Regnabat ergo tutus & securus, & prosperabatur, & Deus erat cum eo.

*Bellum Suatacopij aduersus Mistibogium.*

*Vltio diuina in Mistibogium.*

Defuncto Hostiuitio Bohemorum Principe, qui fœdus & amicitiam cum Suatacopio inierat, Boriuorius eius filius, regimen paternum excepit, & Princeps Bohemiæ à proceribus cõstitutus, nõ diu

regnum

regnum vt impius & profanus, sed vti Religioni Christianæ deditus rexit. Hoc verò modo ille Christianismum subiit. Diuerterat ad Regem Moraviæ Suatacopium, partim officij, partim amicitiæ paternæ confirmandæ gratia, venitque eo forte die & tempore ad Regem salutandũ, quo ille à sacrosancto Dominicæ cœnæ conuiuio, in aulam reuersus, mensæ accumbere suæ parabat. Reddita igitur salute Rex: Ignoscas (inquit) Boheme hospes, quod ad prandium hoc nostrum impræsentiarum non inuitere. Nec enim fas est, nec iura Christiana sinunt, reuertẽti à mensa viui Dei, eum conuiuam habere qui mensæ Deorum mortuorum accumbere, deque illorum sacrificiis participare soleat. Proinde si tibi nostra conuiuia arrident, fac vt simul tibi nostra etiam arrideat Religio. Ac tum demum noster eris, & valdè gratus conuiua.

*Quonam pacto Bohemi Christianismum suscepere.*

Pupugerunt ista animum Boriuorij, sed magis adhuc eidem cogitationem de mutanda superstitione iniecerunt honores ab Arnulpho Cæsare ipsi Suatacopio habiti, posteaquã Religione Christiana initiatus fuit. Nam tanta inde Arnulphus beneuolentia, tantoque fauore Suatacopium prosecutus est, vt in gratiam eius venire in Moraviam non grauaretur, ad quem inuitatus erat, vt filiolum suum (sicut iam diximus) è sacro fonte leuaret. Vbi hac præterea in illum vsus est liberalitate, vt tributum illi attribueret, quod Princeps Bohemiæ Cæsari tunc pendebat. Cum itaque non solum honorificam Boriuorius, sed etiam fructuosam videret esse Religionem Christianam, ad illam vehementer adspirare cœpit. Sed meliore mox spiritu afflatus fuit, quum Diuum Methodium, Diui Cyrilli collegam, ambos Moraviæ & primos Antistites, de fide & Religione Christiana differentem audiuit. Alios videlicet honores, & alia præmia cultoribus illam suis polliceri, neutiquam fluxa & caduca, sed planè stabilia atque æterna, si quis illa per baptismum, qui fidem perficit, consummauerit. Adfuit Spiritus sancti gratia, animũque Boriuorij luce fidei Christianæ sic illustrauit, vt ibidem statim, cum bene multis suis clientibus, aqua salutari à Methodio tingeretur: deinde vxor quoque eius, cui Ludmillæ nomen, in Bohemia ab eodem tincta fuit, & magnus præterea Bohemorum vtriusque sexus numerus ad baptismum affluebat. Hæ sunt primitiæ Bohemicæ gentis ad fidem Christi accedentis.

*Sancti Methodius & Cyrillus Moraviæ Apostoli.*

Interea Suatacopius licet Christianissimus, & bonus vir atque pius, & eius opera Bohemi ad fidem conuersi fuerint, nihilominus cum videret se tot populis imperare; in superbiam elatus, Arnulpho Imperatori Domino suo tributum quod antecessores sui Imperatoribus dare consueuerant, pendere recusauit, prædictumque Imperatorem Dominum suum compatrem Arnulphum iniustè, & quasi immemor beneficiorum ab eo receptorũ, cognoscere, eique parere noluit. Vnde iratus Imperator, collecto magno exercitu, venit in Moraviam, contra Suatacopium pugnaturus. Collegit & Rex Moraviæ validissimum exercitum, commissumque est durum & crudele bellum. Verum Suatacopius cum suos cadere animaduertisset, & pœnitentia ductus, quod tam ingratus fuerat erga Arnulphum Imperatorem, qui ei non solum Bohemiam, verum etiam alias regiones hinc vsque ad fluuium Odram, & inde versus Vngariam vsque ad flumen Gron subiugarat, clam sese pugnæ subtraxit: atque vt erat mutata veste incognitus, salutem solus fuga quæsiuit. Cumque ad montem venisset, cui Sambri nomen est, abiectis armis, equoque dimisso, pedibus iter fecit, & tanquam viator inops, vastissimam & penè inaccessibilem ingressus Eremum, tamdiu pomis arborum atque herbarum radicibus vitam sustentauit, donec tres Anachoretas obuios habuit: quibus se adiungens, quis esset, illis ignorantibus, ab eis tonsuratus, & Eremitico habitu indutus, vsque ad extremum vitæ perseuerauit incognitus, patienter ac sedato animo incommoda quæque ferens. Qualia tentationum certamina, & dæmonum insidias in his solitudinibus pertulerit, nulla lingua satis dignè posset enarrare. Dum enim in contritione carnis ac spiritus totam expenderet vitam, & vigiliis ieiunia, ieiuniis vigilias alternando subuerteret, grauiores inimici generis humani patiebatur insidias & infestationes, quas Deo adiuuante, omnes depellebat & superabat. Postquam vir Dei multas horas in sacris orationibus & meditationibus expenderat, ne diabolus eum otiosum inueniret, propriis manibus laborabat, postmodum ad orationẽ reuertebatur. Quando ei in mentem peccata quæ in seculo fecerat, veniebãt, lacrymis perfusus, ab omnipotenti Deo & misericordiarũ patre, veniam postulabat, gratiasque agebat, quod ad pœnitentiam eum vocare dignatus fuerat.

*Fugit de prælio Suatacopius, vtàque Eremiticam amplectitur.*

*Propriis manibus laborat.*

Itaque postquam multos annos in hac horrenda solitudine vixisset: tandem ei obitus reuelatus fuit. Vbi verò affuit, accersitis Eremitis: Nondum (inquit) quis fuerim, nouistis. Rex ego Morauorum, prælio victus ad vos confugi, & regiam vitam & priuatam expertus morior. Nulla regni fortuna est tranquillitati Eremi præferenda. Hic securus somnus, dulces herbarum radices atque vndas efficit: ibi curæ atque pericula nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod vitæ mihi fata dederunt, apud vos felix peregi: in regno quicquid eius transactum est, mors verius quàm vita fuit. Sepelite me hic postquam anima corpus reliquerit, Morauiamque deinde petentes, filio meo, si adhuc viuit, hæc nunciate. Atque his dictis, cum animam creatori commendasset, migrauit ad Dominum. Arnulphus interea victoria potitus, regnum Moraviæ, Suatacopij filio, quem de sacro fonte leuauerat, possidendum reliquit. Is ab Eremitis edoctus de fortuna patris, quẽ cecidisse in prælio existimauerat, corpus eius ex Eremo defossum, Volegradum retulit, atque in sepulchris maiorum condidit. Regnum verò Moraviæ postmodum partim ab Hũgaris direptum, partim à Theutonibus Orientalibus, partim Poloniensibus hostiliter depopulatum fuit.

*Sub mortem seipsum duobus Eremitis prodit.*

*Migrat in cælum.*

*Corpus tibi fertur Volegradum.*

## NOTÆ.

Suatacopius.] *De eo præter Æneam Syluiũ & Dubrauium agit Arnoldus Vvionius lib. 4. Ligni vitæ in tractatu de Regibus sanctis, eiusque gesta compendiosè enarrat. Quem etiam Sanctum vocat: floruisseque anno Domini 890. Multi præter ea alij de eodem aguint, vt Belleforest. in Cosmogr. in descript. Moraviæ.*

Diuum Methodium D. Cyrilli collegam.] *Dicti sunt Morauorum & Slauorũ Apostoli, de quibus Mart. Rom. 9. Martij cum Baronio in Annotationibus.*

## VITA DONEVALDI, ET MAZOTÆ eius filiæ Eremitarum. Ex Hectore Boëtio.

*Habetur lib. 10. hist. Scotiæ.*

VIVENTE Eugenio VII. Scotorum Rege, valuit plurimum ad cõmouendos ad pietatem homines



*Doneualdi sanctitas.*

homines Doneualdi Scotici sanguinis viri sanctitas, qui in solitudine Ovvgilluy sex propè passuum millibus ab Alecto oppido, inter Pictos vitæ sanctimonia insignis vixit. Huic nouem erant filiæ, Mazotæ maiori nomen, Fiucanæ alteri: cæterarum nomina vetustas aboleuit.

*Vnà cum filiabus viuit arctissimè.*

His arctissima vita degentibus, panis hordeaceus cibus fuit, & aqua potus: semelque dumtaxat in die exiguo reficiebantur cibo, perpetuæ ferè orationi, aut rei rusticæ, quo tenuem vitam sustentarent, deditæ. Ferunt Mazotam (hæc vti ætate, ita virtute maxima habebatur) anserum syluestrium ingentem vim cò conuenire solitã, quòd patris segetes multo maximè consumerent, ne deinceps illuc redirent vetuisse, paruisseque alitem sanctissimæ Virginis interminationibus. Cuius rei fidem facit quòd nulla illius generis auium ad patrum vsque nostrorum tempora in agro illo exinde fuerit conspecta.

*Mazota miraculum.*

Post extinctum Patrem virgines (nam mater multo ante fatali morte decesserat) haud tutum ratæ solitudinem sine castitatis custode inhabitare, Garnardum Pictorum Regem adeuntes habitandi locum quærunt, vt Christo, cui tenera ab ætate virginitatem sacrauerant, à virorum semotæ consortio liberius seruirent. Rex piis Virginum postulatis annuens structas Abbernethi ædes cum oratorio, reditusque ex proximis agris ad sumptus eisdem liberè erogauit: vbi post religiosam vitam Deoque gratissimam exactam beato fine quiescentes, ad immensæ quercus radicem sunt sepultæ. Ostenditur locus etiam hac nostra ætate, Christiano populo illuc religionis causa confluenti in multa habitus veneratione.

*Accipiũt sẽcta Virgines à Garnardo Pictorũ Rege locum habitationis.*

*Ad immensa quercus radicem sepeliuntur.*

## NOTÆ.

Doneualdus.] *Floruisse dicitur circa annum Domini 717.*

Inter Pictos.] *Picti (vt dicit Polydorus Vergil. lib. 2. Anglicæ historiæ) sunt populi Scythiæ, maximè moribus & patria Gothis affines, genstruculenta, & in primis bellicosa. Pictos autem appellatos tradunt à colore cæruleo, quo pingi solebant, aut quia crinibus cæruleis erant, vel à stygmatibus, quibus quanto quis cæteros honore anteibat, propensioribus, quanto humilior habebatur, leuioribus afficiebatur. Quidam hos Agathyrsos esse suspicantur, Pictosque vocitatos, quod sic ora artusque pingerent, vt ablui nequirent. Sed Pictos vndecunque dictos, satis constat populos Scythiæ fuisse.*

*Habetur lib. 4. hist. Anglorum.*

## VITA B. INÆ REGIS ET EREMITÆ. Ex Polydoro Vergilio.

INAS Saxonum Occidentalium Rex vndecimus, vir consilij magni & virtutis fuit. Is inito Principatu, vt strenuus ad militaris disciplinæ summam laudem sibi aspirandum constituens, in Cantianos, indicto bello, magnum exercitum duxit: sed tantum abfuit, vt hostes subita belli mole territi ad manus venerint, vt pacem grandi auri pondere redimere maluerint, quàm belli fortunam tentare. Re ita cum Cantianis fœliciter composita, deinde bellum vertit in Aldinium Australium Saxonum Regem nominis Occidentalis hostem, quem facilè vicit, ac regni Australium Saxonum potitus est, postremò domi forisque clarus, bonis artibus dumtaxat vacans, ac iusti æquique per omnia amans, cùm animaduerteret per administrationem publicarum

*Bellum mouet aduersus Cantianos.*

*Itẽ aduersus Aldiniũ Regem.*

rerum non licere sibi esse quietum, regio honore spreto, haud multo pòst secundum Christi præceptum Crucem suam suscepit, ac Christum ipsum sequutus est.

Cæterùm antequam id faceret, voluit religionẽ suis fortunis iuuare: quippe vir sapientissimus ducebat vilissimum stultissimumque esse, in alterius fidẽ permittere opes in varios vsus erogandas, quas ille qui acquisiuisset, posset ipse largiri. Itaque Vvelliæ ædem ædificauit magnifico apparatu, eamque D. Andreæ Apostolo dedicauit, in qua sedem Episcopalem erigendam curauit; & eam postea multis locupletauit possessionibus. Extruxit idem Princeps & templum Glasconiẽse, cum Cœnobio Monachorum familiæ Diui Benedicti, idemque prædiis ditauit amplissimis. At ipsum Cœnobium cùm singulari hospitalitate, tum Monasticæ vitæ obseruatione, facilè cunctis præstat. Eo loci fertur Iosephum Arimathiensem, qui Christum sepelierat, paruulum sacellum condidisse. Quare inas ob huius rei celebritatem, illud ibidem cœnobium posuit. Officia autẽ eius Regis pietatis plena infinita produntur, & illud in primis, quod regnum suum Romano Pontifici vectigale fecerit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulis domibus impositis. Fecit idem eius exemplo ductus, Offa Merciorum Rex, qui non multò post id tempus regnauit. Omnis Anglia hoc tempore istud vectigal pietatis & religionis causa, Romano Pontifici pendit domesticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur vulgò denarij Diui Petri, quos Põtificius, quem non inscienter collectorem nuncupant, exigit.

*Cõstruit Ecclesiã in honorem S. Andreæ.*

*Item Monasterium Glasconiense.*

*Nota de Iosepho Arimathiensi.*

*Regnum suum Romano Pontifici vectigale facit.*

*Item & Offa Rex Merciorum.*

Inas postremò regni statum melius collocandi percupidus, vt suos ad bene beatéque viuendum institueret sanctissimas leges condidit, quas improba posteritas paulatim antiquauit. Nouissimè hortante Ethelburga vxore muliere prudentissima, rerum humanarum molestia tædioque affectus, regnum tradidit Ethellardo consanguineo suo viro probo, quem antea fecerat hæredem: quo facto, Romam se contulit, ibique effectus Monachus & solitarius, breui inde occidit. Ethelburga itidem Regina, inter Monachas, in Cœnobio quod positum est ad ripam Thamesis fluminis, in pago quem dicunt Berchyngium, moritur. Inas autem post mortem in Sanctorum Catalogo relatus fuit.

*Leges condit.*

*Proficiscitur Romam, & fit monachus.*

## NOTÆ.

Inas.] *De eo Matthæus Vvestmonast. in Florib. Historiarum ad annum 727. & Vvionius lib. 5. Ligni vitæ, & Platus lib. 2. cap. 26. de bono statu Religiosi, & alij multi. Floruit circa annum Domini DCCXL.*

## VITA S. VVITHBVRGÆ VIRGINIS. Ex Vvillielmo Malmesburiensi.

*Habetur lib. 4. de gestis Pontif. Anglorum.*

EATA Vvithburga Annæ Orientalium Anglorum Regis filia fuit. Quæ spretis omnibus huius mundi voluptatibus & deliciis regalibus, vt perfectius soli Deo seruire posset, ad quendam solitarium locum fecessit, vbi plures annos cælebs, & ciborum continens transegit. Ministrabat autem ei quotidianum ex vberibus potum cerua domestica & manui assueta, quam cum quidam seu telo, seu iaculo appetiisset & exanimasset, regio non multo post morbo captus extabuit.

*S. Vvithburga filia Annæ Regis Anglorum Orient. Secedit in locum solitariũ Sãcta Vvithburga. Pascitur à Cerua. Regio morbo percutitur interfector Ceruæ S. Virginis.*

Cùm verò multos annos in sanctis operibus perseuerasset, tandem migrauit ad Dominum, suo-

rum acceptura præmium laborum. Cuius ſanctum corpus ſepulturæ mandatum, poſt multos annos inuentum eſt incorruptum. Nam cum tempore Richardi Abbatis, quibuſdam veniſſet in dubium de beatæ huius incorruptione, quidam eam detexerunt vltra mammas, viſaque ex toto corpore integra, dormienti ſimilior quàm mortuæ, pululo ſerico ad caput appoſito, velo & totis veſtibus integra nouitate renitentibus, ſerena facie, roſeo rubore ſuauis, dentibus candidis, labiis paululum reductis, papillis admodum paruulis. Sanctum corpus antea fuerat tranſlatum à Brithnodo Abbate ad Monaſterium quod Sancta Etheldrida eius ſoror conſtruxerat. In ſancti verò corporis tranſlatione hoc miraculum accidit. Cum enim Brithnodus illud naui impoſitum transferret, ciues pagi illius in quo ſepultum fuerat corpus cum ad arma proſilirent, & nautæ inter vndarum volumina periclitarentur, columna ignea è cælo ad nauem pertendens, nauem cito curſu ad littus perduxit.

*Poſt multos annos ab eius obitu corpus reperitur incorruptum.*

*Miraculũ in Sanctæ Virginis tranſlatione.*

*NOTÆ.*

Vvithburga.] *Præter Malmesburienſem, agunt de eadem Petrus in Cat. & omnes ferè Anglicarum rerum ſcriptores.*

## *VITA B. ETHELDRIDÆ VIRGINIS. Ex Vvillelmo Malmesburienſi.*

*Lib. 4. de geſtis Pontific. Anglor.*

ANNA Orientalium Anglorum potentiſſimus Rex, filias tres ſanctiſſimas ex legitimo connubio habere meruit. Inter quas beata Etheldrida prima natu cæteras ſorores in virtutibus præcellere videbatur. Quæ (vt Beda author eſt) duobus viris nupta, fœlici continentia, ſine vlla pudoris iactura, ſine vlla libidinis vrtica, perpetuæ virginitatis lauream cælo victrix exhibuit. Et vt perfectius ſponſo ſuo Chriſto ſeruire poſſet, apud Heli Monaſterium conſtruxit, ibique ſanctæ conuerſationis habitu aſſumpto, in vigiliis, ieiuniis, & orationibus, vitæ curriculum peregit. Cum autem multo tempore ab eius morte Dani in Monaſterium irruiſſent, & effugatis habitatricibus habitacula ſubruiſſent, eorum vnus, cui cordis immanitas rabiem aſpirabat, pretioſum pallium, quo tumba beatæ huius Virginis operiebatur, ſurripuit, & marmor mauſolei bipenni percuſſit, quo ictu cum cruſta diſſiluiſſet marmoris, fragmentum illud repercuſſo à terra impetu in oculum percuſſoris volauit. Sed & ipſe in terram ſine mente ruit. Cæteri certatim illo erecto, aliarum ſanctarum ſepulchra quæ temerare meditabantur, inuiolata relinquentes in fugam proruunt. Sed non diu ſolitudo ſacratiſſimi loci durauit, annitentibus & Rege Angliæ & prouincialibus. Poſiti ergo ad tempus Clerici qui ſacra diuina frequentarent; eorum aliquis procacior cæteris, aut puto, ſyncera mente ad virginis incorruptionem certius explorandam, ſocios exacuere tentauit. (Audierat enim corpus beatæ adhuc incorruptum permanere.) Illis igitur periculum rei præ ſe ferentibus ipſe acceſſit, primóque per foramen, quod Dani effecerant, appoſitam virgæ candelam immittens, curioſitate oculorum quantum poterat ſecutus, omnia rimari: mox ſummitate virgæ fiſſa, pannos quibus ſacrũ corpus inuoluebatur, ad ſe trahere conari. Iamque partem attraxerat, cum virgo indignata nudum corpus à nebulone videri, pannum introrſum violenter retraxit: adeò vt illum contranitentem terra ſupinum clideret: quo caſu perpetuo debilis, poſterius amentia non caruit. Id foramen poſtea Etheluuoldus Epiſcopus ſanctus cæmento & lapide damnauit, extruſiſque Clericis, Monachos induxit: contulitque ibi magna & quanta quis miretur prædia.

*Anna Orientalium Anglorum Rex tres filias sãctiſſimas habuit.*

*S. Etheldrida duobus viris nupta virginitatem ſeruauit.*

*Cõſtruit Monaſterium, & ibi ſanctæ cõuerſationis habitum ſumit.*

*Vltio diuina in violatorẽ ſepulchri sãctæ virginis.*

*Corpus ſanctæ Etheldridæ incorruptum.*

*Nota inſigne miraculum.*

*NOTÆ.*

Etheldrida.] *Aliàs Etheldrada, vel Etheldrita. De ea agunt Petrus in Cat. lib. 11. cap. 67. Platus de bono ſtatu Religioſi lib. 2. cap. 27. & alij. Vixit anno Domini DCCVI.*

## *VITA SS. VIRGINVM, VVIREburgæ, & Fredeſuuidæ. Ex eodem Vvillelmo Malmesburienſi.*

*Lib. 4. de geſtis Pontific. Anglorum.*

FVIT in quodam Monaſterio antiquo apud Ceſtram Legionum ciuitatem Vvireburga virgo, filia Vvlferij Regis Merciorum, & Ermenildæ, filiæ Sexburgæ, quæ fuit filia Annæ Regis Orientalium Anglorum, & vxor Erkomberti Regis Cantuariorum: quæ cælibatum profeſſa in illa ciuitate plurimo temporum curriculo bonis emicuit virtutibus, cuius vnum narrò miraculum, quod ab incolis celebritate ſui famam & memoriam meruit. Rus extra muros habebat, cuius ſegetes depaſcebantur ancæ ſylueſtres. Villicus cuius officij intererat, omni cura abigere, ſed parum promouere. Quare dum herili aſſiſteret obſequio, huiuſce rei inter cæteras diei fabulas ſubintulit querimoniam. Vade, inquit illa, & include omnes in domo. Stupefactus agreſtis nouitate præcepti ludere putabar dominam: ſed illa conſtanter & ſeriò præcipiente, ad ſegetem reuerſus, vbi prædictas improbas primùm conſpicatus eſt, vt ſe ex præcepto heræ ſequerentur, clara edixit voce. Tunc omnes grege facto, collis demiſſis, hoſtem ſequutæ tecto incluſæ ſunt. Quarum vnam præſumpſit ruſticus ad cænam, nullum accuſatorem ſcilicet veritus. Diluculo venit Virgo, & de rapina rerum alienarum volucres increpitans, fugam capeſſere imperauit. Nec defuit alitibus ſenſus, quæ ſe integras non eſſe ſcirent, quin circa Dominæ pedes circumeuntes, nec vſquam prodeũtes, querela, qua poterant, pietatem virginis excitarent. Illa Deo ſibi reuelante intelligens non ex nihilo eſſe tantam querimoniam auium, villicum ſedulo percunctata furtum cognouit. Iubet oſſa recolligi, nec mora, ſigno virgineæ manus medicante, cutis & caro oſſibus ſuperducta, cutis cœpit plumeſcere, donec ales animata, ſaltu primo alacri, mox volatu ſe librauit in æthera. Sequutæ ſine cunctatione cæteræ conſtante iam numero, exhibito prius liberatrici venerationis officio.

*Parentes ſanctæ Vvirebur.*

*Iuſſu ſanctæ Virginis ſylueſtres anes, ſegetes deuaſtantes, colliguntur.*

*Inſigne patrat miraculum ſanctæ Vvireburgæ.*

Huius B. Virginis apud Ceſtram prædicantur merita, extolluntur miracula. Cumque omnium petitioni ſit incunctanter fauorabilis, tum maximè orationes fœminarum & puerorum vicino & contiguo auxilij pede attingit.

*S. Vvireburga præcipuè fauet precibus fœminarũ & puerorum.*

Beata autem Fredeſvvinda virgo ſacratiſſima, Didani Ducis filia fuit. Quã cũ Algarus Princeps, nimia pulchritudine decoratã videret, ad eius nuptias appulit animum. Sed cum Beata virgo virginitatem ſuam Domino Chriſto vouiſſet, nullatenus conſentire voluit. Quod cernens Princeps qui amore languebat, iterum precibus & blanditiis eius

*S. Fredeſuuida filia Didani Ducis.*



animum flectere intendebat: quibus conſumptis cũ non poſſet amplius obſcæni amoris flãmas tolerare, tandem eam vi rapere intendit. Quo Fridefvvinda cognito, fuga in ſyluã ſibi conſuluit. Sed latibulum latere non potuit amantem, nec cordis deſidia obfuit, quin perſequeretur fugitãtẽ. Iteratò ergo virgo iuuenis furore comperto, per occultos tramites Deo comitante, Oxeufordiã ingreſſa eſt nocte intempeſta. Illuc cùm manè curioſus amator aduolaſſet, puella iam de fuga deſperans, ſimulque pro laſſitudine nuſquam progredi potens, Dei tutelam ſibi, proſequutori pœnam imprecata eſt. Iamque ille cum comitibus portas ſubibat vrbis, cum cæleſti plaga irruente cæcitatem incurrit. Intellectoque pertinaciæ ſuæ delicto, & Fredeſvvinda per nuncios exorata, eadem celeritate qua perdiderat, lumen recepit. Ibi ergo fœmina virginei triumphi compos, ſtatuit Monaſterium, vbi ſanctiſſimè vitam agens, multiſque miraculis coruſcans, tandem ſponſo vocante ſubiuit mortem.

*Algarus Princeps eam deperit.*

*Fuga ſuæ ſaluti conſulit ſancta virgo.*

*Eius amore captus Algarus Princeps cæcitate percutitur.*

*Precibus ſanctæ virginis viſum recipit.*

*Cõſtruit Monaſterium ſanctæ virgo, vbi & moritur.*

*NOTÆ.*

Vvireburga.] *Aliàs Vviteburga, vel Vvereburga. De qua Molanus 8. Iulij, & Vvionius in Martyrol. Monaſtico hac die. Claruit circa annum Domini 670.*

Fredeſvvinda.] *Vel Fredeſvvida. De qua Mart. Rom. cum Baron. 19. Octob. De eadem agunt Polydor. Vergil. lib. 5. Hiſt. Angl. Chorogr. Britanniæ fol. 288. Vvion. in Ligno vitæ 19. Octob. Fuit filia Didaci Ducis, & concepto voto Sanctimonialis fit Oxonij, circa annum Domini 730. Fama eſt, poſtquam Algarus qui Fredeſvvidam inſequebatur, lumine priuatus fuiſſet, & demum oratione virginis eidem reſtitutũ eſſet, innatam poſtea Regibus Angliæ religionem, vt formidarint in vrbem Oxonium introire, adeò facilè mens humana ad ſuperſtitionem rapitur. Extabat Oxonij cœnobium Canonicorum Regularium S. Fredeſvvidæ dicatum.*

## *VITA S. PAVLI EPISCOPI. Partim ex Berchario, aliiſque Auctoribus collecta.*

*Apud Surium tom. 1.*

*S. Pauli natales.*

*Venit ad Eremum Voſagi.*

*Accipit habitum Monaſticum.*

BEATVS Paulus Virdunenſis Eccleſiæ Præſul, patria Auguſtodunenſis, nobilibus parentibus ortus eſt. Porrò in ipſis teneris annis artium liberalium ſtudiis adhibitus eſt, in quibus breui tempore eos habuit proceſſus, vt Grammatica, Dialectica, Rhetorica, cæteriſque humanioribus diſciplinis ſatis inſtructus videretur. Factus adoleſcens, inuſitatæ peregrinationis ſibiipſi laborem indixit, oblituſque generis antiqua ſtemmata, relictiſque chariſſimis parentibus, ad vitam ſolitariam anhelans, iuxta Treuerim apud Voſagum montem, qui & Gebenna dicebatur, trans pontem Moſellæ fluminis, vitam multis annis duxit Eremiticam. Mons Gebenna dictus antea, nomen ab eo ſuſcipiens, Paulimons (vulgariter Paulsberg) nuncupatur vſque in præſentem diem.

Erat autem in illa Eremo Monaſterium, quod hodie quoque perſeuerat, Monaſticis inſtitutis valde inſigne, Tabuleium antiquitus dictum, nunc verò Theologium. Ad id cœnobium hoſpitij cauſa diuertit Paulus. Nec mora (neſcit enim tarda mollimina Spiritus ſancti gratia) cum Abbatis benedictione, Monaſticum induit habitum. Vbi qualem deinde ſeſe præſtiterit, quàm moribus & vita ſanctum & inculpatum, non facilè quiſquam explicauerit. Cum in piſtrino fratrum obedientiam habuiſſet, & timeret, ne hora ſtatuta fratres panem habere potuiſſent, eiecto igne de clibano, ipſe introgreſſus, cum cuculla ſua clibanum purgauit, & panem illic ad coquendum ordinauit, & ſanus foras egreſſus, panem factum fratribus in refectorio tempore ſtatuto diſtribuit. Cæcos quoque illuminauit, claudis greſſum præbuit, ægrotos à variis infirmitatibus curauit.

*Ingreditur S. Paulus clibanũ illæſus.*

Quæ eius fama cùm longè latéque increbuiſſet, cœperunt multi ad eum cõfluere etiam ex longinquis regionibus, & ſe in eius tradere diſciplinam. In iis autem quoque fuit Grimo nepos Dagoberti Regis, cuius Monaſterium Tabuleium erat iure hæreditario: cuius occaſione etiam poſtea promotus eſt hic noſter Paulus in ſedem Virdunenſem, cum diu, ſed fruſtra hanc dignitatem detrectaſſet. Denique cum Eccleſiam ſuam ſanctè & piè gubernaſſet: Deus omnipotens animam illius cum omnibus ſanctis in æterna gloria ſine fine gaudere fecit. Reddidit autem fælicem ſpiritum Chriſto 6. Idus Februarij.

*Multi confluunt ad eũ, & in iis etiã Nepos Dagoberti.*

*Fit Epiſcopus Virdunenſis.*

*Moritur.*

*NOTÆ.*

Paulus.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 8. Febr. Agunt de eo Trithem. de viris Illuſt. Ord. S. Bened. lib. 3. c. 258. Sur. tom. 1. Fuit autem Paulus non frater, vt in eius vita apud Sur. legitur, ſed nepos S. Germani Epiſcopi Pariſienſis. Epiſcopatus ſui anno 29. obiit. Electus eſt in Epiſcopum anno Domini 621. obiitque 648. fuitque 13. eius ſedis Epiſcopus.*

Theologium.] *Aliàs Tabuleium, Monaſterium Ord. S. Bened. fundari cœpit à Dagoberto Rege Franc. conſilio & auxilio B. Madoaldi Archiepiſcopi, quod Sigebertus Rex Auſtraſiæ conſummauit, & S. Dirmoius Præſul, & Monachus poſtea pulchrius decorauit. Eſt autem in honorem S. Mariæ Virginis matris Dei conſecratum.*

## *VITA S. GVTHLACI EREMITÆ. Ex Felice Crolandienſi.*

*Apud Surium tom. 2.*

*Parentes S. Guthlaci.*

IN diebus Ethelredi Regis Merciorum, nobilis quidam, nomine Pennualdus, regali progenie ortus, ex vxore ſua nomine Tecta, Sanctum Guthlacum ſeruum Dei progenuit. Ea autem hora, qua eum Dominus vocauit & ſegregauit ex vtero matris ſuæ, cæleſti prognoſtico deſignatus eſt. Manus enim quaſi hominis, rubri nitoris, cælitus miſſa, & ad oſtium domus extenſa, ineffabili fulgore coruſcare viſa eſt. Quæ ſignaculo Crucis oſtium muniens, felici præfiguravit auſpicio, quod ille ad ortum procederet, qui conſtanti perſeuerantia Chriſti Crucem in ſuo corpore circumferret. Nato itaque puero & baptizato, Guthlacus vocatur, quod ſonat belli donum, vel bonum donum, iuxta idioma Anglorum. A Deo donatus eſt parentibus ſuis, vt contra oppreſſores eorum bella gereret, ac de illis cum victoria titulos triumphales reportaret. Erat puer facie ſerenus, omnibus gratus & acceptus: vt animos hominum etiam ſolo aſpectu ſibi conciliaret ad gratiam & fauorem.

*Nota.*

*Interpretatio nominis Guthlaci.*

*Fit miles.*

Cum autem vigeſimum & quartum ætatis attigiſſet annum, & ſui generis inimicos inualuiſſe conſpiceret, cœpit ad militares actus feruẽter aſpirare: decoratuſque cingulo militari, & adiunctis ſibi copiis militaribus, cœpit in hoſtiles populos immaniter ſæuire, vrbes oppugnare, caſtella ſubuertere,

uertere, ac de bellicis actibus inæstimabilis famæ titulos obtinere. Interim in ipsa crudelitate armorum hostibus suis misericors erat: eisque de rapinis & prædis tertiam partem refundebat. Tandem diuino instinctu ad memoriam reuocabat exitus tristes & horrendos Regum, magnorumque principum de quorum stirpe descenderat, & quod pompa secularis fumus est, & vapor ad modicum parens. Vocatis itaque commilitonibus suis ait: Hactenus clarissimi viri mei, vanitatibus huius seculi ego militaui: deinceps Saluatori meo militare decreui. Eligite vobis ducem, cuius signa sequamini: ego enim sequor Dominicæ Crucis signum. Et cum nullis precibus à sententia deduci posset, abiectis armis suis, Rependoniam venit, vbi erat Monasterium insigne: & accepto clericalis tonsuræ charactere, Monasticis disciplinis se mancipauit, & nihil omnino bibit, quod ebrietatis occasio esse posset. Psalmos autem & hymnos didicit, atque in scientia sanctarum Scripturarum intra biennium mira facilitate profecit.

*Misericors est erga hostes.*

*Fit Monachus, & mortificationi corporis se exercet.*

Est verò in Britannia palus vasta & diffusa, quæ à Grõte flumine incipiens, diuersis nemoribus, stagnis, insulis, carectis, variisque fluuialium viarum flexuosis anfractibus distincta, ab Austro sese porrigit vsque ad Aquilonem tractu longissimo, vbi circa maris confinia suos habet limites. Eò, à fratribus impetrata venia, peruenit, didicitque ab incolis loci, insulam esse nomine Croulande, vbi quidam olim habitare tentauerant, sed eos monstra Eremi, & laruales formæ dæmonum territos, in fugam compulerant. Scapha piscatoria in insulam vectus, terram horroris & vastæ solitudinis ingreditur in die Sancti Bartholomæi Apostoli: de cuius meritis specialiter confidens, solus habitare cœpit cum duobus iuuenibus, quos secum adduxerat: & ædificato modico tuguriolo, pellibus solum crudis & rudibus pro indumentis vtebatur: pane hordeaceo & aqua lutulenta post solis semper occasum, cum maxima moderatione parsimoniæ, vescebatur. Inuidens igitur humani generis aduersarius humilitati viri Dei, adeò vehementè spiritum tentationis in eum immisit, quod eum in desperationis foueam deuoluisset, nisi illum Dominus per B. Bartholomæi merita misericordiæ oculo respexisset. Animo itaque consternatus, & supra quàm credi potest, turbatus, fugere & desertum deserere disponebat. Sed B. Bartholomæus Apostolus visibiliter ei apparens eum confortauit, & ab illo die spiritus desperationis nunquam eum tentare ausus fuit.

*Venit solitarius in Insulã Crolãdia.*

*Vestitus S. viri.*

*Abstinentia.*

*A spiritu desperationis affligitur, sed à S. Bartholomæo Apostolo liberatur.*

Die quadam duo filij tenebrarum transfigurantes se in Angelos lucis, ei multa persuasionis instantia cœperunt consulere, vt continuè per hebdomadam ieiunaret, & hac via gradum summæ perfectionis attingeret. Biduana enim & triduana ieiunia reprobantes, proponebant ei ieiunium Moysis & Eliæ, atque intolerabiles abstinentias venerabilium Patrum, qui olim conuersati fuere in Scete. Intelligens autem Guthlacus diabolicæ tentationis versutiam, inuocata Christi virtute, psallebat: Exurgat Deus & dissipétur inimici eius, &c. Itaque illis flebili vlulatu & mœstissimo planctu aërem implentibus, Guthlacus deinceps omnia diaboli tentamenta contempsit, eiusque suggestiones omnes conculcauit.

*Demones ei suadere conantur immoderatam abstinentiã.*

Elapsis deinde paucis diebus, noctis intempestæ silentio irruit in eum infinita dæmonum multitudo. A terra vsque ad cælum totum aëris elementum implebatur præstigiis & larualibus dæmonum formis. Rapiunt autem eum monstruosi homines, extra cellam educunt, membra eius colligant, eumque in paludes cœnosas & profundas demergunt. Deinde inde asportantes, per loca asperrima, & inextricabiles veprium densitates trahunt. Cumque pars noctis maxima adhuc superesset, vrgent verberibus & tormentis, vt insulam quamprimùm deserat, mortis supplicium ei terribiliter intentantes, si ab ipsorum ditione maturè non recedat. Ille autem minas eorum ducens pro nihilo, Christum inuocare non cessabat. Videntes autem spiritus maligni se nihil proficere aduersus constantiam eius, flagellis ferreis, & horrendis alarum stridoribus illum torquent & cruciant: denique vsque ad nubes subuectum, in septemtrionali cæli plaga constituunt. Cœpit autem tota cæli facies densa caligine obscurari, innumeraque dæmonum confluxit turba, qui arreptum, ad fauces inferorum, mirum in modum excruciando, perducunt. Sanctus verò Guthlacus sentiens fœtorem gehennæ, & æstuantes ignis sulphure globos, omnia quæ passus fuerat, comparatione illius angustiæ, leuia putabat. Cernebat enim hinc gurgites igneos, inde torrentes grandine glaciali teterrimos, cælum terramque occupare: videbat non sine dolore & gemitu, inter sulphureos ignium vapores, inter fauillarum voragines, inauditos hominum cruciatus, ineffabilium facies tormentorum. Dæmones verò his qui cruciabantur, horribiliter insultantes, quasi de viro Dei pro suo libitu triumphassent, superbè & procaciter intonabant: Ecce, inquiunt, nobis traditus es ad cruciatus sempiternos: ecce his suppliciis & doloribus sine fine torqueberis, quia sedes nostras inuadere præsumpsisti. Ille autem patienter cuncta tolerans, dicebat: Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Mox adfuit beatus Bartholomæus Apostolus, & cum eo lumen splendens admirabiliter. Cuius splendorem nequam spiritus ferre non valentes, fugam capessunt, & ab eius oculis penitus euanescunt. Sed illis iussu Apostoli reuocatis, ab eodem Apostolo seuerè iniungitur, vt nulla corpori eius molestia irrogata, reducant eum ad locum vnde eum abduxerant. Quod cum suauissimè facerent, & sine eius molestia, auditus est chorus psallentium in excelso: Ibunt Sancti de virtute in virtutẽ, videbitur Deus Deorum in Sion. Ita hostibus triũphatis, in loco habitationis suæ repositus ex ipsa vexatione factus est humilior, feruentior, fortior & cautior.

*Multum affligitur à dæmonibus.*

*Iterum à S. Bartholomæo Apostolo à dæmonũ præstigiis liberatur.*

Dum circa matutinas laudes sollicitus vice quadam excubaret, vidit à sinistris duos dæmones, ipsi cæteris notiores. Qui cum miserabiliter flerent, & ille causam fletus inquireret, respondérunt: Quia præuales in omnibus contra nos, teque attrectare, aut contingere non audemus. Facto autem signo Crucis, ab oculis eius euanuerunt. Quadam vice viro Dei contemplationi & orationi vocanti, vndique turbarum strepitus, & clamor quasi exercitus irruentis auditur, (illis enim diebus Britones Anglorum gentem hostili crudelitate vastabant) & cellam vir Dei egrediens, & aures arrigens, audit quasi populum innumerabilem lingua Britannica loquentem. Demum certatim irruunt populi, & habitaculo eius ignem subiiciunt, illumque rapiunt, & acutis hastarum spiculis in aëra leuant, eique nunc igne, nunc ferro mortem intentant. Ipse verò dæmonum has esse illusiones intelligens, dixit: Exurgat Deus, & dissipentur

*Signo Crucis pellit duos dæmones.*

*Valde ei sunt infesti dæmones.*



pentur inimici eius. Cumque subiũgeret: Sicut deficit fumus deficiant, &c. tota illa horrenda multitudo cum suis illusionibus quasi fumus euanuit.

Clericus quidam nomine Bertelinus, sub institutione Beati Guthlaci diuinis mancipatus obsequiis, Deo in spiritalibus exercitiis militabat. Videns ergo spiritus nequam, quod virum Dei nulla posset tentatione subuertere, in hoc Bertelino prauæ cupiditatis tantum excitauit ardorem, vt domini & magistri sui ferro perimendi cogitationem susceperit: vt scilicet illo clam è medio sublato, ipse sibi eius res atque domicilium quasi iure quodam hereditario vendicaret. At pius Christi seruus, quicquid Bertelini aduersum eum moliretur iniquitas, Spiritu sancto reuelante cognouit: illique ad se accersito, animi eius consilium atque propositum perspicuè explicauit, nempe, quando, & vbi, & quare, & qualiter facinus illud perpetrare decreuisset. Ille autem deprehensum se sentiens, pœnitentia ductus, pedibus viri Dei humiliter se prostrauit, veniam petiit, & obtinuit: idemque postea B. Guthlaco fidelis admodũ fuit, & cum illo vsque ad finem vitæ eius permansit, illumque sepulturæ tradere meruit.

*Spiritu sancto reuelante cognoscit Bertelinum discipulũ suum velle eum occidere.*

Nocte quadam cum vir sanctus vigiliis & precibus deuotus insisteret, tota insula intremuit, infinita dæmonum multitudo, assumptis brutorum animantium formis, locum intrauit, & intrando circunquaque concussit. Ingrediebantur domum innumeræ species bestiarum, leo rugiens, taurus mugiens, vrsus frendens, aper grunniens, lupus vlulans, equus hinniens, aries balans, asinus rudens, coluber sibilans: vnumquodque animal pro naturæ suæ facultate, dentibus, vel pedibus, aut cornibus, minas & terrores intentans. Vir autem Dei signo Crucis se muniens, dixit: Cur me tentas sathana? Dominus mihi adiutor est, & ego despiciam inimicos meos. Hæc & multa alia cum dixisset, tota illa phantasia disparuit.

*Eum valde conantur terrere dæmones.*

Ad sancti viri iussum hirundines & cæteræ aues Eremi, pisces etiam stagni alacriter ad eum accesserunt: & quæ in ea solitudine erant feræ & syluestres animantes, mansuescebant. In primo hirundinum aduentu, cum veluti blandè eum primò salutassent, certa nidificandi loca singulis assignauit. Illæ verò eius scapulis familiariter assidentes, quodam gratulationis applausu sancti viri humanitatem prædicare videbantur. Cumque ab illo scisciteratur vir quidam, vnde esset tanta auiũ illarum confidentia, & intrepida apud ipsum habitatio, respondit: Qui toto corde fugit consortia hominum, ei non solum feræ & volucres, sed cætera quoque omnia solatio sunt, atque insuper nũquam ei blanda deerit consolatio Angelorum.

*Feræ & pisces ad eum mansuetiùs accedunt.*

*Egregium S. viri dictum.*

Ethelbaldus quidã de genere Merciorũ, spectatæ nobilitatis fuit. Aduersus hunc cũ inualescceret Rex Conredus, eumque à regni sui finibus prorsus exturbaret, omni humano solatio destitutus, virum Dei Guthlacum crebrò visitauit, sperans eius meritis à Deo suæ calamitatis se impetraturum leuamentum. Euenit interim, vt idem Ethelbaldus cum venerabili viro Vuilfrido nauigio veniret in insulam: cumque de scapha exirent, Vuilfridus duas manicas in scapha reliquit. Porrò B. Guthlacus, dum in oratorio contemplationi vacaret, Spiritu sancto docente, cognouit eas manicas à coruis absportari. Quod cum viris illis indicasset, vident coruum in fastigio cuiusdam domus vnam ex iis manicis tenentem, pedibus & rostro vellentem. Præcipiente autem viro Dei, relicta manica, cor-

*Ab Ethelbaldo visitatur.*

*Præcipit coruo vt manicas referat quas sustulerat.*

uus citius auolauit. Qua recepta Guthlacus, alterã quoque sine dilatione restituũ iri pollicetur. Nec mora, tribus viris aducantibus sanctus Guthlacus occurrit, qui manicam repertam ei obtulerunt, eamque ille receptam Vuilfrido non parum admiranti tradidit.

In Orientalium Anglorum finibus iuuenis quidam obsessus, in tantum à dæmone vexabatur, vt lignis & lapidibus, ferroque homines appeteret, suaque membra dentibus & vnguibus laniaret, atque etiam tres homines, cum illi eum ligare tentassent, interfecerit. Circunductus ille fuit ab amicis ad multa Sanctorum loca, sed casso labore. Tãdem ad beatum Guthlacum eum adducunt, isque triduo in ieiunio & precibus perseuerans, atque aqua hominem aspergens, omnem maligni dæmonis potestatem ab eo exclusit, & parentibus sanum atque incolumem restituit.

*Sanat dæmoniacum.*

Nobilis quidam, Ethelbaldi exulis, cuius paulò ante meminimus, comes, à dæmone vexatus, & viro Dei oblatus, postquam illius zona accinctus fuit, omni maligni spiritus vexatione ilicò est absolutus. Quidam etiam supradicti Ethelbaldi comes, cum pedem haberet spina transfixum, à planta pedis vsque ad renes tanto tumore cœpit inflari, vt vitam eius, quotquot eius miseriam essent intuiti, desperare possent. Porrò beatus Guthlacus exuens cilicium, in quo solebat orare, ipsum illo circumdedit, dictoque citius spina è pede resiliente, tumor in momento subsedit, & dolor omnis sopitus est.

*Dæmoniacus zona viri Dei accinctus, à diabolo liberatur.*

*Insigne miraculũ de cilicio viri Dei.*

Quidam Episcopus, Hedda nomine, cum iret ad Guthlacum videndum, ejusque clericĩ austeritatem vitæ viri Dei & humilitatem commenda-rent, Vuilfridus quidam se breui cogniturum dixit, num talis esset, qualem eum fama prædicaret. Cùm ergo Episcopus ad virum Dei venisset, & se mutuò salutassent, & de sacro eloquio contulissent: respiciens Guthlacus clericum illum: frater, inquit, Vuilfride, quid tibi nunc videtur de homine isto, quem te hodie iudicaturum heri promisisti? Ille rubore suffusus & admiratione, in terram humiliter se prostrauit, veniamque petiit & obtinuit. Episcopus verò Guthlacum ad sacerdotij gradum promouit.

*Visitatur ab Episcopo Hedda.*

*Fit Sacerdos.*

Per id tempus virgo quædam Edburga, filia Regis Adulphi, virginum Deo sacratarum venerabilis abbatissa, plumbeum sarcophagum linteumque delicatum intus inuolutum B. Guthlaco deuotè trãsmisit, humiliter & obnixè rogans, vt in die obitus se in illo permitteret sepeliri, simul etiã deprecans vt ei prædiceret quis esset ei successor futurus in illa solitudine. At vir sanctus Ethnicum esse, qui ei esset successor futurus, sanctæ virgini renunciauit, breui autem baptizatum iri, quod quidem ita factum est. Quidam enim Cissa nomine, post B. Guthlaci decessum è vita, fidem Christi suscepit, & eius meruit esse successor. Videns autẽ B. Guthlacus Ethelbaldum diuturnitate exilij fractum, & prorsus animo consternatum, salutaribus monitis studuit eum à desperationis lapsu erigere: prædixitque quod ad regni sui solium reuerteretur, & propediem moreretur is qui eum persequebatur.

*S. Edburga mittit ad eũ plumbeũ sarcophagum.*

*Prædicit quis ei deberet succedere.*

*Prædicit Ethelbaldo Regi recuperationẽ sui Regni, & mortẽ inuasoris.*

Appropinquante verò die obitus sui, vocauit ad se Bertelinum, dixitque ei: Ad laborum meorum, fili, stipendia vado: bonum est mihi dissolui & esse cum Christo. Deinde post multos sermones, iniunxit ei, vt sororem ipsius Pegã officiosè saluaret, rogaretque eam vt corpus eius sepeliret. Ait autem ad eum discipulus eius: Adiuro te pater per

*Pega S. viri soror.*

misericordiam Christi, vt mihi reuelare digneris, A quid sit quod ab ea die, qua primùm tibi cœpi cohabitare, quotidie mane & vespere te cum alio loquentem audiui? Respondit vir sanctus: Instat mihi nouissimus dies, nec mentiri expedit. Noueris igitur, posteaquam me ad hanc Eremum contuli, semper mane & vespere Angelum me meæ consolationis habuisse, qui labores & tentationes meas cælesti solatio releuabat, prædicebat futura, indicabat absentia, arcana cælestia, quæ nec licet nec expedit loqui. Cumque hæc & plura alia dixisset, tanta de ore eius suauitas prorupit, vt viderentur sparsi rosarum flores, aut effusus balsami liquor.

*Familiariter loquitur cum Angelo quotidie.*

A media quoque nocte vsque ad auroram, totam domum candor lucis inæstimabilis circunfulsit. Oriente verò luce, dixit ad discipulum suum Bertelinum: Tempus est fili, vt ad Christum transeam, & extensis ad cælum oculis & manibus, tertio Idus Aprilis obdormiuit in Domino. Vidit autẽ frater ille Bertelinus quasi turrem igneam, à terra vsque ad cælum erectam, cuius tanta erant claritas, vt eius comparatione solaris splendor pallescere videretur. Veniens deinde ad Insulam beata Pega, soror viri Dei, sentit totam habitationem supra omnem fragrantiam incomparabili odoris suauitate completam: humatoque Sãcto Guthlaco in eius oratorio, ad propria remeauit.

*Migrat ad Christum.*

*Sanctũ corpus sepulturæ traditur à B. Pega eius sorore.*

Vicesimò & quarto ætatis suæ anno, vt supra C dictum est, vir sanctus militiæ se dedit, & octo annis in ea ferocitate & vanitate permansit: porrò quindecim annis in solitudine vitam Deo placentem duxit. Elapso verò post obitum eius anni circulo, cum soror eius, vnà cum Religiosis presbyteris corpus sacrum decentiùs collocare vellet, idẽ corpus omnino integrum & incorruptum, dormienti quàm mortuo similius, inuentum est. Brachia enim & digiti ita flecti & duci poterant, quasi humores agente spiritu per venas excurrerent, neruique eius ex morte nihil pristini vigoris & viuacitatis amisissent. Vestes quoque omnes, quibus fuerat inuolutus, prorsus inuiolatæ, pristino candore nitebant. Corpus autem super terram in D tumulo cum magna reuerentia & exultatione repositum est. Audito verò obitu sancti viri, Ethelbardus exul nimio dolore correptus cum multis lacrymis venit ad sepulchrum viri Dei, dicens: Ne deseras pater Guthlace hunc desertum, hunc exulem & abiectum, filium doloris, vagum & profugum, expositum periculis & tormentis. Beatus autem Guthlacus cum iam bona pars noctis abscessisset ei apparuit, & dixit ei. Fili charissime, Dominus te respexit: confide & confortare, quia intra biennium labores tui finem habebunt: recuperabisque cum honore & gloria regnum tuum. Cumque vir sanctus longitudinem dierum, vitæ extremum terminum & alia euentura illi quasi digito indicasset, illeque signum expeteret, addidit Sanctus: Signum hoc & indicium tibi sit, quod crastino die ante horam tertiam habitatores huius loci præter spem magna alimentorum copia gaudebunt. Id cum Ethelbaldus impletum videret, animum prius vacillantem, spe & fiducia confirmauit. Nec mora, Deus persecutorem eius tulit è medio, hostes illius profligauit, & ante biennij finem regia illi dignitas & potestas integrè est restituta.

*Apparet S. vir Ethelbaldo Regi, eumque consolatur.*

*Innumeris coruscat miraculis.*

Cœpit autem locus, vbi conditus est B. Guthlacus, innumeris coruscare miraculis. Quotquot enim in fide Christi, & erga sanctum confessorem reuerentia in suis remedia popposcerunt necessitatibus, non sunt voto fraudati suo. Concessit autem Ethelbaldus Rex, sicut viuenti Guthlaco promiserat, vt eius Insulæ absoluta, libera & tranquilla possessione sancti viri successores fruerentur: quin etiam insigne in eo loco construxit Monasterium. Floruit S. Guthlacus circa annum salutis septingentesimum & sextum.

### NOTÆ.

In diebus Ethelredi Regis Merciorum.] *Fusius res eius gestæ descriptæ cernuntur in Auctoribus rerum Anglicarum, sicut apud Malmesb. Polyd. Rogerium, Matthæum Parisiensem.*

Sanct. Guthlac.] *De eo Molanus in addit. ad Vsuard. Vitam eius adfert Sur. tom. 2. quam nos hic summatim descripsimus. Meminerunt eiusdem Guillelmus Malmesb. & Roger. Houet, & alij omnes Anglicarum rerum scriptores. Agit etiam de eo Vvion. tom. 2. Ligni vitæ 11. Aprilis.*

Idioma Anglorum.] *Idioma est proprietas loquendi: idios enim idem quod proprium, & omum, quod sermo. Quot enim sunt linguæ, tot sunt & idiomata: vnusquisque enim suo idiomate loquitur.*

In Britannia.] *Est Insula in Oceano Septemtrionali, quæ nunc Anglia dicitur: & à Britone Rege Britannia dicta, quum prius Albion diceretur, ab Albis montibus, qui ad eam nauigantibus primò apparent. Porrigitur in longum (vt fertur) octingentis millibus passuum. Ioannes verò à Ianua in suo Cat. verbo, Brito. dicit Britanniam fuisse dictam à Bruto primo eorum Rege. Sed probabilior videtur prima opinio.*

Carectis.] *Carectum est locus caricibus plenum. Virg. in Bucol. Tityre coge pecus, tu post carecta latebas. Carex autẽ est herba quæ in locis palustribus & aquosis nascitur, habens folia ad similitudinem cultellorum, vnde vocatur à quibusdam gladiolus, ab aliis vulgò, de la ranse. Appellatur à Ioanne de Ianua in Cat. in vocabulo Carex, Canna palustris, quæ dicitur à careo, quod robore careat. Inde carectum est locus vbi hæc herba Car excrescit vel reponitur.*

Croulande.] *Croylandia vel Crolandia, est insula quædam in Anglia, in qua solitariam vitam duxit B. Guthlacus, & vbi post mortem eius insigne constructum fuit Monasterium. Vide scriptores rerum Anglicarum.*

Laruales formæ.] *Sunt simulachra omnino deformata & horrida.*

Scapha piscatoria.] *Est nauicula, & dicitur à scaphon, quod est speculum, quia huiusmodi nauiculis vtuntur Piratæ ad speculandum & explorandum, & deferuntur huiusmodi nauiculæ vel scaphæ in nauibus, & imminente periculo deponuntur in mare ad subueniendũ nauibus, quia his nauis accingitur, & procinctu ipsius armatur. Vnde in Actib. cap. 27. Insulam autem decurrentes quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. Paruæ etiam naues ad piscandum, scaphæ dicuntur.*

Bertelinus.] *Fuit discipulus S. Guthlaci sanctitate clarus, de quo Molanus in addit. ad Vsuard. 9. Septẽb. quo referente didicimus Alexandrum Essebiensem Priorem Regularium res eius gestas scripsisse.*

Conredus Rex.] *De quo plura in Historiis Anglorum.*

Episcopus Hedda nomine.] *Fuit hic Episcopus sanctitate celebris, de quo Mart. Rom. 7. Iulij. Eius vitam refert Beda in hist. Anglorum lib. 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 19. Meminit eiusdem Trithem, de vir. Illust. Ord. S. Bened. lib. 4. cap. 164.*

VITA

*Post annum ab obitu viri Dei, corpus eius integrũ & incorruptũ reperitur.*



*Apud Surium tom. 3.*

## VITA S. DYMPNÆ VIRGINIS & Martyris, filiæ Regis Hyberniæ. Ex ea quam edidit Petrus Canonicus Sancti Auberti Cameracensis.

*S. Dympnæ genus.*

EVIT in Hybernia Rex Gentilis, qui licet vanis idolorum cultibus deseruiret, tamen opum gloria, omnibus glorioſior apparebat. Erat autem ei vxor, quam vehementi diligebat affectu: quippe quæ eximia esset pulchritudine. Atque hi filiam genuerunt decoris venustate, matri valdè consimilem, meritis & nomine Dympnam, vt ipso vocabuli præsagio, postmodum Deo digna iudicaretur. Quæ in domo patris nobiliter educata, cũ annos pueritiæ transegisset, mox chorearum assultus, & ioculatorias cantilenas, & quæ illa ætas expetit, & poscit simul celsitudo regalis, mente despiciens, occultè baptismum suscepit, & se corde & corpore Christo deuouit perpetuò seruituram. Interea mater eius Regina defuncta est. Post quod, quia non reperiebatur alia decore similis, cœpit Rex molliter blandiendo, puellæ omnem mundi gloriam promittere, si eius matrimonio consentiret. Sed audiens hoc virgo Christi, respondit illud se nunquam facturam; abominabile enim, inquit, prorsus est, vt filia maculet thorum patris. Cumque ille vehementius instaret precibus, & illa fortius negaret; tandem Rex iratus dixit, eam vel ingratis acquiescere oportere. Tunc verò illa, quasi obtemperatura, quadraginta dierum petiuit ad cautelam inducias: atque interim ornamenta, & cætera quæ spectant ad cultum puellarem, sibi dari deposcit, perinde ac si nitidius accurata patri vellet gratioſior apparere.

*Occultè suscipit Baptismum.*

*Petitur à proprio patre ad incestas nuptias.*

Erat tunc temporis in Hybernia eximiæ sanctitatis & doctrinæ Sacerdos, nomine Gerebernus, qui occultè in illa Gentilitate, quos poterat, ad Dominum conuertebat: Reginæque defunctæ Christum colentis confessarius fuerat, ipsam quoque Dympnam pridem baptizauerat: denique & à quo Regina defuncta, & Dympna eius filia, Sacramentum Eucharistiæ recipere consueuerant. Quem accersens secretè beata virgo, quemadmodum pater suus in horrendæ turpitudinis barathrũ ipsam demergere constituisset, ei cum multis lacrymis explicauit.

*Parat fugã, assumens secũ venerabilem Sacerdotem Gerebernum.*

Tunc vir sanctus consuluit virgini, vt ad partes fugeret alienas, & pauper spiritu, Christum pauperem sequeretur. Nec mora. Cum horam fugæ opportunam nacta esset virgo sancta, adiunctis sibi sancto Gereberno, & ioculatore patris sui, cum eius vxore, vt sub ioculatorum specie secretius proficisci posset, perueniens ad portum, nauem conscendit, ac non multo pòst, auris ac ventis prosperantibus, ad quoddam castrum quod Antuerpia dicitur Cameracensis diœcesis, applicuit. Inde per nemora deuia, ad pagum cui nomẽ Ghele est, peruenere. Porrò pagum circumeuntes, vnicam repererunt Ecclesiam, in honorem B. Martini, in qua etiam Dympnæ sacrum corpus iam requiescit: à qua non longè, in loco qui Zammale appellatur, construendum sibi habitaculum elegerunt. Extirpatis igitur arboribus & spinis, domicilium sibi congruum extruxerunt, in quo tribus mensibus commorantes, & ieiuniis & orationibus vacantes, vitam quodammodo Angelicam ducebant.

*Venit in Ghele, vbi & habitaculum sibi constituit.*

Interea Rex, pater virginis, qui filiæ nuptias cum gaudio expectabat, audiens fugam eius, turbatus est valde: ac demum scissis vestibus, post gemitus & dolores diu repetitos, ambitione militum stipatus, filiam suam per seipsum requirere deliberauit. Itaque perquirens eam per ciuitates, & montium solitudines, cum non inuenisset, mare adiit: & ad castrum quod Antuerpiam nominant, peruenit cum multo comitatu. Vbi moram faciens aliquantisper, legatos mittit ad adiacentes prouincias, si fortè de filia sua rumorem aliquem percipere posset. Proficiscentibus igitur vniuersis per loca diuersa, quidam illorum ad villam rurensem, cui Vuesterloo nomen est, peruenerunt, & ecce cum manè hospiti expensas solucrent ille nummos illos inspiciens ait: habeo nummos istis valde consimiles, quorum pretium penitus ignoro. Et requisitus ab eis, à quo talem pecuniam recepisset, ipse nesciens, cur hoc peterent, respondit: Virgo alienigena, aspectu & corpore pulcherrima, propè in deserto habitans, quæ de Hybernia huc aduenit, pro emendis alimentis id genus nummos mihi semper mittit. Quò cum illi se adduci curassent, sanctam Virginem protinus cognouerunt inter cæteros procul stantem: Antuerpiam statim regressi, visa & audita Regi cum gaudio retulerunt.

*Insequitur eam impius pater.*

*Tandem inuenitur virgo sacra.*

Tunc Rex spiritu reuiuiscens, iter cum suis arripuit ad locum in quo virgo sanctissima habitabat. Quam cum reperisset, eam affari blandissimè cœpit, dicens: O vnica filia mea, desiderium meum & dulcedo. Ad quæ cum vellet virgo respondere, beatissimus Gerebernus, responsionem eius anteuertẽs, Regem dura seueritate redarguit, eum sceleratissimum clamans. Tunc verò Rex, & qui cum eo erant, sanctum Gerebernum amouentes à virgine, mox peremerunt. Deinde verò Rex iterum conuersus ad virginem, acrius quoque instare cœpit, minas etiam addens. At illa, pœnas, inquit, omnes læta mente parata sum pro Domino meo perpeti: cum Rex quasi demens effectus, cum nullus eorum qui aderant in Regis collegio seu sodalitio, crudele præceptum exequi auderet, ipsemet gladio, quo fuerat accinctus, sacrum caput præclaræ virginis amputauit. Cuius diuersa miracula longum esse enarrare. Certè obsessi à dæmonibus quotidie per eam liberantur vbi mortem perpessa est, & corpore requieſcit.

*Trucidatur beatissimus Gerebernus.*

*Item & sanctissima virgo, & quidem ab ipso suo patre.*

### NOTÆ.

In Hybernia.] *Insula non procul ab Anglia, quæ vulgò Hirlandia vocatur.*

Dympn.] *De ea Mart. Rom. cum Bar. 16. Maij. Agit de eadem Molanus in Indiculo SS. Belgij, & in Addit. ad Vsuardum. Vitam eius adfert Sur. tom. 3. Meminit eiusdem Petrus Cratepolius.*

*Tom. 2 Ligni vitæ.*

## VITA S. RICHARDI REGIS, ET Eremitæ. Ex Arnoldo Vvionio, & alijs.

*S. Richardi patria & parentes.*

RICHARDVS Angliæ Rex, genere Angloſaxo, Lotharij Cantiæ in Anglia, sine Britannia Regis filius, & Offæ Saxonum Orientalium in Anglia Regis, ex sorore nepos fuit. Qui cum in morte patris sui Lotharij qui ab Edrico patruelis sui Ethelbritti filio occisus fuerat, iuuenis admodum relictus esset, videretque paternum Regnum ab Edrico primum, deinde à Cedualla, & Molone eius fratre, Saxonum Occidentalium Regibus occupari; regni cura posthabita,

*S. Bonifacius. Filij S. Richardi sacti.*

posthabita, ad S. Bonifacium Episcopum, cuius sororem Vvnnam siue Bonnam in vxorē duxerat, accessit. Ex prædicta autem coniuge habuit duos filios, postea sanctitate insignes, S. Vvilibaldū Eistetensem in Bauaria, & S. Vvinibaldum Abbatem in Haidenheim; necnon & filiam sanctissimam nomine Vvabulgam, Abbatissam.

*Creatur Sueuorum rex.*

Cum igitur vir sanctus ad S. Bonifacium peruenisset, contigit Sueuos tunc Rege carere. A quibus ob sanguinis Regij nobilitatem, in Regem electus, aliquot annis sapientissimè & sanctissimè præfuit. Sed cum videret se non posse simul Deo seruire, vt præoptabat, & mundo placere, depositā corona, & exuta purpura, vilem induit tunicam: regnumque deserens, illud Bonnæ vxori, & *Abdicat se Regno, & peregrinationē assumit.* Vvalburgæ filiæ, sub cura S. Bonifacij auunculi sui educandæ, dimisit: assumptisque secum duobus filiis, voluntariam peregrinationem ad limina Sanctorum suscepit. Quis autem enarrare possit, quanta in itinere sustinuit incommoda, tum propter æstum, frigus, & famem? Sed hæc leuia ei videbantur propter nimium quem erga Deum habebat amorem.

*Ingreditur Eremum.*

Visitatis igitur deuotè Apostolorum liminibus, filiisque relictis, loca deuia petiit solitudinum: Deo soli ibidem solus libere vacaturus. Multas à dæmonibus tentationes sustinuit, quas ille viriliter superauit. Edebat autem vir sanctus herbas quæ per Eremum nascebantur, aqua frigida sitim extinguebat, humique cubabat. Cum per multos annos solus deserta incoluisset: tandem post longa exilia, post multa certamina, post famis, sitis, & frigoris multimodas ærumnas, in prouincia Italiæ, ciuitate Luca, migrauit ad Christum: postea in beati Frigdiani basilica iuxta corpus eius ponuntur pia membra; vbi & miraculis coruscat. Cuius festiuitas 7. Idus Februarij celebratur. Locus autem in quo requieuit his versibus adornatur.

*Migrat ad cælos.*

*Epitaphium sancti viri.*

*Hic Rex Richardus requieuit sceptrifer almus,*
*Rex fuit Anglorum: regnum tenet ipse Polorum.*
*Regnum dimisit, pro Christo cuncta reliquit.*
*Ergo Richardum nobis dedit Anglia sanctum.*
*Hic genitor sanctæ Vualburgæ virginis almæ,*
*Et Vuilebaldi, sancti simul & Vvinibaldi:*
*Suffragium quorum det nobis regna Polorum.*

NOTÆ.

Richardus.] *De eo Mart. Rom. cum Baron. 7. Februar. Res eius gestas ex Epitaphio sepulchri descripserunt Sur. tom. 1. & Haræus. Agunt de eo Franciscus Irenicus Germ. Exeg. lib. 3. cap. 83. Nauclerus tom. 2. generat. 43. Belforestius in sua Cosmographia, in descriptione Sueuiæ, & alij.*

Sueuos.] *Sueui sunt populi Germaniæ, Bauaris finitimi, plusquàm centum pagos habuerunt, gens valida & bellicosissima: de qua Lucan. Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.*

Luca.] *Ciuitas Tusciæ, à qua Lucenses dicuntur qui in ea habitant. Dicta à Lucumone Hetruscorum Rege.*

## VITA S. RICHARII EREMITÆ. Ex ea quæ est per Alcuinum ad Carolum Magnum.

*Patria S. Richarij.*

IN EMPORIBVS gloriosissimi Regis Francorum Dagoberti, Richarius quidam natus in villa Centula, prouinciæ Pontinæ, velut Lucifer emicuit. Hic etiam in rustica vita quædam præsagia futuræ sanctitatis gerebat. Contigit illo tempore, duos Sacerdotes, sanctitate florentes, quorum prior Caidocus vocabatur, de Hibernia partibus in Pontinas peruenisse regiones: sed à rusticis illius loci non sunt susceptī, sed magnis iniuriis afflictos à finibus suis cœperunt eos expellere. Quorum sceleratis præsumptionibus futurus Dei famulus Richarius strenuè obuiauit. Nam introductos hospites cum magnæ charitatis honore curauit, eosque sibi verbum Dei prædicantes, etiam cum tota humilitate audiuit. Denique ex prædicatione famulorum Dei, ad lacrymas conuersus, confessionem suorum fecit peccatorum; & qui Dominum suscepit in famulis suis hospitalitatis gratia, susceptus est à Domino in misericordia & pietate. Itaque mox ab initio conuersionis suæ, tam dura se castigatione constrinxit, vt post longa & diuturna ieiunia, pane hordeaceo cinere commixto, & aqua lacrymis temperata, festum ieiuniis corpusculum refocillaret. Atque his gradibus ad sacerdotalem quoque peruenit honorem: quem famulus Dei, & magna humilitate ornauit, & verbi Dei prædicatione ampliauit.

*Excipit hospitio venerabiles duos Sacerdotes de Hibernia.*

*Victitat pane hordeaceo & aqua.*

Sed & diuina clementia, post eius irrigationem in isto populo plurima fidei dedit incrementa. Vnde & honorabilis factus est omnibus & charus. Quicquid verò ei populus in stipendia prædicationis sponte obtulit, omnia pauperibus diuidere destinauit, necnon & in captiuorum redemptionem. Et non solùm in his regionibus per pietatis opera, vel per prædicationis lumina effulsit, sed in vltramarinas quoque Britanniæ regiones lumen suo sparsit aduentu. Verùm prædicationis officio in Britannia peracto, cum multiplici verbi Dei fructu, reuersus est in patriam, ne dum in aliena messe quæreret mercedem, in propria perderet. Quodam itaque tempore Rex potentissimus Dagobertus, rogante viro illustri Gislemaro, eadem venit in partes, & virum Dei, vt se sacrosanctis eius orationibus commendaret inuisere contigit: quem ipse famulus Dei, & sanctitatis suæ benedictione roborauit, & sacerdotali auctoritate libera voce castigauit, denuncians ei ne in seculari superbiret potentia. Atque exinde famulus Dei, quia ab hominibus honorabatur, homines fugere meditabatur. Itaque Monasticam vitam petit, quo secretius sola cælestia mente rimaretur, Ecclesiæ regimen alteri tradens, quam ipse in Centula vico Christo fundauerat.

*Prædicat passim verbum Dei.*

*Commendat se eius precibus Rex Dagobertus.*

Atque adeò Gislemarus vir illustris, & Christianæ Religionis deuotus amator, simul & Maurontus nobilis vir, & terrarum vel syluarum ad Regem pertinentium seruator, præbuerunt ei locum manendi in sylua Tristiacēsi: qui & ipse Mautontus, postea seculari habitu depositō Monachus quoque factus est in eodem loco. Vbi cùm viro Dei mansionem solitariam præparasset, Christo Monasterium construere inchoauit. Et quidem vir Dei habitationem illam cum vno solo commilitone ingressus est, paruo tantùm tuguriolo, vilissimo opere facto contentus, vt habitatio vitæ conueniret. At inibi tanta se mortificatione carnis castigauit, tanta iciuniorum & vigiliarum assiduitate macerauit, vt vix ossa arentia dissipatis iuncturis, sibi adhærerēt, & trementia baculo regente vestigia difficile moueret. Nec clausa tamen Eremi angustia lucis columna latere potuit; quin magis vndique ad hominem Dei diuersis fatigati infirmitatibus confluxerunt: quos sanctarum medicinis orationum sanauit, omnesque ad se, quocumque morbo afflictos

*Viuit solitarius in sylua Tristiacensi.*

*Tribuit ad se venientibus ægrotis sanitatem.*



afflictos venientes, vel tristitiæ cuiuslibet rancore angustiatos, sanos & hilares domum remeare fecit. Mihi verò non singulas virtutum eius species nominatim enarrare propositum est, sed vitæ sanctitatem paucis perstringere, ac deinde iam quo fine præsens hoc seculum sancta illa anima deseruerit.

Itaque præscius diei euocationis suæ, vocauit ad se Sigobardum commilitonem suum, dixitque ei. Fili mi præpara vasculum corpusculo meo. Quæ discipulus à patre audiens, lacrymis perfusus, tamen præcepta secutus, lignum inueniens, fidit, cauauit, & corpori patris coaptauit, penè prius lacrymis implens amaris quàm paternis membris. Interim validior patrem coquebat infirmitas; nec tamen ab orationis cessauit officio, vel diuinæ laudis obsequio; ac tandem dum salutifero corporis & sanguinis Christi viatico iter suum muniuit, inter gratiarum actiones, & verba orationis sexto Calend. Maij spiritum emisit: positusque est in sepulchro, in loco vbi ipse præceperat. Sed mirum dictu, inter exequias paternas subito discipulus sopore oppressus, vidit in visu quasi raptus esset in aulam splendidissimam, omnique decore pulcherrimam, imò visibili luce clariorem. In qua beatum Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, sibique loquentem: Ecce frater Sigobarde qualem mansionem præparauit mihi Deus, pro vili quam habui in terra pulcherrimam in cælo, pro contemptibili gloriosam, pro obscura lucidissimam, & pro fumosa omni suauitate renitentem. Qui euigilans, lætior opus exequiarum perfecit: Deo prouidente, vt filius consolaretur, & patris gloria ostenderetur. Non multo post fratres à Centula Monasterio cum sancto Abbate Ocialdo viro Religioso eius successore venerunt: & corpus sancti Richarij tulerunt, & posuerunt in loco, quo & nunc cùm magna meritorum gloria requieuit. Ibi præstante Deo, per seruī sui reliquias noua sæpius audiuntur fieri miracula.

*Faliciter migrat ex hoc seculo.*

*Apparet vir sanctus cum magna gloria discipulo suo.*

*Transfertur sacrum eius corpus.*

NOTÆ.

Richarius.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 26. April. Petrus in Cat. lib. 4. cap. 90. Vitam eius ab Alcuino Abbate conscriptam adfert Surius tom. 2. Vixit tempore Dagoberti Regis Franc. circa annum Domini 640. Agunt præterea de eodem Vinc. in Spec. lib. 23. cap. 96. & 97. Vvionius tom. 2. Ligni vitæ, & Haræus.*

*Habetur tom. 1.*

## VITA ET PASSIO S. MEINRADI, Eremitæ & Martyris. Ex ea quæ est apud Surium.

DICTVRO mihi venerabilis viri Meinradi Eremitæ & Martyris passionem & obitum, libet parumper flectere stylum, atque quo tempore, vbi, & vnde, à quo vel cui traditus primum ad discendas litteras, sub Abbate vitam Monasticam complexus sit, qualiter etiam à fratrum conuentu discedens, singulare certamen Eremi adierit, paucis præmittere. Temporibus Caroli glorioſi Imperatoris, qui primus inter Francos Cæsaris nomen accepit, prædictus vir in Alemannia natus est in pago, quem ex villa Sulichgeuue vocauit antiquitas. Parentes verò eius ex Alemannis fuerunt, morum nobilitate magis conspicui, quàm diuitiis perituris. Qui cum iam eam attigisset ætatem, qua aptari posset literarum studiis, à patre ducitur ad Insulam, quam

*Patria S. Meinradi.*

veteres Sindles Augiam vocabant, in qua Sanctus Pirminus construxit Monasterium ordinis Sancti Benedicti. Huc ergo puer iam dictus à patre ductus commendatur viro per omnia honestissimo Erlebaldo Monacho: qui etiam prædicto puerulo propagine carnali affinis erat. Is cum infantulum bonæ indolis conspiceret, gratanter nutriendum suscepit, studiosè docuit, atque eousque imbuendo perduxit, vt sanctarum etiam scripturarum scientiam adeptus videretur. Nam puer à primæua ætate iocos atque errores, quibus teneriorætas implicari solet, vitauit, mentemque occupauit meditandis illis quæ magister docuerat.

*S. Pirminus.*

Cùm autem vicesimum quintum ætatis annum attingeret, ad Diaconatus officium, & non multo pòst ad gradum presbyterij, faciente eodem magistro suo, sublimatus est. Fuit autem tunc temporis, regnante Ludouico Cæsare, filio Caroli, in ipsa insula Abbas nomine Hatto, vir valde doctrina & operibus bonis, morumque nobilitate spectabilis, qui & Basileensis Ecclesiæ præsul extitit. Quo actuosæ vitæ negotia respuente, atque ad contemplatiuæ vitæ pulchritudinem se transferente, prædictus Erlebaldus cum licentia Ludouici Imperatoris electus ab omnibus, prædictæ insulæ fratribus præficitur, atque in Abbatis officium substituitur. Qui hac potestate accepta, Meinrado mox author & suasor fuit vt regulæ iugum susciperet, normamque Monasticæ vitæ sectaretur. Consensit ille salubri consilio, & professionem fecit, atque omni intentione studuit promissa seruare, promptus semper ad obediendum, & in ieiunando strictus, in oratione assiduus, in misericordiæ operibus largus, & maximè in humilitate cunctis substratus. Hic dum polleret moribus, ab Abbate mittitur ad cellulam quandam, ad iam dictum Monasterium pertinentem, iuxta lacum Tigurinum sitam, quem interfluit Lindemacus fluuius, vt ibidem scholæ præesset, & talentum, quo ipse ditatus erat, ad lucra Dominica in plurimos dispergeret. Aliquantulum temporis fluxerat, eo in his detento.

*Ordinatur Diaconus, & postmodum Presbyter.*

*Hatto Basil. Episcopus.*

*Fit Monachus, & statim omni virtutū genere pollet.*

*Constituitur Schola Præfectus.*

Quadam verò die accepit secū nonnullos scholasticos, quos nutrierat, & prædictum lacum transnauigans, intrauit in Eremum, quæ ipsius laci litori adiacet, & vsque ad Alpes Apenninas tendit, atque ad villam Chama, causa piscationis, & loca Eremi intuendi. Perueniunt itaque ad fluuium quendam, qui in ipsam decurrit solitudinem. Ibique vir beatus ad piscandum occupatis comitibus, in consideratione solitudinis solus spatiabatur. Accensus enim erat nimium amore solitariæ sedis. Qua consideratione dum mentem diu pasceret, rediit ad socios, inuenitque non parua præda piscium oneratos, quos taliter affatur: Gratias largitori, qui nos misericorditer suis ditat donis. Iam filij, si placet, tempus est proprios inuisere lares. Regrediuntur itaque, & ad villam perueniunt, non longè à littore sitam. Ibi cuiusdam matronæ hospitium intrantes, paululum quieuerunt, reficientes se cibo & potu. Vir autem Dei cernens matronam timore Dei plenam, & ad obsequendū hospitibus promptissimam, ardorem sui animi occultum ei aperuit his verbis incipiens: O chara Christo fœmina, si velles audire, secretum cordis mei tibi manifestarem: sed antequam id agam, posco, vt verba mea atque voluntatem occultes, quousque cernas, si possit opere compleri, quod credo me deuota mente concepisse. Habitatione huius Eremi vltra omnes diuitias delector, cupe-

remque iam in ea collocare mansiunculam meam, vt familiarius possem precibus vacare, si quempiã reperirem, qui necessaria corporis mei mihi ministrare ob Dei timorem vellet. Sed quia adhuc solatio hoc defraudor, posco interim occultari, quod cupio. Illa autem à Deo inspirata (vt credo) respondit: Secretum nulli, nolente te reuelabo; noueris autem, si in cœpto persistere voles, me necessaria tibi propter Deum ministraturam, & quantũ possum, tuo voto satisfacturam. Ille promissis gratias rependens, rediit ad cellam, vnde egressus fuerat, ibique ieiuniis & orationibus continuis à Deo popposcit, vt si illi animi sui propositum displiceret, illud sua ope confirmare dignaretur.

*Eremiticam vitam exercet.*

Tandem cõfortatus diuina inspiratione, reliquit cellam scholamque cui præerat, & reuisit hospitã suam, explorare volens, vtrum promissis stare vellet, necne. Quam vt in præbendo solatio promisso perdurare sensit, non longè ab ipsa villa, in qua eadem fœmina commanebat, in Eremo sibi habitaculum construxit, atque ibidem in ieiuniis & orationibus indefessus creatori seruiuit, necessaria præbente ei prædicta matrona, necnon & aliis Religiosis viris. Ibi dum per septem annos superni Regis militiam exegisset, multitudinem populi ad se venientis ferre non valens, mutauit locũ, atque

*Propter populi multitudinem mutat locum.*

à prædicto litore quatuor millibus distantem reperit inter montes planiciem, accessu valdè difficilẽ. Ibi adiuuantibus viris Religiosis, & maximè quadam Abbatissa Heiluniga nomine, necessaria voti sui construxit habitacula, atque in eodẽ loco, quod reliquum erat vitæ peregit, maximis sese macerans ieiuniis, & quantum humana fragilitas permisit, sine cessatione orans, atque ea quæ à fidelibus viris vel fœminis mittebantur, cuncta ad se venien-

*Dæmonum præstigiæ eum vexant.*

tibus benignè & comiter impartiens. Accidit autẽ inter hæc, vt quadam die, eo orante, tanta dæmonum multitudo circa illum vndique diffunderetur, vt nec ipsam lucem diei, illis tenebrarum ministris tetram caliginem offundentibus, cernere posset. Qui cùm minis terribilibus & horrore nimio eum fatigarent, in orationem prostratus, vt res poscebat, omni studio se pio Domino commendabat. Quod cum diu ageretur, cernit ab Oriente lucẽ. Quam lucem sequutus Angelus, ad ipsum, vbi in oratione iacebat, in medio malignorum spirituum

*Ab Angelo liberatur, & consolatur.*

peruenit: magna authoritate agmini nefando præcepit vt discederent, nihilque terroris & tentationis ei vltra inferre auderent. Discedentibus itaque hostibus, prædictus Angelus postquam amanter eũ consolatus est, abscessit, atque ab illo die, (vt vir venerabilis referebat) nihil terroris à malignis spiritibus sustinuit.

Accidit etiam postea, vt quidam frater de Monasterio illius eum visitationis gratia adiret. Quẽ benignè suscipiens cum sociis, qui cum illo venerant, eis cuncta quæ hospites decebat, quantum facultas tulit, exhibuit. Cùm verò vespertinũ tempus iam venisset, & sidera splendentia suaderent somnos, refecerunt se dulcibus collationum colloquiis, atque post Completorij, vt vocant, preces, ierunt dormitum: in loco quidem separato frater, qui venerat: seorsum etiam comites eius, necnon & ipse venerabilis vir in priuata mansiuncula. Paulum autem corpus reficiens somno, vir Dei surgit, atque assuetis incumbuit peruigil precibus. Prædictus etiam frater, licet in strato conquiesceret, penè insomnem duxit noctem. Dum autem curiosè huc & illuc verteret oculos, cernit puerũ in vestibus albis ab ipso oratorij loco progredientem, miræ pulchritudinis, vt ei visum est, ætatis septem annorum, qui ingreditur ad virum Dei, & cum eo orante orabat, & varia cum eo miscebat colloquia: quæ licet prædictus frater audiret, sensum tamen eorum, quæ dicebantur, non percipiebat. Qui etiã puer ipsi vigilanti adstitit fratri, atque de quibusdam monuit, quæ omnino frater ille sibi, ne in publicum proferret, interdictũ dicebat. Equidẽ brenitati studens, multa, quæ de eo miranda plurimorũ narratio certa demonstrat, pertranseo. Cùm autem ille in ea Eremo vicesimum sextum ageret annum, seruiens Domino in ieiuniis, & abstinentia rerum omnium mundi huius, illo inspirante, qui serpentẽ intrauit, & per os eius protoplastum decepit, & de paradiso eiecit, duo scelerati homines causa occidendi eum, ad cellam illius properarunt. Qui cùm venissent ad villam quandam, in Tigurini laci litore sitam, rogarunt sibi monstrari, quæ pars peruia esset ad cellulam eius.

*Angelus familiaritur adest.*

Quod cùm monstratum eis fuisset, maturè per noctem surgentes, ingressi sunt monstratũ sibi iter, agitante qui eos impleuerat, teterrimo spiritu. Diu tamen erronei à recto tramite, ducente ad ipsam cellam, tandem vexati, quò volebant, peruenerunt, maxima iam diei parte elapsa. Ille verò solitis orationibus incumbens Missarum deuotè solemnia libabat creatori. Priùs autem quàm in ipsam cellam maligni illi intrassent, (quorum vnus vocabatur Richardus, eratque genere Alemannus: alter verò Petrus, Rhætianorum natione procreatus,) pulli, quos vir venerabilis eodem in loco nutrierat, eos in proximo venire conspicientes, quasi à vulpe insequente per Eremum diffugerũt, clamore insolito & strepitu inaudito syluam, resultante echo, complentes, ita vt etiam ipsi latrones hac de re multum mirarentur, & obstupescerent, atque ad prodigium hoc pertinere, propriæ mentis decernerent iudicio. Attamen à cœpto non distracti, aggrediũtur sacellum, in quo vir Dei, vt prædictum est, orationibus Deum sibi placabat profusis, corpusque Dominicũ, vt præscius futurorum, ad viaticum obitus sui puro corde & deuota mente susceperat. Vt autem sensit adesse peremptores suos, non statim se eis præsentauit, sed modicum adhuc differens, clausum sacelli ostium non aperuit, vt aliquantisper in oratione demorari posset. Strenuè ergo orationem cõpleuit, capsasque singulas reliquiarum manu suscipiens & deosculans, commendabat agonem suum Domino & sanctis, quorum reliquias complectebatur reuerenter. Hoc, qui aduenerant, maligni per foramen quoddam parietis eum agentem inspiciebant.

*Diuinitus prænoscit duces latrones ad se venire debere causa eum occidendi.*

*En sacrarum Reliquiarum gestatio & reuerentia.*

Iamque athleta fortis, Deo confortante, pugnaturus egreditur, præsentiamque suam non negat sicariis illis. Ac primùm salutationis verba ad eos proferens, post intulit: O socij, cur iam serò venistis? Quare non maturastis venire ad audiendam paruitatis meæ Missam, vt pro vobis communem Dominum deprecarer? Sed vel nunc intrate, posciturus, vt placabilem se vobis præstet Deus & sancti eius, ac postea reuertimini ad me, vt quod donante Deo vobis benedictionis præbere possum, eius amore impertiar: sicque complere opus, ad quod agendum venistis. Intrantes igitur oratorium non ad id, quod suadebatur intenti, sed ad malum ad quod venerant perpetrandum, continuò regrediuntur ad eum. Quibus vir Dei cucullam & tunicam suam dedit, panem insuper ac potum addidit, dicens: Hæc de manibus meis percipite. Postquàm verò compleueritis id, quod facere constituistis, potestis ex his, quæ adsunt, per vos tollere, quod

*Benignè salutat & suscipit suos interfectores.*

*Mira ergà hostes benignitas & mansuetudo.*



quod cupitis. Scio enim quod ad occidendum me intrastis. Sed vnũ à vobis posco beneficiũ, vt cùm præsentis vitæ cursum in me terminaueritis, candelas quas inspicitis, quas etiam ad hoc ipsum formaui, vnam ad caput meum ardentem, & aliam ad pedes ponatis, & citò postea ab hoc loco discedatis, ne à superuenientibus, qui me visitare solent, constringamini, pœnas luituri sceleris vestri.

*Crudeliter verberatur, & tandem occiditur ab eis.*

Confestim igitur prædictus Richardus pollutis manibus beatum virum medium comprehendit, maceratumque ieiuniis corpusculum fortiter brachiis strinxit, socioque minaciter iussit, vt sanctum fuste percuteret. Qui cum diu eum feriendo circa latus & suras, debilitasset, sancto extendente palmas ad Deum, alter subintulit, dicens: O segnis, cur eum in caput non percutis vt plagam mortalem accipiat? Quam si tu tardas inferre, ego citissimè illaturus sum. Confestimque fuste apprehenso, ictum librabat in caput vehementissimè. Hoc modo vir sanctus semiuiuus in terram corruit: & illi continuò in eum irruentes, guttur eius suffocant manibus, donec exhalaret spiritum. Egredien-

*Mira suauitatis odor sẽtitur sancta eius anima egrediente.*

te autem iam anima, in ipso tractu nouissimæ aspirationis tantæ suauitatis odor progrediens totum cellulæ locum haud aliter peruasit & compleuit, quàm si omnium aromatum odoramenta ibi fragrarent. Postea verò nudauerunt eum veste, qua erat indutus, & portantes eum, posuerunt in lectulo, in quo vir Dei quiescere solebat, & nudo impositurunt pannum rudem, atque etiam stramenta quædam, & vt viuens rogauerat, candelas sumpserunt, vnam ponentes ad caput, & cum alia currentes ad sacellum, lumen inde allaturi, quod in

*Candela diuinitus ardet ad eius sacrũ corpus.*

eodem oratorio iugiter ardebat. Regressi verò ad corpusculum defuncti, inuenerunt clare ardentem candelam quam posuerant ad caput. Tantus autem eos continuo inuasit timor, vt nihil contingere de rebus ad altaris officia pertinentibus auderent. Vestes verò ac stramenta quædam lectuli eius rapientes, festini eo properarunt, vnde regressi fuerant. Eis autem inde fugientibus, corui qui more

*Persequũtur à coruis miseri homicida.*

solito ad famulum Dei viuentem venire consueuerant, & annonam de manibus eius accipere, quasi vindicare cupientes extinctum, sequebantur latrones, vocibusque grandisonis replebant syluas, & quàm proximè poterant, capitibus eorum aduolantes, prodebant perpetratum facinus. Non multò post maligni illi comprehensi sunt, & quod occultè perpetrauerant patefactum est scelus, nolente Deo differri tantæ atrocitatis pœnam, quam in S. virum exercuerant. A Iudicibus enim & populo Christiano sub Comite Adelberto lata in eos sen-

*Pœnas tanti sceleris luũt.*

tentia, viui incensi sunt. Candela autem, quam ad caput viri Dei posuerant, & quæ cælitus accensa est, ardebat vsque ad stramenta, quæ imposita fuerant defuncto corpusculo. Quorum etiam partem ipse ignis inuasit, & peruenit vsque ad membra defuncti. Quæ vbi attigit, sicut diuinitus accensus fuerat, ita Dei nutu extinctus est. Ilicò autem diffamatur cædes eius. Qua comperta, venerabilis Abbas Vualtherus, & fratres ibi degentes, corpus viri Dei ex Eremo auferentes, atque ad Monasterium Augiæ deferentes, ibi digno condiderunt cum honore. Passus est autem sanctus Martyr duodecimo Calend. Feb. Anno ab Incarnatione Domini octingentesimo sexagesimo, Ludouici Regis anno quarto.

*Sacrũ corpus ad Augiam defertur.*

## NOTÆ.

Meinradi.] *De eo Martyr. Rom. cum Baron. Molan. in addit. ad Vsuardum. Agit etiam de eo Trithemius de viris Illustrib. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 209. Sigebertus anno 856. à quo Meginradus appellatur. Meminit eiusdem Arnoldus Vvionius in suo Mart. Monastico 21. Ianuarij. Eius vitam refert Surius tom. 1.*

Iuxta lacum Tigurinum.] *Lacus hic nomen accepit à Tigura vrbe, vulgo* Zurich, *in Germania, quæ quidem vrbs sita est inter duos montes, supernè autem lacus hic de quo loquimur imminet, longus circiter 12. millia passuum. Is lacus vrbem dissecat, & sternitur pontibus duobus, qui vrbem dissectam denuo coniungunt.*

Alpes Apenninas.] *A candore niuium dictæ sunt, quia perpetuis fere niuibus albescunt. Sabini enim Alpum dixere quod postea Latini album, vnde Alpium nomen.*

Protoplastum decepit.] *Est Epitheton Adami, communis humani generis parentis, quem hominum primum Deus creauit, & ex luto finxit.*

Genere Alemannus.] *Alemanni populi sunt Septemtrionales, qui & Germani dicuntur: ita dicti patrio vocabulo quasi prorsus viri. Vide beatum Rhenanum in Tacitum.*

Rhætianorum natione procreat.] *Rhæti populi sunt à Thuscis oriundi, qui à Gallis sedibus suis pulsi loca vtrimque Alpibus vicina occuparunt, & à nomine Rhæti ducis sui Rhætiam nominarunt, vnde Rhæti, seu Rhætianorum gens.*

Cucullam suam dedit.] *Cuculla vel potius Cucullus, genus est vestimenti quo vtuntur Monachi.*

Fuste percuteret.] *Fustis idem est quod baculus.*

Feriendo circa latus & suras.] *Sura est posterior pars cruris carnosa, quæ tantum homini est: reliqua enim omnia animalia habent crura sine suris.*

*Finis Libri Primi.*

# DE VITIS PATRVM OCCIDENTIS.

## LIBER SECVNDVS.

Ex D. Gregorio Archiepiscopo Turonensi, & aliis collectus.

### VITA SS. LVPICINI, ET ROMANI Eremitarum. Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.

*Habetur in lib. de Vita Patrum. c. 1.*

*Iungitur matrimonio S. Lupicinus.*

VPICINVS ab exordio ætatis suæ Deum toto requirens corde, literisque institutus, cùm ad legitimam transisset ætatem, genitore cogente, cùm animi non præberet assensum, sponsali vinculo nectitur. Romanus verò eius frater adhuc adolescentior, & ipse ad Dei opus animum extendere cupiens, nuptias refutauit. Parentibus verò relinquentibus seculum, communi consensu Eremum petunt, & accedentes simul inter illa Lorensis deserti secreta, quæ inter Burgundiam Alemaniamque sita, Auenticæ adiacent ciuitati, tabernacula figunt: prostratique solo Dominum diebus singulis cum psalterij modulatione deprecantur: victum de radicibus quærentes herbarum. Sed quoniam liuor illius qui de cælo delapsus est, semper insidias humano generi consueuit intendere, contra hos Dei seruos armatur, hosque per ministros à cœpto itinere nititur reuocare. Nam lapidibus vrgere eos dæmones per dies singulos non desinebant, & quotiescumque genua ad orandum Dominum deflexissent, statim imber lapidum super eosdem, iacientibus dæmoniis, decidebat: ita vt sæpe vulnerati, immensis dolorum cruciatibus torquerentur. Interea ætas adhuc immatura cœpit iniurias quotidiani hostis metuere, nec passa diutius sufferre dolores, relinquens Eremum, ad propria ire deliberabat. Verum vbi relinquentes hoc habitaculum, quod experierant, ad villas propinquiores sunt regressi, domum cuiusdam pauperis ingrediuntur. Percontatur mulier, de quo itinere milites Christi venirent. Respondent non sine cõfusione, se reliquisse Eremum, & quæ eos causa à cœpto distulerit opere, per ordinem pandunt. At illa ait. Oportuerat vos ô viri Dei, contra insidias diaboli viriliter dimicare, nec formidare eius iniurias. Æmulus est enim. At illi compuncti corde, & seorsum discreti à muliere, dixerunt: Væ nobis, quia peccauimus in Deum, dimittendo propositum nostrum. Ecce nunc à muliere arguimur pro ignauia. Tunc armati vexillo Crucis, sumptis in manu bacillis, regressi sunt ad Eremum. Quibus venientibus, iterum eos insidiæ dæmonis lapidibus cœperunt vrgere: sed persistentes in oratione, obtinuerunt à Domini misericordia, vt remota tentatione, liberi in eius famulatu perseuerarent.

*Petunt Eremum.*

*In Eremo degentes à dæmonibus lapidibus petuntur.*

*Deserũt Eremum.*

*Sapiẽtis mulieris hortatu redeunt ad Eremum.*

*Multi ad eos confluunt.*

His denique in deserto persistentibus, cœperũt ad eos turbæ fratrum hinc inde confluere. Cúmque iam Beati Eremitæ populis publicati fuissent, fecerunt sibi Monasterium, quod Condatiscone vocitari voluerunt. In quo succisis syluis, & in plana redactis, de laboribus manuum propriarum victum quærebant. Tantusque feruor & Dei amor proximos locorum accenderat, vt congregata ad Dei seruitium magna multitudo, simul habitare non posset. Fecerunt itaque aliud Monasterium: in quo fœlicis aluearis examen constituerunt. Sed & hoc deinceps cum Dei adiutorio ampliato, tertium intra Alemaniæ terminum, Monasterium locauerunt. Ibantque vicissim hi duo patres, visitantes filios, quos diuinis imbuerant disciplinis: Lupicinus tamen super eos Abbatis tenuit Monarchiam. Erat autem valde sobrius, & cibo potuque abstinens, ita vt plerumque tertia tantùm die reficeretur. Cùm verò eum, sicut corporis humani deposcit necessitas, sitis arriperet, vas cum aqua exhiberi faciebat, in qua manus immersas diutius retinebat. Mirum dictu, ita absorbebat caro eius aquam appositam, vt putares eam per os eius assumi: & sic ardor sitis extinguebatur. Cùm autem vir Dei minus haberet, vnde tantam sustineret congregationem, reuelauit ei Deus locum in Eremo, in quo antiquitus thesauri reconditi fuerant. Ad quem locum accedens solus, aurum argentúmque, quantum leuare poterat, Monasterio inferebat: & exinde coëmpto cibo reficiebat fratrum multitudines, quos ad Dei officium cõgregauerat: sicque faciebat per singulos annos. Romanus autem in simplicitate & operibus bonis persistens, visitabat infirmos, & sanabat eos oratione sua.

*Trla cõstruit Monasteria.*

*Sobrietas S. Lupicini.*

*Nota rem miram.*

*Reuelatur S. viro thesaurus.*

*Humilitas S. Romani.*

Factum est autem quodam tempore, dum iter ageret ad visitandos fratres, vt occupante noctis crepusculo, ad hospitiolum diuerteret leprosorum. Susceptusque ab eis, statim plenus charitate Dei, omnium pedes lauit, lectulúmque spatiosum fieri præcepit, vt omnes in vno straru requiescerent: non abhorrens luridæ maculam lepræ. Quod cum factum fuisset, obdormientibus lepro sis, hic inter decantationes psalmorum vigilans, extendit manum suam, & tetigit latus vnius infirmi, qui statim mundatus est. Tactuque salubri iterum tetigit alterum, & ipse protinus est mundatus. Cumque se sensissent redditos sanitati, tetigit vnusquisque proximum suum, vt scilicet expergefacti rogarent Sanctum pro emendatione sua. Sed cùm facti adinuicem fuissent, & ipsi mundati sunt. Manè autem facto, omnes aspiciens nitente cute effulgere, gratias agens Deo discessit.

*Sanat leprosos.*

*Venit ad Chilpericum Regẽ familia Lupicinus.*

Lupicinus autem iam senex factus, accessit ad Chilpericum Regem, qui tunc Burgundiæ præerat:



rat: audierat enim eum habitare apud vrbem Lanubam. Cuius cùm ingressus est portam, tremuit cathedra regis, qui ea hora ad conuiuium residebat, exterritusque ait suis: Terræmotus factus est. Responderunt qui aderant, nihil se sensisse commotionis. Et ille. Occurrite quantocyùs ad portam, ne fortè aliquis aduersari cupiens regno nostro, adsit quasi nociturus nobis. Non enim sine causa hæc sella contremuit. Qui protinus cõcurrentes, offenderunt senem in veste pellicea, & dixerunt Regi de eo. Qui cùm iussisset eum adduci, & interrogasset quis esset, vel quid necessitatis haberet, vt veniret ad se, respondit vir beatus, Pater sum Dominicarum ouium, quibus cùm eis corporalia interdum alimenta deficiant: ideo rogamus potentiam vestram, vt ad victus vestitusque necessaria aliquid tribuatis. Rex verò hæc audiens ait: Accipite agros vineasque, de quibus possitis viuere, ac necessitates vestras explere. Qui respondit: Agros & vineas non accipiemus, sed placeat potestati vestræ, aliquid de fructibus delegare, quia non decet Monachos facultatibus mundanis, sed in humilitate cordis Dei regnum, iustitiamque eius exquirere. At Rex cum audisset hæc verba, dedit eis præceptionem, vt annis singulis trecentos modios tritici, eodemque numero mensuras vini accipiant, & centum aureos ad comparanda fratrum indumenta. Quod vsque nunc à fisci ditionibus capere referuntur.

*Noteut hoc Monachi.*

*Migrant in ealum.*

Post hæc autem cum iam senes essent proiectæque ætatis, Lupicinus scilicet, & Romanus frater eius, cùm aliquando eundem patrem Romanum Lupicinus interrogaret, quæreretque vbinam sepulchrum sibi parari vellet, vt ambo sepelirentur: Beatus Romanus propter gratiam miraculorum quam habebat, ne concursus fieret ad tumulum eius, extra Monasterium sepeliri voluit in quodam monte: super cuius deinceps sepulchrũ magnum templum ædificatum est, in quod ingens frequentia populi diebus singulis accurrit. Multæ enim virtutes ibi in Dei nomine nũc ostenduntur. Lupicinus autem obiens, intra Monasterij basilicam est sepultus.

### NOTÆ.

Lupicinus.] *De eis Martyrolog. Rom. & primo de Lupicino 21. Martij, de Romano verò 28. Aprilis, & Baronius ibidem in Notis. De eisdem plura in vita S. Eugendi apud Surium tom. 1. die 1. Ianuar. Meminit eorumdem Arnoldus Vvionius in Martyrol. Monastico hac die. Vixerunt temporibus Childerici Regis Francorum circa annum Domini 561.*

*Habetur in lib. de Vita Patrũ. c. 13.*

### VITA S. ALTERIVS LVPICINI Inclusi. Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.

*Charitas eius erga pauperes.*

LVPICINVS quondam magnæ vir sanctitatis, fortissimusque in operibus Dei fuit, qui primum eleemosynas per domos deuotorum deposcens, quæcumque acquirere potuisset sibi similibus erogabat. Ad extremum iam mediam habens ætatem, ad vicum Betberensem, qui nunc Lipidiacus dicitur veniens, parietes antiquos reperit: ibique reclusus ab omnium se hominum

*Viuit reclusus.*

aspectibus inhibebat, ac per modicam feneſtellam parum panis vel aquæ accipiens; quod ei aliquoties etsi esset valde exiguum, vsque ad diem tertium perdurabat. Aqua enim per canalem paruulũ inferebatur, feneſtella verò velo operiebatur, ac vtriusque aditus ita obtectus erat, vt nullus beatum eius vultum posset aduertere. Et dum ibi die noctuque in Dei laude psalmorum modulis delectatur: tormentum sibi, quod corpusculum plus grauaret adhibuit. Lapidem namque grandẽ quem duo homines leuare vix poterant, ceruici impositum tota die dum Deo caneret, per cellulam deportabat. Nocte autem ad additamentum iniuriæ, in virga quam manu gerebat, duas defixerat sudes, desuper acumina parans, quæ ad mentum suum, ne somnum caperet supponebat. Denique ad extremum vitæ tempus, corrupto stomacho & pectore pondere saxi, sanguinem per os eiicere cœpit, quem per parietes præfatos proiiciens spuebat. Plerumque autem fidelibus viris nocte ad cellam clam appropinquantibus, quasi vox multorum psallentium resonabat. Sed & multos infirmos, & præsertim ab accessionibus frigoriticis, vel pustulis malis oppressos tactu tantum, vel signo salutari supposito, sanitati restituebat.

*Excogitat mirũ sui tormentum.*

*Signo Crucis sanat infirmos.*

Cum autem iam senio inclinatus esset, vocauit ministrum suum dicens: Præteritum tempus occulendi fuit, manifestandi nunc tempus aduenit. Scito ego me post triduum ab hoc sæculo liberandum. Voca ergo nunc fideles quosque fratres & filios quibus sum valedicturus, vt veniant ad nos visitandum. Illucescente die tertia, confluentibus fratribus, ostium quod clausum erat aperuit: atque ingredientibus cunctis, consalutatis deosculatisque, orationem fudit ad Dominum, & gratias agẽs de beneficiis ab eo receptis, & præsertim quod nihil in eo inueniret author criminis, & quod ei obitum Dominus per Angelum reuelare dignatus esset. Tunc omnes in fletu prostrati, alij plantas osculantes, alij fimbrias vestimenti diripiunt, alij de pariete beatum sanguinem qui ab eius ore fuerat proiectus, inter se certantes excludunt. Miserum se quisque dicebat si immunis ab eius pignoribus discessisset. Testis est hodie quoque & ipse paries, qui tot fossulis patet, quot ab ore beati Confessoris sputa emeruit. Testis est & ipse canalis de quo vir beatus aquã sumpsit ad vsus, quem fideliter osculantes, hauriunt sanitatem. Iam vidi ego multos qui eualsa à parite sacrati oris sputa in diuersis infirmitatibus ponentes, meruerunt accipere medicinam.

*Pradicit suũ obitum.*

*Angelo reuelante, diem sui obitus dicit.*

Denique hoc (vt diximus) defuncto, affuit quædam matrona quæ ablutum dignis induit vestimentis, & cum eum ad vicum Transaliensem inferre vellet, restitit ei populus pagi Lipidiacensis dicens, nostrum hunc solum fouit, nobis corporis eius gleba debetur. Matrona autem respondebat ad hæc: Si aliqua de victus eius exprobratis necessitate, sæpius ei ego triticum misi & hordeum, quod vel ille sumeret, vel aliis ministraret. Cumque hæc & huiusmodi inter se verba proferrent, & Lipidiacenses effossa humo & deposito sarcophago eum sepelire niterentur, conuocatis matrona auxiliis, fugatis pagensibus, rapuit sanctũ corpus, ac ferre cœpit in feretro ad vicum Transaliensem, dispositis in itinere psallentium turmis, cum crucibus cereis, atque odore fragrantis thymiamatis. Quod illi cernentes, pœnitentia moti, miserunt post matronam dicentes: Peccauimus resistendo tibi, profectò enim cognoscimus in hoc esse Domini voluntatem. Nunc autem petimus vt non abiiciamur ab huius funeris obsequiis. Illa verò permittente vt sequerentur, cõiunctus est vterque populus, & sic pariter vsque ad Transaliensem vicum venientes, celebratis Missis, beatum corpus

*Decertatio populorũ pro eius sacro corpore.*

ſummo honore, gaudioque ſepelierunt. In quo vir ſanctus ſe beatiſſimum in virtutibus declarauit. Sed & Lipidiaci plerumque opus eius ſanctum oſtenditur. Vterque enim locus vnius Sancti præſidiis communitur. Fortaſſis autem quorundam incredulorum latratus ad hæc conatur obſtrepere: ſed nouerit à me viſum Deodatum Presbyterum, ſummam octogenarij æui ferentem, qui mihi hæc vt ſcripta ſunt, contulit, confirmans ſacramento, nihil ſe de his admixto mendacio enarraſſe.

*NOTÆ.*

Lupicinus.] *De eodem Sur. tom. 3. cum aliis. Eius feſtiuitas 24. Iunij celebratur. Scripſimus tom. 1. vitam alterius Lupicini qui apud Lugdunum Eremiticam vitam duxit.*

*In lib. de Vita Patrum. cap. 12.*

## *VITA S. ÆMILIANI EREMITÆ. Ex D. Gregorio Turonenſi.*

*Petit deſerta S. Æmilianus.*

BEATVS Æmilianus inſignis Anachoreta, relictis parentibus, ac facultate propria Eremi deſerta petiuit: & ſe intra ſyluarum Ponticiacenſium Aruerni territorij abdidit, in qua deciſa ſylua, modicum deplanans campum, raſtro ipſam fodiens humum, vitæ eliciebat alimẽtum. Habebat & hortum paruulum quem aqua ſuperueniente rigabat: de quo olus ad refectionem nullo impinguatum adipe præſumebat. Solatium verò abſque Dei adiutorio nullum habens, cohabitatores enim beſtiæ, aueſque illic erant, quæ ad eum quotidie tanquam ad Dei famulum confluebant. Vacabat autem ieiuniis & orationi: nec eum ab hac cauſa vlla mundanæ ſolicitudinis occaſio impedire poterat; quia præter Deum aliud nihil habebat.

*Fera manſuetitio ad eũ accedunt:*

Erat autem tunc temporis apud Aruerniam vrbem Signaldus magna potentia præditus, in cuius ſeruitio erat adoleſcens quidam nomine Brachio: quod eorum lingua interpretatur vrſi catulus. Hunc antedictus vir ad capeſſendam porcorũ ſylueſtium venationem delegerat. Ibatque cum ingenti moloſſorum turba circumiens ſyluas, & ſi quid cepiſſet Domino deferebat. Quadam verò die dum ſuem immenſi corporis cum allatrantium canũ turba perſequeretur: ſus intra ſepta quæ circa cellulam erant ſancti ingreditur. Proſequens verò canum turba cum latratu, vſque ad aditum acceſſit veſtibuli. Moxque in ſuis hæſit veſtigiis, nec ingredi eſt permiſſa poſt ſuem. Quod cernens Brachio, & cælitus hæc eueniſſe admirans ad cellulam Sancti ſe confert: viditque ſuem ante oſtium ſtantem, nihil penitus formidantem. Conſalutatus autem ac oſculatus à ſene, inuitatur ad reſidendum. Quibus conſedentibus ait ſenex. Video te fili dilectiſſime in grandi elegantia compoſitũ, & ſequi ea quæ magis detrimentum animæ præparant quam ſalutem. Relinque quæſo terrenum Dominum, & ſequente Deum verum cæli terræque factorem, cuius nutu omnia gubernantur, cuius imperio omnia ſubduntur, cuius maieſtate ipſa quam cernis beſtia adſtat intrepida. Non te tumidum faciat aut extollat potentia Domini tui, quæ nihil eſt. Sic enim ait Paulus Apoſtolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et alibi: Si hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem. Subde te eius ſeruitio qui ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hæc & his ſimilia ſene viriliter diſſerente, ſus illæſa ſyluas petiit, puerque diſceſſit ab eo non ſine grandi admiratione quod aprum quem inchoauerat ſequi ferum, in conſpectu ſenis manſuetum adſtare videbat vt agnum.

*Sus ſyluęſtris inſecuta, fugit ad virum Dei.*

*Adhortatio viri Dei ad contemptum mundi.*

Plurima igitur animo tractans, ac ſecum reuoluens quid ageret, quidue faceret, vtrum ſeculum relinqueret an illi deſeruiret: tandem compunctus diuina pietate, & credo S. Æmiliani oratione, aditum quærere cœpit occultè qualiter Clericus eſſe poſſet: quia publicè propter terrenum Dominum non audebat. Tamen cum eſſet adhuc laicus, in nocte bis aut ter de ſtrato ſuo conſurgens, terræ proſtratus, orationem fundebat ad Dominum. Neſciebat tamen quid caneret, quia literas ignorabat. Videns autem ſæpius in oratorio litteras ſuper iconicas Apoſtolorũ, reliquorumque Sãctorum eſſe conſcriptas: exemplauit eas in codice. Cumque ad occurſum Domini ſui, Clerici vel Abbates aſſiduè conuenirent: hic ex iunioribus quem primum potuiſſet accerſere, ſecretius interrogabat nomina litterarum, & ob hoc eas intelligere cœpit. Exin mortuo Siginaldo ad ante dictum ſenem perrexit, & cum eodem duos vel tres annos faciens, pſalterium memoriæ commendauit. Quem eius germanus plerumque interficere voluit, quod nollet matrimonio copulari. Dehinc Monachi ad eos additi ſunt.

*Brachio relicto ſeculo, venit ad vrum Dei, & fit Monachus.*

*Moritur vir S. Æmilianus.*

Impletis autem B. Æmilianus diebus vitæ ſuæ, & circiter nonagenaria ætate egrediens à corpore, Brachionem reliquit hæredem. Hic ſtabilito Monaſterio obtinuit à Ranichilde Siginaldi memorati filia multa terrarum ſpatia, quæ huic Monaſterio dereliquit. Hic verò de hoc egreſſus Monaſterio Zurones venit: ibique ædificatis oratoriis, duo Monaſteria congregauit. Qui poſtmodum vitæ ſanctitate celebris, migrauit in cælum.

*NOTÆ.*

Æmilianus.] *De eodem Sur. tom. & Vvionius in Mart. Monaſtico.*

Signaldus.] *Eius res geſtæ leguntur in Annalibus Aruerniæ, ſeu Claromont, vulgò*, de Clairmont.

*Habetur in lib. de Vita Patrum. cap. vltimo.*

## *VITA S. LEOBARDI INCLVSI. Ex D. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.*

BEATISSIMVS Leobardus, Aruernici territorij indigena fuit, genere quidem non ſenatorio, ingenuo tamen. Hic tempore debito cum reliquis pueris ad ſcholam miſſus eſt. Sed cùm ad legitimam peruenisſet ætatem, cogentibus iuxta conſuetudinem humanam parentibus, vt arrham puellæ, quaſi vxorem acceptur, daret, impellitur. Denique dato ſponſæ annulo, porrigit oſculum, præbet calceamentum, celebrat ſponſalium diem feſtum.

Interea genitor, genitrixque mortis ſomno ſopiti migrauerunt à ſeculo, vitæ præſentis curriculo iam peracto. Hic verò, tempore luctus iam expleto, oneratus donis nuptialibus ad fratrem pergit, quem intantum reperit vino madidum, vt nec cognoſceret, nec recipere vellet propria in domo germanum. Ille verò ſuſpirans, ſeceſſit in partem, venitque ad tugurium, in quo fœnum fuerat aggregatum, atque ibi colligato præbens equo pabulum, decubuit ſuper fœnum ad quieſcendum. Et tunc cognoſcens omnia quæ in mundo ſunt vana eſſe, cùm diem terris redderet lux, aſcenſo equo cœpit



cœpit ad hoſpitium ſuum reuerti. Cúmque per viam iam alacris pergeret, voluere intra ſe cœpit, quid ageret, vel quò abiret. Tandem viam carpens ad Sancti Martini baſilicam profectus eſt. Circa quam paucis diebus commoratus tranſito amne, ad cellulam Maiori Monaſterio propinquã, de qua Alaricus quidam receſſerat, deuotus acceſſit: ibique ſeipſum incluſit.

*Proficiſcitur Turon. ad S. Martini ſepulchrum.*

Is verò interpoſito pauci temporis ſpatio, humilem ſe tantum præbuit, vt honoraretur ab omnibus, acceptoque ſarculo cellulam, in quam ingreſſus fuerat, incidens lapidem ampliauit: in qua cellula delectabatur ieiuniis, oratione, ſilentio, lectione: nec vnquam à diuinis officiis & oratione ceſſabat. Scribebat interdum vt ſe à noxiis diſcuteret cogitationibus. In qua cellula viginti & duos annos in hoc opere degens, tanta Domini gratia confortatus eſt, vt puſtulis malis ſaliua oris ſui peruncti, vim veneni ſæuientis opprimeret. Frigoriticis verò per poculum vini, charactere Crucis beatæ ſanctificatum, frigus accedens, æſtumque reſtinxit, non immeritò diſcutiens incommodas febres ab aliis, qui in ſe extinxerat incentiua noxialis. Quodam autem tempore cæcus ad eum veniens, ærumnas doloris ſui humiliter deplorabat, ac depoſcebat, vt tactu dexteræ ſuæ ſanctus lumina clauſa palparet. Quod ille diutiſſimè renuens, tandem fletibus hominis victus, miſericordia motus, cum per triduum orationem pro eo fudiſſet ad Dominum, quarta die imponens manus ſuper oculos eius, crucem depinxit: mox pulſis tenebris, lucem ei reſtituit.

*Includitur in cella.*

*Etiam ſaliua viri Dei morbis medetur.*

*Cæco lumen reſtituit.*

Denique hic de labore lapidis ſubmontani, quem aſſiduè cædebat, confractus, ieiunij auſteritate confectus, oratione indeſinenti debilitatus, cœpit paulatim corporis firmitate deſtitui. Qui cùm obitum prædixiſſet, nempe quod ante diem Paſchæ migraturus eſſet. (Erat enim menſis decimus, quando hæc eſt effatus.) Duodecimo autem menſe cœpit iterum grauiter ægrotare. Aduenit dies Dominica, vocat miniſtrum ſuum, & ait: Præpara quiddam cibi, quia valde defeſſum me ſentio. Illo autem reſpondente, præſtò eſt, Domine, ait ad eũ: Egredere foras, & aſpice ſi iam celebratis miſſis, populus egreditur. Hoc autem dicebat non quod cibum capere vellet: ſed vt tranſitus ſui nullus teſtis adeſſet. Ille igitur egreſſus, ac poſtmodùm reuertens, cum ingreſſus fuiſſet cellulam, inuenit virum Dei extenſum corpore, clauſis oculis, ſpiritum exhalaſſe. Vnde factum eſt manifeſtũ, eum ab Angelis ſuſceptum: qui hominem adeſſe noluit ad ſuum tranſitum. Hæc cernens miniſter ille, eleuauit vocem in fletu, ſicque concurrentibus reliquis fratribus, ablutus, ac veſtimentis dignis indutus, in ſepulchro, quod ipſe ſibi in antedicta cellula ſculpſerat, reconditus eſt. Quem in conſortio Sanctorum adſcitum, nulli fidelium haberi reor incertum.

*Prædicit ſuũ obitum.*

*NOTÆ.*

Leorbardus.] *De eo Martyr. Romanum cum Baron. 18. Ianuarij. Molanus in addit. ad Vſuardum. Arnoldus Vvionius in Martyrologio Monaſtico hac die. Surius tom. 1. Floruit circa annum Domini 583. cum ipſe D. Gregorius præſideret Turonenſi Eccleſiæ.*

*Habetur in libro de Vita Patrũ. c. 19.*

## *VITA S. MONEGVNDIS INCLVſæ. Ex D. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.*

BEATA Monegundis, Carnotenæ vrbis indigena, parentum ad votum copulata coniugio, duas filias habuit: quæ non multò pòſt, modica febre correptæ, metam naturæ debitam concluſerunt. Poſtmodum beata Monegundis ſibi cellulam paruam præparari fecit, in qua tantummodo feneſtellam, per quam modicum lumen poſſet cernere, præcepit aptari: ibique contempto mundi habitu, ſpreto viri conſortio, ſoli Deo vacabat: habebat autem puellam vnam, cuius ei famulatu miniſtrabatur aquæ neceſſitas, accipiebat etiam farinam hordeaceam, infuſoſque lymphis cineres diligenter colans, ex ea aqua mixturam maſſæ conficiebat.

*S. Monegũdis matrimonio copulata.*

*Magna vitæ auſteritas.*

Factum eſt autem quadam die, vt memorata puella, quæ ei conſueuerat famulari, inimici aſtu ſeducta, ſe ab eius famulatu ſubtraheret. Quintus autem iam fluxerat eius abſceſſionis dies, quod hæc religioſa neque farinam conſuetam, neque aquam acceperat, ſed perſtabat immobilis & fixa manens in Chriſto. Sed quoniam corpus humanum abſque terreno cibo ſuſtentari nequit, proſtrata in orationem petiit, vt qui manna populo eſurienti de cælo, lymphaſque è ſaxo dederat, ipſe quoque alimentũ, quo parũper feſſum corpuſculũ confortaretur, indulgere dignaretur. Protinuſque ad eius orationem nix de cælo decidens humum operuit. Quod illa cum gratiarum actione cernẽs, educta manu per feneſtram, ex ipſa niue collegit, de qua aquam exprimens, panem ſolitum formauit, quo vſque ad alios quinque dies victum corporeum miniſtrauit.

Habebat autem contiguum cellulæ paruum viridarium, in quod pro quadam releuatione prodire erat ſolita. In illud igitur cum ingreſſa eſſet, intuens herbas loci ac deambulans, mulier quæ triticum ſupra tectum ſuum ſiccandum poſuerat, quaſi de eminentiori loco curis oppleta mũdanis, importunè proſpexit, moxque oculis clauſis caruit lumine. Cognoſcens autem reatum ſuum, ad eam accedit, rem vt geſta fuerat pandens. At illa deiiciens ſe in orationem, ait: Væ mihi, quia pro paruitatis meæ perſona peccatrice, aliorum clauſi ſunt oculi. Et conſummata oratione impoſuit manum mulieri. Confeſtim autem cum ſignum Crucis expreſſiſſet, viſum recepit.

*Reſtituit viſum cæco.*

His ſignis glorificata inter ſuos, ne vanæ gloriæ lapſum incurreret, S. Martini Antiſtitis baſilicam, relicto coniuge, cum familia & omni domo ſua expetiuit. Cúmque iter cœptum carperet, venit ad vicum vrbis Turonicæ, cui nomen eſt Euena, in quo Medardi Sueſſionici Cõfeſſoris reliquiæ continentur, cuius & vigiliæ ea nocte celebrabantur. Ibi igitur illa attentè excubans in oratione, hora debita cum reliquo populo ad Miſſarum acceſſit ſolemnia. Quæ dum à Sacerdotibus Dei celebrarentur: aduenit quædam puella, puſtulæ malæ veneno inflata, prociditque ad pedes eius rogans vt ei ſubueniret. At illa more ſolito, in orationem proſtrata, ſupplicauit pro ea Dominum, erectaque ſignum Crucis impoſuit; ſicque in quatuor partes, vulnere excrepante puellæ, pute decurrente, mors importuna reliquit.

*Viſitat S. Martini Turoni baſilicã.*

Poſt hæc ad baſilicam Sancti Martini Monegundis beata paruenit, ibique proſtrata coram ſepulchro gratias agens quod tumulum ſanctũ oculis propriis contemplari meruerat, in parua cellula conſiſtens, quotidie orationi, ieiuniis, ac vigiliis vacabat. Sed nec ille locus ab eius virtute fuit inglorius. Nam viduæ cuiuſdam filia, manus contractas

tractas detulit, cui illa, exorata, signum Crucis impoſuit, manibus ſuis digitos puellæ contrectare cœpit: extenſis verò digitis, neruiſque directis ſanitati priſtinæ reſtituta eſt. Dum hæc autem agerentur, audita vir illius fama beatæ, conuocans amicos ſuos, poſt eam perrexit, ac reduxit ad propria, & eam in cellulam, in qua prius habitauerat, intromiſit. Sed poſtmodum rediit Turon. ad cellulam in qua iam habitarat, in eaque perſtitit inconcuſſa, nec eſt ampliùs à viro ſuo quæſita.

*Colligit Monachas.* Ibi verò paucas colligens Monachas, cum fide integra & oratione degebat: non ſumens panem niſi hordeaceum, non vinum, niſi parum in diebus feſtis, & hoc ipſum aqua nimia temperatum, nullum habens ſtratum fœni, paleæque mollimen, niſi tantùm illud, quod intextis iunci virgulis fieri ſolet, quas vulgo mattas vocant. Hoc ſuperponebat formulæ, hoc ſolo ſubſternebat: hoc erat quotidianum ſcamnum. Hoc culcitra, hoc plumella, hoc erat ſtragulum, hoc omnis lectuli commoditas. Ibi in Dei laudibus degens, multis infirmis oratione facta, ſalutaria impertiebat medicamenta. Nam puellam vulneribus plenam ſaliua ſanauit. Etiam puerum morbibum, ſigno Crucis, paralyticum item curauit, & cæcæ viſum reſtituit.

*Migrat ad ſponſum.* Sicque miraculis clara obiit in pace, ſepultaque eſt in ipſa cellula, multaque ad eius tumulum facta ſunt miracula.

## NOTÆ.

Monegundis.] *De ea Martyr. Rom. cum Baron. 2. Iuly. De eadem etiam agit D. Gregor. Turon. lib. de gloria Confeſſorum. cap. 24. Surius vitam eius ex eo affert tom. 4. Meminit eiuſdem Trith. de viris Illuſtribus Ord. S. Ben. lib. 3. c. 83. Petrus in Cat. lib. 11. c. vltimo. Vvion. in Mart. Monaſt. hac die.*

*Habetur in lib. de Vita Patrũ. c. 14.*

## VITA S. MARTII EREMITÆ.
### Ex D. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.

*Catalogus virtutum S. Martij.* BEATVS Martius Aruernæ vrbis Abbas, eiuſdem territorij fuiſſe incola fertur, & à pueritia ſua religioſam vitam agens, totum ſe Dei operibus dedicauit. Erat enim parcus in cibis, largus in eleemoſynis, promptus in vigiliis, in orationibus valde deuotus, totis viribus luxuriam abſtinentiæ fræno, ac parcitatis agone coërcens, ne ſibi aliquid poſſet ſubrepere, non immeritò Martius vocitatus. Cúmque ad ætatis legitimæ perfectionem veniſſet, & tanquam ſydus egregium in illa vrbe fulgeret, haud procul ab ea diſceſſit: acceptoque ſarculo, montem lapideum cædere cœpit, in quo cellas ſculpens, habitacula ſibi parua

*Sibi habitaculum in rupe componit.* fecit: ſcilicet vt arctiùs & faciliùs Deo omnipotenti precum thura laudationumque proferret. In hac ergo rupe cauati montis, habitationi res neceſſarias præparabat, formans in antro ex ipſo lapide ſcamnum, & cellulam, & lectum, in quo poſt laborem multum feſſo corpuſculo requiei indulgeret. Sed erant hæc immobilia, quia ex ipſo lapide inciſæ maſſæ, ipſi petræ inhærebant. Nihil autem ſuper eam cùm quieſceret ſternebat: ſed tantum cum veſtimento, quo indutus erat, decumbebat; non alios habens tapetes, plumellas, aut ſtragula, quibus hæc operirentur. Victũ ei interdum deuotorum largitio miniſtrabat. Denique æternus Deus, qui iugiter glorificat Sanctos ſuos, ei curationum gratiam dignatus eſt impertire. Nam dæmones ex

*Miraculis coruſcat.* obſeſſis corporibus, in nomine Ieſu Chriſti, verbo fugabat, venenum malæ puſtulæ, Crucis ſignaculo opprimebat, quartanis tertianiſue febribus, infuſo benedicti olei liquore, medebatur, & multa alia beneficia populis, annuente largitore bonorum omnium, tribuebat.

*Colligit multos Monachos.* Ad tanti viri famam, cœperunt quidam ad eum confluere, gaudentes eius inſtrui diſciplinis. Quid plura? Colligit viros, format Monachos, effecit ad opus Dei perfectos. Erat autem Monachis hortus, diuerſorum olerum copia ingenti refertus, arborumque & fructuum amœnus viſui, & fertilitate iucundus; ſub quarum arborum vmbraculo, ſuſurrantibus auræ ſibilo foliis, beatus ſenex plerumque ſedebat. Quidam imprudens, & ſine timore Dei, gulæ circunſcriptus deſiderio, effracta ſepe horti, furtiuo eſt ingreſſus aſcenſu, porrò autem erat noctis tempus. Hic igitur collectis oleribus, cæpiſque & alliis, atque pomis, oneratus faſce fraudis iniquæ, ad aditum, quo ingreſſus fuerat pergit, ſed nequaquam reperit exitum. Abbas verò in pſallendo noctem ducit, & (vt credo) reuelante Deo, quæ gerebantur agnoſcit. Etenim abeſcente iam polo, vocat præpoſitum dicens. Accurrere velocius ad hortum: bos enim petulans ingreſſus eſt in eum, ſed nihil læſit ex eo. Præpoſitus verò non intelligens quæ narrauit, abiit vt impleret iuſſionem. Quem cùm vidiſſet homo appropinquantem, proiectis in terram quæ ſumpſerat, fugere cœpit: ac inter ſpinas & rubos caput immergit, & in modum porcorum, aditum vnde

*Manſuetudo viri ſancti.* egrederetur, conatur aperire. Quem Monachus apprehendens ait: Ne timeas fili, quia ſenior noſter miſit me, vt educam te ab hoc loco. Tunc collecta, Monachus, quæ ille proiecerat, tam poma, quàm olera, impoſuit humeris eius, & aperto oſtio, dimiſit eum dicens: Vade in pace, & ne vltra repetas, quæ ignauia comitante geſſiſti.

Ipſe quoque Sacerdos, velut iubar veri luminis in orbe reſplendens, infirmitates virtutum efficacia pellebat aſſiduè. Niuardus quidam, diurna fena febre detentus, dum aquas æſtuans ab ardore haurit aſſiduè, ab hydrope intumuit, ita vt tam venter, quàm ſtomachus, in modum veſicæ cerneretur extenſus. In deſperatione ergo pro tali infirmitate poſitus, deferri ſe ad Sanctum beneficio plauſtri depoſcit. Denique eleuatur à lectulo, & ad cellam viri Dei ducitur: deprecans humiliter,

*Sanat hydropicum.* vt ſibi Sacerdos Dei manus imponeret. At ille proſtratus in oratione, tactu blandiſſimo eius mẽbra contrectans, eum in adſtantium contemplatione reddidit ſanum.

Ipſe verò iam ætate nonagenaria, bono deſudans certamine, conſummato curſu vitæ, ſeruans in Deum fidem, ad illam coronam iuſtitiæ,

*Migrat in cælum.* quam retribuit Dominus, commigrauit. Dehinc cum ſummo honore ablutus, digniſque veſtimentis indutus, infra oratorij Monaſterium eſt ſepultus. Quod autem beatus eius tumulus diuinis virtutibus illuſtretur, ipſa quæ aſſiſtit caterua, poterit conteſtari: quæ cum infirmos mittit ad tumulum, extemplo incolumes domum remittit.

## NOTÆ.

Martius.] *Eius meminere Martyrol. Rom. cum Bar. 19. Aprilis. Vſuardus, Galeſinus, Maunolycus, & Vvion. in Mart. Monaſtico hac die. Pluribus Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum. c. 1. & Trith. de viris Illuſt. Ordinis S. Bened. lib. 3. c. 306. Meminit eiuſdem Surius tom. 7.*

VITA



*Habetur in libro de Vita Patrũ. c. 13.*

## VITA S. CALVPPANI EREMITÆ.
### Ex D. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.

*B. Caluppanus vir magnæ abſtinẽtiæ.* BEATVS Caluppanus, ab ineunte ætate, apud Monaſterium Meletenſe termini Aruerni conuerſatus, in magna humilitate fratribus ſe præbuit. Erat enim ſummæ abſtinentiæ, ita vt ab inedia nimium attritus, quotidianam cum reliquis fratribus operã explere nequiret. Vnde (vt mos eſt Monachorũ) magnum improperium inferebãt, dicente ſibi præſertim præpoſito: qui non deliberat laborare, indignè poſtulat manducare.

Dum autem aſſiduè vteretur his exprobrationũ verbis, vallem haud procul à Monaſterio conſpicatur: de cuius medio lapis, natura præbente, conſurgens, prouehitur in excelſum, quaſi quingentis aut eo ampliùs pedibus, nullam penitus habẽs cum reliquis montibus circumpoſitis coniunctionem. Cuius vallis medium fluuius alluit, qui hunc

*Monaſterium deſerens, habitat in ſcopulo.* montem placidè contingens dilabitur. In huius ergo lapidis ſciſſuram, quod priſcis quondam, propter tranſitum hoſtium, receptaculum fuit, Eremita ſanctus ingreditur, & exciſo lapide, receptacula ſtatuit: in quæ nunc per ſcalam valde difficilem ſcanditur. Locus enim ille tam difficilis eſt ad incedendum, vt etiam feris beſtiis illuc accedere ſit labor. In hoc loco oratorium paruulum fecit, cui oranti (vt ipſe nobis cum lacrymis referre conſueuerat) ſerpentes ſuper caput eius ſæpius decidebant, & inuoluentes ſe circa collum eius, non minimum ei inferebant horrorem. Sed quia diabolus ad ſpeciem callidi ſerpentis habetur, non ambigitur eius has fuiſſe immiſſionis inſidias.

*Ob terriculamenta dæmonum non cadit animo.* Nam cum ille adhuc perſtaret immobilis, nec moueretur minorum anguium ictibus, quodam die duo dracones immenſæ magnitudinis ad eum ingreſſi, adſtiterunt propè, quorum vnus (vt arbitror) ipſe dux tentationis validior altero erat; qui erecto pectore os ſuum contra os beati, quaſi aliquid muſſitaturus erexit. At ille timore perterritus, tanquam æneus valde diriguit, nullúmque penitus membrum mouere poterat, neque manum eleuare, vt ſignum beatæ Crucis opponeret. Cúmque ambo diutiſſimè in ſilentio conſtitiſſent, venit in mentem ſancto per ſpiritum, vt orationem Dominicam, etſi labia mouere non poterat, vel corde clamaret. Quam dum tacitus pronuntiat, cœperunt paulatim membra eius quæ inimici fuerant arte reuincta, diſſolui: & ſentiens ſe manum dexteram habere iam liberam, ori beatæ Crucis ſignum imponit: rurſumque conuerſus ad Hydram, pingit iterum Crucem Chriſti aduerſus eam. Draco autem huius virtute vexilli confuſus, viciſſim ſe humilians, terræ ſubditur. Sed dum hæc agerentur, ille alius circa pedes & tibias ſancti, in inſidiis voluebatur. Cúmque hunc pedibus ſuis circunfuſum ſanctus Eremita videret, oratio-

*Signo Crucis fugat ſibi infeſtos dæmones.* nem faciens eum abire iuſſit, dicens: vade retro ſathana, nihil enim mihi in nomine Chriſti mei poteris vltra nocere. At ille vſque ad limen cellulæ egreſſus, ſonum validum per interiorem partem emiſit, & tanto cellulam fœtore repleuit, vt nihil aliud quàm diabolus credi poſſet: nec vltra coram ſancto aut draco, aut ſerpens comparuit.

Erat autem aſſiduus in opere Dei, nec vacabat ad aliud, niſi aut legeret, aut aliquid oraret. Etiam cum parumper cibum caperet, orabat. Sumebat interdum piſcem de flumine, rarò quidem, ſed cum voluiſſet, opitulante Deo, confeſtim aderat. Cibum panis non aliũ ſumebat, niſi qui de Monaſterio mittebatur. Sed nec illud beneficium occulti debere arbitror, quod ei in loco illo diuina pietas

*Diuinitus impetrat fõtem.* eſt largita. Nam cùm à profundo vallis illius quaſi ſtadia decem aqua deferretur, orauit Dominum, vt ei in ipſo cellulæ ſuæ habitaculo fontis venam oſtenderet. Et non defuit virtus illa cæleſtis, quæ quondam ſitientibus populis aquas produxit è cilice. Statim igitur ad huius orationem gutta laticis, à caute prorumpens, cœpit ſolum ſtillis frequentibus irrigare. At ille munere cæleſti congaudens, concauum in lapide paruulum in modum ciſternæ faciens, quod tenebat quaſi congia duo, lymphas ſibi diuinitus indultas ſuſcipiebat: de quibus tantum ei miniſtrabatur per dies ſingulos, quantum ipſi pueroque ſufficeret, qui ei miniſter fuerat datus. Acceſſimus autem & nos ad locum cum beatò Auito Epiſcopo, & ex omnibus quæ narrauimus, quædam ab ipſo relata cognouimus, quædam oculis propriis inſpeximus. A memorato autem Pontifice Diaconatus ac Presbyterij ſortitus eſt gradum: & multa populo diuerſis

*Ab Auito Epiſcopo Presbyter ordinatur.* vexato morbis, remedia contulit. Nulli tamen, cellulam egreſſus, ſe præbuit contemplandum, ſed tantum per feneſtram extendens manum, ſalutare ſignaculum imponebat. Denique in hac religione curſum vitæ conſummans, quinquageſimo (vt opinor) æui anno

*Migrat.* migrauit ad Dominum.

## NOTÆ.

Caluppanus.] *Huius meminit Surius 2. tom. 3. Martij, qui vitam à D. Gregorio Turon. deſcriptam refert.*

Ad Hydram.] *Hydram finxerunt Poëtæ eſſe multorum capitum in Lerna palude, quorum aliquot exciſis, totidem continuo renaſcebantur. Tandem ab Hercule, & ſagitis & igne interfecta eſt.*

Sathana.] *Interpretatur aduerſarius, quo nomine appellatus eſt diabolus.*

Gutta laticis.] *Eſt latex propriè aqua ſubterranea, quia latet in venis terræ. Et dicitur à latebra, vel à lateo, lates.*

*Habetur in lib. de Vita Patrum. cap. 10.*

## VITA S. FRIARDI EREMITÆ.
### Ex D. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.

*Præclara indoles.* FVIT apud Inſulam Vindunitam vrbis Nanneticæ, vir egregiæ ſanctitatis, Friardus nomine recluſus. De cuius vita parumper ad ædificationem Eccleſiæ dicere delectat animum, quia ignoro, an ab aliquo ſit ſcripta. Hic ab infantia ſua ſemper Deo deuotus fuit, atque pudicus: factus autem vir, ſemper in Dei laudibus, ſemper in oratione, ſemper in vigiliis degebat, victus neceſſaria propriis manibus exigens à terra, & ſi in opera, inter reliquos properaret, nunquam ab oratione ceſſabat, quod vicinis, aut extraneis, vt mos ruſticorum habet, ridiculum erat. Quodam verò die cùm reliquis in ſegete culmos incidentibus, manipulos colligaret, examen mirabilium atque ſæuarum muſcarum, quas vulgò veſpas vocant, reperiunt. Cúmque acerrimè meſſores emiſſis aculeis lacerarent vndique circumeuntes meſſem, locum illum in quo hæ adunatæ erant, tranſiliunt, atque irridendo beatum Friardum alloquuntur doloſè dicentes: Veniat benedictus, veniat religioſus; qui orare non deſinit, qui crucem auribus & oculis ſemper imponit, ipſe metat ſuper examen, ipſe illud ſua oratione miteſcat. Tunc

quasi ad confusionem Dominicæ virtutis hæc verba suscipiens, prouolutus terræ, orationem fudit ad Dominum, & accedens, facto desuper Crucis signo, ait: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Ad hanc eius orationem confestim omnes vespæ se intra antrum vnde egressæ fuerant, abdiderunt. Ille verò spectaculum omnium factus, messem statim illæsus collegit. Quod non sine miraculo irridentibus fuit, eò quòd Dominus in se sperantem, ad confusionem eorum sic dignatus fuerit roborare.

*Miraculum.*

*Cadès ab arbore nihil læditur S. Friardus.*

Denique post hæc cùm in arborem pro quadam necessitate ascendisset, subitò, colliso sub pedibus ramo, ruere cœpit, cadensque deorsum, per singulos, quos percutiebat ramos, Christi beatissimum nomen inuocabat. Cúmque venisset ad terram, nihil est læsus. Post hæc egressus ab hospitiolo suo, oblitus parentes & patriam Eremum petiit, ne in seculo habitanti aliquod impedimentum in oratione mundi solicitudo conferret. Ipse igitur, simul & Abbas Sabaudus, qui quondam Regis Clotharij minister fuerat, pœnitentiam accipientes Vindunitensem Nannetici territorij insulam sunt ingressi. Habebant autem secum & Secundellum Diaconum.

*Petit Eremũ vna cum Sabaudo Abbate, & Secundello Diacono.*

Abbas verò, ablata de aratro Domini manu, ab insula discedens, ad Monasterium rediit, nec multo post occultis causis, gladio est peremptus. Sanctus verò Friardus cum Secundello Diacono in supradicta insula stetit immobilis: habebat tamen vterque eorum propriam cellam, sed procul inter se positam. Cúmque strenuè in oratione persisterent, nocte Secundello Diacono apparuit tentator in specie Domini, dicens: Ego sum Christus, quem quotidie deprecaris: iam enim sanctus es, & nomen tuum in libro vitæ cum reliquis sanctis meis adscripsi. Egredere nunc ab hac insula, & vadens fac sanitates in populis. His ille illectus deceptionibus, discessit ab insula, nec socio nunciauit, tamen cùm infirmis in nomine Christi manus imponeret sanabantur. Regressus autem post multum tempus ad insulam, venit ad socium suum cum vana gloria, dicens: Abij extra Insulam, & virtutes multas in populis feci. Cúmque conteritus ille interrogaret, quid hoc sibi vellet, cuncta, quæ gesserat simpliciter pandit. At senior obstupescens, suspiransque ac lacrymans, ait: Væ nobis, inquantum audio, à tentatore delusus es. Vade, age pœnitentiam, ne vltra tibi prævaleant eius doli. Quod ille intelligẽs, & periisse se timens cum fletu ad pedes eius prosternitur, rogans vt pro se Dominum deprecaretur. Cui, veni, inquit, & pariter eius omnipotentiam pro salute animæ tuæ poscamus, non est enim difficilis Dominus se confitentibus misereri. Orantibus autem illis, aduenit iterum tentator in simili specie ad Secundellum Diaconum, dicens: Nonne præceperam tibi, eo quòd oues meæ morbidæ essent & pastore indigerent, vt egredereris, & visitares, atque opem sanitatis eis tribueres? Et ille: In veritate comperi, quòd seductor sis, neque te Deum credo, cuius te speciem mentiris habere. Tamen si Christus es, Crucem tuam, quam reliquisti, ostende, & credam tibi. Cúmque non ostenderet, Diacono Crucem Domini in os eius faciente, confusus euanuit. Rursum verò ad eum veniens cum multitudine dæmonum, tanta illum cæde afflixit, vt vix putaretur euadere posse, & discedens, nusquam comparuit. Idem postea Diaconus in summa sanctitate perdurans, die debito defunctus est.

*Seducitur à diabolo Secundellus Diaconus.*

*Saeuissimè caditur à dæmonibus Secundellus.*

Beatus verò Friardus, cùm magnis virtutibus effulgeret, quadam vice effractum à vento ab arbore ramum, quem, vt ferunt, ipse insenerat, collegit, compositumque baculum sibi exinde, quem manu gereret, fecit. Post multum verò tempus, iam arefactam virgam in terra plantauit, infusaque aqua sæpius baculus ille frondes emisit & poma, atque intra duos aut tres annos in magnam arboris proceritatem distentus excreuit. Quod cùm grande miraculum populis cernentibus haberetur, & quotidie ad hanc visendam magna turba confluerent, ita vt etiam ipsam remotionem Insulæ virtus prodita publicaret: sanctus Dei ne vanæ gloriæ labe subrueret, arborem arrepta securi succidit. Rursusque sanctus alterius arboris ruinam cernens, quæ acta venti violentia, floribus plena corruerat, misericordia motus orauit dicens: Ne pereat quæso Domine, huius arbusculæ fructus, quæ te iubente florum ornamenta produxit: sed potius à te incrementum reparationis indultum, fructuum mereatur adipisci effectum. Et hæc dicens arrepta securi, amputauit arboris columnam super radices quæ adhuc hærebant, columnamque ipsam in modum sudis fecit acutam, ac eam terræ defixit. Mox ligatis sine radice ramis, & ad pristinum restitutis statum, flores, qui aruerant, viruerunt. Ipso quoque anno hæc arbor fructus cultori suo restituit. Credo ego de misericordia Dei, quod miraculum præsens exigit loqui, quia obtinere potuit hic oratione sua vitam mortuis à Domino impertiri, qui obtinuit arbores aridas in rediuiua viriditate frondescere.

*Insigne miraculum.*

*Aliud.*

Idem cùm plerumque transitum suum fratribus prædiceret, quadam die tactus à febre dicit suis: Ite ad Felicem Episcopum, & nunciate ei decessum meum dicentes: Frater tuus Friardus dixit, Ecce consummato cursu vitæ huius, de hoc mundo absoluor, & vt certior sis de hoc verbo, die Dominica transitum accipio, & vado ad requiem quam mihi promisit Rex æternus Deus. Veni, obsecro, vt videam te priusquam obeam. Cumque ille occasione nescio qua detineretur, mandatum misit dicens: Rogo si fieri potest, vt me modicum expectes, donec moris actionum dissolutis, ad te vsque perueniam. Reuertentibus verò nunciis, & ista dicentibus, cùm iam lectulo decumberet ait: Surgamus ergo & sustineamus fratrem nostrum. O virum sanctitate ineffabilem, qui quamquam festinaret dissolui & cum Christo esse, non tamen oblitus charitatem, obtinuit apud Dominũ adhuc in mundo esse, vt fratrem cerneret corporali intuitu! Sed nec illum infimi reor fuisse meriti, pro cuius aduentu Dominus huius sancti dilatare dignatus est diem: nam de illius tarditate accepto nuncio, protinus quiescente febre, sanus surrexit è lectulo. Post multum verò tempus, aduenientе Episcopo à febre corripitur, ingressumque ad se salutat & osculatur dicens: Grandes mihi moras de itinere debito facis, ô sancte Sacerdos. Quibus vigilantibus nocte quæ erat Dominica, mane facto tradidit spiritum. Eo autem emisso, mox omnis cellula odore suauitatis repleta, tota contremuit. Vnde indubitatum est Angelicam ibi affuisse virtutem, quæ sancti meritum signans, cellulam diuinis faceret aromatibus effragare. Cuius gloriosum corpus Sacerdos ablutum recondidit in tumulo, & Christus animam suscepit in cælo, relinquentem terrigenis exempla virtutum.

*Prædicit suũ obitum.*

*Obtinet mortis inductias vt possit fratrem videre.*

*Mortuo S. viro, cella suauissimo odore repletur.*

NOTÆ.

Friardus.] *Vitam eius ex D. Gregorio Turon. adfert Surius.*



*Surius. Meminit eiusdem. Vvionius in tom. 1. Ligni vitæ. Aguntpræterea de eo quidam recentiores.*

Culmos incidentibus.] *Culmus est frumenti calamus, à radice vsque ad spicam: dictus quod tolatur.*

Examen.] *Dicitur apum congregatio, nec solum de apibus, sed etiam de vespis intelligitur.*

Vespas.] *Vespa est animal paruum volatile, api simile, quod vesperi muscas venetur in cibum. Nascitur verò ex asinorum carnibus putridis. Vide Plinium de hac abundè materia tractantem lib. 11. c. 21.*

In modum sudis.] *Sudes est palus vel pertica acuta.*

*Habetur lib. 6. c. 8. Hist. Franc. & de gloria Cõfess. cap. 101. fol. 291.*

## VITA S. EPARCHII RECLVSI.

### Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.

EPARCHIVS recluſus Engolism. vir magnificæ sanctitatis, per quem Deus multa miracula ostendit, Petragoricæ vrbis incola fuit: sed post conuersionem Clericus factus, Engolismam veniens, cellulam sibi ædificauit. In qua collectis paucis Monachis, in oratione morabatur assiduè, & si ei aliquid auri vel argenti offerebatur: vel in necessitatibus, vel in redemptione captiuorum distribuebat. Panis in cellula illa eo viuente, coctus nunquam fuit, sed à deuotis cum necessitas exegisset, offerebatur. Magnam enim cateruam populorum, de oblationibus deuotorum redemit, pustularum malarum venenum signo Crucis sæpe compressit: dæmones de obsessis corporibus oratione abegit, & Iudicibus plerumque, vt culpabilibus ignoscerent, dulcedine profusa imperauit potiùs, quàm rogauit. Nam ita erat dulcis alloquio, vt ei negare non possent, quod fuisset indulgentia deprecatus.

*Cellulam sibi construit S. Eparchius.*

*Miraculis claret.*

Quodam verò tempore, dum pro furto quis ad pendendum deduceretur, qui & in aliis multis sceleribus, tam in furtis quàm in homicidiis accusabatur ab incolis criminosus, & hæc ei nunciata fuissent, misit Monachum suum ad iudicem deprecandum, vt culpabilis ille vitæ concederetur. Sed insultante vulgo atque vociferante, quod si hic dimitteretur, neque regimini, neque iudici posset esse consultum, dimitti non potuit. Interea extenditur ad throcleas, virgis ac fustibus cæditur, & patibulo condemnatur. Cúmque mœstus Monachus Abbati nuntiasset: Vade, inquit, à longè, quia scito quod quem homo redimere noluit: Dominus suo munere redonabit. Tu verò cùm eum cadere videris, protinus apprehensum adducito in Monasterium. Monacho verò iussa complente, ille prosternitur in oratione, & tandiu in lacrymis ad Dominum fudit preces, quousque diruto obice, cum catenis, terræ restitueretur appensus. Tunc Monachus, eum apprehensum, patris conspectibus incolumem repræsentat. At ille gratias agens, Comitem accersiri iubet, dicens: Semper me benigno animo solitus eras audire, fili dilectissime, & cur hodie induratus hominem pro cuius vita rogaueram, non laxasti? At ille: Libenter te audio, sancte Sacerdos, sed insurgente vulgo, aliud facere non potui: timens super me seditionem moueri. Et ille: Tu, inquit, me non audisti, Deus autem audire dignatus est, & quem tradidisti morti, ille vitæ restituit. En ante te adstat sanus.

*Quidam suspendio adiudicatus, à sancto viro liberatur.*

Sed & alia multa fecit, quæ insequi longum putaui. Post quadraginta quatuor verò annos, inclusionis suæ parum febre pulsatus, tradidit spiritum: protractusque à cellula, sepulturæ mandatus est. Magnus autem conuentus de redemptis in eius processit exequiis. Ad sepulchrum autem eius multa facta sunt miracula. Nam & frigoritici corum febres, & alia incommoda meritis eius restinguebantur. Cæcus verò de Petrocorico territorio, vt se sepulturæ illius iniecit, fusa oratione, lumen recipere meruit. Comes autem vrbis Engolismensis, fure inuento, ac supplicijs dedito, patibulo condemnari præcepit. At ille cum duceretur ad mortem, inuocare huius sancti nomen cœpit, & adductus ad stipitem, fusa oratione, super terra patibulo appensus relictus est. Quod cum Monachi præsensissent, simul proiecti ad tumulum sancti, orare cœperunt, dicentes: O Sancte Confessor, si tibi vita superstes esset in seculo, eruere poteras hunc pauperem de manu mortis: sicut plerumque tali supplicio addictos liberasti: sed nec diffidimus de tua oratione, vt quod viuens fecisti in seculo, possis renouare sublimatus in cælo. Et data nocte misit Abbas vsque ad furcam. Accedente autem Monacho, statim disruptis ligaminibus, terræ delapsus est. Et sic sustentatus à Monacho viuens adducitur ad Monasterium, haustoque parumper vino, conualuit; vitaque à iudice obtenta, liber abscessit.

*Miraculæ.*

NOTÆ.

Eparchius.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 1. Iulij. Vitam eius ab incerto descriptam, habet Sur. tom. 4. Petrus item in Cat. lib. 11. c. vltimo. Haymoinus Monachus, & multi tum antiqui, tum recentes eiusdem meminerunt. Obiisse dicitur anno Domini 583.*

Petragoricæ vrbis.] *Hæc, ciuitas est Galliæ, vulgò* Perigueux.

Extenditur ad throcleas.] *Throclea propriè rota est rotam continens volubilem, per quam funis tractorius immissus ligatum brachijs, reuinctum reum, sursum trahit, vel remissus deorsum relaxat. Eiusmodi tormentum dicitur eleuatio ad throcleas. Consule Baronium in Notis Martyrologij 7. Decemb.*

*Habetur in lib. de Vita Patrum c. 9.*

## VITA S. PATROCLI EREMITÆ.

### Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.

*Patria & parentes S. Patrocli.*

BEATISSIMVS Patroclus Biturigij territorij incola Ætherio Patre progenitus, cùm decem esset annorum, pastor ouium destinatur, fratre Antonio tradito ad studia literarum. (Erant enim non quidem nobilitate sublimes, ingenui tamen.) Cúmque quadam die, hic à scholis, ille à grege commisso, ad capiendum cibum paterno in hospitio conuenissent, exprobrare cœpit Antonius fratri, quod nesciret literas, eumque aspernabatur. Quod cùm ille audisset, relicto grege, scholas puerorum expetiit. Qui primis elementis, ac deinceps omnibus, quæ studio puerili necessaria erant, ita celeriter memoria opitulante imbutus est, vt fratrem, & coætaneos in scientia præcederet.

*Cõmendatur Mumioni.*

Deinde Mumioni, qui quondam cum Childeberto Parisiorum Rege magnus habebatur, ad exercendum commendatus est. A quo cùm summa amoris diligentia nutriretur, ita humilem atque subiectum omnibus se præbebat, vt omnes tanquam proprium filium diligerent. Regressus verò domum, patre defuncto, reperit matrem adhuc superstitem. Quæ cum vellet eum matrimonio coniungere, ille omnino respuit. Sed abiens ad Archadium Biturigæ vrbis Episcopum, petiit sibi

*Tradit spiritum.*

*Vltio diuina in violatorẽ festi S. Mariani.*

nec quicquam de substantia restat hominis. Exinde eleuati globi flammarum super hospitiola aliorum, quæ circumbcata erant huius, hominis areã, sepes, tuguriola vel porcorum vel animalium, reliquaque, quæ ad eum pertinebant, flamma perussit. Nec quicquam remansit huic misero, quod non fuisset igni succensum. Quod si euenisse quis fortuitò putat, admiretur quod nulli vicinorum circummanentium nocuit. Quid nunc agis ô cruda rusticitas, quæ semper in Deum, & sanctos murmuras, vt tibi inde damnum acquiras? Alterius igitur hominis militia furis boues abstulerat, qui apprehenso vestigio, & inter infusos aqua viarum tramites, ad profundas luti voragines perdito, ad Sancti recurrit sepulchrum, fusaque oratione, dum B de basilica fuisset egressus, aduertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boues illos ante se cum caballo ex itinere lassum prosequens adducebat. Turbatus enim fuerat à via, & quasi amẽs factus in illam partem de qua egressus fuerat, mente turbata redibat. Cognoscitque vir ille boues, quos perdiderat, hos recipiens, hominem absque calumnia redire permisit: quia cognouit hoc sibi per virtutem S. Mariani præstitum, cum in illa hora reperit perditum, qua eius adiuit plenus fide sepulchrum. Quæ postquam gesta sunt, diligentiore cura confessorem Dei plebs cœpit excolere Bituriga.

### NOTÆ.

Marianus.] *Eius meminere Mart. Rom. cum Baron. 19. August. Vsuardus, Galesinus, Trith. de vir. Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. c. 306. Sur. tom. 7. Arnoldus Vion. in lib. 3. Ligni vitæ 19. Aug.*

Cum caballo.] *Caballus est vilis equus: dicitur verò caballus quasi cauallus, quia pede cauat terram, vel quia pedem habet cauum.*

*Habetur in lib. de gloria Confess. c. 82. fol. 275.*

## VITA B. EVSICHII EREMITÆ. *Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.*

*Inter spinarũ densitatem ægit.*

EVSICHIVS in hoc territorio Eusichius multarum D vir virtutum, qui tanquam Eremita, inter spinarum condensitatem, ab hominum se familiaritate remouerat, qui aurum vel diuitias mundi huius tanquam stercora exhorrebat. Ad hunc cùm diuersi propter diuersas infirmitates venirent, plerumque & infantes, quibus fauces intumuerant, deferebant: quos ille tactu blandissimo pertractans, aiebat, quasi spiritali ioco delectans: Meritò, inquit, hæc gula doloribus quatitur, quæ inglutire non sinit: sed in Trinitatis nomine signum Crucis imponens, infirmas fauces à doloribus & tumoribus liberabat. Quartanariis verò tam præsens beneficium erat, vt aquam tantum benedictam ad bibendum tribuens, continuò E eos redderet sanitati.

*Sanat infantes à tumoribus.*

Habebant Clerici eius duo vasa apum. Cúmque vnus ex vicinis eius quartani typi vexaretur ardore, ad eum veniens, solitam ab eodem accipiens medicinam, sanus est redditus, & redire domum cupiens, vasa illa eminus cernit in arbore, inflammante protinus cupiditate, quæ radix omnium malorum esse describitur, cogitat ea furtim auferre. Inuentoque simili sibi satellite, nocte arborem illam petit. Cumque in eam ascendisset, vt socio porrigens vasa deponeret, ecce ab alia parte senex aduenit: quo viso, ille qui ad terram erat, fugam petiit, nec socio quid caueret exposuit. Senex verò sub arbore stetit, & vas vnum quod fur porrexit, mutuò accepit: cumque & alterum vellet auferre, ait Sacerdos, sufficiat nunc fili istud. Alterum verò ei qui ipsum laborauit reserua, qua ille voce perterritus, se deorsum iactat. At ille deprehensum eum, ad cellulam deducens, ait: Cur, inquit, fili, diabolo præcedente tu sequeris? Nonne hesterno die ad me veniens, benedictionem Domini accepisti? Si, inquit, ex melle delectabaris, à me petisses, & ego sine vllo improperio, & tuo impedimento, vt tibi fuerat copia, tribuissem. Tunc & aliis multis verbis arguens eum, fauum mellis ei largitus est, & illæsum abire permisit dicens: Caue ne vltra repetas: quia furtum, Satanæ pecunia est.

*Misericordia eius erga furem.*

Ad hunc ergo senem Childebertus in Hispaniam abiens, venit. Cúmque ei quinquaginta aureos obtulisset, ait senex: Quid mihi ista profers? Illis qui ea pauperibus largiantur tribue: mihi autem hæc necessaria non sunt. Sufficit mihi vt pro meis peccatis Dominum merear deprecari. Et adiecit: Vade, & victoriam obtinebis, & quod volueris ages. Tunc Rex pauperibus erogans aurum, vouit, vt si eum Dominus cum sua gratia de itinere illo reduceret, in honorẽ Dei basilicam in eo loco ædificaret, in qua senis membra quiescerent: quod postea adimpleuit.

*Venit ad eum Rex Childebertus.*

*Eidem prædixit victoriã.*

### NOTÆ.

Eusichius.] *De eodem Vvionius & alij. Fuerunt alij* C *multi eius nominis Sancti, sed qui Eremiticam vitam non duxerunt.*

*Habetur in lib. de gloria Cõfess. c. 103. fol. 292. & 98. & 289.*

## VITA S. IVLIANI EREMITÆ, necnon alterius cuiusdam Eremitæ. *Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.*

*Iulianus miraculis fulget.*

IVLIANVS quidam recluſus intra Lemonicinæ vrbis territorium, qui viuens multa populis ostendit miracula: sed & nunc ad sepulchrum eius sæpe morbidi curantur. Nam vidi multos, quos enumerare putaui longum, qui cæcis oculis eò perducti, lumen receperunt, paralyticique directi sunt. Testisque est ipse populus hodieque, qui cùm sanitatem recipiant, statim se tributarios loco illi faciunt, ac recurrente circulo anni, pro redditæ sanitatis gratia tributa dissoluunt. Ex quibus plurimi sunt qui ad basilicam Sancti Martini nostri Antistis pertinere videntur.

Recolo me audisse ante hos annos, extitisse quendam in Eremo regionis cuiusdam. Ad quem requirendum cum frater è proximo prompta deuotione venisset, exceptus est ab eo plena animi charitate. Tunc ingressi paruulum quoddam tugurium oratione facta resederunt. Conferentesque plurima de verbo Dei, surgit senex à cellula, ingreditur hortulum, olera decerpit ad cibum. Accensoque foco, ponit caldariam ligneam super ignem impletam aqua cum oleribus, vrgensque ignem ita vehementer feruere coëgit, vt putaretur ænea esse. Hoc autem videns vir qui aduenerat, stupore commotus, interrogat quid hoc esset. Respodit senex. Multis iã in hac Eremo annis habito, sed semper in hac caldaria cibos Domino iubente ad reficiendum fragile corpusculum præparaui. Coctisque cibis, redditis Deo debitis hymnis, vterque ex huius vasculi ministerio sunt refecti. Hæc olim audiui. Nam nuper vidi Abbatem, qui eum ingenuum nominabat, asserens eum intra Augustodunensem terminum commoratum fuisse, & sæpius

*Nota cuiusdã Eremitæ insigne miraculum.*



pius in hoc vasculo, vel olus, vel Crumelum coctũ A cum illo sumpsisse. Confirmabat autem cum iuramento vidisse se caldariam stammis superpositam validissimè feruere, & ita semper fundum eius humidum extitisse, vt putaretur iugiter ab aliquo humectari.

### NOTÆ.

Iulianus.] *Tantum de eodem scribit D. Gregorius Turonensis Episcopus.*

Caldariam ligneam.] *Caldaria est vas quoddam seu instrumentum in quo aqua igni admouetur. Vulgò* vn chauderon.

*Habetur in lib. de Vita Patrũ c. 15.*

## VITA S. ABRAHÆ ABBATIS. *Ex D. Gregorio Turon. Episcopo.*

*Patria S. Abrahæ.*

BEATISSIMVS Abraham super Euphratis fluuij litus exortus est, vbi in opere Dei proficiens, ad visitandos Eremitas, adire Ægypti solitudines concupiuit. Eò autem dum tenderet, à paganis comprehensus, & multis pro Christi nomine affectus verberibus, in vincula coniicitur: in quibus per quinque annos exultans, tandem Angelo soluente laxatur. Occidentalem quoque plagam visitare cupiens, Aruernos aduenit: ibique ad basilicam S. Cyrici, Monasterium C collocauit. Erat autem miræ virtutis, fugator dæmonum illuminatorque cæcorum, aliorum quoque morborum potentissimus curator. Igitur cum festiuitas supradictæ basilicæ aduenisset: Præpositum vocat, vt vasa vino plena, ad reficiendum populum, qui solemnitati aderat, in atrio ex more componeret. Causatur Monachus dicens: Ecce Episcopum cum Duce, & ciuibus inuitasti: & vix nobis supersunt quatuor vini amphoræ. Vnde omnia ista complebis? At ille, aperite, inquit, mihi penum. Quo aperto, ingressus est, & fundens orationem, quasi nouus Elias, eleuatis ad cælum manibus, ac infusis fletu luminibus ait: Ne deficiat quæso Domine, de hoc vasculo vinum, donec D cunctis ministretur in abundantia. Et irruente in se Spiritu sancto, ait: Hæc dicit Dominus. Non deficiet vinum de vasis, sed omnibus petentibus affatim tribuetur, & abundabit. Quo dicto, vinum ad verbum & hilaritatem dispensationis illius, cuncto populo in abundantia ministratum est, & superfuit. Sed quia strenuitas præpositi prius mensurauerat vasculum quinquagenarium, & repererat quatuor palmorum mensuram, cernens quæ acta fuerant, in crastino iterum mensurans, tantùm reperit in vase, quantum in eo præcedente reliquerat die, ex hoc sancti virtus declarata est. Inipso verò Monasterio, plenus dierum obiit: ibique cum honore sepultus est. Huius verò sancti Epitha- E phium, beatus Sidonius scripsit, in quo aliqua de his quæ locutus sum, est præfatus. Ad huius autem Abrahæ sepulchrum plerumque frigoretici decubantes, medicinæ cæleſtis præsidio subleuantur.

*Multa mala patitur à paganis pro fide Christi.*

*Tandem ab Angelo soluitur à vinculis.*

*Miraculis claret.*

*Vinum sancti viri precibus multiplicatum.*

*S. Sidonius, viri Dei Epitaphium ponit.*

### NOTÆ.

Abraham.] *De quo Martyr. Rom. cum Baron. in Notis 15. Iunij, & tom. 4. Annalium. Vitam eius ex D. Gregorio Turonensi attulimus, qui quidem etiam de eo scribit in Hist. de gestis Francorum lib. 2. c. 21. circa finem. Porrò Epitaphium quod S. Sidonius Apollinaris scripsit, in Epistola ad Volusianum Episcopum lib. 7. Epistolarum, Epist. 18. extat. Claruit autem S. Abraham circa annum Domini 460.*

Vini amphoræ.] *Est amphora genus vasis vinarij, duas ansas habentis: sic dicta, quod ex vtroque latere capta feratur.*

Penum.] *Penus idem quod cellarium, in quo vinum reponitur.*

*Habetur lib. 2. c. 37. Hist. Franc.*

## VITTA S. MAXENTII INCLVSI. *Ex D. Gregorio Turonensi.*

*S. Maxentius suscitat mortuum.*

MAXENTIVS Pictauiensis tempore Clodouei Regis Francorum claruit. Qui inter cætera virtutum miracula mortuum suscitare promeruit. Multoties aues relictis nemorum ramis, in manibus eius, modo tritici grana, modo panis fragmenta sumebant. Sæpius etiam visitabatur ab Angelis: adeò vt splendor cellulæ, in qua psallens iugiter habitabat, veluti micantium globi astrorum, videntibus ministris, vel Monachis reluceret. Refectio eius erat panis hordeaceus, & aqua: frequenter tamen diuinis dapibus pascebatur ab Angelis. Sic autem orationibus incumbebat, vt instar camelorum, in eius genibus gibbi apparerent.

*Aues ad eum mansuetæ aduolant.*

*Visitatur familiariter ab Angelis.*

*Eius abstinẽtia.*

Quodam æstiuo tempore, dum Monachi inter opera æstuantes, siti grauarentur, idem vir Dei oratione expleta, baculum quem tenebat in aruo fixit, & in conspectu adstantium fons effluxit, vnde & Monachi Deo gratias agentes, sitim extinxerunt, & multi languentes postea sanati sunt.

*Impetrat suis Monachis fontem.*

Quodam tempore, cum Franci, præcedente eos Rege Clodoueo, contra Gothos ad bellum procederent, cum Monasterio, cui beatus Maxentius præerat appropinquassent, cogitare cœperunt, vt illud debellarent, & sanctum virum occiderent. Cumque suadente diabolo, vnus ex barbaris manum extenderet, vt eum decollaret, suspenso in aëre gladio, & manus gladiatoris inaniter remansit extenta, & ceruix sancti viri permansit illæsa. Post paululum autem cœpit seipsum dentibus laniare, & tandem accensus insania, proprius infælix extitit homicida. Reliqui verò repente luminibus sunt priuati mente turbati; vt vix alter alterũ recognosceret. Quod cum ad aures Clodouei peruenisset, ad sanctum virum ocyus accurrit: seque prosternens, humiliter adorauit, & veniam sibi, suisque postulauit. Vir autem Deo plenus, motus precibus Regis, signo Crucis super eos expresso, sanitatem intulit, & eos incolumes ad castra redire permisit.

*Barbaro volẽte sãcti viri caput abscindere, manus eius rigescit, nec valet eam ad se retrahere.*

*Clodoueus Rex in terrã prostratus à viro Dei pro se suisque veniam petit.*

*Vincent. in Spec. lib. 21. c. 22.*

Post hæc quidam segetis cultor, cum ad euellendum silicem die Dominico præparasset in messem, manus eius circunstricta per biennium permansit, ita vt nullus medicorum adhibere posset medicinam. Tandem ad virum Dei perrexit: qui E oratione fusa sanitatem integram manui eius reddidit. Simili modo mulier, cum cupiditate stimulante, die Dominico fila torqueret, manus eius inutiles factæ sunt. Quæ ad virum Dei præfatum venit, & ille mox per signum sanctæ Crucis, eam sanam reddidit. Obitum quoque suum longè ante præsciuit, & Monachis suis 6. Calend. Iunij, hora nona diei se de mundo transiturum indicauit. Quod & ita accidit, vt vir sanctus prædixit.

*Vltio diuina in virum & mulierem diẽ Dominicum non sanctificantes.*

*Prædicit suũ obitum.*

### NOTÆ.

Maxentius.] *De quo Martyr. Rom. cum Baron. 26. Iunij.*

*Iunij. Agunt etiam de eo Sigebertus in Chronico ad annum 506. Petrus in Cat. lib. 6. cap. 14.*

Contra Gothos.] *Gothi dicti sunt à Gothia regione Europæ, contermina Daciæ, & Norvegiæ, ex qua Gothi immanes populi, qui olim Italiam armis subegerunt, & Hungariam post Pannones inhabitarunt.*

## VITA S. HOSPITII INCLVSI. Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.

*Habetur lib. 6 cap. 6. Hist. Franc.*

IVIT apud vrbem Nicensem Hospitius Reclusus magnæ abstinentiæ, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, indutus desuper cilicio, nihil aliud quàm purum panem sumebat cum paucis dactylis, in diebus autem quadragesimæ de radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibētibus sibi illas negotiatoribus, alebatur. Et primum quidem ius, in quo coctæ erant, hauriens ipsas sumebat in posterum.

*Constrictus catenis ferreis, & indutus cilicio, pane & dactylis vtitur ad vitæ sustentationem S. Hospitius.*

Magnas autem per eum Dominus dignatus est virtutes operari. Nam quodam tempore, reuelante sibi Spiritu sancto, aduentum Longobardorum in Gallias hoc modo prædixit: Venient, inquit, Longobardi in Gallias, & deuastabunt ciuitates septem, eò quod increuerit malitia Gallorum in conspectu Domini, quia nullus est intelligens, nullus est qui faciat bonum, vt ira Dei placetur. Est enim omnis populus infidelis, periuriis deditus, furtis obnoxius, in homicidiis promptus, à quibus nullus iustitiæ fructus vllatenus gliscit. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hospitio recipitur, aut cibo sufficiente satiatur: ideo hæc plaga superueniet. Nunc autem dico vobis: congerite omnem substantiam vestram intra murorum septa, ne à Longobardis diripiatur, & vos ipsos firmissimis communite in locis. Hæc eo loquente omnes obstupefacti, & valedicentes, cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit: Abscedite & vos à loco, auferentes vobiscum, quæ habetis. Ecce enim appropinquat genus, quod prædixi. Dicentibus autem illis: Non relinquemus te sanctissime pater, ait: Nolite timere pro me, futurum est enim, vt inferant mihi iniurias, sed nō nocebunt vsque ad mortē. Discedentibus autem Monachis, venit gens illa: & dum cuncta quæ reperit, vastat, peruenit ad locum vbi sanctus Dei reclusus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis, illi verò circumeuntes turris aditum, per quem ingrederentur ad eum, inuenire non poterant. Tunc duo ascendentes, detexerunt tectū, & videntes eum cinctum catenis indutumque cilicio dicunt: hic malefactor est, & homicidium fecit: ideo his ligaminibus vinctus tenetur, vocatoque interprete, scisitantur ab eo quid mali fecerit, vt tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omnisque criminis reum. Tunc vnus extracto gladio vt in caput eius libraret, dextera in ipso ictu suspensa diriguit, nec eam ad se potuit reuocare. Tunc gladium laxans, terræ deiecit.

*Prædicit aduentum Longobardorum.*

*Miles volens percutere virum Dei, subito arescit eius dextera.*

Hæc videntes socij eius, clamorem in cælum dederunt, flagitantes à sancto, vt quid agi oporteret clementer insinuaret. Ipse verò impositio salutis signo, brachium sanitati restituit, ille autem in eodem loco conuersus, tonsurato capite, fidelissimus Monachus nunc habetur. Duo verò Duces qui eum audierunt, incolumes patriæ redditi sunt: qui verò contempserunt præcepta eius, miserabiliter in ipsa prouincia sunt defuncti. Multi autem ex ipsis à dæmoniis correpti clamabant: Cur nos sancte ac beatissime sic crucias & incendis? Sed impositia eis manu, mundabat eos. Post hæc homo erat Andegauensis incola, qui per nimiam febrem eloquium pariter & auditum perdiderat. Et cùm de febre conualuisset, surdus permanebat ac mutus. Igitur Diaconus ex prouincia illa Romā directus est, vt beatorum Apostolorum pignora vel reliquorum Sanctorum qui vrbem illam muniunt, exhiberet. Qui cum ad parentes infirmi illius peruenisset, rogant vt eum sibi comitem itineris sumere dignaretur, confisi quod si beatissimorum Apostolorum adiret sepulchra, protinus posset assequi medicinam. Euntibus autem illis venerunt ad locum vbi beatus Hospitius habitabat. Quo salutato ac deosculato, causam itineris Diaconus pādit, ac proficisci se Romam indicat, seque his qui sancto viro de Naucleris amici essent commendari deposcit. Cumque ibi adhuc moraretur, sensit vir beatus per spiritum Domini adesse virtutem, & ait Diacono: Infirmum qui comes tui nunc est itineris, rogo vt meis conspectibus repræsentes. At ille nihil moratus velociter ad metatum vadit, inuenitque infirmum febre plenum, qui per nutum aures suas dare tinnitum indicabat: apprehensúmque ducit ad sanctum Dei. At ille apprehensa manu cæsarie, attraxit caput illius in fenestram, assumptoque oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam eius, verticique capitis infudit dicens: In nomine Domini mei Iesu Christi aperiantur aures tuæ, referetque os tuum virtus illa quæ quondam ab homine surdo, & muto noxium eiecit dæmonium. Et hæc dicens interrogat nomen: ille verò clara voce ait, sic dicor.

*Mentes impositione sanat dæmoniacos.*

*Sanat surdū & mutum.*

Cùm hæc vidisset Diaconus, ait: Gratias tibi imm̄esas refero, Christe, qui talia per seruum tuum dignaris ostendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos qui Romam proprio cruore illustrant: hic omnes reperi, hic cunctos inueni. Hæc eo cum maximo fletu & admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait. Sile, sile, dilectissime frater, non hæc ego facio, sed ille qui mundum ex nihilo condidit, qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium, & qui leprosis cutem pristinam, mortuis vitam, & omnibus infirmis affluentem medicinam indulget. Tunc Diaconus gaudens, & valedicens abscessit cum comitibus suis, quibus discedentibus, homo quidam Dominicus (sic enim erat viro nomen) à natiuitate cæcus aduenit ad istius miraculi virtutē probandam. Qui dum in Monasterio duobus, aut tribus mensibus resideret, orationi, ac ieiuniis vacans, tandem vocat eum ad se vir Dei, & ait: Vis recipere visum? Cui ille ait: Voluntas, inquit, mea erat, ignota cognoscere. Nam quæ sit lux ignoro, vnum tantum scio, quod ab omnibus collaudatur. Ego autem ab initio ætatis meæ vsque nunc videre non potui. Tunc cum oleo benedicto super oculos eius Crucem sanctam faciens, ait: In nomine Iesu Christi Redemptoris nostri aperiātur oculi tui. Et statim aperti sunt oculi eius, & erat admirans, cernensque magnalia Dei quæ in hoc mundo videbat.

*Humilitas S. Hospitij.*

*Oleo benedicto cæco lumē restituit.*

Dehinc mulier quædam, quæ vt ipsa reclamabat, tria habebat dæmonia, ad eum adducta est, quam cum tactu sacro benedixisset, atque ex oleo sancto Crucem fronti eius imposuisset, eiectis dæmonibus purgata discessit. Sed & aliam puellam, ab

*Sanatur à viro sancto.*

*Sanat & dæmoniacam.*





ab spiritu immundo vexatam benedictione sanauit.

Cùm autem iam dies obitus eius appropinquaret, vocauit ad se præpositum Monasterij dicens: Exhibe fertamentum & irrumpe parietem, & mitte nuncios ad Episcopum ciuitatis, vt veniat ad me sepeliendum, die enim tertia ab hoc egredior mundo, & vado in requiem destinatam, quam mihi Dominus repromisit. Hæc eo dicente, misit præpositus ad Episcopum ciuitatis Nicensis, qui ei hæc nunciarent. Post hæc Crescens quidam venit ad fenestram, & videns eum catenis vinctum, vermibus plenum: O Domine mi, ait, qualiter tam valida tormenta tolerare tam fortiter potes? Cui ille ait: Confortat me ille, pro cuius nomine hæc patior. Dico autem tibi, quia iam absoluor ab his vinculis, & vado in requiem meam. Aduenientе autem die tertia, deposuit catenas quibus vinctus erat, prostrauit se in orationem & cum diutissimè cum lacrymis orasset, collocans se super scamnum, extensis pedibus, eleuatisque ad cælum manibus, gratias agens Deo tradidit spiritum. Et statim omnes vermes illi qui sanctos artus perforabant, euanuerunt. Aduenientes autem Anstadius Episcopus beatum corpus studiosissimè sepulturæ mandauit. Hæc omnia ab ipsius ore cognoui, quem superius mutum & surdum, ab eo sanatum exposui, qui multa mihi & alia de eius virtutibus narrauit, sed prohibuit me res illa loqui, quia audiui vitam ipsius à multis fuisse conscriptam.

*Prædicit suū obitum.*

*Migrat in cælum. Corpus S. viri sepulturæ mandatū ab Anstadio Episcopo.*

### NOTÆ.

Hospitius.] *De quo Martyr. Rom. cum Bar. 21. Maij. Eius vitam adfert Sur. tom. 3. & Petrus in Cat. lib. 5. c. 27. Paul. Diac. de gestis Longobard. lib. 3. c. 1. Gregor. Tur. Hist. Franc. lib. 6. cap. 6. Vixit, vt dicit Vvionius, circa annum Domini 570.*

Apud vrbem Nicensem.] *Maurolicus & Petrus in Cat. Nuceriam dicunt, qui correctione indigent. Nuceria enim ciuitas est Campaniæ, non longè à Salerno, & monte Vesuuio, cuius populi dicti sunt Nucerini. Nicia verò nostra seu Niceæ, vrbs est Galliæ, quæ vulgari idiomate dicitur* Nisse, *hodieque Sereniss. Sabaudiæ Duci paret.*

Dactylis.] *Dactyli sunt caricæ, id est fructus palmæ, vulgò* dattes. *Dicitur verò dactylus, à dactilon, quod est digitus, quia illi fructus, quasi digitorum similitudinem imitari videntur.*

Tonsurato capite.] *Ab Apostolis consuetudo manauit, vt qui diuino ministerio sese traderent, tonderentur. Et quare Christiani Sacerdotes veri Dei ministerio addicti non abscindant capillos, cum & Pagani idolis sacrificantes eisque seruientes, capillos eisdem offerrent? Clericis igitur & Religiosis, qui ad diuina ministeria applicantur, competit rasura & tonsura in modum coronæ, ratione figuræ: quia corona est signum regni, & perfectionis, cum sit circulus: illi autem qui diuinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Corona enim regale decus significat, & seruire Deo regnare est: vnde ministri Ecclesiæ reges esse debent, vt se & alios regant: quibus B. Petrus ait: Vos estis genus electum, regale, Sacerdotium. Competit enim eis ratione subtractionis capillorū, & ex parte superiori per rasuram: ne mens eorum in temporalibus occupationibus à contemplatione diuinorū retardetur: sed reuelata facie gloriam Dei expeditè & liberè contempletur. Summitas enim capitis est eminentia mentis: denudatio capitis est reuelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Et ex parte inferiori per tonsuram; tondentur enim capilli vsque ad reuelationem sensuum, sc. oculorum & aurium, vt vitia in corde & opere pullulantia doceantur præcidenda, ne ad audiendum & intelligendum verbum Dei, præpediant, pro quo seruato reddetur in excelsis corona. Item figura rotunda nullum angulū habet, & significat quod Clerici non debent habere sordes in vita: quoniam vbi angulus ibi sordes, & debent habere veritatem in doctrina, quoniam veritas angulum non habet. Item hæc figura omnium figurarum est pulcherrima: vnde in hac Deus cælestes spheras creauit: per quod signatur quod Clerici debent habere pulchritudinem interius in mente, & exterius in conuersatione. Tales sanè (vt dicit Clemens Papa) ad ministerium spirituale eligendi sunt Clerici, qui dignè possint Dominica sacramenta tractare.*

Andegauensis.] *Andegauum ciuitas est Galliæ Turonibus, ac Biturigensibus finitima, Oceanoque proxima, vulgò dicitur* Angers.

## VITA SANCTORVM MARTYRVM Gallicani & Hilarini. Ex ea quæ est apud S. Antoninum.

*Habetur in 2. p. Hist. tit. 9. c. 5. §. 5.*

GALLICANVS vir admirandæ sanctitatis, sub Constantino magno Imperatore Romani exercitus dux, plurimum ab eodem dilectus fuit, propter generositatem sui animi, & fortia facta, & insignes victorias ab eo sæpius reportatas. Cum autem gēs Scytharum Datiam & Thraciam occuparet, & Gallicanus dux Gentilis contra gentem prædictam mitti deberet, Cōstantiam Constantini filiam sibi pro mercede laboris in vxorem petiit si reuerteretur victor è prælio: quod etiam Romani Principes & nobiles plurimum fieri postulabant.

*Gallicanus dux exercitus Constant. magn Imp.*

*Scythæ vastant Thraciam.*

Pater autem in magna tristitia positus fuit, sciēs filiam suam à B. Agnete sanatam, in virginitatis proposito positam facilius occidi posse, quàm ad consensum inclinari. Virgo tamen in Domino cōfidens, patri suasit, vt eam sibi spondeat cum victor redibit. Verumtamen duas filias suas Atticam & Arthemiam, quæ non solum erant magna corporis pulchritudine & honestate præditæ, sed etiam in omni scientiarum genere instructæ, quas ex coniuge defuncta susceperat, secum manere permitteret, vt per eas mores & votum patris scire posset: & ipsa duos præpositos suos, germanos eunuchos Ioannem & Paulum sibi concederet, in specie quasi maioris firmitatis, rogans Deum, vt ipsum & filias suas ad veram fidem conuerteret. Quæ omnia cum essent impleta, Gallicanus assumptis Ioanne & Paulo, & copioso exercitu proficiscitur: sed tamen à Scythis eius exercitus frangitur, & in vrbe Thracarum ab hostibus obsidetur. Cumque miraretur tantum infortunium sibi accidisse, & de victoria omnino desperaret, & fugam arripere disponeret: beati Ioannes & Paulus dixerunt ei & consuluerunt, si votum faceret Deo cæli, seque Christianum faceret, quod proculdubio victoriam reportaret. Quod cū feciſſet, statim iuuenis ferens Crucem in humero ei apparuit, & vt sumens gladium se sequeretur admonuit. Quem ille accipiens per media castra iuit, & ad Regem vsque deueniens, nullumque occidens, & solo timore præcedentis vniuersos hostes subiugauit, & Romanis tributarios fecit: duoque milites armati eidem etiam apparentes eum hinc inde confirmabant.

*Promittitur ei Constantia Const. Imp. filia si victor redeat.*

*Admonetur à SS. Ioanne & Paulo vt Christianus fiat, si velit victoriam reportare.*

*Victor rediēs honorificè ab Imp. excipitur.*

Gallicanus itaque victor rediens ab Imperatore, & vniuersa Roma honorificè & gratāter acceptus,

iam factus Christianus, ad Ecclesiam Apostolorum gratias Deo redditurus properauit. Quod cernens Constantinus obstupuit. Et quærenti cur hoc fecisset, cum ante discessum Deorum templa adiisset, totum belli euentum, & quemadmodum diuinitus victoriam reportauerat, cum prius vouisset se Christianũ fieri, narrauit. Omnibus ergo gaudẽtibus, ipse Imperatorem rogauit vt sibi indulgeret, si filiam suam minimè desponsaret, eo quod de cætero Christo continens viuere proposuisset. Quod dum Constantino plurimum placuisset, & duæ filiæ eius per Constantiam fuissent conuersæ, secumque in Monasterio B. Agnetis permanerent, ipse Gallicanus Ducatui cessit, & quinque millia seruorum suorum manumisit, omniaque pauperibus tribuens, in quadam solitudine apud vrbem Ostiensem cum Sancto Hilarino Monacho in paupertate vixit. Ædificauit autem Romæ hospitale vnum, & Ecclesiam in honorem S. Laurentij Martyris qui eidem apparuerat, locumque vbi eam cõstruere deberet, designauerat. Rogatus autem vir sanctus vt esset Episcopus Ostiensis, noluit, sed qui ordinaretur elegit. Tantaque ibi miracula faciebat, quod solo iussu dæmones ab obsessis corporibus effugabat. Huius sacræ opinionis fama in toto orbe terrarũ intantum excreuit, vt ab Oriente & Occidente venientes viderent virum ex Patricio & Consule, lauantem pedes pauperum, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicitè ministrantem, & cætera seruitutis officia exhibentem. Perseuerauit autẽ Gallicanus vsque ad tempora Iuliani Imperatoris, in sanctis huiusmodi pietatis operibus, qui cùm in Imperium sublimatus, Christianos persequeretur, misit ad Ostiam ciuitatem vbi Gallicanus degebat, vt titulos fiscales domibus ab eo in subsidium pauperum fabricatis imponeret. Sed cum omnes exactores illuc accedentes à dæmonio vexarentur: mãdauit Iulianus, vt aut diis immolaret, aut exinde discederet. Tanto enim viro non audebat mortem inferre. Ille igitur Alexandriam perrexit, & per annum in solitudine mansit. Postmodum tentus à Iudice Pauciano, cum sacrificare contemneret, transfixus in corpore gladio, martyrij coronam percepit 7. Calend. Iulij, & Alexandriæ tumulatus iacet in Ecclesia eius nomini fabricata. Beatus autem Hilarinus tandiu fustibus cæsus est, donec spiritum exhalaret pro eiusdem fidei confessione.

*Ducatui cedens omnia sua pauperibus distribuit, & viuit solitarius cũ Hilarino.*

*Potẽter pellit dæmones.*

*Ministrat pauperibus.*

*Mutare sedes cogitur, cum renueret diis immolare.*

### NOTÆ.

Gallicanus.] *De eodem celebris mentio fit in Mart. Rom. 25. Iuny. De quo etiam Vsuard. Eius res gestæ in actis SS. Ioannis & Pauli continentur, quas scriptis mandasse Terentianus traditur. Gessit Consulatum Ouinius Gallican. ann. 25. Const. Imp. qui adscribitur in Fastis Onuphrij annus à Christo Domino 330. De perarduo illo & difficili bello aduersus Sauromatas, quod per Gallicanum confecit Constant. scribit Euseb. in vit. Const. lib. 4. cap. 5. & 7. quo bello fœliciter gesto secundum meruit Consulatum, post quem sæculo renuntians, humillimum vitæ genus ob Christi amorem sectatus est Orbe toto mirante. Habetur de Gallicano mentio in lib. de Rom. Pontif. in Syluestro, cum agitur de munificentia Constantini.*

## VITA S. VVLMARI. EX EA quæ est apud Surium.

*S Vulmari natalis.*

SANCTVS Vulmarus in inferioribus Galliæ partibus, haud longè à maris littore, in pago Bolonienſi, in villa Siluiaco nuncupata, ex Christianis atque inclytis parentibus est editus. Pater eius Vulpertus, mater autem Duda; frater verò Vvalmarus dicebatur. Et quidem præfatus vir sanctus Vulmarus, tempore iuuentutis suæ, coniugem duxit nomine Historaldam, quæ prius erat desponsata alteri viro nomine Vvilmaro. Quapropter cum apud Francorum Principem grauiter Dei famulus accusaretur, tandem eiusdem imperio & iussu, priori sponso quoque Historalda reddita est. At verò sanctus Vulmarus, postquàm reliquit coniugium, petiit Monasterium, quod in pago Hannonienſi ad Sambram fluuium situm est, diciturque Altimontis, vbi tunc Monasticus ordo florebat. Vbi susceptus à Rectore eius cœnobij, demandatum sibi ab illo satis vile & abiectum ministerium, obedientiæ causa libenter in se recepit, vt quod circa pascendos boues & ligna ad fratrum officinas importanda versaretur: idémque munus prompto certè animo exequutus est. Interim quoque instigante eum Spiritu Dei, ad ludum literarium perrexit, ac sibi alphabetum exarari postulauit, nam antea illiteratus erat: atque ita dum de more pergebat ad syluam, tabellam alphabeticam arripiebat, quam manu gestans lectitabat, bobus ipsum cum vehiculo sequentibus.

*Venit ad Monasterium Altimontense.*

Iam sanctum eius studium innotuerat, cùm ecce ab hoc ministerio absolutum, literis operam nauare præcepit, altero in eius locum subrogato. Adscriptus tamen in Clerum, nihil solitæ humilitatis deposuit: sed horis nocturnis, cùm se fratres quieti dedissent, omnium purgabat calceos sua sponte, mundatosque suis restituebat locis. Sed & Dei miles in agone huius vitæ viriliter contendẽs, ac de virtute in virtutem progrediens, omnibus tanquã lucidissima lãpas, radios bonæ operationis administrauit, vnde & succedente tempore, dignus acclamatus est ab Abbate & fratribus munere Sacerdotali: quo ille initiatus, ob vitæ meritum ab omnibus cum magna reuerentia prædicabatur. Sed vir Dei laudes hominum non ferens, timensque per huiusmodi adulationes se aliquando æterno brauio priuandum, in Eremum aufugit, nihil secum ferens, nisi sacerdotalia vestimenta & bipennem. Perrexit igitur ad partes Aquilonares, in pagum qui Mempisco antiquitus dicebatur, vbi erat immanissima sylua: vbi cùm tres delituisset dies, omnis cibi & potus expers, tandem Angelico iussu vir quidam eius loci fidelis annonam ei defert, qui etiam fundum hæreditatis suæ ei offert, vbi Monasterium construat, atque ad seruiendum omnipotenti Deo Monachos congreget.

*Noctu pro officio humilitatis purgat fratrum calceos.*

*Latitans in Eremo diuinitus pascitur.*

Et renuit quidem Sanctus Vulmarus primò, verùm postea eius precibus & sanctæ deuotioni acquiescens, cum eo profectus est, acceptaque hæreditatis eius portione, condidit Monasterium. Quin & vir memoratus ei filium suum commisit, vt eum tam literis quam virtutibus imbueret, simulque reliquam quoque hæreditatis portionem illi adiecit. Adiuncti sunt verò etiam Sancto Vulmaro prænominati viri fratres germani, aliique quamplurimi viri illustres, suas eidem Monasterio tradentes possessiones. Vbi cùm bonum ille certamen certaret, cœpit multis clarere virtutibus & signis: qua de causa etiam multi ad eum confluebant. At ille humanos iterum fauores declinans, ne quam illi elationem animi adferrent, ad pagum Bolonienſem, in quo natus fuerat, se clam subtraxit in syluam, quæ vno tantùm milliari ab eius distabat patria, & iure hæreditario ad ipsum spectabat. Per quam cùm quodam tẽpore ambularet,

*Condit Monasterium.*

*Iterum fugit humanas laudes.*



ambularet, ecce eiusdem sancti viri germanus frater Vualmarus, reperiebat Anachoretam Christi, ignorans quia germanus eius esset, vnde & interrogabat eum, dicens: Quis es tu? Ad quod ille germanum eius se esse professus est. Quo responso hilarior ille effectus; Eamus, inquit, & salutemus matrem nostram, & consolemur eam, quæ longo tempore tuam doluit absentiam. At Sanctus Vulmarus: Non ibo, dixit, tu verò & ipsa, quantùm potestis, aliquam annonæ consolationem mihi impendatis: & ego, quantùm præualeo, in conspectu Dei omnipotentis memor ero vestri.

*En quid Monachi & Eremitæ præstent secularibus.*

Accidit autem aliquando, vt cùm prænominatus Vulmarus suo fratri cibos deferret, & eum solito loco nõ inueniret, cœperit magnos emittere eiulatus, & Vulmarum acclamare. Ille verò fratri occurrens, Ne, inquit, frater mi, tales amplius edas clamores. Vnde suspendens in quadam arbore ligneam tabellam cum malleo, iussit victualia deferentem de cætero tabellam percutere, & hoc signo fratrem euocare. Hæc autem in perpetuam rei memoriam cum prædicto malleo in eius cœnobio conseruatur. Confluebant autem ad sanctum Dei vtriusque sexus complures homines, sub eius sacro instituto militare cupientes, quos ille omnes benignissimè suscepit, ambrosia cælestis disciplinæ eos pascens. Sed & anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo octogesimo octauo, quando basilicam in honorem S. Mariæ Virginis, & B. Petri Apostoli, idem vir extruxerat, venit ad eum Cedualla, Rex Occidentalium Saxonum, iam in Britannia factus Catechumenus, vt ab eo in fide Iesu Christi magis instrueretur, & confirmaretur: qui postea profectus est Romam, atque illic sacrum baptisma suscepit.

*Instituit nouas Religiosorum mansiones, seorsim viris, & seorsim fœminis.*

*Venit ad eum Cedualla Rex.*

Quodam die fur quidam abstulerat equum viri Dei. Qui cùm tota nocte errabundus vagaretur, manè alterius diei ante portam Monasterij inuentus est equo insidens, de quo nec per se descendere valuit, nec ab alio deponi, donec ipse vir Dei eum corripiens, ab equo leuauit, liberumque dimisit. Tunc verò longè latéque diffusa est sanctitatis eius fama, ac permulti ad eum veniebant, eulogias ac permulta munuscula eidem offerentes. Ille verò omnes in Dei seruitio confortans & confirmans, quæ attulerant bona propriis manibus erogabat. Sed & multas etiam miles Christi sathanæ passus est insidias, multas tolerauit malorum persecutiones. Denique multo iam senio grauatus, feliciter obdormiuit in Domino 13. Calend. Augusti, sepultus cum multa reuerentia apud Boloniam, vbi multis coruscat miraculis.

*Post multos labores quieſcit in Domino.*

### NOTÆ.

Vulmarus.] *De eo Martyr. Rom. cum Bar. 20. Iulij. Vitam eius adfert Sur. tom. 3. Agit de eodem Trith. de vir. Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. c. 293. Mol. in Indic. SS. Belgij. Petr. in Cat. lib. 11. cap. vltimo. Meyerus in Annal. Fland. ad annum 668.*

Ad ludum litterarium.] *Omnem scholam antiquitus dicebant Romani: vnde ludus palæstræ, ludus pilæ, ludus musicus, ludus literarius dicitur.*

Bipennem.] *Hoc loco Bipennis sumitur pro securi.*

## Vita S. Golueni Episcopi ex Anachoreta. Ex ea quam collegit ex M.S. Ecclesiæ S. Pauli Leonensis, Renatus Benedictus.

BEATVS Goluenus vir admirandæ sanctitatis fuit, qui ex honestis & Christianis parentibus progenitus, ad Sanctorum imitationem vitam suam conformauit. Hic igitur patrem habuit Glandanum virum pium & egregium, matrem verò Gologuenam. Qui cùm propriam deseruissent patriam, nempe Angliam, transmisso vastissimo mari, ad quendam pagum, nomine Odena applicuerunt: vbi cùm multos dies mansissent, Gologuena quæ prægnans erat sanctum hunc fructũ, nempe beatum Goluenum, effudit in lucem. Postquam autem multi fluxissent dies à natiuitate Golueni, & necdum sacrum baptisma suscepisset ob defectum aquæ, (habitatores enim loci illius magnam aquæ penuriam & incommoditatem patiebantur, neque habebant puteos aut fontes, sed ex remotissimo & longinquo loco aquam ad sustentationem, cùm magno labore afferre cogebantur.) Quod cernens Glandanus Golueni pater, orationem fudit ad Dominum dicens: Domine Deus qui non pateris nos tentari supra id quod possumus, miserere nobis: ecce enim quia ob defectum aquæ, sacrum baptisma suscipere non potest filius meus. Finita oratione, benignissimus & misericors Deus, qui semper voluntatem timentium se facere consueuit, fontem è terra emanare fecit. Quod videntes loci habitatores gratias omnipotenti Deo pro tanto beneficio agere cœperunt, & Glandanum eiusque vxorem, propter hoc miraculum, in magno pretio & honore habuerunt. Vnde & opulentissimus quidam & diues, Godianus nomine, eis omnia ad victum necessaria ministrabat: Goluenum quoque, iam sacro baptismate regeneratum, adoptauit in filium, eumque in moribus, & literis erudiendum curauit. Parentibus defunctis, mirum in modum proficiebat beatus Goluenus, tum in virtutibus, tum etiam in studiis literarum, vnde ab omnibus magno prosequebatur amore, & quasi sanctus habebatur, & honorabatur. Adhuc enim in pueritia constitutus miracula edebat, & sanabat ægrotos sola manuum impositione.

*Parentes S. Golueni, eiusque patria.*

*S. Golueni pater impetrat diuinitus aquã, vt possit baptizari filius eius.*

*S. Goluenus adoptatur in filium à quodam Godiano.*

*Multum in studiis profecit.*

*Adhuc puer edit miracula.*

Verum enimuerò cùm tantis polleret virtutibus, timens ne vanæ gloriæ stimulis titillaretur: ad Eremi secreta credidit euolandum. Mox igitur nemine sciente eius propositum, in horridum quoddam desertum secessit: & cùm ibi construxisset cellulam ex virgultis & arborum foliis, cœpit mirum in modum corpus suum vigiliis & ieiuniis affligere. In hoc autem deserto per multa annorum curricula hominibus incognitus mansit: pane hordeaceo & herbarum radicibus ad vitæ vtebatur sustentationem. Semel in die è cellula progredi consueuerat, & deambulabat circa cellulam, tres faciens stationes, & in vnaquaque orabat pro felici statu Ecclesiæ, pro Regibus & Principibus Christianis, & deuotissimè tres Cruces quas in his tribus stationibus collocauerat, amplectebatur, & osculabatur, & ita postmodum redibat ad cellam.

*Fugit ad Eremum.*

*Exercitia S. viri.*

Tunc temporis cum multi Piratæ, & Nortmanni, & alij Idololatræ, Britanniam suis incursionibus deuastarent & popularentur, quidam potens & magnanimus Comes collecto magno exercitu, voluit eos debellare. Sed antequam eos aggrederetur, venit ad virum Dei, petiitque orationum suarum suffragia. Sanctus autem Anachoreta dixit ei vt securè procederet aduersus inimicos, quia eos debellaturus erat. Comes hoc accepto responso abiit, & cum Dei adiutorio inimicos fugauit. Victor igitur rediens ad virum Dei, inuenit eum prostratum super terram, & manus in modum Crucis habentem, & orantem pro victoria Comitis. Qui cùm eum salutasset, & victoriam de

*Nortmanni Britanniam vastant.*

*Pradicit Comiti victoriam.*

inimicis reportatam ei attribueret, vir grauiter eũ redarguit dicens, non suis victoriâ meritis esse tribuendam, sed bonitati & potentiæ Dei. Quadam die cùm misisset virum nomine Madenum, ad quẽdam rusticum valde diuitem, qui ei eleemosynam dare consueuerat, vt quicquid præ manibus haberet ei mitteret: ille festinus abiens ad rusticum retulit ei verba viri Dei. Rusticus verò quoniam agriculturæ operam dabat, nihil præter aratrum habebat in manibus. Sed cùm nollet nuncium vacuum ad virum Dei remittere, accipiens aquam turbidam, infudit eam in sinum nuncij, quæ statim in optimum aurum conuersa est.

*Aqua turbida in aurum conuertitur.*

Interea accidit Sanctum Paulum Leonensem Episcopum, qui tunc temporis sanctitate florebat, ex hoc mundo migrare: qui paulo antequam moreretur, conuocans suæ ciuitas proceres, dixit eis sibi diuinitus fuisse reuelatum quòd Goluenus Anachoreta ei in Episcopatu succederet: quare eos rogabat vt hunc virum sanctum post eius obitum eligerent. Quod & fecerunt. Paulo enim Episcopo defuncto, eum elegerunt, atque inuitum in Pontificali cathedra collocarunt. Factus Episcopus, cœpit optimè suo fungi officio, & populum sibi creditum sapienter & prudẽter gubernare. Demum cùm multis claruisset miraculis senex & plenus dierum obdormiuit in Domino, anno Domini sexcentesimo.

*Eligitur Episcopus Leonensis.*

NOTÆ.

Goluenus.] *Agunt de eo Robertus Canalis de re Gallica lib. 2. periochę 6. Et Vvion. ad præterm. libri 3. Ligni vitæ. Successit S. Paulo Leonensi Episcopo anno* 600.

## VITA S. ARBOGASTI EPISCOPI ex Anachoreta. Ex ea quæ est apud Surium.

ARBOGASTVS Aquitanus, ex Hybernia ortus, cum esset inuenis venit in Alsatiam, ibique in sacro nemore, eo penè loco vbi nunc Haganoa sita est, oratorium sibi construens, Deo ieiuniis ac precibus diligenter seruiuit, non otiosus ibi degens, nam & prodibat, & incolas de vera Dei cognitione, de vero Dei timore, reprehensis idololatricis cultibus, ac phanaticis opinionibus confutatis, diligentissimè erudiebat. Hanc ipsam doctrinam confirmauit miraculis: nam & immundos spiritus eiiciebat, ægrotos sanabat, mortuos resuscitabat. Perturbatas verò conscientias ita verbo Dei erigebat, vt hilares ab eo discederent, qui tristi perturbatoque animo accesserant.

*Patria S. Arbogasti. Viuit in Eremo.*

*Claret miraculis.*

Hæc verò vitæ sanctimonia, & summa sapientia, cum innotuisset Dagoberto Regi: vocauit ille S. Arbogastum sæpissimè ad se, eius vtens in grauissimis negotiis consilio. Quem cum videret singulari sapientia, & vera pietate, ac omnibus honestis virtutibus conspicuum esse senem, vocauit eum ad erudiendam in Christianismo tumultuantem tunc, & fœdissimis erroribus summè contaminatam Argentinam. Cuius loci Episcopum, ac S. Amandi successorem eum constituit, anno Domini 646. addito mandato, vt Argentinenses hunc audirent doctorem, & eius voci tanquam diuinæ legi obtemperarent. Præfuit autem docendo & concionando annos duodecim. Suscitauit orationibus suis à mortuis Sigebertum Dagoberti Regis filium, ex Mechtilde Saxonum Ducissa, qui in venatione ab apro percussus, postero die obierat. Pro quo pietatis officio dedit Rex Ecclesiæ Argentinensi Rufachium cum tota adiacente ditione. Decessit ex hac vita anno 678. Sepelitur iuxta patibulum in colle quem D. Michaëlis collem vocant, id enim petierat & postularat, imitaturus factum Christi, qui etiam extra Hierosolymam in loco sceleratorum passus fuisset. Postea multis annis labentibus, supra tumulum eius, Monasterium S. Arbogasti, & in eadem vicinia summum templum Argentinense ædificari cœptum est. Fuit secundus Argentinensis Episcopus.

*Accersitur à Dagoberto Rege.*

*Constituitur Episcopus.*

*Suscitat à mortuis Sigebertũ Dagoberti filium.*

*Humilitas S. viri.*

NOTÆ.

Arbogastus.] *De eo Martyr. Rom. cum Baron. 21. Iulij. Meminit eiusdem Arnold. Vvionius in Martyrol. Monastico hac die. Petrus Cratep. de Episcopis Germaniæ.*

Phanaticis opinionibus.] *Phanaticæ opiniones, vanæ & insanæ dicuntur, vnde phanaticus idem est quod stultus & insanus.*

## VITA S. FLORENTII EPISCOPI ex Anachoreta. Ex ea quæ est apud Surium.

CVM Dagobertus Rex ad regni Francorum gubernacula sederet, Sanctus Florentius cum beato Arbogasto, Theodato, & Hidulpho, è Scotia venit in Alsatiam. Vbi cum Sanctus Arbogastus Argentinensi Ecclesiæ datus esset Antistes, beatus Florentius in sylua quam Hassle vocant, manibus suis cœpit terram colere, vt victui necessaria pararet. Sed cum illic domicilium condidisset: ceruæ & aliæ feræ è nemore eò aduenientes, omnem eius deuastabant laborẽ. Nec aderant beato viro instrumenta venatoria quibus eas caperet: sed non deerat tamen magna in Deũ fiducia, qua fretus, in Domini nomine iussit eas omnes venire ad fores cellulæ suæ, & illic gradum figere. Per id tempus Dagobertus Rex manens in palatio suo Kircheimensi, famulos suos misit vt venationi operam darent. Abeunt illi cum canibus, perlustrant montes & sylvas omnes, nec vllam feram conspiciunt.

Tandem ad beati viri domunculam perueniunt. Vbi cùm frequentes præ foribus consistere feras conspiciunt, nihil se de loco mouẽtes, perinde ac si vincula quædam eis iniecta sint, rei indignitate, vt ipsis videbatur, permoti, cum virum Dei non cognoscerent, tunicam eius vi auferunt, & recedunt. Ille quoque sequitur abeuntes: apportat securim siue bipennim, vt eam simul tollant. Sed illis recedentibus, vbi ad paludem quandam ventum est, equi eorum progredi noluerunt. Vrgent illi quidem fortiter, adigunt calcaria: sed nihil efficiunt. Animaduertunt id se pati ob illatam sancto viro iniuriam: redeunt, redduntque pallium. Redditur equis gradiendi facultas: veniunt ad Dagobertum Regem, quid acciderit, enunciant. Ille confestim mittit equum suum optimè stratum: orat virum Dei, vt illo subuectus, ad ipsum se conferat. Vir beatus equum non admittit, sed asello contentus, ad Regis palatium proficiscitur. Vbi cum ad portæ limen accessisset, ecce filia Regis ab ipso ortu luminibus orbata, itemque muta, repentè & videt, & loquitur, appellatque Florentij nomen: cùm tamen id omnibus esset incompertum.

Ascendente



Ascendente quoque illo in Palatium, & ad Regem ingredi volente, res rursum accidit admiratione digna. Cum enim non haberet ministrum, cuius opera vteretur in seruando interim pallio suo, ad solis radium per fenestram sese infundentem, suspendit pallium: inhæsitque illi haud secus atque perticæ cuidam, donec vir sanctus cum Rege collocutus esset. Quæ res tantæ admirationi fuit & regi ipsi, & familiæ eius, vt magnam syluæ eius partem Rex ei largitus sit, vbi cellam cõstrueret; villasque adiacentes, & multa prædia addiderit, quæ vsque in præsens Monasterium Hassle sibi vendicat. Porrò autem ex hac vita migrante beato Arbogasto, Sanctus Florentius ei subrogatus est in cathedra Argentinensi: vbi sanè vitam in populo viuens sanctissimam, gregem sibi creditum, vt bonus pastor accuratè custodiuit. In Ecclesia quoque sua, siue Monasterio Hassle, Religiosos homines, qui Deo illic seruirent, collegit: sicque tandem bonorum operum cursu confecto, cum Christo in æternum regnaturus in pace quieuit.

*Phrasis est D. Hieronymi in vita S. Paulæ.*

*Conuertũtur Gandauenses per S. Amandum.*

Fuit quidem vir sanctus generis nobilitate clarus: sed virtutum ornamentis longè illustrior. Nã in ipso quoque vernantis adolescentiæ flore, quod alias apud maturos perrarum est, carnis proculcauit illecebras, patriam parentesque pro Christi amore deseruit: voluntariamque complexus pauperratem, longinquam in exteras regiones peregrinationem suscepit. Post multos autem exantlatos labores, septimo Idus Nouembris migrauit ad Dominum, conditus in Ecclesia quam viuens gubernarat, quam & præsentia corporis sui condecorauit, donec Ratho Argentinensis Episcopus, diuina reuelatione admonitus, sanctissimi viri corpus in locum illum nemoris, quem primò sibi delegerat, transferendum curauit, ipséque sibi illic sepulturam elegit. Sed & postea multis miraculis Dominus virtutum, fidelem quoque seruum suum Florentium illustrauit.

NOTÆ.

Florentius.] *De eo Martyrol. Rom. cum Baronio 7. Nouembris. Fuit 4. Argentinensis Episcopus, qui sedere cœpit anno Domini 663. præfuitque annis 12. Obiit autẽ anno 675. Meminit eiusdem Crat. de Episcopis Germaniæ. Arnold. Vvionius in Mart. Monastico hac die, & alij recentiores.*

## VITA S. BAVONIS EREMITÆ. Ex ea quæ est apud Surium.

GLORIOSVS Christi athleta Alouuinus cognomento Bauo, Francorum Principum genus, & Austrasiorum Ducum hæres, in Gallia Belgica, pago Hasbanensi, loco haud obscuro natus, & alitus est, Pelagio qui beatum Gregorium præcessit, vniuersalem Pontificatum administrante. Pater eius Agilulphus, mater Adelthrudis dicta est, Religionis casti amatores. Atque tali stirpe generatus, cum adoleuisset, vxorem ducit, filiam videlicet Adilionis, per id tempus famosi Comitis. Sed & decursu temporis filia eis nascitur Aglethrudis, & ipsa à Deo prælecta, & tamen beatus Bauo semper de Deo studebat aliquid aut audire, aut interrogare, tum de virtute in virtutem ascensiones in corde disponere: inde etiam balteum militarem rarius cingere, postremo ieiunia cum fructu eleemosynarum frequentare. Atque interea coniux eius, quæ & ipsa viriliter in man-

*S. Bauonis clarinatales.*

*Agilulphus duxit vxorẽ.*

*Paulatim tẽtat viã virtutis.*

datis Domini militabat, decurso vitæ præsentis stadio, de habitatione tenebrosi Cedar, ad brauium supernæ remunerationis ascisci tur: cuius tunus viduus maritus ita est prosecutus, vt propè ipse moreretur: simulque ita se conuertit mox ad Dominum vt eius mortem optasse videretur. Porrò ea tempestate beatus Amandus, vir Apostolicus, quo amplius gentilium audiuit debacchari furorem, Gandam quoque accesserat, cum tandem baptizato populo ara Mercurij ibi destruitur, fana diruuntur, Ecclesia erigitur.

Itaque & hac fama longè latéque diffusa, Alouuinus Gandam aduenit, Amandum inuenit, prioris vitæ culpam fatetur, de culpa pœnitentiam pollicetur: denique facta solemniter donatione, omnes possessiones suas ad loca Sanctorum tradit. Gauisus verò S. Amandus, multa prius machinamenta diaboli prudenter prætendit, grauem esse ascensum quem vellet arripere, atque inceptum quidem facile, finem verò prædicabat esse difficilem. Sed tamen vbi videt eum nihil cunctari, inducit in Dominici scholam seruitij, in Ecclesia Gãdensi: vbi & ante aram B. Petri Apostoli, militiam Christi professum, & barba & capillo tonsum, assumit in Clericatum. Ac denique statim vt ingressus est sanctitatis viam, firmis gressibus cœpit ire in magistri sententiam. Etenim quocumque diuini fator germinis ibat Amandus, illuc studens subsequi, & indiuisibiliter adhærens magistri lateri, ardebat sanctæ prædicationis adipe repleri. Sed & quoties lassos artus, & contracta ieiuniis membra modico sopore reficeret, nullo recubans in cespite, Christum existimabat secum iacere, castigans delicati corporis carnem: simulque ex consensu quoque sui Amandi, loca Sanctorum, & vicinos cœnobitas accingitur circuire, si fortè contingeret aliquid intentatum inuestigare, ad quod se animare deberet.

*Tondetur S. Bauo ab eodẽ S. Amando.*

*Cubat in nuda humo.*

*Aliquandiu latet in annosa fago, in saltu Beila.*

Quin etiam, capta temporis & loci opportunitate, saltum quem Beilam nuncupant, ingressus est. Vbi repente in remotiori deuexæ vallis latere, annosa fagus oculis eius offertur, in modum fornicis camerata, & quæ hominem erectum posset in aluo sustinere, quod quasi habitaculum sibi ab Angelis reputans præparatum, lætus ingreditur. Sed per aliquot dies occultus, latere non potuit. Itaque cum à populo frequentaretur, infœlicem se esse iudicans, nocturno silentio iterũ loco cedit. Est autem vsque hodie eandem miræ magnitudinis fagum videre: quæ in æternam huius sancti memoriam adhuc continet in se antiquum altare: vbi & presbyter parochiæ frequenter Ecclesiam euocat, & communicat. Nec desistit arbor, contra morem, tam annosa adhuc florere & germinare. Itaque inde digressus, aliam requirit Eremum athleta Dei Medmedung nomine, à sua Ganda distantem duorum milliariorum itinere. Ingreditur cum sarcula, humum sarrit, cellulam permodicam erigit, & in ea se quasi sepelit. Cibos saltus ministrabat: amnis potum. Vestimenta ipse detulerat secum, sagum & cilicium, quæ non frigus arcerent: sed nuditatem prohiberent.

*Digreditur ad Eremum aliam.*

*Nota insignẽ contemptum terrenorum.*

Quo in loco, cum aliquandiu ignotus mansisset, iterúmque fama vulgante, vlterius latere posse desperaret, comperto quod B. Amandus Monachos in Gandensi Ecclesia substituisset, ad locum professionis suæ redire statuit. Vbi reuersus mox quasi Angelus Dei recipitur: dehinc verò reditus sui causam exponens, familiarem sibi fieri cellulam ad commanendum humiliter postulat. Mira

*Redit Gandauum.*

res. In ædificanda cellula, Artinus quidam fabulum & lapides plaustro aduehens, vehiculo proturbatus, mole desuper ponderis, & iumentorum incursu relinquitur mortuus, & idem tamen ille rursum post trium horarum spatium, orante pro ipso athleta Dei Bauone, surgit & ambulat. Mirum sanè spectaculum, & ad roborandos nascentis Ecclesiæ filios, pro resurrectione generali valdè congruum. Itaque recipitur in illam suam nobilẽ cellulam, iubens deinde admoueri neruum, quem vulgò appellant cippum, & in eo venerabiles illos pedes arctari: vbi quatuor ferè menses in hoc retrusus carcerali agone, cum quotidie penè moreretur, pœnam pro deliciis habebat, fessa licet lingula, nunquam laudem Dei tacens.

*Excitat quẽdam à morte.*

*Excogitat miriũ sui tormentum.*

Nimirum sanctissimi corpusculi lutum, igne desuper Spiritus sancti, in testam induruerat, atque adeò accersito dehinc sancto Pontifice Amando, & venerabili Abbate Floreberto, non modo pedum, sed & totius macerati corpusculi integram reclusionem obsecrat, & vix aliquando impetrat. Arctã specum medio domus æquore, ad capacitatem erecti hominis effoderat, quæ introgressum non nisi stantem sustineret, & quasi crucifixi corporis suspensum vultum in neutram partem deflecti permitteret, atque eam orationis crucem sibi præparauerat: in ea inter horas canonicas suspendi magis quàm stare elegerat, atque adeò quicquid dixero, certè minus est. Nam etsi omnia membra linguæ essent, nihil vtique dignum de hoc Dei athleta pronunciarent. Cuius cibus panis infermentatus, medietatem cinis: potus, aqua, non nisi ad mensuram sumpta, vigiliæ semper vsque ad defectionem, somnus vix pertingebat vsque ad refectionem, vt magis eum aliquid meditari quàm dormire putares. Lectisternia nuda humus, & cinis insperſus, defesso capiti, lapis: orarium, tegumentum erat illud sanctissimum cilicium: continentia talis, quæ penè mensuram excederet: patientia quæ nunquam cederet.

*Aliud longè maius priore.*

*Cibus eius panis infermẽtatus, medietatẽ cinis.*

*Cernical eius lapis.*

Confluebat ad eum tota penè vicinia, nobilis, & ignobilis, mixtum genus, integros dies & noctes excubabant pro foribus. Qui cum supremi operis iam teneret fastigium, & quod perfectis viris posset sufficere, in diuinæ scalæ ascendisset gradum, quasi nihil cœpisset, aliud exquirit tormentum. Lapidem iubet deferri: quem manibus libratum cùm non sufficeret ei quod volebat ponderi, alterum pro eo, duorum qui esset hominum onus, præcepit importari. Huncque scilicet inter frequẽtes genuflexiones, & perpetuas preces brachiis tenebat, & eo non modo se lassabat, sed penè mortificabat. Nec poterat tamen in lapidis onere sancta manus deficere, quam sustinebat lapis angularis, qui facit vtraque vnum. Tum verò si quis obiiceret, cur seipsum adeò excruciaret, non bonam esse virtutem, quæ modum excederet, prudenter respondebat: Non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Vnde & audenter dico: qui se ita quotidiano afficiebat martyrio, si Deciana, aut Diocletiani habuisset tempora, sponte omnia præueniisset tormenta.

*Rom. 8.*

*S. Basilius nihil inferior martyribus.*

Festinabat interim tempus, quo palmite Dominicæ purationis purgato, flos qui apparuerat componendum sertum colligeretur, cùm ecce gloriosus Dei athleta in lectũ ægritudinis incidit: quã tamen longè ante præuidit. Familiarem habebat Dominum Turholtensis Ecclesiæ presbyterum. Vocatur famulus, & ad requirendum eum festinare iussus incipit velle ire quò nesciebat. Sed adest derepentè Angelus Domini: ipse comitatur, ipse Turholt vsque deducit, & expositio negotio, presbyterum assumit, & recomitatur. Hunc vir scilicet Domini inter loquendum secretum habuit: huic curam funeris sui vt haberet iniunxit: huius postremum officio communicauit: ac sic paulò post spiritum de huius fæcis luto felicissimè efflauit. Aderat tunc impræsentiarum & S. Episcopus Amandus, & venerabilis Abbas Floribertus: qui & ipsi cellulam ingressi, cernunt mirabilia Dei in martyrio militis sui. Si quidem quid viuens spiritus eius egerat, corpus mortuum loquebatur: in quo tota caro ita depasta videbatur, vt pelli adhærerent ossa. Apparuit autem insuper fœlix eius anima, in ipsa exitus sui hora, longè manenti sanctæ virgini Gertrudi. Porrò facta est eius glorioſa assumptio Calendarum Octobrium die, anno à conuersione sua quadraginta dies minùs de tertio, Dominicæ Incarnationis sexcentesimo trigesimo primo.

*Predicit suũ obitum.*

### NOTÆ.

Bauo.] *De eo Martyr. Rom. cum Baron. 1. Octob' Scribit de eo Sigebert. in Chronic. Vincent. in Speculo lib. 23. c. 6. 7. Petrus in Cat. lib. 9. c. 10. Trith. de vir. Illust. Ord. S. Ben. lib. 13. c. 63.*

Gallia Belgica.] *Triplex dicitur esse Gallia, tonsa scil. siue togata, comata, & braccata. Gallia togata dicitur Cisalpina. Comata cognominatur, omnis Transalpina Gallia, quam in tria populorum genera historici diuiserunt, Belgicam, Celticam, & Aquitanicam. Nam à Scalde ad Sequanã Belgica: ab eo ad Garumnam Celtica, eademque Lugdunensis: inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania. Braccata autem dicta est à genere vestium.*

Balteum.] *Est militare cingulum, sic dictum quasi pendens; quia ex eo signa dependent ad monstrandum legionis militaris summam, id est, sex millium sexcentorum.*

Nullo recubans cespite.] *Cespes est terra cum herbis auulsa, vel frutex, vel virgultum, vel vulgò dicitur* vn siege, ou liet faict de mottes de terre herbue.

Annosa fagus.] *Est arbor glandifera, sic dicta quod eius fructus olim homines comederunt.*

Sagum.] *Est operimentum seu vestis cilicina facta de pilis caprarum.*

Cippus.] *Est instrumentum quo reorum pedes restringuntur, quasi capiens pedes.*

## VITA B. MONTANI INCLVSI.
### Ex Flodoardo Presbytero.

*Habetur lib. 1. c. 10. Hist. Rhem.*

EVIT in ciuitate Rhemensi quidam Monachus inclusus, Montanus nomine, qui à multis annis in reclusione vitam solitariam & ab hominum consortio segregatam ducebat. Cum autem Vvandalorum persecutio in Galliis omnia deuastaret, vir beatus Montanus indesinenter pro pace sanctæ Ecclesiæ Dominum exorabat. Quadam verò nocte cum plus solito orationem protelaret, carnis compellente infirmitate obdormiscens, Angelicis subito per diuinam gratiam choris, sanctarumque sibi videtur animarum cœtibus interesse; celeberrimum quoque haurire colloquium, eosque de Gallicanæ deiectione vel restitutione Ecclesiæ conferentes, & quia iam tempus esset miserendi eius, percensentes audire.

*S. Montanus Inclusus indesinẽter orat pro pace Ecclesiæ.*

Interea



Interea vocem à superioribus atque secretioribus suauissimè intonantem excipit, quod Dominus de excelso sancto suo prospexerit, de cælo in terram aspexerit, vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorũ, vt annuncietur nomen eius in gentibus, in cõueniendo populos in vnum & Reges, vt seruiant ei. Et quod Cilinia concipiens filium pareret nomine Remigiũ, cui saluandus foret populus committendus. Vir igitur iste venerabilis, tanto percepto solamine, post tertiam diuinæ super his perceptionis admonitionem, vilionis ætheræ nunciat oraculum Cilinæ. Hæc autem beata genitrix, in flore dudum iuuentutis, ex vnico viro suo Æmilio pepererat Principium, Suessorum ciuitatis postea sanctum Episcopum, & patrem beati Lupi eiusdem Principij successoris. Mirari beata Cilinia, vtpote iam prouecta, quonam pacto sit anus paritura, vel sobolem lactatura. Et quia tam vir eius quàm ipsa diebus iam multis processerant effœti, & carne infœcundi, nec spes eis vlterius procreandi, nec appetitus inerat pignoris. Beatus verò Montanus, vt meritis accresceret patientiæ, corporaliũ frustratus oculorum ad tempus extiterat lumine. Qui dictis vt fidem faceret, oculos sibi lacte ipsius asserit perungendos, moxque lumen amissum pueri sibi fotu recipiendum.

*Videt visionẽ de S. Remigio nascituro.*

Gauisis ergo de tanta consolatione parentibus, concipitur futurus Christi Pontifex: cuius gratia adminiculante feliciter editus, nomen sacro sumit è fonte Remigius. In cuius lactatione promissum pridem vati gaudium veraciter adimpletur, dum eius oculis beatæ matris illius lacte tactis, lumen olim perditum reparatur. Qui beatus Montanus spiritu prophetico clarus atque miraculis, postquam multos in exigua cellula inclusus peregisset annos, tandem senex & plenus dierum percepturus immarcessibilem gloriæ coronam, migrauit ad Dominum. Cuius corpus postea translatum fuit Lauduno Clauat. die 17. Maij, & hac die festiuitas eius celebratur.

*Confirmatur prædicta visio insigni miraculo.*

*Migrat.*

### NOTÆ.

Montanus.] *Eius gesta Hincmarus in initio vitæ S. Remigij descripsit apud Surium tom. 1. Meminit eiusdẽ Molanus in addit. ad Vsuardum. Arnoldus Vvionius in Mart. Monastico, sacri eius corporis translationem 17. Maij reponit.*

Cilinia.] *Hæc beata fuit Mater S. Remigij, cuius festiuitas in Mart. Rom. reponitur 21. Octob.*

## VITA ET INVENTIO SANTORVM Theodulphi & Theodorici Eremitarum.
### Ex Thoma Cantipratensi.

*Habetur lib. 2. de proprietatibus Apum. cap. 53.*

IN vrbe Germaniæ Treuerensi, totius Europæ antiquissima ciuitate, structura quædam mirabilis erat, quæ Helenæ Constantini matris palatium dicebatur. Hoc ne ab inimicis præoccuparetur in periculum ciuitatis, à ciuibus est destructum. In cuius latere à parte Aquilonari, oratorium paruum inuentum est, in quo altare ex alabastro candidissimo erat, & in latere dextro sepulchrum. Scriptura verò super sepulchrũ in pariete legebatur: Sancte Theodulphe, nostri petimus miserere.

*Vrbs Treuerensis totius Europæ antiquissima ciuitas.*

Ad sepulchrum igitur ciuibus pariter adunatis, vocati sunt fratres Prædicatores. Et ego casualiter superueni. Depositio ergo lapide, corpus inuenimus incorruptum, & apto schemate, ad cooperiendum naturæ secreta, manus super verenda demissas. De permissione verò ciuium manum ei dexteram, quam in sacrificio corporis Christi viuens extenderat, mox abscidi, & fratribus Prædicatoribus dedi. Huius reliquias capillorum & vnguiũ, in antiquissimo Monasterio iam dictæ ciuitatis, quod Horreum dicitur, cum superscriptione veteri, & aliis reliquiis sanctorum inueni. De hoc beato viro, & eius fratre beato Theodorico, qui in alia parte structuræ supradictæ incineratus est, fama antiquissima ferebatur. Fuerunt ambo filij sororis cuiusdam Imperatoris Romanorum, cuius iussu, & auunculi, filiam Regis Britanniæ desponsauerat adhuc puer. Cumque adolescens factus speciosæ vitæ, sponsam nollet accipere, sed virgo in perpetuum remanere: Imperator indignatione permotus, illum de domo & patria expulit. Qui Treuerim veniens, & habitum Monachalem suscipiens, in arctissimo specu, in loco quem diximus, se recluſit. Erat autem & lectus eius lapideus, cum ceruicali lapideo, iuxta oratorium quod prædixi. Secutus verò creditur frater eius, & vitam beatam in hoc loco duxisse. Decreto autem & consilio populi ciuitatis sacrum corpus in Ecclesiam fratrum Prædicatorum translatum est, & retro altare digna veneratione locatum. Reuoluj autem postea chronicam temporum, & de his duobus fratribus scriptum legi, quod sub Clodoueo Rege Francorum, hi viri sancti floruerunt. Credo autem, dignè beatum Theodulphum, pro signo & incorruptione virginitatis, in carne incorruptionis gloriam etiam in corpore susceptisse. Vnde in libro Sap. dicitur: Incorruptio facit proximum esse Deo.

*Expellitur S. Theodulphus à proprio patre.*

*Habitat in specu.*

*Lectus S. viri.*

*Transfertur sacrũ corpus in Ecclesiam fratrũ Prædicatorum.*

*Corpus S. Theodulphi inuenitur.*

### NOTÆ.

In vrbe Germaniæ Treuerensi.] *Hæc ciuitas est trans Rhenum sita in Gallia Belgica, fuitque constructa à Trebeta filio Nini, qui eundem genuerat ex alia quàm Semirami, vxore. Fuisse traditur hæc ciuitas totius Europæ prima. Huius Archiepiscopus vnus est ex præcipuis Electoribus Imperij. Constructa fuisse dicitur circiter anno à creatione mundi bis mil. septingentesimo septuagesimo tertio: à diluuio verò quingentesimo tricesimo primo.*

Totius Europæ.] *Europa est tertia pars mundi, ab Europa Agenoris Phœnicum Regis filia sic appellata. Dicitur autem Europa quicquid terrarum iacet à freto ad Tanaim. Et habet quatuor sinus magnos. Quorum primus est à Gaditano freto ad Lacinium vsque promontorium Italiæ in Locris. Secundus à Lacinio ab ipsa Epyri Acroceraunia. Tertius inde ad Hellespontum. Quartus ab Hellesponto ad Mæotis ostia.*

Altare ex alabastro.] *Est alabastrum genus marmoris candidissimi & lucidi, ex quo non solum vasa vnguentaria fiebant, sed etiam mortuorum sepulchra. Nascitur verò circa Thebas Ægyptias & Damascum Syriæ.*

Sancte Theodulphe.] *De Theodulpho eiusque fratre Theodorico agunt R. doctissimusque Pater Thomas Cantiprat. Ord. Dominic. & Episcopus Suffrag. lib. 2. miraculorum, & author Speculi exemplorum dist. 5. cap. 116. & alij, necnon Bonaspes. Plura de eodem Trith. de viris Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 260. Theodolphus Abbas in monte Hor, vir sanctæ conuersationis, & innocentis vitæ, multis virtutibus clarus effulsit. Huius corpus non ante multos annos repertum integrum & incorruptum, cum magno honore Treueris apud Prædicatores reconditum est in summo altari. Hæc inuentio celebratur pridie Calend. Martij. Hactenus Trithem.*

Horreum dicitur.] *Hoc Monasterium Dagobertus Rex Franc. in vrbe Treuerorum construxit, in palatio suo antiquissimo,*

*antiquissimo, quod Horreum vocabatur, & in eo filia eius S. Irmina Abbatissa fuit. In Comp. libri primi Annal. Trithemij.*

Breuiarium Eccles. Ambian.

## VITA SANCTORVM EREMITARVM Domicij Confessoris, & Vlfiæ Virginis. Ex ea quam ex MS. codicibus collegit Renatus Benedictus.

ROSTQVAM in Oriente & Occidente persecutiones finem accepissent, & Ecclesia tranquilla pace gaudere cœpisset, multi Christiani derelictis huius mundi pompis & voluptatibus perfectionis acquirendæ gratia, in desertis longè ab hominum frequentia remotis, habitationem sibi deligebant. Inter cæteros autem S. Domicius vnus de præcipuis numeratur. Qui ex Ambianensi ciuitate ortus, cum propter eximias virtutes presbyter & canonicus eiusdem Ecclesiæ factus esset: aliquot annis sancte in hoc Canonicatus officio se gessit: ita vt omnibus tanquam speculum omnium virtutum appareret. Verum amore vitæ solitariæ captus, secessit ad quoddam desertum procul à ciuitate, ibique Anachoreticam viram cœpit exercere. Singulis noctibus licet longè à ciuitate positus, ad officium quod matutinas vocant, sicut ante consueuerat, pergebat, & facto manè in sarcinula consuetam victus deferens portionem, ad Eremitorium reuertebatur.

Patria S. Domicij.

Secedit in desertum.

Erat tunc temporis quædam virgo Vlfia nomine, pulchra facie, sed de fide, virtutibusque pulchrior. Quam cum inuitam parentes matrimonio alligare statuissent: illa virginitatem quam sponso suo Christo dedicarat conseruare cupiens, clam relictis parentibus ad deserta aufugit: sibique habitationem iuxta fontem eligens, solitariam vitam ducebat, vtebaturque ad corporis sustentationem herbis & radicibus. Cum aliquot annis in hoc deserto hominibus mansisset incognita: tandem Deo volente à beato Domicio inuenta, eidem quá ob causam in hoc deserto confugisset enarrauit. B. Domicius gratias agens Deo, eam deinceps in filiam spiritualem assumens, qualiter dæmonibus resistendum esset edocebat, & singulis noctibus cum ad matutinas pergeret, exercitabat: (non enim multum aberat cella eius à loco vbi Vlfia manebat.) Quæ surgens, à longè virum Dei sequebatur, & matutinis precibus persolutis cum viro Dei ad cellam redibat.

S. Vlfia vt virginitatem seruet fugit ad deserta.

Reperitur à S. Domicio.

Quadam nocte cum propter ranarum coaxationem B. Vlfia somnum capere non potuisset, & inde Domicium, secundum consuetudinem excitantem non audisset: facto manè, vir Dei ad cellam rediens, ad Vlfiam diuertit, somnolentiæ causam scisciturus. Quæ ranarum clamores incussans, (locus enim erat palustris & aquosus) vir Dei præcepit eis ne deinceps clamorem ederent, & virginem ab exercitiis suis perturbarent. Mirum dictu, bestiolæ illæ clamorem edere amplius non potuerunt. Interea verò B. Domicius iam senex & decrepitus, ad suorum præmia meritorum festinabat. Cum igitur in lectum decidisset, & per aliquot dies mansisset ægrotus, B. Vlfia videns quod eam non amplius excitaret: ad cellam eius perrexit. Quem cum valde ægrotantem reperisset, concito gradu Sacerdotem accersiuit: qui eidem sacrosancta Ecclesiæ sacramenta tradidit, & sic postquam filiam suam spiritualem Vlfiam diu ad perA seuerantiam fuisset adhortatus glorioſum Deo tradidit spiritum. In cuius transitu cella suauissimo odore repleta est. Obiit autem vir Dei 23. Octob. sepultusque est in sacello suo. Beata etiam Vlfia in sanctis operibus perseuerans, etiam sancto fine quieuit.

Moritur.

### NOTÆ.

Domicius.] *De eo Martyrologium Romanum cum Baronio in Notis 23. Octobris. Meminit eiusdem Molanus in additione ad Vsuardum. De beata verò Vlfia agit in mense Ianuario. De eis autem plura Petr. Morillerius in antiquitatibus ciuitatis Ambianensis.*

Ambianensis.] *Est ciuitas Galliæ celebris in Picardia, ab ambiendis aquis dicta, quæ vulgò vocatur* B Amiens.

Consuetam deferens portionem.] *Erat olim hic mos antiquus, vt presbyteris & canonicis diuino assistentibus officio, daretur panis singulis diebus ad victum, quam consuetudinem viguisse in Lugdunensi Ecclesia, hodie multi vidisse testati sunt.*

## VITA S. DISIBODI EPISCOPI, & Eremitæ. Ex ea quam scripsit Sancta Hildegardis Abbatissa.

Apud Surium.

LECTVS Dei Disibodus ab ipsa infantia sua, instar beatorum Nicolai, Benedicti, & consimilium, sancti Spiritus gratia perfusus, ad bona omnia quæ vel audisset, vel vidisset, magno cordis desiderio aspirabat. Parentes illius ingenui erant & nobiles, præclaris in Hibernia orti natalibus; sed nec ipsi tamen seculi pompam & gloriam inaniter sectabantur. Filiúmque Disibodum literis imbuendum religiosis viris commendarunt. Agente autem gratia Dei, puer docilis, quæ à præceptoribus tradebantur percipiebat. Ita verò in dies proficiens, & tum ætate, tum sanctitate crescens, à studio literarum, ad studium bonorum operum progrediebatur. Denique per gradus virtutum & ætatis incrementa singulis initiatus sacris ordinibus, cum tricesimum ageret annum, presbyter ordinatus est. Interea verò, dum ille sic virtutibus addictus, Deo laudabiliter famularetur, quidam eius regionis Episcopus ab hac luce ad illam futuræ spei vitam commigrauit: cumque populus noui Episcopi eligendi causa ex more conuenisset, quidam ex illis, qui honestos mores & vitam integerrimam Sancti Desibodi non ignorarent, eum sibi antistitem magna animorum consensione elegerunt. Cum autem cogeretur Episcopi onus suscipere, ille pro singulari modestia indignum se clamabat, & qua potuit vi manus ac pedes trahebat: at illis tamen impellentibus & præualentibus, diuina dispositione etiam inuitus in Episcopi sede collocatus est.

C

Patria & parentes S. Disibodi.

Multa patitur pro fidei defensione.

Ea tempestate, qua vir sanctus populo suo verbis & exemplis præfuit, ingens schisma & magna ludibria in tota illa regione extitere: aliis vetus & nouum testamentum oppugnantibus, Christúque abnegantibus, aliis hæreses complectentibus, pleriſque ad Iudaismum se conferentibus, nonnullis in Ethnicismum prolabentibus. His verò tam fœdis erroribus beatus Disibodus se virili & infracto animo opponens, multa opprobria multasque iniurias patienter tulit: ipsam quoque vitam profundere magis optans, quàm tam absurdis & nefariis rebus suffragari. Cum autem annos aliquot duraſſet in tot malis æquo animo, licet non sine periculo



periculo corporis, errorum tandem architecti, vt viderunt virum sanctum ipsis nolle assentire, sed vbique eos sine vlla formidine reprehendere, non paucas ei tetendere insidias: & tandem incredulorum coacto agmine è sede sua multis affectum contumeliis exturbarunt. Et ille quidem Deo malens in quiete seruire, paucis sibi adiunctis viris Religiosis, sedem illam quam annis decem strenuè & piè gubernarat, patriam quoque ipsam & res omnes Christi amore reliquit: atque ita peregrinationem diu optatam suscepit in Alemanniam, gentique illius regionis verba salutis & sanctitatis proposuit. Interim dum apud illos moram facit, apud se deliberans, quonam conferre se debeat, gratissima beati Benedicti & Religionis Monasticæ ab eo institutæ fama, ad eum perlata est. Nam non ita pridem è vita excesserat beatus Benedictus. Intellexit igitur diuinitus edoctus vir Dei, desiderium suum necdum completum. Atque ea causa ad Rhenum intendit iter, atque inde deflectens, & per auia quæque ingrediens, ad fluuium quem Glanu vocant peruenit: quo transmisso, montem excelsum & syluigerum conspicatus, in eum post decem peregrinationis suæ annos ascendit: ibique residens, & quietem captans remansit.

Ab hæreticis à sua sede deturbatur.

Peregrinatur in Alemanniam.

Ordo S. Bened. viget.

B

Cumque deinde montem illum circumquaque perlustrasset, & cuncta eius latera accuratè inspexisset, amœnitas illius magis ac magis eum incitauit, vt illic cuperet sedem figere. Nam & ascensus arduus difficilem præbet aduentantibus accessum, & riuuli ex vtraque parte eius manantes, corporibus magnam adferunt refocillationem. Duxit autem ibi asperam & solitariam vitam. Socij verò eius, ne sibi inuicem gaudio essent, singulatim sibi construxere habitacula procul ab illo. Sustentabantur autem aliquandiu radicibus herbarum, cum alias escas non haberent. Porro mons illè in circuitu cum syluis ipsi adiacentibus, locis quoque tum peruiis, tum inaccessis, non vnius duntaxat alicuius erat, sed eius prouinciæ complures homines pluſquam vnius milliaris spatia sibi vendicabant. Inde accidit vt vel venationis, vel piscationis in propinquis fluminibus, vel lignorum cædendorum ergo in eam syluã plerique ingrederentur, & beatum Disibodum aut radices effodientẽ, aut alia necessaria circumquaque colligentem crebrò cernerent. Inde verò cœpit post aliqua temporis spatia in populi notitiam venire: multique ad eum accedebant, & de rebus vtilibus cum illo sermones conferebant. Permulti etiam ad eum adducti infirmi & debiles, per eius merita diuinitus repentè curati sunt. Fama verò sanctitatis eius per totam regionem volitante, quidam Religiosi homines ad eum venere, paruumque oratorium in montis descensu versus Orientem ei ædificarunt. Inde adeò factum est, vt principes & nobiles, opulentique homines, cum reliquo eius regionis populo, montem illum cum omnibus finibus eius vltra decurrentes fluuios Nahan & Glan in longum & latum ei & posteris eius donarent, vt piis hominibus illis congregatis vitæ degendæ necessaria affatim supperetent.

Solitariã vitam ducit, viuitque austerissimè.

Sanat morbidos.

C

Non multò post beatus Disibodus, cum audisset S. Benedicti institutum pullulare, desiderio augendi & promouendi hanc regulam, multos eiusmodi instituti & conuersationis viros Religiosos ad se adduxit, quibus etiam oratorium & congrua domicilia in montis supercilio construenda curauit. Porrò ipse solitarius permansit in domicilio & oratorio illo, quod in montis descensu ad Orientem extructum erat. Ea verò fratrum congregatio, tam pietate erga Deum, quam habitatorum numero crescebat: cunctaque agenda & habenda, imperio sancti Disibodi subiacebant: communisque ab illis vita secundum beati Benedicti institutionem exercebatur. Et merita quidem, sanctitatemque beati Disibodi signa & miracula declararunt. Nam hominis impeditam linguam soluit, hydropicum sanauit, leprosum mundauit: pluraque alia miracula fecit.

Magnopere cõtendit augere Ordinem S. Benedicti.

Miracula.

Duxit autem vir sanctus inter suos vitam Eremiticam, quæ est radix vitæ Monasticæ. Habitum autem Monasticum quo eius congregationis fratres vtuntur, ipse non induit. Permiserat enim illis viuere ad præscriptum Regulæ Sancti Benedicti; cum ipse seuerius & magis arduum vitæ genus sequeretur. Porrò diuina mysteria in altaris ministerio ab eo tempore, quo è sua sede electus est, vsque ad vitæ finem, non vt Antistes, sed vt pauper presbyter celebrauit, nihil prorsus ex ea re mœroris accipiens.

Eremitica vita, radix vitæ Monasticæ.

D

Tandem cum suum obitum appropinquare cognouisset, prædixit illud paucis Monachis, & quod Angelica reuelatione illud didicisset. Deinde prædixit fratribus quæ passuri essent post obitum suũ. Iamque triginta annis in eo monte Deo fideliter seruierat, cum morbo correptus, conuocatis fratribus, patrem eis nominauit. Ante enim illum diem patrem sibi designari noluerant alium, præter ipsum, cui vni in omnibus tanquã patri obedierant. Locum quoque sepulturæ illis ostendit, cũ lacrymis & gemitibus eos orans, ne in sublimi aliquo loco, se in humili oratorij ipsius vmbraculo, in quo Deo solitarius seruierat, ipsum humarent. Polliciti sunt fratres se id curaturos.

Prædicit suũ obitum.

Denique ingraueſcente dolore, iterum conuocatis fratribus, finem suum iam imminere, vt potuit, significauit: atque ita post multos exantlatos labores, anno ætatis suæ 81. 8. Idus Iulij, à corpore migrauit. Tunc verò suauissimus omnium nares perfudit odor ceu balsami, myrrhæ & thuris, cunctorumque aromatum, & multa sunt illic diuinitus edita miracula. Tumulatus verò est in exiguo sui oratorij vmbraculo. Is autem quem diximus miræ suauitatis odor ad 30. vsque diem apud eius sepulchrum perdurauit: atque septem dæmoniaci liberati, triginta claudi, multi cæci & surdi, præstante Domino curati sunt.

Migrat in cælum.

Odor ad eius sepulchrum suauissimus.

### NOTÆ.

Disibodus.] *De eodẽ Molanus in addit. ad Vsuard. 8. Iulij. Fusius eius vitam adfert Sur. tom. 4. ex ea quam S. Hildegardis Abbatissa, iussu Helengeri Abbatis descripsit. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico hac die.*

## VITA S. MONONIS EREMITÆ, & Martyris. Ex ea quæ est apud Surium.

E

VIXIT Sanctus Monon de occiduis mundi partibus oriundus, videlicet ex Scotia, quæ multos Sanctorum velut stellas lucifluas ad diuersa mundi transmisit partes. Huic ergo beato Mononi post vigilias nocturnales, quibus Deo velut miles inuictus seruiebat, cum se sopori dedisset, nuncius cælestis affuit in hac verba: Monon serue Dei fidelis, mandat tibi altissimus cælorum possessor, vt Gallias impiger adeas, locumque in sylua

Patria S. Mononis.

Apparet ei Angelus.

Arduenna, cui nomen Fridier, perquiras, quem fons Nasania leniter irrigat, ibique locum tuæ habitationis vendicabis. Qua visione vir Dei sollicitus petiit, vt si à Deo hæc esset visio, secundò ac tertiò sibi appareret: quod & ita factum est. Nec mora iam de Angelica visitatione certior factus, sumptis necessariis quibus indigebat, iter suum vir iustus arripuit. Huic tamẽ sedit in voto prius limina Apostolorum Petri & Pauli inuisere: quatenus eorum fretus auxilio, postmodum in locum sibi destinatum fœlici perueniret omine.

*Ioannes Episcopus ob morum simplicitatem cognomẽto Agnus.*

Ea verò tempestate dignæ memoriæ Ioannes, dictus ob morum simplicitatem Agnus, cum benedictione Apostolica Romæ accepta, iam transgressis in redeundo Alpium iugis, Tougrensis Episcopij partes repetebat, viro sancto factus est obuius, Mononi scilicet iam Leuitico ordine sublimato, à quo auditis sui itineris causis, benedictionem ei elargitur, demandans tanquam fidissimo ex mutua collocutione facto amico, vt in redeundo pallium Episcopale, quod ex maturandi itineris anxietate intermiserat, sibi fidelis deferat baiulus. Locum autem à Deo sibi designatum ad se reuertenti promisit certius se ostenturum, suumque illi consilium & auxilium, prout tempus & ratio exposceret, in omnibus præbiturum: quod ita factum constat, nam reuersus, à prædicto Ioanne Episcopo venerabiliter susceptus est.

*Palliũ Episcopale.*

Hic verò Dei iustus, inter ista non immemor visionis nocturnæ diuinitus sibi factæ, cum licentia præscripti Episcopi expetit locum ab Angelo præsignatum, quem truncis ac vepribus, pro posse mundatum in oratorium commutauit & consecrauit, vbi congruè Deo redderet solemnia precum vota. Huic operi sic incumbenti obtulit Christi miseratio largiflua leuamen amabile, videlicet nolam ferream, in viri Dei præsentia à porco de terra effossam, quæ adhuc in sua dependet Ecclesia. Mox fama quietis nescia, circumquaque volitans, pagenses excitauit non mediocriter, vt huic Dei homini adhærerent; quorum ope & labore nimium sustentatus erexit ædiculam, diuitiis quidem seculi vacuam, sed virtute superna plenam. Nam promerentibus eius meritis, multorum languentium corpora inibi sua offerentium munera, ex integro sospitati restituta sunt. Verùm hostis humani generis supra modum indignè ferens, etiam locum istius Eremi titulo Christianitatis à iusto viro sic nobilitari, anxius quid ageret, secum tractabat. Tandem face accensus inuidiæ, appulit sibi voluntatis suæ compotes, scilicet latrones sicarios, quos iam diu sibi obsecundantes sciebat ægrè ferre, quod vir totius sanctitatis exemplar, lustra suarum inhabitaret syluarum. Sine mora igitur irruentes, pestiferoque cuneo perstrepentes, crudeli morte mancipant sanctum Dei.

*Venit S. Monon ad locum sibi diuinitus reuelatum.*

*Multi infirmi sanitati restituuntur.*

*Inuidia diaboli in Sanctum Mononem.*

*Trucidatur à latronibus.*

Quæ res postquam vicinorum grauissimo perculit aures nuncio, accurrentes, ac sanctum Dei lethali affectum vulnere conspicientes, lacrymarum riuulos præ dolore abundè effuderunt. Inde quamplurimi martyris pretiosi locum adeunt: quem vndique sentientes diuino lumine illustrari, glorioſas exequias celebrant, ac corporis theatrum incomparabile inuictissimi martyris sepulturæ tradunt, candidis (vt decebat) vndique honorificatum ornamentis. Quo loco quot postea derivarint beneficia Dei in ægrotantium membra, claudorum scilicet, cæcorum, aridorum, febricitantium, nullus sermo noster ad dicendum sufficit.

*Infirmi ad eius sepulchrum sanãtur.*

Beatus verò Ioannes memoratus Episcopus, ad exemplum sequentium adhuc superstes, indoluit seruum Dei sibi in famulatu deuinctum, à conuersatione hominum, quos sanctis monitis informabat, sic vitæ transitoriæ insperatò percurrisse stadium. Hic autem, cooperantibus fidelibus vicinis, basilicam condecentem sibi ædificauit, quam in honorem beatæ Mariæ semper Virginis ac Matris Dei consecratam, ab omni exactione liberam, Episcopali authoritate, in sua prouinciali Synodo, perpetuo esse decreuit. Pipinus autem Rex Francorum dum inter venandum Arduennensem perlustraret syluam, Deo disponente ad Ecclesiam sancti Mononis deuenit: eamque (vt erat vir magni affectus erga Deum & sanctos eius) deuotionis causa oraturus intrauit. Qui visis miraculorum monimentis ex infirmorum curatione ibidem relictis, summoperè admiratus est sancti Martyris virtutes: ac prostrato corpore, deuotè exorabat eius apud Deum suffragia. Atque vt ibidem relinqueret memoriam sui regalis beneficij, per pileum quod capite gestabat, auro gemmisque ornatum, omnes decimas quas habebat inter fluuium Vrtam & Letiam, perpetuo iure tradidit beato Mononi possidendas. Ipsumque pileum in testimonium huius largitionis suæ, in eodem loco seruandum reliquit. Atque ex inde facta est Ecclesia collegiata, constitutis ibidem canonicis, qui tempore diurno ac nocturno persoluerent odas Domino, eiusque glorioso martyri Mononi, orantes pro fœlici statu regni Francorum, maximeque pro salute Regis Pipini, cuius munificentia dotata est & exaltata eadem Ecclesia: præstante & adiuuante Domino Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus in omnia secula. Amen.

*Pipinus Rex Francorum Ecclesiam S. Mononis visitat.*

*Multa beneficia confert Ecclesiæ Pipinus Rex.*

## NOTÆ.

Monon.] *De eo Baronius tom. 9. Annal. ad annum 754. Molanus in Ind. SS. Belgij. Die 18. Septembris eius solemnitas celebratur. Agit & de eo Surius tom. 5.*

Sylua Arduenna.] *Est insignis Galliæ sylua, sic dicta quia eius ligna sunt ardua.*

Pallium Episcopale.] *Est Pallium ornamentum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & quandoque Episcoporum, de corpore Beati Petri sumptum, plenitudinem officij Pontificalis conferens, humeros & pectus ad modum stolæ ambiens, ante pectus pendens, cruces nigras intextas habens, alia ornamenta supertegens. Quod ornamentum gerit Papa, & prædicti, & etiam Episcopi quandoque ex Priuilegio Apostolico. Papa verò semper & vbique in Missarum solemnibus, vti potest pallio, cum solus habeat plenam potestatem administrationis Ecclesiasticæ. Alij cum non in plenitudinem potestatis, sed in partem sollicitudinis sint vocati, non semper & vbique, sed in Ecclesia tantum, in qua iurisdictionem accepere, eo vtuntur, nec extra prouinciam eo vti possunt. Solet verò Papa pallij vsum per priuilegium concedere in Natali Domini, Circuncisione, S. Stephani, S. Ioannis, Epiphaniæ, die Palmarum, in Cœna Domini, in octaua Pentecostes, in Natiuit. S. Ioannis Bapt. diebus Apostolorum, in Dedicatione Ecclesiæ, cum Clerici ordinantur, Episcopi consecrantur. Peti verò debet pallium intra tres menses à die consecrationis, vel confirmationis, vbi consecratio non requiritur, quia ante esset Episcopus, nec sat est sæpius petitum esse, sed sæpius est petendum, & debet peti per electum, vel eius Capitulum intra dictum tempus. Traditur verò Patriarchis à Papa, aliis verò à Patriarchis. Sumitur autem pallium de altari B. Petri, vbi vbi benedicitur, & consecratur, & traditur ei qui eo est vsurus. Nec ante alicui traditur, quàm iuret se seruaturum fidem Catholicam, & obediturum Ecclesiæ Romanæ. In receptione Pallij debet accipi documentum publicum eius receptionis. Sine Pallio non potest Archiepiscopus ea quæ sunt Archiepiscoporum munera exercere, nec ea quæ sunt ordinis Episcopalis, vnde sine eo non potest Concilium Prouinciale conuocare, nec Episcopos consecrare, quæ sunt propria Archiepiscoporum, sed nec Chrisma conficere, Basilicas dedicare, clericosve ordinare, nec virgines consecrare. Pallium verò suum nullus alij commodare potest, nec alieno vti, sed cum eo debet sepeliri. Et si ad aliam transfertur Ecclesiam, eo insignitus, alio ornandus erit, quo vti debebit in illa Ecclesia, veteri omisso. Plura de Pallio scribit Lælius Zecchius de Republica Ecclesiastica, in Tractatu de Archiepiscopis.*

Nola.] *Sumitur pro parua campana.*



## VITA S. ERMELENDIS VIRGINIS. Partim ex tom. 7. Surij, partim ex Molano.

*S. Ermelendis genitus.*

BEATA virgo Ermelendis ex Ermenoldo patre, & Ermesenda matre, tam genere quàm diuitiis spectabilibus exorta, ab ineũte ætate studuit de virtute in virtutẽ ascendere. Quæ cum adhuc parentum in domo, puerilis ætatis vinculo teneretur adstricta, nihil tamen puerile gerebat in opere. Declinabat siquidem lasciuiam atque consortia coætanearum, in thalamo genitricis suæ residens, psalmosque Dauidicos discens. Si quando verbum Dei audisset, memoria sagaci recondebat: sæpiusque ad os reducens, quasi mundum animal, nouo semper pietatis affectu ruminabat. Iam tum enim suauitatem sponsi sui cælestis præguſtabat. Quæ eadem, cum pueritia transisset in adolescentiam, parentibus eã nubere volentibus, nullatenus consensit, dicens se Christo virginitatem suam deuouisse. Arrepto denique ferro, capillos per ceruicẽ dependentes præcidit: relictoque seculo, & omnibus pompis eius, Christum, quem sibi sponsum elegerat, per arctam viam secuta est: nec retraxit pedem donec ad brauium peruenire.

*Discit psalmos Dauidicis.*

*Detrectat carnales nuptias.*

Et quidẽ parentes nec minis, nec blanditiis propositum illius immutare valentes, reditus cuiusdã villulæ Odenca nomine, ad famulatus sui vsũ vnanimiter tradidertũt. At beata virgo Ermelẽdis, relicta domo rebusq; patris, solitaria incedebat, solicitè exquirens locum, vbi soli Deo vacare posset. Venit ergo ad quandã villam, cui præerant duo germani fratres, primo iuuentutis flore vernantes, qui necdũ legitima contraxerant matrimonia, sed vanitatibus seculi atque illecebris inseruiebãt. Ibi ergo venerabilis virgo àliquandiu commorata, hunc locũ æstimabat à Deo sibi paratũ: vbi & diebus ac noctibus frequentabat Ecclesiam, nudis pedibus incedens, Domino in holocaustum proprium corpus offerẽs: nihilque sibi de generis nobilitate blandiens. De nobili enim eius prosapia descendisse quoque dicitur Pipinus pater S. Gertrudis.

*Instistit operibus pietatis.*

Nec dum in illo tẽpore S. Amandus gubernacula Traiectensis Ecclesiæ susceperat: cuius doctrina & institutione multi postea de errore suo ad vias iustitiæ redire coacti sũt. Fuit igitur hæc virgo generationis lucerna. Nec defuit sanè ei tẽtatio inimici. Siquidẽ prædicti fratres introitũ illius & egressum sæpius considerantes, exarserunt in concupiscentiã eius, ignorans alter cogitationẽ alterius. Neq; tamẽ sciebant quid agerent. Non enim sine graui scãdalo totius oppidi, vim inferre poterãt tantæ opinionis virgini. Itaque vnus ex eis, quẽ flãma libidinis amplius exurebat, expetit custodẽ Ecclesiæ, dona maxima repromittẽs, si per eũ cõsensũ virginis habere potuisset: illi enim sæpius atque familiarius loquebatur, atque per eũ singulis noctibus ad Ecclesiam habebat accessum. Ille verò de cõsensu virginis omninò desperans, (sciebat enim, mentẽ illius solidatã esse & in Christo fundatã) rapiendã potius fore sub conticinio noctis iuueni suadebat. Hac enim hora, gustato paulisper sõno, solita erat venire ad Ecclesiam, offerens seipsam hostiam viuã, Deo placentẽ.

*Exardescunt in eius cõcupiscentiã duo nobiles.*

*Statuit vnus eam vi rapere.*

At verò sanè non est sapientia, non est prudẽtia contra Dominum. Igitur nocte qua rapienda erat, meruit Angelicã vocem audire, se monentẽ ex nomine: Recede, inquiebat, recede: & virginitatẽ quã Deo consecrasti inuiolatã custodi. Itaque obediens iussioni iter cepit. Quæ cum Spiritu sancto duceretur, Angelus Domini ei secundò apparuit, & viam quam ceperat, ne desereret, imperauit. Et, venies, inquit Angelus, in villã quam Meldricẽ nũcupabis: ibi namque præparauit tibi Dominus locũ ad perficiendum desiderij tui votũ. Peruenit igitur venerabilis virgo in locum quẽ prædixerat ei Angelus, ibique parsimonia mirę abstinentiæ diu viuens, geminæ dilectionis in se continebat mandatũ. Alebatur autem B. Ermelendis solũmodo herbis agrestibus, non inferior summis Eremi cultoribus: puellares quoque artus teneros diris cruciabat tormẽtis. Frequentabant quoque eã Religiosi; sed quãto Dominus famã eius dilatabat, tãto humilius se agebat: sicque tãdem, post multa certamina, euocata à Domino, ad cælestem peruenit gloriam.

*Monetur ab Angelo vt mutet locum.*

*Alitur herbis agrestibus.*

*Migrat ad Christum.*

Porrò ad eius exequias hymnici Angelorũ chori Christo cecinerunt gloriã. Et quia Christo fuit dilecta, ab ipsis est officiosissimè sepulta. Et quidẽ post mortẽ quadraginta octo annis latuit aliena à cultu seculi, sed tunc sanè miraculorum gloria est magnificata. Quibus permotus Dux Pipinus pater Beatæ Gertrudis, sacrum corpus leuauit è tumulo: prædiorum quoque maxima multitudine locum ditauit, instituens illic sanctarum virginum Monasterium: quibus diuinũ sacrificiũ peragebant presbyteri ex Monasterio S. Bauonis, quod in vicino monte sitũ erat: sed neutrum Monasterium modo subsistit. Sãctimonialium bona translata sunt in Leodienses Canonicos ad S. Bartholomæum. Natalem autem Meldanenses celebrant 29. Octobris.

*Deinceps Molanus.*

*Eleuatur sacrum eius corpus.*

## NOTÆ.

Ermelendis.] *De ea Molanus in addit. ad Vsuard. & in Indic. SS. Belgij 29. Octob. Huius vitam ex antiquis Codicib. adfert Sur. tom. 5. Meminit eiusdem Hæreus. Vixit circa annum Domini 600. vt vult Vvion. in Martyr. Monastico 29. Octob.*

Villam Meldricem.] *Est in Brabantia, & Hungariæ adiacet; vulgò* Meldaërt *dicta.*

## VITA S. ARNVLPHI EPISCOPI, & Eremitæ. Ex ea quæ est apud Surium.

*S. Arnulphi genus, & quomodo quidam prædixerit de eius sanctitate.*

BEATVS Arnulphus Metensis Episcopus, Francorum prosapia ortus, altis sanè & nobilibus parentibus, sed nobilior postea fuit in fide. Erat eo tempore peregrinus quidam seruus Dei Stephanus nomine, cui cum reuelata fuissent natiuitatis Arnulphi pueri exordia: Scitote, ait, omnes, quod puer iste & apud

Deum, & apud homines magnus erit. Quod & ita postmodum rerum probauit successus. Hic cum esset præclara indole, opportuno tempore traditus est præceptori literarum studiis imbuendus. Vbi cum iam bene esset edoctus, in bonis actibus exercitandus, oblatus est Gundulpho Subregulo, siue Palatij Rectori. Quem ille per multa deinceps experimenta probatum, Theodeberti tandem Regis ministeriis applicuit: vbi statim effectus est summus, ita vt sex prouinciæ, quas nunc totidem curant Regis domestici sub illius administratione, eius solius arbitrio regerentur. Fuit autem simul sedulus in oratione, in ieiuniis, & in misericordia pauperibus exhibenda, & sicut scriptum est: Reddebat Deo quæ sunt Dei, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Et quidem amicis & parentibus ipsum cogentibus vix cedens, ex nobilissima gente duxit vxorem, ex qua duorum filiorum gaudia suscepit, ita tamen vt iugis eius meditatio circa Monasteria, & loca sancta versaretur.

*Educatur in aula Regis Theodeberti.*

*Viuens in cõiugio, semper cogitat aut Monasteria, aut locã sancta.*

Porrò per id tempus erat in Regis ministerio Romaricus vir egregius: qui & eius cognito desiderio, sancto & familiari affectu ei iungitur: atque adeò tandem relictis omnibus, ad Lerinum Monasterium propter Christum peregrè proficisci statuunt. Sed in hac re vtriusque desiderio voluntas obstitit altissimi. Etenim euenit vt vrbs Metensis Præsule careret: cum subitò vna fuit vox populorum, Arnulphum Regis domesticum & Consiliarium dignum esse Episcopatu. Quod ille cernens Deo sic visum esse, compulsus cum lacrymis eam vrbem gubernandam suscepit, ita Pontificalem ferens infulam, vt quamuis nolens, cogeretur etiam curam & solicitudinem, qua tenentur Regis domestici, itemque palatij Primatum seu Magisterium retinere. Mox autem tanta illi accessit, tamque profusa in pauperes munificentia, vt fama perferente, etiam de longinquis regionibus & ciuitatibus innumera pauperum multitudo ad S. Arnulphum antistitem refocillanda festinaret. Erat verò ille iugiter solicitus, & bonis operibus, præsertim suscipiẽdis Monachis, & peregrinis, deuotissimè intentus, ita quoque, vt quos hospitio recepisset, suis ipse manibus ablueret pedes, ac deinde vestitos, & cibo potuque refectos cum honore deduceret, sícque mox refocillandos exciperet alios. Abstinentiæ verò eius modum nemo facilè explicauerit, cùm præsertim interdum post triduana vel prolixiora ieiunia, pane hordeaceo, & aquæ potu victitarit. Indutus quoque, licet clam, cilicio, eius perpetuo vsu exesis & maceratis membris, geminum addebat vigiliarum & inediæ cruciatum.

*Monasterium Lerinense.*

*Ex Consiliario Regis fit Episcopus Metensis.*

*Profusissimus est in pauperes.*

*Ieiunat sæpe integrum triduum.*

Multa eius miracula extant, sed ego non nisi vnum commemorabo aut alterum. Eo tempore quo triduanum ieiunium Ecclesia vniuersalis celebrare consueuit, vir sanctus extra ciuitatem cum crucibus atque promiscua plebe orandi gratia iuxta morem processit, & ecce è media hominum frequentia, fœmina à dæmone arrepta terribiliter clamare incipit. Quam vt vidit Episcopus Crucis vexillo iniecto quamprimùm eam ab hoste liberauit. Sed & illud quoque silentio premendum non est. Noddo quidam homo scelestus, cibo bene fartus, & vino æstuans, cum complicibus suis, non verebatur obtrectare sancto Episcopo, dicens non illum esse Dei cultorem, sed hominum potiùs voluptati addictum, ad cuius lectum non solum Rex, sed etiam Regina tanquam consilium captantes nocturnis horis properarent. Qui cùm cubitum iuisset cum socio detractore, ecce iubente Domino, omnia illorum vestimenta flamma corripuit. Sed aqua iniecta flammam diuinitus immissam non extinxit. Ardebant acriter circa nares, & verenda interulæ illorum, nec poterant ardentes vestes exuere. Quin & cum non possent aliud, foras exiliunt, & instar porcorũ in luto vociferãtes sese volutant. Sed magis magisque in eorum membra genitalia ignis sæuit, scilicet ita iusto Dei iudicio, illis in locis pœnas luerunt, de quibus illi sanctũ virum sua obtrectatione infamare voluerũt. Sed & non diu post idem Noddo in eiusmodi flagitiis deprehensus fuit, vt regia animaduersione iure illi vita adempta sit.

*Nota contra temeraria iudicia.*

*Puniuntur à Deo, qui viro sancto detraxerant.*

Cum autem id genus permultæ virtutes per eũ in populo crebrescerent, remotiora à vulgi strepitu loca expetiit, quibus crebrò ceu ergastulo inclusus, soli Deo precibus offerendis studiosissimè vacaret: sicque sæpius in villa Dodimiaca, quæ est apud Vosgarum, interdum Calciaci non longè ab vrbe in cellulam retrusus, cælum diurnis nocturnisque precibus pulsabat. Multa sanè fide Clotarius Rex virum sanctum, & amore prosequebatur, adeò vt etiam tum, cum Dagobertum filium suum ad Principatus culmen euexisset, illi & regnum gubernandum, & ipsum Dagobertum erudiendum tradiderit. Qui vir beatus, cum tandem insuperabili desiderio ad Eremum aspiraret, Rex Dagobertus suspicatus se eum minis absterriturum, ne illius consiliis & solatiis destitueretur, sic ait ad eum: Chariſſimi filij tui caput amputabo, si nobiscum nolis permanere. At vir sanctus ei respondit: filij mei vita in manu Dei est. Tu verò compos non eris vitæ, si insontium vitam perdere volueris. Et tunc quidem iratus Rex ensem manu corripit. At beatus Episcopus Regis motituri iram paruipendens, constanter ait. Quid facis miserrime? Itane mala pro bonis vis reddere? En habes me paratum. Ego pro illius mandatis mori non dubito, qui & vitam mihi dedit, & pro me mortuus est. Tunc verò vnus ex proceribus dixit: Noli bone Rex, contra teipsum impiè agere. Quibus verbis, iubente Deo, Regis ira nonnihil repressa est. Interea quoque adest Regina, & ambo simul ad pedes sancti Præsulis corruentes; Abi, aiunt, Domine, ad Eremum pro arbitratu tuo: tantummodo te placatum habeamus. Itaque vir sanctus, data illis venia, ad orationum pergit certamina; cum non multo tempore interiecto, viro iusto iugi id intentione expetenti, Sanctus Goëricus, cognomento Abdo, successor eligitur. Quod vbi percepit vir egregius Ramaricus, à partibus Vosagi egressus, ad beatum Arnulphum venit, & vtroque in id consentiente, in vasta Eremo aptum illi locum præparauit: vbi adscitis nonnullis Monachis, atque etiam leprosis, suis manibus vir sanctus Arnulphus fidissimam operam & seruitutem eis iugiter impendebat, calceamenta à pedibus eorum detrahens, eaque detergens, item capita, & pedes illorum crebrò abluens, & lectos quotidie studiosissimè componens, imò & à coquinæ etiam seruitio non abstinens, idem scilicet & Episcopus & cocus. De quo etiam hoc mirum narratur, quod pergens ad Eremum & veniens ad pontem fluminis Mosellæ, annulum suum in aqua demerserit: tali conditione vt quandocunque eum reciperet, se à Domino intelligeret peccatis omnibus absolutum. Successu temporis dum piscis eidem ad vescendum fuisset oblatus, exenterato pisce annulus repertus est, cum per duas dietas à loco vbi annulum deiecerat, piscis captus esset. Quibus virtutum

*Committitur ipsi institutio & regimen iuuenis Regis Dagoberti.*

*Supra modũ sitit Eremũ.*

*Degit in Eremo.*

*Suis ipse manibus seruit leprosis & aliis pauperibus.*



tutum meritis vir sanctus vel maximè cum illustris esset, tandem sancta eius anima manibus sanctorum Angelorum ad Christum defertur. Porrò corpus eius, quo potuit honore in castello sepulturæ mandauit vir egregius Romaricus, quod anni fermè exactis spatiis successor eius Goëricus Episcopus ad vrbem transtulit, in basilicam sanctorum Apostolorum ad gloriam & laudem Dei.

## NOTÆ.

Arnulphus.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. in Not. 18. Iulij. Vitam eius composuit Paul. Diac. quam adfert Sur. tom. 4. Agunt præterea de eo Vincent. in Spec. lib. 23. cap. 73. vsque ad 77. Franc. de Rosieres tom. 3. Stemmatum Lotharingiæ. Plura in Chronol. Insulæ Lerin.*

## VITA S. LANDRADÆ VIRGINIS.

### *Ex ea quæ est apud Surium.*

*S. Landrada nobilis prosapia.*

OST glorioſum Dominicæ Reſurrectionis triumphum, accenſo quaquauersum igne illo, quem Dominus Ieſus venit in terram mittere, & voluit vehementer accendi, non modo viri, ſed & fœminæ admirabili omnipotentis Dei amore, vſque ad contemptum mundi incaluere. Tormenti occaſio ſi deeſſet, ipſi ſecum pugnabant. Ex qua probatæ Chriſti monetæ maſſa, egregiæ virtutis imago virgo fuit Landrada, contra ipſum ſuperbiæ gigantem diabolum pugnaciſſima, quæ Francorum ſoboles, & eorum quos Maiores domus appellant, inclyta proles totam piorum progeniem à ſtirpe ſuis meritis nobilitauit & ornauit. Clotarius quartus à Ludouico quem beatus Remigius baptizarat, trium regnorum monarchiam eo regebat tempore, Burgundiæ, Neuſtriæ, & Auſtriæ, Pipinus Carlomanni filius, cum viro Dei Arnulpho, poſtea Metenſi Epiſcopo, Maiores erant domus, glorioſiores ſuper hac nuper natæ neptis ſuæ ſanctitate, quàm ſuper eius cui principabantur, regni cura & moderamine. Decennium eius nunc prætereo, quod totum percurrit pietate & gratia, vt mutritores quotidie videretur incitare ad Religionis ſtudia. Ad ea venio, quæ poſtea proprio ſudore elegit & impleuit.

*Idem dicitur alias Clodoueus.*

*Incommoda coniugij.*

Inſtabant parentes vnicam ſuam nuptui tradere. Sed illa ſtatim, velut ſi iam ex ipſius ſponſi ore audiſſet, audi filia & vide, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, & nuptias, matrimonia, nouem menſium faſtidia, ipſius horæ pericula, & cætera quæ ſequuntur incommoda, tanta perorauit grauitate, vt ipſos penè parentes admonuerit de continentia, & libello repudij. Dehinc autem ſpretis omnibus, & vnius cellulæ clauſa anguſtiis paradiſi fruebatur latitudine, eodem ſolo orans & recubans, eademque anguſtia ſicco pane & aqua magis prouocans quàm reſtinguens eſuriem. Cilicio obuoluta, in nuda humo Chriſti miles exercebatur, etiam febri cum æſtuaret, & id quod peccaſſe quis poterat, velut ſi ipſa quoque peccaſſet, in ſe vindicabat, alienique delicti pœnas luebat. Martinus eo tempore Romæ, & Remaclus Traiecti, verbo & opere peruigilabant in cura ſacerdotali. Trudo in Hasbania in tyronem Chriſti coaleſcebat. Quorum accenſa virtutibus, per momenta aut patriam deſerere, aut Eremum deſiderabat inuolare. Paulos & Antonios ſemper habens præ oculis, ſola & incomitata penè inuaſerat ſolitudinem, ſi non aut ætas, aut pauperum, quos alebat, cura pedem eius tenuiſſent. Nullus enim Clericorum, nullus inopum eius inuaſit manum, quin aut cibo eius ſuſtẽtaretur, aut veſtibus obuolueretur. Otium labore caſtigabat manuum, vigiliis dedita vltra humanum modum.

*Viuit solitaria in summa austeritate.*

*Profusissimè curat pauperes.*

Retractat tamen rurſus de Eremo, & quæ omnia iam pro Chriſto reliquerat, totum id fruſtra reputat, ſi non ſeipſam quoque abneget & relinquat. Ibi Crucis erecto vexillo, inuitis parentibus, reclamante familia, ſaltum quem à feritate inhabitantium belluarum, Belluam vocant, inuadit, erectoque propria manu breui tugurio, diuiniora pugnæ genera aggreditur. Habet tamen & curam paſcendi gregis, non vt eſu carnium, cuius ab adoleſcentia nunquam vel tenuem guſtum attigerat, delectaretur, ſed peregrinis & pauperibus hoſpitio receptis vt ſolatiaretur. Stabat ibi in medio noctis ſilentio incomitata, & ſine arbitris, & vltra omnem hanc luteam infirmitatem eleuata, cum ecce quadam vice patefactis cælis, comitante lumine, mirifici operis crux ſuper contiguum lapidem delabitur, (durant adhuc non languidæ fidei certa monimenta,) videlicet ſicut mollis cera impreſſam ſigilli imaginem recipit, & repræſentat, ita & duriſſimus lapis adhuc nobis eiuſdẽ Crucis totam impreſſionem integrè demonſtrat) voxque interim adminiſtratorij ſpiritus audita eſt: Accipe Landrada hoc ab immortali ſponſo charitatis pignus: ipſe tibi Crucis mittit ſponſalia qui in Cruce moriens, reſtaurauit omnia. Succumbit ingeniũ, & conſiderata tua bone Ieſu, inæſtimabili charitate, vltra iam non eſt nobis ſpiritus: ideoque & velut ſubmiſſis alis à ſupra firmamento ad terram ſtylum deponimus.

*Ingreditur saltum dictũ Belluam.*

*Dimittitur ei calitus mirifici operis Crux.*

Gauiſa itaque virgo Dei de munere, oblita ſexus & ætatis, in quandam virilitatem accingitur, aggreditur propriis manibus vepres & ſpinas extirpare, humum ſarrire, Eccleſiam in honorem & memoriam Dei genitricis conari fundare, & quod mirum forſitan videatur legenti, propriis ipſa manibus lapides effodere, & comportare, lineam ducere, fundamenta iacere cœpit, & in loco ſibi deſtinatæ Crucis, non alius quàm ipſa collocauit, ipſum quod adhuc perdurat altare: adfuitque indefeſſæ laboratrici ſuæ manus omnipotentis, vſque ad conſummationem perfecti operis. Tunc verò Lambertum Epiſcopum, poſtea Chriſti martyrem futurum euocat, & pia commonitum familiaritate, nouæ Eccleſiæ ſuæ conſecrationem, & reliquiarum impoſitionem, ex voto impetrat. Atque exhinc iam creſcente religione, populus Dei ſpreta auſteritate Eremi, velut plantaria conuolabant paradiſi. Virgines ad centeſimum, viduæ ad ſexageſimum fructum quotidie colligebantur: plures præterea quæ triceſimum in coniugalitate expectabant bonum, ex conſenſu poſthabitata domo, & dulci liberorum amplexu, fauos piæ intentionis, cum tota re familiari, comportabant ad aluearia Chriſti.

*In loco Crucis fundat Eccleſiam.*

*Conſecratur eadem Eccleſia à S. Lamberto.*

Interea beata virgo Landrada poſt longam carnis & ſpiritus luctam, qua ſemper viuens, ſemper moriebatur, de proficiſcendo præparabat. Incidit itaque in lectum ægritudinis. Circunſtabat morientem matrem ſanctarum virginum cœtus. Illa interim conſolata circunſtantes, de exitus ſui hora prædixit, & Sanctum Epiſcopum Lambertum accerſiri præcepit. Et quidem ille ſanctus ſenex, accepto triſti nuntio, omnibus ſe expedit, viamque maturat, Landrada interim de hac corruptibili domo in æternitatem trãſmigrante. In eundo autẽ

*Obdormit in Chriſto pia Virgo.*

Pontifex, ingruentibus tenebris lassos artus humi dum deponit, semiuigilanti & velut in ecstasim rapto venerabilis virgo apparuit: ostenditque locum sepulturæ suæ. Episcopus à somno excitatus festinatò venit ad Monasterium, inuenitque iam agentes de sepulchro intra Ecclesiam. Expleta oratione, Episcopali facundia plebem suam alloquitur, postremò de reuelatione ad eum facta sermonem ingreditur. Submurmurant statim vniuersi, & velut impugnant: hic, aiunt, fuit consecrata, hic prælata, hic cæcos illuminauit, hic claudos erexit. Sicque ad votum populi virgo sepelitur.

*Apparet in somnis Lamberto Episcopo.*

Interim Episcopus ieiunium sibi deuotus indicit, demúmque exacto triduo, rursum in concione pro re pauca declamat: Dei, inquit, voluntati nolle obedire, contra torrentem brachia est extendere. Ocularia fides adhibeatur tumbæ virginis, vt omnis super hoc negotio scrupulus amoueatur. Acclamatur ab omnibus, pedibus eunt in sententiam, & aperta tumba, non modo corpus, sed neque ipse reperitur corporis loculus. Expallent tacito murmure cæteri, solus Episcopus gratias agẽs, veniens ad locum quem ei ostenderat virgo, effossa humo, (ô rem nouam & semper stupendam!) virginis glebam cum ipso sarcophago inueniunt transportatam, eo ordine, ea decenti reuerentia locatam, vt nulli sit dubium, Angelorum id effeciſſe ministerium.

*Angelorum ministerio sacrũ eius corpus aliò trãsfertur.*

## NOTÆ.

Landrada.] *De qua Molanus in addit. ad Vsuard. 8. Iulij, & in Indic. SS. Belgij. Floruit anno Domini 670. vt refert Vvion. in Martyr. Monast. hac die. Meminit eiusdem & Haræus.*

## VITA S. IVSTI EPISCOPI ET Eremitæ. Ex ea quæ est apud Surium.

VITAM beati Iusti Lugdunensis Episcopi cogimur adiurati vel breuiter exponere: qui Lugdunensis quondam vrbis Sacerdos, nunc eius apud Christum est patronus. Cuius cum mecum reputo inexpugnabilem in operibus fidem, præcipuum in victu rigorem & parsimoniam, diuturnam in solitudine habitationem, eo sanè adducor, vt incunctanter affirmare non dubitem, eum licet pro Christo martyrium non obierit, attamen complesse martyrium.

Itaque Iustus Viennensis primum Diaconus, postea Lugdunensis Ecclesiæ Antistes consecratus est. Quam ille Ecclesiam tanta puritate, integritate, modestia, pietate, ac patientia per multos rexit annos: tanta quoque pauperum cura, tanta diuinorum mandatorum obseruatione, vt etiam magnificos & præstantes Domini Sacerdotes omni virtutum gratia anteiret. Sed cum ita intentus functioni suæ & plebis profectui, illi Ecclesiæ præsideret: ad eum expellendum feruentis diaboli exarsit inuidia. Nam cum in ea vrbe quidam subito mentis furore correptus, in publicum se proripiens, obuios ignarosque confodisset, ac pro atrocitate rei excitato tumultu hinc atque inde premeretur ab infesta multitudine, eodem quo in scelere vsus erat telo se defendens, in Ecclesiam nonnihil iam sibi restitutus confugit: obseratisque sacrarum ædium valuis, diu reuerentia loci insanientis populi furorem à se amouit. Sed cum seditio increscens iam etiam templo Domini ignes minaretur, beatus Iustus Episcopus necessitate cõpulsus, accepta à quodam viro primario sacramẽtali fide, quod nihil homini illi periculi intentarent, sed tantisper in custodia alleruarent, donec populo esset satisfactum, reum extra Ecclesiæ claustra dimisit. Eum verò turba, quæ in tumultu nihil alicuius pensi habet, pedibus colligatum trahens, vltimo mortis supplicio affecit. Tum ille vir Dei, sanctitate memorabilis, admissum facinus ascribit sibi, alienum crimen sibi imputat. Peccauit incondita plebs, & quidem sathanæ instinctu peccauit: Iustus autem quid fecit? Confidebat autem ille in Domino, & dicebat animæ eius, Transmigra in montem sicut passer. Nam Iustus ille, qui fuerat magnus Sacerdotio, factus est maior voluntario exilio, officio scilicet Sacerdotali se statuens abdicare, & loca peregrina animo latitandi expetere. Reuersus igitur ex quadam Italiæ Synodo, ad quam fuerat euocatus, (quod vix sine lacrymis commemorari potest) non Lugdunum venit, ne totius plebis amore obstrictus, liberam non haberet discedendi facultatẽ, sed apud Torrentem resides, si qui amici ad valedicendum ipsi eò excurrere vellent, sustinuit. Multis verò lacrymantibus turbis eò accurrentibus, veritus ne multitudine oppressus retineretur, clam solus, & præter omnem expectationem recessit: nec quisquam ei se adiunxit comitem, præter vnum Viatorem, egregiæ indolis puerum, qui tunc in Ecclesia Lectoris munere fungebatur.

*Extrahitur quidam infames ex templo, & à populo tumultuante occiditur.*

*Reputat vir sanctus crimen populi, crimen suum. Psalm. 10.*

*Interest cuidam Synodo Italiæ.*

*Clam proficiscitur ad peregrinandũ.*

Is solus beatissimi senis latere cupientis vestigiis inhæsit: iamque Arelate & Massiliæ agenti, nauemque conscendere volenti, non sine admiratione se ei obtulit. Illo ergo in peregrinationis sociũ recepto, Eremum sitiens, in Ægyptum nauigauit. Quò postquam peruenit, inter sanctos illos Eremitas degens, diu se celauit, vt tum nomine, tum dignitate suppressa, summæ humilitatis opus exercere posset, non iam Clericis dumtaxat, sed etiam Monachis & laicis se inferiorem exhibens.

*Diu latet & viuit inter Ægyptios Monachos humilitate substratus.*

Sed cum non breui tempore ita tectus latuisset: accidit aliquando, vt in præcipuo Monachorum sanctorum Conuentu, à quodam fratre, qui ex hac prouincia eò tunc peregrinus aduenerat, agnosceretur. Qui cum ad eius genua prouolutus, cunctis stupentibus, Sanctum Episcopum Iustum illum esse confiteretur; omnes tantæ humilitatis virum admirantes, culpantesque ignorantiæ suæ temeritatem, quod Pontifici sese, quamuis nescij, præposuissent, superiorem erga illum negligentiam recenti honoris exhibitione compensarunt.

*Tãdem agnoscitur.*

Horum itaque vitæ particeps Iustus noster, noctes atque dies in precibus & ieiuniis trãsigens, in conspectu Domini perpetuus erat pro suis Lugdunensibus deprecator. Nam tametsi corpore ab illis aberat: at precibus sanè aderat. At verò interea sanctus Antiochus tunc Presbyter Lugdunensis, pio incitatus officio ad visendum Præsulem suum, peregrè proficisci deliberabat: vir vitæ seueritate præcipuus, & qui non immeritò postea in sede beato Iustino successerit. Qui cum tanti Præsulis desiderio terras, ac maria transmitteret, beatus Iustus aduentum eius adeò pronunciauit: vt etiam quibus diebus, quæ loca adiret, exprimeret, ita dicens: Charissimus Antiochus noster hodie illic moratur. Imò verò illum ipsum diem, quo ventu-rus esset ad eum, indicauit. Porrò cum annis aliquot in Eremo Angelis proximam egisset vitam, & tantorum laborum dignus adesset finis: regna cælorum iam iamque scandenti, & in extremis agẽti, fiens,

*S. Iustus Episcop. Lugd. ex Diacono Viẽnensi.*

*Præsciit aduentũ Antiochi sacerdotis sui.*



*Migrat ex hoc seculo.*

fiens, & animo consternatus dixit Viator: Et cui me Domine relinquis? Beatus autem Iustus respondit. Ne turberis fili tanquam solatio destitutus: non ita diu post me sequeris. Quam eius prædictionem à diuina reuelatione manantem veram fuisse sanctissimi iuuenis obitus declarauit. Hoc autem silentio quoque premere nolim, Lugdunensium ciuium erga sanctissimum Antistitem studium & amorem: nimirum ob asportandum sacrum eius corpusculum in Ægyptum vsque profecti sunt. Et certè ostenderunt Lugdunenses se tam præclaro non indignos Antistite, cum gratiæ eius magnitudinem officij gloria æquipararunt: cum egregij Sacerdotis & sancti senis ossa reuerendo, fidelissima plebs, è longinquis regionibus, cum multa alacritate & religione reduxit, & cum lacrymis præ gaudio fusis ea exceperunt, dederuntque operam, vt qui spiritu cum ipsis erat, esset & corpore in honorem Domini nostri Iesu Christi, cui est potestas in secula. Amen.

*Referuntur eius ossa Lugdunũ summa cum veneratione.*

## NOTÆ.

Iustus.] *De eo Martyrol. Rom. cum Baron. 2. Septemb. Ado in Chronol. anno Domini 379. Petrus in Cat. lib. 9. cap. 66. Seruetius in Chronologia historica de successione Antistum Lugdunens. num. 13. Surius tom. 4. Vincent. Barralius in Chronologia Lerinens. fuit beatus Iustus 13. Episcopus Lugdunens. qui floruit tempore Damasi Papæ, & Gratiani Imperatoris anno Domini 381.*

Præter vnum Viatorem.] *De S. Viatore ministro S. Iusti, agitur in Martyr. Rom. 21. Octob. Agit etiam de eo Petrus lib. 9. cap. 90.*

Sanctus Antiochus.] *Eius solemnitas 15. Octob. reponitur in Mart. Romano.*

## VITA S. AVENTINI EREMITÆ. Ex Petro Camuzato.

*Camuzatus in lib. Antiquitatũ Ecclesiæ Trecensis.*

BEATVS Auentinus fuit Aquitaniæ parte regionis Bituricæ vrbis indigena, parentibus mediocribus Tricassinæ ciuitatis proselytus aduenientis. Audiuit autem vir Apostolicus Camelianus Episcopus, famam nominis eius, eum accersiuit, tradiditque ei promptuaria sua. Quo accepto munere, cœpit vir beatus pauperibus, viduis atque pupillis, dapes copiosas erogare. Sed mirabile dictu quantum exinde egentibus dispẽsabat, tantum amplius diuino imperio amplificabat. Timens verò ne propter eiusmodi miracula in vanæ gloriæ peccatum incideret, impetrata licentia Sancti Episcopi Cameliani, properandi in partem quò ire vellet: tuguriolum sibi ad fontem cuiusdam Ecclesiæ collocauit, in quo non multum temporis commoratus, videns se crebrius à vulgi multitudine ac visitatione publicari, inde remouit se sponte sua, & petiit insulam septem millibus ferè ab vrbe Tricassium distantem, quam alueus Sequanæ, vel Osæ fluuius in modum coronæ circundant, & nihil aliud secum detulit, nisi panem, rastrum, semen olerum, pauxillum salis, hordei granũ, milium vel panicium, vnde victum haberet, cellulam sibi exiguam manibus fecit, lento vimine textam, in qua sibi latebram collocauit.

*Camelianus Episcopus Tricassinus.*

*Viuit solitarius.*

Cùm iam autem interuallo temporis ibidem degeret, ac solitariam duceret vitam, ad Leuiticum onus consecratur, donec ad sacerdotale ministeriũ ascendit, psalmorum scientia apprimè eruditus, quam Spiritus sanctus in os eius infundebat, & sermonibus declarabat. Igitur cùm iam temporis spatio, in loco solitudinis, quem sibi elegerat habitaret, & cælestem in terra duceret vitam, cibus ei alter non erat, nisi panis hordeaceus permixtus oleribus ac radicibus herbarum, quem peractis triduanis diebus media iam hebdomada cum aqua in refectionem sumebat, indesinenter ad orationem in cinere & sacco iacebat. Vestimentum autem eius ad membra corporis hirsutum cilicium, tunica squalida, cingulum pelliceum, epydeten habens laneam, cucullam vetustam, calciamentum pedum eius cothurnum, lectulus verò vbi parumper requiescebat pelliculis cooperiebatur. Interea quodam intempestæ noctis silentio, venit ad speluncam sancti viri fera terribilis, vrsus de syluestri loco truculentus, ac veluti si raptis catulis in saltum abiret, speluncam quam vir sanctus inhabitabat irrumpere quærens, rugiens, ac rabie furoris circumfremens: consternatus atque attonitus vir sanctus, iã ibi discrimen mortis imminere ante oculos viderat, heu, heu exclamat ad Dominum conditorem cæli & terræ. Cúmque in oratione perseueraret, & iam albescente polo, aurora remoueret caliginis vmbram, vir sanctus patefecit ostiũ cellulæ, & ingressa est iam dicta bellua, & caput & aures, ad terram declinans, ad pedes sancti viri accubans, eos lambere cœpit: & porrigens pedem priorem vulneribus læsum, vbi adhuc imminens ligni truncus, velut spina penetrauerat, atque ibidem hærebat. Perspicuè verò vidit quòd sibi eam auferri quærebat, & apprehendens pedem sauciũ, eruit ab eo stipitem ligni, & circundedit ligamento, vt ad sanitatem pristinam redire potuisset.

*Eius victus.*

*Vestimentum eius.*

*Calceamenmentum. Lectus eius.*

*Spinam è pede Vrsi eruit S. vir.*

At vbi vrsus percepit perfectam medicinam mẽbrorũ continuò vastas repetẽs solitudines syluarũ, postea nusquam comparuit. Post hoc miraculum, Cerua antrum beati viri ingressa est, ne à venatoribus caperetur. Denique cùm ad vrbem Tricassinã iter ageret, vidit hominem super sonipedem sedentem, ac velociter currentem, & post tergum eius dæmonem residentem. Tunc ait ad comites suos: Ecce hominem video, quem diabolus intendit præcipitare. Eodem iam propè perituro, precati sunt socij eius, qui cum ipso iter agebant, vt liberaret animam eius à laqueo mortis. Statim igitur vir sanctus orauit, & dæmon nusquam comparuit. Etiam illud fertur de eo quod quotiescumque extenderet manum suam per ostium fenestræ, videntibus cunctis cum fracto micarum pane de quo solebat edere, veniebant volatilia cæli, & vescebantur in manibus illius vsque ad satietatem, & postea discedebant. Habebat præterea vir beatus Monachum qui ei ministrare solebat. Hic sæpius ad fluuium progrediens ad capiendos pisces, illi viuos deferebat. Sanctus verò misericordia motus, in fluuio eos reiiciebat dicens: Abite piscículi, & ad officium libertatis, vt viuere possitis. Quadam die dum per loca solitudinis deambularet, casu cũ pede contriuit anguem. At ille caput eleuans, morsu veneni fero pedem sancti viri voluit percutere, statimque ad respectum viri Dei, iam penè mortuus effectus est. Vir sanctus pietate ductus inclinauit se ad orationem, & anguem viuum & incolumem abire permisit. Multæ insuper virtutes habentur de eo, quæ in hoc opusculo non sunt comprehensæ. Maligni siquidem spiritus in obsessis corporibus proclamabant, eius meritis cruciari.

*Fugat dæmonium.*

*Vescũtur volucres in manibus eius.*

*Misericordia viri Dei etiã in piscículos.*

Cùm igitur per multos annos anachoreticam, & ab

*Migrat ad Christum.*

& ab omni hominum consortio remotam vitam duxisset, tandem senex & plenus dierum migrauit ad Christum. In cuius honorem S. Vincentius Episcopus basilicam subtus vrbem Tricassinam diligenter fundari præcepit, in qua simul coniuncto latere requiescit. Sic beatus vir obiit in pace pridie Non. Februar.

## NOTÆ.

Auentinus.] *De quo Mart. Rom. cum Bar. 4. Februarij. Meminit eiusdem D. Gregorius Turon. lib. de gloria Confessorum cap. 68. Protensiori stylo Camuzatus in Antiquitatibus Ecclesiæ Tricacissinæ eius vitam prosequutus est. Irrepserat hic nomen Episcopi, sicut apud Vsuard. in prima edit. Molani, qui in secunda id emendauit.*

Epydeten habens laneam.] *Epydete, est genus pallij quo antiquitus Monachi vtebantur ad cooperiendos humeros.*

Calciamentum pedum eius cothurnum.] *Cothurnus est calciamenti genus humile in modum crepidarum.*

Super sonipedē sedentem.] *Sonipes significat celerem equū à sonitu pedis, quod pedibus sonet. Virg. Æneid. 4. Stat sonipes, frænaque ferox spumantia mandit.*

*Habetur in lib. Antiquit. Ecclesiæ Trecensis.*

## VITA S. VICTORIS PRESBYTERI, & Eremitæ. Ex Petro Camuzato Presbytero.

*Patria S. Victoris.*

EVIT quidam Victor, dulci de nomine gaudens, Tricassinæ Diœceseos claris natalibus ortus; qui ante nomen accepit, quàm membra susciperet, antequàm solueret moras genitrix vtero plena: cùm quidam à spiritu vexaretur immundo, clamabat dicens: Quare nos torques præ initio nascendi sancte Dei Victor? Sed in hac re non testimonium dæmonum quærimus, sed confessionem, vt eum annunciarent de nomine, quod postea rei probauit euentus. Deinde post septem menses decimo inchoante, mota sunt viscera matris, & Victorem, progeniem sacram protulit orbi natum. Denique post transactum curriculum dierum baptismi vnda perfunditur, & cælesti purgatur gratia, ab originali peccato.

*Nota.*

Verùm enimuerò cùm ad legitimam veniisset ætatem, Clericatus onus suscepit, donec Diaconatus officium, & Presbyterij gradus ascenderet. Non multo pòst tempore in Arciacense territorium dereictis parentibus se transtulit: ibique in villa cui vocabulum est Saturniacus, inclusus in cellula, indesinenter ieiuniis & orationibus incumbebat: orans pro populi indulgentia & remissione peccatorum. Cùm ibidem degeret, vnus ex Francorum Regibus cùm per opaca ripæ fluminis cum equitibus & accipitribus, per amœnissima loca, venandi causa deambularet, audiens beati viri famam, ad eius tugurium gaudens aduenit: beatus autem quem nihil latebat, è cellula sua festinus in occursum eius egressus est. Rex vt eum vidit, accurrens osculatus est eum. Tunc venerabilis vir exorsus est dicens: Si celsitudo regni vestri non respuit cellulam serui vestri, ingredi dignemini. Rege igitur ingresso, vni ex pueris præcepit vir sanctus, vt vasculum in quo vinum solebat reponere, afferret. Cúmque attulisset prostrauit se in orationem, & ita fudit ad Dominum preces. Deus cuius potentia est omnibus celsior, qui me ex vtero matris meæ in hunc mundum venire iussisti, tuumque sanctum nomen confiteri: benedic vas istud, & reple ipsum rore cælesti, vt sicut manna in deserto patres nostri satiati sunt, ita repleamur tuæ benedictionis dono. Oratione completa, cum fecisset signum Crucis, illicò repletum est vas illud optimo vino, cuius suauitas gustui omnino iucundissima erat. Rex autem, & omnis eius comitatus videns hoc miraculum, bibit cum iucunditate, & gratias agens iter cœptum peregit cum gaudio.

*Fit Clericus, deinde Diaconus, postmodum presbyter.*

*Degit inclusus in cella.*

*Rex Gallia venit ad eius tugurium.*

*Vas orationis viri Dei optimo vino repletur.*

Quadam die vir sanctus, cum ieiuniis & orationibus inediaque corpus marceratum quieti tribuisset, consurgens per opaca noctis silentia, quodam se in loco ad orationem telluri prostrauit, & cùm sursum intenderet vidit cælum apertum, & Crucem aureo coruscantem fulgore, & ex vtraque parte lapidibus pretiosis ornatam, audiuitque vocem sibi dicentem: Hæc quæ cernis animæ sunt Sanctorum, qui stolas suas lauerunt in sanguine agni. Et terrore concussus, ruit in faciem suam, magnificans Dominum, qui ei cælestia patefacit arcana. Ab illo igitur die, in cellula clausus latebat; & cùm nullis vacaret secularibus, multi tamen diuersis languoribus afflicti veniebant ad eum, & sanabantur. Nec istud silendū putaui, quod ad tanti viri laudis veram virtutem oportet edicere. Cùm esset vir beatissimus iam persenilis ætatis, rogatus est à quodam eius filio spirituali quem de sacro fonte susceperat, vt domum & familiam eius visitare dignaretur. Beatus igitur vir non respuit, diem pollicetur, & sicut spoponderat adimpleuit. Cúmque ad præfatam domum veniisset, occurrunt ei vniuersi cum gaudio, & vt munus cæleste eum suscipiunt. Dum autem ibi maneret, ad eum visitandum turba hominum conuenit, & de Religione Catholica eos docere cœpit. Cùm verò sermo prolongaretur, & appropinquasset hora, & ad Ecclesiam (vt mos est) ad audienda sacra mysteria properarent, quodam in loco dicitur restitisse: vbi audire meruit cateruas Angelorum, orationem Dominicam concinentium. Stupefactus igitur, & ambabus manibus pectus suum percutiens ait: heu me quia cùm sim indignus, Iesu Domine, audire merui orationem auribus meis, quam tu ipse Domine docuisti dicere discipulos tuos, inenarrabilibus vocibus Angelorum. Postero autem die cùm ad cellam remeasset, ibi ieiuniis, & orationibus vacabat.

*Videt Crucem aureo coruscantem fulgore.*

*Audit cateruas Angelorū orationē Dominicam cōcinentium.*

Pauca de pluribus retuli, ne legentibus fastidium generarem. Nam cæcis visum, surdis auditum, mutis linguam, & claudis restituit gressum, vniuerso populo testificante. Demū 4. Calend. Martij migrauit ad Dominum. Accidit tunc illo tempore, vt homo quidam facto peccato furti comprehensus in Arciacensi castro, in ergastulorum custodia retrusus custodiretur. Qui in visu videre promeruit beatum Victorem, baculo suo compaginem catenarum, quibus vinctus fuerat tetigisse. At ille expergefactus sentiens in se virtutem ostensam, quod de manibus eius & collo vincula dissoluta fuissent, patefactis ianuis carceris, venit ad basilicam viri Dei, & coram omnibus miraculum enarrauit. Multa alia signa & prodigia fiunt ad eius tumulum vsque in præsentem diem, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

*Multis claret miraculis.*

*Quidam in carcere detētus, sancti viri meritis liberatur.*

## NOTÆ.

Victor.] *Pluribus de eo agit Camuzatus in Antiquitatibus Ecclesiæ Trecensis. Floruisse creditur tempore Dagoberti Regis Galliæ qui eum visitauit in cellula sua.*

Tricassinæ



Tricassinæ Diœceseos.] *Diœcesis, vel melius Diœcesis, Latinè gubernatio siue iurisdictio: à διοικέω, guberno. Sunt autem Diœceses Pontificum, in quibus officij sui administrandi liberam habent potestatem: propter quod Diœcesani Episcopi vocantur.*

## VITA SS. VVINEBAVDI ET FLAVITI Eremitarum. Ex Petro Camuzato in Hist. Eccl. Tricast. & aliis.

*S. Vvinebaudi natales.*

VIR sanctissimus Vuinebaudus Nogenti vici Diœcesis Tricassinæ ciuitatis indigena, ortus est natalibus non infimis. Qui statim atque adolescentiæ pertigit annos, mundo valedicens ad Eremum secessit, & solitariam atque Anachoreticam cœpit ducere vitam. Cum autem multos annos solitarius mansisset, & sanctitatis eius fama ad beatum Gallomagnum Tricassinæ vrbis Episcopum peruenisset, eū accersiit. Misit autem Lectorem suum qui iam à multis diebus febre tertiana laborabat. Qui cum peruenisset ad cellulam viri Dei, nunciauit ei voluntatem Episcopi. Sed cùm beatus vir videret ardoris ac frigoris repentina infestatione artus Lectoris exagitari, misericordia motus, orationem pro eo fudit ad Dominum, statimque ægrotus sanitati restitutus est.

*Anachoreticam vitam ducit.*

His ita constitutis, ne inobediēs Pontifici videretur, ad eum cum Lectore profectus est. A quo honorificè exceptus, cùm videret lectorem eius precibus sanitati restitutum esse, eum sacerdotem ordinauit, & postmodum Auderico S. Lupi Abbate mortuo, in eius locum suffecit; petente & proclamante omni fratrum turba. Illo igitur munere accepto, nihil de sua solitudine & viuendi austeritate prætermisit: numquam enim è cellula progrediebatur, præterquàm in diebus solemnioribus sanctorum ad consolandos & visitandos fratres. Quanto plus ieiunium & abstinentiam prolongabat, tanto pulchrior & valentior videbatur.

*Fit Abbas.*

*Clotharius Rex S. Lupū Episcopū Senonensē mittit in exiliū.*

Eo tempore cùm Clotharius Burgundiæ regnū obtinuisset, commotus aduersus Sanctum Lupum Episcopum Senonensem, eum in exilium misit. Cùm enim idem Rex Clotharius Farulphum virum multa seculi dignitate pollentem, ob regia negotia curanda Senon. allegasset: vbi prope vrbem multa animi indignatione cœpit permoueri, quòd Sanctus Antistes cum muneribus ei obuiam nō procederet. Deinde intra vrbem susceptus, toruo vultu beatum virum intuebatur: sed audiuit ab eo: Oportet semper obedire magis Deo, quàm hominibus. Sacerdotis est plebem regere, & Principes seculi diuina præcepta docere. Itaque par est, illos ad eū potiùs accedere. Farulphus ira & furore percitus, multa ad Regem de sancto viro falsa retulit, adiutus etiam opera hominis nequissimi Medegisili, qui in S. Remigij suburbio Monasterium tenens, sancti Episcopi locum occupare conabatur. Iis ergo nefariis viris regias aures incantantibus, Clotharius Rex commotus, beatum Antistitem iubet exulare Vinemagi, qui est Neustriæ pagus. Traditus est autē Duci pagano Bonosi Lādegisilo, qui eum relegauit in villam Andesaginā ad flumen Duciam, vbi erant profana templa & idola, quæ à populo colebantur. Multos igitur qui gentilismi erroribus tenebantur, conuertit ad Christum, & sacro baptismate illuminauit.

*In exilio constitutus S. Lupus multos conuertit ad Christū.*

Interea temporis, diuina dextera id agente, ciues Senonenses zelo Dei permoti, dolentes impia crudelitate sibi ablatum pastorem suum, in basilica S. Remigij prædictum Medegisilum acerba morte affecerunt. Porrò Ragnegisilus, Senonicæ Ecclesiæ Archidiaconus, populi precibus, imò verò Christi amore incitatus, venit ad Sanctu Vvinebaudum, ab eoque precibus contendit, vt à Rege Clothario peteret, Sancto Lupo ab exilio reuocari vt liceret, atque in sedem reuerti suam, ne plebs pastore orbata, luporum faucibus expolita videretur. Fecit Vvinebaudus vt rogatus erat: Rex eius precibus flectitur, mutat odium in beneuolentiam, mittit à latere suo virum Dei Vvinebaudum, qui sanctum Episcopum reducat. Vbi in mutuos venere conspectus Lupus & Vvinebaudus, præ gaudio pariter fleuerunt. Vuinebaudus doluit ea sancti Antistitis calamitate, eumque dolorem inter mutua colloquia testabatur: audiuit verò rursus ab eo illud ex Apostolo: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Itemque illud: Qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur.

*Madegisilus à populo occiditur.*

*Mittit Rex S. Vvinebaudum vt ab exilio reuocet S. Lupum.*

*Rom. 8.*

*2. Tim. 3.*

Deinde simul se dant itineri, & beatus Vvinebaudus sanctissimum Præsulem lætus Regis obtutibus repræsentat. Lætatur Rex, & proceres omnes gratulantur tanti Antistitis præsentia: contemplatusque eum Rex, pietate flexus, ad pedes eius humi prosternitur, veniamque ab illo deprecatur. Cernens verò eum afflictum, corpus eius macie confectum, caput intonsum, barbamque minimè rasam, ob cumulatum abstinentiæ rigorem: tremens & eiulans Rex cum multo gemitu eius miseriæ se reum fatetur, & sancti viri delatoribus dira imprecatur: iubetque eum honorificè tractari, comamque & barbam tonderi. Postquam autem suus ei decor restitutus est, eius Clerum voluit Rex conuiuio interesse. Ibi, tum Christo agente, repentina conuersione cernere erat Regem ex persecutore factum ministrum beati viri, & suis manibus cibum ei porrigentem, qui antea illi penuriam attulerat. Rursus verò petens sui facinoris veniam, à sancto Episcopo leuatur è pulueres, multaque ei offert munera, Ecclesiæ vsibus profutura: atque ita demum iubet eum ad suam vrbem se recipere. Quamuis autem beatus vir Senones se conferret, attamen Andesaginam, eius exilij locum, Christus ob eius merita virtutum gratia crebrò illustrauit: ita vt etiam illo iam paradisum obtinente, etiamnum virtus diuina illic operetur.

*Petit veniam Rex.*

Porrò autem inclyti sacerdotes Lupus & Vvinebaudus, Regi & proceribus eius valedicentes, sanctitatis inter se coniuncti nexibus, Lutetiam pertranseunt, & ecce multa reorum turba vinculis constricta, aut carceribus inclusa eorum virtute soluitur, eisque obuiam progreditur. At postquam ad sua rediit beatus Antistes, beatus etiam Vvinebaudus reuersus est ad cellam suam, & in solitis abstinentiis, & ieiuniis exercebatur: multi infirmi ad eum veniebant, quibus manus imponēs, sanabantur omnes. Cùm igitur multos annos in solitudine atque austeritate maxima vixisset, tandem plenus dierum, & clarus miraculis migrauit ad Dominum, multaque ad eius tumulum diuinitus facta sunt miracula. Florebat tunc temporis eximia sanctitate Sanctus Flauitius, qui à D. Lupo Senonensi Episcopo, de quo supra fecimus mentionem, Sacerdos consecratus est, vitamque solitariam & Eremiticam degit apud Marcelliacum

*Miracula.*

*Sanat infirmos S. Vvinebaudus.*

*S. Flauitius floret sanctitate.*

oppidum eiusdem Diœceſis. Huius autem ſacræ corporis reliquiæ in cœnobio D. Columbæ ad muros Senonenſes conſeruantur: ibidemque eius memoriæ dicata ſolemnitas decimoquinto Calend. Ianuarij celebratur.

## NOTÆ.

Vvinebaudus] *Vel Vvinebaldus claruit circa annũ Domini* 620. *Eiuſdem meminit Trith. de vir. Illuſt. Ord. S. Ben. lib.* 3. *cap.* 67. *eiuſque natalem reponit* 18. *Decembris. Agit & de eo Vvion. in Mart. Monaſt. die ſuperius dicta. Fit mentio de eo in vita S. Lupi Epiſcopi Trecenſ. apud Surium tom.* 4. *Pluribus Baron. tom.* 6. *Annal.*

Apud Suriũ.

## VITA S. GALLI ABBATIS.
### Ex Vvalfrido collecta.

CVM præclara ſanctiſſimi viri Columbani conuerſatio per omnem Hiberniam celebris haberetur, inter cæteros, quos fama virtutum eius attraxerat, parentes Beati Galli, ſecundum Deum Religioſi, ſecundum ſeculum nobiles, filium ſuum, primo ætatis flore nitentem, illius magiſterio commendarunt. Dumque bonæ indolis vir charo nutriretur affectu, magno virtutum creuit augmento. Superna quoque gratia ſe præueniente, tanto ſtudio diuinas epotauit ſcripturas, vt de theſauro ſuo noua proferre poſſet & vetera, Grammaticæ etiam regulas, metrorúmque ſubtilitates capaci conſequeretur ingenio. Obſcura autem ſcripturarum tam ſapienter ſcire volentibus referauit: vt cuncti, qui eius prudentiam & ſermones audierant, admiratione & laude digniſſimum iudicarent. Qua ſapientiæ maturitate factum eſt, vt vniuerſorum communi conſilio, & iuſſione Columbani Abbatis, per ſingulos ſacræ promotionis gradus aſcendens, inuitus ſacerdotij ſuſciperet dignitatem.

*B. Gallus ab ineunte ætate ſub diſciplina S Columbani à parẽtibus committitur.*

*Eruditio magni S. Galli.*

*Creatur Preſbyter.*

Verùm quoniam Gallus idololatriæ ſcelus vbique conuellebat, fana atque ſimulachra diſſipabat: Gentilium odia concitauit. Quibus etiam cedendum ratus Columbanus in Italiam ipſe ad Agylulphum Longobardorum Regem profectus, Gallum febribus detentum, vnà cum Magnoaldo, & Theodoro Monachis, in Alemannia reliquit.

*Paulatim idololatriam extirpat.*

Cum verò conualuiſſet Gallus, didicit ab Hiltiboldo Diacono locum quendam ſolitarium aſperitate terribilem, montibus plenum præcelſis, beſtiis poſſeſſum ſæuiſſimis. Nam præter ceruos, & innocuorum greges animalium, vrſos gignebat plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes, rabie ſingulares. Cum autem ad hanc ſolitudinem veniſſet cum prædicto Diacono, beatus Gallus dum orandi gratia modicum ab illo diuulſus eſſet, inter condenſa veprium fruteta ambulans, & pede hærens, ad terram corruit. Quod Diaconus videns, accurrit, vt ſubleuaret proſtratum. Sed vir Dei præſcius futurorum: Sine me, ait, hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et cum poſt orationem ſurrexiſſet, ſumens virgam colurnam, fecit Crucem, & fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capſellam, in qua continebantur reliquiæ B. Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum Martyrum Mauritij & Deſiderij. Quam cum in ipſa Cruce ſuſpendiſſet, vocauit Diaconum, & pariter proſtrauerunt ſe in orationem. Finita oratione Sole occumbente, finitus eſt dies, & ipſi tandem cum gra-

*Venit ad quandam ſolitudinem.*

*Geſtat reliquias Sanctorum.*

tiarum actione ſumpſerunt cibum: rurſumque Deo gratias exhibentes ſtrauerunt ſibi lectũ in terra, vt aliquantulum requieſcerent. Sed vir ſanctus cum comitem ſuum alto teneri ſomno putaret, ſurgens proſtrauit ſe in figuram Crucis ante capſellam, & preces Domino deuotas effudit. Interea deſcẽdens vrſus de monte, micas & fragmenta, quæ conuiuantibus deciderunt, cautè legebat. Hoc factum vt vidit vir Dei dixit ad feram: Præcipio tibi beſtia in nomine Domini, tolle lignum & mitte in ignem. Ad cuius præceptum bellua conuerſa, validiſſimum lignum attulit, & igni iniecit. At vir benigniſſimus cum feræ dediſſet panem: præcepit vt diſcederet, neminemque læderet. Dum hæc agerentur, Diaconus dormire ſe ſimulans, quod vir Deo charus cum beſtia geſſit conſiderabat, ſurgenſque proſtrauit ſe ad pedes eius dicens: Nunc ſcio verè Dominum eſſe tecum, quoniam & beſtiæ Eremi obediunt tibi. Ille autem præcepit ei ne hoc alicui diceret.

*Vrſus libenter obedit viro Dei.*

Nocte igitur exacta, cum lux aurea ſyluarum illuſtraret opaca, vir ſanctus miſit Diaconum ad lacum vt piſcaretur. Qui cum ad lacum veniſſet, duo dæmones in effigie mulierum ſteterunt in littore: ita nudati, quaſi balneum intrare voluiſſent. Et cum turpitudinem ſui corporis illi obiicerent, tollentes lapides, iactauerunt contra eum, & dixerunt: Tu induxiſti virum iſtum in hanc Eremum, virum iniquum & inuidia plenum, qui ſuis maleficiis ſemper non vincere conſueuit. Ille autem reuerſus ad virum Dei, indicauit illi quæ viderat & audierat. Electus Dei bellator pariter cum Diacono proſtrauit ſe ad orationem. Surgentes autem venerunt ad gurgitem, & continuò dæmones in fugam conuerſi ſunt. Sanctus verò Gallus dixit illis: Præcipio vobis phantaſmata, per immenſæ potentiam Trinitatis, vt hunc locum deſerentes, in montes deſertos eatis: & huc reuertendi vlterius non habeatis fiduciam. Deinde mittentes in gurgitem rete, ceperunt piſces quantos volebant.

*Duo dæmones apparent in ſpecie nudarũ mulierum.*

*Fugat eoſdẽ B. Gallus.*

Igitur poſt diſceſſum dæmonum, dum fideles illi Eremi dilectores vallem luſtrarent, videntes inter duos fluuiolos multa deſiderabilia, ſyluam ſpecioſam, montes per gyrum, planitiem in medio, probauerunt locum ad ædificandum cellam optimum eſſe. Erat autem vſque ad illud tempus in eadem valle plurima ſerpentium multitudo. Porrò ex illa die tam pleniter abſceſſerunt, vt poſtea ibi non comparerent.

*Serpentes fugiunt ad aduentum viri Dei.*

Cumque reuerſi fuiſſent ad locum primæ ſtationis, vbi pridem vir Dei Cruciculam defixerat, rogauit virum Dei Diaconus vt regrederentur ad Caſtrum. Sed cum eum prius dimiſiſſet, athleta Dei toto triduo ab omni victus adiumento corporei ieiunus permanſit: vt videlicet locum quem ſpirituali militiæ prouidebat, parſimoniæ conſecraret initiis. Quarto itaque die Eremo digrediens domũ cuiuſdam preſbyteri intrauit. Preſbyter autem ſuſcipiens illum cum gaudio, cibum ſumpſerunt. Inter prandendum nuncius venit ad preſbyterum, indicans Conſtantienſem Epiſcopum Gaudentium nomine, de hac vita migraſſe. Hoc audito, vnanimi feruore pro requie defuncti paſtoris precibus & lacrymis inſtiterunt.

*Gaudentius Conſtantienſis Epiſcopus.*

Septima poſt hæc die Gunzonis Ducis epiſtola venit ad preſbyterum, præcipiens illi, vt die duodecimo ad Iburningas villam veniret, & virum Dei ſecum adduceret. Nam filiam eius, nomine Fridiburgam, quæ illi erat vnica, ſingulari pulchritudine fulgens, ſpiritus inuaſit malignus,

*Frideburgã dæmone arrepta.*



lignus, à quo dum diuerſis torqueretur moleſtiis, penè continuam toleranit mediam, & ſæpius terræ proſtrata, inter ſpumas horribiles, miſerabili volutabatur inſania, adeo vt vix quatuor virorum teneri poſſet inſtantia. Hanc ob cauſam pater eius nuncios miſit ad Regem Sigebertum, Theodorici filium, qui eam habuit deſponſatam, vt ei nunciarent, quicquid circa puellam agebatur. Rex verò cum omni feſtinatione miſit duos Pontifices, de quorum meritis potiſſimum præſumebat, cum donis Regiis ad puellam, vt eam medicamine orationum à furoris inſania curarent. Igitur Vuillimarus Preſbyter, volens tempore per epiſtolam definito ad Ducem venire, rogauit B. Gallum, vt cu eo veniredignaretur. Qui cum renuiſſet, iterum Dux audita eius ſanctitatis fama, ad ſe eum vocauit, præcipiens ſupradicto Preſbytero, vt aſcendens nauem virum ſanctum adduceret. Interea Pontifices à Rege tranſmiſſi, venerunt, & inuenerunt ipſam puellam nimio laborantem furore, parentes autem eius & propinquos flentes ſuper eam. Poſtquam ergo ingreſſi Pontifices, munera à Rege directa præſentarunt; preces in conſpectu puellæ fuderunt ad Dominum. Illa verò tenentium manibus ſe excutiens vni eorum gladium abſtulit, volens Epiſcopos interficere. Et cum id non poſſet efficere, ſpiritus immundus vni eorum dixit: Si voluerás me, ſicut Regi promiſiſti, de hoc vaſculo propulſare, cur filiam tuam, quam Nonna illa de te concepit & genuit, non feciſti tecum venire? Deinde ad alterum. Et tu, inquit, cum tribus fœminis fornicationem commiſiſti. Veſtro quidem imperio, quod nullo ſanctitatis merito roboratur, nunquam egrediar. Eſt verò quidam vir magnæ apud omnipotentem Deum virtutis, nomine Gallus, qui me de Tucconia potenter eiecit, domóſque meas audenter deſtruxit. Poſtmodum inueniens me apud Brigantium commorantem, eadem virtute exhæredauit. Porrò quia Dux iſte eum de eodem expulit loco, in vltionem eius iniuriæ puellam iſtam arripui: de qua poſſeſſione, niſi ipſe aduenerit, nullatenus amouebor. Vnus deinde Pontificum dedit furenti alapam dicens: obmuteſce ſathana deſertor veritatis. Putauit enim eum de gallinaceo dicere gallo. Et dum ſpiritus nequam pluribus eos verborum iniuriis affeciſſet: ad ſua reuerſi, nunciauerunt omnia, quæ geſta fuerant, Regi.

*Rex Sigebertus mittit nuncios ad virũ Dei pro liberatione Frideburgæ eius ſponſæ.*

*Notent hæc exorciſtæ.*

*Dæmones prædicãt virtutes S. Galli.*

Preſbyter verò cum ſecundum iuſſionem Ducis, virum Dei fuiſſet è veſtigio proſecutus reperit eum in ſpelunca, animũ ſuum lectionis conſolatione paſcentem, & accedens ſalutauit humiliter, dixitque ad eum: Ne timeas ſerue Dei ad Ducẽ venire. Sub teſtificatione enim iuriſiurandi promiſit, ſe nullam tibi irrogaturum iniuriam. Sed & cum poſueris manum ſuper caput puellæ, ſi ab ea per orationes tuas ſpiritus immundus abſceſſerit, in ſede Conſtantienſi pontificatus te ſublimabit honore. Illi igitur nauicula conſcenſa, totis niſibus ire feſtinantes, tandem venerunt ad Regem. Qui cum eos Dux venire in cubiculum, in quo arreptitia ſeruabatur, feciſſet, beatus Gallus orationem fudit pro liberatione obſeſſæ. Et cum ab oratione ſurrexiſſet, apprehenſa dextera eius, alleuauit eam, & impoſita manu ſuper caput eius, dixit. Impero tibi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſpiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc plaſmate Dei. Et cum hæc dixiſſet, aperiens illa oculos reſpexit in eum, & ſpiritus malignus his verbis eum alloquutus eſt: Tune es, ait, Gallus, qui de habitationibus me expuliſti? Ego planè ob vltionem iniuriæ, quam Dux iſte tibi & ſociis tuis irrogauit, filiam ipſius inuaſi: & ſic eicis me? Si hinc exiero, quò vadam? Illuc, ait, vbi tibi paratur in abyſſo ſupplicium ſempiternum a Domino. Et ſtatim videntibus qui aderant, exiuit de ore puellæ quaſi auis nigerrima, & horrore terribilis. Hora eadem ſana ſurrexit, & à viro Dei gaudens gaudenti reddita eſt matri.

*Potẽter pellit dæmones beatus Gallus de corpore Frideburgæ.*

His ita patratis, Dux iuſſit ei offerri dona, quæ Rex puellæ tranſmiſerat, & intuper vt apicẽ Pontificatus gradus dignaretur aſſumere, poſtulauit. At vir beatus honores non deſiderans conſtanter Epiſcopatum Conſtant. recuſauit, & munera pretioſa quæ ei Dux elargitus fuerat, pauperibus diſtribuit. Sigebertus igitur Rex, cum áudiſſet puellæ redditam ſanitatem, mandauit patri eius, vt eam ſuis conſpectibus exhiberet. Qui ſumens dona ingentia, & puerorum multitudinem ac puellarum, eã tranſmiſit ad Regẽ. A quo cùm gratanter ſuſcepta fuiſſet, narrauit quomodo per beatum Gallum Eremi cultorem liberata fuiſſet, rogauitque Regem vt ipſum virum gratiæ ſuæ foueret lenitate. Interrogauit autem eam Rex, in qua Eremo maneret vir eximius. Et illa reſpondit: In ſaltu qui Arbonenſi territorio adiacet, & eſt publici poſſeſſio iuris. Rex igitur vt audiuit in publicis eũ commorari poſſeſſionibus, iuſſit fieri conſcriptionem firmitatis, vt vir ſanctus locũ, quem incolebat, per authoritatẽ regiã obtineret. Auri quoq; libras duas, & argenri pondo totidem cũ epiſtola conceſſionis iam dictæ, per ſuos nuncios viro Dei deſtinauit: ſe ſacris eius orationibus commendans attentius.

*Recuſat Epiſcopatũ Conſtant.*

*Eximiam ei donationẽ facit Rex Sigebertus, ſeque precibus viri Dei commendat.*

Non multis in medio reuolutis diebus, volens Rex puellam ſuis thalamis ſociare, celebri edicto Sacerdotum & Principum Senatum nuptiarum præcepit adeſſe ſolemniis. Cumque ſtipatus agmine procerum, introiſſet, vbi ipſa manebat, dixit illi. Aſcendamus in palatium, nam nuptiæ paratæ ſunt. Quibus illa auditis, cecidit ad pedes eius dicens: Mi Domine, quia præterita paſſio ſuo me pondere tabefecit, vires abſorbuit, da mihi vel ſeptem dierum inducias, vt aliquatenus virium detrimenta recuperem, & ſic tuis poſſim applicari conſpectibus. Quam petitionem dum Rex piè ſuſciperet, ad palatium remeauit, illa in priuato commorante cubiculo. Tranſactis interea ſeptem diebus, circa matutinum officium puella cum duobus viris totidemque puellis, Eccleſiam S. Stephani promartyris introiuit, & ſecedens poſt ianuas templi, exuit ſe veſtimentis regalibus, & habitum propoſiti ſanctioris aſſumpſit, neſcientibus hoc viris, qui pariter cum illa aduenerãt. Depoſito ergo terrenæ dignitatis amictu, acceſſit ad altare, & in facié proruens, Dominũ ſtudioſius orauit: ac deinde cũ ſe erigeret, cornu apprehendit, & huiuſmodi voces emiſit: B. Stephane qui ſanguine tuo teſtimonium Chriſto perhibuiſti, deprecationem meã tuis precibus Domino cõmendato, vt tua interceſſione hodie cor Domini mei Regis cõuertat ſecundũ voluntatem meã, ne velamen quod amore Dei aſſumpſi, auferat de capite meo. Viri ergo qui aderãt cum illa, hæc videntes, venerunt ad Regẽ, nunciaueruntque ei quæ facta fuerãt. At ille aduocans Sacerdotes, & quoſdam Principes ſuos, cœpit inquirere ab eis, quid ſuper hac re faciendum cenſerent. Cyprianus Arelatẽſis Regi reſpondit: Quia, vt liquidò claret, puella hæc cum à dæmonio erueretur, hoc ſe voto conſtrinxit: cauendum tibi eſt, ne fortè ſi irritum feceris votum eius, rediuiuo dæmonum comprimatur incurſu, & ſint illa

*Nota mirum feruorẽ Frideburgæ pro conſeruandâ virginitate.*

*Ipſa ſibi ſacrũ velamen imponit.*

*Cyprianus Arelatenſis Epiſcopus.*

nouissima peiora prioribus.

Rex ergo iustitiæ tenax, & timore Domini plenus, huic consilio deuotæ mentis pandit assensum, & ingressus Ecclesiam, fecit afferri vestem nuptiis præparatam, & coronam sponsæ nitoribus imponendam. His allatis, dum puellam ad se iussisset accedere, auelli non potuit ab altari: quia se timebat de Ecclesia protrahendam. Cumque instantius Aræ inhæreret cornibus; Rex eam ne timeret, admonuit. Porrò illa inter spem & metum posita, caput super altare reclinans; Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum voluntatem eius. Rex verò iussit sacerdotibus vt eleuarent eam, & ad se perducerent. Quo facto, induta est, illo iubente, veste regali, & sacro velamine coronata. Intuitus autem eam Rex Religiosus, dixit illi: Ecce meis te nuptiis præparatam, sponsi cælestis Domini nostri Iesu Christi cedo complexibus, & dexteram eius comprehendens, posuit in altari, deinde Ecclesiæ limen excedens, lacrymis absconditum patefecit amorem. Post hæc vocauit eam, & iuxta se fecit in palatio residere, & donis ingentibus honoratam, prætulit Monasterio Ancillarum Dei, quod in honorē beati Petri Apostoli constructum est in Metensium ciuitate, vbi gesta sunt vniuersa, quæ proxima narratione retulimus. In his autem omnibus perficiendis secuta est puella consilium beatissimi Galli, qui eam Domino auxiliante, à dæmonio liberauit.

*Magna Regis Sigeberti deuotio.*

*Tandē Frideburga in Monasterio virginū collocatur.*

Post hæc Dux sæpe dictus per epistolam suam virum Dei rogauit, vt ad Constantiam oppidum veniret, ad eligendum, qui ei præficeretur Antistitem. Aduocauit autem Augustodunēsem & Virdunensem Episcopos, cum multitudine Clericorū. Beatissimus igitur Gallus diuino plenus consilio, assumptis Ioanne & Magnoaldo perrexit ad oppidum. Cumque de Episcopo eligendo tractaretur cœperunt omnes Gallum eligere. Beatus verò sui electionem in Ioannem discipulum suum transtulit, & omnino Episcopatum recusauit. Omnes igitur qui aderant, cum testimonium beati Galli de Ioanne audiuissent, eum communi consensu creauerunt Episcopum. Beatus autem Gallus cum salutaribus doctrinis, interprete Ioanne Episcopo, populum erudisset: reuersus est ad cellam suam. Tempore itaque subsequenti cœpit virtutū cultor eximius oratorium construere mansiunculis ad gyrum dispositis ad commanendū fratribus. Denique cum beatus Columbanus in Italia vitæ munere sanctissimè perfunctus esset: beato Gallo in Alemannia prædicti viri obitus reuelatus fuit. Nec multò post, cum iam bonorum omnium author, & propagator athletam suum, de mundi agone sublatum, præmiorum laureis vellet perennibus adornare, cum vocatus fuisset vir Dei prædicationis ergo ad castrum Arbonense, cum ibidem duos dies mansisset, tertia die febre correptus est. Cumque hac infirmitate per dies quatuordecim laborasset, die sexto decimo mensis Octobris, expletis nonaginta quinque annis suæ ætatis, in senectute bona, huius vitæ liberatus ergastulo, animam meritis plenam felicibus reddidit, bonis inhæsuram perennibus. Sed cum illic nullo modo potuisset humari, indomitorum tandem equorum ductu, ardentibus continuò ad feretrum cereis, in sacram Eremum perlatus, in oratorio suo, Ioannis Episcopi Constātiensis sui olim discipuli, fratrumque manibus sepultus miraculis claruit.

*Constanter recusat Episcopatum.*

*Ioannes beati Galli discipulus creatur Episcopus Constant.*

*Obitus S. Columbani ei diuinitus reuelatur.*

*Moritur.*

*Claret miraculis.*

*NOTÆ.*

Gallus.] *De eo Martyr. Roman. cum Baron. 16. Octob. Breu. Monast. pro omnibus sub Regula S. Ben. militantibus iussu Pauli Papæ V. editum etiam de eo agit hac die. Vitam eius adfert Sur. tom. 5. quam nos compendiosè retulimus. Agunt de eo Pet. in Cat. lib. 9. cap. 72. Trithem. de vir. Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 76. Arnoldus Vvion. in Mart. Monast. & plures alij. Obiit anno Domini 640. ætatis suæ 95.*

Fana.] *Erant templa, à Faunis diis, qui solebant diuinare, dicta.*

Sumens virgam Colurnam.] *Colurnus dicitur quod est materia Coryli, vulgò*, d'vn arbre nommé Cornillier, *vnde virga Colurna.*

Nonna.] *Non ea sunt Moniales, seu Sanctimoniales, dictæ etiam Nonnæ quasi castæ. νέννος Græcè, id est, castus.*

## *VITA B. GODRICI EREMITÆ.*

*Ex Matthæo Parisiensi.*

*Habetur in eius Histor. Anglic.*

MIcvs Dei Godricus in pago Norfolkensi, patre Ailuuardo, matre verò Raduenna generatus, villa quæ Vvalmpol nuncupatur, à prædictis parentibus educatus est, & ibidem cum eis aliquandiu conuersatus. Vbi puerilibus annis innocenter transactis, mercator efficitur, & primò minoris pretij merces exercens, tandem cum sociis mercatoribus nundinas cœpit publicas exercere. Hic die quadam cum in maritimis solus ambularet, tres in sicco Delphines inuenit, quorum duobus adhuc palpitantibus, tertius mortuus apparebat. Ille motus pietate, viuentes reliquit intactos, & de mortuo partem sumens, onustus recessit. Sed fluctibus maris de more reuertentibus, primò pedes & tibias, & demum abyssus caput eius vallauit. Godricus autem fortis in fide, & sub aquis diutius incedens, Domino ducente, ad siccum peruenit, & parentibus pisce dato, cuncta quæ sibi acciderant enarrauit. Solebat autem interdum solus agens de cælestibus meditari, & orationem Dominicam cum symbolo frequentius ruminare. Sanctum Andream in Scotia orationis gratia deuolutus petiuit, nec minori deuotione ductus Romam perrexit. Inde demū reuersus, quibusdā negotiatoribus adiunctus est, & cum eis nauigio aggressus est mercaturam, & diuitias congerens, vnius nauis dimidium, & alterius quartam habebat. Erat autem corpore robustus, & animo strenuus: vnde per regiones diuersas nauigando, loca sanctorum multa visitabat, & eorum se patrocinio commendabat.

*Patria & parentes B. Godrici.*

*Mercator efficitur.*

*Diuinitus à periculo liberatur.*

*It Romam.*

Godricus itaque cùm iam naualibus lucris sedecim annorum tempus compleuisset, diuitias, quas multis laboribus congregauerat, in obsequiis diuinis expendere disponebat. Signum itaque viuificæ Crucis Hierosolymam petiturus, accepit, & Dominicum sepulchrum deuotissimè visitauit, & inde per Sanctum Iacobum in Angliam remeauit. Qui iterum post aliquod temporis spatium, pia deuotione succendebatur, vt Apostolorum limina visitaret, & propositum suum parentibus indicauit. Mater verò cum se itineris comitem futuram assereret, si liceret, filius grataner annuit, & genitrici humiliter obsequens, humeris eam portabat, quoties asperitas id itineris exigebat. Illis autem vrbem Londouiensium prætergressis, accessit subitò mulier quædam magni decoris, & huius peregrinationis comitem fieri humiliter supplicauit: quod illi alacriter annuerunt. Erat quidē eis comes indiuidua,

*Petit Hierosolymam.*

*Pietas B. Godrici erga matrem.*



indiuidua, & in eorum obsequiis diligens, & deuota. Nam pedes eorum lauabat, oscula pedibus imprimebat, & aliis cunctis obsequentior habebatur. Ita per totum iter in eundo se gerebat, nec ab aliquo interrogata fuit quæ esset, vel vnde, nec illa id ipsum aliquando indicabat. Cùm autem repatriantes Londoniis appropinquabant, impetrauit licentiam recedendi, & in suo recessu hæc verba dixit: Tempus est vt illuc redeam, vnde sum digressa, vos autem benedicite Deum, qui sperantes in se non deserit, scientes quoniam illud euenit, quod Romæ ab Apostolis postulastis. Hanc autem mulierem nemo de comitatu vidit, nisi Godricus & mater eius.

Cúmque patri suo matrem restituisset incolumem, omnia quæ habebat vendidit, & eorum benedictione percepta, profectus est ab eis, vitam Eremiticam præ omnibus cupiens. Venit tandem in extremis Galliæ finibus; ad ciuitatem quæ Karleolum nuncupatur, vbi quosdam homines sibi consanguinitate coniunctos inueniens, ab vno eorum Psalteriū Sancti Hieronymi ipso donante suscepit, quod in breui didicit, & memoriter recitauit. Tunc syluas amicis ignorantibus petens, syluestribus herbis ibi & fructibus aliquandiu victitauit. Ad quem serpentes & feræ accedentes ipsum diu intuebantur, sed mox cum omni mansuetudine recedebant. Ille solus in Eremo diebus multis conuersatus nunc genuum flexionibus, nunc manibus in cælum eleuatis, nunc humi prostratus, Dominum assiduè deprecabatur. Tandem solitarium quendam inueniens, & speluncam senis ingrediens, ab ipso confestim audiuit: Bene venias frater Godrice, & tu valeas pater Ailrice, cum antea prorsus essent ignoti. Tu, (inquit senex) ad hoc missus es à Deo, vt corpus senile sepulturæ tradas. Itaque soli per biennium commanserunt, nullam omnino substantiam possidentes. Sene tandem grauiter infirmato, Godricus debilem subleuat & transportat, cibos ori eius applicat, presbyterum adducit, qui ei facta confessione, Eucharistiam subministraret. Vidēs ergo Godricus, quod morbus inualescret, dixit. O spiritus qui ad imaginem Dei creatus es, adiuro te per Deum omnipotentem, vt me nesciente, ex hoc corpusculo non recedas. Sene autem sine mora animam exhalante, vidit in similitudinem venti vrentis & feruidi formam quasi sphæricam, quæ instar vitri lucidissimi, tota resplenduit, & illam vndique incomparabilis candor obduxit: licet modum qualitatis animæ nemo valeat explicare. Audito autem obitu viri sancti, socij eius, qui erant in curia beati Cudberti, inter quos fuerat iuuenis conuersatus, sepelierunt eum in cœmeterio Dunelmensi.

*Omnibus quæ habeat venditis petit Eremum.*

*Securè viuit inter serpentes.*

*Reperit quēdam solitarium, & se mutuis nominibus salutant.*

Sepulto itaque fratre iam dicto, Godricus reuertitur ad desertum, hæsitans quid de se diuinæ sit placitum voluntati. Dum igitur super hoc attentius Deum oraret, vox lapsa de cælo dixit ei: Expedit tibi ire Hierosolymam & reuerti. Sed & sanctus Confessor Christi Cuthbertus ei apparuit dicens: Vade Hierosolymam cum Domino crucifigi, & ego tibi sum futurus adiutor, & patronus. Et itineris huius labore consummato, sub mea protectione apud Finchale Domino militabis. Godricus autem Dunelmum reuersus, signum Crucis cum presbyteri benedictione suscepit. In hoc itinere erat ei cibus panis hordeaceus, & aqua potus, non vestes mutauit, nec abluit, non calceamenta deposuit, vel mutauit, aut emendauit, antequam ad loca sancta veniret. Ad sepulchrum Domini, & alia loca sancta veniens, deuotè orauit, lacrymas fudit, solo adhæsit, oscula fixit, ita deuotus existens, vt vix cuilibet credibile videretur. Ad Iordanis fluenta procedens, cum cilicio & cypho, quem in pera portabat, & Cruce modica, quam semper in manibus ferebat, aquas fluminis introiuit, quæ omni pòst tempore quo vixit habuit chariora. Tunc primò vestes exuit, de aqua lotus ascendit, calceamēta deposuit, & dixit: Deus omnipotens, qui in hac terra nudis pedibus ambulasti, & eos pro me in patibulo clauis transfigi permisisti, ego deinceps calceamenta pedibus non apponam. Exacto igitur peregrinationis voto, in Angliam repedauit.

*Iterum petit Hierosolymā.*

*Redit in Angliam.*

*S. Cuthbertus B. Godrico apparet.*

Reuersus autem in Aquilonares Angliæ partes, locum in sylua tenuit secretum Eschedale nuncupatum, & hunc sibi competere iudicabat. Hic de lignis casulam construxit, & cespitibus eam texit, ibique per annum & menses aliquot habitauit. Sed cum à Domino fundi molestias sustinuisset, discessit, & Dunelmū peruenit: vbi psalterium ex integro discens, tantùm in breui profecit, quod in psalmis, hymnis & orationibus eruditus est, quantū sibi sufficere videbatur. Igitur diuina admonitione inspiratus, die quadam ad vicinum nemus processit, vbi audiuit pastorem quendam sic dicentem: Eamus in Frinchale, greges adaquare. Hæc audiens Godricus, dedit ei solum quem habuit obolum, vt illum duceret ad hunc locum: vbi ad interiorem syluæ densitatem progrediens, occurrit lupo miræ magnitudinis fœuienti, qui in illum irruit, ac si vellet dilaniare fruſtatim. Intelligens autem Godricus versutiam fore hostis antiqui, Crucis ei opposuit signum dicens: Adiuro te in nomine sanctæ Trinitatis, vt festinanter recedas, si meæ seruitutis obsequium, quod in hoc loco exhibere Domino proposui, sit acceptum, & his dictis, fera se eius pedibus postrauit, quasi veniam precaretur.

*Lupus ad viri Dei pedes procidit.*

Aduertens igitur mente quod ibidem esset Domino seruiturus, de licētia Episcopi Dunelmensis, nomine Ranulphi, iuxta ripam Vveri fluminis casulam imposuit in terra defossam, quam cespite contexit, & cœpit ibi habitare, serpentum socius & ferarum. Magna quidem & horribilis aderat serpentum multitudo, mitissimos tamen se viro Dei, palpabilesque, & sanctis obtemperantes iussionibus exhibebant. Nonnumquam verò eo sedente ad ignem, se inter ipsius tibias extendebant, & quandoque in disco aliquo vel cypho rotundo, se schemate componebant. Cúmque hæc annis aliquibus pertulisset, visum est sibi, quod eius orationes impediebant, & die quadam illos solito more reperiens, iussit, ne amplius domum suam intrarent, & mox totum illud vermium genus ita discessit quòd nec vltra limen transire præsumpsit. Munera quoque sibi oblata planè respuit, & cibaria. De laboribus manuum viuere disponens, ramos & radices herbarum in cineres redegit, quos cum farina hordei ita commiscuit, vt partem tertiam cineres continerent. Insultus libidinis lacrymis, vigiliis, arcebat & ieiuniis, ita quod plerumque per sex dies abstinuerit à cibo. Post fortia luxuriæ tentamenta, conatus est eum diabolus, nunc apparens in vrso, vel leone, nunc in tauro vel lupo, nunc in vulpe, vel bufone, terrere: sed ille fortis in fide, omnia contemnebat. Vt autem carnis incendia superaret, cilicio carnem edomabat asperrimo, & lorica per quinquaginta annorum curricula vtebatur. Lapidem latum habuit pro mensa, super quem collocabat panem prædictum, quem

*Serpētes obediunt viro sancto.*

*Nota miram austeritatē.*

*Nihil curat diaboli terriculamenta.*

nunquam comedit, nisi valida coactus necessitate. Potus illi fuit gustus aquæ permodicus; nec hunc sumebat, nisi grau necessitate compulsus. Nunquam iacebat in lecto, sed in nuda humo, super cilicio defatigatus occubuit, capiti supposito lapide, quem pro mensa habebat. Luna lucente, operibus insistebat, & somno ita discusso, orationibus

*In hieme nudus flumen ingreditur.*

incumbebat. Hieme gelu & niue rigenti, nudus flumen ingressus, nocte ibi tota viuam semetipsum Domino hostiam immolabat, & vsque ad collum submersus, orationes & psalmos cum lacrymis profundebat. Dum vir sanctus staret in aquis, apparuit ei sæpe diabolus, membrorum vniuersitate distortus, & cum in eum vellet irruere, signo sanctæ Crucis illum confusum fugauit. Vestes eius B

*Signo Crucis fugat diabolum.*

quas in ripa reliquerat asportauit, quem Godricus ita clamore deterruit, quod cuncta relinquens aufugit.

Die quadam, dum vir Domini Godricus, in oratorio suo sedens psalterium ruminaret, vidit ex ore imaginis Crucifixi puerulum exire, qui ad imaginem beatæ virginis, quæ in parte Aquilonis stabat in eadem trabe descendit, & gremio ipsius insedit. Illa verò manus contra venientem extendens, amplexum ferè per tres horas brachiis confouebat. Puer quoque quandiu sedebat in gremio matris, vt viuens in corpore se mouebat, & ad eius aduentum, pariter & discessum, tota sacræ Virginis imago ita contremuit, vt in trabe ruinam minari C videretur. Putabat amicus Dei Godricus imaginis membra vitali spiritu compleri, & puerum non aliud esse quàm Iesum credidit Nazarenum. Deinde puer eodem modo quo venerat in os rediit crucifixi.

Altera vice, cùm vir sanctus coram altari beatæ Virginis & Dei genitricis oraret, vidit duas puellas quasi ætate teneras, stantes ad duo cornua ipsius altaris specie pulcherrimas, quarum vestes erant niueo splendore fulgentes. Quibus diu inuicem se contemplantibus, tacuit Godricus non ausus se mouere, sed sæpius in eas oculos conuertebat, & quandoque cernuus orabat. Tunc virgines ad Godricum accedentes, illa quæ à dextris D erat altaris, illum taliter est affata: Nunquid me

*Apparet ei Mater Dei.*

Godrice cognoscis? Et ille, Domina hoc nemo potest, nisi cui tu volueris reuelare. Et illa. Verè dixisti, quia mater Christi sum, & per me ipsius gratiam obtinebis. Ista autem est Apostolorum Apostola Maria Magdalene. Et Godricus pedibus Virginis aduolutus, tibi me Domina mea (inquit) committo, vt me perpetuo custodire digneris. Tunc vtraque manus super caput eius imposuit, & cæsariem complanantes, domum odore dulcifluo compleuerunt. Post hæc Dei genitrix canticum quoddam coram illo musica modulatione præcinuit, & ipsum cantare edocuit, quod frequenter repetens Godricus, memoriæ firmiter cõ- E mendauit. Est autem canticum illud. Sancta Maria Christi thalamus, virginalis puritas, matris flos, dele mea crimina, regna in me, duc ad fœlicitatem cum solo Deo. Præcepit itaque mater Dei Godrico, vt quotiens dolori, tædio vel tentationi succumbere formidaret, hoc se cantico solaretur. Nam me (inquit) sic inuocans, meum senties confestim auxilium. Deinde signum Crucis capiti eius imprimens, ipso cernente, in cælum ascendunt: odorem ei suauissimum relinquentes.

Fuerunt die quadam apud hominem Dei, vir cum vxore sua, ipsum misericorditer deprecantes, vt resuscitare filiam suam mortuam dignaretur. Et corpus exanime de sacco excutientes, coram ipso illud proiecerunt. Vir autem Domini qui ad tantæ virtutis opus se iudicabat indignum, nihil respondit, sed in agrum processit, vt consuetum exerceret laborem. Illi autem commoti recesserũt, corpus relinquentes in oratorio, & dicentes: Habeat cadauer & infodiat, vel illud vitæ restituat, quia posset suscitare si velit. Godricus vesperi domum rediẽs in angulo oratorij corpus inuenit. Ad Deum igitur tota cordis intentione cõuersus, orationibus cœpit instare, vt Deus omnipotens, qui vita omnium est, & salus, puellam ad vitam reuocare dignaretur. Tribus autem diebus & binis noctibus hoc agere non cessauit: sed die tertia, cùm adhuc esset in lacrymis, ante altare procumbens, vidit puellam ad altare venientem, & vocatis cum festinatione parentibus, reddidit eis puellam incolumem iurantibus illis prius, quod secretum hoc, dum Godricus viueret, nemini reuelarent. Alio quoque tempore viro Dei puer mortuus à parentibus clàm oblatus est, quem iussit super altare in oratorio beatæ Virginis ponere, & parentes consolans lacrymantes ait: Non putetis (inquit) puerum esse mortuum, sed mecum flexis genibus diuinam pro puero clementiã exorate. Oratione igitur completa, præcepit vt tollerent de altari, & accedentes viuentem reperiunt & ridentem, moxque illos sacramentis constrinxit, ne hoc opus ante ipsius obitum propalarent.

*Suscitat puellam à mortuis.*

*Item & puerum.*

Habuit autem vir sanctus Monachos Dunelmẽses valde familiares, sed tamen inter cæteros, Monachum quendam nomine Nicolaum specialius diligebat. Hic autem cùm à multis rogatus fuisset, vt vitam & virtutes Sancti Godrici posteris profuturas literis commendaret, ipse pro rerum veritate certius inquirenda accessit ad virum Dei, volés ab eo quid scribere deberet, familiarius eruditi. Residens autẽ ad pedes sancti dixit, quod libenter scriberet vitam ipsius si annueret, protestans quàm vtile fore, si actuum eius notitia ad posteros deueniret. Ille verò quasi commotus, vultum conuertens ait: Vitam Godrici amici talem esse co- *Humilitas S.* gnoscas. Godricus primò rusticus pinguis, fornicator, immundus, fœnerator, falsarius, deceptor, periurus, adulator, discurrens, petulans, & gulosus, modò pulex mortuus, canis fœtidus, deuorator eleemosynarum, fastidiosus, deliciarum cupidus, & negligens, otiosus & stertens, prodigus & ambitiosus, & qui non esset dignus aliis seruire, quotidie sibi ministrantes verberat & obiurgar. Hæc autem & his peiora scribere poteris de Godrico. Et his dictis obticuit, & Monachus cum nonnulla confusione discessit. Interiectis autem deinceps aliquot annis, nihil de ipsius vita Monachus ausus fuit inquirere, donec ipse quasi misertus eius, & velut de prædicta pœnitens iniuria vltrò cœpit dicere quod volebat. Adiurauit tamen Monachum per dilectionẽ qua ei coniunctus erat, vt eo viuente nemini libellum ostenderet.

*viri.*

Per id tempus cum beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, pro lege Dei, & libertate Ecclesiæ, quæ tota ferè deperierat in Anglicana Ecclesia, gladiis prophanorũ in Ecclesia sua, quinto die Natalis Domini, id est, in crastino Innocentium, occubuisset: eodem die beatissimi Præsulis passio reuelata est beato Godrico Anachoretæ per Spiritum sanctum apud Finchale qui locus distat à Cantuaria plusquàm per centum sexaginta milliaria.

*Reuelatur ei Martyrium S. Thomæ Cantuar. Archiepiscopi.*

Sanctus igitur Eremita & amicus Dei Godricus, cum



cum annos sexaginta in Eremo apud Finchale A strenuè peregisset, morbo confectus & senio ad

*Per octo annos lãguidus in lecto decũbit.*

transitum propinquabat, nam per octo ferè annos in lecto languidus decubuerat, nec vnquam sine alienæ manus auxilio se in latus aliquod declinabat. Quo vitique tempore tot sustinuit ægritudinũ tentationumque molestias, quod nec lingua possent vel calamo comprehendi. Venerunt ad eum duo dæmones, deferentes lecticam & dicentes:

*Sub mortem varias dæmonum sustinet molestias.*

Huc venimus vt te ad inferos deportemus, quia senex delirus es, & de sapiente factus insipiens. Ille autem Crucis signaculo se muniens, & orans protinus dæmones effugauit. Obiit autem venerabilis pater Godricus 12. Calend. Iunij in octauis

*Migrat in cælum.*

Dominicę Ascensionis, cuius vita & virtutes supra B homines esse, & impossibilia relatu videntur. Sepultus est autem in oratorio suo ad plagam Septentrionalem ante gradus altaris S. Ioannis Baptistæ, cuius sepulchrum vsque in hodiernum diem coruscat miraculis gloriosum.

*NOTÆ.*

Godricus.] *De eo Malanus in addit. ad Vsuardum 21. Maij: cuius gesta in Legenda Anglorum latè dicit extare. Eius vitam compendiosè recitat Guillelmus Neubrig. de rebus Anglorum lib. 2. cap. 20. Meminit eiusdem Baronius tom. 12. Annal. Eccl. Agit & de eo Vvion. lib. 3. Ligni vitæ die 21. Maij.*

*Habetur in tom. 2. Thesauri Cœlonatorum.*

## *VITA S. IOANNIS ORTHECÆ Presbyteri & Eremitæ. Partim ex Ioanne Maldonato Hispano, partim ex Fratre Thoma de Trugillo Ordinis Prædicat.*

*Patria Sancti Ioannis Ortheca.*

IOANNES Presbyter in oppidulo Quintana Ortugno, quod est in territorio Burgensi natus, ab infantia Christo deditus est. Inualescente iam ætate, literis adeò incubuit, vt in sacerdotalem meritò fuerit dignitatem prouectus. Sed cùm id temporis, Regis Alphonsi sexti, qui sine liberis decessit, interitu, bella Hispaniam horrida dissecarent, ne compilationes morteſque pauperum intueretur, secedere vir diuinus constituit. Itaque facultatibus partim in pauperes, quos bonis bella nudauerant distributis, partim sibi retentis, Hierosolymam nauigauit. Vnde post annum reuersus, Ancensem sibi Eremum ad habitandum delegit: vt latrones, viam quæ dicitur S. Iacobi, infestantes, ac interrũpentes fugaret. Quã rem mente conceptam, quo stabilius firmaret, locum in eadem Eremo saltuosum, cui nomen erat Ortheca, prope viam quæ ducit Compostellam, abs Rege petiuit. Quo facilè impetrato, operi statim insistens, sacellum Diuo Nicolao, cuius est ope, cum Hierosolymam peteret, sæuientibus vndis ereptus, substruxit, post verò quasi asylum quod peregrinos assereret.

*Nauigat Hierosolymã.*

*Habitat in Eremo.*

Sæpissime sunt latrones conati fundamenta demoliri, vitæque Ioannis insidiari, quoquo modo studentes è medio tollere, spe tamen frustrati, cùm non sine mente Dei fieri concepissent, vacuã Dei ministro syluam fecere; seque aliò traduxere. Iam D. Ioannes opera illa confecerat, iam concursus hominum frequens erat, iam ingentes ad eum diuitiæ eleemosynarum nomine deportabantur, cũ veritus ne in alios congerere vsus diuitias videretur: tres summè necessarios erigere pontes simul est aggressus. Vnum Lugrugni, super flumen Ibe-

*Tres construit pontes vir Dei.*

rum, à quo est Iberia dicta. Alterum Naiaræ. Tertium prope Sanctum Dominicum Calciatensem. In quibus ædificandis & per reliquum vitæ quantis inclaruerit miraculis, quantis etiam post mortem, quæ senescenti secura contigit ei, non est nostri propositi enarrare. Vnum tamen è multis, quæ viuens exhibuit, paucis referamus.

Pauperes quamplurimi diuersorium Ioannis de more frequentabant, & ecce dies quidam illuxit, in quo egentium haud paruam turbam dispensator ob panis certè penuriam fame marcidam dimittebat. Id Ioannes intelligens, ægréque ferens, dispensatoris incusata prouidentia, panarium vt pertentaret iterum, mandauit. Ille & tentasse & discussisse satis contendebat, ac eiurabat. Sed vt in instanti domino satisfaceret, denuò totum dispandit, & dictu mirabile plenum ad summum inuenit. Tandem verò, multis plenus operibus bonis, multisque clarus miraculis, migrauit ad Dominum 2. die mensis Iunij, anno Domini 1173. Est autem viri sancti corpus in quodam Monasterio Ordinis beati Hieronymi, quod viri sancti nomen habet.

*Panes diuinitus reperiũtur, ad sustentationem pauperum.*

*Obit.*

*NOTÆ.*

Ioannes.] *Eius res gestæ in multis Hispaniæ Breuiar. leguntur. Eius vitam scripsit Ioseph. de Sig. Hieronymitanus in 2. parte Historiæ sui Ordinis lib. 2. cap.* C *10. Eius festum 2. Iunij celebratur.*

*Habetur in eius Histor. Anglic.*

## *VITA B. VLFRICII EREMITÆ. Ex Matthæo Parisiensi.*

NNO Domini 1154. Sanctus Anachoreta & solitarius Vlfricus de Heselberga migrauit ad Dominũ, postquàm viginti, & nouem annis contra hostes humani generis confligens fœlici marte victoriam reportauit: de cuius vita & virtutibus ad historiæ decorem, vel paruam vtile duximus facere mentionem.

Beatus vir Vlfricus ex mediocri Anglorum genere oriundus, in Contona villa à Bristollo octo D milliaribus distante, natus, nutritus est & conuersatus, ibi etiam per annos aliquot Sacerdotis officium exercuit, quod in ætate iuuenili, leuitate potius mentis quàm rationis desiderio creditur accepisse. Quippe nondum cognoscebat Dominum, vnde carne magis quàm spiritu ducebatur. Nam canum simul & auium curis sollicitus incumbens, dum die quadam in huius generis exercitio non segniter instaret, affuit vir subitò, vultum pauperis gerens, & habitum, nummum nouum ab eo supplex in eleemosynam postulans. Habebat autem tunc temporis Anglia nouam monetam in diebus E Regis Henrici I. sed adhuc ratam, præ numismatis nouitate. Cui cùm Vlfricus se nescire diceret, si nouum nummum haberet. Respice, ait, loculum tuum, & inuenies in eo duos nummos & semis. Quo ille responso obstupescens, inspexit, & ita, vt dictum sibi fuerat reperiens, quod petebatur deuotus donauit. Homo autem ille, cùm denarium accepisset, ait: Retribuat tibi is, pro cuius amore hoc fecisti. Et ego tibi in nomine eius denuncio, quia ex hoc loco in breui ad alium migraturus es, & inde ad alium transiens, requiem tandem inuenies, ibi vsque in finem in Dei seruitio perseuerans, & nouissimè eris ad sanctorum collegium euocandus.

*B. Vlfrici patria.*

Deinde

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Deinde pòst paululum vt inops Sacerdos Vuillelmo Domino villæ in qua natus fuerat adhærẽs, panem quotidie in mensa eius comedit. Vbi & in fortitudine multa lumbos suos accingens, vsu penitus cărnium se abdicauit. At vir Dei toto iam desiderio solitudinem suspirans, à Domino suo milite supradicto, ad aliam directus est villam, nomine Heselburgam, quæ ab Oxonia versus Orientem triginta milliaribus distare videtur, Spiritu sancto, vt creditur, hoc dictante, vbi in cellula Ecclesiæ contigua, Christo se consepeliens, multo labore, multaque carnis ac spiritus afflictione, Christi sibi gratiam comparauit. Nam tanto ieiunio & abstinentia, tantaque vigiliarum instantia, membra sua mortificabat super terram, vt pellis in breui ossibus adhærens, non iam carnalem virum, sed spiritualem in humano corpore intuentibus exhiberet. Vestitu simplici cilicio intus inhærente contentus erat, quod cùm ex consuetudine infra dies paucos indurauerat, vsum loricæ incœpit affectare. Quod Dominus eius miles præfatus cùm cognouisset, loricam vnam contulit viro Dei, & vas bellicum cœlesti militiæ consecrauit. Noctibus in vas quoddã cum frigore nudus aqua plenũ frigida descendere solebat, in quo psalmos Dauidicos Domino offerebat, & sic aliquãdiu perseuerãs, carnis incentiua, cuius acerrimos patiebatur stimulos, mortificabat. Humilis erat cunctis in eloquio & iucundus, cuius sermones cælestem quandam harmoniam audientibus redolebant, licet hominibus semper clausa fenestra loqueretur.

*Viuit solus in magna austeritate.*

*Carnis vitia tiones magno tormento cõpescit.*

Inter hæc vir Dei Vlfricus soli Deo cognitus, in notitiam hominum ad eorum salutem quasi manè nouum prorupit. Nam lorica, qua induebatur, cùm se genibus eius allideret, & genuflexionum eius instantiam præpediret, militem sui conscium secreti aduocat, & apud eum de nimia longitudine loricæ causatur. Ad quem miles: Mittatur, inquit, Londonias, & sicut ipse designauerit, incidatur. Respondens vir Dei dixit: Nimiam moram haberet istud, nec posset ostentationis nota carere. Sed tu, inquit, has forfices coram Deo apprehende, & manu propria hoc opus absolue. Deditque in manibus eius forfices, de ipsius militis domo allatas, & militi hæsitanti, & ipsum delirare existimanti ait: Constans esto, & vide ne trepides, ego vado pro hac re orare Dominum meũ, & interim huic operi fiducialiter incumbe. Instat vterque miles, vnus orationi, & alter incisioni, & est opus eorum manibus prosperatum. Putabat enim miles, non se ferrum incidere, sed pannum, dum tanta facilitate in ferro forfices cucurrerunt. Sed viro Dei ante operis cõsummationem ab oratione cessante, coactus est ab incisione cessare. Adstitit Vlfricus militi, & qualiter res profecerit, percunctatur: Bene, inquit, hactenus, sed nunc, te adueniente, ruptæ forfices substiterunt. Et ille: Non te moueat hoc, inquit, sed cum eisdem forficibus, perfice quod cœpisti. Miles itaque resumpta fiducia, facilitate qua priùs, rem fœliciter consummauit, & quicquid inæquale erat, sine difficultate aliqua coæquauit. Ex tunc verò vir Dei absque forficibus, cum digitis suis debilibus, non minori fide annulos loricæ, ad varia sanitatum remedia cunctis charitatiuè petentibus diuidens, ministrabat. Hanc autem miles virtutem videns, admiratione ineffabili stupefactus, corruit ad pedes viri Dei: quo facto Vlfricus confusus, erectum militem adiurauit, ne dum viueret, alicui reuelaret. Sed rei fama celebris celari non potuit, cùm plures viri

*Nota insigne miraculum.*

*Annuli loricæ ferreæ viri Dei ad varia sanitatũ medicamina valent.*

Religiosi de eadem lorica annulos se habere gauderent, & fama celebris viri Dei totius regni fines circumquaque perlustrauit.

In Aquilonaribus Angliæ partibus homo quidam erat valde miserabilis, qui fortunam paupertatis non æquè ferens, diabolo manus dedit, & homagium ei fecit. Diabolus autem, cum captæ prædæ suæ aliquandiu incubuisset, miser ille intelligens reatum suum pœnitere cœpit, circunspiciens & deliberans, cui se patrono committeret, qui illum à morte animæ liberaret. Postremò beatum Vlfricum adire deliberauit, in cuius manu salus quiescere dicebatur. Et de progressu suo valde sollicitus, cum cuidam suorum id ipsum reuelasset, adstitit ei diabolus in effigie consueta & nota, illum proditionis arguens, & castigatione crudeli seipsum punire minatur, si quid tale de cætero attentaret. At homo ille sibi silentium imponens, vidit manifestè, quòd inimicus eius cogitationes cordis sui non cognouisset, nisi eas prius per verbum prodidisset, vel signum. Dissimulato itaque aliquandiu pœnitentiæ suæ proposito, iter tandem præmeditatum arripuit, vt ad Vlfricum Dei amicum veniret, & transacto longo viæ spatio, ad vadum quidem illius fluminis, quod extra Heselbergam situm est, accessit, iter suum Domino prosperante.

*Dæmõ cordis cogitationes nullo modo cognoscere potest, nisi prius proditas per verbum, vel signum.*

Vir autem ille, cùm vadum fuisset ingressus, & de Beati Vlfrici subuentione spem certam concepisset, superuenit diabolus, ira graui succensus, & manus in hominem violentas immittens infremuit, & ait: Quid est, inquit, proditor, quod facere voluisti? Moliris pactum nostrum dissoluere, sed frustra, quia proditionis, qua olim Deo renuntiasti, & qua nunc mihi renunciare cogitas, soluere pœnas mox debes: quia iam miserabiliter submergeris. Et tenens eum diabolus, ita immobilem fecit, quod nec procedere, nec in latus aliquod valuit declinare. Dum hæc agerentur in flumine, vir Dei Vlfricus, rebus quæ fiebant, à Deo sibi per Spiritum prophetiæ reuelatis, vocauit presbyterum suum ad se Brithricum, & ait: Accelera, & assumpta Cruce cum aqua benedicta, occurre homini, quem diabolus in vado, quod extra villam est, captiuum tenet, & aspergens eum aqua benedicta, adduces ad me. At ille cum summa celeritate ad imperata iter arripiens, inuenit sicut ei dictum fuerat, hominem in vado equo insidentem, ita & in aqua immobiliter fixum, quod de loco non potuit se mouere. Quem vt vidit Brithricus, protinus in virtute magistri sui aqua benedicta hominem perfundens, in nomine Iesu Christi prædam excussit, & prædonem fugauit. Sicque captiuum de aquis assumens, cum lætitia duxit ad virum Dei, qui interim pro miseria eius orans, manus habebat ad Deum. Sequebatur à tergo dæmon quondam hominem suum, quem videns stantem ante virum Dei, apprehendit eum clamantem, & dicentem: Serue Dei succurre mihi: ecce inuadit me inimicus meus. Sanctus autem apprehendit manum hominis dexteram, & diabolus sinistram tenens, cum virtute trahebat. Et sic trahentibus illis, vir Domini Vlfricus vna manu captiuum tenuit, & altera aquã, quam benedixerat, contra faciem inimici aspergens, ipsum valde confusum ab ędibus effugauit. At vir Dei hominem tremebundũ de faucibus mortis ereptum, in interiorem cellam suam duxit, tenens eum ibi, donec per confessionem pœnitens, ille virus quod dæmon infuderat ei, ad pedes sancti euomuit. Tunc homo viribus resumptis,

*Spiritu prophetico claret.*

*Vis aquæ benedictæ.*

*Hominẽ qui seipsum diabolo dederat, ad cõuersionẽ venientem, Vlfricus benignè recipit, eũque ab inimici faucibus liberat.*



resumptis, Corpus Domini, à sancto sibi oblatũ in specie carnis, sũpsit, & interrogatus si ex toto corde crederet: Credo Domine, inquit, quia corpus & sanguinem Domini mei in manibus tuis sub specie carnis video ego miser & peccator. Cui vir sanctus, Deo gratias, inquit: Nunc simul oremus, vt in specie consueta illud percipere merearis. Sicque communicatum hominem, & in fide confirmatum, dimisit in pace.

*Nota miraculũ de sacra Eucharistia.*

Obiit autem amicus Dei Sanctus Vlfricus decimo Calendas Martij, & in oratorio suo sepultus est apud Heselbergam, quo in loco ad laudem Dei, & gloriam sancti, innumera fuerit miracula vsque in hodiernum videre. Paris in Stephano Rege.

*Migrat in cælũ vir Dei.*

## NOTÆ.

Vlfricus.] *De eo agunt Matthæus Vvest. in floribus Hist. & Vvionius in prætermissis, & adiunctis lib. 3. Ligni vitæ. Fuit natione Anglus, obiitque anno Domini 1154. conuersionis suæ 29.*

## VITA SANCTI VVINVVALOCI.

*Ex ea quæ est apud Surium, ex M. S.*

*S. Vvinuualoci sanctæ pueritia.*

VIT in Britannis vir illustris, Francanus nomine, consobrinus Cotonij Regis Britannici, idemque vir bonus & integer, Christianaque Religione initiatus. Qui cùm ex coniuge sua filiũ suscepisset Vvinuualocum, ille in ipsis mox primæ ętatis initiis cœpit ardere desiderio rerũ cælestium, mundique respuere illecebras, & soli Deo velle viuere. Porrò per id tempus claruit sanctissimus Patricius, Ecclesiæ Christi eximium decus, totiusque Hyberniæ splendidum sidus. Cuius eximiæ virtutis opinio adeò sanctum Vvinuualocum affecit, vt modis omnibus ad eum profisci peroptaret, vt viuendi normam ex eius sanctissima institutione capesseret.

*S. Patricius claret sanctitate in Hybernia.*

Verùm enimuerò cùm in ea versaretur cogitatione, per visum ei S. Patricius sese exhibuit vultu Angelico, & caput aureo diademate coronatus, atque ad eum: En ego sum Patricius, quem tantopere cupis adire. Sed ne mea causa tam longum iter terra marique suscipieres, misit me Dominus, vt voti tui compos, & aspectu & colloquio meo perfruaris. Prædixit etiam illi futurum eum aliis militiæ spiritualis ducem, salubrique eum consilio instruxit. Sed & hortabatur eum, vt à magistro suo socios expeteret, & cum eis ad alium sese locum transferret. Quæ visio vbi disparuit, Vvinuualocus quàm primùm cellam petiit, in qua Monasterij pater diuinæ meditationi & contemplationi vacabat. Cui cùm visionem exposuisset, ille hilariter perfusus: Diuina, inquit, visitatione & clarificatione visitatus es fili. Nec quicquam moratus, ac si cælitus mandatum accepisset, vndecim ei attribuit discipulos in diuini operis exercitio promptissimos. Quos cùm osculatus, eisque benè precatus esset, inter lacrymas valedicens, ait: Valete filij charissimi, & sit Deus dux itineris vestri: cúmque ad Christum peruenieritis, sitis quæso memores mei. Iam cum illis capessebat iter Vvinuualocus, & tamen quò iret, ignorabat; sed multa in Deum erectus fiducia, tandem Christo duce, ad Insulam quandam appulit. In qua postquàm cum sociis triennio mansisset, vitam ducens Eremiticam, quandoquidem nimiæ eum locum infestarent tempestates, esset que ob suam sterilitatem hominum habitationi valde incommodus,

*Apparet ei per visum S. Patricius.*

*Explicat visionem suo Abbati.*

*Cum vndecim sociis Christo duce venit ad Insulam quandam desertã.*

Deum rogauit, vt aptiorem illi locum ostendere dignaretur.

Audiuit autem Dominus preces serui sui, & vltra mare locum ei indicauit. Et tum quidem ille, quia nauis deerat qua veherentur, magna cum fiducia orauit Dominum, ac deinde ait ad fratres. Confortamini charissimi, & in fidei firmitate fundati, sicut me videritis sequentis mè tenere manum, ita vos quoque singuli præcedentis fratris apprehendite manum, & eius vestigiis insistite, sicque inuocans nomẽ Domini, pastorali virga mare percussit, & ecce renouante Deo pristinum maris rubri miraculum, illud se peruium præbuit ingredientibus: sicque consertis, vt vir Dei iusserat, manibus, ipso in fronte gradiente, per siccum transiere mare, aquis velut hinc inde in murum coalescentibus, & cantabant Domino hymnum iucũditatis & lætitiæ. Deinde verò vbi ad locum cælitus monstratum peruenissent, multum vir Dei eius grata amœnitate, & fructuum vbertate gauisus est, atque adeò sic eum locum voluit Christo Domino illic famulantibus esse attributum, vt nulli vnquam fœminæ ad eum pateret accessus. Quinetiam cùm locus ille aquarum penuria laboraret, vir sanctus, sublatis in cælum oculis & manibus, Domino precem obtulit, ac deinde mox, virga, qua mare diuiserat, terræ pulverem designans, fontem vberrimum produxit.

*Transit mare cum sociis, sicut olim filij Israël mare rubrum.*

*Impetrat diuinitus fontem.*

Erat hic beatus Pater in Dei, & proximi charitate perfectus, orationi diu noctúque intentus. Quotidie autem psalterium dicere solebat, simúlque etiam centies interdiu, & centies noctu flectebat genua. Sed & vestis ei non lanea aut linea, sed ex caprinis erat pellibus: lectus quoque non ex plumis aut pannis mollibus, sed etiam ex paleis, sed ex durissimis arborum corticibus: necnon & sedes eius mollis arena lapillis permixta. Quin & panis, quem quotidie eodem sumebat pondere, hordeaceus erat cineribus permixtus: pulmentum quoque ex farinula hordeacea & modico olere, nisi quod Sabbathis & Dominicis diebus pisce quoque & caseo vesceretur. Ac denique Quadragesimæ temporibus bis tantùm in hebdomada sumebat cibum, vinum semper, & omnem potionem quæ ebrietatem afferre posset, haud aliter atque venenum repudians. Confluebant ad eum vndique cæci, surdi, claudi, leprosi, paralytici, diuersisque affecti morbis, & omnes ab illo se incolumes redire lætabantur; ita nomen eius in tota Britannia celebrabatur. Sed hæc de eo pauca è pluribus commemorasse sufficiat. Obiit vir Dei quinto Nonas Martij, hebdomada prima quadragesimalis ieiunij.

*Viuit austerissimè.*

*Migrat ad Christum.*

## NOTÆ.

Vvinuualocus.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. Agũt præterea de eodem Trith. de vir. Illust. Ord. S. Benedict. Vvion. in Mart. Monast. Sur. Haræus, & alij recentiores qui de Vit. Sanctorum tractauerunt.*

## VITA S. VVENDELINI EREMITÆ. Partim ex Hectore Boëtio in Hist. Scot. & aliis Authoribus.

*S. Vvendelini sancta adolescentia.*

EVIT Beatus Vvendelinus Scotiæ Regis filius. Qui tum puer, tum adolescens, cum noxias voluptates effugeret, ab iisque vitiis quibus aulici sæpe detineri solent abstineret, armorumque exercitiis (vti Regũ & nobiliũ filij consueuerunt)

O operam

operam non daret: sed in Templis & Monasteriis, quæ ad diuinum cultum pertinent, totus esset intentus. Patri valde displicere hæc sancta exercitia cœperũt. Vnde sæpissimè correptus ab eo minisque & blãditiis adhibitis, cum sanctus puer multo magis de virtute in virtutem progrederetur, ira maxima successus pater, eum pascendis pecoribus adhibuit.

*Patris iussu pascit oues.*

Sanctus igitur & egregia forma præditus iuuenis, hoc ministerium licet vile & abiectum, cœpit læto animo exercere: ducens & reducens quotidie oues ad pascua. Mirum erat cernere tam delicatum iuuenem, Regisque filium, in hoc vili ministerio exercendo, tam patienter & læto animo, solis ardorem, frigorisque asperitatem, tolerantem, vilissimoque rusticorum cibo contentum esse. In pascendis verò pecoribus, non (sicut cæteri pastores consueuerunt) in vanis cantilenis & modulationibus sese exercebat: sed in orationibus, meditationibus, & sacris Psalmorũ modulationibus. Principes autẽ procereſque regni, hæc vidẽtes, indignati accesserunt ad Regẽ rogantes quatenus Vvendelinum ad aulam regiam dignaretur reuocare. Quos contemnens rex crudelis & impius (ferebatur enim eũ secreto idola colere) abire præcepit.

*Peregrinatur.*

Postquam autem beatus Vvendelinus diu tam vile & abiectum exercuisset officium: cœpit tandem tædio affici: quare latenter fugiens, peregrinationem voluntariam susc epit, multaque sanctorum loca visitauit. Deinde verò cum ad ciuitatem antiquissimam Treuerensem venisset, audissétque sanctitatis famam Monachorum Monasterij Dologiensis, petito & obtento sanctæ conuersationis habitu, Monachus factus est. Tantæ verò sanctitatis, & perfectionis fuit, vt omnium quæ in mundo sunt oblitus, solo omnipotẽtis Dei flagraret amore. Ad diuina celebranda officia omnes ipsæ Templi ingressu anteuertebat, postremus omnium à Templo recedebat. Cum autem per aliquot annos cœnobiticam exercuisset vitam, satisque didicisset solus contra spirituales nequitias pugnare: ad Eremiticam vitam vehementer cœpit anhelare. Vnde obtenta migrandi licentia, secessit ad quendam desertum & solitarium locum, vno duntaxat milliario ab ipso Monasterio distantem, cœpitque illic solus viuere. Quantum autem carnem suam attriuerit ieiuniis, vigiliis, aliisque austeritatibus maximis, non facile lingua enarrare posset. Quietiam omnibus ægrotis & infirmis, ad eum venientibus, sanitatis remedia impendebat: Nam dæmones ab hominum corporibus solo verbo pellebat, mutis loquelam, surdis auditum, aridis sospitatem miraculosè reddebat, Deo sanctum suum cohonestare & magnificare volente. Tandem verò cum multos in solitudine transegisset annos, præscius mortis suæ, senex & plenus dierum migrauit ad Dominum, anno Domini 700. Vbi autem solitariam vitam duxit, postea oppidum ex eius nomine fuit constructum, dictum ad Sanctum Vvendelinum. Fuit hic sanctus sanctissimæ omninò conuersationis, vnde tam viuus quàm mortuus vsque in præsentem diem infinitis coruscat miraculis. Ad cuius tumulum in prædicto oppidulo frequens fit populorum ex deuotione concursus.

*Fit Monachus.*

*Secedit in solitarium locum.*

*Miraculis coruscat.*

*Migrat ad Dominum. Trithem. in Comp. lib. 1. Annal. Eræc.*

*Concursus populorum ad eius tumulũ.*

### NOTÆ.

Vvendelinus.] *Alias Vvandalinus vel Vendelinus. Res eius gestas compendiosè referunt Petrus Cratepol. de Episcopis Germaniæ, & Trithemius in Compendio libri 1. Annalium. Meminit eiusdem Vvionius in suo Mart. Monastico in tractatu de filiis Regem sanctis Monachis factis. Nomen patris ab Hectore Boëtio proditur, illud videbit lector. Fuit alius, quasi eodem tempore Vvandalinus, Monachus & Presbyter, discipulus S. Columbani, & D. Vvalarici in peregrinatione socius, vir sanctus & prædicator egregius, qui multos verbo & exemplo conuertit ad Christum; quem recensui, ne duo putentur vnus. Hæc Trithemius, vbi supra.*

## VITA S. IOANNIS REOMAENSIS.

*Ex ea quam ex M.S. Codicibus collegit Vincent. Baralius.*

*Habetur in Chron. SS. insula Lerin.*

VIR per omnia prædicandus Ioannes, nullique suo tempore secundus, ortus in territorio vrbis Lingonicæ nobili genere, patre Hilario, matre verò Quieta; puer literis imbuendus traditur. Cùm autem fuisset annorum viginti inuitis parentibus seculò valedixit, ac in remoto loco villæ, propriis manibus cellam & oratorium constr uxit: vbi adiunctis sibi duobus pueris, soli Deo vacabat. Inde verò ad perfectiora tendens, in deserto quod sub axe Lingonico iacet, cum dictis pueris se contulit, & primo ibi in paruo tugurio habitauit. Crescente autem numero discipulorum ad eum confluentium, timuit ne plebi dominando, periculum potius elationis incurreret, quàm vitæ meritum acquireret. Quocirca cum duobus prænominatis sociis nocte frugiens, perlustrauit Galliæ Monasteria: tandemque perueniens in Insulam Marinam, Monasterium Lerinum petiit, ibique receptus, districtissimè vixit, ac sanctissimè inter cœnobitas illos conuersatus est.

*S. Ioannis patria & parentes.*

*Secedit in locum solitarium.*

*Fit Monachus in Monasterio Lerinensi.*

Hic igitur postquàm anno & mensibus sex delituisset, per vniuersam patriam quæsitus, à quodam qui de Galliæ partibus aduenerat, vix agnitus propter habitus sui vilitatem, inuentus est. Cognito autem eo, Monachi Lerinenses, quem priùs fama celebrem reddebat, veniam suæ ignorantiæ humiliter petierunt, quod ei inter iuniores locum dedissent. Interim reuersus agnitor ille ineffabile gaudium de inuentione beati Ioannis reportauit. Quod cùm Gregorius piæ memoriæ Lingonensis Episcopus intellexisset, duas conscripsit Epistolas, vnam per duos Patres Domino Abbati Lerinensi transmittens, qua virum Dei rogabat sibi restitui: alteram verò Abbati Ioanni, qua eum reuocauit ad suos: terrendo eundem quòd esset ante tribunal iusti iudicis Christi redditurus rationem, ob sui loci desolationem, ac fratrum dispersionem. Regressus igitur vir Dei, non tam illi patriæ, quàm suis filiis multum attulit gaudij, ac breui spatio reformauit Monasterij disciplinam.

*Gregorius Episcopus Lingonensis reuocat eum in patriam.*

Cùm ergo in deserto Iornodorensi præesset, fratres nimiam patiebantur aquæ penuriam, cui incommodo quærentibus remedium, nunciauit eodem loco antiquitus fuisse puteum multæ profunditatis, quem vulgaris iniuria, & temporum vetustas nimia lapidum obstruxerat congerie. Serpens verò basiliscus in eodem putei loco habitabat. Sanctus verò Dei, plenus fide, prior ad locum accedens, rastro fodere cœpit, ac aliis iuuantibus putei ostium aperuit, & serpentem oratione interemit: ex quo puteo copia aquæ in præsens vsque hauritur.

*Oratione interimit basiliscum.*

Per idem tempus, mater sua magno eum videndi tenebatur desiderio. Quod cùm per fratres ei esset significatum primò renuit, sed postea ne fidẽ matris

*Visitatur à matre.*



matris videretur velle contemnere, eam admisit, ac transiens ante eam cum reuerentia, parumper obtutibus eius seipsum exhibuit, moxque discessit, rogans per ministros, ne in hac re amplius molestaretur, quia deinceps se eum nullatenus visuram in præsenti vita, prædixit.

*Fur quidam diuinitus cogitur restituere ablatas secures.*

Alio quodam tempore cùm fratres ligna cæderent in sylua, casu ad Monasteriũ reuersi reliquerunt secures suas in cœpti operis loco, quas quidam superueniens inuentas furatus est. Postea fratribus id suo patri referentibus, ille iussit eos lectioni vacare, & exiens ad prædictum locum, ibidem intentissimè orauit. Fur igitur reuersus ad pedes sancti viri corruit, secures restituit, & veniam commissi criminis humiliter expostulauit, asserens se ante restitutionem de nemore exire non potuisse.

*Potestas eius aduersus dæmones.*

Eidem sancto Dei mirabilis effugandorum dæmonum collata est potestas, quousque in viuis manebat. Vnde & filium clarissimi Nicasij obsessum, cùm propè transiret, & ille proclamaret, non posse diutius tolerare Ioannis Abbatis præsentiam, ad Deum preces fudit, & oratione sanauit. Alium quoque mutum obsessum curauit: qui vsque ad obitum in Monasterio postea laudabiliter vixit & perseuerauit.

*Secundinus Patricius literas viri Dei conculcans, diuinitus punitur.*

Quodam tempore literas ad Secundinum Patricium misit, quibus cuiusdam pauperculi causam egit. At ille, spreta eius commendatione literas in terram proiecit, & pedibus conculcauit. Sed non defuit Dei vindicta. Nam toto corpore tanto tremore ac pauore subito concutitur, vt intelligeret, ob tanti viri contemptum se ista mala perpeti. Mox igitur per internuncios humiliter veniam deprecatur, & tandem imperata sibi per sanctum complens, sanatur.

*Misericordia in pauperes.*

Plurimos quoque infirmos, missis eulogiis mortis faucibus eripuit. Quodam enim famis tẽpore, dum egentium caterua ad sanctum confluer et, & ipse omnibus misericorditer subueniret, minister eius superueniens, ei indicauit, tantùm non supereſſe frumenti, quantùm omnibus sufficeret. Mox pius pater vas iussit pauperibus impleri, capiens plus minus modios quinquies quinos, cætera quæ restabant, in vsus fratrum reseruari. Cùm ergo turba egenorum per aliquod tempus ex eo aleretur, euenit vt quidam iuxta morem mendicaret. Sanctus autem consuetam mensuram dari iubet egenti. Minister verò respondit nihil in vase existere, sed totum pauperibus erogatum. Quo audito, sanctus oculos in cælum attollit, & genu flexo orauit Dominum. Qui surgens ab oratione, iubet ministro, vt fideliter alimenta deferat egenti. Pergens ergo minister, quod prius vacuum reliquerat, repletum reperit, & pauperi consuetam mensuram dedit.

*Nota sancti viri longam ætatem.*

Vir quidam religiosus Sequanus nomine, audita fama S. Ioannis, quadam nocte à partibus Magnimontenensis aduenit, & basilicam S. Ioannis oraturus latenter intrauit. Quod vbi vir Dei diuina reuelatione intellexit, iubet ministro, vt dato signo fodales excitet, quia frater Sequanus absconditè fores Ecclesiæ penetrans orat. Abeuntes ergo fratres ad Ecclesiæ fores, famulum Dei orantem inuenerunt, cui hospitalitatis beneficiũ deuotè persoluerunt. Obiit autem S. Ioannes Abbas anno ætatis suæ centesimo vigesimo: cuius oculi non caligauerunt, nec dentes damna pertulerunt, nec eius memoria lapsa est. Sepultus, quotidie nihilominus viuit miraculis.

### NOTÆ.

Ioannes.] *De quo Molanus 22. Septemb. Agunt præterea de eo D. Gregorius Turon. de gloria Confessorum cap. 87. Vsuard. Galesinus, Maurolycus.*

## VITA S. PROCOPII. EX Nicolao Salio Pragensi.

*Habetur in Annal. Bohemorum.*

PROCOPIVS homo Bohemus, parentibus, nec eminentissimis, nec obscuris Chotumæ in Bohemia in lucem effusus, penè infans seueriorem quandam viuendi disciplinam amplectebatur. Sic enim Dei reuerentia, & maiorum intuitu, cor ad honestè viuendum firmarat, vt omnes voluptatum fucatarum fibras animo prorsus eradicaret. Quam eius magnum quid pollicentem indolem parentes circumspecti animaduertentes, alendam eam & extendendam rati, Pragam eum admodum puerum transtulerunt, vt Vissegradi Dalmaticis literis quæ id temporis ibi florentes erant, expoliretur. In quibus ille tantum desudauit, vt commilitonibus suis doctrina multis gradibus emineret. Viuendi autem eius ratio tam insigniter pura fuit, vt ea excitati præcipui eius loci sacerdotes, eum licet renitentem, collegio suo cooptarent. In quo ille statu peruigil in orationibus consistebat, die nihilominus in diuino officio contrito: tandem sacerdotij gradum conscendens, cogitare cœpit, parum se hactenus in pietatis studio progressum, ni maioribus virtutum incremẽtis exorsos satus prouehere eniteretur. Hæc animo agitans, in Monachũ D. Benedicti instituta professum, Deo hoc ita curante, incidit. A quo & vitæ ab humanis negotiis seiunctæ normam excepit, & cultu nouo corporis inuolutus est, sicque parentes inuisit, non ea mente, tanquam impotentiori aliquo conspiciendi eos affectu pungeretur, sed vt reconditam aliquam & hominibus ignotam specum eligeret, in qua liber à populari tumultu, liberius Deo officij sui pensum exoluere posset. Quod cùm ageret, & anxius per inuios saltus, atque inaccessos montes singula lustrans oberraret: deuenit tandem in antrum quoddã duobus circiter milliaribus à Caltro Curimæ diremptum, qui locus à fluuio præterlabente Saffanæ appellatione percrebuit. Quod quidem antrum mille propemodum dæmonia insederant, quæ non leues ei molestias inferebant. Ille tamen, vt athleta Christi impauidus, cum iis orationum & ieiuniorum telis depugnans, palmam certaminis deferebat.

*Patria & parentes S. Procopij.*

*Literis imbuendus traditur.*

*Sacerdotio decoratur.*

*Fit Monachus.*

*Habitat in spelunca.*

Cuius tam grandes spiritus, & masculos labores, & admirationis & imitationis ergo volẽs Deus orbi palàm facere, Vldalricũ Principem Bohemiæ, occasione venationis, præconem virtutis eius & testẽ inculpatæ actionis produxit. Hic enim Princeps cùm Comites, & molossos suos, volucri cursu præteruectos, nec assequi, nec ablatos oculis reuocare posset, colligendarum virium causa, quas in ea ferarum infectatione exhauserat, sub opaca quadã eius syluæ arbore resedit, cùm insperatè cernuus ramosis cornubus mirandus, maturo gressu eum quiescentem præteruolans, secretiora lustra inire tentabat. Princeps autem, quamquam defectis viribus, gratissimam corpori fesso medelam ea mora afferret, videns tamen feram, qualem ea die nullam inuestigasset, cupiensque laudis aliquid ex ea confecta sibi decerpere, impotentium & effœtorum pedum, & damnati cursus oblitus,

*Vldalricus Princeps Bohemiæ.*

contento arcu Ceruum, vestigiis eius insistens, premit. Ille autem tam diu ante in sequentem se fugam capessit, quousque ad notam sibi specum patris Procopij decurrisset. Truncabat tunc vir Dei, post fusas preces, quercum quandam vsui suo seruituram, post cuius tergum, tanquam post firmissimum vitæ suæ propugnaculum, se recipiens Ceruus, compositis cruribus humi subsedit. Sanctus autem incitatiori cursu eius, & pauore excitatus, causam nouitatis huius assequi volens, caput sustulit, & eminus prospiciens, hominem lauta facie, & amictu corporis minimè agresti conspicatus, neruo obuersum ex aduerso vultú in se direxisse videt. Steterunt aliquantum ambo mutua admiratione defixi: tum Princeps percontari, quid hominis esset, cui ille, se magnis facinoribus obstrictum, Christi tamen seruum dicere. Hoc responso excepto, concussus Religione Princeps, laxato arcu Ceruus ad pedes Sancti ruit, & ad arbitrium eius nutumque se componens, salutares pœnas ex præscripto illius sibi decretas pensurum se offert.

*Ceruus à venat. insequutus, S. Procopij pedibus prouoluitur.*

Beatus verò Procopius, ductum in penetrale suum viuo saxo erasum, quia eum anhelanti ore loqui videbat, quiescendo aliquid laxamenti prostratis viribus corporis dare hortatur. Morem gerit Dux, & succedens antro, locato corpore, primò orat hospitem suum, vt suæ torrenti siti remedium aliquo potu adhibeat. Nihil differt sanctus: aquam qua guttur suum proluere assueuerat, Crucis signo perstrictam ei propinat, quæ subitò in talem mollissimi vini saporem, diuina operatione transiit, qualem Vldarius Princeps, in genialibus Cæsareæ mensæ epulis (inter quas olim alitus fuerat) vnquam se libasse asseuerare non dubitaret. Diuinam ergo vim hic se exerere cognoscens pius Princeps, flagitare quasi importunius à sancto patre cœpit, vt leuandorum criminum suorum spe certiori, mulctam in se iudicio suo pater decernere non grauaretur. Admisit preces tam iustas sanctus Dei homo, & vt templum Deo sub nomine D. Ioannis Baptistæ, à fundamentis erigeret, idque celebre Religiosis viris eò contractis, & copiosis prouentibus dotatis efficeret, in mandatis illi dedit. Quæ omnia Dux, vt animosè & alacriter expetiuit, ita exauditus, strenuè extremam manum operi adiecit. Id autem ab eo perfectum est anno millesimo nono, quo tempore Henricus II. fasces imperij post Othonem tertium possedit, & in Pannonia Beatus Stephanus Rex diuinorum operum effector magnificus florebat. Vbi dum cælestibus negotiis vacans ageret Procopius, stipatus choro purgatioris sensus hominum, quos sibi delectu acri habito collegerat, mirum dictu quantis vndique egenorum & morbis tentatorum examinibus, præcipuè autem eorum, qui comitiali morbo vexabantur, crebro circunfundebatur. Quibus omnibus Apostolica pietate ita se commodum impartiebatur, vt nemo ab eo tristis, omnes lætabundi redirent. Multis claruit miraculis, dæmones è corporibus fugauit, cæcis visum, surdis auditum, aliisque incommoditatibus & morbis affectos homines sanitati restituit.

*Monasterium cõstruitur in honorem S. Ioannis Baptistæ.*

*Claret miraculis.*

*Aqua in optimi vini saporem mutata.*

*Secundum S. Benedicti Regulam viuit.*

Interea cum multi ad eum confluerent, adiunctis sibi quibusdam fratribus, secundum almi patris Benedicti Regulam viuere cœpit. Tandem vir sanctus cognito suæ vitæ occasu, & fratribus prænunciato, & quæ tempestas incommodorum eos quassatura se ablato esset, instar Patriarchæ Ioseph, apertè illis vaticinatus est. Tali sermone ad eos habito conquieuit; idque circa annum Domini 1053. Calend. Aprilis.

*Moritur vir sanctus.*

Cùm autem vir beatus multis claruisset miraculis post mortem: quadam nocte summo Pontifici apparens, mãdauit ei vt catalogo SS. asscriberetur. Summus autem Pontifex, præsentibus tredecim purpuratis patribus, cum de Procopij gestionibus audiisset, diuina re facta, Sanctorum numero illum asserit, missoque in Bohemiam Guidone S. Mariæ trans Tyberim, S. Calixti presbytero Cardinali, (Legato à latere vulgò dicto) Procopium sanctum, beatum, fœlicemque credendum, notandum, colendum pronunciat, eique tanti nominis & tituli apud omnes ferendi author est, B idque anno Domini nostri 1204. quarto nonas Iunij. Neque verò Deus Legatum illum tantùm confirmatorem nobilium facinorum Procopij, sed etiam testem atque præconem virtutum illius, apud suos Romæ effecit. Nam & monumentum quod ille diffringebat, odorem gratissimum ipsi inhalauit, & complures cæci, surdi, muti, dæmonibus occupati, complures etiam insanabili morborum genere labefactati, spectante ipso, commodam valetudinem assecuti sunt. Quibus ille visis, tanti Procopium habuit, vt & munificis largitionibus eos secundum animum cumularit, qui Procopium salutaturi accederent, & ditissimos illos paratus quibus sacrificio deditus fulgebat, ei C templo in honorem Procopij, tanquam obsides sui erga eum amoris donarit: præsentibusque Episcopis tutelam eius loci commendarit.

*Catalogo SS. adscribitur.*

*Multi agroti ad tumulum S. curati.*

## ALIA EIVSDEM S. PROCOPII vita. Ex Ioanne Dubrauio Episcopo Olomuzensi.

*Habetur lib. 7. Hist. Bohemica.*

PROCOPIVS pietate atque innocentia clarus fuit. Patria ei Boiemia, & parẽtes etiã Boiemi erant, à prima ſtatim pueritia ſolliciti, vt filius ipsorum Christiana disciplina imbueretur. Cumque studia tunc ad Religionẽ conducentia, non apud alios in Boiemia, nisi apud viros sacris initiatos vigerent: puerum collegio sacerdotum in arce Vicegradensi erudiendum obtulerunt.

*Procopius à pueritia Christiana disciplina instructus.*

Postquam adoleuit, ingeniumque & mores collegio sic approbauit, vt idoneus haberetur, qui collegarum numero adiungeretur, maluit sodalem in sodalitio Breunonien si, quàm collegam in collegio Vicegradensi agere. Captus deinde amore vitæ solitariæ, Breunonia relicta, spelunca quandam Sasanæ flumini incumbentem, laruisque & lemuribus infamẽ sibi inhabitandam delegit, eam simul atque subiit, continuò omnes illæ terribiles visu formæ dilapsæ sunt, haud secus ac solent dilabi tenebræ luce immensa: vnáque etiam metus est depulsus ab accolis, qui adire specum sibi metuebant. Igitur cognoscens Procopius frustra secretum à se, fugamque hominum quæri, occultandi sui finem fecit: ac paulo pòst suæ sectæ assectatores in contubernium contrahens, sacra cum illis, & munus vigiliarum, precumque & ieiuniorum obiuit: tametsi nihil in iuuenta ægrius quàm famem toleraret. Ob quam rem Præside Breunoniẽsi aliquando indignante, atque id agente, vt abductum in agrum, ieiunare propter cibi inopiam vsque ad horam præstitutam cogeret. Procopius famelicus conspecta arbore corno, suspirare intimis pectoribus, conquerique de hyeme incipit, per

*Speluncã sibi inhabitandã deligit, in qua dæmones habitabant.*



*Miraculosè tempore hyemis arbor folia & fructus profert ad sustentationẽ viri sancti.*

per quam videlicet fieret quominus id temporis A corna esui matura reperiret. Induit subito ad suspiria eius arbor & folia & fructus, conuertitque rei nouitate in se omnium oculos. Sed & Procopium mirabantur, tam auidè in oblatos fructus inuadentem: atque ab eo tempore indulgentius in ieiuniis continuandis est habitus: donec processu temporis, & ætatis, rabidam orexim consilio atque ratione summoueret, abstinentiamque deinceps sic coleret: vt illius exemplum, seipsum aliis præberet. Non solum autem superstes, verum etiam in sepulchro dormiens multa & præclara edebat miracula. Bretislaus eo loci, quo iacebat, memoriæ eius templum excitauit, addiditque illi sodales cœnobitas.

*Bretislaus Bohemiæ Princeps tẽplum cõstruit ad honorem viri Dei.*

### NOTÆ.

Procopius.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. Calend. Aprilis. Eius res gestas ex Nicolao Salio refert Sur. tom. 7. Agit præterea de eo Vvion. in Mart. Monastico hac die, & de canonizatione eius 4. Non. Iuny. Eius vita summatim descripta reperitur in duabus lectionibus Breuiar. RR. P. Dominicanorum.*

Molossos suos.] *Hoc loco Molossus sumitur pro magno cane, à molo dictus, quasi ad molandum aptus seu paratus. Molossus præterea, est pes metricus, constans ex tribus longis: sic dictus quod Odas eo pedis genere magna ex parte constantes Molossi populi in templo Iouis canere consueuerant.*

Lemuribus.] *Lemures sunt Laruæ nocturnæ, & terrificationes imaginum & bestiarum.*

Arbore corno.] *Hæc ramos habet duritie & rigiditate cornibus similes, fructum circa solstitia facit, primo candidum, postea sanguineum, vulgò dicitur,* Cornillier, ou Cornoiller.

Rabidam orexin.] *Orexis Græcè, Latinè appetitus seu esuritio dicitur, ab ὀρέγομαι, quod est appeto.*

*Habetur in lib. de vita Patrum c. 16.*

## VITA S. VENANTII ABBATIS. Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.

*Patria S. Venantij.*

BEATVS Venantius Biturigi territorij incola fuit, parentibus secundum seculi D dignitatem ingenuis, atque Catholicis. Qui dum esset iuuenili ætate florens, à parentibus sponsali vinculo obligatur. Cúmque vt ætati huic conuenit, amori se puellari præstaret affabilem, & præter pocula frequentia, etiam luxuriosè indueretur, contigit vt ad vrbem Turonicam, Domino inspirante veniret. Erat autem tunc temporis Monasterium basilicæ Sancti Martini propinqum, in quo Syluinus Abbas gregem Deo deuotum regulari sceptro regebat. Ad hoc vir iste deuotus accedens, virtutesque cernens beati Martini, ait intra se, vt coniicio: Melius est seruire impollutum Christo, quàm per copulam nuptialem contagio inuolui mundano. Relinquam spon- E sam territorij Biturigi, & annectar Catholicæ per fidem Ecclesiæ, vt quæ credo corde, etiam opere merear effectui condonare.

*A parentibus sponsali vinculo obligatur.*

*S. Venantius tondetur, & fit Monachus.*

Hæc intra se voluens, aduenit ad ante dictum Abbatem: prouolutusque ad pedes eius, quid intimo corde gereret, cum lacrymis patefecit. At ille gratias agens Deo pro fide pueri, addita etiam prædicatione sacerdotali, iuuenem totondit, & gregi Monasteriali asciuit. Exhinc se in humilitate fratribus exhibens, & charitatem cum omnibus diligens, in tantum sanctitatis apicem euectus asseritur, vt ab omnibus tanquam parens summo studio coleretur. Vnde factum est, vt decedente Abbate

*Deinde Abbas.*

iam dicti Monasterij, ipse in loco Abbatis, eligentibus fratribus, substitueretur. Denique quadam Dominica ad Missarum celebranda solemnia inuitatur, dixitque fratribus: Iam oculi mei caligine obteguntur, nec possum libellum aspicere. Presbytero igitur hæc alteri agenda mandate. Dicente autem presbytero, ipse proximus adstitit, ventumque est, vt sanctum munus iuxta morem Catholicum, signo Crucis superpositio benediceretur. At ille intuitus, vidit quasi ad fenestram absidis scalam positam, & quasi descendentem per eam virum senem, clericatus honore venerabilem, atque oblatum in altario sacrificium dextera extensa benedicentem. Hæc autem agebantur in basilica S. Martini. Quod nullus videre meruit, nisi ipse tantùm. Reliqui verò cur non viderint, ignoramus. Ipse tamen deinceps fratribus retulit. Nec autem est dubium, & hæc fideli famulo Dominum demonstrasse, cui etiam dignatus est arcanorum secreta cælestium reuelare. Nam idem dum de basilicis sanctorum die Dominica expleta oratione, reuerteretur, super bacillum sustentatus in medio confessoris atrio, erectis auribus, oculisque ad cælum diutissimè attentis, stetit immobilis: deinde morus à loco, cœpit dare gemitus, ac suspiria longa producere. Interrogatusque à suis, quid hoc esset aut si aliquid diuinum intuitus fuisset, respondit: Væ nobis inertibus, & pigris: ecce iam in cælo Missarum solemnia expediuntur, & nos segnes, nec inchoare cœpimus huius mysterij Sacramentum. Verè, inquit, dico vobis, quòd ego audiui voces Angelorum in cælis, Sanctus, in laudem Domini proclamantes. Et dicto citiùs, in Monasterio Missarum solemnia iussit expleri.

*Visio eius sub Missa.*

*Secreta cælestia ei panduntur.*

Sed nec illud præteribo, quòd quadam vice, dum iuxta consuetudinem, vt supra diximus, de basilicis quas orationis gratia adierat, repedaret, & in basilica ad Missas Dominicæ orationis verba decantarentur, cùm illi dicerent, libera nos à malo: audiuit è tumulo cuiusdam vocem dicentem similiter, libera nos à malo. Quod non sine perfectionis merito censetur, vt hæc meruerit audire. Sed & ad Bassini presbyteri tumulum veniens, & qualitatem eius meriti, & quantitatem refrigerij, ipso docente cognouit. Et licet hæc magna sint, ad illam tamen sanitatum gratiam, quam per eum Dominus infirmis protulit, libet accedere. Non enim ambigitur, quod per eum, sicut supra diximus, operata sit dextera Dei, cui ista, quæ memorauimus, tanta voluit reuelare.

Puerulus quidam Paulus nomine, crurum poplitumque graui dolore vexatus, sanctum adiit, prostratusque genibus eius, exorare cœpit, vt ei medicinam oratione sua à Domini misericordia obtineat impertiri. Qui protinus oratione facta, oleo benedicto palpans membra infirmi, eum super lectulum suum requiescere fecit. Et cùm paululum quieuisset, post vnius horæ curriculum surgere iubet. Qui consurgens, sanus matri suæ sancti est manibus restitutus. Pharetri cuiusdam seruus, cui Dominus erat infensus, huius Sacerdotis oratorium expetiuit. Quem ille elatus superbia, absente beato viro, abstraxit, ceciditque. Sed mox à febre correptus, spiritum exhalauit. Quaternarum, ternianarumue, vel reliquarum ardores febrium, oratione facta, sæpius mitigauit. Venenum malæ pustulæ, impositio salutari signo, restinxit. Obsessos à dæmonibus, inuocato Trinitatis nomine, emundauit. Surgente autem eo quadam nocte de stratu suo, ad reddendum officium, vidit duos

*Sanat puerũ debilem.*

*Multa edit miracula.*

arietes magnos suis foribus assistentes, quasi præ- A stolantes aduentum eius. Quo viso, furibundi ad eum cum impetu valido diriguntur. At ille signum Crucis opponens, illis euanescentibus, absque metu oratorium est ingressus. Alia nocte regressus est ab oratorio, & inuenit cellam suam plenam dæmoniis, dixitque eis: Vnde venitis? Roma, aiunt, hesterna die egressi, ad hunc locum accessimus. *Potenter fugat dæmones è sua cella.* Quibus ille ait, abscedite, inquit, detestabiles, & nolite accedere ad locum, in quo nomen Domini inuocatur. Hæc eo dicente sicut fumus euanuerunt.

His, & talibus virtutum magnarum gratiis pol- *Felix obitus eius.* lens, impleto vitæ præsentis curriculo, vitam percepturus æternam, migrauit à seculo. Cuius beatum sepulchrum miraculorum illustrium effectu B plerumque redditur gloriosum. Mascarpionis serui ipsius Monasterij mentem iniquus dæmon obsederat: qui per trium annorum curricula energumenus factus, ad sepulchrum beati viri debacchãs, tandem eius est (vt credimus) oratione, eiecto dæmone, expurgatus, multos deinceps mente integra viuens annos. Iuliani coniunx, quartanæ fe- *Miracula ad sepulchrum eius.* bris ardore laborans, vt sepulchrum beati viri attigit, compressò ardore ac tremore corporali sanata discessit. Simili sorte & Bandimundi vxor hac febre laborabat, sed vbi ad lectulum sancti viri prostrata fudit orationem, mox incolumitate restituta conualuit. Multa quidem & alia de eo audiuimus; sed sufficere ad credulitatem Catholicorum hæc, quæ scripta sunt, arbitramur. C

## NOTÆ.

Venantius.] *Eius vitam ex D. Gregorio Turonensi affert Surius tom. 5. 13. Octobris. Plura de eodem in Breuiariis Ecclesiarum Cœnomanensis, & Beluac. vbi trium lectionum officium assignatur. Porro in Breuiario Cœnom. vocatur Abbas, & in Breuiario Beluac. de Beauuais, Eremita. Agit præterea de eodem Vvion. tom. 2. Ligni vitæ. Fuit & alius S. Venantius Eremita & Martyr, cuius vitam infra lib. 4. (Deo fauente) describemus.*

Præter pocula frequentia, etiam luxuriosè in- D dueretur.] *In Breuiario Cœnomanensi, vulgò, du Mans, legitur, & cum poculis frequentibus, etiam calceamenta deferret, fortassis non ita malè, quia tunc sponsus & sponsa in signum amoris & fidei, sibi inuicem dabant calceos, ita vt sponsus discalceans seipsum, calceamenta sponsæ traderet, & vicissim sponsa sponso. Pocula autem illa non sunt intelligenda de iis quæ vinum capiunt, sed de quibusdam catenulis aureis vel argenteis, in modum poculorum fabrefactis, & compositis.*

Cùm illi dicerent, libera nos à malo.] *Consentit Breuiarium Belu. Quadam vice dum de basilicis, quas orationis causa adierat, repedaret, & in basilica ad Missam, Dominicæ orationis verba decantarentur; cùm responderetur, sed libera nos à malo, audiuit è tumu-* E *lo cuiusdam vocem dicentem similiter, libera nos à malo; quod non sine perfectionis merito censetur, vt hæc meruisset audire.*

Puerulus quidam nomine Paulus.] *Etiam hoc miraculum in supradicto Breuiario Beluac. describitur.*

Alia nocte regressus est ab oratorio.] *Etiam consentit Breuiarium Beluac. Alia nocte regressus ab oratorio, inuenit cellulam suam plenam dæmoniis, dixitque illis: Vnde venistis? A Roma, aiunt, hesterna die egressi, ad hunc locum accessimus. Quibus ille. Abscedite, inquit, detestabiles, & nolite accedere ad locum in quo nomen Dei inuocatur. Hæc eo dicente, sicut fumus euanuerunt. Consentit etiam Breuiar. Cœnoman. Quadam nocte inuenit cellam suam plenam dæmoniis. Quibus ait. Vnde venitis? A Roma, aiunt. Quibus ait. Abscedite hinc detestabiles. Hæc eo dicente, sicut fumus euanuerunt.*

Vidit quasi ad fenestram absidis, &c.] *Est absis fornicis curuatura. Vnde cubiculum in absíde formatum,* faict en voute. *Dicitur etiam absida, a.*

## VITA S. SENOCH ABBATIS.

*Habetur in lib. de Vit. Patrũ c. 15.*

### *Ex D. Gregorio Turonensi Episcopo.*

BEATVS Senoch Pictaui pagi, quem Theiphaliam vocant oriundus fuit, & conuer- *Patria S. Senoch.* sus ad Dominum, Clericusque factus Monasterium sibi instituit. Reperit enim intra territorij Turonici terminum parietes antiquos, quos eruderans à ruinis, habitationes dignas aptauit, reperitque ibi oratorium, in quo ferebatur celebrem nostrum orasse Martinum: quod diligenti cura compositum, erecto altari, loculoque in eo ad recipiendas sanctorum reliquias præparato, ad benedicendum inuitat Episcopum. Affuit tunc Euphronius beatus Episcopus, qui consecrato altari, *Ordinatur Diaconus.* eum Diaconatus honore donauit. Celebratis igitur Missis, cum capsulam reliquiarum in loculo cuperent collocare, extitit capsa prolixior, nec recipi in loculum poterat. Tunc prostratus Diaco- C nus cum ipso sacerdote pronus ad orationem, lacrymas precibus mixtas effudit, obtinuitque petita. Mirum dicta: ita loculus diuinitus amplificatus, capsulaque constricta est, vt in eum spatiosissimè, non sine admiratione reciperetur.

In hoc loco collectis tribus Monachis, Domino *Magna eius abstinentia.* assiduè seruiebat, & in primis arcto vitæ tramite incedebat, exiguos cibos, & tenues potiones sumens. Diebus autem Quadragesimæ sanctæ addebatur augmentum abstinentiæ, ciborum diminutione. Nam esus illi panis tantum hordeaceus erat, & aqua, de vtrisque elementis libras singulas per dies singulos sumens. Rigorem verò hyemis sine vllo pedum tegmine pati contentus erat, manibus ac pedibus, simul & collo ferrea catena reuinctus. *Viuit inclusus in cella.* Dehinc à fratrum contemplatione semotus, solitaria se recluſit in cellula, orans assiduè, atque in vigiliis & orationibus die noctuque sine ambiguitate perdurans. Conferebat autem deuotio fideliũ plerumque pecuniam, quam non in abditis loculis, sed in pauperum marsupiis condebat, illud *Matth. 6.* Dominici eloquij oraculum sæpe memorans. Nolite thesaurizare vobis thesaurum super terram: quia vbi fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuum. Dabat etiam hic, quæ accipiebat, pro Dei intuitu in diuersis necessitatibus indigentium. Vnde factum est, vt in vita sua de his ampliùs quàm ducentos à nexu seruitutis debitique onere subleuauerit.

Cum autem nos in Turonicũ venissemus, egressus est de cellula, venitque ad inquirendos nos: salutatisque ac deosculatis, regressus est iterum. Erat enim (vt diximus) valde abstinens, sanans infirmorum languores. Sed vt de abstinentia sanctitas, ita de sanctitate vanitas cœpit obrepere. Nam egressus de cellula, iactantia cothurnosa ad requirendos visitandosque parentes, in pagum Pictauen- *Arrogantia viro sancto imponit.* sem, cuius supra meminimus, abiit. Regressusque tumidus arrogantia, sibi soli placere nitebatur. Sed obiurgatus à nobis, & accepta ratione, quod superbi longè fiant à regno Dei, ita se purgatum iactantia humilem reddidit, vt nulla in eo penitus radix



radix superbiæ remaneret, adeò vt profiteretur di- A
*1. Cor. 1.* cens: Qui gloriatur in Domino glorietur. Sed cum per eum Dominus super infirmos multas faceret virtutes, & ille ita se dixisset includere velle, vt numquam humanis aspectibus appareret, consilium suasimus, vt non se perpetuo in hac conclusione constringeret, nisi in illis duntaxat diebus qui inter depositionem Sancti Martini, ac Dominici natalis solemnitatem habentur: vel in illis similiter quadraginta, quos ante Paschalia festa in *Nota hic antiquitatem Quadragesimæ.* summa duci abstinentia patrum sanxit auctoritas: reliquis verò diebus, infirmorum gratia, populis se præberet. Audito autem consilio nostro, libenter quæ dicta sunt accepit, impleuitque sine ambiguitate. Denique quia de conuersatione eius B pauca prolocuti sumus, ad virtutes, quas per illum medicabilis diuinæ potentiæ dextera operari dignata est, accedamus.

*Cæcos sanat.* Cæcus quidam Popusitus nomine, ad eum venit, (erat autem tunc beatus Senoch iam presbyter ordinatus) qui dum aliquid postulat, tactis à sancti Sacerdotis manu oculis, vt signum salutare meruit, protinus visum recepit. Alius quoque Pictauiensis puer, huiusmodi morbo laborans, audita confessoris huius opera, pro luminis perditi recuperatione precatur. Non moratur ille, sed inuocato Christi nomine, Crucem oculis cæci imponit, statimque defluente riuo sanguinis, lux intrauit, ac post viginti annorum curricula, orbatæ C fronti geminorum syderum iubar inclaruit. Duo pueri membris omnibus debiles, & in modum sphæræ in rotunditate contracti, eius conspectibus sunt delati, quibus impositis manibus, redintegra- *Item duos contractos.* tis artubus, vnius horæ momento vtrũque reddidit absolutum. Germinauitque deinde geminæ virtutis beneficium. Puer cum puella coram eo contractis manibus adstiterunt (erat autem tunc medium Paschalis festum solemnitatis) cumque pro suæ directionis medela Dei famulo supplicarent, & ille pro ea, quæ ad Ecclesiam conuenerat, populi frequentia, hæc agenda differret, indignum se clamitans, per quem Deus infirmis præbere beneficia dignaretur, supplicantibus cunctis, ma- D nus eorum suis suscepit in manibus: quibus attrectatis, directisque digitis, sanos abscedere iubet. Benaia quoque (hoc enim erat nomen mulieris) oculos deferens clausos, tactu salutaris dexteræ benedicta, illuminata discessit.

*Virtus serpentium pellit.* Sed nec illud occuli æquum puto, quod sæpius eius oratio virus serpentium exinanire obtinuit. Duo enim tumidi morsu hydri, eius pedibus prosternuntur, deprecantes vt virus, quod mala bestia artubus moribundis iniecit, sua virtute discuteret. At ille orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe, qui in principio cuncta mũdi elementa creasti, & serpentem illum humanis dignitatibus æmulum, sub maledicto esse sanxisti, E tu depelle ab his famulis tuis veneni huius malum, vt non angues de his, sed hi de angue valeant triũphare. Hæc autem cum dissert, palpauit omnem compagem corporis eorum, statimque compresso tumore, virus mortiferum nocendi perdidit vires. Dies Dominicæ resurrectionis aduenerat, & homo quidam dum ad Ecclesiam pergeret, vidit pecorum multitudinem, suam segetem depascentem: ingemuitque, & ait. Væ mihi quia annualis mei laboris opera ita deperit, vt nihil prorsus in ea remaneat. Et accepta secure amputatis ramis, aditum sepis claudere cœpit, statimque contracta manus inuita retinuit, quod voluntariè comprehendit.

Dolore verò instigante, ad sanctum confessorem mœstus accessit, trahens post se ramum quem manu constrinxerat, narrauitque omnia sicut gesta erant. Tunc ille oleo benedictione sanctificato, *Oleo benedicto manũ læsam sanat.* manum manu stringens, abstracto ramo sanitati restituit. Sed & deinceps multos à serpẽrium morsu, & pustulæ malignæ veneno, signo Crucis locato desuper, reddidit sospitati. Nonnullis autem obsessis dæmonis sæui liuore, vt manus imposuit, extemplò fugatis dæmonibus, mentem eorũ energia turbatam, ad integritatem intelligentiæ reparauit. Omnibus verò quoscumque per eum à diuersis infirmitatibus dextera diuina saluauit, si inopes fuissent, ipse cibum vestitumque dispensatione hilari porrigebat. Tantaque ei cura de egentibus fuit, vt etiam pontes super alueos amnium diligenter instrueret: ne quis inundantibus aquis naufragia sæua lugeret.

His ergo virtutibus clarus, populis declaratus, cum esset annorum circiter quadraginta, modica pulsatus febre, per triduum lectulo decubuit. Nunciatumque est mihi cum transitus esset propinquus. At ego velocius illuc properans, ad lectulum eis accessi, sed nihil ab eo collocutionis elicere potui: erat enim valde fessus. Dehinc interposito quasi vnius horæ spatio, spiritum exhalauit. Congregata est autem ad eius exequias multi- *Moritur.* tudo illa redemptorum, quos supra diximus, ab eo, vel à iugo seruitutis, vel à diuersis debitis absolutos, quosque vel alebat cibo, vel vestitu tegebat. Plangebant enim dicentes: Cur nos pater *Post mortem multis claret miraculis.* sancte relinquis? Post hæc sepulturæ locatus, sæpius se manifestis virtutibus declarauit. Nam trigesimo ab eius obitu die, cùm ad eius tumulum Missa celebraretur, Chaidulphus quidam contractus, dum stipem postulat, ad eius sepulturam accedit: qui dum pallam superpositam oculis veneratur, dissolutis membrorum ligaturis, directus est. Multa autem ibi gesta comperi de quibus hæc tantùm memoriæ habenda notaui.

## NOTÆ.

Senoch.] *Eius vitam ex D. Gregorio Turon. affert Surius tom. 5. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico 24. Octobr. De eodem fit officium 9. lectionum in Breuiario Ecclesiæ B. Mariæ de Belna, vulgò,* de Beaune, *Diœcesis Eduensis, aliàs Augustod.* d'Autun, *vbi vocatur Enoch.*

Iactantia cothurnosa.] *Est phrasis antiqua. Nam cothurnus hic sumitur pro re alta & sublimi. Vnde cothurnosè se iactitat, qui magna de se superbè loquitur, & sentit.*

Morsu hydri.] *Est hydrus serpens in aqua degens, hydrus est mas, & hydra fœmina. Hoc autem genus serpentis iuxta Plinium lib. 29. cap. 4. est valde venenosum.*

## VITA S. EBRVLPHI EREMITÆ.

*Apud Surium tom. 6.*

### *Ex ea quæ est apud Surium.*

EBRVLPHVS vir nobilis, parentes ha- *S. Ebrulphi humilitas.* buit illustres. Nutritus est autem in aula Regis, tantamque præ se tulit modestiam & humilitatem, vt in palatio magnum obtineret locum. Cum autem esset opulentus, & literis bene eruditus, atque sapientiæ studiosus, diuino in ipso crescente feruore, libros Scripturæ diuinæ cœpit euoluere, vt sciret sanctorum Patrum res gestas, atque inde disceret, qua ratione posset ipse quoque

quoque placere Deo. Vbi autem in sancto Euange-
*Luc. 9.* lio legit ea verba Saluatoris; Qui vult venire post
me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam,
*Matth. 19.* & sequatur me. Itemque illa; Qui reliquerit domũ,
vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem,
aut filios, aut agros propter nomen meum, centu-
plum accipiet, & vitam æternam possidebit, ille
*Omnia sua dat egenis.* animo compunctus, relictis omnibus, pauperibus
ea elargitus est. Vxorem autem suam Christi ancil-
lis commendauit, vt eam cælestibus imbuerent
disciplinis. Nec verò contentus reliquisse patriam,
charosque parentes, & facultates omnes: etiam
barba & capite raso, cum tribus religiosis viris
celerrimè ad Eremum properauit, & inter opaca
nemorum, loco quem Exoniensem vocauit, lati-
tauit. Et quidem Angelo duce, receperunt fon-
tes egregios, quæ eis causa fuit Deo vberes gra-
tias agendi, qui nunquam spernit sperantes in
se.

*In Eremo degit cum pauci.* Cœperunt autem ex virgultis construere se-
pem, & intra illam tuguriolum, in quo commo-
rarentur. Erat verò locus procul ab hominum ha-
bitatione separatus. Cumque ad eos venisset vir
quidam, miratus est conatum eorum, quod sciret
Sueuos crebras illic facere irruptiones, & prædas
agere, tum quoque locum esse incultum, sed nec
opportunum culturæ. Quod cum eis obiiceret,
illi responderunt: Nos huc, mi frater, accessimus
vt ploremus peccata nostra, fretique auxilio Do-
*Quẽdam sapienti responso conuertit.* mini nostri non timemus incursus hominum. Tu
verò si sapis resipisce iam, & ad meliorem frugem
te recipe. Tunc ille compunctus corde, domum
abiit, & mane reuertens, tres eis panes subcineri-
cios attulit, & fauum mellis: iunctusque illis, Mo-
nachus effectus est. Sed cum latere non posset gra-
tia Dei, per illos operans, quidam ad eos crebrò
veniebant, resque necessarias apportabant, atque
illorum sermonibus piè instituti domum redi-
*Multi apud eum fiũt sanctissimi Monachi.* bant. Permulti autem facti sunt perfectissimi Mo-
nachi. Accidit interim vt pane deficiente pauper
quidam eleemosynam peteret. Iubenti beato
Ebrulpho, vt ei daretur eleemosyna, minister re-
spondit. Non habeo pater nisi dimidium panem. D
At ille. Nihil hæsites fili, sed memineris prophe-
*Psalm. 40.* ticæ illius sententiæ, Beatus qui intelligit super
egenum & pauperem, &c. Datus est igitur panis
pauperi, nec diu post adest quidam præ foribus
cum iumento pane, vino, & caseo onusto. Atque
ab illo die nihil defuit eis quod esset necessarium.
Porrò duo sæui latrones alterius prouinciæ eò ad-
uentantes, porcos furari nitebantur: sed interim
dum per Eremum curritant, eos inquirentes, iam
defessi, audiunt signo dato euocari Monachos ad
laudes Deo promendas. Itaque tremefacti, ocyùs
se conferunt ad virum Dei, confitentúrque crimen
suum: factique sunt egregij Monachi.

Postquam autem longè latéque peruagari cœ- E
pit fama sanctitatis Ebrulphi, & Monachorum
eius, & quanto studio colerent Deum, homines
locupletes & religiosi aliarum regionum, illorum
exemplis compuncti, petierunt à venerabili patre
Ebrulpho, vt ipsorum expensis Monasteria exæ-
dificaret. Ille non impiger, sed cupiens augere talen-
ta à Domino ipso tradita, quindecim Monasteria
*Quindecim Monasteria extruit.* virorum, & fœminarum condidit. Deinde ad Mo-
nasterium suum reuersus, cum multis Monachis
in Dei seruitio permansit immobilis. Domicilium
*Vilitas cellæ viri Dei.* autem eius nihil à pastorum tugurio differre vi-
debatur. Per eius circuitum degebant Monachi à
dextris, & sinistris, ita vt vtrimque essent cellulæ
mille quingentæ, quas ille crebrò inuisere sole- A
bat, mulo & asino subuectus. Cúmque annos vi-
ginti & vnum illic habitassent, sæua pestis locum
inuasit. Tam verò sanctus vir nequaquam vt so-
lent mercenarij, fugit, sed fratrum animos confir-
mabat, hortabaturque eos, vt pararent se venien-
ti Iudici, qui redditurus est vnicuique iuxta opera
sua. Cumque grassaretur pestis, vnus ex fratri-
bus sublatus est sine communione, dicebatur au-
tem Ausbertus. Vbi autem eum obiisse didicit B.
Ebrulphus, scisciabatur num Eucharistiam per-
cepisset. Ministro eius id negante, infremuit spi-
ritu, oransque & lacrymans, venit ad lectum eius,
aitque ad defunctum: Eheu frater cur abiisti abs- *Vidi rem admirandam.*
que communione? Ille tanquam à somno expergefactus, paululum apertis oculis; Tu es, inquit, Do-
mine? Vir Dei respondit, Ego sum, sed dic mihi,
vbi interim fueris, & quid videris. Et ille, reuoca-
sti me, inquit, à labore itineris quo me cruciabat
aduersarius. Et vir sanctus. Vis, ait, Eucharistiam
accipere? Respondit, volo. Cumque corpus & san-
guinem Domini accepisset, rursus pacis somno
obdormiuit. Migrarunt tunc ad Dominum septua- *Multi Monachi peste sublati.*
ginta & octo fratres, ex familia verò innumeri: sed
Domino miserante, pestis sopita est. Non cessauit
autem B. Ebrulphus pro animabus illis Dominum
nocte ac die deprecari.

Solebat vir sanctus, post collectas fratrum in
lecto quieturus, clàm accire ministrum suum, qui
ei legeret quippiam. Summo enim studio tenebatur intelligendi scripturas vtriusque testamenti, vt
in eum quoque quadraret illud propheticum; In *Psalm. 1.*
lege Domini meditabitur die ac nocte. Prolixas *Singulis diebus Dominicis tres Missas audit.*
quoque quotidie Domino preces offerebat. Porrò
Dominicis diebus sacerdotes coram illo tria faciebant sacrificia. Erat ei vultus præclarus, canitie fuit venerabilis, charitate plenus, fortis in vigiliis, in abstinentia iucundus & hilaris, in rebus *Catalogus virtutũ eius.*
duris patiens, erga peccantes humanus & misericors, corpore castus, sobrius & humilis. Annis *Ter in anno caput tõdere consueuerat.*
singulis ter caput tondebat, nunquam reddidit malum pro malo, prospera & aduersa æquo ferebat
animo. Si quod ei illatum esset damnum, semper *Iob. 1.*
illud erat in ore, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum in sæcula.
Cum accederent ad eum qui inter se discordes essent, optimis sermonibus ita eos demulcebat, vt
concordes redderet. Omnes ad ipsum venientes,
nobiles, ignobiles, pauperes & peregrinos iucundo vultu & cum gratiarum actione excipiebat, nec
facilè sine aliquo quamuis exiguo munusculo à se
dimittebat. Multi homines seculares febre correpti, petebant à ministro eius funiculos quibus vir
beatus se cingeret, aut quippiam ex vestimentis *Nota viri etiam vilia rerum quibus ipse esset vsus.*
eius: & quotquot cum fide accipiebant sanabantur. Quædam religiosa fœmina morbo affecta per
nuncios petiit fimbrias vestimenti eius. Iis acceptis, cum multis ad eum venit incolumis. Bis in *Nota S. viri magnã charitatem in egenos.*
anno pendebat ex voto tributum Domino Deo,
puta in Christi natiuitate, & tertio die ante Pascha; quibus diebus centum argenti solidos dabat
pauperibus, quod tamen alias pro viribus faciebat.
Pauperculus quidam ex alia regione morbo valde
confectus, venit ad eum eleemosynam petiturus.
Illum vir Dei conspicatus: Et quomodo, inquit,
frater, tantum potuisti explicare iter exhausto corpore? Illo dicente se inopia compulsum id feciſse,
ait vir Dei. Præstat te hic manere, quàm alicubi
canibus lacerandum offerri. Mansit igitur, & breui
proficiens, cœpit hortum colere: deinde verus

factus



*Punitur diuinitus homo simulator.* factus est Monachus. Alius quidam rebus pauper, A
sed corpore incolumis, contractum se simulauit, vt
plus cæteris aceiperet à viro Dei. Vbi autem acce-
pit aliquid ab eo mox febre percussus, intra pau-
cos dies expirauit.

Cum iam vir sanctus octogesimum ætatis an-
num excessisset, cupiebat dissolui & esse cũ Chri-
*Nota egregiã sententiam.* sto, dicebat enim infidelem esse seruum, qui nolit
venire in conspectum Domini sui. Incidit autem
in morbum grauem, sed corroborante eum Spiri-
tu sancto non sensit dolorem, sed iacebat affli-
ctus. Nec verò quicquam esculentum aut poculen-
tum sumere potuit, præter aquam solam. Paulo
post venerunt ad eum quidam viri spectabiles, vinũ
secum afferentes, vnde parum hausit, atque ita sine B
*Ægrotus sola Eucharistia sustentatur.* cibo vixit quadraginta septem diebus, nisi quod
Christi corpus & sanguinem percipiebat. Et nihi-
lominus tãquam bene satur, non cessabat prædica-
re fratribus verbum Dei. Rogantibus autem fra-
tribus vt parum cibi caperet ille respondit: Quæso
fratres ne huius rei mentio sit, mihi enim fasti-
dium parit. Vt autem mihi liceat paululum quie-
scere, foras egredimini. Deinde vertens se ad pa-
rietem, Dominum deprecabatur, mente ad cæle-
stia subleuata.

*Moritur.* Cumque appropinquaret migrationis eius tem-
pus, die quinto decimo ante Christi natalem, ho-
ra tertia, anima eius excessit è corpore. Orantibus
*Redit ad vitam, & multa largitur pauperibus.* autem fratribus pro anima eius cum lacrymis, pau- C
lo post reuixit, quod quidem illo die ter ita acci-
dit. Deinde diebus octodecim superuiuens, in
pauperes multa contulit, itemque in Monasteria,
pro cuiusque ratione & conditione. Porrò quarto
Calẽdas Ianuarij temporibus Rodoberti Episcopi
Sagiensis, anno duodecimo Childeberti Regis,
fratribus valedicens, alacri & Angelico vultu,
Abrahæ sinu receptus, migrauit ad Dominum,
cõditusque est honorificè in Ecclesia B. Petri Apo-
stolorum Principis, quam ipse extruxerat. Contigit tum miraculum minimè reticendum. Diaconus
quidam, qui viro sancto charus fuerat ob vitæ
sanctimoniam & virtutes, cum multis lacrymis
dixit: Cur me pater deseruisti? Cur mihi non li- D
*Quidã Diaconus viro Dei charus, cupiẽs dissolui & esse cum Christo, tandem viri Dei meritis, moritur, & simul cũ eo ad tumulum defertur.* cuit priùs sepeliri, quàm tu exires à corpore? Ea-
dem verò nocte, cum esset postridie sepeliendus B.
Ebrulphus, meritis illius Domino spiritum ille tra-
didit, & sunt ambo ad sepulchrum portati. Magna
deinde per seruum suum Ebrulphum Dominus
miracula effecit, in laudem & gloriam nominis
sui, qui viuit & regnat per infinita secula. Amen.

## NOTÆ.

Ebrulphus.] *De quo Martyr. Rom. cum Bar. in Notis 29. Decembris. Vitam eius afferunt Surius tom. 6. & Renatus Benedictus tom. 3. Fait & alius S. Ebrulphus, cuius vitam infra lib. 4. ex Breuiario Ecclesiæ Beluac. describemus, vulgò dicitur* S. Euron.

## VITA S. HERVÆI EREMITÆ.

### *Ex ea quam ex M. S. Ecclesiæ S. Pauli Leonensis collegit Renatus Benedictus.*

*A pueritia iam edit miracula.* BEATVS Heruæus in Britannia inferiori
natus, iam à pueritia cœpit clarere miracu-
lis. Cum enim lippis esset oculis, nec ita
clarè videre posset, & propterea directore opus
haberet, eo transeunte per pagum, pastores cœ-
perunt ei illudere, eum cæcum vocantes, & requi-
rentes quonam tenderet. Beatus autem Heruæus A
hæc verba graue accipiens, orauit Dominum, &
obtinuit, ne prædicti pastores vnquam ad iustam
hominis staturam peruenirẽt & exerescerẽt. Quod
& factum est. Nam irrisores illi pumiliones re-
mansernnt: nunquam deinceps incrementum ca-
pientes.

Verùm cum defuncto Rigurio S. Heruæi pa- *Pater S. Heruæi.*
tre, mater se liberam sentiens, iam à longo tẽpore
soli Deo in solitudine seruire desideraret, relictis
omnibus facultatibus, ad desertum euolauit, & *Fugit in desertũ S. Heruæi mater.*
sibi tuguriolum ex arborũ virgultis cõstruens ibi-
dem in abstinentia & continuis precibus perman-
sit. Interea beatus Heruæus literis operam nauans,
omnes coætaneos, & bonis morib. & ingenij acu- B
mine præcellebat. Qui cum quosdam annos in stu-
diis literarum expendisset, & transactis pueritiæ
annis, ad adolescentiæ florem peruenisset: volens
videre matrẽ, quodam viro optimo Vlphredo no-
mine, secum assumpto, qui locum in quo mater
eius morabatur, sciebat, ad eam profectus est. Inter
deambulandum autem cum horribilis quidam lu-
pus Vlphredi asinum arripuisset ad deuorandum, *S. Heruæus capisterio alligat lupum.*
beatus Heruæus in adiutorio altissimi confisus, ex
faucibus lupi asinum eripuit, & quod mirabilius
est, eundem asini capisterio alligans, reliquum
itineris peragere coẽgit. Igitur ad tuguriolum ma-
tris perueniens beatus Heruæus, inuenit eam gra-
ui quadam infirmitate laborantem. Quam cum C
*Matrẽ tradit sepulturæ.* fuisset consolatus: mater de visione filij sui gau-
dens, cum eo de multis rebus habens sermonem,
tandem dixit, sibi reuelatum fuisse obitum, & quod
in breui migraret ad Dominum. Paucis igitur ela-
psis diebus cum diem obiisset: beatus Heruæus de-
uotè, & reuerenter eam in hoc loco sepulturæ
tradidit.

Interea sanctitatis eius fama vbique peruagan- *Ordinatur Exorcista.*
te, Hordonus Episcopus accitum Heruæum, eum
Exorcistam ordinauit, eo quod vir sanctus propter
humilitatem suam eximiam, nobiliorem & excel-
lentiorem nollet acceptare ordinationem. Inde,
Angeli admonitione, secedens in horridum quod- *Secedit in desertum locũ.*
dam desertum, iuxta Lixenam fluuium sibi cellu- D
lam construxit: ibique per multos annos homini-
bus mansit incognitus. Quadam die cum ad quen-
dam Abbatem perrexisset, & inde peractis negotiis
ad cellam remearet, venit ad palatium Comitis *Comitẽ Helenũ eiusque domũ à crudeli morte liberat.*
Heleni, quem à crudeli morte, & totam eius do-
mum liberauit. Erat enim quidam dæmon qui as-
sumpto corpore phantastico eidem ministrabat, eũ-
demque veneno interficere volebat propter grauis-
sima quædam peccata quæ commiserat. Cùm au-
tem inter prandendum diabolus aduenisset, præ-
buissetque vitrum beato Heruæo, ita Deo dispo-
nente, salutis signo imposito, statim vitrum con- *Fugat dæmonem.*
fractum est: præcepitque diabolo vt diceret coram
E omnibus, ob quam causam in phantastico corpore
venisset. Ille verò cum omnia fassus esset, beatus
Heruæus eum in desertis locis amandauit, & vt ne-
mini noceret præcepit.

Tandem vir beatus cum per multos annos in so-
litudine vixisset, multisque miraculis floruisset, &
cum Angelica admonitione, intra sex dies se ex
hoc mundo migraturum didicisset, incidit in mor-
bum. Visitatus igitur à parentibus, & Episcopo, qui
ei sacrosanctũ Eucharistiæ tradidit sacramentũ, mi- *Angelorum cãtus auditi in morte S. viri.*
grauit ad Dominũ. Auditæ sunt antẽ voces Ange-
lorũ laudantium & glorificantiũ Dominum, quãdo
sancta eius anima à corpore separata, ab eis in cæ-
lum est delata. Floruit circa annum Domini 580.

NOTÆ.

Heruæus. ] *De eo scribit Robertus Cœnalis de re Gallica lib. 2. Perioche 6. Arnoldus etiam agit de eo in additione Ligni vitæ. Festum eius 17. Iunij celebratur, vulgò dicitur* S. Hervé.

Pumiliones effecti. ] *Pumilio propriè dicitur homo paruæ & humilis staturæ, quem Græco vocabulo Nanum appellamus.*

## VITA S. GISLENI EREMITÆ. *Ex ea quæ est apud Haræum.*

*S. Gislenus à primis annis in Monasterio versatur.*

EGREGIVS Christi confessor Gislenus, à Græcis Christianis parentibus feliciter ortus, Athenis literis eruditus, postquam disciplinis liberalibus perfectè institutus fuit, mox intra Monasterij claustra velut in optatissimum salutis portum se recepit. Vbi cùm aliquandiu in S. Basilij instituto viuens, optima quæque consectatus esset, ita vt fratribus eius Monasterij virtutum egregia de se exempla præberet. Itaque iam sacerdotio initiatus, admonetur nocte ab Angelo, vt Apostolicis triumphis celebrem inuisat Romam. Apostolorum igitur Ecclesiæ Principum limina petiit: quæ vbi largo piarum lacrymarum imbre infudisset, apparuit ei aulæ cælestis ianitor hisce eum verbis compellans. Est, inquit, pagus, qui ab amne præterfluente Hainau appellatur: ibi tuæ habitationi noueris diuinitus destinatum locum illum, quem incolæ Vrsidungum vocant ab Vrsa cum catulis illic deprehensa. Tu illic meo & fratris mei Pauli nomini oratorium cõdes, nostrisque patrociniis reuerenter consecrandum curabis, multasque ibi Domino lucraberis animas.

*Visit limina Apostolorum, vbi iubetur proficisci in Hannoniam.*

Qua visione exhilaratus vir sanctus, laudes & gratias egit Deo, atque è comitum turba non nisi duos sibi retinens, Lambertum & Bellirium, nudus nudum secuturus Saluatorẽ ad locum sibi ab Apostolo indicatum, properauit. Quo in itinere cum ei dictum esset de beatissimo Amando confessore, valde sitiens eum videre, & cum eo colloqui, tandem venit ad eum. Exponit itaque ei causas itineris sui, petit ab eo salutare consilium, ac tandem eius benedictione percepta, profectus est, venitque ad montem, quem Castri locum vocant. Quem cum putaret esse locum sibi à Domino promissum, cœpit extirpare arbusta, vt posset illic templum construere. Sed non multo post, vrsa quadam, arreptam sportam, in qua erant sacræ vestes, in quibus vir Dei sacrificare solebat, in locum vicinum dumosum asportante, ipsaque deinde libenter cum catulis suis hospitium suum viro sancto cedente, seruus Dei iam hunc potius esse locum sibi demonstratum intelligens, omni quo potuit studio eum repurgat, & magno Christi amore feruens, vt iussus erat cælitus, mox in beatorum Petri & Pauli Apostolorum honorem templum ædificat, Cellam Apostolorum illud vocans.

*Audit de S. Amando.*

*Subsistit aliquanto tẽpore ad montem dictum Castri locũ.*

*Cõstruit cellam quæ iam vocatur ipsius nomine.*

In ea verò cella ipse porrò secum habitauit, & humanam fugiens laudem, mundo se celauit: vixitque imprimis Deo, atterens corpus suum fame & frigore: semperque degens in cilicio & cinere.

*Eius cõsilio S. Vualdetrudis accipit sacrum velamen.*

Erat autem tunc Comes illustris Madelgarius, qui corde compunctus, fallacissimo mundo nuncium remittens Autberti Episcopi manibus tonsus, in Alto monte, Monasticum indutus habitum, inclusus sanctè viuebat. Cuius vxorem Vualdetrudem nomine, sanctam postea fœminam, ad Monasticam induxit professionem: sanctam etiam Algundam ad Domini attraxit famulatum. Tandem vir Dei sentiens aduentare obitus sui tempus, Sacramento Eucharistiæ se communiens, & denique febre correptus, inter discipulorum manus expirauit: sepultusque est in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quam ipse construxerat, vbi & sacris eius meritis morbidi sanitatem recipiunt.

*Migrat in cælum.*

NOTÆ.

Gislenus.] *Agunt de eodem Surius tom. 5. Vvionius, Gazetus, Ribad. Renatus Benedictus 9. Octob. Plura de eodem in Annal. Hannoniæ, necnon in vita S. Gerardi Abbatis Bronienſis apud Surium, vulgò dicitur* S. Guislin.

## VITA S. ODILIÆ VIRGINIS. *Partim ex Georgio Vvicelio, aliisque grauissimis authoribus collecta.*

*Pater S. Odiliæ.*

NObili Francorum genere Odilia nata esse perhibetur, patre magnate in superiore Burgundia, cui nomen Attico, tempore Childerici Regis. Hæc quia cæca nata fuit pater eam occidere voluit: vnde mater eius cuidam ancillæ suæ eam alendam commisit, quæ propter murmur populi iubente matre longissimè cum puero fugit, vt puellam nutriret. Saluator autem noster Christus Dominus, sancto cuidam Episcopo Erardo nomine de partibus Bauariæ apparuit dicens: Vade ad quoddam Monasterium quod dicitur Palma, ibi inuenies puellam à natiuitate cæcam, quam baptizabis, nomen Odilia impones, moxque post baptismum visum recipiet. Quo facto cum diu optimè in religione profecisset: misit fratri suo literas dulcedine plenas, vt eam patri reconcilians reuocaret. Cui cum pater non annueret, filius, fororis misertus, inconsulto patre & inscio eam reuocauit: Vnde pater filium ita verberibus castigauit, vt vitam cum morte cõmutarit. Cuius obitu commotus & conturbatus pater, Odiliæ Monasterium construxit: in quo, pane hordeaceo (diebus solemnioribus exceptis) pelle Vrsi pro lecto, & pro puluinari, lapide, in summa austeritate degebat.

*Cæca nascitur.*

*In Baptismo visum recipit.*

*Precibus patrem à pœnis Purgatorij liberat.*

Defuncto patre, Odilia sciens per spiritum, patrem in Purgatorio vri, tantum lacrymabiliter orauit, quod cælum super eam apertum est, & lux magna eam circunfulsit, & vox dixit ei: Propter te liberatus est pater tuus. Verum quia baptismatis gratia lumen oculorum habebat, Ioannem Baptistam specialiter venerabatur: cui Ecclesiam erigere cogitanti, nocte quadam sanctus apparuit magna cum luce, formam ipsius demonstrans & mensuram: in cuius ædificatione vas vino vacuum impleuit. Porrò hæc beata specialiter solitudini, & silentio studebat, degebatque in paruo tugurio iuxta Monasterium quod erat constructum in mõtibus arduis & excelsis. Præterea etiam nutricem suam propriis manibus sepeliuit, & post 80. annos sepulchro aperto, dextra mammilla nutricis integrà reperta est, qua eam quondam lactauerat, reliquum verò corpus incineratum.

*Præcipuè studet solitudini.*

Post plurima virtutum insignia, sciens sibi finem adesse, conuocatis ad se sororibus apud Sanctum Ioannem, egregium sermonem ad eas habuit: rogauitque vt pro se orarent. Deinde præcepit vt irent in oratorium matris Dei Mariæ, & legerent psalterium. Interim verò dum hæc fierent, ipsa sola obiit:



obiit: tantusque odor ibi fuit, quasi omnis domus esset plena aromatibus. Redeuntes sorores, cum viderent matrem sine Eucharistia defunctam, adeò instanter orauerunt, quod à mortuis suscitata, eis dixit: Cur me inquietastis? Luciæ coniuncta fui, & illud gaudium habui, quod oculus non vidit, nec auris audiuit. Illæ responderunt: Nobis confusio fuisset, si absque communione sacra obiisses. Tunc Odilia calicem allatum, in quo erat corpus & sanguis Christi, propriis manibus contrectauit, & communicauit. Propterea idem calix vsque modo seruatur. Odor verò per dies octo durauit: martyri Luciæ ideo coniuncta fuit, quia ipsa Odilia duobus modis martyr fuit, voluntate, & carnis maceratione.

*Precibus sororum suscitatur à mortuis.*

*Iterum moritur virgo sancta.*

NOTÆ.

Odilia.] *Agunt de ea Georgius Vvicelius de Sanctis Ecclesiæ Dei, Antonius Sabellicus lib. 11. Nec minus, inquit, tetricè Odilia corpus afflixit, vrsina pelle pro stragulo vsa, pro puluino muricoso lapide. Monasterij hæc quod in Bauaris visebatur montibus mater fuit maxima, sed sororum omnium abiectissima & esse & videri voluit. Eius res gestas compendiosè descripsit Petrus de Natalib. de Sanct. nup. nanoniz. at. cap. 23. Pluribus autem Ioannes Ianuensis in Historia Lombardica prope finem. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico 8. Decembris.*

## VITA S. AIBERTI MONACHI, & Presbyteri. *Ex ea quæ est per Robertum Archidiachonum Austrouandiæ.*

*Apud Surium.*

*S. Aiberti parentes & pueritia.*

BEATVS Aibertus in territorio Tornacensis pagi, quem Espeen vocant, originem ducens, patre Albaldo, matre verò Heluide, cum etiamnum paruulus esset, sæpissimè consueuit clam noctibus è lecto surgere, flexisque genibus terram innumeris exosculando vicibus, tenerum corpusculum fatigare. Et quidem optabat, ne id omnino quisquam resciret, sed tamen tandem latere non potuit, à famulis scilicet domus deprehensus. Quod vbi cognouit, nolens habere sui laboris testem nisi Christum, in ouile secessit: existimans illic secretius se eiusmodi exercitiis vacaturum. Sed hic quoque tandem inuentus est, nec tamen propterea adhuc cessauit; sed quoad licuit, alia semper captabat suis studiis apta diuerticula. Nec solum illa ratione se affligebat: verùm & crebris quoque ieiuniis. Hic cum adhuc in ædibus paternis iuuenis degeret, & laicus, sed sanctitatis, vt dictum est, studiosus, forte quodam die mimum audiuit cantionem quandam depromentem, qua conuersio S. Theobaldi, & vitæ eius asperitas, fœlixque eius obitus continebatur. Quibus ita repentè compunctus est, vt secum statuerit, neque lineis deinceps vti pannis, sed laneis & cilicinis, atque in frigore & nuditate Deo hilariter seruire. In quo cum totus esset: quodam peregrino, quem pater eius hospitio receperat, duce & indice, inuenit virum magnæ sanctitatis, & abstinentiæ, sacerdotem egregium Ioannem in solitudine commorantem, in qua etiam ferebatur S. Domitianus fuisse.

*Audito de S. Theobaldi cõuersione, & ipse totus in Deum conuertitur.*

*Iungit se cuidam solitario.*

Erat autem is presbyter Monachus Crispiniensis, sed permissu Domini Reineri Abbatis desertum illum incolebat locum. Huic igitur vir venerabilis Aibertus iungitur. Vbi quantas miserias, quantamque inopiam præ spe vitæ æternæ patienter tolerarint, non facilè possit singulatim explicari: nec tamen à precibus, & Dei laudibus cessauere. Multi abscedebant dies, quibus nec cernerent quidem panem, erantque contenti herbis, & radicibus herbarum, atque interea dum ita se gererent vir Dei Aibertus paulatim psalterium memoriæ commendabat. Porro per id tempus voluit Dominus Reinerus Abbas Crispiniensis ob confirmãdam sui Monasterij libertatem, Apostolorum limina visitare, simulque hos duos viros multa charitate ipsi deuinctos, illi visum est sui itineris comites assumere. Quo in itinere hi tres sancti viri quos labores pertulerint, solus Deus nouit: ingrediebantur enim nudis pedibus, vestiti cilicio, ipsa inopia locupletes. Et mulum quidem secum ducebant, sed vix aut nunquam eo vtebantur, peregrinis debilibus & infirmis illius vsum præbentes. Verùm cum venissent Romam, audiunt sanctæ memoriæ Romanum Pontificem Vrbanum esse Beneuenti. Tum verò Aibertus & Ioannes non fuerunt ausi tam longum iter arripere, partim quod viribus corporis diffiderent, partim quod Ioannes aduersa valetudine laboraret: vnde & Abbate Reinero hortante, in Monasterio Vallis Vmbrosæ eius reditum sustinuerunt, humanissimè ibi excepti.

*Proficiscitur cum Abbate Crispiniensi Romam.*

Iam Abbas Reinerus Monasterij sui munimentum, quod deuotè petiit, non difficulter impetrauerat, cum ipse eos in Valle Vmbrosa inueniens, nonnihilque simul recreati, fratribus illis multas gratias agentes, ad propria sunt reuersi, multis similiter in reditu molestiis toleratis. Et Abbas quidem ad Monasterium rediit, alij autem duo sancti viri ad suam Eremum. Vbi cum nocte quadam Aibertus in somnis visus esset sibi altissimam arborem inter Hasnonium, & S. Amandum sitam conscendisse, albumque videre accipitrem, siue Aquilam, vestem Monasticam adferentem: non multo post placuit vt Monachus fieret. Facilè autem id impetrauit à Reinero Abbate, Monachis quidem primo recusantibus, postea verò assensum præbentibus. Videbant enim abiectum & contemptibilem hominem, si sola externa respicias. Fit itaque Monachus cum benedictione cælesti. Quinetiam paulo post eius cœnobij factus est præpositus, & communibus fratrum suffragiis cellarius, hospitalitati egregiè deditus, in pauperes largus, sibiipsi parcus, aliis impartiens quod sibi subtrahebat. Ad cuius quidem viuendi in Monasterio rationem quod attinet, pane & aqua, herbis, leguminibus, & arborum fructibus, semel interdiu modicè vtens, corpus suum sustentabat. Lac & caseus, & pisces in os eius non admittebantur. Cilicio asperrimo domabat carnem. Lectum nullum habuit præter scamnum vel alium asserem. Ante nocturnas preces, quas Matutinas vocant, semper psalterium absoluit, in flectendis genibus celerrimus, copiaque lacrymarum valde affluens, atque ita cum annis viginti quinque in Monasterio ea viueret austeritate, omnifaria illa carnis castigatio iam sancto viro pro deliciis computabatur: adeò semper iucundus, & hilaris erat. Quæ etsi magna & stupenda essent; attamen quicquid gessisset, pro nihilo ducens, optabat insuper in Eremo habere cellam, in qua inclusus degeret, vt illic laudibus diuinis etiam liberius vacaret, corpusque edomaret seuerius. Curauit igitur construi cellulam in loco deserto. Qua ædificata, vix ab Abbate Lamberto impetrare potuit veniam, relicto Monasterio, ad illam se conferendi, valde enim fratribus Monasterij

*Redit in Belgium.*

*Adfertur ipsi diuinitus habitus Monasticus.*

*Nunquã vescitur vllius generis carnibus nec lacticiniis.*

nasterij videbatur necessarius. Tandem autem ea obtenta, in eam se abdidit; sed ita tamen, vt quoad vixit, in Crispinienſis Abbatis potestate semper esse voluerit. In qua cella quàm corpus suum duriter habuerit, vt audire pium est, ita imitari etiã gloriosum. Viginti sanè & quinque annis in ea permansit inclusus: è quibus duobus & viginti pane prorsus abstinuit, contentus herbis, radicibus, & vilibus illis cibis quibus vesci consueuerat: sicque inter hæc fama eius orbem terrarum complente, cœperunt ad eum homines vndique confluere. Vnde cum antea non nisi Acolythus fuisset, de sapientum virorum consilio, à Burchardo Cameracensi Episcopo Subdiaconus & Diaconus est ordinatus.

*Viginti quinque annis in cella inclusus manet.*

*Grandis abstinentia.*

*Fit Presbyter.*

Deinde etiam ad sacerdotium promotus est, vt populis ad ipsum venientibus melius posset consulere, & secretas confessiones recipere. Cæterum illos, qui cõfessionis faciendæ causa ad eũ accedebant, prius quasi iuramento obstringebat, vt ipsius audito consilio ad Episcopos suos irent, eadem flagitia illis quoque confessuri: ita tamen, vt si quos vidisset obstinato animo, etiam interposito iurejurando decreuisse nulli nisi ipsi sua crimina detegere, illorum sanè tandem improbitati cedens, veritus ne in desperationis barathrum irent præcipites, si eos nollet audire, confessionem eorum reciperet quidem, pro ratione facinorum etiam pœnitentiæ mulctam eis irrogans, nec tamen cessaret persuadere fortiter, & vehementer etiam adiurare, vt turpia, quæ ei dixissent, suos Episcopos minimè celarent. Qui si omninò recusarent, grauem & propè intolerabilem eis pœnitentiæ mulctam imponebat: quod tamen quidam æmuli, eius facta rodentes, illum minimè facere mentiebantur. Mandauerat autem Paschalis Papa per Oduuinum Abbatem S. Gisleni, vt omnes confessionis gratia, ad ipsum venientes alacriter excipere, & procriminum quantitate, pœnitentiæ eis onus iniungeret: quod idem & Innocentius Papa etiam illi mandauit.

*En casus reseruatos.*

*Patitur quosdam æmulos.*

Neque verò est, quod putet quispiam solum homines illiteratos, & vulgares ad eum venisse, imò verò adibant eum Archidiaconi, Abbates, Eremitæ, Monachi, & omnis generis Religiosi, & docti viri, nobiles quoque sexus vtriusque, eius se precibus gratulabundi cõmendantes, nec confessionis immemores, ipsumque instar prodigij cuiusdam suspicientes, & admirantes. Sed nunc, ne fortassis lectori prolixitate tædium adferamus, ad finem properandum est. Peractis annis plus minus quinquaginta in Monachi obitu, & ea vitæ austeritate, quam diximus (vt iam nihil dicamus de illo tempore, quo non se mollius accepit: degens cum Ioanne insigni Monacho & Presbytero in Eremo) paucis ante Paschatis solemnitatem diebus lethali morbo correptus est: vnde sentiens adesse mortem, accersiri iussit Engelbertum, id temporis Crispinienſis cœnobij Priorem. A quo sacro oleo vnctus, & corporis & sanguinis Christi sacra communione Catholicè munitus, eccè ipso sacratissimo Paschę die, qui tunc in septimum Idus Aprilis incidit, fœliciter obdormiuit in Domino. Sepultus est autem eodem in loco, vbi eius cellula fuerat, vbi meritis & precibus eius, ægris & piè postulantibus multa præstantur beneficia, largiente Domino nostro Iesu Christo.

*Concurrunt ad eũ omnis generis homines.*

*Vnctus sacro oleo paulo post moritur.*

### NOTÆ.

Aibertus.] *De eodem Sur. tom. 2. & Vvionius in Martyr. Monastico. Præterea agunt fusius de eo Cæs. Baron. tom. 12. Annal. & Haræus, & denique omnes recentiores qui Vitas Sanctorum scripserunt.*

## VITA S. SIMEONIS ARMENI

*Eremitæ. Partim ex Baron. tom. 11. Annal. ad annum 1016. Partim etiam ex Epistola Sophronij Patriarchæ Hicrosolymitani, & alius.*

*Extat hæc Epistola Sophronij tom. 2. Ligni vitæ.*

BEATVS Simeon in Armenia genitus claris parentibus, in Palæstina adhuc adolescens vitam Anachoreticam exercuit. Post multos verò annos Dei seruus Simeon, exacto iam Eremiticæ conuersationis præclioso tyrocinio, solitudinis antra deseruit, & orationis studio, Hierosolymam peregrinus petiit; inde venit ad Ecclesiam beati Petri Apostoli, post hinc ad limina beati Iacobi Apostoli Galliciam perrexit: atque sic in modum Apostolorum, Deo & Domino nostro Iesu Christo seruiendo, circuiuit totum orbem. Vt magis stupeas, panem non manducabat, nec carnem, nec adipem, nec caseum, nec oua, sed herbas & radices tantum. Interea cum vir Dei multa sanctorum corpora circumeundo visitaret; quem nullus in orando labor vix aliquando superaret: tandem (vt diximus) ad oratorium Sancti Ioannis Baptistæ Lateranensis Ecclesiæ applicuit, vbi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificem Benedictum nomine, cum multis Religiosis Episcopis Orthodoxis viris in congregata Synodo residere inuenit. In quo cùm deuotè orationis moram (vt ei semper consuetudo fuerat) diu in longum protraheret: vnus ex Clero nequitiæ ac superbiæ furore plenus, Simeonem virum sanctum & Catholicum, omnibus in Synodo residentibus, ore polluto infamauit hæreticum. Et vt eum morti traderet, & ad necandum eum populum concitaret, talia aduersus virum Dei verba polluto ore detrahebat, dicens: Nonne omnes videtis, in visu, & in incessu, & totius corporis gestu, hominem hunc prauum & impostorem hæreticum agere?

*Adolescens Anachoreticam vitam exercet.*

*Peregrinatur Hieros. inde Romam, &c.*

*Austeritas magna S. viri.*

*Proclamatur hæreticus à Clerico.*

Percitus ille Clericus zelo (vt præ se ferebat) Catholicæ fidei, in eum exclamans: Insurgamus ergo in eum, & vt cæteri contremiscant, aut lapidibus obruamus, aut viuum igne comburamus. Hæc flagitiosus iebat, & eius flagitio plures adiuncti sunt, vnanimiter conspirantes, qui instigante diabolo virum sanctum, iustum & pium toto conamine occidere moliebantur. Qua de re Romanus Pontifex cum vniuerso Episcoporum collegio turbabatur, & quibus indiciis hoc verè cognosci potuisset, sciscitabatur. Aderat tunc ibi quidam Religiosus & Reuerendus Episcopus, qui ab Armeniæ finibus peregrè Romam petens, consilio & sapientia præditus, reuerentia sanctitatis habebatur egregius. Qui dominum Papam humiliter adiens, his dulcedinis verbis illum exhortabatur dicens: Tua, beate Pater, iubente authoritate, furor populi conquiescat, & quisnille vir sit, vel cuius professionis, seu qualiter Catholicam fidem excolit, me percontante, tua paternitas recognoscat. Cuius sapienti consilio Reuerendus Papa credidit, eoque iubente seditio populi conquieuit.

Tunc verò supra memoratus Episcopus virum Dei Simeonem aggreditur, & lingua qua vtebatur ita eum alloquitur. Quis es? vnde es? Dic ergo frater



frater Monache, & si fidei Catholicæ cultũ tenes, per me his omnibus innotescat. Ad hanc vocem seruus Dei Simeon, qui erat Deo plenus, nusquam verò sapientia vacuus, denuo quoque interroganti prudenter respondens, Catholicæ & Apostolicæ fidei perfectionem ita confitendo perdocuit, qualiter per vniuersum orbem Apostolorum symbolum in Nicæna synodo peroratum clara voce personuit. Quod cum peregrinus Episcopus audisset, famulum videlicet Dei Simeonem plenum fide & sanctitate veraciter agnoscere t, magno repletus gaudio, pro reuerentia sanctitatis eius pedibus se prostrauit humilitatis obsequio. Postquam igitur plura inter se Armenica lingua contulerunt adinuicem, ad extremum peregrino Episcopo totum de seruo Dei, quod quærebat innotuit. Quod protinus Papæ, ac omnibus qui aderant, virum Dei scilicet Simeonem veræ fidei esse professorem: sanctum & iustum, æternæ Trinitatis cultorem, Dei omnipotentis adorantem, palam omnibus declarauit. Sed quia Deus omnipotens, Deus vltionum Dominus est, qui nihil, quod iniustè culpatur inultum abire permittit, & impiorum nequitiam vlciscendo consumit, Clericum, qui ad necandum seruum Dei populum concitauerat, eadem hora spiritus malignus arripuit, ac pro illata seruo Dei contumelia diutissimè volutando vexauit.

*Catholicus & Apostolicus reperitur.*

*Vltio diuina in Clericum infamatorẽ.*

Videntes autem Romanus Pontifex, ac totus Clerus, vniuersusque populus tanta Dei magnalia, & mirifica opera, eleuatis in cælum manibus simul cum clamoribus, omnipotenti Deo laudes & gratias referebant, qui non permisisset suum seruum innocentem perimi sub iniquorum præiudicio, nec accusatorem eius abire sine vindictæ præmio. Tunc Christi seruus Simeon cernens peruasum Clericum ab vltore spiritu crudeliter tormentari, memor Euangelici dicti, quo dicitur: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: compatitur misserrimo Clerico. Eleuata itaque super eum manu, signum Crucis increpando dæmonem, edidit: moxque malignus spiritus per os vexati turpiter exclamans, vlulando euanuit. Eadem verò hora liberatus ab hoste Clericus, pedibus viri Dei Simeonis prouolutus corruit, ac ingenti gemitu diutissimè plorans, se reum, se culpabilem multum accusans, de perpetrato scelere veniam postulauit. Cùm verò Simeon ab ipso Pontifice honorificè exciperetur, & sparsa de eius sanctitate fama plurimi ad eum conuenirent, vt sanarentur, iidemque curarentur: cum nimio totius populi plausu coleretur ab omnibus, ab vrbe discessit, & peragrans Italiæ, & Galliæ, & Hispaniæ regiones, visitans loca sancta, demum Mantuæ substitit: ibique à Bonifacio Duce, & Richelda eius coniuge, dignè habitus, dederunt ei locum ad commorandum. Is autem erat solitarius & desertus: vbi cùm sibi exiguam construxisset cellulam, viuebat ab omni hominũ consortio segregatus. Pro cibo herbis radicibusque vtebatur, & exigua aqua sitim depellebat. Quadam die cum acri cruciaretur fame, nec haberet ad comedendum, Deo volente, Cerua veniens lacte suo eum satiauit. Demum cum vir sanctus multis annis solitariam duxisset vitam, multisque claruisset miraculis, 7. Calẽd. Augusti in pace quieuit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimo sexto, Indictione decimaquarta, Imperij Monarchiam obtinente Henrico Augusto. Connumeratus est in numero Sancto-

*Signo Crucis pellit dæmonẽ à Clerico.*

*Vt fugiat populi honorem discedit ab vrbe.*

*A Bonifacio Comite & Richelda eius coniuge, accipit solitariũ locum habitandum.*

*Pascitur à Cerua.*

*Sanctorũ Catalogo adscribitur.*

rum à Benedicto Papa VIII. petente ac rogante Illustrissimo Duce Bonifacio. Iacet in Monasterio S. Benedicti in agro Mantuano.

### NOTÆ.

Simeon.] *De quo Mart. Rom. cum Baron. 7. Cal. Aug. Molan. in Additione ad Vsuardum. Vitam eius scripsisse dicitur quidam Hilarion Monachus. Plura de eodem Arnoldus Vvion. 26. Iulij, tom. 2. Ligni vitæ, vbi reponit Epistolam Benedicti Papæ, de Ecclesiæ constructione ad eiusdem honorem. Migrauit anno Domini 116. Fuit genere Armenus, Basiliani Ordinis primùm Monachus, ac ordine Diaconus.*

## VITA S. SANCTORVM EREMITARUM Sindulphi, Balthfridi, & Amnichadi.

*Ex Trithemio de viris Illust. Ord. S. Bened. c. 46. 146. 246.*

SINDVLPHVS Presbyter & Monachus, socius beati Basoli Abbatis, natale solum dulce relinquens pro Christi amore peregrinus efficitur. Et vt mundo mortuus, Deo viueret, Eremiticam vitam subiuit, in qua multis annis Domino militans, magnis effulsit virtutibus. Claruit in Francia anno Domini 600.

*Sindulphus vitam solitariam ducit cum S. Basolo.*

Balthfridus Monachus solitarius, cum quo beatus Vvandregesilus Abbas in monte Falconis aliquandiu habitauit, multis in hac vita legitur claruisse virtutibus. Floruit anno Domini 670.

*S. Balthfridus quondam socius S. Vuãdregisili Abbatis.*

Amnichadus Monachus Fuldensis, natione Scotus, cum ferueret magno desiderio solitudinis, & amoris Christi, apud Fuldam Monasterium solitarius fuit inclusus. Ad cuius meritum declarandum, visa sunt lumina, & psalmodia super eius sepulchrum cælitus missa audita. In eius autem cellula Marianus Scotus, decem annis postmodum inclusus, habitauit. Moritur anno Domini 1043. 3. Calend. Februarij.

*S. Amnichadus solitarius viuit inclusus.*

*Marianus itẽ inclusus apud Fuldam.*

### NOTÆ.

Sindulphus.] *De quo Mart. Rom. cum Bar. Plura de eo in Breuiario Eccl. Lingonienſis.*

Marianus Scotus.] *Agit de ipso Trithem. lib. 2. de viris Illust. Ord. S. Bened. cap. 95. Marianus, inquit, Scotus, Monachus Fuldensis, de Anglia pro Christi amore peregrinus, venit in Alemanniam, & primò quidem apud Sanctum Pantaleonem Coloniæ Monachus factus, duobus annis ibidem inclusus stetit. Postea de Colonia exiens, venit ad Fuldam, vbi vndecim annis in Inclusorio stetit. Deinde iussu Abbatis sui, & Moguntini Archiepiscopi ad Moguntiam veniens, ibidem apud S. Martinum annis quindecim pro Christo stetit inclusus, videlicet vsque ad diem mortis suæ, & maximo in honore habebatur ab omnibus propter excellentiam doctrinæ, & vitæ sanctitatem. Scripsit Chronicam ab initio mundi vsque ad sua tẽpora mira subtilitate, ostendens errorem priorum chronographorũ, ita ponentiũ natiuitatem Christi, vt annus passionis eius, quantum ad rationẽ computi non computet veritati Euangelicæ. Vnde ipse 23. apponens annos illi anno, vbi priores scribunt natum fuisse Christum, ponit in margine libri alternatim, hinc annos Euangelicæ veritatis, illinc annos falsæ priorum computationis, vt non solum in intellectu, sed etiam visu discerni possit veritas à falsitate. Scripsit etiam de concordantia Euangelistarum lib. 1. & quædam alia nobis incognita. Produxit autem Chronicam suam vsque ad annũ Domini 1082. Moritur anno Domini 1086. In-*

dictione nona ætatis suæ anno 58. Moguntiæ apud Sanctum Martinum cum honore sepultus. Hæc Trithemius.

## VITA SANCTORVM EREMITARum Eberhardi, & Gregorij. Ex Trithemio Abbate.

*Lib. 3. de viris Illust. Ord. S. Bened. cap. 225.*

EBERHARDVS, Monachus & solitarius, apud cellam Sancti Meginradi Martyris in sylua, quæ dicitur Vmbrosa, nũc ad Eremitas, vir sanctæ conuersationis & beati Vdalrici Antistitis familiaris amicus: cum esset Decanus Argentinensis, diuina vocatione, & reuelatione, ad conuersionem in prædicto loco venit, vbi multa religione, & sanctitate enituit, mortemque longè ante præsciens suam, beato Vdalrico lacrymanti prædixit. Habuit secum Gregorium quendam Presbyterum Regis Angliæ filium, virum magnæ sanctitatis, eiusdem conuersationis, & habitus: quem etiam diuina vocatione illuc nouimus aduenisse. Claruerunt in eodem loco anno Domini nongentesimo quadragesimo quinto.

*Eberhardus primò Decanus Argentinensis. Viuit solitarius in cella S. Meinradi.*

### NOTÆ.

Eberhardus.] *Aliàs Euerhardus. Res eius gestas cum vita S. Gregorij eius discipuli, intexuisse dicitur Cæsarius Monachus. Agit de eisdem Vvionius in Mart. Monastico, & quidem de Eberhardo 11. Martij, de Gregorio verò in Tractatu de filiis Regum Monachis & sanctis, quem etiam dicit fuisse filium Edoardi primi.*

## VITA S. VVIBERARDIS VIRGInis & Martyris. Partim ex Trithemio, & aliis collecta.

*S. Vviberardis per spatiũ decem annorum viuit Inclusa.*

BEATA Vviberardis sanctimonialis virgo, apud Monasterium S. Galli, pro Christi amore inclusa in cella per spatium decem annorum, die noctuque orationibus, ieiuniis, ac vigiliis vacans, permansit. Ad tantam autem gratiam diuinæ contemplationis ascendit: vt spiritu prophetiæ illustrari meruerit. Hæc prædixit beatum Vdalricum Augustensem futurum Episcopum. Successu temporis, cum Hungari in Alemanniam irruissent, à quodam eorum perempta, martyr migrauit ad sponsum.

*Claret spiritu prophetico.*

*Trucidatur ab Hungaris.*

### NOTÆ.

Vviberardis.] *De qua Molanus in Addit. ad Vsuardum. Plura de ea in vita S. Vdalrici apud Surium. Agunt præterea de ea Hermannus Contractus in Chronico quam Vviboradam vocat, aitque eam fuisse Martyrio coronatam anno Domini 925. Trithemius verò de viris Illustribus Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 224. anno Domini 920. sed magis credendum Hermanno. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico 2. Maij. Vulgò dicitur* Saincte Viuerede.

## VITA S. PAVLINÆ INCLVSÆ. Ex Trithemio Abbate.

*S. Paulina in iuuentute virtutes.*

FVIT beata Paulina, natione Germana, nobilibus parentibus progenita, quæ iam à teneris annis qualis esset futura demonstrabat. Erat enim inter cæteras virtutes, valde humilis, mansueta & benigna, grata alloquio, ita vt nulli tædium pareret conuersatio eius.

Cum verò ad nubiles peruenit annos, parentes eius licet pij & deuoti, videntes tot virtutibus & corporis etiam pulchritudine ornatam, eam matrimonio iungere statuerunt cuidam nobili & pio viro. At illa quæ nihil magis aspirabat, desiderabatque quàm virginitatem suam custodire illibatam, primo non dedit assensum. Sed coacta à parentibus, cernensque Dei voluntatem esse, matrimonium iniit. Viuebat autem cum pio suo marito in magna concordia, pauperes alebat, nudos vestiebat, infirmos & leprosos curabat, afflictos consolabatur. Ex tam sancto matrimonio habuit filium vnicum Vuernerum nomine, qui spretis mundi huius pompis & vanitatibus sanctè vixit in Monasterio Hirsaugiæ, accepto Diui Benedicti habitu.

*Coacta à parentibus matrimonio copulatur.*

*Vuernerus S. Paulinæ filius.*

Postquam autem aliquot annos sanctè sub matrimonij iugo transegisset: maritus eius viam vniuersæ carnis ingrediens, dilectam sponsam suam multis diuitiis ditatam reliquit. At quæ à teneris nihil magis quàm ad solitariam vitam anhelabat, cernens se esse liberam, diuitiis pauperibus & Monasteriis distributis, apud Thuringorum fines in Diœcesi Moguntina proficiscens, illic breui & angusto constructo Inclusorio, semetipsam pro Dei amore inclusit, multisque annis ibidem Achoretarum more degens vixit: ita vt diuinis etiam consolationibus & reuelationibus honoraretur. Multos diuersis infirmitatibus vexatos, oratione, & Crucis signo sanitati restituit. Demum prænoscens suum obitum, grauiter ægrotare cœpit. Aderant autem huic ægrotanti Vuernerus filius eius, Monachus Monasterij Hirsaug. Gerungus Abbas primus cellæ huius sanctæ matronæ, etiam Monachus dicti Monasterij, cum cæteris fratribus multis. Qui celebratis Missarum solemniis in loco vbi ægrotabat, eique sacrosanctum Eucharistiæ præbentes Sacramentum, eius transitum Domino cõmendarũt. Qua tandem fœliciter mortua, sanctum corpus vasculo inclusum, ad cellam ab ipsa prius fundatam reportarunt; celebratisque cum debito honore exequiis ante altare S. Crucis reuerenter sepelierunt. Claruit autem in vita & post mortem infinitis miraculis. Obiit autem hæc beata pridie Idus Martij circa annum Domini 1107.

*Marito mortuo facultates suas pauperibus distribuit, & se recludit in cella.*

*Sanat morbidos.*

*Vbi ægrotabat celebratur Missa, & sumptis Sacramẽtis gloriosè migrat.*

### NOTÆ.

Paulina.] *De eadem plura tom. 6. de scriptoribus rerum Germanicarum. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico.*

## VITA S. VDEGEBÆ VIRGINIS Inclusæ. Ex Trithemio Abbate.

*Habetur in Chronico Spoheim.*

BEATA Vdegeba fuit ex Comitatu Spõheimensi oriunda, in villa Creutzenacht, parentibus secundum sæculum honoratis progenita. Quæ cum esset magna corporis pulchritudine decorata, & propter hoc à multis in matrimonium peteretur, noluit assentire: sed valedicens mundo seipsam inclusit in cella, vbi multis annis in magna austeritate corporis & sanctitate vixit.

*Patria B. Vdegebæ.*

*Seipsam includit in cella.*

Habebat autem hæc beata fratrem Baldemarum nomine. Qui cum sororem sæpius inuiseret, ita ex sancta eius conuersatione permotus fuit, necnon sanctis & dulcissimis admonitionibus persuasus, quod sæculo abrenunciare statuit. Quod & fecit. Nam cum esset annorum decem & octo iuuenis bonæ indolis & sufficienter doctus, habitum Monachi

*Persuadet fratri suo Baldemaro vt sæculo valedicat.*



*Etiam multæ virgines audita eius sanctitatis fama, eius se magisterio subdunt.*

nachi susceptt in Monasterio Sponheimensi: fama sanctitatis beatæ Vdegebæ vbique vagante, quidã nobiles & sanctæ Virgines quæ ad vitam Monasticam anhelabant, audita eius celebri fama, eius se magisterio tradiderunt, & per totum vitæ tempus in Inclusione manserunt. Præcipuarum Virginum nomina sunt hæc, Vvalpurgis, Gertrudis, Adelheidis, & Otilia, quæ etiam sancto fine quieuerunt.

*Baldemarus factus Abbas Inclusorium ampliat.*

Postquam Baldemarus frater Vdegebæ propter vitæ integritatem factus est Abbas Monasterij Sponheimensis, prædicta eius venerabilis furor eum rogauit quatenus Inclusorium nimis angustum ampliaret. Ille verò precibus & amore sororis victus, cellam & Inclusorium ampliauit & Virgines quæ recluſæ manerent, vsque ad duodenarium numerum congregauit; quæ omnes de portione paternarum hæreditatum suarum, & de labore manuum sine Monasterij incommodo viuebant. Cum igitur diu in multis laboribus vixisset hæc beata, tandem gloriosè migrauit ad sponsum 4. Calend. Iulij anno Domini M. CXCVII. multisque tam in vita quàm in morte coruscauit miraculis.

*Migrat.*

### NOTÆ.

Vdegeba.] *Meminit eiusdem Trith. de vir. Illust. sit præterea honorabilis mentio in Hist. & Chron. Germ.*

*Habetur in Chron. Sponheim.*

## VITA SS. VIRGINVM INCLVSArum, Otiliæ, Vvalpurgis, Gertrudis, & Adelheidis. Ex Trithemio Abbate.

*Patria & parentes Otiliæ.*

OTILIA Germana fuit filia Henrici militis de Creuzenacht, virgo pulcherrima valde, quæ Christo virginitatem suam deuouens, spretis huius mundi diuitiis, ad beatam Vdegebam Inclusam, quæ tunc temporis vita & miraculis resplendebat, accessit: & cum ea in Inclusorio per totum vitæ curriculum permansit, corpusculum ieiuniis, vigiliis, laboribus discrucians. Tantos autem progressus fecit sub Magistræ ferula, quod etiam multis enituerit virtutibus.

*Spreto sæculo cum B. Vdegeba inclusa manet.*

Erant & aliæ tres etiam cũ eis Inclusæ insignes & nobiles, quæ non minori sanctitate quàm duæ prædictæ pollebant. Harum sunt nomina, Vvalpurgis, Gertrudis, & Adheleidis. Defuncta autẽ Vdegeba, obierunt & hæ quinque Virgines nõ diu post eam successiuè. Vvalpurgis enim migrauit 8. Calend. Augusti, Gertrudis 3. Idus Augusti, Adelheidis 13. Calend. Septembris: Beata verò Otilia, non minus conuersione quàm sanguine clara 16. Calend. Decemb. circa annũ Domini M.CXCVII. quarum virginea corpora in sacello Inclusorij sepulta honorificè fuerunt.

*Pretiosa mors SS. Virginum.*

### NOTÆ.

Otilia.] *De eadem scribunt Vvionius in Mart. Monast. & Trithem. de vir. Illust. Ord. S. Bened. & alij Germanicarum rerum scriptores. Est hæc alia ab Odilia de qua superius scripsimus.*

Vvalpurgis.] *De eadem supradicti Authores.*

Gertrudis.] *Est etiam hæc diuersa ab illa S. Gertrude filia Pipini Regis.*

## VITA S. MACTHILDIS VIRGINIS Inclusæ. Ex Trithemij Chronico Sponheimensi & Hirsaugiensi.

*Patria & parentes sanctæ Mecthildis.*

BEATA Macthildis vel Mecthildis fuit ex Comitatu Sponheimensi oriunda, honestis parentibus atque nobilibus progenita, cuius pater nomine Eberhardus Stephano Comit. de Spanheim pluribus annis strenuè militauit: Mater verò nomine Hiltrudis, mulier Christo deuota extitit. Habuerunt etiam hi pij coniuges filium nomine Bernhelmum optimæ indolis iuuenem, quem in sanctis moribus & liberalibus disciplinis cum sorore instrui curauerunt.

*Includitur in cella.*

Beata verò Macthildis in virginitate Christo seruire cupiens, apud sanctum Albanum prope Moguntiam pro Dei amore in cella se includi fecit: vbi ieiuniis, & corporis afflictionibus diu vacauit. Sed postquam Bernhelmus eius frater factus est Monachus, deinde etiam ob vitæ meritum Abbas Sponheimensis, prædictam sororem suam, de consensu Archiepiscopi Adalberti, & Vvulberti Abbatis eiusdem loci transtulit inde, & in cellam nouam, quam circa Monasterium Sponheim in decliuo montis (qui locus vsque in præsens vocatur Clusa) pro inclusione aptam fundauerat, collocauit. Erat autem virgo monialis deuotissima, quæ multos suo exemplo ad Dei timorem attraxit. Adduxit autem secum quandam Virginem Sophiã nomine. Multæ aliæ præterea nobiles, Virginis audita sanctitatis & miraculorum eius fama, ad vitam solitariam aspirantes venerunt ad eam, & perpetuo in proposito virginitatis inclusæ cum ea permanserunt. Earum nomina sunt hæc, Gerlindis, Demodis, Lugardis & Gertrudis.

*Multos ad Deum attrahit.*

Postmodum verò beata Macthildis cum multos tum viros, tum mulieres ad Christi timorem adduxisset, multisque etiam miraculis claruisset: tandem plena meritis, migrauit ad sponsum quem tantopere amauerat. Obiit autem in Inclusorio suo 4. Calend. Mart. in cuius transitu, Angelorum concentus & laudes auditæ, ac visiones quædam ostensæ fuerunt. Sepulta fuit in choro fratrum Monasterij Sponheim ante gradus Presbyterij anno Domini M.CLIV.

*Migrat ad sponsum.*

### NOTÆ.

Mecthildis.] *De eadem plura tom. 6. de scriptoribus rerum Germanicarum.*

## VITA S. HILDEGARDIS VIRGInis. Ex Trithemio.

*Habetur partim in Chronico Spõheim, & Hirsaug.*

*S. Hildegard. patria & parentes.*

FVIT Hildegardis ex Comitatu Sponheimensi in villa quæ vocatur Bickuheim, patre Hildeberto, & matre Meothilde progenita temporibus Henrici Imperatoris IV. anno Domini 1098. indict. 6. Cuius pater Hildebertus nobilis in Curia Comitis Meginhardi de Spanheim nobilissimi & illo tempore potentissimi militabat, vir diues & honoratus in sæculo. At Hildegardi anno ætatis suæ quinto, Monasticis disciplinis imbuenda tradita fuit à patre beatæ virgini Iustæ, in monte S. Disibodi pro Christi amore inclusæ, sorori præfati Comitis Meginhardi. A qua in timore Domini erudita, nihil aliud quàm cælestia discit amare.

*Velatur in monte S. Disibodi.*

In eodem loco omnipotenti Deo multis annis in castitate seruiunt, donec tandem post obitum B. Iustæ, numero virginum augmentato, per diuinam reuelationem instructa, ad montem S. Ruperti iuxta oppidum Bingionum vbi Nahus Rhenum influit cum 18. subiectis monialibus transmigrauit: ibi Comite de Spãheim Meginhardo aliisq; fide

fidelibus Christi adiuuantibus, cœnobium pro sacris Virginibus constr uxit; eo videlicet loco vbi S. Rupertus Dux cum matre sua Bertha nomine, sancta fœmina, temporibus Ludouici I. Imperatoris, castellum & mansionem habuit. Sub cuius magisterio inter alias fœminas sacras Hiltrudis virgo deuotissima fuit, ipsius Comitis Meginhardi præfati speciosissima filia, quæ amore cœlestis regni, latum in terra dominium respuit, & sanctæ conuersationis habitum, sub disciplina sororis genitoris suæ Iuttæ in monte Diui præsulis Disibodi suscepit. Ob huius Virginis intuitum pater Comes Meginhardus multa bona ipsi cœnobio intulit.

*Ab infantia videt diuinas visiones.*

Porrò sancta virgo Hildegardis ab infantia diuinis reuelationibus visitata, cum præter psalteriũ & simplicem psalmodiam Latini sermonis, ab homine nec artem didicisset, nec vsum haberet: mirabiliter tamen Spiritu sancto illustrata, multa scripsit, multa dictauit, partim natiuo, partim Theutonico distincta sermone, quæ non humano sensu aut intellectu, sed diuino potius afflatu didicit. Et ideò non nisi à spiritualibus scripta eius intelligi possunt. Scripsit autem librum magnum & multæ subtilitatis, quem Sciuias prænotauit, qui incipit: Et factum est in anno nono. Item diuinorum operum lib. 3. Vitæ meritorum lib. 3. De causis & remediis omnium morborũ humani corporis, opus insigne, quod Medicinam prænotauit compositam, & incipit: Deus ante creationẽ mundi absque initio fuit & est. Item alium librum de naturis herbarum, quem Simplicem Medicinam prænotauit. Itẽ in Regulam S. Patris nostri Benedicti, breue quidem, sed vtile opusculum composuit sic incipiens: Et ego paupercula fœmina forma. Item ad 30. quæstiones subtilissimas Vviberti Monachi per Epistolam sibi propositas, per Spiritum sanctum edocta, tam profundè, propriè & Catholicè respondit: vt legentes meritò vertat in stuporem. Opusculum sic incipit: Charitas quæ cum abstinentia peccatorum fidem instruit. Scripsit etiam per visionem cælitus instructa vitam S. Disibodi Episcopi Hybernienſis. Vitam quoque S. Ruperti Ducis & Cõfessoris. In octo & quinquaginta Euãgelia Dominicalia per anni circulum, homilias totidem, multum subtiles, difficiles & profundas. Epistolas etiã ad diuersas personas plusquam 150. exhortatorias scripsit: in quibus singulos de occulto mentis statu eorum, ad meliora admonitos certiores facit. Ad Treuirenses, Moguntinenses, Colonienses, literas, & plures prolixas scripsit: in quibus futuram eis calamitatem prædicit. Inter alias etiam ad Abbatem & fratres Cœnobij Hirsaugiensis Epistolas, & literas diuinis reuelationibus plenas scripsit.

*Catalogus operum B. Hildegardis.*

Extant denique in præfato cœnobio S. Ruperti vsque in præsentem diem copiæ literarum & Epistolarum ad Sanctam Hildegardem missarum per Conradum 3. & Fridericum I. Romanorum Imperatores: pérque Eugenium III. Anastasium IV. Adrianum IV. & Alexandrum III. Romanos Pontifices: pérque Archiepiscopos Moguntinos, Henricum, Arnoldum & Christianum: perque Treuirenses, Colonienses, Bremensem, Saltzburgensem, Hierosolymitanum, Magdeburg, & plures in Italia; ac per Episcopos Bambergensem, Leodiensem, Traiectensem, Pragensem, & alios ex Germania, Gallia & Italia plures.

*B. Bernardus prædicat in Germania.*

His fermè temporibus B. Bernardus ad prædicandum contra infideles Crucem Domini iussu Papæ Eugenij perambulabat Germaniam; vbi multis coruscauit miraculis, venienſque ad oppidum Bingionum vbi S. Hildegardis erat, cui antea per literas sanctæ exhortationis verba transmiserat cũ certis munusculis, quæ pro reliquiis in eodem loco conseruantur. Veniens autem ad Christi sponsam, pòst consuetam orationem, & mutuam in Christo salutationẽ iussit sibi volumina, quæ ipsa virgo diuinitus inspirata conscripserat, afferri. Quibus diligenter reuisis, vltra modum admirans, ad circunstantes dixit: Hæc scripta non sunt humanitus adinuenta, sed per Spiritum sanctum diuinitus inspirata, nec potest ea mortalis homo intelligere, nisi ad Dei similitudinem intus in anima fuerit reformatus. Ad hæc Capellanus sanctæ Virginis, monachus deuotissimæ conuersationis respondet. Reuerende Pater, vera quidem sunt hæc quæ dixisti, sed homines multi non solũ sæculares idiotæ, sed etiam Religiosi & docti animum famulæ Christi quotidianis obluctationibus mirabiliter cruciant, dum hæc non diuinitus inspirata, sed aut somnia muliebria, & destructi cerebri deliramenta, aut per dæmones immissa fallaciter confirmant. Cui vir Dei. Non miramur, inquit, frater charissime, si dormientes in peccatis, diuinas reuelationes existimant somnia, scientes verum quod S. Apostolus dicit: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, &c. Ad sanctam quoque Hildegardem dixit. Et tu filia charissima, non metuas opprobria hominum, Deum habens defensorem, quoniam sicut stipula peribunt: Verbum autem Domini manet in æternum. Nos quoque ob tui amorem operam dabimus vt hæc tua scripta per Dominum Apostolicum lecta & confirmata securè proferantur in lucem. Obtulit autem S. Hildegardis viro Dei postulanti particulam Reliquiarum S. Ruperti, pro quibus & ipse nonnulla sanctorum capita ei remisit. Facta sunt hæc in monte S. Ruperti in præsentia Meginhardi Comitis. Aderant cum eo Comite præsentes Cuno Abbas S. Disibodi, & Bernhelmus primus Abbas Sponheim cum multis aliis Clericis & Monachis sęcularibus. Sanctus verò Domini famulus Bernardus valedicens Virgini Christi Hildegardi, cœptum iter per descensum Rheni continuat.

*Venit ad S. Hildegard.*

*Dat S. Bern. part. Reliq. S. Ruperti.*

His temporibus Eugenius Papa III. Treuerim venit cum Cardinalibus, Episcopis & Abbatibus multis, inuitatus ab Adalberone eiusdem ciuitatis Archiepiscopo, qui Papam cum cæteris qui aderant omnibus, per tres menses in cibo ac potu ex propriis sumptibus copiosissimè prouidit. Ibi Papa Eugenius Ecclesiam S. Matthiæ Apostoli de nouo reparatam, pridie Calend. Februarij dedicauit. Synodum quoque tam Episcoporum, quàm Cardinalium, & Abbatum ibidem celebrauit: vbi Henricus Archiepiscopus Moguntinus, & S. Abbas Clareuallensis Bernardus ipsi summo Pontifici mirabilia quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde retulerunt. Quibus auditis Papa attonitus, & rem diligentius inuestigare volens, Virdunensem Episcopum Adelbertum, cum aliis viris fide dignis, misit ad Hildegardem: vt cum humilitate, mansuetudine & sine strepitu & curiositate veritatem ab ipsa scisciterentur. Qui cum ad Monasteriũ in quo degebat B. virgo veniſſent, & iuxta commissionem Apostolicam veritatem inquirerent: illa simpliciter quæ de se erant aperuit, & legatos cum scriptis & libris reuelatis sibi diuinitus dimisit. Quibus Papa recognitis publicè recitari præcepit, & per se lectoris officio fungens, partem non modicam legit: per quæ omnium mentes in stuporem

*Eugen. Papa III. venit in Alemanniã.*

*Nota magnificentiam Archiepiscopi Treuirensis.*





versæ sunt. Aderat S. Bernardus qui multum collaudans & approbans tam sanctitatem Hildegard. quàm eius libros, fecit vt ab summo Pontifice, & Synodo vniuersa approbarentur. Ad hæc Pontifex benigno fauore consentiens, deuotam Christi virginem literis salutatoriis visitauit: in quibus ei licentiam auctoritate Apostolica proferendi, & scribendi quæcumque volumina per Spiritum sanctum cognouisset, gloriosè concessit; eamque vt sine timore reuelata sibi conscriberet animauit, cuius Epistolæ tenor fuit.

*Approbantur eius visiones ab Eugenio Papa.*

---

*Eugenius Episcopus seruorum Dei seruus dilectæ in Domino filiæ Hildegardi Præpositæ in Monte S. Ruperti, salutem & benedictionem Apostolicam.*

*Epist. Eugen. Papæ ad B. Hildegardẽ.*

MIramur, ô filia, & supra quàm credi potest miramur, quia Deus nostris temporibus iam noua miracula ostendit, cum te spiritu suo perfudit, quod diceris multa secreta videre, intelligere & proferre. Hoc à quibusdam veridicis personis ita esse percepimus, qui se fatentur te vidisse & audiuisse. Sed quid nos dicere ad ista valemus, qui clauẽ scientiæ habentes, ita quod claudere & aperire possemus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus? Congratulamur autem gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ: & hoc te admonemus, vt scias quoniam Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Gratiam ergo quæ in te est per humilitatem serua & custodi, ita vt ea quæ in spiritu proferenda senseris, prudenter proferas: quatenus illud à Domino audias: Dilata os tuum & implebo illud. Quod nobis de loco illo, quem tibi in spiritu præuidisti, significasti: hoc permissione & benedictione nostra, & Episcopi tui fiat, quod ibi regulariter cum tuis sororibus viuas secundum Regulam S. Benedicti, sub eiusdem loci clausura.

Adhæc virgo Christi Põtifici literas responsales, diuinitus inspirata remisit: in quibus eũ de arcanis quæ habebat in corde suo, & diuinã circa hæc volũtatem & beneplacitum, certiorẽ fecit. Circa verò annum Domini 1160. Sancta Hildeg. per Spiritum sanctum coacta, multis in locis verbum Dei personaliter annunciauit. Inter cætera verò loca quæ sua præsentia ædificauit, etiam ad Hirsaugiam venit: quam Abbas Manegoldus, & Conuentus fratrum cum inęstimabili susceperunt honore & gaudio. At illa post orationem consuetam in medio fratrum sedens, os suum in Christi nomine aperuit, & verbũ quod Spiritus sanctus illi commiserat, tam feruenter, sobriè ac prudenter audientibus intimauit; vt omnes in stuporem verterentur. Mira res accidit. Dum illa foris loquebatur verbũ, Spiritus sanctus in corde audientium operabatur effectũ, nam omnes in contritione cordis positi lacrymas fundebant. Inter cætera dulcissimi sermonis colloquia, fratribus prædixit quoniam nisi cautè insidias diaboli vitarent, in breui temporis spatio afflictionem experirentur. Quod eodem anno accidit, in dissensione pernicioſa, quæ inter Abbatem & Conuentum, diabolo procurante fuit exorta. Omnes in his quæ simul communitatem concernebant, de occultis & manifestis defectibus, per Spiritum sanctum edocta, redarguit, & quæ in eorum conuersatione diuinæ maiestati disciplicerent, ostendit. Inde progressa Monasterium Zvvifaltense adiit, & tam Monachis, quàm Monachis ibidem similiter quæ Spiritus sancti sunt annunciauit. In multis quoque Sueuiæ Monasteriis & locis verbum Domini; attestatione miraculorũ populis aperuit, & suis admonitionibus a peccatis retraxit. Igitur anno Domini 1161. grauis discordia inter Manegoldum Abbatem Hirsaugiensem, & fratres suos, iuxta prophetiam B. Hildegardis, diabolo instigante, suborta est, quæ magnum scandalũ & oblocutionẽ in omni penè regione Sueuorum in populo disseminauit. Videbatur enim Priori Diemononi, & fratribus, quod Abbas familiaribus suis nimis indulgendo quæcúque voluissent cõdescenderet, & multa contra pacẽ Conuentus, & honestatem Monasticam, eorũ dissolutiones & insolẽtias dissimulando toleraret. Vnde cũ super hoc à senioribus aliquoties fuisset admonitus, & libera potestate nimiũ vsus, nihil eorũ quæ proponebantur emendare videretur: fratres ab eo se contemptui habere putantes, grauissimam contra eum displicentiam conceperunt, quæ in tantum creuit, vt in notitiam omnium in regione illa commorantium, non sine opprobrio, confusione, & detestatione nominis Hirsaugiensium deueniret. Cũque ita dissensio inter fratres multas contra Abbatem, & eius ordinationes, contumelias, & murmurationes pareret, Abbas non cum paterna lenitate, vt illis videbatur, sed cum seueritate in eos prouocatus, quoscumque deprehendere potuisset, austerè puniuit, & quanto eis minorem paternæ lenitatis affectum præbuit, tanto maiorem in se displicentiam eorum prouocauit.

*Multis in locis vèrbũ Dei prædicat.*

*Prædicit Monachis Hirsaug. magnã afflictionem.*

*Grauis discordia inter Hirsaug. Monachos.*

Cernens autem Manegoldus Abbas, quod fratres ad concordiam nulla ratione posset reducere, salutis propriæ amator, debuit Abbatiam resignare. Sed ne oculos diuinæ maiestatis inconsultè offenderet, consilium super hoc per certum nuncium, & literas à B. virgine Hildegarde postulauit, cui hanc epistolam misit.

Sanctissimæ Dominæ, ac matri suæ venerandæ Hildegardi Manegoldus Abbas indignus de Hirsaugia, orationem cum obsequio.

Audiui quidem & apud Cyrenem quandã aquarum venam vino effluere, & scio & expertus sum apud Alemannos, bona mater ingredientium, & egredientium venam virtutum atque sinum specierum rebus, sicut pupillam visui esse. Hauris enim ô domina mea & effundis, infirmas & specificas, practicisque in theoriam vis & motus existis. Eapropter mihi impetus fuit, & diu est, diligere te, honorare te, mirari te, seruire tibi tuisque, & in omnibus verbo & opere tuus esse, atque tuarũ orationibus in quãtũ mihi fas est & obsequiis deseruires. Rogo te mea mater domina, memento mei in tuis sanctis orationibus, dilige humilem te diligentem, recognosce te in Christo reuerentem, & literas mihi ad interrogata rescribe, in Deo rogata. His literis B. Hildegardis virgo Christi susceptis auditisque verbis nuncij ab Abbate commissis, ad secretum diuini susurrij rediit, & per Spiritum sanctum edocta taliter rescripsit.

*Epistola Manegoldi Abbatis ad S. Hildegard.*

O dulcissime Pater, & in amore Christi frater, ollam video circumdatam magna claritate, vt vix videre possim si olla sit: sed & ibi video aliquantulum amari gustus, contritum tamen magna contentione, & postea turbinem, qui tamen ad præmium Dei destinatur. Vigila ergo strenuè, quia causa populi in moribus hoc tẽpore talia postulat. O mitissime Pater, ego paupercula fœmina, in vera luce, non video, & omnino de officio tuo mouearis, memorare autem quia homo es in terra,

*Rescriptio S. Hildeg. ad Manegol. Abbatem.*

& ne valde timeas, quoniam Deus in te diuersa A tatis, vt ipse primum in rectitudine processit. Tu non requirit. Tu enim in præsentia Dei es sicut fumus myrrhæ & thuris. Vnde mons Sion quærit, vt sis esca in domo Iacob. Sed si quis columnam quæ totam domum sustentat absciderit, domum deiiciet. Quapropter septem fenestras prospice, considerans vbi accipiter veniat, & caue ne ille te decipiat. Pasce ergo oues tuas in mansuetudine acceptionis, quia dies salutis à te non fugit, & nondum cinis eris. Esto quoque speculum vitæ, in speculo vitæ. Has literas Abbas Manegoldus cum recepisset animo confortatus in Domino, consiliis sanctæ Virginis humiliter acquieuit, & lenire motus fratrum quantum licuit, per mansuetudinem curauit. Interea Diemo Prior qui Abbati nescio B pro qua causa specialiter fuit infensus, vna cum fratribus, cæteris qui conuentum repræsentare videbantur certam in meritis S. Hildegardis confidentiam habentes, tales ad eam literas miserunt.

---

*Epistola Monachorũ Hirsaug. ad sanctam Hildeg.*

*Dominæ Hildegardi ad ædificationem Ecclesiæ diuinitus electæ, Monachorum grex pauper & pusillus in Hirsaugia, sic diuina pietate adornari, vt nouerit humiles Christi in tribulatione consolari.*

BENEDICTA gloria Domini, quæ de excelso solio suo mirabili, & inusitato ordine C prospexit, dum tantum lumen gratiæ suæ mundo per vos illucescere voluit. Inde omnes Ecclesię filij iucundantur, sed præcipuè nos qui spirituales noua exultationis luce perfundimur, dum in mœrore, quem pro defectu nostri ordinis toleramus, diuina consolatione per vos lætificari speramus. Quæ igitur sint quæ summam nobis sollicitudinem pariant, maximéque mentes nostras remordeant, paucis animaduertite. Deo teste Domino nostro Abbati in nullo detrahimus, quem tamen paternæ lenitatis, per multa nobis immemorem, & quibusdam familiaribus suis laxius indulgentem, libera quoque potestate in omnibus immoderatius vtentẽ ingemiscimus. Si quidem maximis calumniis, & D infamiis opinionem nostram super hoc lacerari perpendimus, & præcipuè pro lacrymabili discordia pridem inter nos orta, & nihilominus inter ipsum Abbatem nostrum, & priorem nuper commota, Religionem nostram quam maximè contemptui & sæcularibus haberi deflemus. Quapropter incerti quid agamus, vt vestris orationibus diuina voluntas nobis aliquatenus super his elucescat, humillimè imploramus. Qui si literis consolatoriis, quod potissimum Deo his sit placitũ, per vos certificari meruimus: id quod solum possumus, vestræque charitati gratissimum fore scimus, precum nostrarum rememorationem huic beneficio respondere semper studebimus. Valete. E

Ad has literas B. Virgo per diuinam reuelationem informata rescripsit.

*Rescriptum Virginis ad Monachos.*

Serena lux dicit, ô plangens ouile, & ornatum in signo ligaturæ obedientiæ esto stabile in cogitationibus tuis, & desideria tua anhelent ad timorem Dei. Tu ergo considera, vbi sit prosperitas vel aduersitas. Audi mensuram vallium. Valles interdum virent & florent, de rore cæli, & de calore Solis, & interdum arescunt, & deficiunt in vicissitudine tempestatum. Sed tamen valles istæ propter diuersitatem tempestatum aliquando pulchritudinem suam perdunt, non habeo omnino in tali obliuione, quasi amodo in pulchritudine sancti-

*Tandẽ opera S. Hildegard. sedatur dissensio.*

Postquam literas istas fratres Hirsaugienses à S. Hildegarde Christi famula susceperunt, mirum in modum gauisi sunt, & mutato consilio de pace & tranquillitate concordiæ inter se tractare cœperunt. Sed & Abbas Manegoldus iuxta consilium B. Virginis Hildegardis, præueniens eos in spiritu mansuetudinis, & lenitatis se patrem pientissimum verbo & opere in omnibus exhibuit. Fratres autem dulcedine paternæ promissionis similiter promiserunt se filios humiles obedientesque in omnibus exhibituros, & nunquam deinceps occasionem discordiæ præbituros. Sic ergo meritis, & consiliis B. Hildegardis Virginis Christi, concordia inter Abbatem & Conuentum auxiliante Domino reformata est, quam inuiolabilem deinceps ipso viuente Manegoldo Abbate inter se ab vtraque parte firmiter seruarunt.

*Varios curat languores, & pellit dæmones.*

Certè ex omni tripartita Gallia atque Germania confluebant ad eam vndique vtriusque sexus populorum examina, quibus per gratiam Dei, vtriusque vitæ affatim accommoda impendebat exhortamina. Ad salutem animarum suarum proponebat eis, & soluebat quæstiones sanctarum Scripturarum. Plurimi etiam consilium ab ea percipiebant necessitatum corporalium quas patiebãtur, alij benedictionibus suis alleuiabantur à languoribus, tum etiam à dæmonibus ferociss imis, in quibus expellendis tanquam extremum ad hanc sanctam erat refugium. Quin etiam quia spiritu prophetico cogitationes & intentiones hominum cognoscebat, quosdam quoque peruersa, & friuola mente ad se, quasi ad explorandum accedentes redarguebat. Qui dum spiritui qui loquebatur non valerent resistere, correpti & emendati, à prauo incœpto cogebantur desistere: inter quos etiam fuit quidam Philosophus de diuitiis honoratus, qui postea Monasterium ædificiis, allodiis, & aliis necessariis valde ornauit; atque ibidem est sepultus. Multas hæc beata passa est afflictiones & irrisiones multas, quas patientissimè tolerauit. Etiam hoc sciendum est (vt ipsa de se frequenter in suis scriptis restatur) quod non defuerint ei ab ipsa ferè infantia crebri & penè continui languorum dolores, ita vt pedum incessu raro vteretur, idque vt virtus in infirmitate perficeretur.

*Item claret spiritu prophetico.*

*Pra agritudinibus raro valet incedere pedibus.*

*Mittat ad sponsum.*

Igitur vt orationi finem imponam, cum B. Hildegardis diu in pœnitentia & sanctis operibus vixisset, tandem meruit ad sponsi thalamum introire. Sepulta autem fuit in medio chori monasterij





sui ante maius altare, quæ multis in vita & post A mortem claruit miraculis.

NOTÆ.

Hildegardis.] *De ea Mart. Rom. cum Baronio 17. Septemb. Huius vitam conscriptam à Theodorico Abbate habet Sur. tom. 5. Ab aliis etiam scriptis mandatam testatur Trithem. De eadem Molanus in additione ad Vsuard. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monast. tom. 1 hac die, & denique omnes Germanarum rerum scriptores, & omnes Historici. Claruit circa annum Domini 1160. obiitque anno ætatis suæ octingentesimo secundo. Agit de eadem Petrus in Cat. lib. 5. c. 139. necnon & Haræus.*

B

*Habetur in Chron. Sponheim, & Hirsaug.*

## VITA S. HILTRVDIS VIRGINIS.

### Ex Trithemio Abbate.

HILTRVDIS beata filia Comitis Megenhardi de Sponheim nobilissimi & suo tempore potentissimi. Quæ quamuis nobilis & speciosa esset, tamen amore cælestis regni latum in terra dominium respuit, & sanctæ conuersationis habitum sororis genitoris suæ Iuttæ in Monte S. Disibodi suscepit. In tantum autem profecit sub disciplina sanctæ Virginis Iuttæ Inclusæ, quod diuinis reuelationibus, & miraculis etiam claruerit. Cum autem migrasset ad Dominum B. Iutta, S. Hildegardis quæ etiam sub eius C fuerat magisterio, per diuinã reuelationem instructa, ad montem S. Ruperti iuxta oppidum Bingiotransit ad num vbi Nahus Rhenum influit, cum 18. subiectis virginibus Monialibus transmigrauit. Inter alias sacras Virgines quæ cum B. Hildegarde venerant, fuit S. Hiltrudis virgo deuotissima. Ob cuius intuitum, pater eius Megenhardus Comes, multa bona huic Monasterio intulit. Habuit autem hæc beata fratrem nomine Crafftonem qui Abbas fuit Sponheim. Obiit autem sancta Hiltrudis anno Domini M.C L X X V I I. 15. Calend. Decembris, cui beata Hildegardis eius magistra testimonium sanctitatis perhibuit.

*S. Hiltrudis relicto mundo fit Monacha.*

*monte S. Ruperti è monte S. Disibodi.*

*Moritur.*

NOTÆ.

D

Hiltrudis.] *De eadem plura Trithem. de vir. Illust. Ord. S. Ben. & Vvion. in tom. 1. Ligni vitæ. Fuit & alia B. Hiltrudis omnino diuersa ab ista quæ in Hannonia floruit, de qua Mart. Rom. cum Baronio 27. Septembris.*

## VITA S. ELIZABETH VIRGINIS.

*Partim ex Epistola quam scripsit ad S. Hildegardem, partim etiam ex Trithemij Chronico Sponheim, & Hirsaug. & aliis.*

SANCTA & Deo dilecta Elizabeth Monialis Ordinis S. Bened. fuit Magistra Virginum Christi in Schonangia Treuirensis Diœcesis, soror Eckberti Abbatis ibidem in cœnobio Monachorum. Hæc cum esset annorum duo- E

*Annum agẽs duodecimum fit Monacha.*

decim ad Monasterium pauperum Virginum Christi in Schonangia Domino Deo sub Regula, & habitu sancti Patris nostri Benedicti, & magisterio Hildelmi primi Abbatis & fundatoris vtriusque cœnobij Monachorum videlicet & Monialiũ, sincerè famulantium, à parẽtibus tradita fuit. Vbi tam sanctè, tam purè, tam religiosè vixit: vt multis mirandis reuelationibus diuinitus meruerit crebrius in hac mortalitate consolari. Anno namque con-

*Diuinis illustratur reuelationibus.*

uersionis suæ vndecimo, qui fuit ætatis tertius & vigesimus, manus Domini super eam facta est, & cœpit mirabiles habere visiones, choriique interesse Angelicis, & arcana mentium diuinitus illustrata reuelare. Et quandiu deinceps vixit, diuinis reuelationibus recreata fuit, & hoc maximè diebus Dominicis, & in festis Sanctorum tempore diuinorum in choro, vbi maior omnium feruebat deuotio. Modus autem visionum siue reuelationum is erat. Cadebat super eam quædam passio præcordiorum, ita vt lapsa repentè in ectasin velut exanimis perduraret, quieta iacens, vel sedens immobilis, nu'lusque in ea sentiri halitus posset. Quo durante excessu, spiritu rapiebatur ad diuersa loca, & Angelicis interea locutionibus informabatur. Tandem verò post longum excessum, resumpto spiritu sanctissima verba proferebat, aliquando in lingua Theutonica, quæ illi patria fuit, aliquando verò in Latina, cum Latini sermonis penè nullam haberet intelligentiam. Spiritus enim qui loquebatur in ea vt voluit verba formauit. Tota vita eius quasi longum quoddam martyrium fuit; quippe quæ sub regulari disciplina constituta, iugum Domini cum multiplici flagello passionum longo tempore portauit. Manus enim Domini super eam semper fuit extenta, & flagellum pij conditoris nunquam ei defuit, premens animum, & conterens debile corpus infirmitate continua. Quæ quamuis languoribus vexaretur continuis, semper tamen patiens, semper hilaris, & tranquilla mente & corpore extitit, psalmis, orationibus, ieiuniis, lacrymisque, & voluntaria castigatione se maceraus sacrificium acceptabile Domino immolauit. Diuinis autem reuelationibus informata plura ad ædificationem fidelium scripsit, de quibus nos subiecta legimus. Viarum Dei, pulchrum & necessarium opus, in quo plures ponuntur sermones de via contemplatiuorum, actiuorum, martyrum, coniugatorum, & continentium, quod sic incipit: Factum est in anno quinto Visitationis meæ, &c. Item de Historia, origine, inuentione & nominibus vndecim millium Virginum, opusculum edidit, Angelica visione informata, quod sic incipit: Vobis qui pios affectus ad ea quæ sancta sunt geritis, ego Elizabeth famula ancillarum Domini quæ sunt in Schonangia, aperio ea quæ mihi per gratiam Dei reuelata sunt. Itẽ diuersarum reuelationum, in variis materiis, causis & propositionibus, tres libros composuit, capitula centum & quadraginta continentes, in quibus multa pulchra, & vtilia descripsit, quorum primus sic incipit. Petis à me frater, & ac hoc venisti, vt enarrem tibi misericordias Domini. Secundus verò sic. Benigna est misericordia Dei nostri. Tertius autem sic. Assumpsit me Angelus Domini in spiritu, in locum celsitudinis magnæ. Item ad interrogata multorum, plures scripsit Epistolas responsales, inter quas vna satis longa & prolixa extat ad S. Hildegardem magistram sororum apud Bingios, quam ex certa consideratione, de verbo ad verbum hic inserere nobis placuit, vt sequitur.

*Mirabiles patitur ectases.*

*Tota vita eius longum fuit martyrium.*

*Catalogus operum S. Elizabeth.*

---

*Dominæ Hildegardi venerabili Magistræ sponsarum Christi quæ sunt apud Bingiam, Elizabeth humilis Monacha, & Magistra sororum quæ in Schonangia sunt, deuotas cum omni dilectione orationes.*

*Epist. S. Elizabeth ad S. Hildegardẽ.*

GRATIA & consolatio altissimi repleat vos gaudio, quia meæ perturbationi benignè

compassa estis, sicut ex verbis consolatoris mei intellexi, quem de mei consolatione diligenter commonuistis. Sicut enim vobis de me reuelatum fuisse dixistis, fatear verè quandam perturbationis nubem me nuper in animo concepisse, propter ineptos sermones populi multa loquentis de me quæ vera non sunt. Sed vulgi sermones facilè sustinerem, si non & hi qui in habitu Religionis ambulant, spiritum meum acerbius contristarent. Nam & hi nescio quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me derident: & de his quæ ignorant, temere iudicare non formidant. Audio & quosdam literas de suo spiritu scriptas sub meo nomine circumferre, de iudicij die me prophetasse diffamantes: quod certè numquam facere præsumpsi, cum omnium mortalium cognitionem effugiat eius aduẽtus. Sed huius famæ occasionem vobis aperiam, vt iudicetis vtrum præsumptuosè quicquam in hac re fecerim aut dixerim, sicut per alios audistis. Magnificauit Dominus misericordiam suam mecum, supra quàm meruerim, aut mereri vllatenus possim, intantum vt cælestia quædam sacramenta frequenter mihi reuelare dignatus sit. Significauit etiam per Angelum suum mihi frequenter, qualia ventura essent super populum suum in his diebus nisi pœnitentiam agerent de iniquitatibus suis, atque vt palam hæc annunciarem præcepit. Ego autem vt arrogantiam euitarem, nec auctrix nouitatum viderer, in quantum potui, hæc omnia studui occultare.

Cum igitur solito more quadam Dominica die essem in mentis excessu, adstitit mihi Angelus Domini dicens: Quare abscondis aurum in luto, hoc est verbum Dei quod per os tuũ missum est in terram, propter facies distortas, non vt abscondatur, sed vt manifestetur ad laudem & gloriam Domini & Saluatoris populi sui? Et hoc dicto, eleuauit super me flagellum, quod quasi in ira magna mihi inflixit amarissimè, ita vt per triduum in toto corpore meo ex illa percussione languerem. Post hæc apposuit digitum ori meo dicens: Eris tacens vsque ad horam nonam, quãdo manifestabis ea quæ operatus est Dominus tecum. Ego igitur vsque ad horam nonam muta permansi. Tunc significaui magistræ, vt afferret ad me libellum quendã, quem in stratu meo absconderam, continentem ex parte ea quæ Dominus fecerat mecum. Quem cum offerrem in manus Domini Abbatis Hildelini, qui ad visitandum me venerat, soluta est mea lingua in hæc verba: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Post hæc & cum alia quædam ipsi reuelassem, quæ scriptis committere nolueram, videlicet de vindicta Domini magna, quam vniuerso mundo in breui superuenturam ab Angelo didiceram, rogaui illum diligentissimè, vt verbum illud apud se haberet absconditum. Præcepit autem mihi ipse domnus Abbas, vt operam darem orationi, atque à Domino postularem quatenus daret mihi intelligere vtrum ea quæ dixeram silentio tegi vellet, an non. Cumque per aliquod tempus pro hac re orationi insistendo me afflixissem, in Aduentu Domini, in festiuitate Sanctæ Barbaræ in prima Vigilia noctis, corrui in ectasin, & adstitit mihi Angelus Domini dicens: Clama fortiter, & dic heu ad omnes gentes, quia totus mundus in tenebras est conuersus. Et dices: Exite, ille vos vocauit, qui de terra vos formauit, & dic, pœnitentiam agite, quia prope est regnum.

*Reprehẽditur & percutitur ab Angelo, eo quod visiones suas occultaret.*

*Fit muta.*

*Porrigens librum visionũ Abbati recipit loquelam.*

Hoc igitur sermone inductus domnus Abbas cœpit diuulgare verbum coram magistratibus Ecclesiæ, & viris Religiosis. Quorum quidam cum reuerentia exceperunt verbum, quidam verò non sic, sed sinistrè de Angelo, qui familiaris mihi est, locuti sunt, dicentes eum esse illusorem spiritum, & in Angelum lucis transfiguratum. Vnde & ipse domnus Abbas per obedientiam me constrinxit, præcipiens, vt cum mihi rursus appareret, per nomen Domini illum adiurarem, quatenus indicaret mihi, vtrum esset verus Dei Angelus, an non. Ego autem præsumptuosum id æstimans, cũ timore magno præceptum hoc suscepi. Quadam igitur die cum essem in excessu meo, solito more se mihi obtulit, & stetit in conspectu meo. Et dixi tremens ad eum. Adiuro te per Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vt rectè dicas mihi, si verus Dei Angelus sis, & si veræ sint visiones quas vidi in excessu meo, & ea quæ ex ore tuo audiui. Respondit ac dixit: Scias pro certo, quia verus Dei Angelus sum, & veræ sunt visiones quas vidisti, & quæ de ore meo audisti vera sunt, & veræ fient, nisi reconcilietur hominibus Deus, & ego ipse sum, qui diu laboraui tecum.

*Ex obedientia adiurat Angelum.*

Post hæc in Vigilia Epiphaniæ, dum orarem, rursus apparuit mihi Dominus meus, sed procul à me stans, & faciem habens auersam à me. Ego autem indignationem eius intelligens, dixi illi cum timore: Domine si molesta fui tibi in eo quod adiuraui te, ne quæso imputes mihi: Conuerte obsecro faciem tuam ad me, & esto mihi placabilis, quia constricta per obedientiam feci, neque ausa fui transgredi mandatum præceptoris mei. Cumque in huiusmodi verbis multas lacrymas profudissem, conuersus est ad me dicens. Contemptum mihi fecisti & fratribus meis, quia diffidentiam habuisti de me. Vnde pro certo noris, quia vltra non videbis faciem meam, neque vocem meam audies, nisi placatus fuerit Dominus & nos. Et dixi. Domine, quomodo placari poteritis? Et ait. Dices Abbati tuo, vt in memoriam mei, & fratrum meorum celebret diuinum officium deuotè. Cum ergo non semel, sed pluribus vicibus, tam à domno Abbate, quàm à reliquis fratribus Missarum solemnia ad honorem Sanctorum Angelorum celebrata fuissent, simulque sorores psalmorum lectionibus eos honorassent; rursus apparuit mihi Dominus meus placido vultu, dixitque ad me. Scio quoniam in charitate & obedientia factum est quod fecisti, idcirco veniam consecuta es, & de cætero frequentius te visitabo quàm hactenus. Post hæc cum Dominus meus Abbas ire disponeret in locum quendam, rogatu Clericorum illic manentium, vt prædicaret verbum comminationis Domini in populo, si fortè pœnitentiam agerent, & auerteretur ira Dei ab illis, primum aggressus est deprecari Dominum vna cum omnibus nobis, vt nobis reuelare dignaretur ancillæ suę, vtrum sermonem qui iam manifestus esse cœperat, amplius diuulgari oporteret, an non. Ipso igitur diuina mysteria celebrante, & nobis deuotissimè orantibus, subitò dissolutæ sunt compages mẽbrorum meorum, & elangui, & veni in mentis excessum. Et ecce Angelus Domini stetit in conspectu meo, & dixi ad eum: Memento mi Domine, quod dixeris ancillæ tuæ verbum Dei per os meũ missum in terram non vt abscondatur, sed vt manifestetur ad gloriam Dei, & saluationem populi eius. Et nunc indica mihi, quid oporteat fieri de verbo illo comminationis quod locutus es ad me: numquid iam satis manifestum est, an adhuc amplius prædicandum? At ille seuero adspectu me

*Apparet ei Angelus.*

*Officium & Missam de Angelis recitare valde ipsis placet.*

*Iubet Angelus prædicari pœnitẽtiam.*



me intuens ait: Noli tentare Deum, qui enim tentant illum peribunt. Et dices ad Abbatem. Noli timere, sed perfice quod cœpisti: verè beati sunt qui audiunt verba exhortationis tuæ, & seruant ea, & non fuerint scandalizati in te. Hoc autem illi suggeras, vt eam formam quam hactenus in prædicatione habuit non immutet, in hoc enim consiliarius illius ego fui. Dicito, vt nequaquam attendat verba eorum, qui ex inuidia dubiè loquuntur de his quæ dicta sunt in te, sed attendat quod scriptum est: quia nihil impossibile apud Deum. Hoc igitur sermone animatus, locum quem adire disposuerat, adiit: & populum qui eius aduentum præstolatus fuerat, ad pœnitentiam exhortatus est, annuncians iram Dei cunctis superuenturam, nisi pœnitentiæ fructibus eam præuenire studerent. Quales autem plagæ mundo imminerent nequaquam veluti diffamatus est, in aliqua prædicatione sua enarrauit.

Factum est igitur, vt multi apud quos sermo iste diffamatus est, per totum tempus quadragesimale in timore magno per pœnitentiam sese affligerent, eleemosynisque, & orationibus studiosè insisterent. In tempore illo quidam (nescio quo zelu ductus) ad vrbem Coloniam in persona Domini Abbatis, ipso ignorante, Deus nouit, literas direxit, in quibus terribiles quædam comminationes, audiente omni populo, lectæ sunt. Vnde quamquam ab insipientibus illusum nobis sit, prudentes tamen (vt audiuimus) reuerenter sermonem animaduerterunt, & pœnitentiæ fructibus Deum honorare non contempserũt. Factum est autem in quarta feria ante diem Paschæ, cum post magnos labores corporis, in ectasin venissem, apparuit mihi Angelus Domini, & dixi ad eum: Domine quid fiet de verbo quod locutus es ad me? Qui respondit. Noli contristari, neque perturberis, si non in die quem determinaui tibi, euenerint quæ prædixi, quoniam multorum satisfactione placatus est Dominus.

*Multi ad pœnitentiam conuertũtur.*

Post hæc in sexta feria, post horam tertiam, cum graui passione veni in ectasin mentis, & rursus adstitit mihi dicens: Vidit Dominus afflictionem populi sui, & auertit iram indignationis suæ ab iis. Cui dixit: Quid ergo Domine mi? Nonne ero in derisionem omnibus, apud quos hoc verbum diuulgatum est? Qui ait. Omnia quæ occasione hac euenerint tibi, patienter, & beneuolè sustineto, illũ aduertens diligenter, qui cum esset totius orbis creator, hominum irrisiones sustinuit. Nunc primùm patientiam tuam Dominus probat. Ecce Domina mea, totum ordinem rei vobis explicaui, quatenus vos innocentiam meam, & Abbatis nostri cognoscatis, & aliis manifestare possitis. Obsecro autem, & orationum vestrarum participem me faciatis, & prout Spiritus Domini vobis suggesserit, aliqua mihi consolatoria verba rescribatis. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum sit. Amen.

*Deus remittit iniquitatem plebis suæ.*

*Ab Angelo adhortatur ad patientiã.*

Beata autem Elizabeth postquam multis virtutibus, & miraculis claruisset, tandem gloriosa migrauit ad sponsum. Multa scripsit partim Theutonico, partim Germanico sermone, quæ frater eius in eam formam in qua nunc videntur redegit. Obiit autem hora nona de manè, fuitque canonizata à Gregorio Papa anno 1236. Fridericus Imperator, cum innumerabili populi multitudine præsens fuit in Marpurg, quando sacratissimum corpus de tumba leuabatur, & primus ipse lapidem de sarcophago eius leuauit, & sancto capiti coronam auream donauit. Aderant ibi commissarij Apostolici, Siphridus Archiepiscopus Moguntinensis, Theodoricus Archiepiscopus Treuirensis, & Episcopus Hildeshcimensis, cum aliis multis Episcopis & Principibus,

*Moritur S. Elizabeth.*

*In sanctarum Virginũ catal. redacta à Gregor. Papa.*

*Fridericus Imperator adest eleuationi corporis S. Virginis.*

In octaua Assumptionis sacratissimæ Dei genitricis Virginis Mariæ ei apparens prædicta Mater Dei dixit se in corpore, & anima assumptam fuisse, & post assensionem Christi, vsque ad medium mensem Augusti in hoc mundo fuisse. In festo Annunciationis eiusdem ipsa gloriosa Mater eidem Dei famulæ reuelauit quod anno ætatis 15. verbũ Dei cõcepit. In festo quodam Dominicæ natiuitatis vidit duas stellas magnas perlucidas, in vnum corpus redactas, & in circulum aureum, ac in medio Virginem Christum gestantem paruulum, quæ multa ipsius diei mysteria sibi reserauit. Inter cætera autem quæsiuit à beata Virgine, quid esset de anima Origenis Doctoris, audiuitque quod errores quos habuerat ex fonte nimiæ pietatis deuenerant, quod ipsam Dei genitricem in suis scriptis maximè honorauerat: propter quod duas modicas vbicumque esset pœnas sustinebat. Sed quid in die nouissimo de eo fieret, Deus in arbitrio & dispositione Dominæ nostræ posuerat, quod tamen sibi reuelari tunc non licebat.

*Sæpe ei apparet S. Dei genitrix.*

*Nota de anima Origenis.*

## NOTÆ.

Elizabeth.] *De ea Mart. Roman. cum Baronio 18. Iunij. De eadem etiam Molanus in Addit. ad Vsuard. aitque eius acta scriptis mandata esse per Ecbertum Monachum, itemque Einichonem Abbat. ipsius laudes scripsisse tradit Trithem. de vir. Illust. Ord. S. Bened. lib. 2. cap. 120. & lib. 3. cap. 315. obiitque (vt ait) anno Domini 1165. Agunt præterea de eadem Petrus Equilinus Episcopus, in Cat. lib. 3. c. 213. & Vuionius in Mart. Monast. & omnes ferè historici.*

## *VITA ALIA EIVSDEM SANCTÆ Virginis Elizabeth Sconaugiensis, Authore Egberto Abbate.*

FVIT in diebus Eugenij Papæ in finibus Treuirensis Diœceseos, in cœnobio cui nomen Sconaugia sub regimine Hildelini Abbatis adolescentula quædam Monasticæ professionis nomine Elizabeth. Quæ cùm inter religiosas fœminas vndecimum in Monasterio ageret annum, habens ætatis annos tres & viginti: in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo, visitata est à Domino, & erat manus eius cum illa faciens in illa iuxta antiquas miserationes suas, opera magnæ admirationis, & digna memoria. Datum siquidem est ei mente excedere, & videre visiones secretorum Domini quæ ab oculis mortalium abscondita sunt. Id autem nõ sine euidenti miraculo contingebat, frequẽter enim & quasi ex cõsuetudine in diebus Dominicis, aliisque festiuitatibus circa horas in quibus maximè fidelium feruet deuotio, rapiebatur in mentis excessum, & resumpto paulatim spiritu, subito verba quædam diuina Latino sermone proferebat, quæ neque aliquando per alium didicerat, neque per seipsam inuenire poterat, vtpote quæ esset inerudita, & Latinæ locutionis nullam, vel exiguam habens peritiam. Sæpius etiam canonicæ Scripturæ testimonia, aliaque diuinarum laudum verba congruentia iis quæ per spiritum viderat, absque omni præmeditatione pronuntiauit. Quomodo igitur omnia quæ circa ipsam gesta sunt ad gloriã Dei,

*S. Elizabeth videt visiones Dei.*

Dei & ædificationem fidelium pertinere visa sunt: in præsenti libello ex magna parte conscripta sunt, iuxta narrationem ipsius, quia vni ex fratribus suis de ordine Clericorum, quem præ cæteris familiarem habebat singula exposuit. Cum enim ab inquirentibus multa occultaret, eo quod esset timorata valde, & humillima spiritu: huic omnia diligenter inuestiganti, & memoriæ ea tradere cupienti, germanitatis, & dilectionis gratia, & Abbatis iussione cuncta familiariter enarrare coacta est. Narrationis autem initium erat huiusmodi.

*Ex humilitate visiones suas occultare nititur.*

*Fratri suo Egberto per x obedientiã eas reuelare cogitur.*

Petis à me frater, & ad hoc venisti, vt enarrem tibi misericordias Domini, quas secundum beneplacitum gratiæ suæ operari dignatus est in me. Promptum quidem est in me frater per omnia dilectioni tuæ satisfacere. Nã & hoc ipsum diu desiderauit anima mea, vt daretur mihi conferre tecum de omnibus iis quæ magnificè operatus est Dominus in me, ac tuum audire iudicium, sed quæso modicum sustine, & attende mi dilecte multiplices angustias cordis mei: quæ supra quàm credi potest me coarctant. Si verbum istud de quo audisti in commune prodierit, sicut per quosdam incautos fratres (nouit Deus) contra voluntatem meam ex parte iam prodiit: quis putas de me sermo erit in populo? Dicent fortè nonnulli, alicuius me sanctitatis esse, ac meis meritis gratiam Dei attribuent existimantes me aliquid esse cum nihil sim. Alij verò cogitabunt intra se dicentes: hæc si esset Dei famula, sileret vtique, & non sineret magnificari nomen suum in terra, nescientes qualibus stimulis vrgeri soleo ad dicendum. Non deerunt etiam qui dicant muliebria figmenta esse omnia quæ audierint de me: vel forsitan à sathana me illusam iudicabunt. His & aliis modis charissime in ore hominum ventilari me oportebit. Et vnde hoc mihi vt alicui hominum innotescam: quæ elegi esse in abscondito, & quæ certè nec dignam arbitror me, vt ad intuendum me quisquam oculos suos attollat? Illud quoque non parum angustias meas adauget, quod Domino Abbati complacuit, vt scriptis verba mea commendentur. Ego enim quid sum, vt memoriæ tradantur ea quæ sunt de me? Nonne & hoc arrogantiæ poterit adscribi? Sed dicunt mihi quidam ex sapientibus, quia non propter me solam hæc fecit mihi Dominus, sed aliorũ quoque ædificationi per ista prouidit: eo quod ad fidei confirmationem aliquatenus attinere videantur, & ad consolationem eorum qui tribulato sunt corde propter Dominum. Et idcirco pro eiusmodi causis quæ prædictæ sunt, opera Dei silentio prætereunda non putant. Et ita quidem esse vt dicunt ex parte credo, propter quædam quæ tibi nunc indicabo.

*Proponens celare visiones diris afficitur doloribus.*

Accidit aliquoties cum in corde meo posuissem celare ea quæ ostensa mihi erant à Domino, tanta præcordiorum tortura me arripi, vt morti me proximam existimarem. At vbi iis qui erant circa me quid vidissem aperui: continuò alleuiata sum. Sed fateor quia nec sic adhuc omnino certificata sum quid potissimum agere debeam. Nam & tacere magnalia Dei periculosum mihi esse intelligo, & loqui periculosius fore pertimesco. Minus enim me discretionis habere cognosco, quàm vt sufficiam discernere quid ex iis quæ mihi reuelantur dici conueniat, quidue silentio honorari oporteat. Et ecce inter hæc omnia in periculo delinquendi posita sum. Propter hoc dilecte mi non cessant ab oculis meis lacrymæ, & anxiatur spiritus meus iugiter in me. Benedictus Dominus quia suscipere dignatus est orationem ancillæ suæ, quia diebus multis eam de tuo aduentu deprecata sum. Et nunc quia Domini voluntate ad me de lõginquo directus es, nõ abscondam cor meum à te, sed ea quæ sunt de me, bona & mala tibi aperiam. Deinde quid fieri conueniat, in tua & Domini Abbatis discretione positum sit. Gratias ago Domino ego pauperum eius minima, quoniam à die quo sub regulari institutione cœpi viuere vsque in hanc horam ita confirmata est super me manus Domini, vt numquam sagittas eius in corpore meo portare desierim. Ægritudines meæ variæ & diuturnæ non solum me vexauerunt, sed & omnes sorores quæ in circuitu mei sunt. Det illis Dominus misericordiam, quia onus calamitatis meæ materno affectu mecum portauerunt. Aliquando & medicamina meis infirmitatibus adhibuerunt. Sed eo amplius infirmata sum, & audiui in visione nocturna vocem dicentem mihi: Deus autem noster in cælo, omnia quæcumque voluit fecit. Vnde me admoneri intellexi, vt non medelis hominum, sed voluntati creatoris mei corpus meum committerem, & ita quidem feci. Cumque sæpe tanto languoris obruerer labore, vt nullius membri (excepta lingua) compos essem, sine arrogantia dixerim, non minus in psalmis ruminandis sedula permanebam. Sed & cum linguam paralysis mihi subduceret: linguæ officium mente suppleui. Quantas autem cum infirmitatibus meis rerum necessariarum penurias sustinuerim, longũ est enumerare.

*Grauissimis & diuturnis morbis fuit affecta.*

Factum est autem in die sancto Pentecostes, conuenientibus ad Dominicam cœnam fororibus, beata Elizabeth occasione quadam detenta fuit, vt diuini illius ac viuifici Sacramenti particeps non fieret. Vnde non solum hac die, sed tota hebdomada in magna & horrenda tristitia permansit. Nam molestæ ei erant orationes; omnes enim vires suas effudit in ea aduersarius; nam eam in fide hæsitare fecit perfidus ille, ita vt de Redemptore nostro, & de beatissima aduocata nostra dubiè cogitaret. Cibum & potum præ tædio sumere non poterat nisi tenuissime, & ibat deficiens & tabescens toto corpore. Nouissimè autem id illi inspirauit perfidus ille, vt vitæ suæ ipsa finem imponeret. Sed in hac tentatione pessima non dormitauit qui custodit Israël. Non enim permisit vt dominaretur ei iniquitas hæc maxima, sed dedit illi intelligere malitiam insidiatoris sui, & subito eam auertit à cogitatione hac.

*Magnam patitur tẽtationem de fide.*

*Diabolus ei suggerit desperationem.*

Et hæc quidem ita se habebant circa eam vsque ad festum beati Maximini, quod est quarto Calendas Iunij. Illo autem die ad Completorium vidit in sacello phantasma paruum quasi cuculla Monachi indutum. Statim autem dicto completorio irruit super eã grauissima infirmitas, & rogauit magistram vt assumptis fororibus veniret cum ea in capitulum, ibique orationes funderet super eam. Cumque ibi prosternere se vellet ante crucifixum: ita diriguerunt omnia ossa eius, vt nullatenus genua flectere potuisset. Illa itaque sibiipsi vim faciens, grauiter se proiecit in terram. Cumque surrexisset ab oratione, allatum est Euangelium, & legere eam fecerunt passionem Domini, & adiuuabant eam quoniam imbecillis erat ad legendum. Dum autem legerent, apparuit ei idem phantasma vt prius, & legentibus eis locum illum vbi dicit Euangelista, intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominatur Iscarioth: cœpit exultare, & risum mouere. Dicebat autem illa fororibus vt pessimum illum abigerent, & mirabantur de quo loqueretur eis.

*Videt dæmonem.*



eis. Perlecto autem Euangelio euanuit.

Post hæc in matutinis stabat ille malignus coram ea, in humana effigie, statura breuis & spissus, & horribilis aspectu, facies eius ignea, lingua eius flammea, & longè ab ore porrecta, manus eius & pedes similes vnguibus auium rapacissimarum. In hac specie septies illo die illi apparuit, & semel in specie canis teterrimi. Sequenti die manè astitit lecto eius, & cum suo quodam iuramento, minatus est ei quod in dentes eam percussurus esset calceo, quem in manu tenere videbatur. Post hæc paulo ante missam, iterum se ei obtulit in specie tauri magni & horrendi, dilatans super eam os suum quasi ad deglutiendum eam, & cymbalum in collo gestare videbatur.

*Valde ei infestus est diabolus.*

*Consolatur à Deo inter tot tentationes.*

Sed inter tot tentationes & insidias inimici, Deus ancillam suam non dereliquit; nam consolationibus per se, & sanctos suos refouebat. Quadam enim die Sabbati dum cãtaretur Missa de beata Dei genitrice Virgine Maria, apparuit ei cum beato patre nostro Benedicto. Quadam die cum malignus spiritus ei apparuisset in specie tauri, hæc eadem Dei genitrix eam signo Crucis signauit, & fugauit dæmonem. Altera die iterum pessimus ille se ei præsentauit in specie tauri vt prius. Tunc quia nimis vexauerat eam horrenda visio illa, dixit ei confidenter. Si verè tu es ille malignus: præcipio tibi in nomine Domini vt citò transfigures te, & in hac specie vltra mihi non appareas. Continuo disparuit, & respexit vallem quandam horribilem plenam fumo, & flamma nigra: & exibat inde grex caprarum turpissimus. Post hanc visionem apparuit ei Spiritus sanctus in specie Columbæ.

*Apparet ei sancta Dei genitrix cum S. Benedicto.*

*Etiã apparet ei diabolus in specie tauri, sed fugatus fuit à beata Virgine.*

*Videt Spiritũ sanctum in specie Columbæ.*

Cum aliquando staret sola in capitulo & oraret, se ei obtulit aduersarius, stans coram ea in specie delicati Clerici, quasi indutus camisia candida. Et expauit quidem, sed tamen in oratione perseueranS, nihilo segnius egit, quo magis eum cõfunderet. Expleta autem oratione, ascendit in dormitorium, & illuc eam subsecutus est. Discessit inde in sacellum, & venit stare inter duas sorores orantes, illuc etiam eam subsecutus est, & stabat coram ea in quodam gestu illudens ipsi, nec potuit auertere ab eo mentis oculum quo eum intuebatur. Tunc nequitiam eius vltra non ferens: dixit ei audacter. Præcipio tibi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt cito ab huiusmodi gestu cesses, & talem nequitiam vltra mihi non ostendas. Continuo habitum priorem dimisit, & stabat reuerenter quasi indutus veste religiosa. Deinde exiuit sedere in cõuentum sororum, & illuc eam insecutus est. Et stans arrisit ei. Cum ergo tunc disparuisset; vltra ei non apparuit. Deinde cum audita Missa communicasset, & ad prandium accessisset, præ nimia vexatione vix cibum attigit. Post prandium autem subito elanguit, nec remansit in ea quicquam virium. Tunc astantibus circa eam fororibus, vix linguam mouit, vt significaret eis, quod allatis reliquiis, diceret super eam passionem Domini, & orationes. Dum autem orarent, sensit guttur suum quasi manu cuiuspiam fortiter stringi; ita vt penitus halitus eius intercluderetur. Cum ergo transisset hora illa, de cætero maiorem pacem habuit à tentatore suo per gratiam Dei, quod & hoc impetratum est à Domina nostra gloriosa.

*Mirũ in modum infestatur à dæmone.*

Sorores autem, & fratres videntes angustias animæ eius, conuenerunt ac decreuerunt, vt septẽ continuis diebus communes preces funderent, & se affligerent coram Domino pro ea, ac singulis diebus singulas Missas pro angustiis eius celebrarent. Cumque inter septem Missas vna de Spiritu sancto in quinta feria esset decantanda: cum magno desiderio diem illum expectauit, sperans aliquid consolationis tunc eam recepturam. Venit desiderata dies, & fratribus diuina celebrantibus iacebat in oratione cum fororibus. Et dilatatum est cor eius, & vidit lucem grandem in cælo, & ecce Columba magnæ pulchritudinis qualem & ante viderat, de luce egrediens, peruenit vsque ad eam, & cum tribus vicibus capiti eius expansis alis se circuntulit, mox ad superna conuolans. Tanta familiaritate iuncta erat hæc virgo sacratissimæ Dei genitrici, vt singulis ferè Sabbatis, & quandoque aliis diebus, cum de ea officium celebraretur, eam videre consueuerit. Quadam vice cum valde molestaretur ab insidiatore, & amarissimè fleret propter somnia quædam à dæmone procurata, rogauit Virginem Mariam deuotissimè, vt si fortè nocturnæ illi non essent illæ molestiæ, aliquid ei consolationis exhibere dignaretur. Et ecce subito lux cælestis emicuit, & progressa est inde consolatrix eius, dulcis virgo Maria. Accidit quadam vice cum frequenter se ei obtulisset columba niuea illa, de qua diximus, vt apud seipsam dubitaret de illa, & quæreret à Domino Abbate vtrum posset sathanas transfigurare se in columbam. Qui cum negaret vnquam hoc se legisse, & illa dubia permaneret: aspexit quadam die Crucem quam videre solebat, & venit ex aduerso columba illa, & resedit in ea. Sic ergo certificata fuit, non esse hoc sathanam, quoniam inimicus Crucis est.

*Apparet ei iterũ Spiritus sanctus in specie Colũbæ.*

*Valde familiaris est beatissimæ Dei genitrici.*

*Apparet ei S. Ioannes Baptista.*

In Vigilia beati Ioannis Baptistæ, cum dixisset quinquaginta psalmos, & alias orationes in laudẽ, apparuit ei hic sanctus, necnon gloriosi martyres Ioannes & Paulus. In festiuitate beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli in primis Vesperis, facta in extasi vidit gloriosos illos principes, antecedente eos beatissima Virgine Matre Domini nostri Iesu Christi. Meruit etiam aliorum sanctorum visione & colloquio frui. Sanctus enim Quintilianus martyr cum sociis, & septem fratres eidem apparuerunt. Post hos & venerabilis pater noster Benedictus, deinde beata Margareta immenso candore notabilis, & signis victoriæ glorioſa. In diuisione Apostolorum omnes ei apparuerunt. Post Alexium confessorem vidit nescio quid magni decoris habentem à pectore vsque ad subumbilicum. In Vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ vidit illam cum corona lucidissima, & simul cum ea Matrem Domini nostri Iesu Christi. Vidit etiam beatum Iacobum Apostolum cum beata Christina virgine, necnon & sanctum Stephanũ, Osuualdum Regem, Aphrã martyrem cum duabus pedissequis suis. Deinde beatum Ciriacum Laurentium. In Vigilia Assumptionis glorioſæ, multa vidit de gloria eius. Michaëlem Archangelum Principem cælestis exercitus in festo eius, cum ingenti gaudio videre meruit, necnon exercitum sacrarum vndecim millium Virginum. Purgatorium etiam vidit, & gloriam cælestis Hierusalem, quantum viatori concedi potest. Et vt paucis complectamur omnes sancti, quorum solemnitatem Ecclesia colit, sese ei videndos præbuerunt. Quantum autem assidua fuerit in meditatione passionis & dolorum Christi, non facilè explicari potest.

*Videt alios multos sanctos & sanctas.*

Cum imminente festiuitate Annunciationis incidisset in languorem grauissimum, venerunt ad stratum eius sorores, vt dicerent letaniam super eam. Discedentes autem ab ea, venit Angelus Domini,

mini, & ſtans coram ea, poſuit manum ſuam in capite eius, & ait: Surge, & ſta ſuper pedes tuos. Liberata es ab infirmitatibus tuis, accede ad communicandum, & eſto robuſta. Ad hæc verba ſubito omnis languor fugit ab ea, & per vniuerſum corpus eius ſuauiſſimè alleuiata eſt, hócque adiecit. Poſſibile quidem Domino fuerat paſſiones quas hactenus ſuſtinuiſti, leuiores tibi efficere: ſed quo melius tibi crederetur affligi ita te voluit.

*Curatur ab Angelo à grauí infirmitate.*

Sed nunc de obitu & ſepultura tantæ virginis ad conſolationem deuotorum mirabilia proferamus. Erat ancilla Domini adhuc in die Pentecoſtes conſueto modo hilariter ſe habens. Tertia autem feria circa horam veſpertinam, ſubito incidit in languorem fortiſſimum, cœpitque affligi per omne corpus tam grauiter, vt mox conflueret ad eam congregatio inuocans ſuper eam auxilium Dei, ſicque in hac afflictione permanſit penè per totam noctem, die ſequenti videlicet quarta feria in qua ſolemne ieiunium agebatur. Congregatio fratrum proceſſionem fecit in albis vſque ad cellam Sanctæ Vrſulæ, quatuordecim videlicet corpora. Celebrantibus autem illic eis priorem Miſſam feſtiuè de Spiritu ſancto: facta eſt in ectaſi, ac per longum tempus (vt referebant ſorores) quieta permanſit, ſicut mos illi erat in tempore exceſſus ſui, quando aliqua ei diuinitus reuelabantur. Poſt hæc autem cum ad ſeipſam rediiſſet, ſciſcitabantur ab ea quomodo ſe habuiſſet, & vtrum aliquam conſolationem à Domino accepiſſet, & referebat eis in viſione dicens. Vidi in viſione ſpiritus mei ſanctiſſimam Dominam noſtram, & proximè ei aſſiſtentes beatam Vrſulam, & Sanctam Verenam, ſimúlque ſanctas Virgines, quarum reliquiæ huc allatæ fuerant, multitudinem videlicet copioſam, & omnes mirificè coronatas, & iugenti claritate veſtitas, & habentes in manibus palmas victoriæ. Tunc conſolata à Dei genitrice Virgine Maria, beata Elizabeth replicans dixit ei. Metuo domina ne forte ſcandalizentur homines in infirmitatibus meis, & æſtiment pro aliquibus grauioribus peccatis me ita torqueri, atque hac etiam occaſione detrahere velint gratiæ Dei in me, & diffidere iis quæ Dominus operatus eſt mecum. Et illa ad illam. Nemo, inquit, ſapientium faciet hoc.

*Sub finẽ vitæ viſitatur & conſolatur à B. Virgine.*

Ab illo tempore de die in diem inualuerunt infirmitates ancillæ Domini, & quotidie aliquid nouæ moleſtiæ ei accidebat, maximè autem à doloribus vitalium coactabatur: quibus nulla ope poterat obuiari. Refectione autem tam modica per languoris ſui dies vſa eſt, vt eſſet incredibile humanum corpus poſſe ſuſtentari in ea per aliquod tempus, & idipſum quod ſumebat importunitate tuſſis excutiebatur. Strato iacere aut ſomno quieſcere non eam ſinebat doloris vehementia. Narrauerat autem ante dies infirmitatis eius, quod quadam die ſolemni dum adhuc incolumis eſſet, vidit in ſpiritu beatam Dominam noſtram, & in oratione ſua deuotiſſimè illi commendabat vitam ſuam, & finem vitæ ſuæ dicens. Adiuues me oro ſanctiſſima domina propter clementiam tuam, vt rationabilis fiat exitus vitæ meæ, & vt numquam mihi tranſire contingat de hoc mundo, quin omnia in me fiant quæ pertinent ad obitum hominis Chriſtiani. Et illa cum magna benignitate reſpondit ei dicens: Certa eſſe debes, quod obitus tuus non ſolum erit ſicut hominis Chriſtiani: ſed ſicut hominis ſancti. Et verè hæc promiſſio in ea per gratiam Dei adimpleta eſt. Videns ergo ingraueſcere morbum ſuper ſe, vocari ad ſe petiit ſpiritualem patrem, ſcilicet domnum Abbatem, & ipſo præſente totam congregationem ſororum aggregari fecit ante ſe, & inter ſummos dolores quaſi nihil ſentiret mali, ſedens; cum fortitudine ſpiritus magna allocuta eſt eas longo & rationabili ſermone. Nolite, inquit, mirari chariſſimæ ſuper infirmitatibus meis ſicut homines imperiti, neque diffidatis gratiæ Dei in me propter caſtigationes eius quas ſuſtineo, & ſæpe ſuſtinui in medio veſtri. Conſcientia mea bona eſt apud Dominum, & certiſſimè agnoſco quod per ea quæ patior præparat & exornat coronam meam Dominus in regno ſuo. Ipſe non propter merita mea, ſed propter miſericordiã ſuam iam ab annis pluribus operatus eſt in me magna, & temporibus noſtris inaudita. Vobis autem dico, & confidenter affirmo per illud iter quo ad regnum Dei perrecturam me ſpero: quoniam hæc quæ vidiſtis in me, & audiſtis ex me, vera ſunt, & nihil ſimulationis & fallaciæ ad hæc vmquam adieci, Dominus mihi teſtis eſt. Animæ meæ fideliter & cum ſeria mente curam gerite, neque aliquid negligatis ex iis quæ pertinent ad debitum meum, pro eo quod æſtimetis non indigere me ſuffragiis orationum veſtrarum. Hæc autem dico quia ſæpe qui religioſi videntur, negligi ſolent, dum ij qui eorum bonam conuerſationem cognouerunt, cogitãt non eos magnopere indigere adiutorio ipſorum. Et cum anxiè iſta loqueretur, domnus Abbas ſubiecit hæc verbis eius dicens. Confidimus quoniam promiſſio Dominæ noſtræ implebitur in te, qua tibi perpetuam quietem promiſit poſt tribulationem hanc, verumtamen quod poſtulas nullo modo negligemus. Ad hæc illa reſpondit. Promiſſioni dilectiſſimæ Dominæ noſtræ nullatenus diffido: ſed nihilominus quod meum eſt facere debeo, & ſollicitè prouidere animæ meæ. Item ad ſorores aiebat. Si quid in me chariſſimæ Deum vmquam offendiſtis, ipſe indulgeat vobis, & ego ex corde remitto omnem offenſam. Vos quoque ſi feci quicquam in vobis quod facere non debui, quæſo indulgete mihi.

*Grauiſſimis afficitur doloribus.*

*Petit vt poſt obitum proſequantur.*

Cumque hæc & his ſimilia locuta fuiſſet: petiit à Domino Abbate vt aduocari faceret plures ex ſenioribus Preſbyteris, & inungerent eam, & ſic factum eſt. Cumque poſt hæc confeſſionem feciſſet, diſtulerunt conſulto propter ſtomachi infirmitatem, & tuſſis importunitatem, dare ei Dominici corporis ſacramentum. Nocte verò ſequenti intantum aggrauata eſt infirmitas eius, vt putaret ſe continuo tranſituram, & dum anxiaretur propter Dominici corporis dilationem, eleuatis ad cælum manibus orauit Dominũ ne fraudaretur à ſuſceptione ſacri corporis ſui. Tũc omnes ſorores conſilium inierunt de ſubſtituenda alia loco eius. Illa verò diuinitus inſpirata monuit vt præficerent illam, quæ poſt eam Prioratum habuerat inter eas. Aduocato itaque domno Abbate, & ſedente eo coram ea, narrauit ei viſionem quam habuerat de morte ſua. Expleto autẽ diuino officio, ſancta eam communione muniuit, & dicta eſt letania cum multa deuotione tam fratrum quàm ſororum, vbertim lacrymantium ſuper eam.

*Sacramẽtum extremæ Vnctionis deuotè percipit.*

*Item Sacramentum Euchariſtiæ.*

Poſt hæc adinuicem coniunctis manibus extendit eas ad ipſum Abbatem, & ait. Domino creatori meo commendo animam meam, & poſt ipſum tibi, dilectiſſime pater, quia tua ſpiritualis filia ſum, & te ſicut debui dilexi, & obedientiam debitam ſeruaui. Qui cum lacrymis ait. Spero quod lætabundè offerã te Domino. Sabbatho quoque poſt hæc dum diuinum officium de Domina noſtra celebraretur,



lebraretur, eamque in ſupernis aſpiceret, dixit ad eam. Hæc infirmitas tua, & viſio quam vides, non auferetur à te, ſed eris videns eam vſque ad horam qua veniam ad te cum honorabili comitatu, vt ſuſcipiam animam tuam, & deducam eam ad refrigerij locum, vbi requieſcat à cunctis laboribus ſuis. Tota autem nocte illa in nimio defectu poſita, congregatis in circuitu eius ſororibus, ſicut erat ſedens in lecto, leuatis ſurſum oculis, & tota intentione cordis, cum magna ſanctorum verborum affluentia, orauit Dominum vt miſereretur animæ eius. Poſteà ſalutauit Dominam noſtram dicens: Salue Regina mater miſericordiæ, &c. Deinde, Alma Redemptoris mater. Et dictis omnibus his, totis viribus defecit, vt iam moritura videretur, ac diu in eo defectu permanſit.

*Notã de Antiph. illis ad laudem B. Virginis, Salue Regina, & Alma Redẽptoris mater.*

Cum autem poſt vnum aut duos dies loquelam recepiſſet, cœpit conqueri miſerabiliter dicens: Heu quid fiet, heu quid fiet? & hæc ſæpius repetebat. Interrogantibus autem circunſtantibus cur hoc diceret, ait. Quos videbam mihi appropinquare, & de quibus æſtimabam quod iam tollerent animam meam, iterum aliò aſcendunt & elongantur à me, & non à me tollunt. Hoc autem ſæpius infra decem dies contingebat. Vna autem die vidit Angelum Domini qui familiaris ei erat, aſſiſtentẽ ſibi ac dicentem: Quod ita Dominus tranſitum tuum prolongat: ideo facit, vt tanto à pluribus glorificetur in te. Et quidem ita factum eſt. Nam multi tam ex vicino quàm ex longinquo qui agnouerant gratiam Dei in illa, audientes verbũ quod exierat de inſtanti fine eius, quotidie affluxerunt, ad videndum eam. Singulis autem diebus ad tantum veniebat defectum, vt nihil aliud niſi finem eius expectarent, & vel bis, vel amplius dicebatur letania ſuper eam, necnon Euangelia Dominicæ paſſionis recitabantur. Sicut autem ad paſſionem Domini magnam ſemper habuerat deuotionem, ita Dominus diem & horam paſſionis ſuæ defunctioni eius deſtinauit. Nam in ſexta feria dicebat iis quæ in circuitu eius erant: hodie omnes qui mihi familiares ſunt diligentem mihi curam exhibeant, quia prope eſt hora mea. Et cum remoueri feciſſet lectum, erat ſedens in puluillo, & innixa vni ſororum, & familiariter loquens lacrymabilia multa cum iis qui aderant vſque ad horam ſextã, & exinde cœpit laborare ſpiritus difficultate. Tunc ergo aduenientes domnus Abbas cum Preſbyteris, rurſus eam muniuit benedictionibus & letania, pridie enim communicauerat de manu Egberti fratris ſui. Depoſita ergo ſuper cilicium quod erat ſtratum coram ea, iacebat in leui agone, dictaque eſt letania à ſororibus, deinde à domno Abbate, & fratrum conuentu. Poſt hæc circa horam nonam, quaſi ſuauiter obdormiſcens, reddidit ſpiritum quartodecimo Calendas Iulij.

*Multi confluunt ad videndam eam.*

*Tandem moritur.*

Tunc vnus ex aſſiſtentibus Preſbyteris diligens eam in Chriſto in hanc vocem cum lacrymis erupit dicens: Proficiſcere nunc anima ſancta in requiem tuam. Aſcende ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. Intra in gaudium Domini tui. Reſpexit autem Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, quæ per omnia ſibiipſi deſpecta ſemper extiterat, honorificauit Deus nouiſſima eius magnificis obſequiis populi multi, qui vſque ad tertium diem, Dominicum videlicet, quo ſepulta eſt, vndique per circuitum ſponte confluxit. Et quidem dum adhuc viueret, & incolumis eſſet frequenter de mortis ſuæ appropinquatione loqui ſolebat, & optabat pia intẽtione dicens: Vtinam migrare me contingat de hac vita ſub tali tempore, quo nihil importunitatis aut moleſtiæ patiantur ab aëris intemperie qui venturi ſunt ad exequias meas, ac tanto maiori deuotione memoriam mei agere poſſint. Quod & factum eſt. Non enim tota illa æſtate placidius illuxerat tempus, quàm illo triduo erat. Et quamuis mœror eſſet omnibus ſuper diſceſſu eius, gratioſa tamen iucunditate quadam perfundebantur omnium corda congratulantium beatæ conuerſationi eius. Quamuis autem eſſet conſuetudo, vt numquam extra limina cellæ procedat ſororum congregatio: ob venerationem tamen ſingularis gratiæ Domini quam euidentèr in ancilla ſua operatus fuerat: placuit venerabili patri Abbati, cunctiſque pariter fratribus, hunc illi ſingularem præſtare honorem, vt cũctæ pariter diſcipulæ venerabile funus magiſtræ ſequi, & obſequium ei in ſepultura exhibere permitterentur. Igitur per manus earum quas ad hoc ipſa denominauerat, necnon & Beatricis Comitiſſæ, quæ & infirmitati & funeri eius deuota affuerat, repoſita eſt in loculo ſecus altare Domini, omnibuſque ſacris virginibus dedicatum in Eccleſia beati Florini, anno ætatis ſuæ 36. 14. Calendas Iulij, feria ſexta, hora nona, anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, viſitationis autem ſuæ anno 13. ex quo eam viſitauerat paterna gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui in cunctis miſerationibus ſuis ſit benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Honorabiles eius exequiæ.*

## VITA S. HILDVLPHI ARCHIEPISCOPI Treuirenſis, & Eremitæ.

*Ex tom. 7. Surij.*

*S. Hidulphi genus & educatio.*

HILDVLPHVS claro genere ortus, & à iuuentute literarum ſtudiis traditus, in breui ita profecit, vt de virtute in virtutẽ quotidie proficiſcens purus, & integer ab his vitiis, quibus talis ætas ſolet implicari, perſiſteret. Deinde moribus Eccleſiaſticis aſſuefactus, apud Ratiſponam vrbem Clericali tonſura initiatus eſt. Sed & Milone Treuirẽſi Archiepiſcopo defuncto, mox totus Clerus Hildulphum, eo quod vir eſſet & animi & corporis nobilitate ornatus, in ſuum antiſtitem vnanimiter poſtulauit. Quæ fama cum in aula Regis Pipini, patris Caroli Magni, percrebuit, mox quoque ex eius ſententia Hildulphus Archiepiſcopatu illo dignus declaratur, & ad id dignitatis aſſumendus definitur. Et quidem Dei famulus, vitam magis diligens Anachoreticam, fugam meditatus eſt, ſed detentus ac raptus à deuoto populo, in Galliam Belgicam deductus eſt, ac Treuirorum paulo poſt conſecratus Archiepiſcopus. Quo ſublimatus honore quàm ſanctè & iuſtè vixerit, teſtantur perpulchra eius facta. Tenerum corpus ſuum ieiuniis, abſtinentiis, aliiſque caſtigationibus ita affligebat, quaſi multa flagitia perpetraſſet. Miſericordiæ operibus vacabat. Prædicationibus & ſacrificiis ſalutaribus inſiſtens, nullum penè diem tranſegit, quo non omnipotenti Deo ſacras hoſtias, pro ſalute mundi, & requie defunctorum, offerret; ac etiam vt bonus paſtor ſemina rectæ operationis præmittens, vberiores verbi fructus collegit, & quod ore docuit, operibus adimpleuit. Hic inter magnifica ſua opera quæ geſſit, corpus S. Maximini præſulis Treuirenſis, à loco quo eum S. Paulinus Aquitanus ſepelierat, in eum, in quo nunc veneratur, tranſtulit. Ac demum, poſtquam multi-

*Fruſtra fugit oblatum ſibi Epiſcopatum.*

*Adminiſtra eundem ſtrenuè.*

plices pro grege Christi labores sustinuisset, Archiepiscopalem dignitatem resignans, & quicquid habebat diuitiarum ac possessionum relinquens, vt olim concupierat, Eremum ingressus est, atque à Domino Iacobo Leucorum Antistite, pœnitentiæ locum efflagitauit. Qui eius sanctæ deuotioni annuens, saltum Vogasi (vbi sanctorum virorum cellæ à sanctissimo Deodato Episcopo prius extructæ visebantur) eidem prouidit. Iam ad vicinam Eremũ prædictus Deodatus transmigrarat, Hildulpho scilicet instituti Monastici perpetuus collega assumendus. Igitur cum locum hunc habitare cœpisset sanctissimus Hildulphus qui montibus vndique circumseptus, fluuiolo Rapido nomine irrigatur, duas super eundem Ecclesias fundauit: primam in honorem Dei genitricis Mariæ, quam medium Monasterium appellauit, alteram in honorem B. Petri & omnium Apostolorum. Quibus perfectis, soli deinde Deo viuere cœpit. Cuius sancti nominis fama cum longè latéque discurreret, multi viri, tam sæculari potentia, quàm nobilitate insignes, ad eum sæpius confluebant, ex quibus etiam nonnulli cum eo remanebant, cælestis vitæ accensi desiderio. Atque adeò dum numerus accurrentium discipulorum ex diuersis mundi partibus magis ac magis accresceret, cœpit plures ibidem ædificare Monachorum cellas, vt ab omnibus huius sæculi nequam periculis liberi, cum sola Magdalena, soli vacarent Deo, & ibidem multa operatus est miracula. Cæci illuminabantur, claudi curabantur, dæmones fugabantur. Verum cum sanctus ille Monachorum cœtus nimia infirmorum & debilium hominum frequentia perturbaretur, tertiam extra Monasterij claustra extruxit Ecclesiã, quam Sancto Ioanni Baptistæ dedicauit, in cuius circuitu adiecit domos, quibus hospitio exciperentur superuenientes infirmi.

*Relicto Episcopatu ingreditur Eremum.*

*Fundat duas Ecclesias.*

*Claret miraculis.*

Inter cæteros verò etiam quidam nomine Begghо, suum fundum, qui in hunc vsque diem cella Begghonis appellatur, pro Monasterio construendo viro Dei obtulit, simulque permaximam Vogasi partem, quæ Tolcodi rupes nominatur, iure perpetuo tradidit possidendam. Porrò Sanctus Hildulphus prænominatam Begghonis cellam ad honorem sanctissimæ Crucis Dominicæ dedicauit: vbi scilicet post multos labores, numerosaque miraculorum insignia Abbas Spinnulus vitæ suæ diẽ clausit extremum, delatus postea, Angelica reuelatione, à beato Hildulpho ad suum Monasterium, vbi & sepulchrum eius visitantes infirmi, quacumque etiam detinerentur infirmitate, sanabantur. Quin & tantus ibi fiebat populi concursus, vt regionis istius indigenæ tentauerint ibi forum statuere. Sed beatus Hildulphus ad tumulum S. Spinnuli accedens, dixit ei, quasi viuenti: Frater Spinnule, propter animarum pericula, concurrentes comprime turbas. Sicque signis cessantibus, frequentia quoque cessauit accurentis populi. Tandem autẽ & ipse quoque B. Hildulphus plenus dierum, & sanctitate, correptus febre, fœliciter obdormiuit in Domino, quinto Idus Iulij, æterno pro meritis coronandus brauio.

*Extruit etiã cellam Begghonis.*

*Nota insigne miraculum.*

## NOTÆ.

Hildulphus.] *Agunt de eo Haræus in vit. Sanctorum* 11. *Iulij*, *Vvionius in Martyrologio Monastico hac die*, *Petrus Cratepoleus de Archiepiscopis Treuirensibus*, *Trithem. de viris Illustribus Ordinis Sancti Benedicti*, *& multi alij. Plura de eo infra in Vita Sancti Deodati.*

## VITA S. DEODATI EPISCOPI & Eremitæ. Ex ea quam ex M. S. Codicibus Monasterij Vallis Galileæ collegit Iacobus Mosander Carthus.

BEATVS Deodatus nobili Occidentalium Francorum sanguine procreatus, morum & operum præstantia inter suæ familiæ vel prosapiæ homines vel maximè emicuit, tametsi ætate corporis postremus haberetur. Porro de virtute in virtutem per ætatis incrementa gradatim procedens, Deo & hominibus se gratum præbuit.

Ita ergo factum est, vt idoneus tandem videretur qui pari consensu Cleri & plebis, diuinitus Niuernensi pontificatu donaretur, ne sanctitas eius diutius sub modio lateret. Factus igitur Episcopus, non quæ sua sunt, quæsiuit, sed quæ Iesu Christi. Cuius rei hoc potest esse certissimum argumẽtum, quod illo se pontificatu vltro abdicauit. Deliberatione ergo tantæ rei planè expedita, nuncium remittit tam suis quàm alienis negotiis, & ne nauis Ecclesiæ Christi tam idoneo destituta gubernatore veniret in discrimen, frequenti gregi suo, piis eius retinendi causa lacrymis armato, valedicit, & cum aliquot eiusdem propositi sociis è Niuernensi oppido egrediens, voluntarium sibiipsi à natali solo exilium indicit, ciuis Angelorum & Christi cohæres futurus, quem expectare volebat in solitudine, saluus factus à pusillanimitate spiritus & tempestate tumultus popularis. Præ cæteris autem comites eius in solitudine fuerunt Arbogastus & Florentius: quorum prior in sacro nemore, quod germanico idiomate Heiligeforst dicitur, Eremiticam duxit vitam, & inde ad Argentinensis Ecclesiæ præsulatum raptus est, cui decedenti item à solitudine Hasale abstractus Florentius datus est successor. Postquam autem ambo plurima virtutum exempla de se præbuere, vocati à Domino, ad cælum migrarunt spiritu, corpore in locis supradictis quiescunt. Præter hos fuere cum Deodato Vuilligodus, Domnolus, & eiusdem cum illo nominis Deodatus, quos nullus labor ab eo separare potuit, quin certatim illi officiosè inseruirent, & eius parerent iussis, satius ducentes cum illo inter ignotos affligi, quàm apud notos in patria rebus iucundis perfrui.

*Fit Episcopus Niuernensis.*

*Abdicat se Pontificatu.*

*Arbogastus & Florẽtius, socij S. Deodati, quorum vitam supra scripsimus.*

Præsidebat tum Tullensi Ecclesiæ Girbardus vir sanctissimus, quando fidelis Christi seruus Deodatus, repudiato sæculo in Vosagi saltu sibi sedem delegit, cumque tandem cum sociis veniisset ad Romonum prædium, quod tunc duo fratres inter se partiebantur, cuius esset meriti Dei nutu declaratum est. Asclas enim, vnus ex iis fratribus, nouas illic extruebat ædes: ad quarum fastigia cum ventum esset, trabs quædam, cui omnis contignatio inniti debebat, nulla arte vel industria per triduum suo potuit loco aptari, modo breuitate, aliàs curuitate, vel alia re id impediente. Vbi autem ex puerulo totam didicit rei seriem, tẽtauit opem ferre mœrẽtibus: accitoque beato Vuilligodo, trabem illam sensim ad locum suum admouit. Loci eius herus prædium illud ei donauit, vsu tantum eius ad vitam sibi reseruato.

*Girbardus Episcop. Tullensis.*

*Degit in saltu Vosagi S. Deodatus.*

*Insigne miraculum.*

Inde verò progressus deuotissimus Antistes, Argentillam, quæ sic à riuulo suo dicitur, peruenit. Ibi tanti itineris labore fatigatus, commorari constituit, impensasque ad construendum Monasterium præparaui t:



præparauit: cuius fundamenta cum iam ad aliquod fastigium promouisset, affligi cœpit iniuriis & improbitate accolarum ipsi inuidentium. Eorum ergo proteruiam Dei seruo declinante, derepente ira cælestis à Deo in illos incubuit, vt tam ipsi quàm posteri eorum aut annos gratissimæ iuuentutis non excesserint, aut certè mentis facti inopes, à finibus suis excluſi sint, donec stirps illa è medio sublata esset.

*Diuina vltio in sancti viri obtrectatores, & inuidos.*

Hinc venerabilis vir post immodicos auiæ & anfractuosæ solitudinis circuitus Alsatiam ingressus est, vbi inter Almarici villare & Vngisuillam apud Vuilram condito domicilio resedit: cuius hodie plurimæ illic ostenduntur parietinæ, & fons perspicuus atque saluberrimus, eius nomine celebris. Vbi cum circumcirca tanquam sol quidã spiritualis, radios Deo gratæ actionis euibraret, quidam inter proceres eximius Hunnus cum coniuge Hũna, in familiarem serui Dei amicitiam se insinuauit, baptizauitque vir Dei eius prolem, & è salutaris fontis lauacro susceþit.

*Venit in Alsatiam.*

Verum sanctæ charitatis & totius boni hostis diabolus, vt vidit non mediocres ad Dominum posse redire fructus ex beati viri verbis & exemplis, subito quodam furore inflammat stolidum & indocile vulgus aduersus hominẽ Dei, donec perpetuis iniuriis & minis vexatus, tandem abscedere compulsus est. At verò pro iustitia persecutionem patienti seruo suo non defuit diuina miseratio. Proceres enim illorum in ipso ætatis flore extinxit, manetque in hunc vsque diem ea vltio apud posteros eorum, ita vt non semel eximij & illustres viri atque matronæ, generis sui calamitatem formidãtes, & seipsos & fundos suos viro beato voluerint obnoxios esse, ne in ipsos quoque diuina vltio propter maiorum suorum peccata redundaret. Porro eius pagi ruricolæ omnes qui per id tempus illic nati fuere, strumoso gutture suæ temeritatis pœnas luerunt. Eo autem dedecore non sunt affecti quotquot trans torrentem nasci potuere. Quod vbi aduerterunt fœminæ ad partum propinquæ, torrentem illum transmittere consueuerunt.

*Cõcitat diabolus populũ cõtra S. virũ, sed diuinam sustinet vltionem.*

At vir Dei indefesso quidem spiritu per scopulosa iuga montium, pèr concaua vallium reptabundus tandem attigit vallem quam Galileam vocant, anno ab incarnato verbo sexcentesimo sexagèsimo nono. Eam vallem interluit & irrigat Mortapiscosus & vastus fluuius, apud quem in ripa eius Australi reperta spelunca, & fonte amœnissimo, aliquandiu illic delituit, herbarum tantum agrestium & exiguorum pomorum esu corpus sustentans, cupiens imitari veteres illos sanctos patres, qui egentes errauerunt in illis solitudinibus, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Interea Dominus non immemor fidelis serui sui, nihil de crastino cogitantis, religiosum virum Hunnum per somnia monuit vt deferret ei ad vitam necessaria. Parens diuinæ iussioni, onerata dimittit iumenta nescius vbinam maneret vir Dei, quæ quidem per inuiam Eremum recto itinere ad speluncam beati viri perueniunt. Quidam autem illa pedetentim secuti, inueniunt hominem Dei, qui cum scisciatus esset quamobrem eò venissent, rem totam ordine cognoscit, Deoque cum lacrymis gratias egit. Ita ergo reperto viri Dei habitaculo, non modo Hunnus, sed etiam plerique alij religiosi homines postea ei res necessarias miserunt. Videmus hic non imparem hac in parte Deodatum sanctissimis patribus Frontoni, Benedicto, & Columbano, diuinitus ei sicut & illis, victu necessario suppeditato.

*Degit in spelunca apud vallem Galilæam.*

*Diuinitus pascitur.*

Porro ex ea benignitate Dei, tam bene de ipso solicitus, vir perspicacissimus colligens gressus suos eò à Domino directos, ad condendam sibi cellulam animum adiecit. Ea constructa, & in beatissimi Martini Episcopi honorem dicata Ecclesia, reposuit illic & alia pretiosa sanctorum pignora quæ ex patria secum attulerat. Cumque fama sanctitatis eius indies non solum ad vicinas, sed etiam longinquas regiones dimanaret, fideles vndique ad eum cateruatim concurrebant. E quibus multi pecunias ad construendum Monasterium ei largiebantur. Plerique verò seipsos in eius disciplinam multa instantia tradebant: sed & Hunnus prædium suum cum Ecclesia ei donauit, in qua ipse cum coniuge sua humatus est. Porro etiam Childerici regis regalis munificentia eam vallem quam Galilæam vocatam diximus, fisco regio abstulit, & integram viro Dei & eius successoribus annuli sui impressione in perpetuum assignauit. In illis locis etiam vir Dei construxit basilicam in honorem sacratissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, pariterque præcipuorum Treuiricæ vrbis Episcoporum, Eucharij, Valerij, Materni & Maximini.

*Cõstruit cellam & Ecclesiam.*

*Multi ad eũ confluunt.*

*Cõstruit Ecclesiã in honorem Dei genitricis.*

Qua in re facilè licet perspici, beatissimum Archiepiscopum Hildulphum familiarem fuisse sanctissimo Deodato, quippe qui illi largitus credatur reliquias iam dictorum Trenirensis populi antistitum, imprimis autem S. Maximini, cuius sacros artus nuper in eam transtulerat ædem. Fuit autem is annus Christi sexcẽtesimus sexagesimus septimus: quo tempore Deodatus etiamnum in Alsatia morabatur, quem constat anno Domini sexcentesimo sexagesimo nono in vallem Galilæam aduenisse. Nec abs re fuisse credendum est, Deo deuotissimũ præsulem tot tamque pretiosis Frãciæ suæ prætermissis patrociniis, specialem aram Treuirensibus posuisse. Poterat sanè vir Domini Hildulphus Eremiticam ducturus vitam, Arduennæ vastissimos expetere saltus, quemadmodum alios quosdam eius vicinos feciſſe constat: aut certè Histriæ deserta repetere, è quibus ad Treuiricam sedem olim raptus fuerat: sed amore singulari charissimi Deodati sui ad Vosagum pertractus fuit.

*Familiaritate iunctus B. Hildulpho, cuius supra vitam reposuimus.*

Igitur currente sexcentesimo septuagesimo primo anno ab incarnato Dei filio, ab aduentu autem Domini Deodati ad Galilæam tertio, semper imitandus pater Hildulphus Archipræsulatu Treuirorum sese abdicans, & ad moriendum cum Christo huic aridæ Eremo sese addicens, dulcissimus vicinus & paratissimus confinis suo Deodato accessit, Iacobi reuerendissimi Leucorum Præsulis adiuuãte suffragio. Porro beati illi ac semper memorandi patres Hildulphus & Deodatus, in solitudine, vt optarant, vicini effecti, non se inertiæ aut desidiæ dedere, sed vigilarunt alacriter erga mutui eiusque synceri amoris custodiã, tanto effecti familiariores, quanto viciniores. Itaque statuerunt inter se clarissimi pontifices, dum in hac essent vita, semel in anno sese mutuo inuisere, & nocte vna simul manere, quam noctem totam sanctis colloquiis & diuinis laudibus solebant insomnes trãsmittere, manè verò ab inuicem recedere. Discipuli autem illorum, si quid vellet alter alteri indicatum, inter vtrosque expediebant. Porro Sanctus Hildulphus non ita procul cum suis occurrere solebat venienti ad se Domino Deodato & sociis eius: eumque manu apprehensum ducebat ad orationem more antiquorum patrum, & vt habet institutio beati Benedicti Abbatis: fusaque pariter prece, salutabant se mutuo cum gaudio spirituali, & tum dẽ-

*S. Hildulphus relicto Episcopatu solitariam vitã amplectitur.*

*Semel in anno Deodatus, & Hildulphus sese inuisere solebant.*

mum se inuicem osculabantur, & cætera charitatis ac beneuolentiæ officia prosequebantur. Idem faciebat piissimus pater Deodatus veniente ad ipsum Hildulpho; cui etiam vltra Mortam amnem pergebat obuiam cum suis. Nam quoad vixit cellam priorem, quæ erat apud Sancti Martini oratoriolum non reliquit. Vir quippe grandæuus erat & iam veteranus, nec potuit ferre hominum concursus, neque externis fratrum laboribus interesse.

*Forma sancti Deoduti.* Fertur autem statura fuisse ingenti & procera, forma cum primis eleganti, animo clementissimo. At iam nimio labore & multa ætate confectus, curuus incedebat. Nonnumquam tamen adibat fratres operantes, singulorumque consideratis & constitutis operibus, ad cellam noctu redibat. Ho- B

*Item & sancti Hildulphi.* die monstratur semita qua solebat ire ad Monasterium, quod est apud Iuncturas. Beatus vero Hildulphus staturà fuit mediocri, vultu Angelico, mente valde compunctus, voluntariæ paupertatis studiosissimus fuit. In extremis vitæ suæ annis manuum labore victum & vestitum sibi comparabat. Tandem postquam in ista Vosago, hæc sancta Dyas, & veræ sanctitatis ac virtutum biga Deodatus & Hildulphus septem annis cum sex mensibus habitassent vnà: largus remunerator Deus statuit beato Deodato laborum suorum reddere mercedē. Quare languore correptus decubuit lecto, quod cum absentibus discipulis nuntiatum esset, accurrerunt mœsti & tristes, magistrique grabato adstates, ne eos desereret, communi eiulatu deprecabantur. Quos ille benigne consolans, ad sanctæ Regulæ obseruantiam hortatus est. Quibus dictis se eorum precibus commendauit. Interea sancti viri exitum iam instare sanctus Hildulphus in visu noctis diuinitus edoctus est: qui vt euigilauit, ad

*S. Hidulphus diuinitus edocetur de exitu S. Deodati, quare ad ipsum properans eidem sacramenta administrat.* beatum quantocyùs properauit. Quem postquam viuum reperit, eidem omnia Ecclesiæ sacramenta administrauit: huicque discipulorum gregem commendauit, & inter orantium manus sanctam efflauit animam 13. Calendas Iulij, quæ tunc erat dies Dominica, anni ab Incarnatione Domini sexcentesimi septuagesimi noni, indictione septima; ab ingressu verò eius in Vallem Galilæam anni vnde- D cimi: regnante Theodorico Clodouei filio, fratreque Childerici, sub quo pessimus apostata Ebroinus excellentissimum martyrem Leodegarium Episcopum, variis tormentis vexatum, capirali damnauit supplicio. Omni ergo reuerentia sacrum corpus à discipulis portatur ad Ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ, ibique immolata salutari Hostia à deuotissimo Archipræsule, sepulturæ commendatur, expletis de more & ritu Ecclesiæ solitis exequiis.

*S. Leodegarius martyrio affectus ab impio Ebroino.*

*Corpus Sancti Deodati in Ecclesia Dei genitricis sepelitur.*

Itaque vir Dei Sanctus Hildulphus sic obtemperauit extremis votis defungentis amici, vt viginti octo annis & amplius (quibus ipse superuixit) eius præesset relicto gregi, per præpositos administrans necessaria ipsi Domui. Et quemadmodum semel in anno venerādi antistites solebant mutuas frequentare cellas: ita postea studuere facere eorum discipuli, qui viro Dei Hildulpho vallem Galilæam inuisenti, loco patris sui Deodati occurrentes, offerebant magistri sui tunicam, quam ille reuerenter susceptam, tanquam dignissimum pignus amici exosculatus & amplexatus est, & quasi in noua veste vjuentem intuens, sanctitatē eius veneratus est. Igitur cū diuina miseratio glorioſum suū militem Hildulphū ab huius sæculi fluctuoso mari ad portum salutis æternæ vocare statuisset, per dilectum suum Deodatum dignatus est eidem transitus sui diem denunciare. Itaque propriis sui Monasterij fratribus designato Abbate Domino Raimberto, vallis autem Galilææ Domino Marcinanno, fœliciter obdormiuit in Domino, ab Incarnatione Iesu Christi anno septingentesimo septimo. Interea à deuotissimis discipulis inuiolabiliter fuit obseruatum, quod à prudētissimis magistris fuit institutum: videlicet vt semel in anno mutuas inuiserent cellas, tanquam præcipua pignora præferendo sanctorum patrum suorum tunicas. Siquidem Monachi Sancti Hildulphi, ipsius tunicam retinuerant sibi, sicut & Monachi vallis Galilææ S. Deodati. Quod si peccatis exigentibus, cælestis ira in populo grassaretur, & siccitate nimia, vel imbrium continua refusione aut pestilentia, mox hinc inde conglobata, tunicas patronorum suorum cum lacrymis & orationibus offerebat, & amouebatur plaga. Quæ quidem consuetudo inter hæc duo cœnobia conseruata est, donec sancta corpora plurimis miraculis exornata subleuarentur de terræ gremio. Quocirca sicut tunc solebant discipuli magistrorū tunicas offerre, ita nunc eorum posteri copora sanctorum suscipiunt & animarum exuuias, quorum per merita pax nobis nunc & in æuum. Amen.

*Mortuus S. Hildulphus.*

*Nota de tunicis Sancti Deodati & Hildulphi.*

## NOTÆ.

Deodatus.] *Fit celebris mentio de eo in Breuiario Ecclesiæ Niuernensis, vbi tantum propria hæc habentur collecta. Clementiam tuam misericors Deus largire precibus nostris, vt qui egregij Pontificis tui Niuernensis Deodati festum annuis veneramur obsequiis; eius precatu, percipiamus dulcedinem tuæ visionis. Plura de eodem Franciscus de Roseriis tom. 3. cap. 5. stemmat. Lotharing. vbi scribit in hæc verba. Deodatus Episcopus Niuernensis, vir sanctitate præcellens suo muncre se abdicauit, in Eremumque secedens Vausagos montes incoluit, seu in Vausago saltu vixit. Meminit eiusdem Vvionius tom. 2. cap. 58. Gessit Episcopatum secundum Michaëlem Cottignonum anno Dom. 780. sub Pontificatu Adriani Papæ I. & Imperio Caroli magni. Fuit verò 20. huius sedis Episcopus, vt scribit idem Cottignon. in Annalib Episc. Niuern.*

## VITA S. PAVLI LEONENSIS Episcopi ex Anachoreta. Ex ea quam ex M. S. Codicibus collegit Renatus Benedictus.

*S. Pauli patria & parentes.*

BEATVS Paulus S. Samsonis socius in Britannia Cismarina natus, patrem habuit Portium nomine, qui cùm videret filium suum Paulum maximè literis esse deditum, beato Hilduto erudiendum tradidit. Superabat autem B. Paulus omnes coætaneos suos in bonis moribus & ingenij excellentia, & vitæ sanctitate. Nam adhuc puer tale miraculum fecisse fertur. Cùm enim S. Hilduto in quadam planicie triticum seminasset, ne vastaretur ab alitibus marinis, Paulum adhuc puerum custodem adhibuit. Quo nocte dormitante, ager ab auibus deuastatus fuit. Excitatus autem, & damnum segetis animaduertens, oratione fusa agrum ambiuit; auesque se mouere non valentes, alarum virtute depositā, quasi oues ad claustrum abegit. Quod cernens Abbas, & quid sibi hoc vellet interrogans, respondit Paulus, illos esse segetis hostes, quos captos, ad ipsum duxerat puniendos. Stupefactus igitur ille spiritualis pater, alites abire præcepit, & deinceps Paulum discipulum in summo honore habuit.

*Etiamnum puer miraculis claret.*

At beatus adolescens timens, ne in vanæ gloriæ incideret



*Secedit in Eremum.* incideret peccatum, magistri obtenta recedendi A licentia, in Eremū annos natus quindecim secessit; ibique sibi oratorium & cellam construens, solitariam ducebat vitam. Non est nostrum dicere quantas diaboli passus sit insidias, & tentationes, sed ille viriliter ei resistens hostem confusum reddebat. Et vt facilius de eo victoriam reportaret,

*Seuerè corpus atterit.* corpus suum vigiliis & ieiuniis macerabat: sæpius enim tres dies absque cibi sumptione perdurans contentus erat pane nigerrimo, & aqua ad vitæ sustentationem, & aliquando addebat quasdam herbas, & radices terræ. Sacerdos factus, quotidie de-

*Factus Sacerdos quotidie Missam celebrat.* uotissimè Missam celebrabat cum magna animi compunctione & effusione lacrymarum.

Eo igitur ita viuente, quidam Rex nomine Mar- B

*Marcus Rex Britanniæ S. virum accersit per legatos.* cus, qui in Britannia multis prouinciis imperabat, cùm recenter esset à Paganismi erroribus, ad veram Christi fidē reuocatus, & vellet perfectius in fidei nostræ mysteriis edoceri, audita S. Pauli Anachoretæ fama, eum missis legatis suis ad se accersiit. A quo cùm optimè in fidei Christianæ articulis institutus fuisset, postmodum semper in fide Christi perseuerauit. Vir igitur Dei videns Regem sufficienter in fide confirmatum, Rege salutato discessit, & ad vjsendam sororem suam quæ sanctimonialibus præerat, properauit. Quæ sciens fratris sui sanctitatem, eum rogauit, vt suis orationibus impediret ne fluctus maris, qui Monasterium valde molestabant, eidem appropinquarent, sed longius C

*Inuisit sororem, & mari terminos præscribit.* recederent. Vir igitur Dei plenus fide cùm omnes qui aderant iussisset orationi incumbere, vna cum sorore accessit ad mare, & cum paruos quosdam lapillos iussisset in littore apponi, præcepit mari ne amplius hos limites transgrederetur. Quod & factum est, nam & lapilli illi in ingentes scopulos crescentes, prohibebant quominus fluctus maris Monasterio nocerent.

His ita peractis cum sorori valedixisset, ab An-

*Angelico monitu secedit ad Ossam Insulam.* gelo admonitus, secessit in Insulam quandam maritimam, quæ Ossa vocabatur. Et cùm eandem circuisset, prope fontem reperit locum desertum, ibique sibi construens oratoriū, & cellam manere

*Multos infideles ad Christum cōuertit.* cœpit, & populū illius Insulæ brutalem potiùs quā D humanam ducentem vitam, prædicationibus, & miraculis, ad Christi fidem perduxit. Verum enimuerò cùm illius Insulæ habitatores à quodam immanissimo dracone infestarentur, hoc audiens vir sanctus ad locum vbi draco habitabat accessit, cūque Crucis signo seipsū armasset, stola sacerdotali

*Iugentē draconem interimit.* collū draconis constringens, quasi agnum ad mare deduxit, & in profundum equoris demersit.

Populus igitur videns se meritis viri Dei à dracone crudelissimo ereptum, iniit consilium, vt eum sibi constitueret Episcopum, & suæ salutis fideique magistrum. Sed præuentus est saniori consilio sui

*Recusat fieri Episcopus.* Principis Vvithuri. Nam ex hac re eum sæpē orauerat. Sed quod nequiuit precibus impetrare, arte E vsus est, vt quomodolibet, iuxta votum populi, Episcopus efficeretur. Verisimilia enim fingendo, ad sanctum virum peruenit, & coram eo humiliter suas preces fudit, dicens: Ex quo Francorum Rex Childebertus, hanc regionem meæ sollicitudini regendam commisit, nec per me, nec per fidum aliquem legatum, cum eo colloquium habui. Quapropter diuersa meum animum vrgent incommoda, super quibus ipsum Dominum meum consulere, perutilis mihi est sententia; nullumque reperio vtiliorem te, quē ad ipsum dirigeré possim. Si inueni gratiā in conspectu tuo, dū intimus mihi es, hoc negotium solus efficacius peragere poteris. Omnia autem tuo itineri necessaria, tibi subministrabuntur. Prædictum verò Regem vbi adieris, literas annulo ipsius, quem mihi a se discedenti donauit, signatas, tecum portabis, eique mox præbebis. Perlectisque literis, quicquid nobilis Rex propriis literis meæ humilitati mandauerit sagaci animo referes nobis. Literæ autem in hæc verba scriptæ erant: Cùm acceperis Domine mi Rex, hanc Epistolam, scito, quòd miserim ad te ego famulus tuus Vvithurus, hunc famulum Dei nomine Paulum, vt licet inuitum, nobis orantibus, ante tuam præsentiam iubeas ordinari Episcopum. Ad hoc enim officium cùm sit dignus & idoneus, multis vicibus admonitus, se abnuit accepturum. Nam Pontifices nostræ patriæ huic ministerio attestantur, cùm sapientiæ doctrina, tum vitæ merito esse dignissimum.

Paulus autem eius mandatis annuens, assumptis duodecim Presbyteris, & pluribus mancipiis, Dei fretus auxilio, viā aggressus est, & innata simplicitate perrexit, vt negotia Vvithuri fidelissimi sui absolueret amici. Iter ergo prosequutus, tandem

*Mittitur Parisios vir Sanctus ad Childebertū Regem.* peruenit Parisios, vbi suppliciter Regem adiit, cui, quod ferebat, tradidit. Rex verò sigillum protinus soluit, & lectis literis, ad Paulum conuersus ait: Paule Christi amice, vt quid diuini muneris talentum tibi cælitus commissum, fratribus impēdere distulisti? Quem locum excusationis habiturus eris in illo districti examinis die? Cùm habeas posse, vt plurimis queas prodesse: quare deest tibi velle? Sanctus verò Paulus, culpæ, qua arguebatur, insçius, stupefactus ad terram prosternitur, veniam orans, promittit se omnia perfecturum, si hæc quæ dicebantur, apertius sibi explicare dignaretur. Childebertus verò Rex, eum à terra eleuans, & cuiusdam Præsulis baculum accipiens: Suscipe, inquit, Pastoralem gradum, quo officio queas

*Tanquam consecratur Episcopus.* prodesse saluti plurimorum. Et euocatis tribus Episcopis qui eum benedicerent, vir Dei perfusus lacrymis, volens nolens suscepit, quod multo tempore recusarat. Eo igitur benedicto, statim Rex glorioſus Agnensem, Leonensemque pagos, cum

*Tradit ei Rex multas possessiones.* sibi debito reditu, Regiæ authoritatis præcepto ei tradidit: mandauitque vt eum omnes honorificè susciperent per Regias sedes, quousque ad suam Diœcesim peruenisset. Sicque accepta reuertendi licentia, Regi gratias agens, valedixit. Ingrediens autem Diœcesim sui Episcopatus & exultatione totius populi receptus, & in sua sede locatus, per plurima tempora pastoralis curæ officio functus est.

Destructa sunt igitur templa Idolorum: quia per totam Britanniam, Paulo doctore, effulsit claritas operum bonorum. Cùm ergo per totam regionem vnius fidei gratia Ecclesia polleret: beatissimus Paulus cùm diem obitus sui Angelo nun-

*Migrat in cælum.* ciante didicisset, spiritu prophetico clarus, absque E vllo membrorum dolore, sanctam Christo reddidit animam. Quartō itaque Idus Martij B. Paulus in pace quiescens, Confessor & virgo, cælum intrare promeruit. Vixit autem, vt accepimus, centum annis, & eo ampliùs.

## NOTÆ.

Paulus.] *De eodem Molanus in ad lit. ad Vsuard. 12. Martij. Vitam eius breuiter describit Vincent. in Speculo lib. 21. cap. 22. & 23 Trithemius item de viris Illustribus Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 48. & lib. 4. cap. 134. Agunt de eodem Petrus in Cat. lib. 3. cap. 195. Robertus Cænalis de re Gallica lib. 2. Perioche 6. Renatus*

*Benedictus in Vitis Sanctorum. Descripsit & istius sancti vitam ex antiquis M. S. Codicibus Ioannes noster à Bosco, sed ferè omnino diuersam, & quæ multa parum probabilia contineat. De eius miraculis dicemus multa inferius in vita B. Felicis Eremitæ, & de translatione sacri corporis eius apud Floriacum: vbi mansit vsque ad tempora hæreticorum, qui cum Monasterium deuastassent, capsasque argenteas & aureas in quibus Sanctorum Reliquiæ seruabantur, furati essent, etiam corpus S. Pauli perditum fuit, ita vt ignoretur vbinam sit. Quomodo autem & quare delatum fuerit Floriacum à S. quodam Episcopo, refert Ioannes à Bosco in Bibliotheca Floriacensi.*

*Habetur in Hist. Eccles. Rhem.*

## VITA S. BALDERICI ABBATIS. *Ex Flodoardo Presbytero.*

*S. Balderici patria.*

SANCTVS Baldericus Rhemensis, nobilibus parentibus ortus, etiamnum adolescens cœpit ad solitariam vitam anhelare. Quare relictis omnibus, cœpit locum quærere vbi suam constitueret habitationem, in qua conuersari, Deoque deuotè, ac quietè seruire posset. Tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem Falconis locum. Qui locus tunc temporis inhabitabilis densis operiebatur syluis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem, quam nuncupamus Falconem, præuiam & quasi præducem itineris dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum illũ rediens in locũ, vbi nunc habetur altare in honorem S. Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Vnde & cœnobium ab hoc euentu sic vocitatum plurimi asserunt. Vbi dum Deo deuotus seruire cœpisset: nonnulli Deum timentes, res suas eidem contulere, sicque collectis secum Monachis, cœnobium sub Regulari constituit institutione, atque idem sub honore S. Germani, ædificauit Monasterium. Quibus patratis, ad sororem inuisendam Rhemis reuersus, vltimum sui cursus, ibidem clausit diem: vbi & sepultus, tempore non modico requieuit.

*Vixit solitarius in Monte Falconis.*

*Cõstruit Monasterium.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Baldericus.] *De quo scribit Trithem. de viris Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 152. Baldericus Monachus in Monte Falconis, vir deuotus, ac sanctæ obseruantiæ Monasticæ ex toto deuotus: qui verbo & opere multis præbuit exemplum imitandæ virtutis, magna suæ sanctitatis fertur reliquisse indicia. Huius festum 17. Calend. Nou. colitur. Hæc ille. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico.*

## VITA S. THEOBALDI EREMITÆ. *Partim ex diuersis Ecclesiarum Breuiariis, & Auctoribus desumpta.*

*Patria & parentes S. Theobaldi.*

THEOBALDVS gente Francorum, patre Arnulpho, matre verò Gisla oriundus territorio Senonensi, castro autem Pruino educatus, flos è spinis erupit. Parentibus verò non solum nobilibus, verum etiam clarissimis atque ditissimis enituit. Cuius natiuitatem à S. Theobaldo Viennensi Episcopo, matri eius beati viri assertione prænuntiatam comperimus. Is etenim præsul aunculus auiæ sancti Theobaldi extitit, & ab eodem æquiuoci nominis vocabulũ sortitus est. Qui dum aliquando colloquium haberet cum matre dominæ Gilæ huius beati viri genitricis, inter cætera ait. O generosa parens gaude & lætare, quia ex te prodiet mater quæ paritura est magni meriti filium, qui omnibus nostræ affinitatis hominibus præeminebit, & ante Deũ & homines magnus vocabitur. Huic etiam præsagio testimonium perhibuit quædam bonæ voluntatis paupercula, quæ iam grauidam matrem beati viri conueniens, verbis sic solatur amicis: Gaude domina, quæ in vtero gestas filium qui apud Deum præcipuum obtinebit locum, & suorum erit gloria parentum.

*Theobaldus Viennensis Episcop. sancti huius natiuitatem prædixit.*

Videamus igitur de loco vnde tantum decus emanauit. Pruinum castrum, populosus locus est, iuris quondam illius Odonis famosi Comitis Capanensis, cuius propinquum fuisse beatum virum clarum est. Viguit autem tẽporibus Henrici Augusti, & Henrici Regis Francorum, & filij eius Philippi. Qui vt adolescentiæ attigit metam, non lasciuiam secutus est mundi, sed potius quicquid præceptorum Dei auditu percipere poterat, velut prudentissima apis in alucarium memoriæ studebat conuchere. Mouebat autem animum adolescẽtis maximè Eremitarum solitudo, æmulabatur victus eorum tenuitatem, vestium asperitatem, animi contemplationem, & Angelorum in solitudine contubernium. His igitur & huiusmodi facibus accensus clandestina discessione adiit quendã Eremitam in quadam insula Sequanæ latitantem: cui cordis sui aperuit ardorem. Cum quo inito consilio, assumptoque Gualtero quodam milite socio, ascensis vterque equis, cum singulis armigeris ad ciuitatem Rhemensem peruenerunt. Cumque ad Sanctum Rhemigium in prædicta ciuitate hospitati fuissent, occasione alloquendorum amicorum armigeris atque equis in hospitio relictis, pedestri itinere noctu ad interiora pertentauerunt progredi. Inuentis verò duobus peregrinis, exuti suis optimis ac militaribus indumentis, illorumque induti resarcitis, nudis pedibus peruenerunt ad locũ qui dicitur Pitingo, in Theutonicorum videlicet regno. Ibique multo tempore voluntariam paupertatem pro Christi amore sustinentes, cum multo labore victum sibi quæritabant. Nam sicut generaliter, non specialiter de Ioseph canitur in psalmo: Manus eorum in cophino seruierunt, & vsque ad vilissima ac laboriosissima rusticorum opera deuoluti sunt: scilicet lapides ferendo, fœnum è pratis secando, stabula curando, & maximè, vt idem simpliciter postea referebat, carbones ad opera fabrilia faciendo, victum sibi cum paruo censu prouidebant. Tenuissimo igitur collecto nummorum quæstu, ad sepulchrum Sancti Iacobi in Gallicia Hispaniæ parte, nudis, vt iam diximus, pedibus perrexerunt. Cumque inde reuerterentur, diabolus in itinere humana specie assumpta, per obliquum in via se prosternens, compulit virũ Dei ruere. Illo Christi nomen inuocante, Crucisque signo se muniente, malignus hostis euanuit. Treuirensem demum vrbem cum collega repetens, reperto ibi patre, admodum contristatus est. Romam deinde regressus desiderio videndi sepulchrum Dei, Venetiam quasi mare transiturus, expetiit.

*Adit quendã Eremitam in Insula Sequanæ.*

*Vnit cũ quodam socio relictis omnibus vitam pauperrimam.*

*Psalm. 80.*

*Peregrinatur ad S. Iacobũ.*

Amabilis igitur Domini Theobaldus hac intentione Italiæ fines oberrans, tandem peruenit ad locum, cui vetustas Salanica nomen indidit. Perlustrato verò loco, reperit saltum adeò spatiosum, & ruinas quasi veteris Ecclesiæ. Ibi post longinqui itineris fatigationem resedit, & à Dominis loci, habitationis domum sibi poscens, libenter illis cõcedentibus impetrauit. Compacto verò paruo tugurio

*Vnit in Eremo in maxima austeritate.*



gurio confidenter ibi habitare cœpit, & Angelicã vitam in terris actitare inchoauit. Primum à carne, & omni pinguedine se abstinuit. Demum verò pane hordeaceo, & aqua tantummodo vsus est. Ad postremum à pane & omni potu se abstinens, fructibus tantum & herbis, earumque radicibus aliquantis annis vixit: semper vsus cilicio. Diuina igitur dispositione actum est, vt proficientibus meritis, omnes Ecclesiasticos gradus vsque ad Sacerdotium à Vincentina Ecclesia adipisceretur, præsidente eiusdem Ecclesiæ cathedræ Sindekerio præsule, viro in Ecclesiasticis, & sæcularibus negotiis strenuissimo.

*Vix vllum tẽpus tribuit somno.*

Iam verò quis explicet dignè quas cruces corpori suo sæuus persequutor induxerit? Quinquennio igitur, vt eius fideles, & familiares testantur, numquam iacendo, sed sedendo somnum percepit, & hoc tanta peregit cautela, vt quasi tota nocte in somno mansurus, diligenter pannis tegeretur. Post absessum verò ministri sui statim exurgens, conticinij tempora in precibus & laudibus Dei, extensis manibus continuabat. Hora verò surgendi ad matutinales hymnos, vt suos lateret, ad stratum proprium regrediebatur. Illud autem stratum primo quædam arca æqualis superficiei extitit, substrato quodam lineo linteolo, & capite admoto trunco durissimo, superadditoque laneo pileo suæ peregrinationis ab æstu defensore. Demum verò cũ omnia corporis sui membra armasset supradicto linteolo suppossuit cilicium, & pro arca vsus est quodam lato & dolatili ligno. Biennio autem expleto, exquo vir Dei iam dictum cœperat incolere locum, socius eius Gualterus cum bona confessione naturæ soluit debitum.

*Gualterus S. viri socius moritur.*

Beato igitur Theobaldo non defuerunt tentamenta antiqui hostis. Nempe quadam nocte ipso in stratu incumbente, nec tamen dormiente, malignus spiritus, magna vi quatiens parietem affuit, & virum Dei ad nocturnales hymnos nominatim compellans, surgere hortabatur. Cumque ille motus his clamoribus quendam è fratribus se vocare putaret, ad cellam eius properauit, húncque quiescentem, obserato hostio inuenit. Diabolica igitur cognita illusione Trinitatem sanctam inuocauit, hostem muniendo se signo Crucis fugauit, & eum quasi rusticorum multitudinem securibus syluam prostrantium discedere audiuit.

*Magnas patitur dæmoniũ tentationes.*

*Valde ei infestus est diabolus.*

Quodam tempore, sancto legationem pacis agẽte, dum in plaustro sedens apud Leonicum castrũ flumen nouum pertransiret, (nam præ defectione pedum non valebat longius progredi) diabolus eũ in flumen conatus est præcipitare. Vna enim ex rotis plaustri subito nusquam comparuit. Tamen non præualuit inimicus vt virum Dei aliquatenus humectaret, sed ita à voragine fluminis, ac si leuis pluma siue birota inhumectatus exiliuit.

*Sæpius ab Angelis consolatur.*

Sæpè & frequentius visione Angelica hic beatus meruit visitari, & aliquando in specie Columbæ, aliquando in specie viri, & in aliis schematibus, quæ ipse solus nouerat, spirituum supernorum affatibus dignus fuit mulceri. Quadam die cum sua commissa lugeret, vox ad eum facta est: Noli flere, dimissa sunt tibi peccata tua.

*Apparent ei S. Hermagoras & Fortunatus.*

Eodem tempore Sancti Hermagoras & Fortunatus, in quorum honorẽ oratorium cellulæ habebat consecratum, cum magna ei claritate apparuerunt, atque dixerunt: Gratiam & benedictionem à Deo consequaris, qui tam sedulo nostri memoria huic Ecclesiæ deseruis.

Eadem tempestate quidam eius minister nomine Odo, nimię febris & fici addictus erat infirmitati, ita vt in promptu putaretur vitam exhalare. Cumque sæpius precaretur sanctum pro se orare, primo quidem renuit, & columbina vt erat simplicitate, respondit. Dei voluntati contraire timeo, cuius nutu te esse infirmum cognosco. At vbi vidit ingrauescente morbo, mortem imminere fideli ministro, dolens de eius absentia, iussit eum ferri ad Ecclesiam. Cumque eo præsente Missarum sacrificia celebraret, mysteriis Christi illum participauit. Eadem hora frater ad cellam suis pedibus rediit, qui aliorum adminiculo fuerat delatus.

*Oratione & Missæ sacrificio sanat ministrum suũ.*

Audientes igitur pater & mater inclytam famã beati filij, cum multa nobilitate ad eum venerunt, eiusque visione nimium gauisi sunt, & mater quidem quæ magnam in mundo possederat prædiorum amplitudinem, vnius breuis cellulæ, cum filio, Deo famulatura elegit solitudinem. Cui filius cum tanta humilitate obsequutus est, vt non facilè queat enarrari. Ex hoc verbo eius obsequium potest argumentari, quod nullo hyemis rigore, nulla frigoris inclementia ingruente, à conspectu reficientis matris nec ad modicum passus est abesse.

*Veniunt ad eum pater & mater cum multa nobilitate.*

Biennio igitur hic beatus ante suum transitum ab omni tentatione diaboli, ab omni pollutione carnali, suis credulis fratribus se perhibuit immunem. Quo tempore ita vulneribus corporis obsitus fuit, vt aliquando neque gressum figere, neque manum ad os ducere valeret. Supernus enim artifex vas electionis sibi aptum, igne tribulationis voluit septuplum purgare, vt eum sine rubigine in domo sua beatum faceret habitare. Illud verò magis stupendum est: quod nullo genere infirmitatis, nulla defectione carnis à proposito rigore ieiunij potuit flecti. Ingrauescente ergo vlcerum valetudine, & sciuit & prædixit in proximo se migraturum. Cumque duodecimus annus esset, exquo patriam reliquerat, nam tribus annis peregrinatus est, & nouem in solitudine mansit, ad extrema perductus, vigore corporeo cœpit omnino destitui. Accersito ergo Petro Abbate præ omnibus sibi in amicitia familiariter iuncto, qui ei eodem anno monachicum schema sacrauerat, commendat illi matrem, suosque filios spirituales, cum totius Eremi cura. Ante tertium diem suæ migrationis quinquies grauissimus terræmotus extitit, ex quibus quidam à foris stantes, omnes verò in cella sancti adstantes senserunt. Vnde coniicitur illius maiestatis præsentiam migranti affuisse, de quo quo dicitur: Qui respicit terram, & facit eam tremere. Testantur autem qui affuerunt, durum eum mortis gustasse calicem. Cumque diu in agonia desudaret, quidam è familiaribus diuinitus inspiratus, quosdam è popularibus adstantes, blanda voce discedere suasit. Quibus recedentibus, viatico Dominici corporis accepto, cum sæpius iterasset: Domine miserere populo tuo, diuinis fatigatum officiis spiritum reddidit, suis plorantibus, Angelis gaudentibus. Qui autem sancto corpori propius adstabant, testati sunt quod nec tenuis macula illum fuscasset, sed quodam resurrectionis decore eius vultus niteret. Migrauit autem pridie Calend. Iulij, Indictione quarta, Henrico filio Henrici Augusto, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Terræmotus quinquies factus ante diẽ tertium migrationis viri Dei.*

*Psalm. 103.*

*Præuoscit suũ obitum.*

*Moritur.*

Vincentini igitur comperto sancti obitu vnà omnes ad officium funeris ruere, clerus, omnis plebs vrbana & rustica in vnam coiere sententiam.

Armati

Armati & inermes, iuuenes & senes non solum ab vrbe, sed etiam à vicinis castris eruperunt, & magna vi solitudinem penetrantes, ab Ecclesia cellulæ eius beati viri glebam sustulerunt. Residui verò, qui in ciuitate restiterant, matronæ, pueri, & puellæ obuiam sancto corpori processerunt, duobus ab vrbe millibus, in loco qui dicitur ad Curtem, geruli beati corporis quieuerunt.

*Honorificè sepelitur vir Dei.*

Postera die, feria secunda, tertia die mensis Iulij cum magna frequentia & tripudio populorũ conditum est corpus sanctum in basilica Sanctæ Mariæ semper Virginis, ad cuius titulum sacerdotij functus est honore. Per omnia benedictus Deus, qui facit mirabilia magna solus. Post tumulationẽ beati Theobaldi placuit diuinæ maiestati, annuente beata Dei genitrice Maria, cooperantibus Leontio & Carpoforo, in quorum basilica idem requiescit, mirificare sanctum suum virtutibus & miraculis. Tres enim cæcæ mulieres illuminatæ fuerũt, duo claudi curati, paralaticus restitutus, quatuor cæci illuminati, hydropicus, duo debiles, & alij cæci multi curati sunt. Verùm in lectoris gratiam hoc stupendum miraculum enarrare nos conuenit. Quidam enim Turonensis nomine Martinus, vtroque brachio manicis ferreis adstrictus, post multorum sanctorum locorum circuitiones, adhuc sancto superstite, ad solitudinis locum, in quo idem beatus morabatur, peruenit, eumque pœnæ suæ, & reatus conscium reddidit, & fratricidam se esse lamentabiliter manifestauit. Cui sanctus propositum tum ad sepulchrum Saluatoris iter peragere suasit, eique prophetica voce dissolutionẽ vnius brachij prædixit. Perrexit ergo, & iuxta viri Dei verbum Dominicum sepulchrum vnius brachij gauisus est dissolutione. Reuersus ab Hierosolymitano itinere, beato iam ab hoc seculo translato, cum magnis lacrymosisque querimoniis eius expetens sarcophagum, his verbis cœpit eum increpare. Tu, inquiens, iussisti me ire & reuerti, ecce veni, & te superstitem non inueni, miserere mei sancte Dei, miserere infelicitati meæ. Solue reum, consolare peregrinum, qui tuo iussu tantum peragraui spatium. Illo ista prosequente, & alia multa, repentè circulus ferreus à brachio cum strepitu longè exiliens, crepuit, adstantesque magno gaudio repleuit. Hæc quæ retulimus, ab ore ipsius, de quo res agitur, didicimus.

*Pœna fratricidij.*

*Insigne miraculũ ad sepulchrũ viri Dei.*

## NOTÆ.

Theobaldus.] *Agunt de B. Theobaldo Petr. in Cat. lib. 6. cap. 36. Vincentius in Speculo, lib. 25. cap. 28. Petrus Abbas Vangadeensis eius res gestas scripsisse traditur. Sed nondum videre licuit. Scribunt præterea de eo Iacobus Mosander Carth. tom. 7. Surij. Cornelius Grazius, Hæreus, & alij. Eius festiuitas 30. Iunij celebratur. Agunt præterea de eo multæ Ecclesiæ Galliæ, sed præcipuè Metensis, quæ eius festum cum octauis solemnibus celebrat, necnon eius Translationem.*

*Habetur in Bibliotheca Foloriac.*

## VITA S. LÆTI EREMITÆ.

### *Ex ea quam ex M. S. Codic. collegit Ioannes noster à Bosco.*

IN tempore Clotharij Francorum Imperij arcem tenentis, mundo effulsit Lætus Confessor venerabilis, Sanctorum Germani & Medardi Pontificum contemporaneus. Qui quodam præsagio futuræ Religionis, ortus extitit religiosis patentibus, mox religiosus & ipse futurus. Cuius pater bene vocatus est Ciricus, vtpote perspicuum lydus mundo geniturus. Hic ab ipsa infantiæ suæ ætatula, semper frequentans Catholicæ Ecclesiæ limina, disiderauit Monasteriũ, dilexit Monachos, amauit præ omnibus Christum. Cùm ergo esset annorum duodecim, & pasceret oues patris sui: videns haud procul habitationem Monachorum, relicto grege, oblitaque cognatione parentum, festinus tetendit ad Monasterium. Moxque inspirante Spiritu sancto, ad pedes corruens Abbatis Trietij, cum magna humilitate, & compunctione habitum postulauit. Tunc prudens pater considerans sinceritatem cordis eius & simplicitatem, leuauit eum à terra dicens: Vnde es fili, & quod est nomen tuum? Cui perfusus lacrymis, & manus deosculans, ait. Ex patria Biturigensi duco Domine mi generis principium, & est mihi Lætus vocabulum. Senex autem alludens nomini; meritò, inquit, tali censeris nomine: quoniam proculdubio adepturus es sempiternam lætitiam, propter perfectam hodierna die conuersionem tuam. Quem sine mora susciens in Monachum, instruxit quasi bonus pater filium suum.

*Pater S. Læti.*

*Pascit oues patris.*

*Patria S. Læti.*

*Fit Monachus.*

Post hæc autem, attonsus in Clerum, susceptaetiam Monastica professione, in breui psalterium, & quicquid Ecclesiasticus deposcebat ordo didicit, ita vt videretur præcellere, quos ante multis annis ingens studium exercuerat disciplinæ. In hoc itaque degens Monasterio, insistebat ieiuniis & vigiliis, attentiùs super omnia humilitatem seruans. Si quando fratres vsque ad horam nonam ieiunarent, ille ieiunium vsque ad alterum protendebat diem. Cibum verò quem accipiebat à Monastico Præposito, latenter egentibus tribuere procurabat; sæpiúsque veste sua exutus, nuditatem eorum studebat operire. Quæ fratres videntes, inuidia ducti, alij ex inani iactantia, alij ex stultitia asserebant ab eo hæc fieri. At verò Abbas cæleste lumen conspicatus in eo nitescere, clam cœpit eũ diligere, ac prouectum per singulos gradus, Diaconij sublimari fecit honore. Permansit autem in ipso Monasterio cum fratribus annis sexdecim, seruiens Deo tota puritate mentis. Cùm demum maioris inuidiæ aculeis stimulati nequam fratres, instigante diabolo, prorumpunt Abbati Trietio dicentes, quod omnia quæ Lætus agebat, nõ perfectæ operationis virtute, sed potius simulata religione faciebat. Quapropter petierunt vt delegaretur pascendo pecori in solitudine. Quod negotium ille gratanter suscipiens, petiuit sibi dari ducem (quippe qui erat locorum ignarus) qui eum ad gregem perduceret; factumque est consilio diuinæ prouidentiæ, vt mitteret pater quosdam cum illo, qui eum accusauerant. Pergentibus autem illis per desertum, occurrit bestiarum multitudo. Quas cùm vidissent socij, aiunt: Fugiamus citiùs. Illis verò fugientibus, ipse cum fide magna in eodem substitit loco. Occurrunt interim feræ prædam ex ipsis facere gestientes. Quod vt vidit Lætus, celeri dexteræ motu, Crucem illis Dominicam à longè opposuit, suspicienque in cælum dixit: Domine Iesu Christe, qui Danielem de lacu leonum liberasti, & tres pueros de Chaldaicis flammis illæsos abire fecisti: libera fratres meos ab his bestiis. Tunc bestiæ omni feritate deposita, deferentes prædam quam iam inuasisse videbantur, venientes ad pedes viri Dei procumbunt, & quodammodo pœnitentiam agentes, veniam humiliter postulabant. Quod videntes qui fugerant, ad eum tremebundi redeũt. Quos beatus Lætus hilari confortans animo, hortabatur

*Abstinentia in initio conuersionis.*

*Ad Diaconatus honorẽ promouetur.*

*Inuidia fratrum in S. Lætum.*

*Oratione viri sancti liberantur fratres, eius æmuli, à bestiis.*



tabatur fideliter sperare in Domino. Denique post horæ spatium, iubet feras ad sua redire latibula. Sicque quantùm libuit, prostratas humi tenuit, & quando voluit, abire permisit.

Igitur Lætus cum suis sociis, cœptum peragentes iter, venerunt ad quendam vicum, in quo commorabantur cæci & claudi multi, qui audientes eos transire, rogabant vt aliquid acciperent eleemosynæ. Quod intuens vir magnæ pietatis respondit: Argenti & auri non est nobis copia, vnde possit vestra inopia subleuari: attamen quod habet charitas præstat. Et cùm orationem fecisset, singulis vnificæ Crucis signum apponens, meruit vt turba illa discederet incolumis. Fratres verò visis his miraculis veniam petierunt, & ex tunc in magna veneratione eum habere cœperunt. Quæ res in tantùm ei displicuit, vt pro huiusmodi honore sibi impenso, & assidua veneratione, fratres, & locum voluisset deserere. Eo igitur tempore beatus pater Maximinus Mixiacensi Monasterio præerat, ad cuius sanctissimum magisterium multitudo maxima religiosorum Monachorum confluxerat, inter quos fulgebant nominatissimi, venerabilis Presbyter Auitus, & Sanctus Viator Diaconus. Beatus igitur Lætus admodum cupiens tantam effugere venerationem, audita fama Sancti Maximini & discipulorum eius, accepta à suo Abbate licentia, venit ad eos. Sanctus autem Maximinus gaudens, eum in Monasterio susscepit, & postmodum ianuam Monasterij licet inuito, commisit.

*Signo Crucis sanat mutos & claudos.*

*Audita S. Maximini fama ad eũdẽ se confert.*

Suscepta igitur humiliter huius obedientiæ cura: eius simplicitas ab indisciplinatis computabatur stultitiæ. Erat autem in Monasterio sicut præfatum est, Auitus Presbyter sanctitate insignis. Hi ambo fœderati erant indissolubili vinculo charitatis. Qui de virtute in virtutem progredi anhelantes: statuerunt apud se Monasterium deserere, & Eremum simul petere. Accensi igitur diuinitus feruore tantæ deuotionis, & desiderio diuinæ contemplationis; discedentes à Monasterio nocte, contulerunt se in abditissimis Segaloniæ locis. Ibique diebus multis nulli hominum cogniti manserunt: deuotissimè superno inspectori famulantes.

*Petit Eremũ cum Auito.*

Post multum verò temporis, beato Maximino iam ex rebus humanis egresso, turba Monachorum quibus præfuerat, sanctum quærere Auitum, & beatum Lætum diuino nutu iter accelerant. Quibus tandem ex voluntate Dei repertis, gloriosus Confessor Auitus contra voluntatem suam ad Monasterium reducitur, & iubente Aurelianensi Pontifice Abbas efficitur. Beatus autem Lætus ab eis fuga elapsus est. Disponens itaque rursus in remotiora secedere, sancto Spiritu sibi ducatum præbente, Ligeris alueum transit, & ad locum qui antiquitus est Inatoria appellatus peruenit. Qui locus longè à ciuitate remotus, omni erat hominum habitatione destitutus. Sed & sylua quam Logium incolæ vocant, hinc & inde tunc temporis circumfusa, nulla admittebat viatorum vestigia. Vnde potius exilium, quàm Eremi videbatur præstitisse latibulum. Vbi exiguæ quantitatis extruens tuguriũ, vero ac viuo Deo propensius exhibere curauit deuotæ seruitutis obsequium, solitariam agens vitam in eodem loco non exiguo spatio temporis. Qui deinceps reliqua ætate sua nihil aliud in cibo nouit, præter id quod sponte profert humus. Præterea ipsam aquam quam nulli mortalium naturæ ratio vetat, statutis diebus cum mensura etiam accipiebat.

*Magna viri S. austeritas.*

Cùm igitur sic solitarius maneret, contigit vt eius gloria quam occultando nolebat agnosci, diuino nutu diu celari non posset. Cuius salubris manifestationis causa, salus extitit cuidam dæmoniaco per eum concessa. Is namque miserabiliter à dæmonio agitatus, nulla manebat in domo, sed penè illi similis Euangelico, per deserta & monumenta discurrebat, huc illucque vagando. In tantum enim inimicus hominum, plasma Dei sibi fecerat obnoxium, vt quoscumque obuios haberet, morsu dentium secundùm quod valebat appeteret. Dum ergo tali peste detineretur, placuit diuinitati supernæ vt errabundus deueniret vbi vir Dei morabatur in solitudine. Qui assistens ostio cellulæ inclamare cœpit eum (quasi notum haberet) ex nomine. Leuita Christi Læte aperi ianuam ostij: vt ad te valeam ingredi. Cogitans verò gloriosus Cõfessor Lætus, ne fortè esset aliqua maligni spiritus tentatio (neque enim solitus erat ibi audire vocem hominum) solo corpus strauit, & orans ad Dominum dixit: Domine Iesu Christe, ostende mihi quæso quid sit quod audio. Facta autem oratione, exurgens à terra, aperuit ostium cellulæ. Statimque apertius se denudans, cœpit dæmon per os hominis dicere. Leuita Christi Læte, parce mihi misero, orationibus tuis igneis catenis iam ligato. Exquo enim cœpisti orare, magis vror, quàm videar vrere. Figmentum Dei tui, quod temerarius inuasi, fateor, deserere volo, sed nullatenus mihi permittitur absque tuo imperio, detineor ad pœnam, dum imperare differs vt exeam. Tunc sanctus Lætus intelligens hominem à dæmone vexari, ait: Præcipio tibi repertor omnis malitiæ, vt exiens, imaginem Dei non præsumas captiuare. At ille continuò cum vlulatu ingenti ab eo exiuit. Cui etiam in mandatis dedit ne vsquam factum propalaret. Sed ille quem liberati reddiderat, impulsus voluntate Dei, beneficium quod acceperat, etiam volens celare non potuit. Pergens itaque, ferè vniuersis partibus illius regionis Confessoris nomen diuulgauit & meritum. Qua fama accita, cœperunt ad eum vndique infirmi confluere. Qui etiam illorum compatiens miseriis, orationem ad Dominum fundens pro illis, per manus impositionem sanos reddebat.

*Pellit dæmonem à corpore obsessi.*

Audiens itaque Abbas Triecius, tantis eum fulgere virtutibus, venit ad eum cum grandi Monachorum multitudine. Quibus susceptis cum gratiarum actione: iam edoctus à Domino instare diem suæ vocationis, ait Abbati hilari voce. Bene venisti virtutum magister, quem exoptabam videre priusquàm morerer. Tu mihi dux fuisti ad vitam, tu me præmittes, vt Christus mihi reuelare dignatus est, ad gloriam. Imminente enim die Dominica, sicut ab ipso totius sapientiæ didici authore, oportet me laborioſi seculi certamina deserere. Quapropter obsecro meis petitionibus obaudias, & terræ terram in sepulchro quod mihi præparaui, sepeliendo committas. Quo senex audito, fleuit amarè, & benedicens Dominum qui eum discipuli non priuauerat visione, affuturum se spopondit. Quid multa? Venit dies Dominica, eius diuinitus præfixa occasui, affuit, (vt ab ipso postulauerat) & Abbas Triecius. Exitum ergo suum gloriosus Leuita Dominici corporis & sanguinis perceptione muniens, totisque ex præcordiis Dominum fontem aquæ viuæ desiderans, illud Dauidicum lætabundo animo decantabat: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Et residua parte corporis iam penè exanimata, illos fabatur versiculos: Quàm di-

*Inuisitur ab Abbate Triecio.*

Iecta tabernacula tua Domine virtutum,&c. Erectis autem in cælum manibus, stetit, & inter verba orationis spiritum cælo, corpus terræ humandũ tradidit. Excedens igitur à seculo beatus Lætus octauo Idus Nouembris, mœstos homines, lætos reddidit ciues Angelicos. Quem vir Domini Triecius, in præparato sarcophago, expletis omnibus quæ debentur funeri, collocans, ad propria pro morte tanti filij mœrens est reuersus. Iacuit autem sacratissimum corpus eius in eodem loco multis annis, Domino publicante dignitatem sanctitatis eius. Verùm postea beatæ memoriæ Hermeteus Aurelianensis Episcopus, diuino admonitus oraculo, transtulit iam dicti sancti glebam, cum summo honore ad Pithueris Castrum, conuenientibus etiã vicinis Episcopis, & fideli populo. Vbi fabricata condigna meritis eius basilica: fiunt, & facta sunt operante Christi gratia multa virtutum miracula.

*Mortuo viro Dei sacrum corpus sepelitur ab Abbate Triecio.*

*Hermeteus Episcop. Aurelianensis transfert sacrum corpus.*

## NOTÆ.

Lætus.] *De quo Martyr. Roman. cum Baron. S. Idus Nouemb. vulgò vocatur* S. Lé.

Ligeris alueum.] *Hic fluuius Galliæ in Oceanum influit, maximi cursus, vulgò dicitur* le Loire.

## VITA S. HONORATI EPISCOPI, ex Anachoreta. Ex illa prolixa, quam scripsit S. Hilarius Arelatensis Archiepiscopus eius successor.

*Habetur in Chron. Insulæ Lerinensis, & in Breuiario Eccl. Arelat.*

*Patria S. Honorati.*

HONORATVS Episcopus Arelatensis, nobili prosapia eiusdem vrbis oriundus fuit. Qui gentilibus parentibus progenitus, in adolescentia motu proprio baptismum petiit. Catechumenus itaque factus, Clericos vt patres honorare, & pauperes eleemosyna, & largitate adiuuare cœpit. Tunc pater cœpit eum variis oblectationibus prouocare, studiis iuuentutis illicere, diuersisque mundi voluptatibus irretire. Sed omnia hæc paruipendens sanctus adolescens, ad baptismi gratiam conuolauit. Et sic in virum alterum mutatus, ieiuniis, vigiliis, & orationibus vacare cœpit. Tonsisque capillis, & veste mutata, non aliter quàm se orbatum filio pater lamentabatur. Occurrit, renititur, comminatur: nec tamen vllo horum sanctus iuuenis concutitur. Tyroni suo Dominus consolator adstitit; eique vnum ex germanis suis Venantium nomine, in collegium suscitauit, qui eius exemplo conuersus senior iuniorem consecutus est.

*Adolescens fit Catechumenus.*

*Pater nititur eum auertere à baptismo.*

*Frater S. Honorati eius exemplo conuertitur.*

Cúmque multis virtutibus emicarẽt, & omnem simul patriam adornarent: cœpit alter alterum laudi obiicere, & gloriæ exponere. Sed dum vnusquisque sub vmbra alterius obscurari volebat, tanquam repercussa claritas vtrumque radiabat. Gloriam itaque suam pauentes, in hac vita mercedem se percepisse putabant, & humanam conuersationem, & gratiam fastidientes, Eremi amore flagrabant. Omnibus igitur erogatis, de terra sua exeũt, & ne quid iuuenili ausu temerè ab eis incœptum putaretur: senem perfectæ grauitatis Eremitam Sanctum Caprasium, ætatis suæ custodem assumunt. Quæritur ergo latebra peregrinationis, fugitur fama virtutis, & vbicumque itur, alia vellent, nollent, fama pariebatur. Denique fratre Venantio Methonæ defuncto, Sanctus Honoratus ad patriam rediit, & ad Eremum vbi Areletensi propinquam seceſſit. Vacantemque Insulam ob nimietatem squaloris, & inaccessam venenatorum animalium metu, petiit, propter secreti opportunitatem. Ingrediente eo fugit horror solitudinis, cedit turba serpentium ibique ad eum multis confluentibus, factus est pater multorum Monachorum; multisque admirandis virtutibus fulgens, de aduenis quoque & peregrinis recipiendis magnopere solicitus erat, & pauperibus largiter erogans, nihil sibi suisque præter victum ac vestitum reseruabat. Exhausta est aliquando dispensationis substantia, fides numquam. Vnde quadam vice cùm vnum iam ex multis millibus, aureum arca proflua, ac munifica retineret, hunc ipsum etiam in multarũ rerum defectu, constantissimè pauperi dedit, & adstantibus ait, certum est iam appropinquare, qui deferat. Vix trium aut quatuor horarum spatium transierat, & mox qui fidem verbis suis faceret, occurrit. Tandem Presbyter, deinde Episcopus Arelatensis creatus, sub illo floruit Ecclesia, sicut ante Monasterium floruerat. Et sic in sanctis operibus perseuerans, & salutifera prædicatione Dominicum gregem pascens, suauiter migrauit ad Dominum.

*Magnus eius erga peregrinos studium.*

*Eximia liberalitas.*

*Creatur Archiep. Arelatensis.*

*Migrat in cælum.*

*Distrahunt facultates suas pauperibus.*

*Caprasiũ Eremitam sibi patrem asciscunt.*

*Venantius S. Honorati frater Methonæ decedit.*

*Ingreditur Insulã Lerinensem S. Honoratus.*

## NOTÆ.

Honoratus.] *De quo Martyr. Rom. cum Baronio in Notis 16. Ianuarij, & Annalibus Eccles. ad annum 426. & 444. Agunt præterea de eodem Beda, Vsuardus, Ado, Vinc. in Speculo lib. 20. cap. 21. & 22. Petrus in Cat. lib. 2. c. 86. vbi corrigenda sunt hæc. Exemplo quoque conuersionis suæ, Gennadium quendam virum effrænem & indomitum, ad pœnitentiam prouocauit, nam non Gennadium, sed Hilarium legendum esse, ex ipsiusmet Hilarij testimonio qui eius vitam scripsit, videtur, qui ait: Mei quoque gratia ad patriã quam fastidierat accessit, meque durum & indomitum, vix tandem suis pissimis exhortationibus simúlque lacrymis ac precibus, ad Deum conuertit: secumque ad Eremum perduxit. Extant eius gesta prolixius descripta à S. Hilario Arelatensi Episcopo, in Chronologia Insulæ Lerinensis, Auctore Vincentio Baralio. Plura de eodem in Breuiario Ecclesiæ Arelatensis.*

Vnum ex germanis suis Venantium, &c.] *Fuit Venantius iste frater Honorati, vir sanctus, cuius vitam reponit Vincentius Baralius in Chronol. Insulæ Lerinensis.*

Perfectæ grauitatis senem, Eremitam S. Caprasium.] *Vitam S. Caprasij Eremitæ supra lib. 1. descripsimus.*

Venantio Methonæ defuncto.] *Est Methona vrbs Syriæ, vbi obiit S. Venantius cum peregrinaretur cum Honorato fratre, vulgóque dicitur* Moudon.

Ad Eremum vrbi Arelatensi propinquam.] *Vincentius Baralius in Chronol. Insulæ Lerinensis fol. 37. egregiè describit specum S. Honorati, in quo prope Insulam Lerinensem habitasse traditur. Est, inquit, mons in mari Gallico Narbonensi in ingressu patriæ Prouinciæ ad occiduum venientibus ab Italia, qui vulgò Caporosse nuncupatur, inter Insulam Lerinensem, & ciuitatem Foroiulensem interpositus: qui ferè per tria milliaria & eo amplius in altum se extollens, rupibus vallatus, & nemoribus obsitus, cuius Orientis & Meridiei plagam mare alluit, in qua præ cæteris portus habetur Agathon nomine, qui vulgò* Agay *dicitur, in cuius latere prope verticem inter aquilonem & occasum, adest quoddam antrum per sex milliaria distans à prædicta ciuitate Foroiulensi in modum oratorij, in quo S. Honoratus primus Abbas, & fundator sacri Monasterij Lerinensis, postque Archiepiscopus Arelatensis, aliquandiu Eremi cultor mansit, quo in loco (certè mirum) tam inuio & inaquoso, in vertice aridæ rupis prope portam antri visitur saxum*



*saxum veluti in forma putei, concauum ad altitudinem trium palmorum, ferè ingiter limpidas continere aquas, quæ hominibus illuc deuotionis gratia concurrentibus, cedunt vsui, & maximè Foroiulensibus, qui cum ariditatibus, sterilitate, imbribus, aliisque pressuris vrgentur, ad placandam iram Dei, illuc processionali pompa quàm deuotè tota ipsorum concurrit ciuitas. Adest etiam subtus oratorium quædam paruula spelunca, in quam nisi reptando ingreditur, tantæ angustiæ & exilitatis, vt vix hominem curuum & in se contractum recipiat, habens foramen cælum versus, quæ patri nostro Honorato cessit pro regali cubili, diligenti secundum Apostolum habitare in cauernis, & speluncis terræ, & in scissuris petrarum, vt amplas cæli mansiones mereretur lucrifacere. Hæc Baralius.*

Cedit turba serpentium, &c.] *Non solùm S. Honoratus fugauit serpentes, sed etiam immanissimũ draconem, vt colligitur ex vita S. Iacobi Archiepiscopi Tharantasiensis quæ extat in Breuiario prædictæ Ecclesiæ, vbi hæc habentur. Percrebuit fama, quod Lerinensem Insulam pestifer draco circumsepta haberet, atque nauigantes circa eandem Insulam, odore nefandissimo obrueret. Tunc vir Dei Honoratus, proprias oues, quas in loco illo Domino acquisierat, præsentia corporali relinquens, solo Iacobo accito, partes Prouinciæ peragrauit. Deinde ad memoratam Insulam regrediens, assiduè cum fideli discipulo, Dei implorans misericordiam, ipsum pestiferum draconem penitus ab eadem Insula depulit, ita vt deinceps numquam ibidem appareret. Serui verò Domini memoratam Insulam ab hoste antiquo emundatã, aptamque ad vsus Monachorum eam esse cernentes, oraculum construunt, cellamque ædificant. In qua per aliquos annos residentes, virtutibus pollent, coruscant miraculis, aggregatisque discipulis, vsque in hodiernum diem, locus ille ex eadem congregatione fundatus, religiosè regitur per Monachos. Hoc miraculum prætermisit, vel ignorauit Vincentius Baralius, quia de eo, nec de S. Iacobo Archiepiscopo Tharantasiensi, qui fuit discipulus S. Honorati, nullam omnino facit mentionem. Hic autem S. Iacobus (vt in prædicto Breuiario dicitur) miles fuit, & secundum seculi dignitatẽ clarus apud Assyrios extitit, diuinoque munere præuentus, per angustam portam quæ ducit ad vitam, sicut in fine claruit, intrare contendit. Proinde habitum militarem, quo nitebatur reiiciens, pauperis Christi solerter decreuit pauper sequi vestigia. Conuersusque ad Dominum, totis viribus adimplere studuit opere, quod tenuit pectore. Ingens super omnia fuit ei desiderium, magistrum, qui eum ad fidem Christi, & Dei dilectionem propensius instrueret, alicubi posse reperire. Sicque infra non longum spatium, Baptismi sacramentum percipiens, atque cuidam seruo Dei Honorato Monacho adhærens, qui tunc temporis florebat intra Galliam, seruo Dei mancipandum totum se dedit. Missus autem fuit hic S. Iacobus à magistro suo Honorato Tharantasiam, tunc idolis deditam ciuitatem, cuius fuit primus Episcopus, cuius etiam festiuitas 16. Februarij celebratur.*

*Habetur in Viola Sanctorum.*

## VITA SANCTORVM EREMITARVM Castoris, & Pirminij. Ex Hieronymo de Villa Vitis Ordinis Canonic. Regularium.

*S. Castor Presbyter factus, petit Eremũ.*

BEATVS Castor à nobilibus parentibus virtualiter educatus, à Treuirensi Episcopo Diaconus fuit ordinatus. Sacerdos deinde factus, vt ad perfectiora posset pertingere, Eremum petiit, vbi diu ab hominum remotus consortio, Angelicam vitam duxit. Sed diuino spiritu inflammatus, salutem sitiens animarum: tandem multos ad seruiendum Christo ibi aggregauit.

*Congregat Monachos.*

Erat autem locus in quo manebant valde horribilis, & tam rigidus, quòd vix colligere poterant ad comedendum. Verumtamen eos vir Dei tantam penuriam patienter sustinere hortabatur, & semper spem suam iactare in Domino. Cùm aliquando prætereuntes nautæ eis salem denegassent, Deus mirabiliter eis succurrit. Nam immissa graui tempestate, cùm demergerentur, per preces S. Castoris liberati sunt, & deinceps ipsis beneuoli extiterunt. Tandem verò beatus Castor cùm multos in solitudine transegisset annos; vita & miraculis clarus obdormiuit in Domino, cuius festum 13. Februarij celebratur.

*Nautas periclitantes, suis precibus liberat.*

*Moritur.*

Sanctus Pirminius, natione Alemanus, cùm aliquandiu in cœnobio Monasticam duxisset vitam, Deo feruentius in solitudine seruire cupiens, Eremus tandem horribilis ei occurrit, quæ bestiis & serpentibus, aliisque venenatis animalibus, ac diuersi generis muscarum, & scabronum aculeatorum plena erat. In memoriam igitur Crucifixi Domini nostri, crucem ligneam fecit, & cum ipsa prædicta omnia animalia fugauit. Nunc ob huius reis memoriam magnificatur, & à pluribus contra toxica his verbis inuocatur. Pirmini dextera benedicat nostra fercula, seu pocula. Construxit autem celebre Monasterium in Insula Sindles, ad Augiam, Ordinis S. Benedicti, vbi senex & plenus dierum obiit: miraculis multis & viuus, & mortuus illustratus, cuius festum 3. Nouembris celebratur.

*S. Pirminius relicto cœnobio petit Eremum.*

*Fugat serpentes.*

*Construit Monasteriũ.*

*Migrat in cælum.*

## NOTÆ.

Castor.] *Meminit eiusdem Petrus Cratepol. de Episcopis Germaniæ. Agunt præterea de eodem Ottho Frising. & Vvion. in Mart. Monastico.*

Pirminius.] *De eodem fit honorabilis mentio in fragmento historico Auctoris incerti. Agunt etiam de eodem Ottho Frising. lib. 5. cap. 18. Vvionius in Mart. Monastico, & alij. Claruit circa annum Domini D.CCXXIV.*

## VITA SANCTORVM EREMITARum Benedicti, Suiradi, Frambaldi, & aliorum. Ex variis Auctoribus.

*Benedictus & Suiradus Monachi, prope Dunaiecium fluuiũ solitariè viuunt.*

FERVNT duo probatissimi viri, qui in ea Eremo, quæ Dunaiecio fluuio contigua est, diu versati sunt, quorum vnus vocabatur Benedictus: alter verò Suiradus. Hi Sancti Eremitæ in hac vasta solitudine commorantes, ieiuniis, vigiliis, & orationibus assiduè vacabant, & pro cibo, herbis, radicibusque vtebantur. Cùm autem Hungari per illam Eremum discurrerent, apprehendentes Benedictum, Christum abnegare compellebant. Sed cùm rem detestaretur, & audacter Christum confiteretur; ab eis crudeliter interfectus est. Suiradus verò, nescio quomodo aufugiens, post vitam durissimè exactam, tandem in Monasterio Montisferrei in Hungaria commigrans, ibi sanctè decessit.

*Trucidatur ab Hungaris S. Bened.*

*In Monasterio Mõtisferrei sancto fine quiescit Suiradus.*

Beatus Frambaldus nobili genere apud Aruernos ortus, parentum opera literis Græcis & Latinis egregiè operam dedit. Cernens autem mundum in maligno esse positum, relictis parentibus, & diuitiis, Grabonicæ syluæ condita incoluit, vbi ex arborum ramis breui extructa cellula, diu hominibus

*Patria S. Frambaldi.*

*Viuit solitarius in syluæ Grabonicæ, quæ vulgò dicitur* Iaurom.

manſit incognitus. Succeſſu temporis tandem inuentus, multi cœpere ad ipſum confluere, quos ſalutaribus doctrinis reficiens, conſolatos ad propria remittebat. Multis miraculis claruit. Nam mulierem ſterilem, ſuis precibus fœcundam fecit, dæmones fugauit, & varias infirmitates curauit. Habuit etiam diſcipulum ſanctitate celebrem, Conſtantiũ nomine, qui etiam miraculis claruit. Obiit autem B. Frambaldus ſenex & plenus dierum 23. Auguſti.

*Claret miraculis.*

*S. Conſtant. diſcipulus S. Frambaldi.*

Sancti Seuerini Colonienſis Epiſcopi temporibus, Eremitam quendam præcipuis virtutum operibus floruiſſe fertur: qui cuiuſdam magni Principis filius fuiſſe, & in deliciis copioſiſſimis eſſe nutritus perhibetur. In quibus eo vſque perductus eſt, vt parentes eius magnificas illi nuptias præpararent, & ſponſam delicatiſſimam cum apparatu multo conducerent. Cuius dum coniugio potiturus, cubiculum poſt cœnam opulentiſſimam intraret, ſubitò pauore neſcio quo raptus, vidit quaſi iuuenem ſpecioſſimum, qui ei maiorem gloriam commodaturum ſanctè promitteret, ſi ſibi parere ſequendo maluiſſet. Quod cùm tota ambitione iuuenis ſe velle dixiſſet: ſurrexit, & de omni ſupellectili quam poſſederat, vaſculum ligneum, quo vinum de ſitulis in vaſa aurea & argentea mixtum bibentibus fundi ſolebat, ſolum ſecum ſumens, virum qui apparuit, ſecutus abſceſſit. A quo in remotiora Eremi loca ductus, vitam laudabilem, & paucis imitabilem duxit. Cúmque ibidem multos dies ad promerendum Deum continuis orationibus vacaret, ſupplicare magnopere cœpit, vt cum quo æqualitatem præmij habiturus eſſet, iudex æquiſſimus aperiret. Cui cùm Colonienſis Eccleſiæ Præſul famoſiſſimus Seuerinus, in huiuſmodi conſortio proponeretur: ſibi eum quis eſſet, oſtendi precabatur. Nec mora, idem qui illuc eum adduxerat affuit, & ei locum in quo ſanctus Epiſcopus illis diebus morabatur, oſtendit. Forte tunc inſtante quadam ſolemnitate, multitudo populi confluebat, cui poſt diuinum officium à tanto Pontifice exhiberi honor impoſitus exigebat. Vbi dum prædictus ſolitarius, deliciarum affluentiam cernens, ſe ei in præmio ſociandum eſſe pertimeſceret, qui talia, qualia ipſe quondam dimiſiſſet, haberet, ſeueritate correptionis à magiſtro impoſita, didicit, quòd minus Epiſcopus omnem illam ſæcularem gloriam, quàm ipſe ligneum vaſculum, quod ſibi de cunctis opibus ſuis reſeruauerat, dilexiſſet.

*Filius cuiuſdam magni Principis ab Angelo in Eremum perducitur.*

*Habet reuelationem de ſanctitate S. Seuerini Colon. Epiſcopi. Pergit ad eũ inquirẽdum.*

*Ab Angelo corripitur ob temerarium iudicium.*

*Nota ſingularem mundi contemptũ in S. Seuerino Colonienſi Epiſcopo.*

Vnde Deo gratias agens, ad locum vnde venerat, gratulabundus receſſit, & vt promiſſum præmium, cum Dei famulo Seuerino mereretur, quoad vixit, inſtantiſſimè flagitauit.

*Tandẽ lætus regreditur ad Eremum prædictus ſolitarius.*

Cùm in partibus Germaniæ ſeruus Dei Achardus, vnus ex diſcipulis S. Bernardi, pro conſtruendo cœnobio, quod in territorio Treuirorum ſitum, Clauſtrum nominatur, aliquando moraretur, cælitus conceſſum eſt ei videre, & alloqui hominem ſanctum, hominem verè diuitem, magnum quendam ſolitarium, qui in partibus illis, multo tempore per montes & ſyluas ſine tecto & veſtimẽto, pro Chriſti nomine, nudus oberrans, herbis agreſtibus, & earum radicibus, morituræ carnis vitam ſuſtentabat, & æſtatis ardores, hyemiſq; aſperrimos algores, incredibili patientia tolerabat, ita vt quadam vice, cum brumali tempore, gelu ſolito ampliùs inhorruiſſet, & nix multa valde de nubibus flueret, & ipſe non habens quo à facie niuis & frigoris huius fugeret; ſed in terra nudus iacens, nõ modica ſpiſſitudine niuis totus operiretur, nullumque indicium corporis eius illic eſſet, excepto quod virgula fumantis anhelitus ab ore procedens, ſuperiniectam niuem aliquantulum relinquebat. Huius beati viri admirandas virtutes, & humanæ fragilitatis modum excedentem patientiam, domnus Achardus nouitiis ſuis referebat; quibus rudimenta tyrocinij ipſorum magnificè roborabat, atque in amorem virtutum non mediocriter accendebat.

*Achardus S. Bernardi diſcipulus.*

*Eremita qui dam ſemper nudus & hyeme & æſtate incedit. Suſtentatur ſolis herbis agreſtibus.*

*Nota miram illius ſolitarij patientiã.*

## NOTÆ.

Vocabatur Benedictus, &c.] *De Benedicto & Suirado agunt omnes Polonicarum rerum ſcriptores, ſed præcipuè Martinus Cromerus lib. 1. & Ioannes Herbutus item lib. 1.*

Frambaldus.] *De quo Molanus in Addit. in Vſuardum 23. Auguſti. Eius vitam Gallicè reddidit Renatus Bened. tom. 3. Meminit eiuſdem Vvionius tom. 2. Claruit circa annum Domini 570. tempore Childeberti Francorum Regis.*

Sancti Seuerini, &c.] *Hanc hiſtoriam ſcripſit Fortunatus in vta S. Seuerini Colonienſis Epiſcopi, quam refert Surius tom. 5.*

Cùm in partibus Germaniæ.] *Hiſtoriam iſtam ex Chronico Ordinis Ciſtere. refert Auctor Speculi exemplorum diſt. 3. num. 30. Porrò iſtius ſolitarij nomen prodit Auctor Faſciculi temporum in Lothario Imperatore, eumque Setzelonem appellat.*

*Finis Libri Secundi.*

DE



# DE VITIS PATRVM OCCIDENTIS.

## LIBER TERTIVS.

### Ex Petro de Natalibus Epiſcopo Equilino, & aliis collectus.

## VITA S. FRONTONIS EPISCOPI, & Eremitæ. Ex Petro de Natalibus Epiſcopo Equilino.

*Habetur lib. 9. Catalogi SS. cap. 109.*

*Patria Sancti Frontonis.*

*A S. Petro Apoſtolo baptizatur, & ordinatur Epiſcopus.*

*Mortuus ad tactũ baculi S. Petri redit ad vitam.*

*Multos conuertit ad Chriſtum S. Fronto.*

*Perſecutionẽ patitur à Squirio Præfecto.*

*Secedit in Eremum cum 70. Monachis.*

*Iugentẽ Draconẽ fugat.*

*Squirius præfectus ab Angelo monitus mittit S. Frõtoni, & ſocijs cibaria.*

*Tandem conuertitur Squirius, & à S. Frontone baptizatur.*

*Moritur S. Fronto.*

EFronto Epiſcopus apud Petragoricenſem ciuitatem claruit. Qui ex eadem vrbe oriundus, à iuuentute Deo deuotus, Romæ à beato Petro baptizatus, & Epiſcopus ordinatus, ad eandem ciuitatem cũ Gregorio Preſbytero, ad prædicandum miſſus eſt. Verùm poſt dies tres itineris, mortuo Gregorio, Fronto ad Petrum rediit, acceptoque ipſius baculo, ſuper corpus defuncti illum poſuit, & ſocium excitatum, de morte recepit.

Veniens autem Fronto ad ciuitatem Petragoricam, verbo & exemplo multos ad fidem conuertit, & ſeptuaginta Monachos, ibidem ad ſeruiendum Domino congregauit. Sed à Præfecto ciuitatis Squirio nomine, perſecutionem paſſus eſt: quia quos iſte baptizabat, ille decollabat, vnde ipſe ſumptis feminibus olerum, Monachos ſuos aſſumpſit, & Eremum deſertiſſimam petiit. Veniens autem ad locum ſuper fluuium Dordonem, draconem ingentem, & ſerpentum multitudinem ibidem habitantem, Chriſti virtute fugauit, ibique cum fratribus Deo ſeruiuit, & olerum ſemina ſeminauit. Deficientibus verò eis cibis, Angelus Domini Squirio præſidi per noctem apparuit, & ei diuinam vltionem comminatur, niſi ſanctis viris ſubueniat pereuntibus fame. Ille verò territus, amicos conſulit: ſed quò ſancti Dei abiiſſent, penitus inuenire non valuit. Poſt dies tres, nocte iterum Angelo eidem apparente, plagis percuſſus eſt, qui amicis iterum conſultis, ſeptuaginta Camelos cibis Monachorum onerat, & Deo Frontonis eos commendat. Qui duce Domino ad Eremum ſancti viri recto itinere peruenerunt. Sanctus autem Epiſcopus onerum medietatem depoſuit, & cum reliquo camelos dimiſit. Qui eadem via qua venerant reuerſi ſunt ad Dominum ſuum. Quod cernens Præſes in Chriſtum credidit, & Frontonem inueſtigandum adiit; atque Gregorius ab eo vocatus, ſacrum baptiſma ſuſcepit: eique in Eremo de cætero miniſtrauit. Sanctus autem vir poſt multos labores in pace quieuit 8. Calend. Nouembris, ſepultus Petragoricæ, virtutibus clarens.

## NOTÆ.

Fronto.] *De quo Martyr. Romanum cum Baronio in Notis 25. Octobris. Agunt & de eodem Vinc. in*

A *Speculo lib. 9. cap. 43. & 44. Vincentius Baralius in Chronologia SS. Inſulæ Lerinenſis, qui eius vitam affert ex M. S. codicibus Monaſterij S. Pontij Nicienſis. Plura de eodem etiam Petrus in Cat. in vita S. Petri Apoſt. 3. Calend. Iulij. Fuit & alius S. Fronto Abbas, de quo Martyr. Romanum 14. Aprilis, cuius res geſtæ habentur in Vitis Patrum Orientis. Plura de S. Frontone in vita S. Marthæ virginis apud Thomã de Trugillo tom. 2. Concionat. vbi hæc habentur. Ferunt nonnulli quod cùm apud Petragoricam ciuitatem, Miſſam celebraret Frontonius Epiſcopus vir magnæ ſanctitatis, & deuotiſſimus glorioſæ Marthæ, apparuit ei Angelus, tulitque eum Taraſconem, vt celebraret exequias glorioſæ Marthæ, ipſeque Miſſam celebrauit. Cùm autem videret Diaconus quod poſtquàm ipſe Euangelium dixerat, tanto pere commoraretur, & ceſſaret Epiſcopus, & dormire videretur, cubito eum tangens excitauit. Cui ſanctus Epiſcopus dixit: cur me tam citò excitaſti. Ego enim Miſſam celebrabam in exequiis Marthæ Virginis, quæ apud Taraſconem mortua eſt. Mittite ergo aliquem illuc qui mihi adferat annulum, & chirothecas, quæ ego afferre non potui, vt aduentum maturarem. Cùm autem miſiſſet populus, vt certum ſciret hac de re, comperit ita accidiſſe vt Frontonius Epiſcopus dixerat. Cæterùm quamuis in bona philoſophia, hæc non ſe compatiuntur, vt ſcilicet perſona aliqua humana ſit ſimul in duobus locis: potuit tamen fieri in hoc caſu vt remaneret Angelus quidã ſub figura Frontonij apud Petragoricam ciuitatem, vbi Miſſam celebrabat, & virtute diuina fuerit adductus beatus Frontonius, vt celebraret exequias Sanctæ Marthæ breuiſſimo quodam tempore, & poſtea eadem virtute, etiam deductus fuerit in eandem vrbem Petragoricam vt Miſſam abſolueret. Hæc de Trugillo. Vidi ego apud Taraſconem chirothecas ipſius, quæ pro Reliquiis in ſignum tanti miraculi ibidem aſſeruantur.*

Apud Petragoricenſem ciuitatem.] *Eſt Petragorica vrbs celeberrima Regni Galliæ, quæ vulgò dicitur* Perigueux.

Cum Gregorio Preſbytero.] *Melius legendum Georgio, qui Georgius fuit vnus ex 72. Chriſti diſcipulis primus Anicienſis Epiſcopus, qui cum S. Frontone à S. Petro miſſus fuit in Gallias, & mortuus, ad tactum baculi S. Petri reſurrexit, vt teſtatur Polycarpus Carth. 1. parte ſacri Myſterij Redemptionis noſtræ, Conſid. 14. num. 22.*

Acceptoque ipſius baculo.] *Hic baculus paſtoralis erat S. Petri, cuius media pars in Pago S. Pauliani in agro Anicienſi aſſeruatur, altera apud Petragoricam, vt refert idem Polycarpus.*

Camelos cibis Monachorum onerat.] *Potiùs legendũ iumenta, nam in Occidente, in Gallia præcipuè, Camelorum vſus non eſt, ſed potiùs in Oriente, vt optimè annotauit Heribertus Roſweidus in vita S. Frontonis Abbatis.*

*Habetur lib. 8. Catal. cap. 36.*

## VITA SS. MARINI ET LEONIS Eremitarum. Ex Petro de Natalibus.

BEATISSIMVS Marinus in ciuitate Ariminensi claruit tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum. Qui cum ex omnibus partibus diuersarũ artium magistros & operarios congregassent, ad reædificationem Ariminensis ciuitatis quæ circa annos Domini ducentos viginti reparari cœpit: contigit vt ex Dalmatiæ partibus duo magistri dolandorum lapidum aduenirent, Marinus scilicet & Leo. Qui ex Arben. ciuitate oriundi, Christiani ab infantia Domino seruiebant: de manuum suarum laboribus eleemosynas pauperibus tribuentes.

*Ciuitas Ariminensis reædificatur.*

*Patria Sanctorum Marini & Leonis.*

Hi igitur ad prædictæ Ariminensis ciuitatis reædificationem venientes, viderunt plurimos Christianos sua de prouincia, per præfectos operum in odium Christianæ fidei, iussu Principum iniustis ponderibus aggrauari: cœperuntque eos in suis adiuuare laboribus. Post aliquot verò dies Marinus emit asellum: quatenus illius adminiculo, fratribus suis in portandis lapidibus subueniret. Deinde ad montem Titani accedẽtes ad saxa excidẽda, ibidem cum aliis operariis triennium peregerunt. Verùm post trium annorum decursum, cum beatus Leo dudum desideraret solitariam vitam ducere: ad montem Feliciani, qui mons Ferretri alio nomine vocatur, secessit: ibique sibi cellam construens Deo cum magno feruoris affectu seruire cœpit, Anachoreticam vitam ducens. Marinus verò cum aliis Christianis ad ciuitatem Ariminensem reparandam remansit: vbi vsque ad operis perfectionẽ perseuerauit, Christianos in laboribus adiuuans, & eis sicut poterat cum magno charitatis feruore ministrans. Neque propter laborem corporeum orationes prætermittebat, aut ieiunium: sed quanto plus carne affligebatur, tanto in laboribus fortior videbatur. Cõpleto verò ciuitatis ædificio, ipse ciuitatem aliam non manufactam, in cælis ædificare cupiens, prædicationis officio diligenter instare cœpit: multosque Gentilium, etiam ex ipsis idolorum sacerdotibus ad Christum conuertit.

*Veniunt Ariminum, & Christianos iniustis ponderibus oppressos adiuuant.*

*Secedit ad montem Feliciani S. Leo.*

*Marini charitas erga Christianos.*

*Prædicationis officio incumbit S. Marinus.*

Interea antiquus hostis qui semper bonis nocere nititur, tale aliquid vt eum à diuino opere perturbaret & impediret, molitur. Quandam mulierem adeò dementauit, vt insana effecta, de partibus Dalmatiæ Ariminum vsque veniret: Marinum vti virum suum legitimum requirens. Quem cum inuenisset, cum importunis precibus, vt se eius coniugem susciperet flagitauit. Quam vbi Marinus admiratus despiceret, mulier insana præsidem adiit, & Marinum vti virum suum legitimum expetiit: eũque Christiani nominis accusauit. Quod cum vir Dei cognouisset, ad radices montis Titani latenter aufugit, & ibidem in arctissimo antro habitauit, vbi per spatium vnius anni, faciem hominis non vidit, solis herbis agrestibus, & aqua de rupe liquante post nonam quotidie refectus. Diabolus autem vt eum terreret, omne ferarum genus, & diuersa monstra vlulantia ei prætendebat: sed vir Domini præuidens, fixus in sancto persistebat proposito. Completo vnius anni curriculo, à pastoribus, greges in monte pascentibus, inuentus & agnitus est: eiusque fama in ciuitatem delata, insana illa mulier ad locum accessit: & Marinum, semina in hortulo seminantẽ inueniens, vt sibi adhæreret instanter impetere cœpit. Qui signo Crucis contra eam edito, ostium cellulæ in faciem clausit, & sex diebus continuis, nullum sumens cibum, in oratione perseuerauit. Quibus transactis, mulier ab immundo spiritu liberata, delusiones diabolicas cognoscens, veniam petiit, & ad vrbem rediens, omnia nefanda quæ commiserat, delusa à diabolo, publicè reserauit.

*Intidia diaboli aduersus virum Dei.*

*Vitiit solitarius ad radices montis Titani, & multas illusiones patitur à dæmonibus.*

*Nota vim ieiunij, orationis, & signi S. Crucis contra dæmonem.*

Verum enimuerò viri Dei crescente fama, cùm à multis iam frequentaretur, in honorẽ B. Petri Apostolorum Principis construxit Ecclesiã. Et cum quidam ex ciuibus ad eum venisset, vt cum ex inuidiæ liuore, inde repelleret: orante beato Marino, subitò omnibus corporis viribus destitutus, etiã ipsa lingua obmutuit: ita vt nec se posset mouere, nec verbum proferre. Quod mater eius per nutum intelligens ad Marinum accessit: & filio suo gratiam & sanitatem impetrauit.

*Construit Ecclesiam.*

*Muto loquelã restituit.*

Eodem tempore Gaudentius Episcopus Ariminensis, directus ad ipsam vrbem à Romano Pontifice, audita fama Sanctorum Leonis & Marini, eos ad se per litteras accersiuit, & Leonem Presbyterum, Marinum verò Diaconum ordinauit. Dum autem redirent ad cellã, & Vrsus de nemore exiens Marini asinum deuorasset, ille capistro alligans Vrsum, vt se ad cellam deferret, vicem asini supplens imperauit: quod Vrsus cum omni mansuetudine perfecit.

*Leo Presbyter, & Marinus Diaconus ordinatur à Gaudẽtio Arim. Episcopo.*

*Vrsus obedit Marino, vicẽ asini supplens.*

Exorta verò hæresi à Martiano Presbytero Ariminensi, quæ mirum in modum Ecclesiam Dei perturbauit; cum Christianos hæretici persequerentur, & Gaudentius Episcopus cum multis aufugisset: Marinus in cellula sua perseuerauit; nulloque fugientium Christianorum timore perterritus, inde remoueri potuit, sed vsque ad finem vitæ indesinenter in sanctitate persistens, anno Domini ducentesimo quinquagesimo septimo, pridie Nonas Septembris quieuit in pace. Sepultusque est in cellula sua in Titano monte, qui vocatur pœna Sancti Marini.

*Hæresis Martiani Ecclesiam turbat.*

*Moritur vir S. Marinus.*

### NOTÆ.

Marinus.] *Agit de eodem Mart. Rom. cum Baron. 4. Septemb.*

Ad reædificationem Ariminensis ciuitatis.] *Ariminum est ciuitas Italiæ, à flumine propinquo, eiusdem nominis, sic dicta. Ædificata est autem anno ante Christi natiuitatem ducentesimo septuag. Ptolomæo Lagi filio, Ægyptiis imperante. Eam Octauius ampliauit, & à Liburnis dirutam, Diocletianus Imper. reposuit; fusisque Liburnis, Arcum triumphalem in ea extruxit.*

Ex Dalmatiæ partibus.] *Est Dalmatia regio Illyrici, contermnia Liburniæ versus Occasum, à qua Dalmatæ populi dicti sunt.*

*Habetur lib. 9. Catalogi c. 40.*

## VITA S. BENEDICTÆ VIRGINIS & Martyris. Ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino.

BENEDICTA virgo & martyr, apud Lugdunum ciuitatem passa est. Quæ ex Senatoribus Romanis in vrbe progenita, Religione Christiana, spreto sæculo, cum duodecim virginibus, Domino in pudicitia seruiebat.

*S. Benedicta virgo Romana.*

Audito verò certamine Sanctorum Martyrum Quintini & aliorum, qui Roma egressi, in Gallia triumpharunt: ipsa de vrbe cum sodalibus discedens, ad Gallias accessit: vbi cæteris à se separatis, ipsa cum sola Scoberia eius collactanea, Lugdunũ venit, & in villa Myriniaco, super fluuium Isaram, iuxta

*Relicta patria venit Lugdunum, vbi solitariã vitam ducit.*



iuxta nemus solitariam vitam ducens, resedit, vbi Domino in omni sanctitate, & puritate seruiebat.

*Idolis sacrificare nolens, grauissima patitur tormenta.*

Quam iudex Macrobius detentam, dum sacrificare nollet, alapis cædi, deinde virgis fustigari iussit, deinde in equleo leuari, & diutius tortam, plumbatis contundi, atque depositam, in carcerem trudi mandauit: vbi Angelica visitatione consolata, sua prædicatione quinquaginta gentiles ad Christũ conuertit. Inde quoque eductam, & in fidei confessione persistentem, iussit iterum Iudex neruis cædi, & rursum carceri mancipari. Sed inde ab Angelo ianuis reseratis educitur, & omnia eius vulnera sanantur. Multi quoque de populo viso miraculo, conuersi sunt: propter quod ab ipso iudice, simul & carnifice, securi templo excusso mactatur, sicque martyrio coronatur 8. Idus Octobris, sepulta in Lugdunensis ciuitatis territorio, vbi passa fuerat.

*Sanatur eius vulnera ab Angelo.*

*Tandẽ securi percussa, migrat ad spõsum.*

### NOTÆ.

Benedicta.] *De qua agit Mart. Rom. cum Baronio 8. Octobris. Meminit eiusdem Vsuardus. Aliæ fuerunt eiusdem nominis, de quibus in Mart. Romano. Duæ enim Romæ martyres fuerunt, de prima agitur 4. Ianuarij, de secunda 6. Maij. Reperiuntur & aliæ duæ Virgines non martyres; vna Senonensis, de qua Martyr. Rom. 29. Ianuarij; altera, cuius natalis dies agitur 16. Calend. Decemb. de qua scribit Trithem. de viris Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 264.*

*Habetur in Thesauro Cõcionat. tom. 2.*

## VITA S. QVITERIÆ VIRGINIS & Martyris. Ex Thoma de Trugillo Dominicano.

*Pater S. Quiteriæ.*

FVIT beata Quiteria filia cuiusdam Regis, siue primarij, & perillustris viri, qui subditas sibi multas habebat terras, & Catellius vocabatur, cuius coniunx vocabatur Calsia, & ciuitas præcipua cuius Dominus erat, vocabatur Belcagia. Erant autem parentes eius gentiles, & idolatræ. Quiteria verò cum aliis sororibus suis, Christiana erat.

Cùm autem aliquando in oratione posita esset Quiteria, apparuit ei Angelus, qui dixit ei: Benedicta es tu Quiteria, quæ meruisti gloriam inuenire ante Dominum, qui te sibi in sponsam elegit. Eius ergo imperio, & voluntate nuntio tibi quòd te oporteat per aliquod tempus in solitudine viuere, in quodam monte vocato Oria, ibique in oratione & meditatione occuperis, & tempus tuum traducas. Sancta ergo Quiteria confestim parens Dei præcepto secuta est Angelum ad montem illum: ibique vixit aliquod tempus, fruens optato colloquio sponsi sui Christi. Visitata est etiam sæpius ab Angelis, & ab eisdem nutrita, adeò vt iam videretur ægrè ferre quod illam vitam relinqueret, & ad mundum ipsum, domumque paternam reuocaretur. Verùm id postmodum diuino nutu & voluntate faciendum fuit: nam sibi diuinitus iussum est, vt ad patrem rediret, qui solicitus admodum erat & tristis de filiæ suæ profectione.

*Apparet ei Angelus.*

*Vivit solitaria in monte Oria.*

*Pascitur ab Angelis.*

*Diuinitus monetur redire ad patrẽ.*

Lætus ergo pater de filiæ suæ aduentu plurimũ fuit, pollicitusque est ipsi, quod breui tempore matrimonio copularetur. Cui priusquàm ipsa assentiretur, Deum consuluit, cui virginitatem suam dedicauerat, vt sibi dignaretur reuelare, quid tandem actura esset. Apparuit ergo ipsi Angelus, dixitque: ne timeas Quiteria, sed iterum præpara te, quia certè oportet te exire de domo patris tui. Itaque accipe comitatum tibi conuenientem secundum statum tuum, & veni in ciuitatem Aufragiæ, vbi te oportet martyrio coronari. Accepit itaque Quiteria tum fœminas, tum etiam viros secundum statum suum, qui ipsam comitarentur, & profecta est in prædictam ciuitatem. Secuti sunt autem multi sponte, quos Deus inspirauit vt Quiteriam sequerentur in prædictam ciuitatem, cuius Dominus erat quidam Lentianus Idololatra.

*Conuertit ad fidem Christi Præsidẽ Lentianum.*

Itaque postquam peruenit Quiteria cum suo comitatu ante Lentianum, cœpit eum alloqui sæpe de Christo Domino, & de fide Catholica. Et quamuis initio repugnaret maximè Lentianus, postmodum tamen ad Christi fidem conuersus est. Cùm ergo sciret Quiteriæ pater quod præstiterat filia eius, cum tamen arbitraretur filiam suam iuisse aliquo cum sororibus suis, recreandi animi causa. Sciuit autem eam conuertisse Lentianum ad Christi fidem, cuius ipse erat inimicissimus. Misit ergo quendam qui vocabatur Germanus, cum qua decreuerat Quiteriam coniugio copulare, cum multis aliis armatis hominibus, vt inuentam Quiteriam interficeret. Quod ita factum est. Nam cùm Quiteriam inuenisset Germanus, eius caput amputauit in quodam monte. Dicunt autem nonnulli quòd gloriosa Quiteria, postquàm decollata fuit, caput manibus apprehendit, atque hoc modo ambulauit vsque ad ciuitatem Adunensem, vbi quieuit, & honorificè à Christianis sepulta fuit, cuius intercessione Deus multa operatus est miracula. Est autem aduocata hæc gloriosa sancta contra morsus rabiosorum canum. Celebratur autem eius festum die 22. Maij, quo die passa est martyrium. Quod fuit circa annum Domini centesimum, in ipsis primordiis quibus cœpit Christianismus in Francia tempore B. Dionysij.

*Tandẽ martyrio coronatur virgo sanctissima.*

*Abscissum caput suum defert.*

### NOTÆ.

Quiteria.] *De qua Martyr. Romanum cum Baronio in Notis 22. Maij. Scribit præterea de eadem Lucius Marinius Siculus in Annal. Hispaniæ. Officium 9. lectionum fit de ipsa in Ecclesia Narbonensi, vt constat ex eius Breuiario, vbi multa quæ supra scripsimus commemorantur. Extat præterea oratio propria de eadem in Breuiario Ecclesiæ Diensis. Fit etiam mentio de ipsa in vita S. Gemmæ sororis suæ, in Breuiario Monasterij Casadei, vulgò* de la Chaizedieu.

*Petrus in Cat. lib. 9. c. 103.*

## VITA S. MAGLORII EPISCOPI, & Eremitæ. Partim ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino, partim ex Laurentio Surio Monacho Carthus.

*Clari natales S. Maglorij.*

MAGLORIVS eximiæ sanctitatis vir, in Britannia maiori, traxit originem ex parentibus generis nobilitate claris, patre Vubafrelo, matre Affrela, ita vt etiam sanguinis coniunctione beatum Samsonem Dolensem Episcopum attingeret, cui postmodum in Episcopatu succedere meruit. Cumque præclaris exemplis, sana doctrina, piis institutionibus, & virtutibus in Ecclesia luceret: nocte quadam Angelus Domini adstitit ei dormienti, & ait. Hactenus quidem Maglori, ad pascendum Domini gregem in huius Episcopatus publica luce versatus es: at nunc vt possis liberius vni Deo vacare, remotioris loci pete secessum, vitamque viuas solitariam.

*Sãcto Samsoni succedit in Episcopatu Dolensi.*

Expergefactus, gratias egit Deo, & quod in visione audierat, citiùs adimplere curauit. Cum enim

*Angelico monitu relicto Episcopatu petit Eremũ.*

enim Buducum quendam virum pium sibi substituisset, Eremum petiit. Vbi autem peruenit ad amicæ solitudinis locum: ieiuniis, vigiliis, precibusque feruentissimè incubuit. Sed tamen sanctitatis eius fama inter latebras solitudinis coërceri nõ sustinens, passim increbuit, atque ita ex diuersis regionibus, variis affecti incommodis ad eum aduolabant, salutem expetentes. Comitem quendam ditissimum, nomine Loiescon, qui septennio leprosus fuerat, contactu suo à lepra mundauit. Comes autem pro gratiarum actione medietatem vnius suæ possessionis viro Dei concessit. Sed cum prædicta possessio auibus abundaret: mox aues omnes & pisces, dimissa medietate, quam sibi Comes retinuerat, ad aliam viri Dei medietatem transierunt. Quod cernens Comes, vxoris suasu, medietatem cœnobio concessam, cum sua sibi retenta cõmutauit. Sed iterum pisces, & volucres, ad medietatem sancti commutatam, se transtulerunt: quapropter Comes possessionem integram Monasterio largitus est.

*Solo contactu Comitem leprosum sanat.*

Cum Nortmanni totam vastarent Insulam, & populus inermis ad sanctum confugisset, baculo rupẽ percussit, & in manuales lapillos diuisit: quibus populus hostes in se irruẽtes oppressit, eosque in mari fugatos se præcipites dare compulit. Cum famulum quendam misissent piscari, casu cadens in mare submersus est: quem vir sanctus oratione suscitauit, & ab vndis, ad littus incolumem eiectum, reduxit.

*Nortmanni fugantur.*

Ab ipso matris vtero vixit castissimus; nam virginitatem perpetuò seruauit. Pane vescebatur hordeaceo, & viliori legumine, eoque parcè. Quarta & sexta feria prorsus nihil sumebat cibi, carnem quoque suam perpetuo cilicij vsu macerabat. Toto autem tempore quo relicta Dolensi Ecclesia, solitudinem expetiit, nec vinum, nec siceram bibit. Perpaucos autem pisciculos diebus solemnioribus in magnis habebat deliciis. Cùm cæteri fratres nocturnis horis membra sopori darent, ille clàm ad maris oram se recipiebat, ibique vsque ad noctis preces, quas Matutinas vocant, peruigil Dominum exorabat. Demum innumeris clarus miraculis, obitum suum longè ante præsciuit. Cui in vigilia Paschæ oranti, ter Angelus apparuit, eique obitus sui diem prænunciauit, atque de ipsius Angeli manibus Eucharistiam ter visibiliter accepit & sumpsit, & nono Calend. Nouembris, sicut audierat ab Angelo, ad Christum migrauit.

*Virginitatis florem perpetuò illibatum custodiuit.*

*Nota eius miram abstinentiam.*

*Moriturus, ter Eucharistiæ sacramẽtum de manu Angeli sumit.*

*N O T Æ.*

Maglorius.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio 24. Octobris. Agunt de eodem Vinc. in Speculo, lib. 2. c 121. Trithem. de viris Illust. Ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 50. Democh. de sacrif. Missæ tom. 2. cap. 23. Robertus Cœnalis de re Gallica lib. 2. Perioche 6. Vvionius in Mart. Monastico, & alij. Numeratur secundus Dolensis Episcopus, vulgò* de Dol en Bretagne, *circa annum Domini 612. Notandum quod à Petro Equilino mendosè vocatur Maiorus, quo nomine decepti Maurolycus, & Felici, duos diuersos pro vno constituerunt: arbitrati ex nominis Maiorij, & Maglorij varietate, personas ipsas fuisse varias.*

*VITA S. MAGNI EPISCOPI, EX Anachoreta. Ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino, & aliis.*

*Habetur in Supplemento Catalogi c. 17.*

*Patria S. Magni.*

BEATVS Magnus, ex Altino, parentibus nobilissimis originem ducens: statim à pueritia cœpit ad vitam solitariam anhelare: quatenus liberius & absque impedimento Christo deseruire posset. Vt ergo plena spiritus libertate Christum sequeretur, ab omnibus terrenis se exuens, in Eremum secessit: extructaque parua cellula, solus soli Deo vacare cœpit, & corpus suum cum Apostolo castigare, & in seruitutem redigere. Successu temporis, cum vir eximiæ sanctitatis euasisset: Sacerdos ordinatus, hostiam immaculatam, sanctam, Deo placentem, pro suis & populi peccatis offerebat.

*Petit Eremũ.*

*Ordinatus Presbyter.*

Tunc temporis, cum à Longobardis ciuitas Altinensis, & penè tota Italia desolata fuisset: ciues innumerabiles ob euitandas barbarorum pestes, ad ciuitatem nouam, quæ olim Heraclea dicebatur, in sinu Adriatico, paludibus munitam, se contulerunt. Beatus autem Magnus cum hoc rescisset, ad tempus solitudinem deserens, & populi huius calamitatem miserans, ad prædictam ciuitatem se cõtulit: populumque in magna afflictione positum, sanctis exhortationibus refouebat, & ad patientiam hortabatur. Illi verò ipsius integritatẽ & sanctitatem perspicientes: eum sibi in Episcopum elegerunt. Qui tanto honore indignum se contestans, ab hoc onere petiit subleuari. Sed eorum victus instantia, tandem assensit. Factus Episcopus, quanto sublimius dignitate clarus erat: tanto humilius à seipso deprimebatur: gregem suum cælestibus pascens, & optimè gubernans. Quadam vice in spiritu raptus, per reuelationem monitus est, octo Ecclesias ædificare. Primam Petro Apostolo, secundam Angelo Raphaëli, tertiam Saluatori, quartam Virgini gloriosæ, quæ nunc dicitur Maria formosa, quia in formoso ornatu ei apparuit: quintam Ioanni Baptistæ, sextam Zachariæ, septimam Iustinæ, octauam 12. Apostolorum numero: Saluatore & matre, cum singulis earum Sanctis sigillatim apparentibus, & loca ædificationum demonstrantibus. Vir Dei hæc omnia ciuibus pandens, locis & signis, prout monitus fuerat, inuentis, cum suis obsequentissimis filiis, easdem postmodum honorificas erexit. Beatus verò Magnus non tam nomine quàm effectu, dierum plenus & bonorum operum, profectus est ad Dominum suorum mercedem laborum suscepturus, & cum vberrimo omnium fletu honorificè sepultus est miraculis viuens. Cuius corpus anno Domini millesimo ducentesimo septimo pridie Nonas Octobris Venetias in Ecclesia S. Hieremiæ translatum est, adhuc miraculis florens, & ea dies in eius honorem celebratur.

*Italia à Longobardis desolata.*

*Affligitur populum consolatur.*

*Eligitur Episcopus.*

*Monetur diuinitus vt Ecclesias extruere.*

*Migrat ad Dominum.*

*N O T Æ.*

Magnus.] *De eodem Mart. Rom. cum Baron. Scribit etiam de eo Trith. de vir. Illust. & Vvion. in Mart. Monast.*

*VITA S. METRONIS CONFESSORIS. Ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino.*

*Habetur lib. 4. Cat. c. 147.*

BEATVS Metron confessor, Veronæ veneratur in Ecclesiæ S. Vitalis sepultus. De quo fertur, quod illuc peregrinus aduenerit: sed vnde venerit, aut quo loco exortus fuerit, ignoratur, ibique existens nouum pœnitentiæ genus adinuenit. Nam lapidi magno compede in Cruce posito mediante se afflixit: clauemque compedis in flumen Athesis proiecit: hoc sibi signum proponens, quod quando

*Nouum pœnitentiæ genus excogitat.*



quandocumque clauem reperire contingeret, ab omnibus peccatis se absolutum cognosceret. Post multos itaque annos, appropinquante die vocationis eius, pisces capitur; in cuius ventre clauis illa reperitur, animam iam sanctificatam designans, & corporis dissolutionem instantem prænuncians, quæ post modicos dies euenit, septimo Idus Maij.

*Moritur.*

*N O T Æ.*

Metron.] *De quo Marcus Marulus, & quidam recentiores.*

Veronæ.] *Est Verona ciuitas Venetiæ, à Gallis condita, duce Brenno primò, deinde mutatis literis, Verona dicta est, vt Iustinus lib. 20. refert.*

Athesis.] *Est fluuius qui Tridentinis Alpibus Tridentum alluit, & Veronam diuidit: deinde per latas Pali paludes gradiens, non longè à Brundusio, in Adriaticum mare influit.*

*Habetur lib. 8. c. 64. Catalogi.*

*VITA S. VENERII EREMITÆ. Ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino.*

*S. Veneriy egregia indoles.*

BEATVS Venerius ex nobili stirpe progenitus, prouinciæ Lunensis, iam à puericia ostendit quid futurus esset in vita. Nam nec improbis ludis & leuitatibus deditus, pietati & orationi studebat vacare. Adeò verò pompam omnem & fastum mundi huius animo & corpore calcauit: vt plerisque ea causa admirabilis videretur. Parentes illius (vt dictum est) erant nobiles & ingenui, qui valde soliciti de profectu filij, eum litteris tradiderunt imbuendum. In quibus cùm valde profecisset, & iam in adolescentia constitutus, mundo valedicere disponeret: cogitabat vbinam se conferret, vbi quietius & feruentius Deo vacare posset.

*Traditur litteris imbuendus.*

*Viuit solitarius in Insula Palmaria.*

Opportunitate igitur commodissima inuenta, ad Insulam Palmariam se contulit, quæ à Lunensi ciuitate circiter octo milliaribus distabat, in qua tãtummodò ferocissimæ & crudelissimæ bestiæ, & venenata animalia commanebant. Ibi igitur solitarius degens, herbis agrestibus & pomis diu ad cibum vsus est. Verùm cum quidam Agrestis nomine, diuina reuelatione præmonitus, ad eum accessisset: ab eo salutis doctrinam percepit, quique postmodum hortatu viri Dei, farculum ad terram colendam, & hordeum ad seminandum ei detulit. Cum autem vir sanctus, tempore quo iam hordea metebantur, semen delatum seminasset: hordeum subitò creuit, & ad maturitatem peruenit: quod & eadem messuit tempestate. Interea vir Deo plenus successu temporis ad populi notitiam venire cœpit. Iam enim rumor sparsus erat, sanctũ quendam hominem, à Deo missum, in eam Insulam aduenisse. Quod cum plerisque admirationi esset, ad ipsum accedebant, & de rebus vtilibus cum ipso sermones habebant. Quadam die cum inter multos illum visitantes pauper quidam Domealis nomine, ad eum venisset, & puerum suum iuxta littus maris reliquisset, illeque dormiens, latratu canis subitò expauescens, in mare cecidisset: audiẽs hoc Venerius, misertus hominis illius, oratione & lacrymis nauem ad littus, & puerum reduxit ad vitam. Vnde D. Gregorius Papa primus, & Phocas Imperator audita viri Dei sanctitatis fama, cũ plurimum reuerebantur: sæpiusque legationibus, & epistolis eundem honorabant.

*Vescitur pomis & herbis agrestibus.*

*Hordeũ tardius seminatum subitò maturescit.*

*Suscitat puerum mortuũ.*

*D. Gregorius Papa, & Phocas Imperator eum reuerentur.*

Ea tempestate prope ciuitatem Lunensem draco ingens & horribilis in cauerna habitabat, qui transeuntes deuorare, & carinas in mari sæpius subuertere solebat. Ad instantiam ergo Lunensis Episcopi, sanctum virum super hoc tertiò pulsantis, post orationem & ieiunium triduanum, cum Archidiacono & multis aliis, descendens ad rupem vbi drago habitabat, vestigia sua in saxo sicut in cera impressa reliquit. Præcepit itaque draconi in nomine sanctæ Trinitatis, vt se in abyssum demergeret. Draco autem vt audiuit sancti viri vocem, statim sese in mare præcipitans, nunquam deinceps comparuit.

*Vestigia in saxo impressa reliquit vir Dei.*

*Ad viri Dei vocem ingens draco se in mare præcipitat.*

Sed cum vir beatus ab omnibus honoraretur, & prædicaretur propter miracula quæ faciebat, timens ne ob hanc causam vanæ gloriæ tumor in eius animum irreperet: nauigauit ad Cyrnem Insulam, in qua nullus hominum propter solitudinẽ loci, & ferarum periculum, habitare poterat: ibique diebus quadraginta cum bestiis commoratus est, coruo ei quotidie dimidium panis calidi, & frustum carnis bubalæ, diuinitus deferente. Quadam die cum iuxta littus maris ambulans meditaretur de Scripturis sanctis, corpus hominis in mare submersi, & ab vndis illic eiecti, inuenit. Ille vt erat mitissimus & misericors, statim in lacrymas prorumpens, cum oraret vt Deus animam in exanime corpus restituere dignaretur: ecce Angeli apparent, congratulantes ei, & cum eo Dominum laudantes, & qui fuerat mortuus statim surrexit.

*Fugit ad Cyrnem Insulam.*

*Pascitur à coruo.*

*Suscitat mortuum.*

Non multo post, admonitione diuina ad priorem Insulam redire iussus, cum nautas qui illuc appulerant, & ad Sardiniam nauigare volebant, instanter rogasset, vt eum ad Insulam Palmariam deducerent: illi contemnentes hominem laceris vestibus indutum, & macie confectum, noluerunt eum assumere. Quare Deo volente in mari orta valida tempestate, non prius inde sese mouere potuerunt, donec sancti petitionem adimplere volentes, facta subitò serenitate, eum illuc detulerunt. Et cum ante recessum nautæ ipsi in littore lapidibus luderẽt, & vnusquisque illorum à socio casu in pectore percussus expirasset, oratione sancti suscitati sunt omnes. Reuersus igitur ad pristinum locum quieuit in pace tertio Idus Septembris. Sed quoniam nullus aderat qui sacrum eius corpus sepeliret, sancti Angeli visibiliter apparentes, sacras eius reliquias in tumulo reposuerunt cum hymnis & canticis. Ex eius verò sepulchro oleum emanans ægritudines omnes sanabat.

*Suscitat & alios mortuos.*

*Moritur vir S. & sepelitur ab Angelis.*

Eo defuncto Lucius Episcopus Lunensis diuinitus admonitus, ad Insulam cum populo veniens, oleum manans reperit, & terram effodiens, corpus integrum inuenit, miro fragrans odore, illudque honorabiliter tumulauit, & Ecclesiam super sanctas eius reliquias constituxit. Tempore verò Ludouici Pij Imperatoris, cum Sarraceni insulas illas deuastarent, Apollinaris Episcopus Lunensis, à sancto per visum admonitus, corpus eius inde transtulit, & Rhegium detulit: ac in Ecclesia S. Prosperi tertio Nonas Nouembris deposuit.

*Transfertur sacrum eius corpus à Lucio Episcopo Lunensi.*

*Etiam secundò transfertur.*

*N O T Æ.*

Venerius.] *De eo Martyr. Rom. 13. Septemb. & Baronius ibid. Agunt & de eodem Trithem. & Vvionius, & alij.*

Ad Insulam Palmariam.] *Palmaria est Insula vltra Tyberina, ostia in mari Tyrrheno.*

A Lunensi ciuitate.] *Luna ciuitas fuisse fertur Italiæ, quæ olim ædificata fuit ad modum Lunæ iã dimidiæ; sed vt dicit Ioannes de Ianua in suo Catholico, verbo*

*Luna ; modò deſtructa eſt.*

Sarculum.] *Eſt genus raſtri, hoc eſt crates illa dentata, quæ ſatis ſubtrahitur : à ſarriendo dicta, vulgò* vn Rateau.

Ad Cyrnum Inſulam.] *Κύρνον hanc Inſulam Græci vocant, quæ quidem eſt in Lyguſtico mari, hanc Latini Corſicam dicunt. Dicta Cyrnus à Cyrno Corſicæ Rege, prius Teranne nominata. Eſt longa paſſuum centum quinquaginta millium, lata maiore ex parte quinquaginta, circuitu trecentorum viginti duorum millium.*

Ad Sardiniam.] *Sardinia eſt Inſula in Tyrrheno ſeu Lyguſtico mari, à Sardo Herculis filio (ſicut Strabo & Solinus ſcribunt,) qui è Lybia veniens, cum multitudine colonorum, inſulam occupauit : cum antea Sandaliotis appellaretur, ab effigie ſoleæ, quam Græci Sandalion vocant, & Ichnuſa, à ſimilitudine veſtigij. Huius latitudo eſt millium paſſuum 98. longitudo ducentorum viginti. Mirum in ea Inſula neque lupum gigni, nequ e ſerpentem reperiri.*

Rhegium detulit.] *Eſt oppidum ſitum in margine Italiæ. Olim Rhegynæ ciuitatis ingens fuit potentia, ob eamque cauſam nomen ciuitati factum eſſe autumant quaſi regia vrbs foret. Eſt aliud Regium Ciſalpinæ Galliæ oppidum.*

## VITA S. IOANNIS CASSIANI Eremitæ, Ex variis Auctoribus collecta.

BEATVS Ioannes Caſſianus, natione Scytha, honeſtis parentibus natus, Conſtantinopoli literis operam dedit. Volens autem mundum, & quæ in eo ſunt deſerere, ad beatum Ioannem Chryſoſtomum, qui tunc temporis Conſtantinopolitanæ præerat Eccleſiæ, acceſſit : à quo Clericus, deinde Diaconus factus eſt.

*B. Ioannes Caſſianus diſcipulus S. Ioãnis Chryſoſtomi.*

Cùm autem hæreticorum rabies aduerſus Eccleſiam Dei ſæuiret, & Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ab ipſis hæreticis in exilium pulſus eſſet: Ioannem Caſſianum eius diſcipulum primò blanditiis, deinde minis, vt contra magiſtrum ſubſcriberet, impij illi adhortati ſunt. Sed cùm renueret, ipſum ex vrbe turpiter eiecerunt. At ille gaudens, hanc iniuriam pro Chriſto patientiſſimè tulit. Pergens ergo ad partes Syriæ, in quodam Monaſterio habitum ſanctæ conuerſationis ſuſcepit, & breui intantum profecit, vt cæteris Monachis & ſenioribus admirationi eſſet.

*Ab hæreticis eiicitur ex ciuitate B. Ioannes Caſſianus.*

*Fit Monachus.*

Poſtquam verò aliquandiu ibi conuerſatus eſt, anhelans ad vitam ſolitariam, petita & obtenta ab Abbate in Eremum commigrandi licentia ; aſſumpto quodam collega & amico ſuo Germano Monacho, profunda Ægypti deſerta penetrauit, atque ibi cilicio tectus antiquorum illorum Anachoretarum vitam pro viribus imitari ſtudebat. Quadam vice cùm magnus quidam & ſanctus Anachoreta nomine Theodorus, ad cellam Sancti Ioannis intempeſta nocte veniſſet, & quidnam rudis adhuc Anachoreta ſolus ageret, paterna ſolicitudine lateret exploraret, eumque illico finita veſpertina ſolemnitate, incipientem feſſum corpus iam reficere, & incubantem pſiathio reperiſſet: protrahens imo corde ſuſpiria, ſuo eum vocitans nomine : Quanti, inquit, ô Ioannes, nunc cum Deo colloquuntur, eumque in ſemetipſis amplectuntur, ac retinent, & tu fraudaris tanto lumine, inerti ſoporis deſidia reſolutus?

*Anachoreticam vitam ducit in Ægypto.*

*Nota maximam Sanctorum Patrũ vitæ auſteritatem.*

Succeſſu temporis, maioris perfectionis acquirendæ deſiderio tactus vnà cum collega Germano, ſanctos Patres qui in Ægypti & Palæſtinæ regionibus morabantur, viſitauit, quorum etiam Collationes, & res geſtas deſcripſit: Cum autem in Oriente hæretici valde multiplicarentur, & ſæuirent contra Catholicos, B. Ioannes ad partes Occidentales tranſiens, tandem proſperis ventis Maſſiliam appulit : vbi tuguriolum extruens, non longè ab ipſa vrbe per multos annos ſolitarius vixit, & ob eximiam ſanctitatem poſtmodum Preſbyter ordinatus eſt. Cúmque multi illius ſe ſubderent magiſterio: duo Monaſteria conſtruxit, virorum alterum, alterum mulierum. Vt autem Monachos ſuos ad perfectionis viam inflammaret, ſcripſit eis Latino ſermone libros doctiſſimos, de Inſtitutis Renunciantium, de octo capitalibus vitiis, atque Collationes Patrum. Libros autem ſeptem de Inſtitutis Renunciantium, Caſtori Pontifici, & decem priores Patrum Collationes, Leontio Epiſcopo & Helladio, & ſeptem poſteriores, Eucherio Lugdunenſi, & Honorato Arelatenſi, Epiſcopis dedicauit.

*Viſitat ſanctos Anachoretas.*

*Venit ad partes Occidentis.*

*Cõſtruit duo Monaſteria apud Maſſiliam.*

*Catalogus operum eius.*

Ad extremum cum eſſet ſenex, prouectæque ætatis, rogatus à Leone Romano Pontifice, ſcripſit aduerſus Neſtorium, de Incarnatione Domini libros ſeptem, quos eidem dedicauit, & ſcribendi apud Maſſiliam, & viuendi finem fecit, Theodoſio & Valentiniano regnantibus.

*Migrat.*

### NOTÆ.

Ioannes Caſſianus.] *De eodem agunt clariſſimi viri Gennadius in Cat. virorum Illuſtrium. D. Proſper in Opuſculo contra Collatorem. Dionyſius Carth. in Præfatione ſuæ Paraphraſis. Trithem. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Petrus in Cat. lib. 7. cap. 59. Baronius tom. 4. Annal. & alij. Eius feſtum 13. Auguſti celebratur, floruitque circa annum Domini 435. Cuius ſacrum corpus Maſſiliæ in magno honore & reuerentia habetur. Plura de eodem ſcripſit Henricus Cuiyckius, qui nouiſſimè eius opera correxit, & Annot. exornauit.*

Ad beatum Ioannem Chryſoſtomum, &c. acceſſit.] *Quòd B. Caſſianus fuerit diſcipulus S. Ioannis Chryſoſtomi, ipſemet Caſſianus teſtatur circa finem libri ſeptimi de Incarnatione, ſcribens in hunc modum. Vnde ego quoque ipſe humilis atque obſcurus nomine ſicut merito, licet mihi inter eximios Conſtantinopolitanæ vrbis Antiſtites, locum magiſtri vſurpare non poſſim, ſtudium tamen diſcipuli, affectumque præſumo. Adoptatus enim à beatæ memoriæ Ioanne Epiſcopo in miniſterium ſacrum, atque oblatus Deo, & ſi corpore abſum, affectu illic ſum, &c. Et infra. Mementote magiſtrorum veterum, ſacerdotumque veſtrorum, Gregorij nobilis per orbem, Nectarij ſanctimonia inſignis, Ioannis fide ac puritate mirabilis. Ioãnis inquam, Ioannis illius, qui verè ad ſimilitudinem Ioannis Euangeliſtæ, & diſcipulus Ieſu, & Apoſtolus, quaſi ſuper pectus Domini ſemper, affectumque diſcubuit. Illius inquam mementote, illum ſequimini, illius puritatem, illius fidem, illius doctrinam, ac ſanctimoniam cogitate, illius ſemper mementote, doctoris veſtri ac nutritoris, in cuius quaſi gremio quodammodo amplexuque creuiſtis. Qui communis mihi, & vobis magiſter fuit: cuius diſcipuli, atque inſtitutio ſumus, &c.*

Ipſum ex vrbe turpiter eiecerunt.] *Confirmat Petrus in Cat. vbi ſuprà. Qui de Eccleſia Conſtantinopolitana per hæreticos eiectus, in Maſſilia Galliæ Preſbyter ordinatus, duo condidit Monaſteria, virorum & mulierum, quæ hodie extant.*

Incubantem pſiathio.] *Pſiathium, vt ex Collat. 18. cap. 11. apparet, locus fuit planè abiectus, & humilis: ſeu potius vilis ſella, in qua ſynaxeos tempore Monachi conſidebant. Apud veteres enim primaria ſedes dicebatur πρῶτον ξύλον, hoc eſt primum lignum, ſiue cathedra prima. Quæ autem ſellis inſternebantur, & humiliora ſcamna, pſiathia nuncupari ſolita erant.*

Quodam collega & amico ſuo Germano.] *De quo ſæpius fit mentio in ipſis Caſſiani Collationibus, necnon in Vitis Patrum, vbi ſæpius legitur hoc. Narrauit nobis Abbas Germanus, &c. Cum iſto Germano, ab ipſo tyrocinio ac Rudimentis militiæ ſpiritualis, ipſi ita indiuiduum contubernium, tam in cœnobio, quàm in Eremo fuit, vt cuncti ad ſignificandam ſodalitatis, ac propoſiti eorum paritatem pronunciarent, vnam mentem, atque animam duobus ineſſe corporibus.*

Sanctus Anachoreta nomine Theodorus.] *Hanc hiſtoriam ipſe Caſſianus ſcriptam reliquit in lib. de Inſtit. Renunciantium.*

Maſſiliam appulit.] *Conſentiunt omnes hiſtorici qui de eo ſcripſerunt.*

Vt Monachos ſuos ad perfectionis viam inflammaret.] *Reuera multi ſancti magnum emolumentum ex lectione librorum Caſſiani retulerunt, ſicut Diuus Benedictus Romualdus, Caſſiodorus, Dominicus, Thomas Aquinas, & Ignatius Loyola, & innumeri alij, qui eius Collationes aſſiduè peruoluebant. Notandum verò quòd Gelaſius Papa, diſtinct. 15. cap. Sancta Romana, Ioannis Caſſiani opera inter apocrypha numerauit, & B. Proſper contra tertiam decimam Collationem, quæ Pelagianæ hæreſeos labe pene tota conſperſa eſt, libellum edidit, cui titulum inſcripſit, contra Collatorem. Verùm ſicut negari non poteſt, obſcuriora aliquot loca, & errores, tam in iſta tertia decima, quàm in pleriſque aliis collationibus inueniri : ita conſtanter affirmandum, hos non tam ipſi Caſſiano, quàm Collatoribus, quos ille ita opinatos fuiſſe ſcribit, imputandos eſſe. Nam hoc imprimis ipſa eius præfatio, quæ Collationibus præmittitur, coarguit : in qua ſe non ſua, ſed Sanctorum Patrum, & Anachoretarum Inſtituta, fideli ſermone narraturum pollicetur. Illud videre eſt in Collatione 20. cap. 10. Ex his igitur, & ex libris de Incarnatione Verbi, liquidò apparet, ipſum Pelagianæ ſectæ nunquam patrocinatum fuiſſe.*

Scripſit eis Latino ſermone.] *Quod Latinè ſcripſerit Caſſianus, in præfatione Collationum ſuarum, manifeſtum nobis præbet teſtimonium. In ea ſiquidem Leontium Pontificem, & Helladium fratrem, alloquitur in hæc verba. Obtineant orationes veſtræ ab eo qui dignos nos, vel viſu eorum, vel diſcipulatu, vel conſortio iudicauit, vt nobis earundem traditionum memoriam planam, & ſermonem ad dicendum facilem conferre dignetur, quo tam ſanctè eas, atque integrè quàm ab ipſis accepimus explicantes, ipſos quodammodo in ſuis inſtitutis incorporatos, & quod maius eſt, Latino diſputantes eloquio, vobis exhibere poſſimus. Et collat. 13. cap. 15. Quod minus Latinè, (inquit) ſed expreſſius dici poteſt, idoneitas noſtra ex Deo eſt. Adde quod quia prope Maſſiliam, & non in Græcia, & ad Epiſcopos Galliæ Latinos ſcripſit, non alio quàm Latino ſermone, in quo illi verſati erant, vti debuit. Sed neque de Interprete Caſſiani vnquam auditum eſt.*

De Inſtitutis Renunciantium, de octo capitalibus vitiis, atque Collationes Patrum, &c.] *Reperiuntur quædam alia opuſcula ſub nomine Caſſiani, vtpote Theologica confeſſio, quæ à quibuſdam ei tribuitur, de conflictu vitiorum, & virtutum, qui etiam Caſſiani intitulatur : ſed hi libri, & ſi qui alij inueniantur, non ſunt eius, tum quod apud Gennadium, & Trithemium non inueniantur Caſſiano attributi, tum quod illius ſtylum non redoleant. Interim notandum, Sanctum Eucherium Lugdunenſ. Archiepiſcop. eius opera quæ nunc extant, longo ſermonis ſtylo protenſa, in breuiorem ſententiam reduxiſſe, quemadmodum Gennadius, & Baronius, & Vincentius Baralius tradunt.*



## VITA SANCTI IOANNIS Calabytæ. Ex ea quæ eſt apud Petrum Epiſcopum Equilinum.

*Habetur lib. 3. Cat. c. 156.*

IOANNES Monachus filius Eutropij magiſtri militum vrbis Romæ, & Theodoræ, Chriſtianorum, cùm eſſet annorum duodecim, à parente liberalibus ſtudiis traditus eſt. Cùm autem pater in domo ſua Abbatem Monaſterij Acœmetorum, Hieroſolymam pergentem, hoſpitio ſuſcepiſſet: iuuenis ad vitam Monaſticam animatus, ab eodem Abbate regularibus diſciplinis imbuitur, promiſſione ſibi facta, quod regrediens domum illuc diuerteret, eo quod ſecum ire, & Monachus fieri diſponeret. Interea Ioannes à patre Euangelium ſibi ſcribi petiit, in quo ſtudere cupiebat, quod mater gemmis & auro, ad filij delectationem ornauit. In quo quotidie Ioannes legebat, & ad vitæ perfectionem æmulus anhelabat.

*Patria & parentes S. Ioannis.*

*Eius pater hoſpitio excipit Abbatem Monaſterij Acœmetorũ.*

*Fugam ſeculi meditatur S Ioannes.*

*Mater ipſi tradit pſalterium, gemmis & auro ornatum.*

Reuerſus igitur Abbas, in domo Ioannis recipitur : cum quo habito colloquio de fuga petenda, quia parentes timebat, nauem reperiunt iuxta littus, à quibus dum nautæ multum pro naulo exigerent, & pecunia carerent, Abbaſque ad repatriandum feſtinaret : iuuenis patrem rogat, vt det ſibi centum aureos, pro conuiuio conſodalibus celebrando. Quibus acceptis, Ioannes quaſi neceſſaria empturus abiit : vrbem exiuit, & ad Abbatem ſe iuxta mare præſtolantem concitus venit, datoque naulo, nauem ſecum aſcendit. Quem parentes dudum perquirentes, & minimè reperientes, ad mortem affligebatur. Ille igitur ad Monaſterium perueniens, factus eſt Monachus: vbi in omni vitæ ſanctitate, & ſumma obedientia ſeptennium peregit.

*Latenter fugit.*

*Fit Monachus in Monaſterio Acœtorum.*

Poſt hæc cùm de viſione parentum nimium tentaretur, obtenta Abbatis, & Monachorum licentia, relicto cœnobio Romam venit, mutatoque habitu, conſciſſis veſtibus indutus, facie præ ieiuniis tabefacta, in domo parentum incognitus hoſpitatus eſt, minimè ſe reuelans. Cumque manè pater domum egrediens, peregrino compateretur, tugurium ſibi iuxta domum ſuam conſtruxit, eumque de menſa propria, vti pauperem aluit. Qui multis ieiuniis affectus, continuè orationi inſiſtebat. Sed tandem infirmitate correptus, mortique vicinus, matrem vocauit, eique pſalterium gemmis & auro ornatum exhibuit. Quæ libro cognito, viroque vocato, Ioannem interrogat quomodo pſalterium illud habuiſſet, & ſi qua de eorum genito audiuiſſet. Qui cuncta per ordinem narrans, ſe Ioannem eorum filium patefecit : moxque in eorum brachiis expirauit. Cuius corpus cum multarum effuſione lacrymarum, parentes in nouo ædificato oratorio ſepelierunt, & eidem pro peregrinorum ſuſceptione cœnobium addiderunt : ibique Domino ſeruientes præter quotidianum victum, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus miniſtrabant. Quieuit autem in pace vir Domini 3. Calend. Martij.

*Relicto Monaſterio venit Romã, vt videat parẽtes.*

*Degit incognitus iuxta paternã domũ in paruo tugurio.*

*Tandem ſub mortem ſeipſum reuelãs, à parentibus cognoſcitur.*

*Conſtruunt eius parentes Monaſterium pro ſuſceptione peregrinorum.*

NOTÆ.

Ioannes.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 24. Februarij. Eius vitam prolixiori, sed simpliciori stylo descriptam à S. Simeone Metaphraste affert Surius tom. 1. Eam etiam Gallicè reddiderunt Renatus Benedictus, Gazetus, & du Val apud Ribadeneiram. Dictus est autem Calabyta, à paruo tugurio in quo habitauit.*

Abbatem Monasterij Acœmetorum.] *Id est, non dormientium Monachorum, quod Monasterium erat in Oriente, vbi propter multitudinem Monachorum ibi degentium, laus perennis erat, quia scilicet incessanter alternis vicibus Monachi laudes Deo decantabant.*

Habetur in hist. Sanctorũ 16. Aprilis.

## VITA S. PATERINI EPISCOPI.

### Ex ea quæ est apud Haræum.

S. Paterni genus.

RVTVS est beatissimus Paternus apud Pictauos Aquitaniæ oppido, & quidem ex parentibus generis nobilitate, atque etiam publica administratione conspicuis. Sed vicit ipse natalium splendorem, vitæ morum claritudine. In tenera ætate cælesti inspiratione permotus, religiosæ vitæ frenos sibi sponte inDegit in Monasterio Enixionensi. iecit in Monasterio Enixionensi, habitu Monastico suscepto. Vbi non multo post ab Abbate ad cellarij dispensationem adhibitus, in illo primo suæ promotionis gradu, non obscura de se indicia dedit. In ipsa autem adolescentia, ad sublimiora sanctæ vitæ studia adspirans, cùm non fideret sibiipsi propter ætatis teneritudinem, cum Scribilione, eiusdem loci Monacho, prius communicato consilio, pro Christi amore, relictis parentibus, in pago Constantino, vna cum illo, libenter constituit peregrinus degere. Itaque nihil præter psalterium accipientes, eò profecti sunt. Et quidem Sanctus Scribilio, licet ætate maior esset, tamen videns beatum Paternum meritis venerabilem, vt illum sibi æquaret, pallium sibi diuisit, eique partem dimidiam dedit. Ambobus verò, propter captandam solitudinem, insulam quandam adire cupientibus, vir quidam nobilis & religiosus, Deoque dilectus detinuit eos apud se, donec ciuibus suis illorum aduentum indicaret, simúlque rogauit illos vt in fanum Scisciacum se reciperent, suisque precibus homines Ethnicismi erroribus implicatos, à dæmonum cultu reuocarent.

Venit ad pagum Scisciacum.

Vbi dum illi circa montis sinum in cauernam quandam ingressi essent, iamque populus execrabili ductus consuetudine, in illo fano debaccharetur, sancti viri admonebant miseros, ne falsos Deos colendo se æternum perderent, aiebantque scilicet, multo rectius facturos, si per Dei gratiam renati suum colerent conditorem. Quibus auditis, homines insani reuerendos viros irreuerenter cõtemnunt, rituque suo cœptum cultum pertinaciter prosequuntur. At sancti viri, tum sanctæ Crucis signo, cum fidei feruore armati, accedunt ad vasa in quibus illi miseri pulmenta coquebant, suisque ea scipionibus euertunt. Ecce autem nutu diuino, timore corripiuntur, qui sanctos viros facilè etiam trucidare potuissent, atque ita ad suum locum ambo reuertuntur, vbi & tangente Paterno humum baculo, fons erupit. At verò interea fama crebrescente, vir venerabilis generosus Abbas eorum, post triennij spatia, abiit ad requirendos Monachos suos, tam bene fugitiuos, quippe qui ad Christum aufugerant. Qui vbi ad illos peruenit, didicit Paternum arduum sanè vitæ institutum sequi, præter panem & aquam, vel olera sale conFortiter prædicat contra idololatras.

Viuit in maxima austeritate.

A sperſa, nihil alimentorum admittere, & non fœminarum duntaxat, sed etiam virorum adspectus declinare, vt facilius experiretur visitationes Angelicas.

Imponit Abbas eius seruori certum modum.

Tum præterea cognouit eum nullo vnquam cubare in lectulo, nulla lecti operimenta requirere, nunquam ad plumas vel caput reclinare, ea veste, qua interdiu vteretur, etiam noctu contentum esse, pro molli lana asperum vsurpare cilicium, vt nec ipsa quidem nocturna quies corporis sine molestia abiret. Quibus consideratis, vt aduertit Abbas eum Monastici canonis metas, tanquam equũ impatientem, immodico feruore excedere, imposito quodam freni retinaculo, ad moderata eum iejunia reuocauit, simúlque iussit, ne tam arctæ se daret solitudini, nec virorum adspectum, & colloquia recusaret, tum etiam cellulas inuiseret. Simul etiam apud Lencianum Episcopum & ciues præclarum ei reddidit testimonium, bonis & honestis parentibus eum esse editum. Post quæ vale faciens Paterno, Scribilionem secum ad Monasterium reduxit, cui tamen non multo post iterum copiam fecit ad Paternum sese recipiendi. Porrò Lencianus Episcopus, Paternum primò Diaconum, inde etiam Presbyterum ordinauit. Vnde & tantus Scisciaci, ex eius, & Scribilionis laboribus, gratiæ fructus excreuit, dum cælestis verbi semina spargerent, vt fanum prophani cultus in porcorum stabula redactum sit, spelunca autem illa in quam viri illi egregij se abdiderant, tam suaues ex se diffuderit virtutum odores, vt permulta ex Paterno prodierint Monachorum examina, non paucis apud Constantienses, Baiocenses, Cœnomanos, Abrincenses, Rhedones in Britannia minori, ab illo fundatis Monasteriis.

Ordinatur Diaconus, ac deinde etiam Presbyter.

Multa fũdat in locis vicinis Monasteria.

Claruit autem eius eximia fides multis argumentis, necnon & sacratam vitam multa miraculorum signa declararunt. Quod vbi fama longè latéque diuulgauit: multa Childeberti Regis prece compulsus, ei Parisiis vehiculo operto inclusus occurrit. Quem cùm maligni spiritus Parisios aduentare sensissent, ex obsessis corporibus mox aufugerunt, & qui febre erant vexati, incolumes quoque euasere, necnon & cùm vir Dei pro pauperibus regias aures appellaret: inclytus Rex Childebertus, Crescentio, ad quem publica cura spectabat, mandauit, vt quod B. Paternus ab ipso exigeret, id exequi ne omitteret. Iam septuagesimum ætatis annum agebat B. Paternus, & Abbatis officio fungebatur, cùm ecce Scisciaci in cellula, quam primò extruxerat, quiescenti quadam nocte, visus est locus ille mira claritate perfusus. Simul autem visi sunt ad eum ingredi Episcopi Melanius, Lencianus, & Beor, qui ad Dominum migrauerant, ipsumque ordinare Antistitem, qua ille visione etiã obstupuit. Sed & tacitam apud se habere volens, tamen occultare non potuit, quam postea ipse rei euentus ad omnium notitiam perduxit. Nam non multum interceſſit temporis, cùm decedẽti Abrincensi Episcopo, ad Regis, & populi preces, ipse succesſit. Nec enim recusare potuit, quod secreta Domini dispensatione sibi imponendum iam ante præuiderat.

Dæmones eius præsentiam ferre nõ possunt.

Impetrat à Rege Childeberto quicquid vult.

Fit Episcopus Abrincensis.

Quod honoris vbi adeptus est, profectò talem se præbuit, tum in veterum Ecclesiarum instauratione, tum in nouarum ædificatione, vt esset in singulis admirabilis, & in omnibus singularis. At verò tertiumdecimum annum in Abrincẽsi pontificatu iam agens vir sanctus altero Paschatis die, cùm fratres Scisciaci inuitare cuperet, in morbũ incidit, itemque



Moritur eadẽ hora qua & socius eius Scribilio.

A itemque sanctus Scribilio apud Mandanenses. Mittunt autem vtrimque nuncios, mutuóque sibi significant, vt priusquam migrent ex hac vita, mutuo conspectu fruantur. Nuncij in ipso itinere sibi fiunt obuiam: quin & eadem omnino hora beatus Paternus, & frater eius Scribilio reuerendus Præpositus, nobili triumpho, comitibus Angelicis spiritibus, animas suas è terris ad cælestia regna cum Christo æternum victuras transmiserunt. Vbi etiã cùm Paterni exequias celebraret Lauto Episcopus, qui ante dies octo eius inuisendi causa eò venerat, eiusque sacrum corpus ad basilicam deportaret, itemque Lanscius Episcopus Sanctum Scribilionem ad basilicam eãdem adduceret: ambo Pontifices, concinente psallentium choro, præter omnem expectationem sibi inuicem occurrerunt, pariterque in eodem loco conuenerunt; & viri sanctissimi quorum funera illi Antistites curabant, fælici transitu, locum orationis, quem ipsi extruxerant, eodem die simul occuparunt, & qui se in vita dilexerant, nec in morte sunt separati.

Item sepeliũtur in eodem loco.

B

NOTÆ.

Paternus.] *De quo Molanus, Felici, Vvionius 16. Aprilis. Eius vitam ex Surio refert Haræus, quam etiã Gallicè scripserunt Renatus Benedictus, & Gazetus. Agit de eodem pauca admodum Robertus Cœnalis Episcopus Abrincensis de re Gallica lib. 2. Perioche 6. Vocatur hic Paternus lingua Gallica, Sainct Poix, ad differentiam alterius Paterni Veneticæ ciuitatis Apostoli, qui dicitur S. Pater, vt annotat Vvionius. Notatur verò à Demochare de sacrificio Missæ tom. 2. c. 21. quartus illius sedis Episcopus, floruit circa annum Domini 560. Septuaginta annorum erat quando factus est Episcopus, vt colligitur ex supradicta historia, & per spatium 13. annorum Episcopatum administrauit. Non ergo obiit septuagenarius, vt vult Vvion. sed octogesimum tertium annum habens. De eodem plura in Breuiario Ecclesiæ Cœnomanensis.*

Apud Pictauos, &c.] *Consentit Breuiarium Eccles. Cœnom. Sacratissimus Paternus Episcopus Pictauis ciuis Aquitaniæ regionis, generosis parentibus, sed generosior moribus, à Iulitta matre sua ferè decem annorum vidua nobiliter enutritus, cælesti inspiratione, ab ipsis infantiæ annis, matura vitæ frena susscepit, & in Monasterio Enixionensi, iugum Dominicæ culturæ susscepit. Huius mater iam conuerso infantulo, dum tunicam vellet facere, orditam telam casu super tectum posuit, quæ subrepta ab aue, quæ dicitur miluus, & ad nidum suum perducta, post expleta vnius anni spatia, reperta est incorrupta & integra, ac si fuso torquente dè manu pendula lanificæ processisset.*

Et non fœminarum duntaxat, sed etiam virorum asperctus declinare.] *In Breuiario Cœnomanensi. Aspectus verò S. Paterni non solùm fœminarum, sed etiam virorum renuebat præsentiam, vt ab omnibus ignotus, expectaret aduentus Angelicos, lectulum nunquam habens, lectaria nesciens, totaque eius vita tam aspera fuisse probatur, vt potius admirabilis, quàm imitabilis videretur.*

Cùm decedenti Abrincensi Episcopo, &c.] *Hæc ciuitas Abrincensis Gallicè dicitur* Auranches, *quæ dicitur Abrinca Latinè, vel Arborica, vt vult Robertus Cœnalis, quia olim altissimis erat circumdata arboribus.*

Habetur in Hist. & Antiquit. Ciuit. Cabilon.

## VITA S. DESIDERATI INCLVSI.

### Ex Petro à S. Iuliano.

S. Desideratus Presbyter viuit Inclusus.

VIT Beatus Desideratus Presbyter inclusus in Monasterio Gordonensi, Diœcesis Cabilonensis, qui magnis claruit miraculis. Nam multi dolore dentium affecti, eius precibus sunt perfectæ sanitati restituti. Et quamuis inclusus degeret in cella, nec vnquam inde progrederetur: nihilominus facile qui vellent, in cella ipsum videre poterant.

Claret miraculis.

Mortuus sepelitur in Monasterio Gordonensi.

Postquàm verò migrauit ad Dominum, beatus Agricola Cabilonensis Episcopus, Archidiaconum suum misit ad prædictum Monasterium, vt sanctum corpus afferret, vt in publico ciuitatis cœmeterio sepeliretur. Sed Monachi tam pretiosum thesaurum tradere noluerunt, & sic Archidiaconus ad propria redire coactus est.

NOTÆ.

Desideratus.] *Eius meminit D. Gregorius Turonensis, vt citat à S. Iuliano. Floruit tempore Childeberti Regis Francorum, & vulgò dicitur* Sainct Desirat, *fuitque in Sanctos relatus à Ioanne Papa VIII. cum esset Cabilone, vna cum Sanctis Episcopis Sylvestro, Agricola, Flauio, Lupo, Tranquillo, Desiderio, Ioanne, Vrbano, Grato, petente & rogante Gilbodo 22. eiusdem ciuitatis Episcopo, cuius etiam precibus Papa supradictus ibi adueniens, mansit per spatium 20. dierum, postquam Trecis Ludouicum Balbum Imperatorem sacrauerat. Hæc Petrus à S. Iuliano.*

Beatus Agricola.] *Vel Agricolus fuit 8. Cabilonensis Episcopus.*

Habetur in Cat. lib. 7. c. 113.

## VITA S. SEVERI ABBATIS.

### Ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino.

S. Seuerinus in iuuentute Philosophiæ dat operam.

FVIT beatus Seuerus ex regali Syrorum genere ortus, qui adhuc iuuenis parentibus defunctis, cum diuitiis abundaret, magis autem scientia (Philosophiæ enim operam dederat) magnos assumens thesauros, cum seruis suis nauem conscendit, & in Septimaniam deueniens regionem à Sancto Berico Agathensi Episcopo honorificè susceptus est. Qui quidem cum videret iuuenem hunc præclarum, ex vultu & gestis eius eum fore aliquando virum magnum & sanctum coniectabat. Itaque sæpius ei suadebat, vt mundi huius vanitatibus abdicatis, soli Deo vacaret, & terrenum regnum pro acquisitone cælestis dimitteret. Seruire enim Deo (dicebat) regnare est. Ex his & aliis adhortationibus inflammatus præclarus ille iuuenis, omnibus pro Christo thesauris pauperibus erogatis, seruisque manumissis, vt liberius soli Deo vacare posset, in fauce Aurarica, quę ab vrbe Agathensi duobus fere millibus distat, Naufragum petiit, & sibi tugurium ex arundinibus faciens, solitariam ibi vitam ducebat, delicatum corpusculum ieiuniis, & vigiliis discrucians. Singulis enim diebus Dominicis, post sacrosanctam perceptam Eucharistiam, panem vnicum sumebat, & ita hebdomada integra sine cibo perdurabat.

Relicta patria venit in Septimaniã.

Suasione Berici Agathẽsis Episcopi, thesauros suos distribuit pauperibus, & secedit in Eremum.

Magna S. viri abstinẽtia.

Factum est autem cum homo Dei ibi moraretur, vt ibique terrarum requirerent eum parentes eius & serui. E quibus aliis lustrantibus vrbes, prouincias, & terras, tandem cum peruenissent ad ciuitatem Agathensem, audissentque famam cuiusdam magni Eremitæ nomine Seueri, qui prope ciuitatem, solitariam ducebat vitam, ad eum visendum accesserunt. Quem cum inuenissent in tuguriolo ex arundinibus & virgultis confecto, vidissentque eum laceris indutum panniculis, lacrymas nullo modo cõtinere potuerunt, cœperũtque

Reperitur à seruis suis.

*Parui facit monita seruorum eum ad faculũ redire hortantium.*

omnes eum obnixè rogare, vt hanc miseram, & A pauperrimam relinqueret vitam, & in palatium suum & regnum reuerteretur. At ille dicta eorum paruifaciens, nullatenus à sancto proposito dimoueri potuit. Serui autem fixum & immobile eius videntes propositum, cum mœrore & tristitia ad propria recesserunt.

Interea vir sanctus cum per multos annos ab hominum consortio semotus vixisset, à multis tandem frequentari cœpit, videntesque tantam paupertatem ei ciues Ecclesiam construxerunt, & Monasterium. Factumque est vt post breue tempus, inuitus trecentorum sexaginta fieret pater Monachorum. Tempus deficeret si omnia eius miracula voluerimus recensere. Ex quibus cum tria B proposuerimus id satis esse iudicamus.

*Trecentorum fit pater Monachorum & eo amplius.*

*De tribus panibus tãtam multitudinẽ Monachorum reficit.*

Cum in Monasterio suo defecissent panes, & tres tantum haberet, eos in aqua per frusta conscissos, adeò multiplicauit, quod ex eis triduo trecentos sexaginta suos fratres refecit: die verò quarta trecentos tritici modios sibi asportandos esse prænunciauit. Et ita Deo largiente euenit. Cuidam senatori ciuitatis Agathensis, seni Salustio nomine, sepulchrum sibi fabricanti, prædixit, non ipsi, sed filio eius dictum tumulum præparari, & vt prædixerat euenit. Tantæ præterea erat mansuetudinis & sanctitatis, quod auiculæ in manibus eius residere & cibum sumere non pertimescerent. Nam & passerem ad se solitum aduolare & eius dexteræ insidere, dum auceps quidam eum in tibia læsisset, ad se venientem signo Crucis sanauit, & abire permisit. Tandem cum multis virtutibus & miraculis claruisset, multosque annos solitarius vixisset: confectus senio in pace quieuit 8. Calend. Septembris in basilica Sancti Marci sepultus. Quo autem tempore claruerit nondum inueni.

*Claret spiritu prophetico.*

*Aues ad eum mansuetè accedunt.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Seuerus.] *Plura de eodem in Breuiario Ecclesiæ Agathensis.*

Sancto Berico.] *Eius res gestæ pluribus referuntur in Breuiario supradictæ Ecclesiæ, & in Antiquis* D *monumentis.*

Agathensis Episcopus.] *Est Agatha ciuitas celeberrima, quæ vulgò appellatur* Agde en Languedoc.

## VITA S. HILARII EREMITÆ. *Partim ex Petro de Natalibus, & Hieronymo Rubeo.*

*Petrus in Cat. lib. 4. c. 163. Hieron. Rubeus lib. 3. Histor. Rauennatis.*

*S. Hilarius ex lectione epistolarum S. Pauli compungitur.*

PRÆSIDENTE Symmacho Romæ, Aureliano verò Rauennati, beatus Hilarius de Tuscia oriundus, dum puerulus epistolas Pauli legeret, diuino spiritu inflammatus, proposuit mundo valedicere, & in solitudine vitam traducere. Quare cum quendam senem de vita consuluisset solitaria, annos natus tredecim, relicto seculo, Deum orauit, vt ei locum demonstraret, vbi solitarius & liberiùs ei famulari posset. Completa igitur oratione, Angelus Domini visibiliter ei apparens, eum de Romana ciuitate in qua habitabat eduxit, & vsque ad Emiliæ montem ductor ei extitit. Ad cuius radices Vitis amnis defluebat, ab incolis, vt quidam volunt, Bidens appellatus, & ibidem solitariam & anachoreticam cœpit ducere vitam. Et in tantum profecit, vt infra triennium in vertice montis construeret Ecclesiã: inferius autem speluncam suæ habitationis locaret, & de labore manuum suarum victum acquireret.

*Angelo duce venit in mõtem Emiliæ.*

Per id tempus Olybrius quidam Rauennas, vir nobilis cacodæmone arreptus, misere discruciari cœpit. Repente autem dæmon, diuina vi impulsus, exclamare cœpit, se nunquam egressurum, donec ad puerum Dei Hilarium adduceretur. Interrogatus verò dæmon, quisnam is esset adolescens, atque vbi commoraretur: manere illum in monte, & solitudine respondit, eumque montem ad Bidentis amnis ripam esse, vbi sibi ædificasset Hilarius templum, & ibidem die noctuque in Dei laudibus & contemplatione rerum diuinarum vitam ageret: duos & viginti annos esse natum, & breui statura, modica barba, pilis tunc primum prodeuntibus, assiduéque cælitibus comitibus vti. Quibus acceptis, omnis familia cum Olybrio ad Hilarium profecta, vbi à loco, in quo tum fortè Hilarius Deum orabat, quantum iactus lapidis est, procul fuisset peruentum, gemens dæmon, magnoque concussus timore, cursu rapidissimo ad Hilarium properauit: à quo inde tandem pulsus est. Olybrius immortalibus Deo primùm, deinde Hilario gratiis, vna cum coniuge ac omni familia actis, petere cœpit vti vitæ piæ traducendæ regulam normamque sibi præscriberet. Quod Hilarius cernens, & præ gaudio lacrymans, postquam ipsum, & omnes alios per dies aliquot in fide instruxisset: à sacerdote, illac forte transeunte, qui Arrerio Rauennam pergebat, iussit Olybrium eiusque familiam, hominum circiter nonaginta, id flagitantes, sacra baptismatis vnda expiari, quemadmodum ex vita Hilarij à Paulo eius discipulo scripta, cognosci potest.

*Etiã diabolus eius merita declarat.*

*Effigies S. Hilarij.*

*Curat Olybrium à dæmone obsessum.*

*Sacrum baptisma suscipit Olybrius cum tota familia.*

Tertio post die Eustasia, Olybrij vxor, ex hominum vita migrauit. Olybrius verò vna cum Iunio & Eunomio filiis, sumpto cucullo, Monachus ibidem factus, prædia sua omnia illi cœnobio dono tradidit: vnde non modò omnibus Monachis, quia iam ad Hilarium multi conuenerant, abundè victus suppeditabatur, sed multum etiam pecuniæ erogabatur viduis, pupillis, atque aliis egentibus. Verùm tantæ solitudinis, ab Hilario atque Olybrio plurimum expetitæ, quies ab Theodorico Rege perturbata est, qui ad eas radices Apennini, vnde, vt aliqui putant, Rauennam aquam adduxerat, iuxta Bidentem amnem ædes sibi magnificas, quò secedere interdum solebat, construxit. Cœpit enim frequentari Hilarij cœnobium: ex quo tamen Hilarius id fructus collegit, quòd familiares Regis aliquot, viros nobiles, Christi ab se legem ac præcepta edoctos, Monachos fecit, in diesque faciebat: cùm vir impius quidam Theodorico Regi nunciat, præcepta regia Hilarium contemnere, multos ex familiaribus abalienare, ad seque adducere, & aliquorum suspicionem esse, per eum modum collecta egregiorum ac præclarè audacium satis magna manu, plerosque ex ipsis repentino facto impetu, regni illius tranquillitatem ac pacem perturbaturos.

*Fit Monachus Olybrius.*

*Viros nobiles Theodorici Regis Monachos facit S. Hilarius.*

Rex vehementer his commotus, centuriones quatuor cum suis militibus mittit, qui Hilarium capiant, ad seque pertrahant. Verùm milites ad prædiolum cœnobio propinquum cùm venissent, in vallemque descenderent, Hilarianam familiam prædaturi, Hilario Deum rogante, pro suorum incolumitate, aliam viam ingressi, biduo, quò tenderent, incerti, per eos montes vagati sunt. Quamobrem percitus ira magna, conscenso equo Theodoricus Rex ad virum Dei venit. Cæterùm ad Monasterij

*Commouetur Rex Theodoricus aduersus sanctum virum.*



*Theodorici equus nullo verberũ impetu propelli potest.*

*Tandem Rex Theodoricus diuinum sentiens iudicium, cogitur virũ Dei venerari.*

*Notent hoc Monachi extra horas refectionis comedere non formidantes.*

*Fugat dæmonem.*

*Migrat in cælum S. Hilarius.*

Monasterij septa cum peruenisset, equus subsistens, A nullo vnquam potuit calcarium, aut verberum impetu propelli. Intellexit Theodoricus vi diuina id fieri, esseque virum illum sanctissimum, & falsa sibi relata fuisse. Misit itaque ex suis senatoribus duos, qui suppliciter virum sanctum rogarent, ad regem vt accederet, quod quidem fecit Hilarius libenter, eumque Rex benignè complexus, secum in Hilariano antro comedit: ab eoque die tanta veneratione est hominem prosecutus, vt multis cœnobium prædiis ditauerit. Cæterùm inter cætera regulæ mandata, fratres de collectis frugibus gustare non audebant: nisi ea prius Abbati offerebant. Quidam autem frater, immaturam vuam conspiciens, tentatione expulsatus, ipsam expe- B tiit, & ab Abbate comedendam obtinuit. Sed vbi racemum capere voluit, serpentem in manu sua inuenit: quem abiiciens sancto nunciauit. At ille cum dæmonem esse cognouisset, eum per caudam traxit in Ecclesiam: ipsumque humana voce compulit dicere, quod fratrem ad hoc, gustus desiderio tentauerat, vt si gustauisset, de Monasterio recedere fecisset. Quo dicto serpens crepuit, & dæmon euanuit.

Interea beatus Hilarius, cùm Olybrium Rauennatem in cælum præmisisset, vita sanctè acta, multisque editis clarissimis miraculis, annos natus octuaginta duos, tertio Idus Maij, manè, ipse quoque in cælum discessit, cum paulo ante Angelus ei C sui obitus diem reuelasset. Corpus autem eius à Monachis in locello quem sibi parari iusserat, quasi passibus centum longè ab Ecclesia sua, sepultum fuit: teste, vti supra memorauimus, Paulo, ex ipsis Monachis vno, qui eius vitam, vnde hæc excerpsimus, descripsit.

### NOTÆ.

Hilarius.] *De Hilaro, aliàs Hilario solum Galesinus & Felici 13. Maij. Meminit eiusdem Arnoldus Vvionius in Martyrol. Monastico hac die. Paulus quidam Monachus Hilarij discipulus eius vitam composuisse dicitur. Floruit temporibus S. P. nostri Benedicti, sub Theodorico Rege. Agunt de eodem & alij multi.*

Tuscia.] *Italiæ regio celebris à frequentia thuris,* D *& sacrorum dicta, Toscane. Syluanus Razzi in lib. de Vitis Sanctorum Ethruriæ, Iacobus Mosander Carth. in Epitome Surij.*

Epistolas Pauli legeret.] *Non sunt prætermittenda illa egregia, quæ S. Ioannes Chrysost. de Epistolis B. Pauli scripsit in Præf. in Epist. eius, vbi hæc leguntur. Beati Pauli Epistolarum lectionem dum assiduè auscultо, perque hebdomadas singulas bis sæpe, & ter, & quater, quotiescumque S S. Martyrum memorias celebramus, gaudio exulto tuba illa spiritali perfruens, excitor, ac desiderio incalesco, vocem mihi amicam agnoscens, & ferè præsentem ipsum intueri, & disserentem audire videor. Sed tamen doleo, & molestè fero, quod virum hunc non omnes, sicut par est, cognoscunt; verum ita illum nonnulli* E *ignorant, vt ne Epistolarum quidem eius numerum plane sciant. Hoc verò non imperitia facit: sed quod nolint beati huius viri scripta assiduè in manibus habere. Hæc & multa alia præclara scribit idem Chrysost. ad quem remitto lectorem.*

*Habetur lib. 12. c. 68. & lib. 13. c. 100. & 101. & Speculi Hist.*

## VITA S. FLORENTII PRESBYTERI & Eremitæ. *Ex ea quæ est apud Vincentium.*

CVM præcepta Imperatorum Diocletiani & Maximiani de persecutione Christianorum apud Lauriacum oppidum delata essent, Aquilinus Præses cæpit Christianos vehementer inquirere. Sancti autem Florentius & Florianus, obuiantes quibusdam sibi mundanæ militiæ sociis dixerunt: O fratres & commilitones cur alios quæritis? Euntes nunciate Præsidi quia Christiani sumus. Crudelitatis ergo ministri, apprehendentes eos duxerunt ad Præsidem. Qui ab eo moniti vt idolis sacrificarent, responderunt: hoc nemo nobis suadebit, vt dæmonibus sacrificemus. Tunc Præses vehementer iratus, iussit eos fustibus cædi, & scapulas eorum acutis ferris constringi. Illis ergo in confessione Christi, & gratiarum actione permanentibus, videns Præses se superatum, eos iussit duci ad fluuium nomine Anisium, & de ponte in illum præcipitari. Cúmque vincti ducerentur à militibus, venerunt subtus quandam arborem, vbi ab itinere fatigati residentes, pariter dormierunt omnes. Tunc Angelus Domini per visum apparuit beato Florentiano dicens: Frater Florenti, non est tibi data corona martyrij, sed consors eris Confessorum. Igitur surge, & perge ad partes Galliarum, & ibi ostendam tibi locum habitationis tuæ: futurum est autem vt in ciuitate Thuronica, à beato Martino accipias ordinationem. Illo expergefacto dissoluta sunt vincula eius. Tunc cautius beatum Florianum vocans, narrauit ei visum & abiit. Interim beatus Florianus de Ponte præcipitatus martyrij palmam consequutus est.

*Florentius & Florianus produnt se esse Christianos.*

*Diuersis supplicijs afficiũtur.*

*Angelus apparet Florentio qui eum soluit.*

Interea verò beato Florentio iter suum ad Gallias dirigente, venit ad portum fluuij Rhodani, qui dicitur Lugdunum, inuenitque ratem sine gubernatore & confractam vndique. Volens igitur ad Missam quantocyùs festinare (erat enim dies Dominicus) intrauit in eam, & facto Crucis signo ait: Deduc me Domine in voluntate tua, moxque sine gubernatore flumen transiuit. Angelus quippe Domini eum custodiuit. Et cùm ad ripam veniisset, iuuenit ibi hominem à dæmone vexatum, & ob hoc ab aliis vinctum, & fraterno dolore tactus, orationi incumbens, expulso dæmone hominem sanauit.

*Venit Lugdunum S. Florentius.*

*Curat dæmoniacum.*

Angelus autem quo duce iter agebat, B. Martino Turonensi Antistiti, aduentum eius ad se reuelauit: eique faciem eius ostendens, vt eum in ordine sacerdotali constitueret, præcepit. Itaque beatus Martinus Florẽtium gaudenter excipiens, multum eum dilexit, & die congruo sacerdotem ordinauit. In quo ordine constitutus, Dominum assiduis precibus exorauit, vt ei locum ostenderet, quo habitare deberet. Quod & fecit Dominus. Perrexit itaque iuxta reuelationem sibi factam, ad locum prope Ligerim, cui nomen erat Glonna, in quo spelunca erat, & ibi serpentes multi habitabant: quos de loco illo vir sanctus oratione fugauit, ibique oratorium in honorem S. Petri Apostoli construxit.

*Ordinatur Sacerdos à S. Martino.*

*Fugat serpentes.*

Habebat autem consuetudinem, vt quolibet anno Turones orandi gratia veniret. Cùm autem peruenisset ad locum qui dicitur Condata, iuxta fluuium mulierem cæcam flentem amarissimè reperit. Interrogata autem quid haberet, ait: Domine vnicus filius meus, qui mihi cæcæ viam præbuit, iam tertius dies est, ex quo in aquam mersus est. Tunc sanctus oratione præmissa, in loco ei ostenso ab Angelo, piscatores retia iactare fecit, & filium mulieris de flumine viuum extractum ei restituit, & ipsam insuper à cæcitate sanauit. Vixit autem Sanctus Florentius in hac spelunca sexaginta tres annos, & annorum centum viginti

*Pueriũ aquis præfocatum vitæ, & mulieri cæcæ lumen restituit.*

trium

*Moritur vir sanctus.* trium migrauit ad Christũ decimo Calend. Octob. sepultus apud Lugdunum miraculis clarus.

In interioris Fráciæ partibus olim inoleuit mos, vt si quis propinquiorem sibi parentem iugulasset, decernente Pontifice, ex ipso gladio ferrei nexus fierent, qui collum peccatoris, & ventrem & brachia strictè innecterent; sicque de propria patria pulsus, donec eadem vincula solui præciperet, primùm Romæ: dehinc per diuersa loca sanctorum, veniam postulando peregrè pergeret.

*Pœnitentia parricidarum in Gallia.*

Hac sententia quidam Clericus, qui auunculum suum necauerat, à Traianensium Episcopo damnatus erat, iamque diuersa sanctorum loca lustrauerat: cùm ad Monasterium Sancti Florentij diuina reuelatione peruenit. In ipsa verò nocte, B dum fratres officium nocturnale peragerent, ille retrò secus cancellos consistens, paululum sopori indulsit, & ecce subitò per visum ei candidissima auis apparuit, à tumulo sancti progrediens, brachiis suis insedisse: ipsosque ferreos nexus, quasi cum impetu magno percussisse. Qui illico expergefactus, voces teterrimas emisit clamoris, ita vt chorum etiam psallentium interrumperet, omnesque adstantes nimio terrore redderet attonitos. Statimque vt oculos, qui somno oppressus erat aperuit: auis prædicta nunquam cóparuit. Sed & illi ferrei nexus ad tactum eius inuisibilem cum impetu magno tam valide crepuerunt, vt longius resilientes, in crastinum vix inueniri possent. Ipse C autem pauore solutus, in terram corruit: sicque prostratus, donec compleretur officiũ, quasi amens permansit. In crastino autem omnibus hoc factum mirantibus, ille ex ordine causas culpæ suæ & nectionis ostendit.

*Insigne miraculum ad sepulchrum viri sancti.*

## NOTÆ.

Florentius.] *Eius vitam compendiosè refert Petrus in Cat. lib. 8. cap. 107. De eo fit mentio in vita S. Floriani martyris.*

Iussit eum fustibus cædi.] *Hoc supplicij genus olim vigebat in militia disciplina, deinde factum est, vt cæteri fideles hac pœna afficerentur. Vide Baronium 29. Ianuarij.*

## VITA S. MAVRI MONACHI ET martyris. Ex Vincentio Beluac.

*Habetur lib. 11. cap. 120. Speculi Hist.*

*Patria Sancti Mauri.*

SVB Numeriano Imperatore, & Celerino vrbis Romæ præfecto, passus est Sanctus Maurus, cuius passio recolitur vndecimo Calend. Septemb. Hic cum in Aphrica esset à parentibus Christianis progenitus, & multas opes & diuitias haberet, orationibus & eleemosynis iugiter insistens, nutu Dei inspiratus, Monasterium ingressus est. Sic autem ab omnibus fratribus amabatur, vt eum omnes quasi patrem E venerarentur. Cumque decimum octauum attigisset annum, Romam venit, vt Sancti Petri corpus visitaret. Vbi audiens vocem rabidam Celerini Præfecti, Christianos persequentis, de vrbe se subtraxit, & in quodam deserto, in spelunca delituit.

*Fit Monachus.*

*Pergit Romã ad limina Apostolorum.*

*Latet in spelunca.*

Cumque illic per tres menses moratus esset, ieiuniis & orationibus insistendo: media nocte post orationem soporatus est, & vidit virum splendidissimum, virgam ferentem quasi auream in manu sua, dicentem sibi: Surge Maure, quia non te despexit Deus, quem diligis toto corde, & vrbem sine mora ingredere. Quod cum fecisset, & Christianus peregrinus esset deprehensus: ad Celerinum præfectum ductus est. A quo interrogatus, cum sacrificare nollet, iratus ille vehementer, iussit eum in equuleo suspendi, & vngulis radi: lateribus quoque eius lampades ardentes applicari, & tandem capitalem subire sententiam.

*Monetur ab Angelo, vt se præsentet Celerino Præfecto.*

*Multis præ de affectus supplicijs, eidem capite truncatur.*

## NOTÆ.

Maurus.] *De quo Martyr. Romanum cum Baronio, in Notis 22. Nouemb. Agit de eodem Petrus in Cat. lib. 10. cap. 93.*

In equuleo suspendi.] *Equuleus est tormenti genus, quod quidam ardentem laminam esse tradunt, qua homines crudeliter torquentur. Alij materiam quandam in equi formam esse tradunt, in quam coniiciebantur rei. De hoc tormenti genere vide Baronium in Notis ad Mart. 22. Ianuarij.*

Et vngulis radi.] *Erant vngulæ bifulcæ. Sunt vngulæ sic dictæ, quod ferarum imitarentur vestigia, quarum cum referrent exemplum: eodem etiam dictæ sunt nomine. Baron. 16. Martij.*

## VITA S. ÆGIDII EREMITÆ. Ex Vincentio Belluac. & Raulino Cluniacensi.

*Raul. Clun. in serm. de S. Ægidio.*

ÆGIDIVS Athenienſis, regia ſtirpe progenitus, patre Theodoro, matre Pelagia, *Nobilissima prosapia S. Ægidij.* C ſacris litteris eruditus eſt à puerilibus annis. Qui cum aliquando pergeret ad Eccleſiam, ægro cuidam in platea iacenti, & eleemoſynam petenti tunicam ſuam dedit: qua indutus, mox ſanitatis beneficium recuperauit. Parentibus verò defunctis, in pauperes patrimonium erogauit. Quodam die Dominico cum ſacra in Eccleſia fierent, erat quidam dæmoniacus, cunctos clamoribus ſuis, & vlulatibus conturbans: at verò cum oraſſet beatus Ægidius, eum continuò ab immundo ſpiritu liberauit.

*Pauperi dat suam tunicã.*

*Sanat dæmoniacum.*

Verum cùm per totam Græciam eius ſanctitatis fama vagaretur, ipſe humani fauoris deuitans pe- *Fugiens vanam gloriam recedit à patria.* D riculum, & timens ſui nominis celebritatem, venit ad littus maris, & ibi dum periclitantes nautas videret, orauit pro eis, & eos liberauit. Qui venientes ad portum, videntes ſe ſuis orationibus liberatos, ei gratias reddiderunt. Tunc ille mare pertranſiit, & ad quandam Inſulam venit, & illic in ſabulo veſtigium hominis inueniens cum ſociis inquirit, & cernit ibi Eremitam in antro legentem, qui per 12. annos crudis herbarum radicibus, & aqua ſuſtentatus fuerat. Ibi B. Ægidius legit quã vitam ſectari vellet, admiratus tanti viri aſperitatem. Deinde nauem regreſſus, poſt triduum venit Maſſiliam, & deinde progreſſus eſt Arelatem, vbi tunc beatæ memoriæ Pontifex Cæſarius erat. Hoſpitatus eſt autem penes viduam Theocriam, cuius filiam ſanauit triennio febricitatem, inuocato nomine Domini, quæ tamen in medicos multum profuderat: ibique cum S. illo Præſule biennio manſit. Deinde recedens ab eo, & tranſacto Rhodano, ſecus ripam Guardonis fluuij, inuenit quendam Eremitam nomine Veredemum, in quodam rupis concauo, cum quo diu manſit. Cumque terra in qua manebant ſterilis eſſet, beatus Ægidius eam ſuis precibus fertilem reddidit. Sed quoniam B. Veredemus multis coruſcabat miraculis, & propterea multi ad eum venirent infirmi, vir Dei Ægidius gloriam abhorrens humanam, relicto Veredemo, interiorem penetrauit Eremum, vbi videlicet

*Educitur à quodam Eremita.*

*Venit ad S. Cæsariũ Arelat. Episcopum.*



delicet Rhodanus in mare defluit, qui locus Septi- A mania vocatur. Antrum igitur ſpinis obſitum, & fontem inueniens, ibi diutius herbarum radicibus, & Ceruæ lacte, quæ ſtatutis ad eum horis veniebat, admirabili ſanctitate vixit. Cerua autem per ſpatium trium annorum lac ad ſuſtentationem inceſſanter præbere non ceſſauit.

*Viuit solitarius cum B. Vered. Eremit.*

Ea tempeſtate Carolus, qui propter egregia & fortia facta dictus eſt Magnus, Francorum ſceptra tenebat. Cuius ſerui & nobiles cum aliquando venarentur, cæteris feris contemptis, prædictam Ceruam canibus inſequuntur. Illa fuga elapſa, ad antrum viri confugit, proſtrataque ad eius pedes, quodammodo flere & lamentari videbatur.

*Nota quid miri de cerua à venatorib. insequuta.*

Beatus autem admirans cur præter conſuetudinem B ſic mugiret & anhelaret, exiens vt videret quidnam rei eſſet, audit vocem venatorum, & canum latratum: moxque pro Cerua Dominum deprecari cœpit. Verum cum canes ſpeluncæ appropinquare non poſſent, cum nimio latratu ad venatores redibant. Nocte verò ſuperueniente, vacui domum reuerſi ſunt, & ſequenti die iterum ad ſyluam venationis cauſa properantes, caſſo labore iterum redierunt. Quod cum Regi ſignificatum eſſet, cum multitudine venatorum, aſſumpto etiam Epiſcopo, ad locum acceſſit. Sed cum canes ſicut prius accedere non auderent: venatores locum illum veprium denſitate inacceſſibilẽ circumdantes, cum vnus eorum Cerua deprehenſa, ſagittam emi- C ſiſſet vt eam occideret: viro Dei orãti pro Cerua, graue vulnus inflixit. Milites autem ſemitam ferro aperientes, ad ſpeluncam veniunt, & ſenem venerandum in Monachali habitu, & Ceruam ad pedes eius procumbentem conſpicientes, valde attoniti, Regi ſtatim nunciauerunt.

*Graue vulnus infligitur viro Dei.*

Rex autem cum hæc audiſſet, ſolus cum Epiſcopo ad eum ingreſſus cœpit interrogare quiſnam eſſet, & vnde, & quare in hunc ſolitudinis locum ſeceſſiſſet. Vir autem cum eos humiliter ſalutaſſet, & ſedere feciſſet, omnem vitam ſuam eis cum lacrymis & ſuſpiriis enarrare cœpit. Sed cum Rex & Epiſcopus viderent, ex vulnere illato ſanguinem defluere, humiliter veniam poſtulantes, medicos D ad eum curandum promiſerunt: eique pretioſiſſima obtulerunt munera. At ille nec caraplaſma adhiberi voluit, nec ad munera eorum reſpexit: quin potius Dominum rogauit, vt quandiu viueret, hoc vulnus perpetuò ſuſtineret. Et ita Rex pe-

*Sapius ad eũ venit Rex.*

tita ab eo benedictione valde admiratus receſſit. Nihilominus tamen ad eum ſæpius veniebat, vt eũ conſuleret, & viam ſalutis ab ipſo ediſceret. Qui cum multoties immenſas ei diuitias obtuliſſet, & ille ſemper eas recuſaſſet, quadam die obnixè rogauit, vt ſaltem ad conſtruendum Monaſterium eas accipere dignaretur. Beatus autem vir videns Regis inſtantiam, licet diu renitens, annuit, vt Monaſte- *Fit Abbas & etiam Sacerdos.* rium ædificaretur. Quo conſtructo, illius regimi- E nis curam ſuſcipere coactus, etiam ad ſacerdotij honorem promotus eſt.

Interea, proceſſu temporis, prædictus Rex miſſis legatis ſuis ad virum Dei, rogabat vt ad ſe venire dignaretur. Quod cum & hoc etiam obtinuiſſet Rex, vir ſanctus itineri ſe accingens, tandem Aurelianum veniens, in baſilica ſanctæ Crucis *Sanat energumenum.* energumenum liberauit. Deinde veniẽs ad Regem, eum Rex cum maximo honore & reuerentia excepit, & cũ inter multa pia & ſancta colloquia, audiret vir Dei ſæpius ſuſpirãtem Regem, rogauit quid haberet. Is autem cum multis ſuſpiriis obnixè cœpit ab eo orationum ſuffragia petere, eo quod peccatum quoddam enorme commiſiſſet, quod nemini vnquam audebat confiteri. Sequenti igitur Dominica, Ægidius Miſſam celebrans, pro Rege orauit: & ſtatim Angelus eidem apparens, ſchedulam ſupra altare depoſuit, in qua ſcriptum erat Regis peccatum, & ſi de eo Rex pœnitentiam faceret, Ægidij precibus deleretur. Continebatur etiam ibidem, quòd ſi quis pro aliquo peccato Ægidium inuocaret, ſi tamen ab eo deſiſteret, ſibi dimiſſum non dubitaret. Oblata igitur Regi ſchedula, ille de peccato ſuo humiliter veniam poſtulauit, & pœnitentiam egit. Ægidius verò gratias Deo omnipotenti agens, rediit ad cellam. In itinere verò apud ciuitatem Niuernenſem Principis filium qui ad tumulum deferebatur, precibus ſuſcitauit à mortuis.

*Precibus S. viri dimittitur Regi magnum quoddam peccatũ.*

*Proficiscitur Romam.*

Poſt aliquod tempus, cum Monaſterium ab hoſtibus euertendum præuidiſſet, Romam profectus eſt: multaque priuilegia ſuæ impetrauit Eccleſiæ. Summus autem Pontifex qui tunc in beati Petri Apoſtolorum Principis cathedra ſedebat, eum ſummo honore afficiens, duo oſtia cypreſſina, in quibus Apoſtolorum imagines ſculptæ erãt, ipſi tradidit. Quas vbi cum gratiarũ actione ſuſcepiſſet, nec ad Monaſterium propter longum iter deferre, eas in Tyberim dimittens, Domino commendauit. Cum autem peractis negotiis ad Monaſterium reuerſus eſſet, oſtia prædicta in portu reperit: quæ in Eccleſia ſua ad ornatum, & ſedis Romanæ monimentum erexit.

*Accipit munera à summo Pontifice.*

Interea vir ſanctus cum obitum ſuum longè ante prædixiſſet, ſenex & plenus dierum obdormiuit in Domino. Multi verò choros Angelorum, eius animam ad cælos ferentium, concinentes, audiſſe teſtati ſunt. Claruit circa annum Domini ſeptingenteſimum tempore Caroli Magni.

*Obdormit in Domino.*

Sed non eſt omittendũ qualiter huius S. precibus & meritis Boleſlaus Poloniæ Rex fuit impetratus & natus. Scribit verò totam hiſtoriam Ioannes Herburtus in hunc modũ. Iuditha Vladiſlai Regis pij Polonorum vxor, cum liberos habere non poſſet, & aſſiduis precibus, ieiuniis, & eleemoſynis de prole Deum aſſiduè fatigaret: à Lamperto Cracouienſi Epiſcopo admonita, oratores in Narbonenſem prouinciam, ad Monaſterium Diui Ægidij, vbi corpus eius conditum erat, cum ampliſſimis & & templo & Monachis muneribus mittit. Expo- *Boleslaus Poloniæ Rex S. Ægidij precibus & meritis natus.* nunt quid veniant, quidve poſtulent. Indicitur Monachis tridui ieiunium, oratur Deus vt intuitu grati ſerui ſui Ægidij, maſculam prolem piis Principibus concedat. Triduo itaque illo reuelatur per viſum cuidam ſeni, & pio Monacho, quod tanto ſtudio petitum eſſet. Dimiſſis autem ac reuerſis oratoribus, natus eſt tandem ex Iuditha Boleſlaus. Qui Boleſlaus cum adoleuiſſet, paucis ſacerdotibus & aliis piis hominibus comitatus, ad Ægidij *Idem ibidem lib. 4. c. 10.* tutelaris ſui Diui ſepulchrum peregrinationẽ priuato habitu ſuſcepit, atque id iter magna ex parte nudis pedibus confecit; nullum templum, nullum Monaſteriũ, nullum egẽtium domicilium, neminẽ denique ſacerdotem ac mendicum præteriens, quin liberalitatis, & munificentiæ quippiam in eum depromeret. Quindecim dies apud Diui ſepulchrũ ieiuniis & ſupplicationibus vacans, commoratus eſt. Hæc Ioannes Herburtus.

*Boleslaus peregrinatur ad sepulchrũ S. Ægidij.*

## NOTÆ.

Ægidius.] *De quo Martyr. Rom. cum Baron. 1. Sept. Scribit de eodem Petr. in Cat. lib. 8. cap. 18. Agit etiam Trith. de viris Illust. Ord. S. Ben. lib. 2. c. 22. & lib. 3. cap. 162. Meminerunt eiusdem Sigebertus, Vincent. & alij*

*Ioannes Herbutus in Chron. Polon. lib. 4. c. 1.*

*& alij qui gesta Caroli Magni scripserunt. Vixitque anno Domini 700. Eius sacrum corpus tempore hæresis Albigensium, omnino incorruptum de sepulchro leuatum fuit. De eius Reliquiis & miraculis earum plura in vita S. Godefridi Episcopi Ambian.*

## VITA S. ETHBINI EREMITÆ.

*Ex Vincentio Belluac.*

*Habetur lib. 23. c. 48. Speculi Histor.*

BEATVS Ethbinus in Britannia natus, in domo paterna vsque ad annum quintum decimum liberalibus disciplinis instructus est. Mortuo verò eius patre, ab ipsius genitrice Sancto Samsoni Dolensi Episcopo oblatus, ab eodem Clericus factus est: eiusque genitrix sacro velamine consecrata. Postquam autem vir Dei prædicto Episcopo annis aliquot adhæsisset: vt arctiori se vitæ traderet, ad Sanctum Similianum Abbatem accessit, à quo Monasticum suscipiens habitum in Thauracensi Monasterio, cum omnibus virtutibus ornatus esset, ad Diaconatus gradum & honorem promotus est. Quadam die cum adiuncto sibi socio Vuinualoco viro sancto, ambularet, & leprosum aspectu horribilem inuenissent: beatus Ethbinus iacentem cœpit brachiis sustentare. Dum verò dolore narium torqueri se diceret, nullúque sibi adesse remedium, nisi oris anhelitum exprimeret: Vuinualocus compatiens, nasum horridum, & vlcerosum, in ore suscepit, quem & Ethbinus per latera sustinuit, respiciensque sursum, vidit Crucem auream Angelosque pauperi obuiantes. Tunc leprosus viros Dei confortans, Christum se esse dixit: statimque in nube raptus nusquam comparuit. Illi autem Domino agentes gratias, alter alterius meritis vicissim visionem ascribebant.

*S. Ethbini patria.*

*Fit Clericus à S. Samsone.*

*Item & Monachus.*

*Deinde etiã Diaconus.*

*Christus in specie leprosi, Ethbino & socio suo B. Vuinualoco apparet.*

*Humilitas Sanctorum.*

Sed cum Franci Britanniam deuastassent, Ethbinus Hyberniam petens, in sylua Nectensi tuguriolum, paruumque oratorium fabricauit: ibique solitariam vitam ducens, corpus suum vigiliis & ieiuniis valde macerabat: nam pane & aqua, & hoc bis in hebdomada, pro sui sustentatione corpusculi vtebatur. Verum cum ciuitas supra montem posita, iuxta diuinum Euangelium, non posset abscondi: vir Dei cum dudum hominibus mansisset incognitus, tandem propter miracula quæ ille operabatur, à multis frequentari cœpit. Cum quædam mulier ad eum venisset, rogaretque eum pro salute filij sui paralytici, longè positi, diceretque quod beata virgo Brigida illam ad Ethbinum misisset, vt filius eius liberaretur: beatus ille vir Dei compassione & misericordia motus, suis orationibus filio mulieris illius salutem impetrauit. Verum cum per spatium octuoginta trium annorum in prædicta sylua in magna vitæ austeritate mansisset: in pace tandem quieuit 14. Calend. Octobr. Floruit autem vir beatus tempore D. Gregorij Papæ I. & Mauritij Imperatoris anno Domini 610.

*Vitam Eremiticam amplectitur.*

*Paralyticum sanat.*

*Gloriosè migrat.*

### NOTÆ.

Ethbinus.] *De eo Martyr. Rom. cum Baronio 19. Octob. Fusius vitam eius recitat Surius tom. 5. Agunt etiam de ipso Petr. in Cat. lib. 9. cap. 84. Trith. de viris Illust. Ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 54. & plures alij. Floruit circa annum Domini 610. obiitque anno ætatis suæ 83. vt refert Vvionius.*

## VITA S. VALERICI ABBATIS.

*Ex Vincentio Beluac. in Speculo.*

*S. Valericus puer pascit oues patris*

VALERICVS in Aruenia natus, cum patris oues adhuc puer pasceret, scholas puerorum frequentans, occultè litteras didicit. Deinde relicto seculo sequutus est auunculum suum, Abbatem Monasterij Authurensis, vbi satis renitente patre, Monachus effectus est. Verum post alicuius temporis spatium, arctiori se vitæ, & professioni tradens, à Sancto Machario Abbate in Monasterio Antisiodorensis ciuitatis receptus est: vbi dudum manens, adhuc autem ad perfectiora tendens, quendam nobilem conuertit, & cum ipso Monacho facto, Luxouium iuit: ibique ambo facti sunt discipuli Sancti Columbani Abbatis.

*Relicto seculo fit Monachus.*

Tantis autem gratiis & virtutibus relucebat B. Valericus, quod B. Columbano, & cæteris Monachis, admirationi erat. Vnde factũ est vt mitteretur ad prædicandum gentibus Euangeliũ Christi, multosque conuertit. Sed cupiens absque impediméto gustare quàm suauis est Dominus, ad solitudinem contẽplationis amicã toto animo anhelare cœpit. Veniens ergo Neustriam, remotum solitudinis locũ à Rege Clotario impetrauit, vbi cum vno socio in vitæ sanctitate permansit, & multis virtutum signis effulsit. Nam in vico Ambianensiũ Gualunago, reũ quendam, dudum patibulo appensum deposuit & suscitauit. Matrona quædam per puerum suũ panes & duos vini flascones viro Dei misit: sed puer partẽ panum & vnum ex flasconibus in via abscondit, & reliquum vtriusque ad sanctum portauit, quem ille monuit ne de vino aut pane in via dimissis gustaret: eo quod serpens esset in flascone & venenũ in pane. Confusus puer rediit, & serpentem in flascone videns extimuit, & pœnitẽtiam egit. Cũ hyemis tempore ad domum Presbyteri cum sociis ad ignẽ pro se calefaciendo declinasset, & Presbyter cum quodam iudice ciuitatis ad focum sedentes, inania & lasciua verba proferrent, ab eo admoniti vt silerent, cum adhuc in deteriora prorumperent, inde discessit. Et statim Presbyter excæcatus est, & Iudicis virilia marcuerunt. His & aliis clarus miraculis vir sanctus, tandem in pace quieuit Cal. Aprilis, sepultusque Ambianis in Monasterio Leucanensi.

*Mittitur ad prædicandum Christi Euãgelium.*

*Degit in deserto.*

*Suscitat mortuum.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Valericus.] *De quo Petrus in Catalogo. Agunt de eo Vvionius, & alij recentiores.*

In Monasterio Antisiodorensis ciuitatis.] *Hæc vulgò dicitur* Auxerre.

## VITA S. AVREÆ VIRGINIS.

*Ex Vincentio Beluac.*

*Habetur lib. 23. c. 69. 70. & 71. Speculi Histor.*

BEATA Virgo Aurea, genere nobilissima, Parisiis trecentarum puellarum Abbatissa est constituta, tantaque virtute patientiæ prædita, vt nulli malum pro malo redderet: sed sibi inuidentes, plusquã cæteras diligeret. Dum autẽ in villis sororũ aliquando esset mater sancta, eius cellaria atque clauigera sibi dilecta nomine Deda, nunciatur defuncta: vnde admodum dolens, mox ad Monasteriũ est reuersa, tertia iam luce ab obitu eius præterita. Non enim ausæ fuerant sorores eam sepelire absque Abbatissa. Tunc illa in feretro iacentẽ intuita, ad eam accessit, & proprio nomine vocauit: statimque viua resedit. Et interrogans eã dicebat: Quidnã de rebus Monasterij tibi commissis, & de clauibus egisti?

*Trecentarum Monacharum Abbatissa cõstituitur S. Aurea.*

*Suscitat mortuam.*



Mox illa rationem reddens de vniuersis rebus, & expositis clauibus, cum licentia sanctæ Abbatissæ migrauit ad Dominum.

*Illæsa ardentem clibanũ ingreditur.*

Quadam die cùm panes deessent, quibus sorores hora congruenti vescerentur: illa valde tristis, murmurationem illarum metuens, cœnobij clibanos inueniendi gratia circuiuit, & ad vnum properans pistorem, an haberet panem paratum interrogauit. Quo respondente, præstò existeret, si clibanum scopis nitidum aliquis redderet: illa mox clibanum ingrediens, prunis feruẽtibus cum cineribus, manicis suis foras expulsis, fornacem mundissimam exhibuit.

*Increpatur ab Angelo. Acerrimam agit pœnitentiam.*

Cum quadam die Missam audiret, & Leuita Euangelium incongruè prædicaret, illa nolens in verbis Dominicis audire fallaciam, de humero Diaconi stolam auferens, humero suo imposuit, lectionem Euangelicam perlectura. Vnde & Angelica increpatione culpata, in quodam Sãcti Quintini oratorio se recluſit, & ab omni hominũ aspectu per septem annorum curriculum se remouit, ibidẽ acerrimam agens pœnitentiam, assiduè sedebat in cathedra, quam sibi mirabilem parari fecerat, habentem centum quinquaginta clauos in dextera, & totidem in sinistra, totidẽ in dorsi regione. Sicque psalterium quotidie cantabat, nunquam carnes comedens, aut vinum bibens: sed pro vino potabat stillicidium cineribus expressum. Existimabant tamen sororum quædam, eam aliud bibere, vnde temeraria quædam experiri cupiens, & aliis propalare quod biberet, latenter intrauit loculum, vbi colabatur cinere potus eius. Apponens autem ori suo tentatrix, extemplo percussa est paralysi in vultu, ita vt auriculæ bucca iungeretur; sicque se ream agnoscens, ante pedes sanctæ Virginis veniam postulauit: quam pariter, & medelam obtinuit.

*Temeraria quædam paralysi percutitur.*

*Sanatur.*

Postquam igitur per multos annos egisset pœnitentiam, & suum prænouisset obitum, tandem migrauit ad Dominum, & sepulta est honorificè in basilica S. Pauli retro altare. Apparuit autem Angelus cuidam Abbatissæ in Syria, quæ quidem erat cæca, vt eadem hora iter arripiens, Parisios veniret, & basilicam S. Pauli inquireret: quia si virginem Auream, ab his finibus peregrinam, illuc profectã, & illic sepultam de humo leuaret, & in locum magis honorabilem poneret: mox eius meritis visum reciperet. Quam visionem cum Episcopo ciuitatis retulisset, iter cum illa arripuit, sed hæc in itinere fessa remansit. Cui præsul dixit. Sta in hoc loco fabricandi gratia scrinium, sanctum virginis corpus recepturum. Tunc Franciam adiit, & Parisiorum Episcopo visionem narrauit. Itaque duo Præsules cum Clero & populo ad basilicam veniẽtes, sanctum corpus, & super pectus eius librum quem illa secũ de Syria detulerat inuenerunt: atque in sepulchro eius, eiusmodi epitaphium: Hic iacet Aurea peregrina. Leuatoque corpore, brachium vnum Episcopo Syro dederunt: sanguisque cœpit à venis diffluere, cum illud à corpore sequestrarũt. Episcopus verò Parisiensis corpus in Monasterio Sancti Eligij cum magno honore deposuit. Syrus verò gaudens, Abbatissæ brachium pertulit, & in scrinium decentissimè fabricatum reposuit: moxque visum recepit. Ille quoque in honorẽ virginis in patria notabile construxit Monasterium: cuius festum 4. Nonas Octobris celebratur.

*Migrat ad sponsum.*

*Epitaphium S. Aurea.*

### NOTÆ.

Aurea.] *De ea Martyr. Romanum cum Baron. 4. Octob. & Arnoldus in Martyr. Monast. hac die. Eius meminit S. Audoenus in vita S. Eligij lib. 1. c. 17. Vinc. in Spec. lib. 23. c. 69. 70. 71. Trith. de vir. Ill. S. Ben. lib. 3. Claruit tempore Dagoberti Regis anno Domini 630.*

## VITA S. DEICOLI ABBATIS.

*Ex Vincentio Beluac.*

*Habetur in Spec. lib. 23. c. 2. 3. 4. & 5.*

GVM Sanctus Columbanus de cœnobio Luxouiensi exturbatus, discipulis comitantibus ad duo milliaria progressus fuisset, & venisset ad locum qui Nepras dicitur: beatus Deicolus sancti patris Monachus, iam prouectioris ætatis existens, pedibus vehementer debilitari cœpit. Nec mora, prouolutus genibus patris, licentiam remanendi supplicat deuotè. At ille mitissimo affectu condolens imbecillitati fratris, licentiam ei non denegauit, atque diuinæ misericordiæ illum paterna voce commendauit, pias lacrymas simul cum eò fundens.

*S. Columbanus è Monasterio suo expellitur.*

*B. Deicolus Magistrum deducens, subitò debilis effectus, redire cogitur.*

Tunc pater viam cœptam arripuit, & discipulus ob multorum salutem (sicut Deus disposuit) apud Burgundiones remansit. Decursis autem passim incertis syluarum diuerticulis, intentè quæritans opportuna humanæ habitationi loca, tandem venit ad locum quendam aridum satis, angore sitis depressus. Cũque flexis poplitibus diu ibidem rerum inuentori supplicasset: fulcitorio quo vtebatur, terram paululum egerens, subitò famulo suo fideli largam fonticuli Deus vndam donauit. Qui limpidissimo riuulo exinde loca vicina irrigat, & vsque dum humus erit, ab vniuersis incolis eiusdem patris nomine, & vocitatur, & amatur, & amabilis colitur. Cumque vir sanctus quasi erraticus viator conuenientia manendi loca disquireret: quippe cum pater suus sub obedientiæ titulo denunciauit, ne Luxouiense Monasterium vlterius intraret; insperato contigit vt suillum gregem videret. Subulcus ab eo interrogatus, an in vicinio esset aliquis locus habitabilis, respondit esse non longè locum palustrem, & fontibus satis irriguum, in prædio cuiusdam præpotentis vassalli, nomine Vversarij, cui vir sanctus: Potesne, inquit, mihi frater ducatum præbere, quo possim locum ipsum videre? At ille respondit. Possem, inquit, aliquo modo, sed gregem meum absque aliquo prouisore dimittere non valeo. Cui beatus Deicolus. Noli, inquit, fili, tantillum spatij mihi tenaciter negare. Veraciter scias, quia si mecum pergere disponis, nec minimum porculum interim perdes. Et si aliquid discredis, ego tibi fustem meum constituo custodem vicarium, vt in redeundo cognoscas, quantum fides mea valeat cum charitate tua. Hoc dicto fustem quem manu gerebat, solo radicitus fixit, & præcedente ductore, ad locum tetendit nominatum. Cumque post longum horæ spatium porcarius eadem repedasset via, gregem videre solicitus, inuenit secundum viri Dei pollicitationem, gregem suum circa fustem gyratum, saturumque accubasse: nec vnum quidem ex illo deesse. Vir venerabilis Deicolus, ad locum desideratum perueniens, diuino semper operi indefessus existens, vtpotè is qui crucifixus erat mundo, totumque semetipsum obtulit Deo: inuenit Ecclesiam in cliuo cuiusdam montis sitam, in honorẽ S. Martini consecratam. Vir autem Domini secretum horæ spatium expectans quando solus

*Vt sitim extinguat baculo terram effodiens, fontis venas à Deo impetrat.*

*Nota insigne miraculiũ de baculo viri Dei.*

solus soli Deo se substernere posset, mirum dictu, quo Ecclesiæ eiusdem ianuas solus adiit, absque mora, nullo referante, largum illi præbuere ingressum.

*Fores Ecclesiæ nullo referante illi patent.*

Qua re à Presbytero agnita, his verbis conqueri in publico cœpit. Heu mihi, propter vnum Monachum iam hic viuere non possum. Cumque populatio non modica, quæ ad Ecclesiam conuenerat percunctaretur, quid sibi talia vellent, Presbyter adiecit. Latitat in ista syluula Monachus quidam peregrinus, qui nescio quibusdam incantationibus vtitur, & mediis noctibus, orationis gratia, huc frequenter venire solitus, ianuas diligenter obfirmatas, dicto citius referat, & intus orationibus vacat. Testor Deum cæli & terræ, quia si post hoc illum in Ecclesia inuenero nostra, dignis verberibus affectum reiiciam, & iniuriatum. At vir sanctus, Deo nocte dieque supplicans, minas hominum non verens, quippe qui custodia semper erat septus Angelica, more solito Ecclesiam intrabat, quousque presbyter cum officialibus acriter illum insequeretur. Sed cum Deus omnipotens seruum suum à manibus impiorum seruaret innocuum, fraudulenti malitia iterum adducti, fenestras Ecclesiæ aperuerunt, ianuas autem patefactas, maxima congerie veprium, spinarum, ac tribulorum, postes & limina vsque ad summum obstruxerunt, dicentes: Fortassis si Monachus ille modo nititur ingredi: absque signo non euadet infortunij. Sed quia nec sapientia, nec prudentia, nec consilium potest esse contra Deum, maliuolentia illa virum Dei non nocuit. Verum quoties ille commodum duxit, potenter intrauit. Qua de re viri stolidissimi vltra modum debacchati, legationem questuosam Domino suo qui tunc temporis in Allodio manebat in loco qui dicitur Villa Callonis, transmiserunt dicentes: Placet tibi vt Monachus quidam capellulam tuam sibi vendicet in oratorium, nec vllus eum eiicere possit?

*Patitur sibi infestiũ quendam Presbyterum.*

*Nihil nocetur malenolorum machinationibus.*

His igitur auditis, Vversarius furore præcipiti arreptus, crudelem nimis sententiam in virum Dei fanxit, dicens: Ite cum festinatione, & si quis illum fidelium meorum capere possit, sine audientia castretur. Vix ille mandatum dedit, vna eademque hora in laqueum quem seruo Dei iniustè parauit, iusto Dei iudicio ipse miserabiliter incidit. Nam idem membrum, quod famulo Dei præcidi iussit, mox illi in tumorem versum est: ita vt omnia viscera eius in eundem locum violenter inciderent, & mortem vicinam pararent. Cumque vehementi dolore vexari videretur: vxor eius Berthildis nomine, memor sententiæ quam viro Dei temere imposuerat, cum luctu graui illum admonuit dicens: Certè credo, quia propter peregrinum quem sine causa castrari iussisti, in te dolor retorsus est. Mittam ergo velocius, & accersiam illum, si forte per orationes eius dolor tantus effugetur. Sed quia nihil fit in terra sine causa, antequam nuncij ad vitum Dei peruenirent, idem Vversarius morte subactus, finem viuendi fecit.

*Impudens & temeraria sẽtentia Vversarij in virũ Dei.*

*Vltionem diuinã persentit impius Vversarius.*

*Suadet ei vxor vt accersito viro Dei, ab eo veniam petat.*

*Tandem miserè moritur.*

Quibus auditis, beatus Deicolus, non iniuriam irreligiosi militis, sed fidem deuotæ mulieris inspiciens, pedetentim iter irripuit. Cumque ad locũ venisset, religiosa fœmina, iam vidua effecta, maximo cum honore, sicut tantum patrem decuit, suscepit. Ipse verò vtpote de itinere lassus, antequam sessum pergeret, birrum suum, quem Græci anfibulum vocant, deponere voluit refrigerandi gratia. Quod seruitores quamplurimi videntes, vndique accurrerunt, vt viri vestimentum diligenter mitterent in * salinum. Quibus ille. Non ita, inquit, erit filioli. Nam ego seruitorem inuenio, qui vestimentum meum fideliter seruet. Peregrinus sum pro Christo, quicquid de seruo illi placet, fiat. Mira res atque stupenda. Vir venerabilis aspiciens radium solis per fenestram domus adinstar trabis ingredientem, quod nihil aliud est iuxta definitionem philosophorum, nisi crassitudo aëris, & illustratio solis, accessit, & vestimentum superposuit. Ibi quippe ferme duarum aut trium horatum spatio, absque terreno sustentaculo pependit, & virum Dei quando se reinduere vellet expectauit. Quod videns Bethildis, pedibus eius prouoluta, luctum geminare cœpit, & virum Dei vt animæ viri sui misertus, pro ea supplicaret exorauit: simulque locum in quo Sancti Martini Ecclesia constructa est, cum omnibus appendiciis suis, villam quoque ipsam in qua tunc erat, cum omnibus ad se pertinentibus libens tradidit iure perpetuo possidendam: vbi vir sanctus copiosis donariis loco illo ditato à fidelibus, duo oratoria formoso opere complenit. Vnum in honore Principis Apostolorum: aliud verò in honore Doctoris gentium. Quibus patratis, cœperunt vndique religiosi viri ad tanti patris magisterium confluere, & colla sua suaui iugo Domini submittere. Et factus est locus ille secundum voluntatem Domini paradisus Monachorum, qui hactenus patuit latibulis ferarum. Quadam die cum beatus vir operi diuino cum fratribus insisteret, contigit vt inclytus Rex Lotharius, qui secundum quod ei pater Columbanus prophetiæ spiritu plenus prædixit, iam erat trium regnorum soliditate roboratus, in viciniam eiusdem Monasterij gratia aduenisset venandi. Quadam vice cum multi optimatum venatu nobili, singularem maximum aprum insequerentur, extemplò fera viri Dei cellam ingreditur. Vir autem sanctus manum misericorditer illi præbuit, & ait. Crede mihi, quia ad charitatem confugisti, hodie vita non priuaberis. Tunc ecce vndique venatores, bestiæ vestigia insectantes, ad viri Dei cellam vsque peruenerunt. Ingressi autem cum bestiam inuenissent, ferocitate postposita, ante altare accubare, penè spiritum præ stupore non habebant, & celeriter legatos miserunt, qui Regem ad tantæ virtutis spectaculum vocarent. Qui cũ regaliter venisset, oratione facta, virum Dei interrogauit humiliter vnde esset, vel quid studij habuisset. Et cùm agnouisset, quia B. Columbani discipulus esset, ait. Omnia quæ hucusque ad mei arbitriũ in mea vicinia pertinebant, siue in syluis, siue in piscationibus regalibus, pratis quoque vel pascuis, ab hodierna die & deinceps tibi trado.

* Fortasse legendum, in solarium.

*Cuculum suspendit supra radium solis.*

*Cõstruit duo oratoria ex facultatibus Berthildis matronæ.*

*Lotharius, Rex trium Regnorum.*

*Aper insequentus à venatoribus fugit ad cellã viri Dei.*

*Tradunturipsi à Rege multa prædia.*

His itaque firmatis, vidente Rege, & omnibus qui aderant, viri Dei iussione, aper absque vllius læsione, consueta cum impetu petiit lustra. Sicque deuotus Rex benedictione patris deuotè percepta, cum gaudio remeauit ad propria. Tandem vir sanctus collecto cœtu fratrum Romam petiit, & à Papa honorificè susceptus, Apostolorum limina visitauit, & orationem compleuit. Acceptoque à Papa Monasterij sui libertatis priuilegio, in Galliam rediit, pretiosis oneratus martyrum reliquiis, & Ecclesiasticis ornamentis. Postquam verò se læto peracto labore domi recepit, & omnia quæ ad Deum pertinent religiosissimè ordinauit in Monasterio: quendam discipulum suum nomine Columbinum, quem & de sacro fonte leuauit, & per semet

*It Romam, & honorificè à summo Pontifice suscipitur.*

*Honorificè excipitur à Berthilde.*



*Fratribus ordinato Abbate, ipse seorsum in solitario loco degit.*

*Moritur.*

semetipsum constituit, de cuius vita & moribus valde erat securus, cum electione fratrum, in locum suum Abbatem constituit, atque regimen animarum ei commisit. Quo ordinato, ipse ad secretiorem locum, atque arctiorem vitam anhelans, seorsum sibi oratorium paruulum construxit, & cum Maria secus pedes Domini sedere, & verbum eius intentè audire decreuit. Obiit autem egregius pater die 15. Calend. Februarij.

## NOTÆ.

Deicolus.] *Scribit de eo Trithem. de viris Illust. Ord. S. Bened. lib. 1. cap. 61. Deicolus (inquit) Abbas Luttensis cœnobij in Burgundia, Monachus & discipulus Sancti Columbani, vir sanctissimæ conuersationis, qui multis in vita miraculis claruit, sicut in historia vitæ ipsius legitur, quæ satis copiosè conscripta habetur. Claruit anno Domini 600. cuius festum 15. Calend. Februarij agitur. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico.*

Birrum suum.] *Est birrum vestis Monachalis, quam cucullam seu floccum vocamus.*

## VITA SS. EREMITARVM, ZOERARDI Confessoris, & BENEDICTI Martyris.

### *Ex ea quam scripsit B. Maurus Quinquecclesiensis Episcopus.*

TEMPORE illo, quo sub Christianissimi Stephani Regis nutu, nomẽ & religio Deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat, audita fama boni rectoris, multi ex terris aliis Canonici & Monachi ad ipsum quasi ad patrem confluebant, non quidem alicuius causa necessitatis coacti, sed vt nouum sanctæ conuersationis gaudium ex eorum conuentu adimpleretur. Inter quos quidam sancti Spiritus instinctu tactus, ex rusticitate quasi rosa ex spinis ortus, nomine Zoerardus, hanc in patriam de terra Polonorum aduenit, & à Philippo Abbate, cuius Monasterium Zobor nominatum, in Nitriensi territorio ad honorem Sancti Hyppoliti martyris situm erat, habitu accepto, & Andreas nominatus, Eremiticã vitam agere statuit.

*S. Zoerardus habitũ Monasticum accipit sub Philippo Abbate, & Andreas vocatur.*

*B. Benedictus S. Zoerardi discipulus.*

Ibi verò quanta contritione cordis, & corporis maceratione afflixerit sese, ex relatione discipuli eius B. Benedicti, cum ipso conuersantis, quæ audiui paucis literis mandare decreui. Ego quidem Maurus, Deo miserante nunc Episcopus, tunc autem puer scholasticus, virum bonum vidi: sed quæ esset eius conuersatio, non visu, sed auditu percepi. Ad nostrum ergo Monasterium, in honorem B. Pontificis Martini consecratum, cùm iam dictus Monachus Benedictus sæpe venisset, mihi hæc quæ sequuntur, de eius vita venerabili narrauit. Postquam idem venerabilis vir Andreas Eremi solitudinem petiit, magna quidem corporis defatigatione, spiritualis autem vitæ corroboratione ieiunium semper obseruauit. Tribus tribus ab omni re quæ mandi potest, abstinuit pro dilectione gratię ipsius, qui propter homines homo factus, quadraginta diebus ieiunauit. Cùm autẽ quadragesimale tẽpus aduenisset, exemplo vitæ regularis, sub qua Zozimas Abbas degebat, vbi quadraginta quinque dactylis quisque quadragesimam deduxit, ipse à patre Philippo, à quo habitum religionis perceperat, quadraginta nuces accepit, & eo existens victu contentus, diem sanctæ resurrectionis cum gaudio expectauit. Iisdem verò & aliis diebus, licet esus ad corpus refocillandum non solùm non sufficeret, verumetiam spiritum ipsum ad defectum perduceret, ipse tamen excepto tempore orationis, nunquam à labore cessauit: sed accepta securi, quendam laboraturus syluæ locum solitarium intrauit. Vbi cùm præ nimio labore, & ieiunij districtione corpore, & spiritu deficiente, quadam die præmortuus iaceret, quidam iuuenis pulcherrimus aspectu, & visionis Angelicæ aduenit, & impositum vehiculo, ad cellam eius adduxit. At ectasi, in qua erat, decedente, postquàm ad se reuersus, quid erga ipsum misericordia Dei egisset, agnouit, supradicto discipulo suo Benedicto, qui mihi hæc narrauit, id confessus est, constringens eum iuramento, ne ante diem obitus sui notum cuiquam faceret.

*Magna abstinẽtia S. Zoerardi.*

*Laborat manibus.*

*Ab Angelo præ labore deficiens, vehiculo ad cellã deducitur.*

Post laborem autem diurnum, corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quæ magis tormenti, & afflictionis quàm requiei nomen mereatur. Planatum equidem truncum quercinum sepe circumdedit, & per ipsam sepem arundines acutas ex omni parte infixit. Ipse verò in trunco sedens, tali sessorio vsus est artuum recreatione, vt si fortè corpus sopore grauatum qualemcumque in partem se deflecteret, arundinum acie sauciatum grauiter, euigilaret. Insuper & ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides suspendebat, vt si caput sopitum quocumque inclinaret, lapide percuteretur. Hæc quæ iam dicta sunt, discipulo eius Benedicto referente, cognoui: qui & ipse, patre suo defuncto, locum eundem inhabitare decreuit. Cumque per tres annos exemplo magistri districtè vitam ageret, latrones superuenientes, & multam apud ipsum esse pecuniam sperantes, ductum ad ripam fluminis Vuag, iugulauerunt, & in ipsam aquam demerserunt. Diu verò corpore eius quæsito, & non inuento, per integrum annum visa est aquila in ripa fluminis Vuag, quasi quædam obseruatura, sedere: per quam de corpore certi effecti, quendam in aquas immergi fecerunt, & sic integrum quasi nuper obiisset, inuenerunt. Conditus est autem Benedictus in basilica S. Emmeramni martyris, in eodem sepulchro in quo asseruabantur ossa beati Andreæ, eius sancti patris. Iam quæ sequuntur Philippus Abbas mihi Abbati constituto narrare consueuit.

*Vt somnum vincat excogitat mirum sui tormentũ.*

*A latronibus iugulatur S. Benedictus.*

Cùm igitur tempus resolutionis sui corporis immineret, indicans eis hoc, qui ad erant, ne ab vllo vestimentorum suorum exueretur operimento, præcepit, donec Abbas Philippus, quem miserat accersitum veniret. Qui pater aduenies, vbi corpus venerabile iam mortuum iacebat laudum, catenam æream viscera iam attingentem inuenit. O mira res, & inaudita! Catena carnes intus putrefaciens, cute foris est obducta. Sed nesciri hoc genus martyrij posset, nisi ad vmbilicum ligati nodus appareret metalli. Soluta verò catena dum ex corpore trahitur, sonus costarum elisarum grauiter auditur. Cuius catenæ partem mediam ab eodem patre impetraui, & nunc vsque custoditam, petitioni Ducis Christianissimi Geisæ, cum desiderio mihi pro ea instanti, negare nequiui. Sepulto verò beati viri corpore, quæ per reuelationem Abbatis Philippi cognoui, & cognitu digna esse videbantur, memoria notaui.

*Catena ærea ad carnẽ vsque tebatur S. Zoerardus.*

Tempore quodam latrones, quorum collegia maxima ex parte solitudinem inhabitant, in syluã congressi sunt. Quibus confligentibus, vnus ex eis multum sauciatus est. Cõflictu dirempto, cùm hunc socij

socij vulneratum nequaquam in sylua dimittere vellent, consilio inito, ad cellam supradicti Andreæ, cuius fama iam ad omnes circumquaque diffundebatur, eum deferre statuerunt. Sed cùm adhuc longè locus abesset, latro in via defunctus est. Corpore verò ad eius cellam deportato, & in eadem posito, media iam nocte cùm ossa commendare vellent humo, subitò spiritu reuerso, mortuus resurgere cœpit. Illis autem qui aderant, valde perterritis, & præ pauore fugientibus, resuscitatus ille reuocabat eos, dicens. Nolite fratres formidare, neque fugere, Sanctus enim Zoerardus me à morte suscitauit ad vitam. Illis autem præ gaudio plorantibus, & vt discederet cum eis, rogantibus, dixit se numquam ab ea cella discessurũ, sed ibi in perpetuum Deo, & Sancto Zoerardo seruiturum. Fecit itaque quod promisit, & vsque ad obitum suum ibi permansit.

*Mortuus suscitatur à S. Zoerardo.*

Aliud quoque eius miraculum nequaquam reticere volui, quod eodem Philippo Abbate narrante cognoui. In ciuitate Nitria, quidam reus damnatus, suspensus est. Qui pòst solutus, Dei misericordia, ad Abbatem venit Philippum, & qualiter per merita B. Andreæ liberatus esset, indicauit. Dixit enim quod cùm damnatus esset semper nomen ipsius imploraſſet, & cùm subleuaretur in patibulum, statim manibus suis B. vir Andreas eum sustentauerit. At illi, cùm eum omnes mortuum putarent, & domum reuerterentur, ipse eum manu sua solutum abire permisit.

*Quidam suspensus à B. Zoerardo liberatur.*

## NOTÆ.

Zoerardus & Benedictus.] *De iis Molan. in addit. ad Vsuard. 1. Maij. Res eorum gestas ex S. Mauro Quinquecclesiensi Episcopo refert Sur. tom. 3. Floruerunt anno Domini 990. Meminit eorumdem Arnoldus Vvion. in suo Martyr. Monastico die superius dicta.*

Zozimus.] *Eius res gestas scripsit Paul. Diac. quæ in vita S. Mariæ Ægyptiacæ habentur.*

## VITA S. VICTORIS EREMITÆ Martyris. Ex Ioanne Maldonato Hispano.

VICTOR in oppido Cerasso Burgensis ditionis natus, postquam sacras sufficienter litteras calluit, & in sacerdotalibus ministeriis aliquandiu se exercuit, cupiens illecebras mundi declinare, in Eremum Ognæ secessit, & septem perpetuos annos inter spelea ferarum, hymnis diuinisque laudibus intentus, peregit.

*Secedit in Eremum.*

Eadem tempestate, Mauris Hispaniam ferè totam possidentibus, Cerasum grandis ciuitas ad Christianos desciuerat, & septennio toto, quo Victor latuit, obsidionem Maurorum tolerauerat. Quare visus Angelus adesse Victori, eiusmodi vocibus eum excitauit. Eia age Victor, rumpe moras, patria te vocat, vt longa eam obsidione soluas. Septem iam annos Mauri circunstant, muri nutant, oppidani commeatibus, post alia incommoda, destituti, deditionem moliuntur. Proptrea tu patriam liberabis, teque martyrio consignabis. Venit Victor Cerasum, vixque agnitus, tandem in Maurorum castra penetrauit. Cùm igitur Mahumeticam Victor superstitionem in castris hostium insectando, quamplurimos adiunxisset Christo, & pios qui postulauerant, reduxisset, Gaza Maurorum Rex, vnus ex septem, qui bellum illud gerebant, non passus ea fieri impunè, Victorem capi, & ad se trahi præcipit. Victor primo statim occursu Regem à lepræ morbo liberauit, & cùm inuitaretur magnis promissis ad deferendum Christũ, in Mahumeticam sectam inuectus est, Rex bene quantumuis meritis Victoris proritatus audacia, rapi iussit in carcerem, & ibi quòd nihilominus plebem acquireret magnam, tandem iugulari. Rogauit Victor lictores & carnifices, vt ipsum Cruci priùs affigerent: quod illi tam fecere libenter quã strenuè. Triduo viuus pependit in Cruce, plurimos conuertendo, & miracula non vulgaria prorsus edendo. Nam & cuidam spuenti se, mortem ante reditum in vrbem denunciauit: quæ mox subsequuta est.

*Mauri Hispaniam ferè totam possident.*

*Apparet ei Angelus.*

*Plures Christo lucrifacit S. Victor.*

*Regem Maurorũ à lepra mundat.*

*Iussu Regis coniicitur in carcerem S. Victor.*

*Crucifigitur.*

Sed tandem Cruce demissus, caput vno ictu amputatum manibus excepit, gestansque illud, viam in oppidum Cerasum direxit. Ibi oppidanos truncato capite alloquutus, vaccam pauxillo, quod solùm supererat saturatam frumento, dimitti per totum ciuitatis circuitum persuasit. Quam hostes iaculis confecerunt, erumpensque triticum conspicientes, diffisi victoria, protinus abierunt. Victor designato loco, in quo erat sepeliendus, animam vinculis carnis absoluit, & ad æthera misit.

*Propriis manibus caput amputatum gestat.*

*Liberat vbi ab obsidione.*

## NOTÆ.

Victor.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 26. Augusti. Meminit eiusdem Vasæus in Chronico Hispaniæ anno 950. Molanus in addit. ad Vsuard. De eo præterea agunt tabulæ Burgensis Ecclesiæ, & Haræus.*

Mauris.] *Dicti sunt Mauri à Mauritania Africæ regione, quæ dicta est à μαῦρον, quod est nigrum, vel quod nigros habeat colonos.*

Hispaniam possidentibus.] *Hispania est Europæ regio, quæ à montibus Pyrenæis incipiens, per columnas Herculis circuiens, vsque in Borealem Occeanum protenditur.*

## VITA S. VEREDEMI EPISCOPI, ex Anachoreta. Partim ex antiquis Monumentis Ecclesiæ Auenionensis, partim etiam ex Raulino Cluniacensi viro doctissimo & erudito.

SANCTVS Veredemus natione Græcus, cùm à teneris annis valde ad vitam solitariam anhelaret, nec eam propter parentes in patria exercere posset: ad Gallias quæ tunc temporis florebant venire disposuit. Vnde conscensa naui, cum Massiliam appulisset, cœpit quærere aptum solitudinis locum. Et Rhodano transuadato, cum secus ripam Guardonis fluuij, inuenisset quoddam rupis concauum, in eo suæ habitationis locum delegit. Ibique à mundi turbine alienus factus, soli Deo intendebat. Non est nostrum dicere qualiter in hac spelunca corpusculum suum ieiuniis, vigiliis, & laboribus discrutiauerit. Nam sæpius solas, & has crudas herbas pro summis habebat deliciis. Quas verò molestias, & dæmonum illusiones perpessus sit, non facilè dixerim. Sed ille fundatus supra firmam petram, omnia illorum terriculamenta facto Crucis signo depellebat; quin etiam vt eos amplius confunderet, quotidie virtutes virtutibus accumulabat, & pœnitentias precesque augebat.

*Etiamnum iuuenis valde anhelat vitam solitariam.*

*Legit in spelunca.*

Cum in tam sanctis & piis exercitiis per multorum annorum spatia perdurasset; contigit quendam Ægidium nomine stirpis regiæ, sanctitate celeberrimum,

*Venit ad eum S. Ægidius.*



lebertimum, è partibus Orientalibus relicta Græcia, in Gallias aduentare: vt longè factus à patria, & parentibus, posset solitariam & Eremiticam ducere vitam. Hic postquam appulit Massiliam, & Rhodano transuadato, quæreret solitudinis locum, tandem (Deo eum dirigente) factum est, vt veniret ad antrum viri Dei Veredemi, inuenienque Anachoretam valde gauisus rogauit eum, vt amore Dei in spelunca sua secum reciperet, exponens se ex transmarinis partibus causa Eremiticæ vitæ ducendæ, ad hanc Prouinciam deuenisse. Sed antequam tam periculosum vitæ genus arriperet, edoceri desiderabat ab aliquo qualiter contra vitia, contra aëreas potestates esset dimicandum.

Beatus autem Veredemus audiens, eum de partibus Orientis esse, amplius lætus effectus, eum in antrum introducens, benignè apud se recepit, & inquantum potuit, cælestis & spiritualis, necnon & Eremiticæ ei vitæ documenta præbuit.

Postquam beati illi viri, seu potius terrestres Angeli longo tempore simul manserunt, Deus volens eorum merita pandere mundo, eisdem miraculorum tradidit gratiam. Multi enim variis vexati morbis, seu obsessi à dæmonibus, solo tactu vel voce sanabantur. Quadam die cum abesset beatus Veredemus, adductus est quidam paralyticus in antrum, vt eorum precibus curaretur. Sed cum tantum Ægidius inuentus esset, qui paralyticum duxerant, rogare cœperunt virum Dei, vt sanaret eum. At ille dixit, nequaquam opus suum esse, sed socij sui, nihilominus insistentibus offerentibus paralyticum sanauit. Non est mirum si ob humilitatem voluerit dicere Ægidius non esse suũ miracula facere, sed sui socij. Nam reuera tantis & crebris iisque stupendis clarebat miraculis beatus Veredemus, quod propter multitudinem infirmorum & languentium, quasi in pagum vel ciuitatem, desertum illud in quo degebant conuersum videretur. Quapropter Ægidius vt inanem gloriam fugere posset, dilectum suum magistrum & socium dereliquit, & ad alium solitudinis locum se contulit. Beatus autem Veredemus in antro suo perseuerauit, diuina disponente clementia, quæ eum volebat ad Pontificatus apicem sublimare.

*Clarent miraculis.*

*En quantum detulerit B. Veredemo S. Ægidius.*

*Discedit à S. Veredemo causa humilitatis S. Ægidius.*

Contigit verò tunc temporis, Auenionensem Ecclesiam viduatam Pastore, ad alterius electionem procedere. Omnes igitur concordi animo & voluntate, sibi Pontificem elegerunt beatum Veredemum, cuius sanctitas & miracula non solum huic ciuitati, vel toti Prouinciæ; sed etiam omni Gallorum regno innotuerãt. Procedunt igitur Clerici & sacerdotes cum populi magna multitudine ad viri Dei spelunca. Cumque ei exposuissent se esse à Deo & hominibus in Ecclesiæ Auenionensis Pontificem electum: rogabant quatenus venire cum eis dignaretur, & electioni assensum præbere. Sed ille qui nihil amplius abhorrebat quàm honores, in lacrymas prorumpens clamare cœpit, se tanto munere, honore, & onere indignum esse. Sinite me (inquiebat) in hac spelunca peccata mea deflere, & in ea totum vitæ meæ cursum consummare: alterum verò digniorem vobis prouidete Pastorem. Verum hæc verba humilia magis incenderunt animos eorum qui venerant: eum renitentem vi extraxerunt ex rupis concauo, & cum honore Auenionem deduxerunt, & in Pontificali Cathedra collocarunt. Ordinatus Episcopus, nihil de pristina sua abstinentia remittebat. Taceo eius virtutes, & crebra quæ per eum Dominus operari dignatus est miracula, quæ cum tam multa sint, silentio præterire, breuitatis causa, dignum iudico.

*Creatur Episcopus Auenionensis B. Vered.*

*Humilitas S. viri.*

Postquam verò vir sanctus per aliquot annos sanctè & piè suum rexisset Episcopatum, tandem senex & grandæuus migrauit ad Christum 17. Iunij, qua die eius solemnitatem Auenionensis Ecclesia, aliæque Prouinciæ Ecclesiæ celebrant.

*Migrat ad Christum.*

## NOTÆ.

Veredemus.] *Non solùm multæ Ecclesiæ Prouinciæ, sicut Arelatensis, Tricastrensis, Aptensis, Caullicensis, &c. agunt de S. Veredemo, sed etiam grauissimi, & celeberrimi auctores, D. Ant. 2. p. tit. 13. §. 33. Vincent. in Speculo lib. 25. c. 23. Raulinus Cluniacensis in serm. de B. Ægidio. Ecclesia Auenionensis (vbi eius corpus vnà cum corpore S. Ruffi primi eiusdem ciuitatis Episcopi, in capsa argentea super maius altare requiescit) olim solemniter & cum octauis solemnibus celebrabat eius festum, sicut patet ex antiquo Missali eiusdem Ecclesiæ, in quo habetur oratio & Missa propria. Extat apud Carthusienses Villæ Nouæ vetus Martyrol. M. S. & Calend. vbi fit honorabilis mentio de S. Veredemo Auenionensi Episcopo. Necnon in Archiuis Monasterij S. Andreæ extant litteræ seu contractus, ex quibus constat Rostandum Episcopum Auenionensem cuidam Monacho dicti Monasterij commisisse curam fabricandi capsam argenteam ad reliquias S. Veredemi reponendas, & ob hanc causam dedit ei Prioratum vulgò dictum* de Ionquieres, *circa annum Domini 1050. In loco vbi hactenus B. Veredemus solitariam vitam duxit, cernitur adhuc hodie Eremitorium vna tantum leuca à ciuitate Auenionensi. Non omnes scriptores seu historici consentiunt quoad nomen. Nam Vincent. vocat Vendemiũ, alij Venderemum, alij Veredemium, sed mendosè omnino. Melius autem Veredemus. Nam & consentiunt antiquæ manuscriptæ, necnon multa Breuiaria Ecclesiarum Arelatensis, Carpentoractensis, Caullicensis, &c. Floruit autem circa annum Domini 700. Porrò in Breuiario Ecclesiæ Vzetensis agitur de quodam Veredemio Eremitæ, omnino ab isto diuerso. Patet ex hoc quod vitam solitariam apud Vzetensem pagum duxerit, quod officium fit de eo de communi Confessoris, non Pontificis, quod festum S. Veredemi Episcopi Auenion. in dicta Ecclesia 17. Iunij agatur, istius verò 21. mensis Augusti, quod Ecclesia Vzetensis corpus istius Sancti Veredemij habere dicatur, sicut colligitur ex oratione propria, quæ ita se habet. Deus qui nobis tanto munere de beato Veredemio confessore tuo prouidere voluisti, quem vt Luciferum nescientem occasum de partibus Orientalibus mittere ordinasti, &c. Profectò hæ rationes duos omnino esse conuincunt. Et ideo ad maiorem lectoris consolationem etiam lectiones Matutinales hic referre non superfluum puto. Sic autem se habent. Veredemius natione Græcus cum cœpisset condelectari legi Dei, & amorem Dei habere in semetipso, seruire Deo, statim illam contrariam legem membrorum, cogitationes verò & opera diabolica, à se alienauit, & inquantum humana fragilitas permisit, à corde, ore, atque manibus eradicauit. Cumque inter homines habitaret, Angelorum socius mente efficiebatur dicens cum Apostolo: Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?*

*Sed quia (vt diximus) non poterat aliter nisi mente in cœlesti habitare patria, donec tempus dissolutionis veniret, patriam & parentes fugiens, desertum locum, vbi secum solus, cum solo habitaret Deo, quærere voluit. Denique cogitabat Eremiticam non posse in patria sua vitam ducere, ne fortè parentes aut propinqui sui eum inuitum retraherent, aut ipse aliqua diaboli tentatione permotus, videns patriam suam ab hac voluntate deficeret, ad Gallias transire desiderabat. Tandem inuenit homines, qui cum suis nauibus, propter negotiorum suorum lucra,*

Massi-

*Massiliam Prouinciæ regionis ciuitatem venire tentabant. Quibus se socians, pro nihilo ducebat patriam, & parentes relinquere, vt posset Deo seruire. Sciebat enim certissimè, quia qui Deo seruit regnat, & qui illi coniungitur, sine macula permanet, & centuplici vitæ æternæ gaudet remuneratione. Læti itaque illi maritimi nautæ, cum quibus erat B. Veredemius, vt ad regni sui fines repatriarent, naues suas in profundum maris permouent.* ∴ ∴ ∴ ∴

*Verumtamen in initio lectionum apponitur talis prologus. Veneremur fratres charissimi, sanctissimi Confessoris Veredemij, qui in præsenti habemus pignora, & eius solemnitatem anniuersaria celebritate recolentes, qualiter de transmarinis partibus, in hoc Vzetico pago, dextera Dei perduxerit, dicemus nos, audite & vos.*

## *VITA S. BEATI EREMITÆ.*

### *Ex ea quam ex manuscriptis Ecclesiæ Carnot. collegit Renatus Benedictus.*

*Patria S. Beati.*

SANCTVS & gloriosus Christi Confessor Beatus honestis parentibus in Aquitania ortus, cum apprimè litteras didicisset, patriam parentesque deseruit, vt Christi posset Euangelium prædicare. Multas verò prouincias & vrbes peragrauit, in quibus verbum Dei seminans, multos conuertit ad Christum.

*Vacat prædicationi verbi Dei, & multos conuertit.*

Cum autem vir sanctus, ob egregiam doctrinam, atque infidelium conuersionem, à spiritu vanæ gloriæ tentaretur, tinens ne cùm aliis prædicasset, ipse postmodum reprobus inueniretur, ab huiusmodi officio cessauit, quatenus deinceps nullis occupationibus præpeditus, soli Deo vacare posset. Audiens autem esse speluncam in monte prope ciuitatem Vindocinensem, vepribus, & virgultis coopertam, & ab hominum frequentia valde remotam: lætus & gaudens, ad illum montem profectus est, atque speluncam inquirere cœpit. Quam cum tandem reperisset, horribilis & immanis draco inde exiens, ipsum volebat deuorare: sed facto Crucis signo, serpentem expulit, & deinceps in spelunca habitare cœpit. Ibi ab hominum semotus consortio, vigiliis, ieiuniis, & orationibus indesinenter vacabat. Comedebat verò herbas, quæ per Eremum nascebantur, atque pro vestimento, cilicio cinere consperso vtebatur. Et ita cum ad decrepitam vsque peruenisset ætatem, tandem migrauit ad Christum: sepultusque est honorificè in spelunca à Sancto Alysio, & aliis fidelibus.

*Petit Eremũ.*

*Signo Crucis fugat ingentem draconẽ.*

*Cibus viri sancti radices & herbæ: vestimentũ verò cilicium cinere conspersum.*

*Migrat ad Christum.*

### *NOTÆ.*

Beatus.] *De quo Mart. Rom. cum Baron. 9. Maij. Agunt præterea de eodem Beda & Vsuardus. Plura de ipso in Breuiario Eccles. Constant. & in antiq. Eccl. Vindocin.*

## *VITA B. IVANIS EREMITÆ.*

### *Ex Nicolao Salio Pragensi.*

*In Annalib. Bohemorum.*

IVAN Gestimuli Dalmatiæ Regis ex Elizabetha filius, Latinè Ioannes dictus, salutatis parentibus in Eremum Deo se credens profugit, & formidolosis syluarum flexibus duce Angelo pererratis in Bohemiam adhuc idolis deuotam Neclane rerum summam in ea administrante, deuenit, idque circa annum Domini 857. Cumque in specu quadam tribus circiter milliaribus à Praga dissita molestissimis dæmonum incursibus biennio quateretur, fessus tanta insectatione eorum, locum mutans abibat. Et sic eunti B. Ioannes Baptista obuiam factus percontari ex eo cœpit, quonam se & cuius rei gratia aliorsum ferret. Ille, quod res erat, fateri, dæmonum immoderatis se & continuis vexationibus adeò conturbari, vt nec consistere, nec moram ferre queat. Hic Baptista sanctus rudem teneramque Tyronis Christi militiam miseratus; præsidio Crucis donatæ eam firmat. Qua ille fretus, intrepidè ad deserta castra redire, & contra ouantes hostes clamoribus eum incessentes, quòd ibi balneum se haberent dicerent, infesto signo procedere. Cuius virtutem illi non ferentes: quaquauersum dilabi, ille victoriam prosequi, & intimius ad eos penetrare. Vnus ibi teterrimus oppresso petræ corpore proteruiùs herebat dæmõ, dirissimis vocibus, & immanis oris rictu, deuoraturo similis frendens. In cuius ille putentem hiatum Crucẽ coniiciens, adeò illũ hoc iactu perculit, vt perfossa grandi petra foras erumpere coactus fuerit. Cernitur nunc quoque id altè ductum foramen, & profugi hostis pudendos conatus testatur. Sic compescitis dæmonum efferatis ausibus, pacatius deinde 40. & duobus circulis annorum Eremitam gessit Iuan, nulli mortalium annis 14. visus, lacte interim ceruæ, diuina cura ei tempestiuè fœcunda vbera exhibere iussæ, pastus.

*Iuan Dalmatiæ Regis filius.*

*Abit in Eremum.*

*Dæmonũ periculis molestatur.*

*Accipit Crucem à S. Ioãne Baptista contra dæmones.*

*Lacte ceruæ pascitur.*

Quo tempore Boriuoius Dux feras persequens, ceruam hanc nutricem Iuanis, & sagitta traiecit, & vestigiis eius hærens ad antrum viri Dei ignarus decurrit, miratus ceruam iacentem tam copioso lacte exuberare. Cùm vir procero corpore, veste promissa, impexo & intoso crine, superciliis oculos tegentibus specu progressus seuerius cum Principe expostulare cœpit, quòd animal suum telis appetierit. Consternatus Princeps, non expectata talis viri facie, prodigiosamque belluam existimans, vna cum comitum manu pedem retrò tulit. Deinde animosior factus imperat ei per Christum (quem primus Bohemorum Principum fide agnouerat) edicere quid homini fiet. Ille adiuratus, nomen, patriam, genus euentusque suos palàm docet: quin & in petræam aulam qua exierat, flagitantem hoc Principem, inducit, & Dei circa se administrationem euulgat. Rogatusque obnixius, vt equo se in vrbem Tetinam deferri pateretur (ibi quippe Boriuoius vitam priuatæ similẽ cum Ludmilla tenebat) recusauit, & quòd equitandi omnino ignarus esset, & quòd commodius consequenti tempore id se obsequium Principi exhibere posse opinaretur. Monuit interim vt ceruam quam venator confecerat, egenis dispertiretur. Verùm Ludmilla, videndi tanti viri auida, Boriuoium perursit, vt Mysta suo, cum sex famulis, & asino emissis eum ad se deportarent. Cui aduentanti, & illa, & ille honoris ergo longè progressi aue detulerunt, & susceptum intra limina dignis eorum nomine epulis honorarunt. Sed ille ieiunij lege perpetua appetitum gustatumque suum definiens, nihil ex eis libare, nedum comedere elegit: sed ad suam specum anhelans, finito cum iis de diuinis rebus colloquio, quamprimùm reuerti contendit. Reuersusque est sacerdote Paulo, & sex comitibus stipatus, omnibus regiis aulis, exesi sui antri præferens honorem. Ad eum triduo post Paulus Mysta profectus lapsibus vitæ veteris eius auditis, eum & expiauit, & re diuina ad aspectum eius facta, sacro Christi corpore eum refecit. Quo ille summa animi & corporis demissione sumpto, traditaque Presbytero Cruce parua, quam D. Ioannis Baptistæ gratia ad retundendos impetus dæmonũ acceperat, tertia die post Synaxim ex spelunca tenebricosa, cæli regiam adiit, corpore tantum ibi (nam ita fieri popostcerat) deposito. Quo in loco Boriuoius Monasterium sub nomine D. Ioãnis Baptistæ à se ædificatum, amplis prouẽtibus dotauit, duobusque sacerdotibus eius curam pro tempore tradidit. Eò postea viri ad normam D. Benedicti viuentes traducti sunt. Celebratur autem eius festum 24. Iunij.

*Effigies S. viri.*

*Boriuoius primus Bohemorũ Princeps Christianus.*

*Abstinentia S. viri.*

*Moriturus sacrũ viaticum sumit.*



### *NOTÆ.*

Iuan.] *De eo agunt Dubrauius Episcopus Olomuzensis in hist. Bohemica, & alij eiusdem Historiæ scriptores, necnon Sur. tom. 7. Simon Fagellus insignis Poëta, Heroicum carmen ad sepulchrum D. Iuani Eremitæ in antro quod dum viueret inhabitauit, vbi etiam post pia fata sepultus recubat, cecinit: quod hic inserere non erit superfluum.*

*Antra hæc horrifico tenebrosa situ, inuia quondam*
*Saxa, Iuanus pater incoluit, contagia mundi*
*Vitans fallacis, superis & viuere Christo*
*Nimirum exoptans tantum, cælumque mereri.*
*Quas etenim non illecebras, quod quæso scelus non*
*Mundus habet? quem non inuitat ad impia facta?*
*Hunc ergo fugiens iusta ratione beatus*
*Ille pater, victu hic parco, syluestribus herbis*
*Scilicet, & baccis voluit contentus & vnda,*
*Deuitando hominum cœtus & singula mundi,*
*Subiecisse Deo mentem, corpusque rebelle,*
*Efficere ad quæuis patiens conamina vitæ*
*Cælestis, lacrymis oculos & pectora pugnis*
*Exagitare, Redemptoris crudelia Christi*
*Vulnera, & innocuo currentes sanguine riuos,*
*Perpetuo humanæ meditari tempore vitæ,*
*Mentem castificam seruare, carereque culpa,*
*Degere præterea cælestem in corpore vitam.*
*Sic pater ille pius sanctarum candidus auctor*
*Virtutum, & prorsus vitæ optima regula sanctæ,*
*Hic viuendo exemplar dedit, quin posteritatem*
*Instituit contemnere opes, & viuere paruo,*
*Non seruire voluptati, ventrique, gulæque,*
*Ponere auaritiæ studium, mentisque tumorem.*
*Per sua cælestes simul & vestigia sedes*
*Quærere, & vltorem scelerum superesse tonantem,*
*Credere, stellato librantem singula cælo,*
*Iusta lance piis sua præmia, suppliciumque*
*Reddentem sceleri meritum, Phlegetontis ad amnem.*
*Sic eius tandem post vltima scandit in altum*
*Æthera, cælorum sortitus spiritus arcem,*
*At cineres positi parua hac clauduntur in vrna,*
*Quos tu quisquis ades, spectans venerare viator,*
*Huncque tibi precibus fieri contende patronum.*

Dalmatiæ.] *Dalmatia regio est Illyrica, contermina Liburniæ versus occasum, à qua Dalmatæ dicti sunt populi. In ea Iadera ciuitas insignis, rerum abundantia, & Ragusium olim Epidaurus dicta.*

Mysta.] *Dicitur Secretarius, vel mysterij actor, & dicitur à mystis Græcè, quod Latinè dicitur mysterium.*

Synaxin.] *Synaxis Græcè solemnitas, Latinè conuentus, & dicitur à Syn, quod est con, & axis quod est psalmus, quasi psalmorum concursus.*

Ludmilla.] *Fuit hæc mulier sanctissima, de qua Martyr. Rom. agit, & qui Vit. Sanctorum descripserunt.*

## *VITA ET MARTYRIVM QVINque Eremitarum, Matthæi, Benedicti, Ioannis, Isaac, Christini: necnon Barnabæ contubernalis eorum & Confessoris. Ex R. D. Ioanne Dubrauio Episcopo Olomuzensi.*

*Habetur lib. 6. Hist. Bohemicæ.*

SANCTVS Adalbertus secundus Pragensis Episcopus & martyr, vna cum Boleslao principe Bohemiæ cœnobium, quod Breunoniam vocant, ædificauit, ac munificentissimè dotauit, deductis in contubernium sodalibus, quos ex Italia secum adduxit: illique nomine Abbatis præposito Anastasio, qui posthac apud Hungaros Strigoniensem egit Pontificem, viro tantæ sanctitatis, & virtutis, vt mortuum discipulum precibus suis à morte excitauerit. Sæpius in hoc contubernio Adalbertum, quàm in domo sua pontificali reperisses; adeò moribus & natura cum sanctis illis patribus congruebat. Sed nec Boleslaus à consuetudine illorum abhorrebat, festis præsertim diebus sponte veniens (vt bonis mos est) ad bonorum conuiuia, quæ à precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant magna cum modestia & disciplina, atque abstinentia ciborum.

*S. Adalbertus Monasterium Breunoniense construit.*

Præter Anastasium autem Abbatem, & Gaudentium fratrem (quem Præsulem ciuitatis Gneznæ Polonis idem Adalbertus dederat) alios insuper sex contubernales Breunonia habuit: vti viri sanctimonia celebres, ita celebritate hominum minimè gaudentes. Illi igitur desiderio solitudinis (cum migrandi ex Boiemia in Poloniam consilium cepissent) occiso Adalberto Episcopo, ad Gaudentium diuerterunt, cupidissimum penes se illos retinendi, nisi quod cupidius illi secretum sibi dari ostendique petebant. Euictus precibus Gaudentius, deduci illos in locum plane solum, longéque ab hominibus semotum iubet. Nacti illi quem optabant secessum, in eo tuguriolum, & iuxta sacellum ex lignis coagmentatum sibi constituunt. Nomina contubernalium, Matthæus, Benedictus, Ioannes, Isaac, Christinus, Barnabas. Frugalitatis omnium istorum, innocentiæque & continentiæ, atque vigiliarum indicium hoc fuerit, quod ab iniuriæ noxa, sed ab omni prorsus specie mala abstinuerint, quod famem sæpius pane solo, raro olere adiuncto, quod sua sibi manu seuerant, legerantque, explebant: sitim autem aqua semper sedabant: quòd à pecunia possidenda ita temperauerint, vt ne teruncium quidem in zonis suis, aut marsupiis, possidere vellent, quod denique stratis humi in matta scirpea, corporibus cilicio vestitis, somnum ante mediam noctem interruptum habuerint, & quasi iam aurora illis illuxisset, reliquum noctis dieique perpetuò in hoc vigilauerint, vt Deum peccatis hominum offensum, assiduis deprecationibus placarent. Nam ipsi ita propitium illum habebant, vt morbo impeditos homines, aut à malo dæmone obsessos, sola oratione curarent liberarentque.

*Accipiunt S. Eremitæ solitudinis locũ ab Episcopo Gaudentio.*

*Abstinentia magna, & vitæ austeritas Sanctorũ Eremitarum.*

*Clarent miraculis.*

Quoniam autem rumor iampridem de bona istorum vitæ consuetudine ad Meschonem principem Poloniæ peruenerat, inuasit eundem Meschonem cupido videndi & alloquendi viros ex rumore sibi laudatos. Vbi igitur ad latebras eorum peruenit, summotaque assectantium turba, ipse cum paucissimis sacellum, in quo sacros psallebãt hymnos, introiit, offusa subitò oculis & animo suo

*Visitantur à Meschone Poloniæ Principe.*

suo religione, perinde est permotus, atque si introiisset penetrale numinum, non hominum. Denique illos velut præsentia numina veneratus est, tractauitque liberaliter à pecunia, quam abiens illis etiam inuitis reliquit, præsidium futuræ inopiæ, quam summam adesse cernebat. Sed enim illi, qui non adumbratam, non coactam, sed solidã, atque vltroneam colebant paupertatem & continentiam, magisque pietatis officiis, quàm vllis diuitiis diteſcere quærebant, accersito Barnaba, quem panis & olerum dispensationi præfecerant, tollere eum exitialem pecuniam & ad Meschonem continuò referre iubent.

*En egregium voluntariæ paupertatis exemplum.*

Abeunte Barnaba superueniunt latrunculi quidam, & in tugurium nocte irrumpunt, quæsitaque inibi, & non inuenta principis pecunia, iram & furorem in cædem insontium virorum conuertunt, occisi ad vnum omnes, ac solùm Barnabas per absentiam incolumis est seruatus, cum magno animi sui dolore, quod præsens eãdem cum interfectis martyrij palmam assecutus non fuerit. Nihilominus sui similis permanens, vitam quam cœpit colere, puram inculpatamque ad fatalem vsque exitum non desiit: post quem in tumba Gneznæ, in quam ante se interfecti sodales elati sunt, conditus est.

*Trucidantur à latronibus.*

*Christinus Cõfessor obit.*

## NOTÆ.

Matthæus.] *De eis Martyrol. Rom. cum Baronio 12. Nouemb. Plura in Chronico Polonorum lib. 2. cap. 9. Trithemius de viris Illust. Ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 311. Passi dicuntur anno Domini millesimo quinto. De eorum translatione fusius agit Martinus Cromerus in Annal. Poloniæ.*

## VITA S. BONONII EREMITÆ. *Ex ea quæ est apud Surium.*

*Habetur to. 7. operum.*

*S. Bononius statim à primis annis fit Monachus.*

BEATVS Bononius Bononia oriundus, cùm vitam sapientis hominis mortis esse meditationem legendo didicisset, seriò hoc & sæpè apud animum voluens, à primis statim annis mundi huius deliciis repudiatis, in Sancti Stephani Monasterium, quod est Bononiæ, se abdidit. Vbi cùm in sanctarum virtutum exercitiis multum per aliquot annos profecisset: ad perfectiora charismata contendens, patria, amicis, domo, vrbisque frequentia desertis, Babylonis Ægypti solitudinem adiit, vt asperioris vitæ fræno corpus edomaret, ac spiritui obsequens redderet. Euenit autem famæ & virtutum eius fragrantia ad Ægypti incolas peruadente, vt Ægyptij proceres, ac potior pars populi ad eum singulari beneuolentia complectendum vehementer incitarentur, atque ita quidem, vt potestatem etiam facerent ea istis in locis instituendi quæ ad religionis instaurationem barbarica feritate conculcatæ pertinere censuisset. Quod cùm frequenter vrgerent, gauisus pius pater, & Deo, qui feroces barbarorum mentes mitigasset, gratiam referens operi sedulò institit, primùm diruta multis in locis templa restaurans, Monasteria deinde plurima reparans, per quæ cœtus Monachorum distribuit, Abbates constituit, eosque secundum à D. Benedicto præscriptam regulam, vitam religiosè traducere iussit.

*Agit clarus in desertis Ægypti.*

*Restaurat & reparat multa ibidẽ Monasteria.*

Et ipse quidem non in vno loco consistens, Ægyptum peragrabat, verbi Dei semina vbique spargens. Ex quibus cum magnus credentium numerus paulatim crescceret, signis deinde etiam atque miraculis eorum animos ad assensum adhibendum frequenter permouebat. Sic scilicet cùm forte in naui Ægyptiis mercatoribus, quibuscum Alexandriam vnà nauigabat Christum annunciaret, & subita tempestas exorta, in certum omnes vitæ discrimen coniceret, illique attoniti nuncupato voto, Christiana sacra se dicerent suscepturos, si præsens eius numen experti, salui euaderent, postquam ad precum subsidium sanctus se Bononius conuertit, tempestas repente discussa, & serenitas reddita est, & Alexandriam incolumes omnes ad portum applicuerunt: vbi etiam, quos ad ipsius preces ex mortis quasi faucibus Deus eripuerat, ipse per baptismi gratiam, ad nouam vitam restauravit. Quæ, aliaque eiusdem generis admiranda opera, celebrem eum mox per omnem Alexandriã effecere. Verùm ne eorum ciuium fauor nimiùm eum extolleret, clam inde egressus, ad Babylonis amicam solitudinem iterum secessit: vbi piis bonorum operum exercitiis cùm sedulò operam daret, tum aliis quoque vitæ viam præibat, neque potentibus blanditus, neque tamen eos quoque, quamuis superbos, per nimiam austeritatem negligendos, aut fastidiendos ducens, omnibus omnia factus.

*Subitò sedatur ad eius preces tempestas maris.*

Non ille prosperis nimiùm efferebatur, aduersa quoque eum deiicere non poterant. Sed & pauperum quoque indigentiam tum ipse per se subleuabat, tum etiam ad opem illis ferendam diuites sedulò exhortabatur. Et tam quidem erga alios solicitam curam gerebat, ipse autem in suscepta semel vitæ austeritate perseuerans, pro molli lecto duram humum, pro delicatis linteaminibus asperum cilicium, pro ceruicali commodo lapidem, cui caput inclinaret commutabat, sicque quiescere consueuerat, si tamen quies dicenda est, quæ iugibus per dies & noctes orationibus insuper fatigabatur. Graues per illa tempora procellæ Ægyptum vniuersam concussere, Romanis Ægyptios bello persequentibus. Vbi cùm commisso prælio vtrimque magna strages fieret, neque triumphus Christianis satis feliciter succederet, eorum etiam plurimi captiui ducti sunt, & inter eos etiam diuinæ memoriæ venerandus Vercellensis Ecclesiæ Antistes Petrus. Qui in tantam pertractus miseriam, inquirebat diligenter, si quis per eam regionẽ Christianus esset, cuius consilio atque ope liberari posset. Indesinenter autem suspiranti adfuit, qui in se sperantes nunquam deserit Deus, & Sanctum Bononium in illis regionibus vitam agere admonuit.

*Dormit in nuda humo, substrato cilicio.*

*Bellum inter Romanos & Ægyptios.*

Qui accersitus, nihil sane prætermisit quod ad eum, cæterosque qui carceribus conclusi tenebantur, cõsolandos ac liberãdos excogitare posset. Itaque & carceris custodes muneribus sibi deuinxit, ac demum etiam regiam familiam, ipsamque Regis coniugem in suas partes pertraxit. Qui certo quodam tempore vnanimes, diuino planè instinctu, Regem aggressi, quod supplices rogabant, vt captiuos Christianos Bononio condonaret, facilè impetrarunt. Quos ille naui impositos postquàm mare transissent, Hierosolymam primùm, inde in montem Sinai perduxit, quem ipse sibi habitationem iam tunc animo designabat. Post quæ loca perlustrata, Constantinopolim quoque contendit, Vbi, cùm conscensa rursum naui læti in suam quique patriam reuersi essent, etiam Petrus Episcopus suæ sedi est restitutus, cui multo etiam adhuc post tempore præfuit. Cæterùm Bononius Dei seruus, ad montem Sinai regressus, cùm totum illic diuinæ se

*Sedulò agit pro liberatione captiuorũ Christianorum.*

*Secedit ad montẽ Sinai.*



se legi mancipasset, magnarum virtutum signis valde inclaruit, ita vt gratissimo sanctissimæ suæ opinionis odore Hierosolymam quoque & vicina loca repleret.

Interea verò Locedensis Monasterij, quod est in Diœcesi Vercellensi, Abbas obiit. Vnde qui supra memoratus est, Vercellensis Pontifex Petrus, mox Bononium accersendum duxit, vt defuncto Abbati sufficeretur. Quod quamuis à se onus reiicere seriò conaretur, tamen cum is nullum solicitandi & rogandi finem faceret, ne diuinæ vocationi resistere velle videretur, cessit tandem, Paterque Monachorum, quamuis inuitus, factus est. Ecce autẽ antiquus humani generis hostis aduersus sanctum pastorem consurgit, & Monasterio procellæ quodam turbine commoto, eum acriter oppugnare aggreditur. Sed ille memor huius ad suos Christi cõsilij: Si vos persecuti in vna ciuitate fuerint, fugite in aliam, per summam humilitatem scandalum declinans, in Hetruriam interim secessit; vbi reparato ad plenum, & secundum legem Dei, & S. Benedicti Regulam instituto Monasterio, miraculis patratis, celebris etiam in illis locis redditur. Conquieuerunt autem interea excitati motus, quibus Locedense Monasterium concutiebatur, sicque ipse, Domino reuocante, ad illud reuersus, plantas, quas diuina aditus gratia conseuerat, piæ conuersationis quasi fomentis diligenter deinceps irrigare satagebat per multa annorum curricula, semper de se etiam submissius sentiens. Inter cætera autem quæ præclarè gessit, magnis etiam impensis, cura atque labore templo extruendo incubuit, quo consummato opere, cum se per omnem vitam irreprehensibilem exhibuisset, tempusque adesset quo eius labores Deus remuneraturus, æternæ ei gloriæ brauium donaret, spiritum creatori feliciter reddidit, tertio Calend. Septembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo sexto.

*Multis precibus tandem reuocatur in Occidentem, & fit Abbas Locedensis.*

*Restaurat quoddã Monasterium in Hetruria.*

*Transit post labores ad æternam requiem.*

## NOTÆ.

Bononius] *De eo Martyr. Roman. cum Baron. 30. Augusti. Vitam eius adfert Surius tom. 7. Meminit eiusdem Carolus Sigonius de Regno Italiæ lib. 8. & lib. 2. de Episcopis Bononiæ, in Frugerio Episcopo. Sanctorum Catalogo adscriptus est à Ioanne Papa XX. non multis post mortem annis. Arnold. Vvion. in Lign. Vit. hac die.*

In Hetruriam.] *Hetruria, vt dicit Seruius, est Italiæ Prouincia, quia eius fines protensi sunt vsque ad primam ripam Tyberis: dicta Hetruria, quod ab omni aëris caligine nebulaque remota videatur.*

## VITA S. SIMEONIS EREMITÆ. *Ex ea quæ est per Eueruuinum Abbatem eius contemporaneum.*

*Apud Surii.*

*S. Simeonis genus.*

VIR Dei Simeon patre Græco Antonio, matre Calabrica, in Sicilia ciuitate Syracusana progenitus, & nobilissimis & Christianis parentibus, Christianè est educatus. Cùm septem annorum esset, à patre qui militaris erat, Constantinopolim deducitur, ibiq; eruditissimis viris sacris literis imbuendus traditur: cùm interea adultus videns quosdam ex nostris partibus desiderio infatigabili currere ad sepulchrum Domini, desiderabat & ipse pro nomine Christi peregrinus fieri: vnde & domum, patriam, parentesque relinquens, sanctorum gratia visitandorum locorum Hierosolymam venit, atque adeò cum quodam Hilario sanctissimo viro, qui hac de causa in Lycaonia habitabat, per septem annos quoque ductor peregrinorum fuit. Iam tunc Eremiticam & solitariam vitam concupiscebat; sed quomodo inciperet, necdum perspectum habebat. Cœpit autem perquirere si illis in locis aliquis inueniretur, qui pro nomine Christi solitarius degeret, cuius instrui moribus posset. Audiuit autem quendam ad ripam fluminis Iordanis in quadam turri inclusum commorari, virtutibus præclarum, sanctitate conspicuum. Illum ergo tota mentis intentione sitiens, requisitum reperit, eique tota voluntate inhæsit, & in quantum potuit deuotissimè ministrauit.

*Venit Hierosolymam, & fit ductor peregrinorum.*

*Degit cum quodam solitario.*

De illo Christi seruo vir Dei Simeon multa solitus erat narrare, & quod prophetiæ spiritum habuisset, plenius his verbis edicere. Cum quodam die in inferioribus eiusdem turris partibus habitarem, & mulierculas, quæ camelos & cætera animalia in flumine adaquatum venerant, inaniter & lasciuè per fenestram aspicerem, per spiritum quicquid vanitatis in corde retinerem, vir Dei in superioribus manens, & me omnino videre non valens, cognouit, factoque signo in locum vbi verba loquentis audire possem, euocauit: mihique stupenti, quæ cogitaueram, vel egeram, increpando retulit. Cumque verecundo me videret perfusum rubore: Noli, ait, timere, bonam spem per Dei gratiam concepi de te. Credo in Deo meo, quia maiora tibi parantur certamina, sed confide, quia diuina præsens aderit clementia. Inter cætera Deus tibi retribuat charissime, pro seruitio, quod mihi per hos annos officiosè impendisti: ego verò frequentiam populi ampliùs ferre non possum. Concedendum est mihi aliò vbi secretius possim viuere. Inter turbas enim huc aduentantium, meum implere non possum propositum. Cúmque multis lacrymis eum rogarem, vt quocumque iret, sequi possem, non assensit: sed me ad alia occupato, aufugit, meque ignorantem quò abiret occultè reliquit,

Igitur Simeon tanto patre orbatus, cogitare cœpit quid ageret, & vbinam se conferret. Verùm cùm vitas Patrum frequenter legeret, intellexit nullum in Eremo sibi bene posse præesse, qui non priùs in Monasterio didicerit subesse, nec perfectũ aliquem fore in contemplatiua, qui exercitatus nõ fuerit in actiua. Qua consolatione accepta, Bethlehem natiuitate Christi præclaram ciuitatẽ adiit, séque in Monasterium S. Mariæ admitti expetiit, quod & obtinuit. Vbi in omni Monasterij districtione probatus, atque Diaconi officio fũctus, post duos annos ad aliud Monasterium, quod est situm ad radices montis Sinai, secessit; vbi & ab Abbate receptus, per aliquot annos in seruitio fratrum permansit.

*Fit Monachus in Monasterio S. Mariæ in Bethlehem.*

Crescente autem perfectionis vitæ desiderio, Abbatem humiliter rogauit vt liceret ei in aliquo secretiori loco commanere, & impetrauit. Ad oram igitur rubri maris paruulam sibi speluncam, in quadam rupe inuenit, vbi per duos fermè habitauit annos solus. De Monasterio verò pro numero dierum Dominicis diebus numerus ei mittebatur panum. Aqua stillans de rupe, sitienti hausturn præbebat. Hoc pastus edulio, in eodem aliquandiu mansit loco. Cùm verò à nauigantibus, vel etiam ab his qui propter varios vsus sanitatum oleum colligebant, quod de firma petra prope speluncam illius fluebat, visitari cœpisset, sciens se homines latere non posse ad Monasterium rediit, &

*Habitat in spelunca.*

*Redit ad Monasteriũ.*

iuxta cuiusdam sancti viri habitaculum cellulam sibi acquisiuit. Cuius fidei se totum commendans illius viuebat imperio. In vertice autem montis Sinai aliud Monasterium erat, quod propter incursantes Arabes, qui per illam Eremum semper vagantur, omni habitatore desertum remanserat. *Graues à dæmone patitur tentationes.* Mittitur autem Simeon vt ibi moretur, ibique multas & grauissimas tentationes est expertus. Nocturnis eum horis vt missam celebraret dæmon hortabatur. Ipse verò nec plane dormiens, nec perfectè vigilans contradicit, non debere sine Presbyterij ordine aliquem hoc ministerium implere. Renitentem ergo & contradicentem, adiuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare iam vigilantem statuunt, alba induunt. B Tandem Dei famulus ad se reuersus, virtute orationis, & signo Crucis inimicum repellit. Post hæc ad Monasterium regreditur, suo magistro iterum subditur, cui confitens perpessas insidias diaboli, districtiori se continentia constrinxit per aliquot hebdomadas, in die tantùm Dominica cibum sumens.

Vir itaque Dei Simeon omnes suos labores quasi pro nihilo ducens, & amore solitudinis interius ardens, de Monasterio cautè exiens, Eremum peruagatur, & vbi sine humano auxilio viuere possit, diligenter inquirit. Tandem de altissimis rupibus deorsum prospectans, paruissimam planiciē contra morem Eremi raro germine virentem re- C spicit, seque illuc non sine magno periculo deponit. Paruum fontem ibi inueniens, in his rupibus *Degit in scopulo.* manere disposuit. Deliciæ quas secum detulerat, erant, psalterium, sanctum Euangelium, vas ad potandum, panes, semina caulium: & præter pauca vestimenta nihil aliud possidebat. Post multos ergo dies ab Abbate requiritur, & ad requirendum eum, fratres circūquaque mittuntur. Diu requisitus tandem inuenitur, & ad Abbatis præceptum, ad Monasterium reducitur.

Interea verò fratres aliquot eius Monasterij pro necessitate loci, in Occidentales partes directi, moriuntur, & nihilominus tamen pecunia, cuius causa fratres abierant, quæ de terra Richardi Comitis D Nortmannici Monasterio debebatur, ab ipso diligenter conseruatur: tantùm vt aliquis fidelis mittatur frater, qui eam ad Monasterium perferat, mandatur. Nec mora: communi consilio id negotij famulo Dei Simeoni committitur, quippe qui *Callet quinque diuersa idiomata.* præter cætera instructus etiam esset Ægyptia, Arabica, Græca & Romana eloquentia. Ea verò tempestate contigit Richardum Abbatem nostrum, deuotionis gratia, Hierosolymæ velle videre loca, & in diuinam dispositionem, dum iter per Antiochiam haberemus; hic famulus Dei Simeon iunctus est nobis amicitia. Et quidē imus vna pariter, sed peruenientibus nobis vsque ad ciuitatem Bellegradum, quæ est in confinio Bulgarorum atque Hungarorum, à ciuitatis Principe prohibitus est E nobiscum transire. Igitur flens, & tamen Deo gratias agens, reliquit nos tristes atque flentes. Per multas denique angustias, & latronum insidias re- *Iussu sui Abbatis venit in Franciā.* uertitur vsque ad mare. Quo transito, prosperè iter faciens, per Romam venit in Franciam, atque ita Rhothomagum, quæ ciuitas est Nortmannorū nobilissima, S. Audoëni quoque meritis præclara. Vbi cum Richardum Comitem iam mortuum reperisset, & de pecunia & censu, qui de terra illius pro eleemosyna suo Monasterio debebatur, nullus ei responsa redderet, mœstus aliquantulum nō pro suo labore, sed quòd locus Sinai frustratus esset tanta vtilitate, toto corde conuersus ad Dominum, quid ageret, quærit consilium. Occurrit autem animo, vt Richardum Abbatem, nosque suos comites inuiseret, quod & fecit. Per longum au- *Venit Treuiros.* tem tempus moratus est nobiscum irreprehensibiliter viuens; donec Archiepiscopus Poppo, sanctæ Treuirensis ciuitatis strenuus prouisor, gratia orationis, Hierosolymam venit, huncque famulum Dei eundo & redeundo, secum conuiatorem habuit, qui etiam ei post reditum in suo Episcopatu, si vellet, manendi facultatem præbuit, & libentissimè concessit. Ex reuelatione itaque Dei prospectans sibi locum idem famulus *Solemniter in quodā recluforio per Episcopum recluditur.* Christi, vbi solus posset vacare orationi, in turri, quæ antea Nigra porta vocabatur, paruulum tugurium expetiit, vbi Dominus Præsul, præsente Clero & populo, in festiuitate S. Andreæ illum inclusit, & quasi mortuum, vt verè erat seculo, deuotissimè sepeliuit. Reclusus autem vir Dei, silētio & multis ieiuniis attenuauit corpus suum, aliquādo solo pane, aliquando autem reficiens se aqua infuso legumine, ita tamen vt in nostra terra, propter infirmitatem stomachi, vsus sit semper modica etiam potione vini.

Sed nec defuerunt quoque graues tentatoris insidiæ. Per noctes enim audiebat rugitus leonum, vlulatus luporum, grunnitus porcorum, cæterarumque bestiarum duras infestationes, quæ quasi impetum facientes vt eum deuorarent, illud tugurium, & vt veriùs dicam, sepulchrum, immensis clamoribus replebant. Sed ipse corporalibus oculis antiquum hostem teterrimum & multiformem aspiciens, eum oratione & signo Crucis repellebat. Vnde & inimicus, cùm nullatenus per se nocere illi posset, insidias aduersus Dei famulū per sua membra tetendit. Eo tempore exigentibus peccatis nostris, nimia aquarum abundantia excreuit. Eius mali causa Simeoni imputabatur *Patitur & homines quosdam sibi vlde infestos.* ab omnibus, dicentibus eum maleficum esse, pro eius sceleribus hanc mundo cladem imminere, vt deponatur à Pontifice, populus quotidie acclamabat. Nec multo post, ex vrbe concursus agitur, tugurij fenestras obruunt, Simeonem lapidare cōtendunt. Vidimus, fateor, fenestram fractam: sed athleta Christi Simeon fundatus supra firmam petram, immobilis persistebat, atque Deo gratias reddens, pro persecutoribus cum gaudio orabat. O quantas postea cruces, quantas ibi pertulit molestias! Solus hæc nouit scrutator cordium. Interea voluuntur anni, & vir Dei resolutionem præuidet corporis sui. Denique animam sanctam hora *Migrat ad Christum.* tertia Calendis Iunij, benignissimo, cui semper seruierat, reddidit Creatori, anno millesimo quinto. Qui tantis mox coruscauit miraculis, * vt à ** Hæc Trith.* Benedicto Papa nono, Poppone Archiepiscopo petente, statim post mortem sit canonizatus.

## NOTÆ.

Simeon.] *De eo Martyr. Rom. cum Baronio 1. Iunij. Vitam eius scripsit Euerbinus Abbas Doleiensis, quam adfert Sur. tom. 3. Canonizationis eius historiam habet Trithem. in Chron. Hirsaugiæ. Meminit eiusdem Cratepoleus.*

In Lycaonia.] *Est Regio Asiæ.*

Fluuius Iordanis.] *Est hic fluuius in Iudæa eximiæ suauitatis. Oritur ad radices Libani. Duobus fontibus surgit, alteri nomen Ior, alteri Dan, qui simul iuncti, Iordanis nomen efficiunt.*

Bethlehem.] *Nomen ciuitatis Dauid, quæ alio vocabulo dicitur Euphrata. In hac ciuitate ortus, atque mortuus est Dauid. Ibi etiam Dominus noster natus est. Ibi Rachel occubuit: vbi & sepulchrum Iesse patris Dauid ostenditur. Est autem hic locus in tribu Iuda sexto ab Hierusalem milliario. Quando autem Iacob ibi pecora pauit, loco Bethlehem nomen imposuit, qui domus panis interpretatur, propter panem, qui ibi de cælo descendit.*



## *Apud Suriū.* VITA S. ELPHEGI EPISCOPI & Martyris. Ex Osberno Monacho.

*S. Elphegi genus & sācta educatio.* PRINCIPIVM nascendi à splendidissimis natalibus trahens Elphegus, magna prudentia & humilitate vitam instituit. Scilicet tactus B metueret, solicitis obsecrationibus aures diuinæ maiestatis spiritu, in Monasterio Derhirst primùm misericordiæ pulsat, quatenus Elphegum succes-Religionis habitum suscepit: vbi etiam cœpit mox sorem habere possit. Cui statim exaudito, quod cunctorum famulatui subiacere, Deum infatiga- postulat promittitur: quamuis non statim, quod biliter diligere, ieiuniis & vigiliis vacare. Quin & promissum fuerat, adimpletur. Quod ea re dilatransactis aliquot annis, etiam singulare cum hoste certamen iniit. Egressus enim de Monasterio, tum fuisse arbitror, vt & omnibus manifestum peruenit ad locum Bathonia vocatum, vbi habita- fieret, quantùm Deus Dunstanum diligeret, cui culum construens, se inclusit, & rigore incredibili quod viuenti promiserat, hoc defuncto, longè corpus suum ieiuniis & abstinentia afflixit. Con- post tam veraciter exhibebat; & Elphegum simul fluebant autem ad eum in breui nobiles quique, illa tempora inuenirent, quæ eum ad martyrij suarum ei vulnera animarum detegentes, & consi- gloriam prouehere possent. Anno itaque Domini *Incluſus degens plurimos tamen ad se attrahit.* lium salutis ab eo perquirentes. Vnde factum est, millesimo sexto, ab aduentu Anglorum in Britanvt non parua Monachorum turba intra tempus niam quingentesimo septuagesimo octauo, ætatis exiguum ibidem congregata sit. Quibus cùm am- suæ quinquagesimo secundo, Elphegus Archiepi- *Creatur Archiepiscopus Cantuariensis.* plissima mansione perfecta sobrietatis legem indi- C scopus Cantuariensis effectus est: qui deinde iter xisset, ipse in angusta domo se inclusit; sic tamen Romam pro pallio habendo arripiens, accepto à vt summas causas & negotia ad eum fratres referrent. Et quidem interea nonnulli Monachorum, professionis immemores, laxatis obedientiæ frænis, mediis noctibus ebrietati operam dare, & prorsus quæ inhonesta sunt, quantum latens audacia sinebat, operari cœperunt. Verùm cùm fratrem quendam horrendi aspectus quidam visi essent taureis atque ignitis serpentibus flagellasse, nec non & ad extremum animam de corpore excussisse, videntes hoc fratres, errorem suum fassi *Nota de punitis dissolutis Monachis.* sunt, & pœnitentiam agentes, vitam in melius commutarunt.

Atque interim mortuo Vvintonienſi Episcopo Etheluuoldo, facta est non modica contentio pro Pontificis electione, inter Monachos & clericos. Si quidem clericos eiusdem Ecclesiæ sceleratam vitam agentes, regali sanctione decretum fuit expelli, & timentes Dominum Monachos admitti. Ex quo factum est, vt in electione Episcopi, Clerici Clericum, Monachi Monachum vtrique suæ voluntatis fautorem vellent. Quod videns S. Dunstanus, ad orationis refugium se contulit: cui deinde apparuit B. Andreas Apostolus, tali oraculo *Iubetur in visione constitui Episcopus Vvintonienſis.* vsus: Surge, inquiens, & Elphego Abbati manum impone, & Episcopum desolatæ Ecclesiæ constitue. Sicque releuatus Dunstanus, Elphegum, vt E iussus fuerat, Episcopum consecrauit, & ad sedem suam cum honore dimisit. Certè Elphegus ita se omnium moribus conformauit, vt omnibus charus esset. Summæ in omnes extitit misericordiæ: interim in seipsum immitis & crudelis. In hiemali enim frigore & glacie cùm somnus nocte omnes occuparet, ipse clàm nudis pedibus, sola tunica indutus, de strato surgere, foras exire, & vsque ad autoram orationibus vacare consueuit. Sed & cū prænsurus ad mensam intraret, tam vacuus ferè à *Nota miram maciem præ abstinentia.* mensa surrexit quàm accessit: vnde corpus illius tanta attenuatum est macie, vt cùm manus cum sacramento tensas in altum porrigeret, per medias palmarum iuncturas claritas aëris velut perspici posset.

Omni generi hominum suum sciuit contemperare sermonem & animum. Nullum parrochianorum suorum publicè mendicare permisit, nec alterius loci pauperem abire vacuum. Vt illa defecerunt, quæ ex iure Ecclesiæ ministerio pauperum competere potuissent, thesauros Ecclesiæ, quos ipse multiplices parauerat, iubet distribui, docens, *In quem finē possessiones Ecclesiæ.* ornatissima quæque Ecclesias possidere tempore fœlicitatis, vt sint honestati: sed tempore necessitatis, vt sint vtilitati. Eo tempore quo B. Dunstanus obitum suum imminere conspiceret, & Ecclesiam Dei per malorum successionem turbari misericordiæ pulsat, quatenus Elphegum succes- sorem habere possit. Cui statim exaudito, quod postulat promittitur: quamuis non statim, quod promissum fuerat, adimpletur. Quod ea re dilatum fuisse arbitror, vt & omnibus manifestum fieret, quantùm Deus Dunstanum diligeret, cui quod viuenti promiserat, hoc defuncto, longè post tam veraciter exhibebat; & Elphegum simul illa tempora inuenirent, quæ eum ad martyrij gloriam prouehere possent. Anno itaque Domini millesimo sexto, ab aduentu Anglorum in Britanniam quingentesimo septuagesimo octauo, ætatis suæ quinquagesimo secundo, Elphegus Archiepi- *Creatur Archiepiscopus Cantuariensis.* scopus Cantuariensis effectus est: qui deinde iter C Romam pro pallio habendo arripiens, accepto à Papa pallio, domum prosperè regreditur.

Per idem tēpus Sunanus & Turcullus Danorū *Occupatur Anglia à Danis.* Principes nonnullā terræ Anglorū maculam, exigentibus eorum peccatis, intulerunt: quorum Sunano terribiliter diuinitus occiso, Turkillus malignæ hæreditatis principatum sortitus, multas Angliæ prouincias cæde, & incendio vastabat, Rege Ethelredo Monachum potius quàm militem præferente, hominibus verò regionis diuitiis cor- *Prædicat Danis verbum vitæ.* ruptis & voluptatibus. In quo rerum discrimine Elphegus hostes adire solebat, & verbum vitæ eis prædicabat, captiuos dato pretio redimebat, & D quos fames opprimebat, studiosè alebat. Adhæc quendam Edricum Rex totius regni præfectum statuerat, hominem quidem humili genere natum, sed cui lingua diuitias ac nobilitatem comparauerat. Cuius frater primò nobilitati Cantuariorum in præsentia Regis gratuitò maledicens, deinde ea, quæ vnicuique ex hæreditate prouenissent, violenta dominatione inuadens, ab eadem nobilitate interfectus est. Itaque præfectus palatium ingreditur: iunctis secum decem milibus virorum fratrem occisum vlcisci conatur. Quin & cùm parum pro- *Parant Dani obsidere Cantuariam.* ficeret, Danorum auxilia petit, non ad Cantuaritas solos debellandos, sed ad totius Britanniæ fines inuadendos: regnumque post victoriam, æqua sorte diuidendum. Sicque fœdus ineunt, dextras dant & accipiunt, sacramenta exigunt, & porrigunt: Cantuariam vastare primò deliberant.

Quod audiens Elphegus Episcopus, conuocato populo ait: Forti animo estote; propter eum qui corpus & animam potest perdere in gehennam, nihil formidate. Obsessa tandem à Danis ciuitate per viginti dies, & quicquid ad vsum vitæ ciues parauerant, exhausto: mittitur à Pontifice, qui Danis suggerat, vt incœpto desistant, caueantque, ne diuinæ correptionis flagello, pro filiorum castigatione ad tempus concesso, nimis insolenter abutantur. Sed Dani mandata prætermittentes, turres extruere, arietibus murum ferire, igneas faces

*Captam vrbem ferro & flamma protrerunt.*

faces iacere constanter cœpere. Et ecce effracta A vrbe, exercitus ingreditur. Alij ferro iugulati, alij flammis consumpti, plures à muro præcipites dati, nonnulli per verenda suspensi deficiunt: matronæ capillis per omnes plateas distractæ, ad vltimũ flammis iniectæ sunt: paruuli quoque à matrum vberibus auulsi, lanceis confodiuntur. Quam suorum depopulationem non ferens Elphegus, inter cuneos hostium se ingerens, exclamauit: Et parcite, inquit, parcite: en me, qui vestræ impietatis crimina libero semper ore castigaui, in me vestra

*Captum Episcopum coniiciunt in vincula.*

potiùs ira desæuiat. Mox itaque capitur: & intercepto manibus gutture, vox loquentis præpeditur, vinculis palmæ innectuntur. Ecclesiam quoque igni comburunt, gregem Domini in ore gladij consumunt: Episcopum septem mensibus in arcto carcere custodiunt.

Interea cœpit ira Dei in homicidam populum desæuire, ita vt paruo temporis interuallo duobus eorum millibus per diros viscerum cruciatus prostratis, cætera quoque multitudo similiter percussa, simile exitium expectaret. Commoniti sunt à fideli populo, vt de peccatis pœniteant, & Pontifici satisfaciant.

*Mirabili clade puniuntur à Deo, donec sanctum virũ liberant.*

Sed illi differunt arbitrantes hoc malum à fortuna eis accidisse. Præualuit interim clades super omnem carnem quæ Pontifici mortem inferre nitebatur. Itaque, citato consilio, mox ad Episcopum currunt, & de perpetrato facinore cum lacrymis C veniam petunt. Tum verò ad eos Episcopus: Etsi, ait, vestra insatiabilis crudelitas veniam non promeretur; tamen quid nos facere deceat, exemplo Domini edocemur. Afferte ergo panem statim vobis reddendum salutarem. Et ecce dato omnibus pane à se Benedicto, omnes de exitiali liberauit clade. Qui cùm sanitati redditi essent, Principes quatuor Episcopo mittunt, & primò quidem pro immensо beneficio gratias agunt: deinde si vita & libertate velit potiri, tria millia marcarum vt persoluat, exigunt. Quod cùm ille facere renueret, primò comprehensus à carnificum turba, plagis afficitur maximis: atque insuper cerebro capitis violato, semiuiuus in ergastulo recluditur. D

*Sanitate acceptа, nihilominus eum in carcere detinent.*

Vbi accenso quidquid fœtidissimum fumum generaret, cùm carceris ianuas claudunt, transacta noctis parte, cœpit domus æternæ vitæ odoramenta spirare, sed & hymnos etiam mellifluos sanctorum vocibus sonare; inter quos fuit & Dunstanus, vultu & veste glorioſus, eum confortans. Et quidem dixerunt ei impij illi manè facto; Solue aurũ, aut mundo hodie eris spectaculum. Sed ille; aurum vobis diuinæ sapientiæ propono, vt relicta vanitate, quam diligitis, ad vnum viuum & verum Deum studium conuertatis. Quod si consiliũ Dei per me vobis annunciatum, obstinata mente spreueritis, peiori profectò quàm Sodoma morte peribitis. Tunc verò diaboli satellites in illum pro- E siliunt: auersis securibus deiiciunt, lapidibus eum obruentes. Qui genua flectens, hanc orationem fudit Deo, dicens: Pastor bone, pastor singularis, filios Ecclesiæ, quos tibi moriẽs commendo, tuere. Et ecce accurrens quidã, quem & ipse de sacro fonte susceperat, securim capiti eius infixit. Sicque statim in æterna pace requiescens, victorem spiritum cum triumpho, tertio decimo Calend. Maij dirigit ad cælum, comitantibus innumeris signorum prodigiis, virtute Dei cælitus ostensis. Mox enim salus languidis innouatur, cæci illuminantur, surdi audiunt, muti loquuntur, claudis gressus restituitur. Imò etiam orationis domo super illum fabricata, plerique Danorum magnates, in eadem regenerati, ad fidem Christi conuertuntur. Migrauit verò Elphegus ad Dominum cum martyrij corona anno salutis 1012. Episcopatus sui 7. ætatis 59.

*Audiũtur in carcere voces cælestes.*

*Ad extremũ vir sanctus miserè ab impiis trucidatur.*

*Miracula ad eius sacrum corpus.*

### NOTÆ.

Elephus] *De eo Mart. Rom. cum Baron. 19. April. Vitam eius ex Osberno adfert Sur. tom. 2. Petr. item in Cat. lib. 2. cap. 12. Trithem. de viris Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 237. Vincent. in Spec. lib. 25. à cap. 1. vsque ad 9. Agitur & de eodem in vita S. Anselmi. Meminerunt eiusdem omnes Hist. Anglic. scriptores. Fuit 28. Cant. Episcopus. Corpus eius post annos 10. incorruptum repertum est.*

Taureis flagellis.] *Taurea scutica est ex corio bubalo facta.*

Arietibus murum ferire.] *Aries est machina bellica qua muri antiquitus quassari consueuerant. Et Arietes vocabantur, quod ad instar arietini capitis fieri solerent, & quod more arietum retrocederent, vt vehementius ferirent.*

## VITA S. GVIDONIS. EX EA quæ est apud Surium.

*S. Guido statim à pueris est valde deuotus.*

PRÆCLARAM beatissimi Guidonis conscripturi vitam, primò eius parentes & C patriam, post virtutes, oratione qualicumque explicare conabimur. Patrem igitur habuit Albertũ, matrem Martiam, patriam Rauennam, in cuius villa suburbana, quæ Casamariensis dicitur, natus est. Parentes eius fuere genere nobiles, Religione Christiani, ac Deo deuoti. Rauennæ adhuc puer, literarum studiis deditus fuit. Adolescens animo secularis, & vestibus comptus, iam videbatur abiturus præceps in vitiorum gurgites, sed benignissimi Creatoris gratia ab hoc præcipitio potenter est ereptus. Itaque S. Spiritus accensus igne, cœpit cælestis patriæ dulcedini inhiare. Iam summopere cupiebat ponere secularem habitum, sed cùm D non ignoraret parentes id nulla ratione laturos, animo id apud se celabat, cùm interim etiam parentes eum vellent inire coniugium. Verùm enim verò sciens ipse dixisse Dominum: Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: quadam nocte celeberrimæ apud Rauennates beati Apollinaris martyris solemnitatis, pretiosis se vestibus exuens, & pauperibus eas elargiens, vilissima se veste induit, & insciis parentibus, è patria proficiscens, Romam iter intendit. Vbi cùm in Clerum cooptatus esset, statuit ire Hierosolymã, nec vnquam redire ad suos.

*Petit Romã, atque inde Hierosolymã.*

At verò interea diuina est reuelatione admonitus, vt Rauennam repetens, subdat se Martini Eremitæ magisterio. Is Martinus tantæ fuit abstinentiæ & religionis, vt penè toti Italiæ nõ mediocri esset venerationi. Fecit ergo vt erat iussus, venit ad Martinum venerabilem Eremitam, aperit ei desiderium suum, simulque orat, vt ocyùs veste Monachi indueretur: timebat enim ne parentes repertum ipsum abducerent. Sed vir sanctus voluit eam rem in crastinum differri, vt interim plus deliberaret. Quod ille cernens, ipsius sibi cucullum induit, & postridie manè sic vestitum exhibet se viro Dei: in quo etiam feruore semper permansit, & illi venerabili viro, quoad vixit, totum se in omnibus subdidit; vixitque cum illo tribus annis solitariè in insula, quam Padus fluuius à Pompo

*Degit cum Martino Eremita.*



Pomposia separat. Portò Pomposianum Monaste- A rium, tum quidem pauperrimum, volente sic Imperatore, curæ huius Martini erat demandatum, interim tamen regulariter ei Domino Guillielmo præsidente, sed quo maior illa terrenarum facultatum erat inopia, tanto amplior Religionis, & diuini cultus copia visebatur. Quare & voluit vir Domini Martinus beatum Guidonem in illo commorari Monasterio, vt plenius disceret Monasticæ disciplinæ & Religionis instituta & perfectionem. Quæ quàm accuratè & absolutè didicerit, si quis nosse velit, poterit intelligere haud difficulter, si se ad illud conferat Monasterium cui postea ipse etiam præfectus fuit.

*Pomposianũ Monasterium curæ S. Martini demandatur.*

*Degit in Monasterio S. Guido.*

Etenim eius cœnobij fratres, etsi primò ceu sim- B plicem, & vili amictum veste eum irriderent, at coniiciebant tamen fore vt quandoque apud ipsos Abbatis munere fungeretur. Atque adeò vir reuerendus Guillelmus temporis successu omnia ei, alia post alia, Monasterij officia vel ministeria demandauit: atque inde etiam in Sancti Seueri Monasterio Præpositi munus obire eum voluit, illo se in omnibus ad Monastici Canonis seu Instituti præscriptum rectè gerente. Nec multo post Dominus Guillelmus in Eremum secessit, alium suo loco fratribus Pomposianis Abbatem præficiens, Ioannes Angelus is dicebatur, vir simplex & rectus, miræque abstinentiæ. Sed eo defuncto, atque ad Angelorum translato consortium, mox beatissimus Guido, quamuis multum renitens, & se C indignum clamans, Abbas Pomposiæ institutus est, cogente eum Domino Martino, cui iam pridem in omnibus parere constituerat. Nec tamen vllo modo sarcinam illam sibi imponi passus est, donec ab eodem viro Dei Martino id impetrasset, vt quandoque liceret eam, relicta Abbatia, deponere. Sed & parens quoque eius, cuius supra meminimus, & frater Gerardus nomine, ad eum venerunt, & sub eo contempto seculo, Religiosè & strenuè Christo militarunt, atque feliciter suas animas Domino reddiderunt.

*Constituitur Abbas Sanctus Guido.*

*Pater & frater eius relicto seculo sub eo militant.*

Quin & cùm præclarè Monasterium illud ab eo gubernaretur, & Monachorum incresceret numerus, aliud etiam cœpit, quod hodiéque permanet, condere cœnobium. In quo sanè, quæ per illum, & sub illo patrata sint, atque etiam perpetrentur miracula, Orationis nostræ tenuitas explicare satis non potest: sed tamen pauca ex multis annotabimus. Cùm structura huius Monasterij fieret, fratribus in muro laborantibus, crates supra modum grauatæ petrarum congerie, accedente etiam mali dæmonis inuidia, absente patre Guidone, deciderunt. Vbi cùm lapsi fratres quidam nihil mali passi essent, nonnulli tamen penduli hæserunt, non sine magno discrimine. Quod vbi resciuit venerabilis pater, citò adfuit, & suis illos precibus depositi illæsos. Sub eadem quoque structura, ma- E gna aliquando inopia victus premebat operarios, sed beato Guidone Dominum obnixè deprecante, & ab eo opem illis promittente, cùm iam nihil esset quo postero die refici possent, omnes aduersus illum murmurare, eique plus satis molesti esse cœperunt. Ferebat id ille patienter, & simul tamen de ratione comparandæ alimoniæ cogitabat. Itaque Rauennam ea causa proficiscens, non longè à Monasterio incidit in duas naues plenas vino & frumento, diuinitus ei præparatas. Tunc ille summæ Trinitati gratias agens lætus rediit, & fratres diu exinde sustentauit, admonens ne deinceps deffiderent.

*Cõstruit cœnobium.*

*Miracula.*

*Pascitur diuinitus cum suis.*

Constructo igitur Monasterio, Monachi cœperunt facere mirabiles abstinentias. Quin etiam, licet illis summa esset diuersorum piscium copia, tamen tum beati Guidonis iussu, tum sua sponte & voluntate, non nisi tribus tantum diebus hebdomanæ sibi piscium esum permissum esse debere statuerunt. Aduersus quem quidem virum Dei cùm Heribertus Rauennas Archiepiscopus tanto aliquando furore commotus fuisset, vt Pomposianum cœnobium armata manu destruere meditaretur, ille in hoc solo spem omnem posuit, vt cum omnibus Monachis in preces feruenter incumberet.

*Abstinentiæ Monachorũ.*

*Rauẽnas Archiepiscopus aduersus sãctum virum commotus.*

Omnes, laneis positis, vestibus asperrimis & cilicinis indùti, tres dies & noctes continenter sic vestiti, calceis quoque abiectis, solo pane hordeaceo, & aqua contenti, quotidie sua sponte acriter in domo capitulari virgis cædebantur. Et ecce cùm Archiepiscopus, eo, quo diximus, animo venisset ad Monasterium, fratresque omnes, licet non ignari quid vellet, obuiam ei cum timore procederent, atque suo more honorificè illum in Ecclesiam perduxissent, ille humi prostratus, vt Deo preces offerret, diuinitus adeò compunctus est, vt surgens perfusus ora lacrymis animo placidum, & vultu blandum se fratribus exhiberet, perpetuamque cum illis iungeret amicitiam, nec non & beato Guidoni deinceps, quoad vixit, humanissimum se præstaret. Qui idem vir Sanctus Guido, posteaquàm annis duodequadraginta Pomposiam cum laude gubernasset, iturus obuiam Imperatoris legationi, in ipso itinere apud Parmam feliciter expirauit pridie Calend. Aprilis anno salutis millesimo quadragesimo sexto. Cuius venerabile corpus cùm Parmenses è manibus fratrum vi abstulissent; superueniens Imperator Henricus, eius nominis tertius, sacratissimas exuuias humiliter veneratus, primò fecit eas Veronam in S. Zenonis Ecclesiam reponi: deinde circa annum millesimum quadragesimum septimum de Verona Spiram eas transtulit, in Ecclesiam collegiatam, quæ tunc à D. Ioanne Euangelista nomen habuit, nunc verò S. Guidonis appellationem obtinet, ad laudem Dei in secula benedicti.

*Compungitur Archiepiscopus.*

*Obdormit in Domino.*

*Hẽricus Imp. sacras eius reliquias veneratur.*

### NOTÆ.

Guido.] *Huius vitam prolixius descriptam adfert Surius tom. 2. Eius meminit Trith. de vir. Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 317. Carolus Sigonius de Regno Italiæ lib. 8. Bugian. etiam eiusdem meminit in diario S. Historiæ Monast. Correctione tamen indiget, cum dicit eum die 4. Aprilis ex hac vita migrasse, vt benè annotat Vvion. in Martyr. Monastico 31. Aprilis.*

Padus.] *Est fluuius Lombardiæ, sic dictus ab vno trium fontium ex quibus habet originem, quæ Padus dicitur. Vide Ioannem de Ianua in suo Cathol.*

Crates.] *Hoc loco pro tabulis sumuntur.*

Apud Parmam.] *Parma est celebris Italiæ ciuitas, sic dicta à quodam fluuio, qui fluit prope ciuitatem. Ioannes de Ianua in Cath. verbo Parma.*

Veronam.] *Verona est ciuitas Venetiæ, à Gallis condita, duce Brenno. A quo Brenona primò, deinde mutatis literis, Verona dicta est, vt Iust. lib. 2. refert, quam Athesis fluuius interfluit.*

## VITA S. ALFERII ABBATIS. Ex ea quæ est apud Surium tom. 7.

*B. Alferius viuit in aula Principis Salernitani.*

VIR Domini Alferius, ex Salernitana ciuitate oriundus fuit. In qua cum bonis polleret moribus,

ribus, & literarum scientia apprimè eruditus enitesceret, Principi eiusdem ciuitatis magna familiaritate coniunctus est, & inter primos palatij ingenti cum honore susceptus. Vnde & quodam tempore, rebus ita exigentibus, cum à præfato Principe ad Regem Germaniæ nuncij mitterentur, probitatis suæ merito vir venerandus eligitur, & in Gallias pro perficiendis principalibus negotiis, apocrisarius destinatur. Quod tamen non tam humano iudicio decerni cœperat, quàm diuino, videlicet, vt qui iam magnus in cælorum regno censebatur, ad alia magis tenderet. Nam vbi ad Ecclesiam B. Michaëlis de Clusa venit, grauem corporis valetudinem incurrit, qua etiam impellente, legationem mutare placuit, nempe mortis, vt putabat, festinatione perterritus, sæculo renunciare proposuit. Et quidem vir vitæ venerabilis Odilo, Cluniacensis Abbas, fortè tunc ad idem cœnobium venerat: quem cum plurimum vir Domini Alferius rogaret, vt habitum sibi sanctæ Religionis imponeret, Cluniacum deductus est, ibique quod piè postulauit, obtinere promeruit, sicque deinde postquam Religionis habitum sumpsit, omnem illam strenuitatem sæculi ad diuina studia conuertit. Cœpit enim magnis desideriis superna quærere, qui solebat ingenti studio strenuus pro temporalibus apparere.

*Ex morbo quodam subito renunciat sæculo.*

*Fit Monachus Cluniacensis,*

Qui cum plurimum temporis in secretioris claustri conuersatione perageret, licet valde esset acceptus fratribus, tamen memorato Salerni Principe obtinente, remittitur, atque adeò eiusdem ciuitatis ferè omnia Monasteria ei regenda cõmittuntur. Sed vir sanctus internæ quietis splendoribus assuetus, exteriorum negotiorum tenebris diu præpediri noluit. Quare & dimissa ciuitate, longè in excelsi montis latere cui Fenestra vocabulum est, quietis suæ locum subiit, primusque præ omnibus Metelliani cauum, Monachorum mansionẽ fecit, & vt apertè iam cernitur, omnis nostræ multitudinis seminarium fuit. Sed ecce ingentis & terribilis speluncæ secretis repositus, soluſque soli Deo vacans, solique placere desiderans, dum mundi gloriam fugit, ad laudis tamen suæ præconium vicinarum vrbium ferè omnium linguas mouit. Cœperunt namque nonnulli sæculum relinquere, & eiusdem se magisterio subiugare. Inter quos & vir venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneuenti nobilis, ad æmulandum piæ virtutis eius studium, se eius magisterio subdiderunt. Quorum nimirum alter post eum Gauensi Monasterio præfuit, alter Sancti Benedicti Montis Cassini Abbas constitutus, dehinc in totius orbis culmine, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatu sublimatus est.

*Demandatur ei cura omniũ ferè Monasteriorum ciuitatis Salernitanæ.*

*Fundat Monasteriũ Cauense,*

*Is est Victor III.*

Interim humani generis inimicus sancti successibus valde inuidebat: vnde & quadam die cùm Salernũ eum euntẽ cerneret, & super excelsæ rupis verticẽ se obuium præbuit, & iumentum cui insidebat, externens, per immensum montis præruptum in præcipitium dedit. Et quidem qui eum comitabantur, à multo fletu ad oram maris veniunt. Verùm laus tibi ô bone Iesu, incolumem læti conspiciunt, quem lugentes inuenire mortuum crediderunt. Sicque factum est, vt antiquus hostis se tanta viri venerabilis virtute superatum erubescens, inde eiusdem gloriam auxerit, vnde eam extinguere moliendo cogitabat. Sed & alio quoque tempore dum quidam Salernitanæ ciuitatis viri irruentium latronum impetum fugerent, ad vicina cellæ viri Dei loca peruenerunt: vbi cum pausare sub rupe quadam voluissent, ingens saxum de eadem rupe dissiluit, & quendam ex eis Burcellum nomine conterens extinxit. Quem vt socij mortuum atque contritum cernerent, ad viri Dei Monasterium iam inclinato vespere sepeliendum detulerunt: quibus pater venerabilis præcepit vt nocte illa discederent, atque sequenti die ad sepeliendum quem detulerant, redirent. In eadem verò specu pater sanctus iam oratorium cõstruxerat, in quo poni feretrum fecit, & assumpto Leone discipulo suo, cuius supra mentionem feci, in oratione eadem nocte vigilauit. Mane igitur facto, defuncti illius comites redeunt: sed ecce mirabili stupore & gaudio, quem mortuum dimiserant, non solum viuentem, sed etiam incolumem receperunt.

*Præcipitatus à dæmone de excelsa rupe, nihil tamen læsus est.*

*Suscitat mortuum.*

Quin etiam cœpit vir Dei spiritu prophetiæ pollere, id quod sequentia facilè ostendent. Quidam namque de vicinioribus locis ad eum energumenum vinctum ferro duxerunt, suppliciter deprecantes, vt ei manus imponeret, atque immundum ab eo spiritum fugaret. Quibus vir venerabilis respondit, dicens. Hic non me viuente, sed moriente sanabitur. Quod profectò ita impletum testati sunt qui nouerunt. Sic & venerando viro Leoni, discipulo suo, atque aliis condiscipulis præceperat, vt post eiusdem mortem in eodem Monasterio plusquam duodecim fratres simul esse nunquam debuissent; ne si numerum prædictum excederent, sustentari de rebus Monasterij nequaquam possent. Sed cum iam ferè de hoc sæculo esset profecturus, eisdem discipulis vocatis ad se ait: Ego quod de numero fratrum constitui secundum hominem dixi. Nam (quod mihi Dominus reuelare dignatus est) in hoc Monasterio innumerabilis multitudo ad eius seruitium colligenda est, atque qui eos ad regnum suum congregat, temporales etiam sumptus semper ministrabit. Hoc autem vir Dei voce protulit, nos stupemus in opere.

*Retractat se sub mort. m.*

*Claret spiritu prophetia.*

Nec minus dum læta futura protulit, quæ etiam eos manerent aduersa nunciauit. Post obitum meũ, inquit, quidam in hoc ouile Dominicum lupus ingredietur, pacem communem turbare nitetur; sed turbari refugite, quia citius extinguetur. Quod profectò ita factum antiqui Monasterij senes referre soliti sunt. Nam quidam turbine sæcularium fultus, postquam vir sanctus obiit, Monasterium irrupit, eiusdem successorem expulit, sed pastoralem locum, quem impunè sibi vsurpare credidit, diuina vltione percussus, ei quem expulerat, liberum citò dereliquit. Atque hæc ad nos de tanti patris vita atque miraculis peruenerunt: non quod ista sola fuerint, sed quia sanctus plura exercuit, quæ humiliter occultauit, puta quo abstinentiæ rigore corpus attriuerit, quibus vigiliis, quibus lacrymis quotidie cælestia flagitauerit, quàm etiam fortis fuerit in aduersis, quàm mitis in prosperis. Sed verò quid in præscientia rerum tantùm puritatem cordis eiusdem asserimus, qui ab his, à quibus optimè notus est, tantus asseritur, vt ipsum etiam humani generis redemptorem, in carne adhuc positus, videre mereretur? Dicunt enim quod ante sextum sui exitus diem ei Dominus Iesus Christus apparuit, eique dixit: Die cœnæ meæ venies ad me. Et tunc quidem pater venerandus quanta lætitia & gaudio exultauerit, quibus desideriis diem tantæ promissionis expectauerit, cogitando colligat qui potest; quia dici non præualet. Quo nimirum die veniente, impleuisse fertur omnia quæ ad tantæ solemnitatis ministerium

*Etsi minus feruor in vigiliis & abstinentiis.*

*Prædicit diuinitus de suo obitu.*



nisterium debebantur. Nam Missarum solemnia celebrauit, fratrum pedes abluit, pauperibus donatiua distribuit. Nec multo post constituto discipulo patre, Leone videlicet, venerabili viro, cuius supra mentionem feci, eis ad refectorium dimissis cellulam speluncæ, in qua manere consueuerat, intrauit, se in orationem dedit, atque inter orationum verba, non multo post in Redemptoris manus vltimum spiritum tradidit. Dubium quippe non est, quod ad eum educendum accesserit, qui ante sextum diem hunc inuitare dignatus est. Obiit autem vir vitæ valde venerabilis, senex & plenus dierum, cum ferè centum viginti esset annorum (quod sanè omnibus mirabile est,) ita tamen sanus & fortis vsque ad extremam horã mortis, vt nec præ tam decrepita ætate caligaret, nec aliqua debilitate deficeret. Nam vsque ad extremum vitæ suæ tempus clarissimè & legit, & scripsit, Missas celebrauit, & omne pastoralis sui Ordinis ministerium valenter exhibuit loco illi, quem incoluit, etiamnum se præsentem ostendens.

*Migrat faliciter cum ferè esset centũ & viginti annorum.*

*Nota aliquid miri.*

A

B

### NOTÆ.

Alferius.] *Res eius gestas ex Surio refert Haræus compendiosè. Agit & de eodem Vvionius in Martyr. Monastico, & alij plures, qui histor. Sanctorum descripserunt.*

## VITA S. AVRELIÆ VIRGINIS Incluſæ. Ex Vvionio Monacho.

*Accipit S. Aurelia sacrum velamẽ ab Vvolfango Episcopo.*

*Item ab eodẽ includitur.*

GVM beatæ memoriæ Vvolfangus Ecclesiæ Ratisponensi præesset, quædam nobilis Virgo Aurelia nomine, (quæ filia Regis Francorum fuisse traditur) desiderio seruandæ virginitatis, sponso terrestri contempto ad prædictum Sãctum Vvolfangum accessit. A quo honorificè & benignissimè susceptа, cœpit ei cordis sui desiderium patefacere. Sanctus autem votis eius satisfaciens, eam sacro velamine insigniuit, & postmodum non longè à mœnibus ciuitatis Ratisp. in Inclusorio collocauit: vbi post quinquagesimum secundum pœnitentiæ annum, gloriosa, & miraculis clara migrauit ad Dominum.

C

D

### NOTÆ.

Aurelia.] *In Mart. Romano 15. Octob. agitur de quadam Aurelia Virgine. Vtrum autem ista sit ignoro. Dicitur fuisse filia Lotharij Regis Ludouici Transmarini, obiisseque anno Domini 1027. Porro Epitaphium eius hos duos sequentes versus continet.*

*Hic pia floreſcit Aurelia Virgo ſepulta:*
*Quæ pœnas neſcit, cæli dulcedine fulta.*

*Viuit solitarius in Insula Ossa. Corpus Sancti Leonensis Episcopi apud Floriacum.*

Cum igitur per aliquot annos, in Insula nomine Osa, in magna abstinentia, & nuditate rerum omnium Deo placitam studuisset ducere vitam, & cum veraci referente fama didicisset, corpus Sancti Præsulis apud Floriacum retineri, deliberauit animo ad eius sacratissima properare membra. Incitabat quoque bonæ voluntatis eius conatum, rumor sanctissimi patris nostri Benedicti, qui totius etiam remotissimos Britãniæ repleuerat sinus. Ascensa ergo vna, quam solum tunc reperit nauim, ad superius nominatum Sancti Pauli oppidum venire disposuit, cum Pontifice ipsius sedis tractaturus, vtrum sibi hæc, quæ cogitauerat, agere expediret.

Verum pelagus illud quod inter Insulam ac cõtinentem diximus esse terram, ob sui augustiam, & rupium in eo prominentium exasperationem, difficilem multoties nauigantibus efficit transitum. Quod cum iam dictus vir transmeare vellet, inopinato impetu vndarum nauis versata, eum cum vniuersis sociis inter se & mare conclusit. Erant inter eos natandi ignari, hos vnda raptos super vnum è prominentibus saxis illæsos deposuit. Ille verò cum vno tantum sodali, iam reductæ in suum statum naui insiluit. Et fluctus qui eam oppleuerant, panno sinuatæ vestis exhauriens, cum duobus qui soli remanserant remis, ad recipiendos socios rupi appropinquauit. Quibus receptis, prospicit eminus librum per quem laudes Deo persoluere consueuerat, vndis iactari, nec mergi. Post quem directo cursu nauis, eum leuauit, ita omni humore introrsus carentem, quasi non vndæ ipsum per maria, sed ventus per terras portauerit. Deinde aliquibus remis cum aliquãtula supellectili receptis, ad destinatum tandem delati sunt locum.

*Notæ miraculũ de libro per quẽ laudes Deo canere solebat B. Fœlix.*

*Cuidam Monacho de Fœlice reuelatur.*

Cumque memoratus vir, cum Episcopo loci colloquium familiare habens, ea quæ sibi obuenerant, referre vellet, præuenit eum Pontifex, ita inquiens: Num, ait, ignoras, Domine mi Fœlix, quid cuidam Monacho omnibus tibi bene noto, de te per nocturnum soporem reuelatum sit? Cui cum ille diceret, se id funditus ignorare, Episcopus ad eum: Retulit, inquit, mihi idem Monachus coram multis testibus dicens: Videbatur mihi, quod Fœlix qui in Insula habitat hic apud nos foret positus. Qui dum ad sua regredi vellet, nauimque ascendisset, diabolus in specie vulturis aduenies, cuius corporis moles, montis altitudini æquari posse credebatur, cunctos qui rate vehebantur, simul cum ipsa in profundum mergere mihi videbatur. Illis itaque hoc modo submersis, apparuit repentè vir quidam Monachico adopertus indumento, more Abbatum, recuruum à capite de manu gerens baculum, quique super aquam deambulans, eodem ligno, nauim cum hominibus, nil mali passis, ac cunctis rebus, de profundo ad litus traxit. Liberatis verò imperans, vt se ibidem operirentur, vulturem qui iam fugam parauerat insequutus, virga percussum, in profundum abyssi mersit. Reuersus ad Fœlicem & socios eius, alacri vt erat vultu eos hortabatur, vt ascensa lintre, qui cupiebant securè enauigarent, dicens: En aduersarius vester per Dei gratiam à me subuersus perdidit omnem vobis nocendi potestatem. Cumque ista referente Antistite, Dei seruus audisset, casus quoque suos & ipse omnes ei exposuit, asserens ipsam visionem, etiam corporeo actu, in se

E

## VITA S. FOELICIS EREMITÆ. Partim ex Authore vitæ S. Pauli Leonensis Episcopi, partim ex Aymoine Monacho, partim ex vita S. Gildæ.

*Bibliotheca Floriac.*

*Patria S. Fœlicis.*

EXIMIÆ sanctitatis Fœlix Eremita fuit natione Britannus, ciuis regionis Cornugalliæ ditissimus. Qui videns omnia esse vana & caduca, sæculo valedicere disposuit. Sed cum ad vitam perfectiorem acquirendam magistrum desideraret; audita S. Pauli Eremitæ fama sanctitatis ad eum accessit: à quo benignè acce-

completam. Intelligens verò ex memorata apparitione, sanctissimum patrem nostrum Benedictum suæ saluti auxilium contulisse; magis amore eiusdem præcellentissimi confessoris flagrare cœpit, atque vt ad eius sacrosanctum tumulum peruenire, instare.

*Ope S. Benedicti à mortis periculo liberatur.*

Igitur pauci temporis interposita mora, assumptis quibus se indigere rebus æstimauit, ad continentem destinauit remeare terram. Sanè omnipotens Deus, vt eius cor ad amorem sanctorum, quorum expetebat præsentiam, amplius inflammaret, duplicauit miraculum. Nam dum anchora à litore sublata, alta peteret maria, repente se fluctus attollunt, & in sublime elatus præruptus aquæ mons ita totam circumcinxit scapham, vt nulla ex parte aditus reperiretur euadendi. Tum iam dictus Christi famulus Fœlix, horrore imminentis periculi perculsus, intra ima pectoris huiusmodi fundebat preces humillimæ supplicationis: Incliti, inquiens, confessores Christi, Benedicte, atque Paule, quorum sacratissimos adire exopto cineres, ferte opem mihi misero, qui solius nunc mortis discrimen formido. Post has preces, dicto citius tumida considunt æquora, ventisque placidum stans mare, tutam nauigantibus præbuit viam. Ita ab instanti naufragio sæpè nominatus Fœlix exemptus, ad sibi diu desideratum Floriacense venit Cœnobium, retulitque suæ saluationis hunc fuisse modum.

**Opera SS. Benedicti & Pauli Episcopi sedatur tempestas.*

*Venit Floriacum.*

Videns autem B. Fœlix sanctam atque mirabilem Monachorum conuersationem, habitum illorum sibi dari impetrauit: professionemque secundum Regulam S. Benedicti tempore debito emisit. Quam sanctè & piè vixerit in hoc Monasterio, & quam solitariè, longum esset enarrare. Sed dicamus insigne miraculum circa eum factum. Cum adhuc degeret in Floriacensi Cœnobio beatus Fœlix tempore Abbonis Abbatis, contigit eum grauiter infirmari. Desperatus autem à medicis cum nullo modo viuere crederetur; apparuit ei vigilanti & oranti, Beatus Paulus Episcopus assistens ante lectum ipsius cum magno lumine, & dixit ei. Quomodo te habes frater? vel vbi te tenet hoc malum? At ille. Quis es Domine? Ego, inquit, sum Paulus Episcopus quem quærebas. Domine, ecce, ait, in hoc latere me diu tenet malum, & ostendit ei locum. At ille appropinquans, digito leniter de latere eius abstulit costam, & ei ad lumen lampadis ostendit dicens: Hæc amplius te nõ nocebit. Et hoc dicens proiecit eam, & ab admirantis oculis cum lumine suo disparuit, odor verò suauissimus permansit tota nocte in eadem domo. Sanus itaque cum esset factus, nemo præuenit eum ad vigilias nocturnas. Mirantur omnes quem sperabant iam mortuum viuere, & interrogant quomodo sanatus fuerit. Ille à beato Paulo se visitatum, & quid sibi dixerit, qualiter etiam de latere suo fractam putrefactamque abstraxerit costam. Et en illam, inquit. Et eleuans à terra, omnibus ostendit eam. Mirantur cuncti factum, simulque laudes Domino cum sonitu reddiderunt cymbalorum.

*Habitum S. Benedicti suscipit B. Fœlix.*

*Abbo Floriac. Abbas.*

*Sanatur à S. Paulo Leon. Episcopo.*

Interea postquam interfectus crudeliter fuit Salomon Rex Britanniæ, & dissidentibus inter se ipsos Britannis, bellaque intestina gerentibus: à foris autem piratis Danorum vniuersam Britanniam longè latéque depopulantibus, ciuitates, castella, Ecclesiæ, domus, Monasteria virorum & mulierum, igni tradebantur, donec in solitudinem & vastam Eremum omninò regio tota, Dei iudicio, redderetur. Ea tempestate duo Monasteria virorum Locmenech, id est, locus Monachorum, & locus S. Gildæ effugatis habitatoribus deserta sunt, atque destructa. Quorum habitatores coniuncti simul, compulsi sunt alienas petere regiones: atque in Bituricensi regione nouas ponere sedes: secum deferentes sanctorum corpora, sanctarumque patrocinia, quæ tunc temporis apud Britannos festa deuotione, nimioque venerabantur affectu.

*Salomon Rex Britãniæ interficitur.*

*Britãnia deuastatur.*

*Destructio Monasterio S. Gildæ, Monachi in Bituricẽsi regione sedes collocant.*

Cum autem omnipotenti Domino placuisset, vt & Ecclesiæ Sanctorum in Britannia restaurarẽtur, & gens Britonum quæ in aliis regionibus misero modo exulabat, ad proprias rediret sedes. Resumunt vires Britanni iterum, & qui intra regionem remanserant, & qui dispersi fuerant per regiones collecti in vnum, sumunt arma: expugnant viriliter hostes suos, terra marique effugant, & à cunctis finibus suis expellunt. Eo tempore erat Comes in Redonensi ciuitate Iuchaël, qui & Berengarius dicebatur. Hic habuit filium nomine Conanum illustrem & bellicosum virum, ex quo ortus est Gaufredus vir & ipse in armis strenuus, qui totius Britanniæ Monarchiam tenuit. Hic ergo rogauit Goslinum Floriacensis tunc Monasterij Abbatem, qui etiam postea Bituricensi Ecclesiæ præfuit Archiepiscopus, vt transmitteret sibi Fœlicem Monachum, ad restauranda Monasteria, quæ erant in sua regione solo tenus destructa. Anno igitur Dominicę Incarnationis millesimo octauo missus est Fœlix à supradicto Abbate ad Gaufredum Comitem: qui honorificè ab eo susceptus est, atque prædicta cœnobia ei donauit cum omnibus appendiciis suis: rogans & multum deprecans, vt omni studio reædificaret ea, promisitque plurima se ei largiturum dona, cum de itinere rediisset, quo festinabat ire. Properabat enim eo tempore idem Dux Romam ire, gratia orationis. Iuit itaque, sed non rediit: quia in ipso itinere mortuus fuit. Commendauerat autem ipse Dux supradictum Fœlicem dũ proficisceretur coniugi nobilibusque suis: fratri etiam suo Iudicaëli Episcopo Venetensi, in cuius Diœcesi Monasteria erant.

*Restauratur Monasteria & templa in Britannia.*

*Goslinus Abbas Floriac. deinde Episcopus Bituricensis.*

*Mittitur in Britanniam B. Fœlix.*

Post mortem autem Gaufredi Ducis, cum redire voluisset Fœlix ad suum Monasterium: Hadegogis Comitissa non permisit illum ire: sed multis precibus rogauit vt maneret, & perficeret ea, quæ vir suus in restaurandis Cœnobiis inchoauerat facere. Retentus igitur à Comitissa & Consiliariis eius, maximèque ab Episcopo Iudicaële, qui eum vnicè diligebat: primò quidem parua erexit habitacula in supradictis locis. Erant verò ibidem Ecclesiæ sine tectis & ex parte dirutæ, & inter ipsos parietes annosæ arbores creuerant, sed & ostia ipsa quædam concluserant. Nulla ibi tunc habitationis domus erat, nulla hominis conuersatio, sed erant in ipsis etiam Ecclesiis cubilia ferarum. Videbatur ergo omnibus laboriosum valde & difficile aggredi tam immensum opus: sed ille habens fiduciã in Domino, non dubitauit inuadere illud, nec fuit spe sua frustratus. Nam infra paucos dies conuenerunt ad eum optimi & Religiosi viri: quorum adiutorio, & Ecclesias restaurauit, & domos ædificauit, vineas plantauit, atque pomaria: ab his etiam pueri enutriti in Dei seruitio fuere.

*Restaurat Monasteria.*

Per idem tempus Britanni iterum in seditionem versi, bella commouerunt. Nam rustici insurgentes contra Dominos suos congregantur. At nobiles iuncto secum Comite Alano, agmina Rusticorum inuadunt, trucidant, dispergunt, persequuntur: quoniam sine Duce & sine consilio venerant in prælium. Deinde quidam nobilium insurrexerunt contra Comitem, sed non præualuerunt, quoniam

*Rustici insurgunt in Dominos.*

*A Comite Alano fugãtur.*



niam vir ipse ignauus & sine scientia non erat. Inter hos tumultus Fœlix, quoniam non poterat quietè & pacificè viuere, statuit ad Monasterium suum redire, nam sedecimum annum agebat, ex quo ab Abbate suo ibidem transmissus fuerat. Conatum verò ipsius præuenit Hadegogis Comitissa. Misit namque per quendam virum qui cum eo pergebat nomine Filim, epistolam ad Abbatem illius, rogans ne vllo modo eum retineret: sed Abbatis ei benedictionem daret, quoniam filij eius Alanus & Eudo iam adulti, parati erant perficere omnia quæ pater eorum ei promiserat. Cum igitur legisset Gauslinus Abbas epistolam, vocat Fœlicem Monachum, interrogatque ad quid venerit, vel cur dimiserit loca ipsa, & congregationem quam ei commiserat. Ille, quoniam, inquit, nec pacificè, nec cum quiete possum ibi Deo seruire. Cui Abbas. Tu autem putas in tua habere patria, quod Christus non habuit in sua? Si igitur ad Christum vis peruenire, debes sicut & ille ambulauit, & tu ambulare. Per multas enim tribulationes, sicut dicit Apostolus, oportet nos intrare in regnum Dei. Ergo patienter chariſſime fer molestias vbicumque fueris, & esto nobis obediens, sicut in tua professione Deo vouisti, & suscipe curam Abbatis atque benedictionem, vt cum ipsis quibus te præesse voluimus, peruenire valeas ad æternam vitam.

*Redit Floriacum B. Fœlix.*

*Gauslini Abbatis prudens ad Fœlicem hortatio.*

*Act. 14. 22.*

Sed cum ille se excusaret, & nullo modo hoc facere se posse diceret: Abbas qui erat (sicut diximus) Episcopus, arreptum eum inuitum, ad altare duxit: atque ad Abbatis officiũ promouit quarto nonas Iulij. Accepta itaque Fœlix iam Abbas, tam Abbatis sui, quàm cunctæ Congregationis benedictione, reuertitur, commendatitias secum deferens literas principibus Britanniæ, & Episcopo Venetensi. Cum autem dubitaret quem potiorem locum de duobus statueret sedem Abbatiæ habere: Ducem Alanum, Episcopumque Venetensem super hac re consuluit. Illi conuocatis nobilibus viris, aliquibus etiam Episcopis, statuerunt locum Sancti Gildæ, qui erat antiquior, & terræ fertilitate, frumento etiam & vini arborumque pomiferarum abundantior, diuersorum quoque magnorum piscium generibus, suis temporibus affluentior.

*Inuictus Abbas constitutus, in Britãniam redire cogitur.*

Nec prætereundum est silentio, quas eodem tempore priores patres, qualesque humani generis inimici in hoc sacro cœnobio pertulerint molestias. Videns namque ille antiquus hostis, quod serui Dei locum desertum incolere cœpissent: atque se ab eo, quem diu possederat, loco diu deserto, expellere deberent: ad suas antiquas reuertitur artes, & quos Dei virtute videbat munitos, phantasmatibus & nocturnis terroribus eos effugare omnibus modis conabatur. Nam nocte quadam, dum pueriles Monachi ad mensam sederent, & psalmos firmarent, aduersarius adfuit, alludens lumini candelæ apparuit, extendensque frequenter manum inter duos puerulos, hanc dentuo retrahens, & iterum extendens, atque iterum retrahens, & hoc donec candelæ deficeret lumen, indesinenter faciens. Species verò brachij atque manus, quæ solummodo videbatur, erat nigra & horrida pilis. Pueri timore perterriti, ac perturbati erant. Alter puerorum Ratfredus, alter verò Maugisus vocabatur. Tertius verò adolescentulus, qui eos docebat, Ranulfus dicebatur. Senex igitur, qui eos seruabat, nomine Iouethen, videns quæ fiebant, & timore pueros perterritos, dicebat eis: Signate vos pueri, signate vos signo sanctæ Crucis, & psalmos Dauidicos decantate. Improbus verò dæmon consumptam extinxit candelam, & se in risum mouens, per aceruum lapideum, qui iuxta erat, proruens, terrorem immensum ex sonitu lapidum concussit. Deinde scutulas quæ in refectorio erant positæ, tota nocte mouens atque remouens, inquietam habitatoribus noctem reddidit. Vasculum verò quod iuxta erat positum vino repletum, dum minister requisisset, vacuum inuenit: neque vllum vestigium vbi in terram defluxerit, repertum est. Fœlix abierat, qui cum venisset, & à fratribus quæ præterita nocte pertulissent phantasmata audisset, acceptam àquam cum sale benedixit, & in circuitu & intus aspersit: atque ab illo die, per Dei gratiam, quieta habitatio permansit. Postmodum beatus Fœlix postquam multos annos in vitæ sanctitate vixisset, & miraculis claruisset tandem senex migrauit in cælum.

*Damonis illusiones & phãtasmata.*

*B. Fœlix aqua benedicta fugat dæmones.*

*Migrat in cælum.*

### NOTÆ.

Fœlix.] *De eodem plura in Annalibus Britannorum, necnon in Bibliotheca Floriacensi.*

## VITA S. RVMOLDI EREMITÆ & Martyris.

*S. Rumoldus Regis Scotiæ filius.*

Vit Sanctus Rumoldus Scotiæ Regis filius, qui desiderio sequendi Christum, & vitam solitariam ducendi, secessit in Eremum, vbi per multos annos in trunco arboris degens, spinis & arbustulis circumdato, ne à nobilibus & Principibus regni inueniretur, multa incommoda famis, sitis & frigoris sustinuit. Sed cum esset senex, inuentus à suis, in arbore, & trunco cauato, cum nollet redire ad sæculum, ab eis trucidatus est, & sic pretiosam & gloriosam mortem in conspectu Domini egit.

*Degit in trũco arboris.*

*A suis perimitur.*

### NOTÆ.

Rumoldus.] *Eius sacrum corpus quieſcit in Monasterio Vvoneloch in territorio Atrebatensi, vt videre est in Chron. Camerar. & Atrebat. Plura de eo in Annalibus Scotorum.*

## VITA S. ARNVLPHI EPISCOPI & Eremitæ. Ex ea quæ est per eius successorem Liziardum.

*S. Arnulphi clari natales.*

Per id tempus quo Flandriæ Regio Balduini Comitis & Adelæ coniugis regimine ornabatur, regnum Francorum, moderante Henrico filio Roberti, & apud Anglos regnante Eduardo pro Rege, fuit vir nobilis Fulbertus nomine in pago Brabantiæ, apud fluuium Scaldem, in villa quam vocant Thidengem, qui ex nobilissima coniuge Mansuuenda filium elegantem sustulit, qui cum iam esset adultus, ex hac luce subtractus est, cuius mors grauissimum dolorem attulit. Iam menses aliquot in illo dolore erant consumpti, cũ ecce in somnis apparet matronæ vir sprecioſus, ita dicens. Quid ita teipsam mœrore afficis? immò verò summoperè exultes quod in vtero gestes puerum, qui superna prædestinatione magnus est futurus, quem vbi in lucem protuleris Christophorum vocari curabis. Peperit mulier opportuno tẽpore filium diuinitus promissum, eumque è sacro fonte suscipiendum direxerũt pro more ad Arnulphum

*Prædicit mater de ipsius sanctitate.*

phum Aldernadenſem virum potentia inſignem,ex paterno ſanguine cognatum. Porrò præ nimio propinquitatis amore & faſtu quodam, non permiſit is eum vocari Chriſtophorum, ſed voluit à ſe dici Arnulphum.

*Vocatur à matre Arnulphus Chriſtophorus.*

Qui adultus, Arnulphus Chriſtophorus dictus (ſic enim eum mater ex diuina ſponſione maluit appellare,cuius ſcilicet proſapia ex Comitum erat genere, nempe Ducis Louanienſis,& Comitis Namurcenſis, Loſnenſis, Duſacenſis atque Montenſis) cœpit eſſe blandus alloquio, promptus obſequio, & fortiſſimus membrorum, tanta virium excellentia eminens, vt quatuor aut quinque coætaneorum vires excederet, ita vt eum omnes fortem Arnulphum nominarent.Vnde etiam cum pro voto amicorum militiæ arripuiſſet ſigna,militibus aliquando apud Traiectum in aula Imperatoris iactandis lanceis pro honore occupatis, ipſe lignum quod in vertice mali poſitum velum continet,procul Comitibus Flandrenſibus eo in ludo, omnium acclamatione, victoriam reportauit. Erat interim ſemper erga pauperes profuſus, in iudiciis rectus ſimul & miſericors. Omnia ille militiæ exercitia & ſtudia percurrit, Imperatoriis atque Regiis bellis interfuit, Flandriæ & Brabantiæ lites & rixas compeſcuit, probis omnibus vbique charus & amabilis, improbis terribilis.Sed & cum tot & tanta virtutum germina, quæ diuina in illo gratia ſeminauerat, non poſſent vberes ſatis proferre fructus, neque ſeſe ſatis diffundere, terrena militia illum retardante,ſtatuit labores militiæ in aliquid melius commutare.

*Miles factus, valet ſtupēdo quodam robore corporis.*

*Multas compeſcit lites Flandrorii & Brabantorii.*

Itaque conuocatis duobus armigeris ſuis, iubet quamprimùm omnia armorum genera expediri, quaſi vt cum eximio ornatu Francorum Regis aulam poſſet adire.Parent armigeri,præparant equos, arma componunt. Tunc Arnulphus matri valedicens (iam enim pater obierat) arripit iter verſus Franciam. Sed neglecta Regis Philippi aula, feſtinus expetit Eccleſiam almi confeſſoris Medardi, quæ ſita eſt apud muros vrbis Sueſſionenſis. Erat tunc in illo Monaſterio præclara Monachorum congregatio, totius Franciæ & Romanæ atque Rhemenſis curiæ crebra viſitatione celebris, ſub Abbate Reinaldo. Excipiunt ergo fratres vt par erat, Arnulphum præcipua deuotione ad Chriſtum properantem: denique tondent, tonſumque habitu induunt regulari. Poſt hoc autem cœpit egregius Chriſti miles multa ſe carnis mortificatione conſtringere, vigiliis & ieiuniis ſedulò operam dare, atque in omnibus probabilem ſe exhibere. Quin etiam vt riſum omnem & lætitiæ mundanæ motus comprimeret, aſperrimo & nodoſo tribuli ramo corpus ſub veſte cinxit, omnibus nihilominus vultum hilarem & iucundum exhibens. Erat autem in illo Monaſterio per id tempus Monachus Ereboldus cauſa amoris.Dei incluſus, vel ſolitariè degens. Qui è Flandria ortus, duram & aſperam agebat pœnitentiam, diuinæ contemplationi perpetuò inhærens, eique ſcilicet Arnulphus ſolicitè inſeruiebat. Itaque & cum poſt multos cõtinentiæ agones, ille ad vitam tranſiſſet immortalem, non ceſſauit venerabilis Arnulphus, donec impetraret quod optabat, nimirum vt poſſet eandem ſecretæ conuerſationis rationem ſectari,& ita incluſus degere. Multi è Brabantia & Flandria, tam Clerici quàm laici,ad ſacrum B. Medardi Monaſterium aduolarunt, quod illic Monaſticus ordo floreret, & venerandi alumni eius Arnulphi iam incluſi amor eos mirificè attraheret. Ille verò de virtute in virtutem quotidie proficiſcens, & quæ hactenus egiſſet, pro nihilo ducens,cellulæ angſtias, intra quam ſe incluſerat, nimias delicias paradiſi ęſtimabat.Quamobrem quoque cellam egrediens, foris ſub dio effecit foſſam, in qua reſidens ſtillicidia à tecto Eccleſiæ ſuper caput & collum eius decidentia continenter excepit, nec mutauit omnino illam foſſæ habitationem & ſeſſionẽ,etiam pluuia & niue cadente, perſeueranter orans & pſallens, gemens & plorans.

*Fit Monachus Sueſſionis.*

*Geſtat ſuper nudam carnẽ nodoſos tribulos.*

*Multi eius exemplo conuertuntur ad ſacram Religionem.*

Tribus etiam annis & ſex menſibus, nulli mortalium vllum locutus eſt verbum,aſſidua verbi Dei delectatus meditatione. Panis quoque ex hordeo ſemitritro, rarò & parcè, in cibum ſumebatur, alius numquam. At verò interea defungitur Reinaldus Abbas,cũ ecce Pontius quidam Pſeudomonachus, gradu comparatiuo, non ſecũdum Grammaticam, ſed iuxta Simoniam, à Rege Francorum Philippo nomen & ſedem adipiſcitur Abbatis, qui & profusè victitans, omnem loci ſubſtantiam breui exhauſit, Eccleſiæ etiam ornamenta ipſa in vſus militum ipſum ſtipantium, veſanè profundens. Conferunt igitur inter ſe fratres quid ſit remedij. Inflectitur animus Regis,omnes concorditer Arnulphum Abbatem ſibi eligunt. Tum verò Antiſtes Theobaldus cum fratrum caterua abiit ad incluſum, rogat, obſecrat, monet, imperat,Abbatis locum in Chriſti nomine ſuſcipiat. Sed ille, quippe iam triennij & ſex menſium ſilentium tenuerat, nimium expaueſcens,arrepta tabella,tale ſcripſit reſponſum:Rogo vos patres chariſſimi, parcite mihi, & me peccatorum mole prægrauatum, ſinite aliquem Deo offerre fructum pœnitentiæ. Quod ſi modo non vultis cedere precibus meis, inducias vel vſque manè mihi detis, vt poſſim hac in re explorare Dei voluntatem.

*Pœnitētiam agit duriſſimam.*

*Eligitur Abbas.*

Et quidem dantur induciæ,ſed tamen diſponuntur etiam in circuitu cuſtodes. Quos vbi vir ſanctus aduertit ſopore correptos, ſtatim per murum aufugit. Peruenerat autem iã in pagum iuxta montem Laudunenſem, cum ad deſerta tendenti lupus ſubitò ſe comitem adiungit. Vnde ille ratus ex lupi comitatu ſe facilius ad auia loca peruenturum, ſequitur præeuntem. Sed duce lupo, vel authore Deo, nocte redit ad vrbem Sueſſionenſem,ſicut ſedens in cliuo ei propinquo, orto ſole, agnouit.Ex quo quale gaudium, quanta celebritas, mox in vrbe extiterit, non putamus fieri poſſe, vt ab vllo homine referatur. Exeunt Monachi cum Clericis, nobiles cum vrbanis, & ligatum fugitiuum ſuum pertrahunt ad B. Medardi Eccleſiam, inuito demandantes munus locumque Abbatis, cum vix tandem ille ora reſoluens, reuera, ait, niſi diuinis nutibus reſiſtere formidaré, quod imponitis prorſus abnuerem. Credi autem vix poſſit quam breui tempore totius Cœnobij ſtatus ad primæ integritatis & honeſtatis formam per ipſum reductus ſit. Sed & habebat quoque ſeruus Dei ante fores cellæ ſuæ quaſdam arbuſculas, quarum poma eius iuſſu ægroti edentes, mox pulſis languoribus erigebantur. Ad infirmos etiam longius poſitos, crebrò tranſmiſit panem & vinum ſua benedictione conditum, quo guſtato confeſtim melius habebant.

*Poſtulatis inducijs, noctu fugit.*

*Dei nutu cogitur eſſe quod fugebat.*

*Plures ſanat infirmos, pomis vel pane à ſe benedicto.*

Verum enimuerò Philippus Francorum Rex à malis conſiliariis deprauatus, cum eſſet contra hoſtes arma ſumpturus, miſit ad D. Arnulphum legatos qui dicerent, Abbatiam magnis opibus & poſſeſſionibus inſtructam, militibus etiam,qui Regibus eſſent beneficiarij circumfultam, qui & antiquitus conſueuiſſent cum Abbate Regiæ expeditioni



tioni intereſſe. Faceret ergo quod mos haberet antiquus, aut ſanè loco cederet. Quo audito,vir eximius mox cellam repetens, ſe in ea iterum incluſit, ſucceſſore conſtituto viro non minus digno Geraldo, omni honeſtate conſpicuo: atque interim Theobaldus Sueſſionum Antiſtes, Deo iubente è vita exceſſit.Poſt quod mox rurſum attrahitur vir Dei Arnulphus, & nec ad momentum excuſandi dato ſpatio, infula ei imponitur. Occupabat tunc ſedem, non matris Eccleſiæ electione,ſed Palatij iure Vrſo quidam Geruaſij Regij Dapiferi germanus frater circumcinctus turba armatorum. Verum cum ſedes non faciat Epiſcopum, ſed Epiſcopus ſedem, manſionem ſibi conſtituit S.Arnulphus fouente illum Comite Theobaldo, in quodam Caſtello eiuſdem Dicœceſis, quod Vlciacum vocant, accurrentibus ad eum promiſcuis populorum turbis, vbi egregiè officio ſuo eſt perfunctus. Obdormiuit autem fæliciter in Domino 18.Caléd. Septemb. anno Chriſti 1687. Altemburgi in Flandria, quo tunc, ita Deo diſponente,ad controuerſiones quaſdam Flandrenſium componendas erat euocatus: vbi & ſepultus eſt in Eccleſia Sancti Petri, ante & poſt obitum miraculis clariſſimus.

*Iterum redit ad ſuum Incluſorium.*

*Eligitur Epiſcopus Sueſſionenſis.*

*Obdormit in Domino.*

## NOTÆ.

Arnulphus.] *De quo Martyr. Roman. cum Baronio in Notis. Agunt de eo Petrus in Cat.& Vvion. Vita eius prolixius habetur deſcripta apud Surium 15. Auguſti tom. 4.*

## VITA S. GVILLELMI DVCIS, Comitis & Eremitæ. Ex Theobaldo Epiſcopo. Cap. I.

SCRIPTVRVS vitam ſerui tui, prout tu dederis & inſpiraueris, Domine Deus, qui das cunctis affluenter, & vbi vis ſpiras: imprimis admonitos eſſe cupio cunctos, qui lecturi ſunt vel etiam audituri,ne eos ſcandalizent tyronis primordia, quæ reuera per ſe ſumpta, ducere ſufficerent in abominationem erroris, ſi non ſequerentur conuertionis præconia, quæ omnibus nobis proponuntur ad imitationem vitæ melioris. Non enim eſt inſultandum Vuilhelmo auertenti ex propriis, ſed potius exultandum Chriſto, ex Baſan conuertenti. Vtile eſt enim ad ſalutem viro iuſto innocenter inchoare, fideliter conſummare. Quod ſi vtrumque non volumus, melius eſt, vt benè finiendi, quam benè incipiendi gratiam conſequamur. Nuſquam enim,qui tantùm benè cœperit, ſaluandus legitur, ſicut qui perſeuerauerit vſque in finem. Denique ficus præcoquas deſiderat anima Domini, qui tamen cor contritum & humiliatum non deſpicit, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent ei, qui in noſtro genere fragmenta iuuentutis non abiicit. Scriptum quippe eſt: Quacumque hora ingemuerit peccator: cunctarum iniquitatum eius amplius non recordabor. Hæc idcirco prælibata ſunt, & præſcripta, vt non abominetur militis ſæuitia: ſed Regis commendetur clementia. Fuit ſiquidem præfatus miles natione Pictauus, ex Comitum proſapia, ex Pictauienſium prouincia oriundus: ibi conceptus & natus,ibi & alitus eſt ſecundum parentum magnalia, qui præclari genere & opibus, præclarum filium, ſecundum ſeculi dignitatem non infimam, præclariſſimè educare curauerunt. Qui ſeculi gloria atque pompa arridente, in corde tenaciter illectus, meditabatur à puero, & vt ita dicam,à cunabulis, malitia ſupplente ætatem, quod poſtea effectui manciparet. Natus illuſtris ex illuſtribus natalibus, & educatus ſecundum morem magnorum, qui ſunt in terris, reprimebatur à concepto facinore, cum parentum & cuſtodum timore, tum ætatis imbecillioris infirmitate. Et quidẽ Vuilhelmi infantia parum cognita nobis eſt,excepto quod ex ſequentibus præſumimus, creſcente ætate creuiſſe ſimul & malitia apud Deum & homines. Quando enim plenitudo temporis venit, incepit apparere quid eſſet in iuuene, & factus vir euacuauit quæ erant paruuli. Denique ſacrum militiæ profeſſus, & adeptus non ſacer cingulum,ab omnibus baronibus terræ ſuſceptus eſt vnanimiter ad Pictauiæ Comitatum, Aquitaniæque Ducatum, quorum vterque ſibi debebatur iure & titulo hereditariæ ſucceſſionis. Factus ergo miles, fretuſque Comitis faſtigio, factus eſt eo inſolentior, quo nobilior, quo locupletior, quo fortior, quo honoratior,quo formoſior, vniuerſiſque famoſior. Denique ex parentela generoſus, ex fortuna pecunioſus, ex natura virtuoſus, ex fama glorioſus, ex opifice ſpecioſus, inſolentiſſimus omnium extitit, dyſcolus atque faſtuoſus. Proceritas corporis tanta erat, quod magis videbatur gigantea quàm humana. Vix ei in vno prandio ſufficiebant cibaria,quãta aliis octo iuuenibus fortiſſimis erant alimenta. Nuſquam ſe per totam illam prouinciam abſentauit à prælio, quandiu in armis fuit: ſed affectu pugnæ ſolitarius,armigerorum deſtitutus ſubſidio, armatus multoties incedebat. Et cum nollent dimicare, trahebat vel inuitos ad certamen. Diceres rediuiuum Belis idolum in comedendo & bibẽdo: crederes ipſum Nemrod potentem & robuſtum venatorem coram Domino in præliando. Extraneis malus, ſuis peior, peſſimus ſibi. Denique proprij germani vxorem,Herodiana rabie debacchatus, ad inſtar Herodis contra ius, & fas inceſtu impudentiſſimo fertur per triennium, & amplius tenuiſſe violenter. Si quis inceſtuoſo ſe tanquam Ioannes exhibiturus,de tota vicinia diuertiſſet ad eum,conuiciis laceſſitus, inanis & vacuus recedebat. Confidebat in viribus propriis: verum non eſt, quod fortis glorietur in multitudine virtutis ſuæ. Erat autem ad ſuccendendum flammeus, ad ignoſcendum ferreus, ad conſolandum ſaxeus. Diceres ignem vrentem in iraſcendo: diceres ſecurim & aſciam in deiiciendo. Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis diabolicæ, quibus onuſtus Comes, currebat aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice armabatur.

*Iam in adoleſcētia eſt inſolentiſſimus.*

*Proceritas corporis & mira edacitas.*

*Violenter tumlit vxorem fratris ſui.*

## VT B. BERNARDVS S. GVILLELMI conuerſionem exoptarit. Cap. II.

IN tempore fundatum eſt Monaſterium Clareuallis, & ibi vna cum venerabilibus fratribus ſui familiari Spiritus ſancti conſilio ad regimen domus Abbas eſt Bernardus ordinatus, qui in tantum vita, virtutibus & doctrina clarus effulſit, vt nullus ei in orbe ſecundus exiſteret ingenio,moribus, ore,ſtylo & virtutibus: quinimmo ſanctorum catalogo annumeratur, & apud ſuperos præſentialiter honoratur. Hic eſt qui in diebus ſuis hæreſes extirpauit, hæreticos confugiebat, ſchiſmaticos reuocabat, erroneos inſtruebat, diſcordes concordabat, bonos

*Laus S. Bernardi.*

*Patria & illuſtres parentes S.Vuilhelmi.*

promouebat, malos increpabat, & principes arguebat. Hic igitur in spiritu vehementi audiens famam sæpe dicti Guillelmi Comitis, velut aquila perspicax, vbi fuerit cadauer, statim adesse desiderans, superni flaminis instinctu præmonitus, cogitabat cum muliere Euangelica dragmam perditam reperire, & ouem erroneam ad pascua deserti reuocare. Ponensque animam suam in manibus suis, deliberauit se vel ad tyrrannum profecturum, vel ad se per nuncium gratia mutuæ collocutionis Comitem vocaturum. Sed quid ageret? Si vocaret eum dilectus Domini in dilectam Clareuallem, vt illum introduceret in cubiculum genitricis suæ, præsumebat probabiliter dyscolum Ducem non venire. Si ad eum pergeret, iam propositum suum frangeret, de quo se nouerat ad Petrum Diaconum Cardinalem sic scripsisse: Salua vestra omniumque bonorum reuerentia, mihi propositum est, nequaquam egredi de Monasterio nisi ex causis. Ad tempus ergo sedit solitarius tacens, & quietus, negotium committens supernæ dispositioni. O virtutem viri, ô animi puritatem: nec affectantis publicum, nec formidantis tyrannum pro eius salute. Si fugiebat publicum, quousque affectasset cathedræ fastigium? Deus meus, quot & quantæ Ecclesiæ Cathedrales, propriis orbatæ pastoribus, eum in pontificem elegerunt? Sed non plus eum delectabat mitra & annulus, quam rastrum & sarculus. Fugibundus itaque publici, negotium committebat, (vt dictum est) supernæ dispositioni. Cum autem placuit ei qui segregauit Guillelmum à seculo, & vocauit per gratiam suam, vt multos filiorum Dei auersos, exemplo suo conuerteret ad Dominum Deum ipsorum, concurrere fecit causas ordo illis diuinæ sapientiæ, cuncta complectens, vt Bernardo Guillelmus occurreret, quem volebat & quærebat. Occurrit autem hac occasione.

*Epist. 17.*

*D. Bernardus multos recusauit Episcopatus.*

## DE ELECTIONE INNOCENTII Papæ II. Cap. III.

*Anno Domini 1130.*

*Schisma Petri Leonis.*

CIRCA idem tempus Dominus Papa Honorius ingressus est viam vniuersæ carnis. Nec mora, conuenientibus electoribus & dissidentibus Cardinalibus, facta est diuisio in Ecclesia Dei, aliis eligentibus Innocentium, aliis Petrum Leonis, quem vocarunt Anacletum. Sed pars Innocentij consilio sanior, zelo feruentior, merito probabilior, numero copiosior. Pars autem Anacleti infirmior, audacior, violentior, non ratione virtuosior. Ipse etiam Innocentius fama, scientia & vita summo Pontifice dignus habebatur. Petrus verò Leonis à longinquis adspirationibus & machinationibus fraudulentis ad hunc apicem conscendere nitebatur. Pars autem Catholica, omnibus circa electum suum ritè peractis, circa Lateranense Palatium non tuta morabatur, sed accerrimè à Petri satellitibus infestabatur. Et quia vi humana tueri se non poterant, cedere salubriter elegerunt. Præmissi in Gallias fuerunt nuncij, qui Gallicanæ Ecclesiæ intimarent negotij veritatem, & hortarentur Episcopos, vt accingerentur ad vltionem partem schismaticam damnantes, & vnitati Catholicæ subscribentes. Cóueniunt Stampis omnes Pontifices, Barones, & Abbates, vocato ex nomine à Rege & pluribus Episcopis, Sancto Abbate Clareuallis. Fuitque vnicum omnium consilium, & sententia, vt negotium Ecclesiæ Dei Abbati sancto imponeretur, & ex eius ore tota causa pensaretur. Qui diligenter prosecutus electorum merita, electi vtriusque famam & vitam, electionisque ordinem, aperuit os suum, & spiritus patris sui impleuit illud. Vnus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus Innocentium nominauit, & ratum esse omnis pariter Ecclesia congregata clamauit.

Laborabat eo tempore schismaticorum oppressione tota Burdegalensium prouincia, & nō erat in tota Aquitania, qui Guillelmo principi posset resistere: in tantum animum eius indurauerat Deus. Persuadente siquidē Gerardo Engolismēsi Episcopo, & instillante in cor eius dissensionis semina, factus erat schismaticis author & defensor. Quicumque enim susceptioni Petri Leonis non subscribebat, persecutionibus exponebatur, ita vt exulare cogeretur. Sibilabat enim auribus Guillelmi Ducis crebris suggestionibus Gerardus prædictus, tanquam vulpes astutissima, & serpens tortuosus atque antiquus. Fuerat siquidem diutius in partibus illis Apostolicæ sedis legatus, non solum per totam Burdegalensem ac Turonicam prouinciam, sed quicquid à collibus Iberorum vsque Ligerim cōplectitur ac claudit Oceanus, eius paruerat imperio. A quo tanto magistratu tunc non modicum se dolebat eiectum. Ad Petrum ergo Leonis misit pro restituenda legatione, deiectionem suam ferre non valens, & quod ipse ei fide iurata obediret, principemque terræ, & quoscumque posset, ad eius imperium inclinaret. Gauisus homo perditionis, celerrimè annuit & libenter, Gilone Tusculano Episcopo Cardinale, qui solus ei de Romanis adhæserat, ad hoc misso specialiter, aggreditur ilicò Guillelmum Comitem marsupiis pecuniosis, pulsat animum eius suggestionibus venenosis, & hominem arundineæ leuitatis seducit & corrumpit. Imprimis Episcopus Pictauiensis Guillelmus, Catholicus & honestus, de sede sua violenter expellitur, & quia Petrum Leonis abdicabat, condemnatur, aliis existentibus causis priuatis, ob quas ei Comes infensus, libenter eum persequitur.

*Gerardus Engolisi. Episcopus schismaticus.*

*Guillelmus Episcopus Pictauiensis à schismaticis sua sede pellitur.*

## VT B. BERNARDVS PRIMO AD se vocarit Guillelmum. Cap. IV.

ANTE hos dies apud multos, fama vbique perstrepente, cœperat audiri, quod seductor ille machinabatur aduersus Ecclesiam Dei. Et missi sunt à latere Innocentij Papæ, tunc agentis in Galliis, B. Bernardus atque venerabilis Iosslinus Sueſſionensis Episcopus, vt tam ipsum, quam Principem Guillelmum super his constanter conuenirent. Qui Pictauiam vsque peruenientes, prædicto inuasori salutaribus monitis suaserunt, sed non persuaserunt. Quomodo enim persuaderent ei, qui iam in eodem principe persuaso, impudenter in Ecclesiam Catholicam conuicia despumabat, Innocentium vituperabat, Anacletum suum præconizabat, non obedientes ei, erroneos & acephalos affirmabat? Vnde factum est, vt animati & armati in insaniam schismatici, ex eo die publice persecutionem Catholicis intentarent. Interea dum hæc agerentur, Abbas sanctus in quodam Monasterio ordinis sui, constructo de nouo in Pictauia, morabatur. Qui de Domini misericordia confisus, nuncium ad Comitem direxerat intrepidus, supplicans, vt ad se necessariæ collocutionis gratia dignaretur properare. Quem mox Comes vt audiuit, deposita quodammodo ferocitate

*Ioslinus Suession. Episcopus.*



tate leonina, & assumpta mansuetudine columbina, vel ouina, ad auditum auris obediuit. Venit filius prodigus ad Patrem, etsi nondum reuersus ad se. Mox qui in spiritu & virtute Eliæ deuenerat, accensus est quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat, cupiens in spiritu vehementi conterere nauem Tharsis. Inclusumque septem diebus continuis in quodam loco secretiori Comitem, de morte & vita, de pœnis malorum & præmiis bonorum, de vita & exemplis beatorum, suo illo modo ignito ardenter tepidum instruebat. At quoniam nondum eum suscitauerat Deus, in maleuolam eius animam non intrauit sapientia pro tempore illo, sed cor eius indurabatur quasi lapis. Quid plura? indignatus Pharao surgit in scandala, seruo Dei phreneticus conuiciatur, & eum priuare se vertice, si extra claustra reperiret, comminatur. Vnde ferocem leonis sæuitiam agniculus tremebundus expauens, immunem suæ doctrinæ tunc eum abire permisit. Regresso ergo viro Dei, & in proprio nidulo Clareuallis collocato, factæ sunt per prædictos Gilonem Cardinalem & Gerardum occupatorem, quas supra meminimus, deiectiones Episcoporum atque sedium occupationes.

*Conatur S. Bernard. Comitem, flectere propositis pœnis malorum, & præmiis bonorū.*

*Minas intentat viro Dei.*

## DE SECVNDA COMITIS CONuentione apud Pertinacum. Cap. V.

*Gaufredus Carnotensis Episcopus.*

AVDIENS huiusmodi venerabilis Gaufredus Carnotensis Episcopus, vir plenus virtutis, plenus spiritu consilij & fortitudinis, cui à Domino Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, & succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis, sine moræ dispendio, decreuit. Abbatem ergo Clareuallensem obnixè rogitans petit & obsecrat, vt sibi ad tantorum malorum eliminationem succurrat. Videns excusationes frustra extendi, assensit & annuit. Ibant igitur simul, & sicut condixerant Abbas & legatus, ingressi sunt Aquitaniæ fines. Significatum est interim Comiti Guillelmo per viros illustres & solemnes nuncios, qui minus ad eum accedere verebantur, quod Bernardus Clareuallensis & Gaufredus Carnotensis, cum aliis multis Episcopis & Religiosis, eius colloquiū præstolabantur: quorum esset studium, vt de pace Ecclesiæ & malorum remotione in communi tractaretur. Suasum est illi atque persuasum, ne tantorum declinaret colloquium, quorum communicato consilio, facilè posset fieri, quod difficile videbatur, & repentino prouentu, possibile redderetur, quod modo impossibile videbatur. Itaque apud Pertinacum hinc inde conuenerunt. Imprimis ergo de Ecclesiæ diuisione, scissuræ ac discordiæ obstinatione, quæ in sola confederat Aquitaniæ regione, multis modis serui Dei Comiti proposuerunt, & se multiplici ratione vallauerunt: Ecclesia, inquiunt, vnica est, & quicquid extra illā est, quasi extra arcam Noë, diuino iudicio naufragari atque interire necesse est. Guillelmus ad hoc sano in parte consilio vsus, respondit se Innocentio facilè posse obedire, sed ad restitutionem Episcoporum, quos expulerat, nulla ratione posse consentire, tum quia eum implacabiliter offenderant, tum quia se pacem eorum nullo tempore susceperturum iurauerat. Sed dum vicissim per internuncios sermo pertraheretur, incassum se mutuò verbis occupabant, & facti velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, nihil proficiebant. Angustabatur in seipso Domini seruus, & quia non explebatur de Principe, quod cogitauerat, anxiabatur in eo spiritus eius, in se cor eius turbabatur. Quid ageret athleta Christi? Deficiente humano præsidio, recurrit ad diuinum vir diuinus. Ad arma fortiora confugiens, efficacius est munitus.

*Ecclesia vnica est.*

## DE TERTIA CONVENTIONE. Cap. VI.

ACCEDENS ad altare sanctum vir sanctus, pro gente non sancta supplicandum, inter Missarum solemnia dignum duxit. Intrauerunt Ecclesiam, quibus diuinis interesse licebat mysteriis. Guillelmus Comes cum suis adhærentibus præ foribus sustinebant. Sacrificabat igitur & orabat hora sacrificij ea quidem, qua consueuerat, sanctitate cordis ac puritate animi. Ritè ergo consecratione peracta, pace data, & in populum diffusa, homo Dei, iam se non agens vt hominem, corpus Dominicum patenæ superposuit, secumque portauit. Egrediebatur itaque foras ad Ducem foris manentem, vt loqueretur in idipsum, ignitis oculis, ignita facie, ignitum portans eloquium, nec supplex, sed minax ac verbis terribilibus principem terribilem est aggressus: Rogauimus, inquit, te, & rogantes quæ ad pacem sunt Hierusalem, contempsisti. Supplicauit tibi in altero conuentu, quem iam tecum habuimus, seruorum Dei coram te adunata & prostrata multitudo, & despexisti. Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? Ecce post seruos, ad te Dominus omnium supplicaturus aduenit: ecce filius Virginis, caput Ecclesiæ, quam tu persequeris: post membrorum preces, caput ad te processit. Adest Iudex tuus & tuorum, in cuius nomine curuatur genu omnium cælestium, terrestrium ac infernorum. Adest testis & Iudex tuus, in cuius manus est ille tuus spiritus deuenturus. Numquid & illum spernes? Numquid ipsū, sicut seruos eius contemnes? Vniuersi qui aderant, lacrymabantur, & orationibus intenti, rei exitum præstolabantur, & omnium expectatio suspensa, aliquod diuinum fieri cælitus arbitrabatur. Videns Comes Abbatem procedentem in spiritu vehementi, & in manibus tenentem sacratissimum corpus Domini, diriguit & expauit, metusque membra trementia per totum dissoluit, atque velut extra mentem positus, ad terram vsque prosternitur. Eleuatusque à suis militibus, rursum in faciem corruit, nulli loquens, & in nullum intendens. Qui comprehendit sapientes in astutia sua, & regum balteum dissoluit, ipse fecit hoc. Tunc vir Dei propius accedens: Surge, inquit, & sta supra pedes tuos, & diuinam ausculta sententiam. Præsens est Episcopus Pictauiensis, quem ab Ecclesia violenter expulisti: vade iam reconciliare patri, & in osculo sancto pacis cum eo iungito fœdera. Innocentio subdere, & electo à Deo tanto Pontifici pare, sicut ei obedit omnis Ecclesia sanctorum. Auditis his tyrannus, sacramentorum præsentia superatus, & authoritate Spiritus sancti victus, nec audebat respondere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur, nec poterat reddere vnum pro mille euangelizanti verbum virtute multa: sed statim occurrens recepit Episcopum pacis ad osculum, iniiciens manus in Abbatis vincula. Et quod ampliùs est, eadem manu, qua prius eum expulit, cum totius exultatione ciuitatis ad sedem propriam reduxit. Iam deinceps Abbas cum Comite familiarius loquens

*S. Bernardus corpus Dominicum gestās procedit ad Vuillelmum, eumque egregiè increpat.*

*Sacramenti Eucharistiæ præsentia, in terram prosternitur velut exanimis Comes Vuillelmus.*

loquens & suauius, ne ad impios ausus & tam temerarios deinceps exurgeret, ne Dei patientiam in tantis flagitiis irritaret, ne pacem reformatam in aliquo violaret, paternè commonuit. Tanto ergo malo obruto, & Gerardi schismate in cineres redacto, Bernardus cum gaudio Clareuallem regressus est. Guillelmus audito eo, multa interim faciens, deinceps minus crudelis extitit.

## DE MEDITATIONE VVILHELMI. Cap. VII.

POST recessum viri Dei, potens Dominus de lapidibus filios Abrahæ suscitare, cœpit mentem Comitis ad compunctionem & veram pœnitentiam mirabiliter excitare, & Oriens ex alto, sedentem in tenebris & vmbra mortis, misericorditer visitare. Prædicti siquidem patris admonitio crebrius in mentem ipsi veniebat, & memoria piorum gestorum & dictorum non excidebat: sed vt animal mundissimum, quæ audierat, & viderat, ruminabat. Deus meus, quoties homo tuus totas noctes peruigiles in oratione duxit & insomnes, flens largiter, & effundens sicut aquam cor suum, ante conspectum tuum, pro quo & de quo loquebatur tibi bona? Certè non poterat tantarum perire filius lacrymarum. Assiduè enim vir Dei pro Comite precabatur. Cũ ergo fortia atque præclara arma pœnitentiæ sub iugo Christi decreuisset assumere, ad quem pro imponenda sibi pœnitentia deberet pergere, cœpit hæsitare: sciens quicquid per se sine confessore voluntariè assumeret, vanæ gloriæ & præsumptioni, non mercedi militare: & solum, si ceciderit, subleuantem non habere, & qui sibi se magistrum constituerit, stulto se discipulo subiugare. Sæpissimè subiit animum eius, venerabilem Bernardum præ omnibus eligere, sed propter iniurias illi illatas, occlusum sibi reditum prospiciens, ad eundem verebatur aduentare.

*Noctes ducit insomnes cum precibus & lacrymis B. Bernard. pro conuersione Comitis.*

## DE ACCESSV COMITIS AD Solitarium. Cap. VIII.

ERANT tunc temporis in diuersis mundi climatibus viri Religiosi, potentes virtute, & fortes robore: qui Deum præ oculis habentes, cælum appetentes, infernum metuentes, ad extremum iudicium contremiscentes, à communi vita aliorum segregabant semetipsos: nec contenti strata publica præceptorum, ingrediebantur mundissimam, rectissimam ac strictissimam semitam consiliorum. E quibus alij regularem, alij Monasticam, alij Anachoreticam, alij Eremiticam ducentes vitam, vni Domino seruiebant, vni Regi militabant. Sed & in regione eadem, quæ talem nobis protulit ciuem sanctorum & domesticum Dei, non defuere viri spirituales habentes spiritum prophetiæ, propositum spirituale: qui, ne cum salutis periculo viuerent in seculo, viuebant in Eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabantur aspicere. Hi tales, etsi pauci numero, de malitia tamen patriæ & furia Pictauiæ traxerunt nihil, non magis quam de sale marino pisces maris. Non longè erat à loco in quo Guillelmus talia meditabatur vt columba, quidam de numero talium, vitam Eremiticam ducens, & miræ admodum simplicitatis homo. Sola enim quæ Dei sunt cogitans, & mundum ab immundo discernere nesciens, sanctæ rusticitatis, quæ solum sibi prodest, sanctimonia rutilabat. Ad hunc solitarium mox soliuagus miles ire cœpit, & eum diligenter quæsiuit, donec inueniret. Cogitabat intra semetipsum, qualis esset ista deuotio, quam ad eum ferebat, & quia de ipso ageret omnipotens, non plenè ipsemet cognoscebat. Replebatur stupore & ectasi, in eo quod contigerat illi, penè somnium suspicatus. Quia tamen perseuerabat pulsans, propter improbitatem surrexit & exiuit: intuitusque in eum toruo lumine, hæsitando admirans, ait: Impie, crudelis, & dire tyranne, cur Christi seruos conaris infestare? Recede, recede: iã ab hac stultitia quiesce, desine tu inuenis senem lacessere. Qui hactenus orbem terrarum habuisti infestum, quid tibi ad Eremum? Nihil tibi & loco illi: nec est societas alterius ad alterum: non plus quam luci ad tenebras. Cui timidus heros respondit: Non maleuolus te deposco, sed cor pœnitens gero, & delictum meum maximum emundari cupiens, iniquitatem meam coram te recognosco. Pro excessibus igitur præteritis corrigẽdis & prauis actibus abiiciendis, acturus pœnitentiam adproperaui. Considero quæ feci, ideo pœnitentiã agere cupio. Quot in me habui oblectamenta, tot offerre Deo paratus sum ad tuæ voluntatis arbitrium de memetipso cordis & corporis holocausta. Quapropter noli prohibere per Christum te obsecrantem, & ad tuam iussionem satisfacere cupientem. Sed ille timens velle eum sibi illudere, & fuisse immundum sciens, & iam purificatum nesciens, fertur respondisse. Non ego te ligo vel soluo, neque falcem in messem alienam mitto. Sum homo solis latebris dignus, soli mihi iudex, soli arbiter & accusator constitutus: quatenus monstret actio, quod habet professio, & Monachi nomen solitaria mihi conuersatio interpretetur. Quod tam securus fateor, quam certus experior. Verumtamen si vera sunt quæ exponis, ad quendam alium singularis sanctitatis hominem festinare tibi consulo, qui longa experientia temporum iam suffultus, & in discretione spirituum iam exultus, ante me cognoscitur renunciasse seculo. Iuit, & in auditu auris obediuit: sed ille nihilominus, ob auditam eius crudelitatem, pœnitentiam Vuilhelmi verebatur. Fuit tamen, qui consilium daret auidè quærenti, & cupide recipienti. Quidni reciperet, qui toties ignem denegatum quasi digito mendicans quæritabat?

*Venit ad quendam solitarium B. Vuilhelmus pro pœnitentia.*

*Repellitur ab eodem.*

## DE CONSILIO DVORVM SOLITARIORVM super eius conuersione. Cap. IX.

ERAT eodem loco & tempore alius solitarius, vir valdè discretus, & sanctitate conspicuus. Hic sicut scientię scintillabat perspicuitate, ita quoque vitæ rutilabat sanctitate. Vnde factum est, vt vtriusque concursu luminis, Deo clarus in scientia, & populo ex fama celebris redderetur. Ad hunc solitarium secundus solitarius mox soliuagum destinauit, quem tamen dilationis affectum tædio, nihil in itinere retardauit. Venit ergo ad hominem Dei, quem amoris pennulæ subleuabant. Reuelauerat autem Dominus auriculas solitarij, antequam veniret beatus Guillelmus, vbi verò Dei hominem nouit in spiritu propinquare, causam aduenientis memoriter tenens, magis ac magis omnipotentis clementiam cœpit lacrymabiliter implorare, quatenus impium dignaretur ab impietate, sicut promisit, reuocare.

*Quidã Eremita diuinitus de eius conuersione monetur.*



care. Postquam igitur aduentasse Comitem vir sanctus accepit, cum gaudio Spiritus sancti eum in pace susceptit, causamque itineris indagare solerter cœpit. Cui ille penetralia cordis aperiens, totum propositum conuertendi cœpit fiducialiter enucleare, nec fuit verbum in cordis cubiculo, quod ei voluerit occultare. Mox mirum in modum, proposito Comitis diligenter intellecto, sicut gaudium est Angelis Dei in cælo super vno peccatore conuerso: sic & isti gaudium cumulatum est super pœnitenti Comite & peccatore tam peruerso. Post aliquantulum ergo temporis & monita vitæ ac salutis, iam securius locutus est senior dicens. Reuertere in domum tuam vnde existi, & nemini dixeris quod concepisti. Volo enim te esse cautum, & declinare inanem gloriam, quæ est virus virtutum & dæmonium meridianum. Posteà indutus cunctis armis militaribus, quibus anteà malefacere præsumpsisti, ascensoque meliori equo, cui hactenus insidere consueuisti, ad me clanculum solus festinabis in habitu tali. Et post hæc, cooperante Domino, tibi impendam pro meo posse. His auditis beatus Guillelmus, cui omnis mora erat longa inimis, gratias agens Deo, domum regressus est. Sed & monitorum salutarium præceptoris sui non surdus aut obliuiosus factus auditor, religiosæ solicitudinis suæ nulli extraneorum aut propinquorum voluit esse relator. Domestici tamen eius, rem penitus ignorantes, vt eum viderunt cum rebus indictis ad suum redire præceptorem, fœlicibus eius actibus inscij execrabiliter maledicentes, æstimabant eum progressurum ad consuetæ nequitiæ scelus & furorem.

*Vana gloria dæmonium meridianum.*

## DE LORICA AD EIVS CARNEM adstricta. Cap. X.

INTEREA dum hæc agerentur à Comite, vir Dei quendam fabrum doctum tractare fabrilia, cum instrumentis fabrilibus ad se de vico proximo clam accersiuit. Sicque prouisum est, vt in termino iniuncto Guillelmus ad virum Dei rediens, fabrum cum circulis catenisque & vinculis ferreis vincire paratum, quem nesciebat, reperiret. Ingressus ergo Guillelmus ad solitarium, nec solitarium, sed cum fabro reperiens, obstupuit intantum, vt dicere posset: Ecce faber & vincula: vbi est victima vincienda? Mox vt intrauit, audiuit patrem spiritualem dicentem sibi: fili Guillelme, authoritate sacrorum canonum salubriter admonemur, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipientes, in infernum protrahi patiamur. Veritas est irrefragabilis, & negare non possumus, quod nullum malum impunitum manet, sicut nullum bonum irremuneratum. Aut enim Deus punit, aut homo. Modus autem puniendi secundum modum præteriti delicti debet extendi: dicit enim veridica scriptura: Iuxta mensuram delicti, erit & plagarum modus. In huius signum præco iudicis hortabatur agere fructus pœnitentiæ, non quoscumque, sed dignos fructus pœnitentiæ. Melius est ad momentum temporaliter cruciari, quam suppliciis addici æternis. Si ergo verè pœnites, & omnino ad remissionem peccati præteriti, ad euasionem iudicij, & ad adeptionem cælestis fastigij suspiras, talem pœnitentiæ districtionem, tamen citra condignum, tibi impono. Imprimis quia ieiunium domat pestes carnis, oratio pestes mentis, eleemosyna verò ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ: per hæc tria emplastra pretiosissima tibi, iudico posse redire ad patriam claritatis æternæ. More ergo perfecti, ibis, & vendes omnia quæ habes & dabis pauperibus: vt exoneratus & nudus, sequi possis non habentem vbi caput suum reclinaret. Deinde quia omnia ista extra te sunt, propriam loricam ferream ad carnem super nudum præcipio te portare omnibus diebus vitæ tuæ. Post hæc quia in factis tuis offendisti plurimos, maximè tempore schismatis sub Petro Leonis, & non sufficit bona conscientia quoad Deum, sed requiritur etiam bona fama quoad proximum: nudis pedibus Apostolico conspectui te præsentabis, vt secundum eius arbitrium satisfacias Domino, à quo pro tuis sceleribus longè lateque anathematis es opprobrio condemnatus. De orationum verò pondere & mensura nihil impono, confidens in Domino, quod processu temporis, cum dilatato pede amoris viam mandatorum Dei currere cœperis, vnctio eius docebit te non solum de orationibus, sed etiam de omnibus. Et quoniam frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma est, vt alter alterius onera portemus: deinceps pro inuicem, vt saluemur, Dominũ exoremus. His dictis ab homine, Comes accepit verbum salutis non iam vt ab homine, sed magis ab Angelica lingua, immo vt diuino flamine seu mystico spiramine. Mox mirum in modum totus in Dei amorem succenditur, & sine dilationis procrastinatione & reuerentia, in medio duorum in nomine Iesu congregatorum constituitur, & lorica propria ad carnem fortiter connexa superuestitur, firmiterque per totum corpus decem catenis seu vinculis artificis magisterio subtiliter constringitur, ne processu temporis facilè dissoluatur. Post hoc asperrimo cilicio desuper contegitur, ferrumque galeatum subtiliter, vt solui non valeat, capiti militis imponitur: sicque spiritualibus armis onustus, à suo præceptore dimittitur, & abire permittitur.

*Lorica ferrea & catenis corpus S. viri restringitur.*

*Pœnitentia secundum sacros canones iniungenda.*

*Deut. 25.*

*S. Eremita Vvilhelmo pœnitentiam imponit.*

## DE ACCESSV EIVS AD EVGENIUM Papam. Cap. XI.

LONGAM cum homine nouus homo moram non traxit, sed pectore sitibundo, velociter in propria rediens, dispendij impatiens, & velocitati operis inhians, omnia bona terrena antè possessa sibi detraxit. Res, quas in sua potestate habuit, vendidit & pauperibus erogauit: quas verò ad manum non habuit, ex corde proiecit, & contempsit. Omnibus ergo pro Christo percalcatis, nudis plantis, illo suo vestitu ferreo atque asperrimo circumdatus, rutilãs in luto margarita, Dominum Papam visitauit. His diebus præsidebat sanctæ sedi Apostolicæ beatæ memoriæ Eugenius Papa tertius, qui de sub ferula B. Bernardi assumptus, Papatus Romani monarchiam tenebat, laudabiliter quidem & syncerissimè, vtpote talis ac tanti patris discipulus, verumtamen quia bonorum vita malis oppido solet esse infesta, & quia eleemosynam carpit inuidia, aduersus eum quorundam Romanorum adulterina plantatio, viperea progenies rebellauit. Quorum aduersus se malitiam machinantem, humanitus reformidans, in superiorem Galliam cedens, salubriter se recepit. Vbi Rhemis celebrato concilio, reique publicæ negotiis peractis, Ecclesiasticis protestatiuè dispositis atque ordinatis inter cætera sententiam antiqui anathematis in Guillelmum Comitem dudum latam reno-

*Vẽdit omnia, & dat pauperibus.*

*Eugenius Papa 3. discipulus S. Bernardi.*

*Fugit in Galliam Eugenius Papa.*

*Anathemate ferit Guillelmum.*

uare curauit. Ignorabat enim iam conuersum atque mutatum in virum alterum. Interim Guillelmus audiens Dominum Apostolicum in Gallias aduentasse, gauisus est valdè. Nec se capiens præ gaudio, ignorabat adhuc voluntatem Dei fuisse, vt sibi occurreret quem quærebat. Intrauit ergo liberè, & prostratus solo tenus, sacra Pontificis vestigia reuerenter osculabatur. Vultus in terra figebatur, & oculus lacrymabatur, os pedes deosculabatur, manus amplexabatur, & lingua de profundissimo corde talia loquebatur: Heu mihi, pater mi: Heu mihi, pater mi. Pater Abraham miserere mei, & resuscita animam meam, quia multipliciter peccaui. Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, non etiam mercenarius, sed spurius, seu porcus. Quapropter suscipe quæso de Ægypti partibus reuertentem, & reduc ad pascua deserti ouem aberrantem. Absolue de regione dissimilitudinis ad patrem fugientem. Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius.

*Prosternitur ad pedes sūmi Pontificis, & cum eiulatu & lacrymis veniam petit.*

## DE OBIVRGATIONE EVGENII Papæ. Cap. XII.

His auditis, Dominus Apostolicus fertur respondisse. Quis enim es tu? At ille; Ego sum, inquit, Comes Guillelmus, peccator & impius, quem pro meis meritis iustè quidem tu cum prædecessoribus tuis anathematis mucrone percellere decreuisti, & velut membrum putridum à corpore Ecclesiæ præcidisti. Homicidia, adulteria, sacrilegia, & omnia opera nefaria, quæ de me incestuoso & schismatico tibi dicta sunt, vera sunt. Si iniquitates à Domino obseruentur meæ: maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear. At quoniam misericordiæ Christi non est numerus, tu qui vicarius Christi es, miseri miserere, & patrem misericordiarum, quem repræsentas in terris, iure imitare. Peccaui super numerum arenæ maris: multiplicata sunt peccata mea. Sed dum viuo, & spiritus regit hos artus, sana me medicamento pœnitentiæ, cui commissum est vice Christi super terram soluere & ligare. Peccaui & verè deliqui, sed libera me, vt non vadam ad interitum, neque descendam in corruptionem, qui claudendi & aperiendi cœlum hominibus adeptus es dominationem. Ad hæc expauit Dominus Apostolicus, & vltrà quam credi potest, admiratus est. In mentem ei veniebat factum Iacob & Esau, quorum vnus ante conspectum Isaac alterum se simulabat. Arbitratus aliqua sub specie Iacob, sibi velle illudere, scienſque Angelum Sathanæ in Angelum lucis se solitum transfigurare, fertur respondisse: Comitem quidem Guillelmum peccatorem coram Domino sæpè audiui, sed eum facie tenus nunquam cognoui, & ideo si vera sunt, quæ tu dicis, ego non noui. Sed esto. Aut tu es in persona Guillelmus, aut tu non es. E duobus vnum est: aliter esse non potest. Si tu non es, & voluisti mihi illudere, indignationem Dei omnipotentis & nostram incurras, eo quod Christo Domini reuerentiam debitam exhibere non curas, sed subsannationem eius procuras. Si verò tu ipse es, & non alius, quomodo pœnitentem te esse simulas? Quomodo potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietatem suam: ita & tu potes benè facere post iniquitates tantas? Fratris torum incestu maculasti, in orbe schismata seminasti, nequitiis tuis climata mundi perturbasti. Et tibi post hæc de plena pœnitentia cordis quomodo credam? Maledixi tibi, & eris maledictus. Scio tamen Dominum magna, immo maiora tibi posse facere, quia omnipotens est: sed mueteratum dierum malorum ad plenum pœnitere despero. Surge itaque de medio, vade ad dexteram siue ad sinistram. Ad hæc timidus Guillelmus surrexit, & ad modum publicani Euangelici stetit à longè, non audens faciem in virum leuare, dixitque: Reuerà Guillelmus Comes ego sum, peccator nimius, & ad tuam dignationem missus ob taxationem satisfactionis. Sed ex quo credere non vis, saltem largire mihi gratiam benedictionis tuæ, & Apostolicæ beneficium absolutionis. Quod si non obtinuero, & per incuriam tuā neglectus fuero, Deus in cuius conspectu sto, sanguinem animæ meæ de manibus tuis requirat, per sinum viscerum paternorū reuertenti filio prodigo præcludere aditū non formidas. Perditio mea tibi imputetur in cumulum perditionis, & videat hæc super te omnia videns Dominus vltionum. Cum audisset hos sermones Papa religiosus, magis timuit: vtpote conscientiæ multum scrupulosæ. Cognoscensque viri constantiam, & Christi infinitam misericordiam, cogitabat intra se, quod nec criminis quantitas, nec facti enormitas, nec temporis breuitas, nec horæ extremitas excludunt à venia. Aperiens ergo os suum, dixit ad Guillielmum. Patriarcha Hierosolymitanus scio quod prudens vir, & magni consilij sit: ad ipsum te mitto, & potestatem super animam tuam loco mei sibi committo. Salutato igitur humiliter summo Pontifice super infusa gratia benedictionis Apostolicæ, Hierosolymam profectus est.

*Humilitas pœnitentiæ.*

*En quantus honor & reuerētia summo Pontifici debeatur.*

*Mittitur ad Patriarcham Hierosolymitanum.*

## DE ACCESSV EIVS AD Patriarcham Hierosolymitanum. Cap. XIII.

In diebus illis sancta terra Hierosolymitana in manibus erat Christianorum, & peregrinis omnibus liber patebat ingressus. Guillelmus igitur ingressus in sanctam ciuitatem, postquam sepulchrum Christi glorioſum cum puritate & deuotione visitasset, requirere cœpit à ciuibus venerabilem vrbis Primatem, factum est autem per diuinam voluntatem, vt & ipse esset Hierosolymis in diebus illis. Ad quem cum introductus esset Guillelmus, se & causam itineris totumque negotium seriatim ac per ordinem eidem patefecit. Patriarcha autem viso Guillelmo, gauisus est valdè, erat enim ex magnis temporibus cupiens eum videre. Audierat siquidem, famæ clamoribus vbique perstrepentibus, multa mala de ipso, & videns quoniam magnificasset Dominus misericordiam suam cum ipso, congratulans & exultans, Dominum benedicebat in ipso. Fuit & alia familiaris causa, quare Guillelmum venerabilis Primas tenacius sibi copulabat, & dulcius adstringebat, ac ampliori reuerebatur honore. Nam confessus est & non negauit, se fuisse filium cuiusdam de seruientibus Guillelmo, cui fidelissimè famulanti multa bona Guillelmus fecisset, ac immensa donaria munificus contulisset. Ob hanc causam beneficij accepti non immemor filius, præparabat se libenti animo ad rependendum vicem vicariæ benignitatis. Nec se capiens præ gaudio super inopinata conuersione Ducis & euentu insperatæ salutis, quibus poterat abundantiam lætitiæ propalabat gemitibus & suspiriis. Conuersusque ad Dominum, procidit in faciem suam & adorauit, dicens: Benedictus es, qui intueris abyssos & sedes super Cherubim: qui viuificas

*Venit ad Patriarcham, sicut ei præceperat summus Pōtifex.*

*Gaudiū Patriarchæ super conuersione Comitis.*





ficas mortuos, & vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ tuæ! O quàm heri nouissimus, ô quàm primus hodie. Nunc ergo Domine, benigne fac in bona voluntate tua cum eo, & quod dignatus es incipere, fac cum eo signum in bono. Doceas eum per spiritus tui vnctionem cœlestia diligere, & supra sydera conuersari, cui iam inspirasti terrena despicere, paupertatisque stigmata feruentius æmulari. His dictis Guillelmum cum ingenti susceptit gaudio, & eum satisfactionis salutaris salutaribus vinculis alligauit. Cumque niteretur eum cohabitantem retinere secum, vir Dei iam fugiens publicum, nullatenus acquieuit: sed magis solitariam vitam ducere prælegit. Quod & factum est. Nam infra breue tempus intra ambitum atrij sua arctissimam specum desuper coopertam fecit fabricari, schemate quidem vili, instar vmbraculi in vineis, & tugurij leprosorum. In qua ædificatione sic constructa præsente primate, Guillelmus lætissimè & gloriantur quasi in carcere se retrusit, & nouem annis continuis cum nimia ciborum parsimonia se recluſit.

*Ab excommunicationis sententia liberatur.*

*Nouem annis in quodam tugurio degit solitarius.*

## DE HABITATIONE EIVS APVD Patriarcham. Cap. XIV.

Beatvs itaque Guillelmus in illo humili tugurio constitutus, Deo & hominibus efficiebatur gratus & dilectus, gratumque se hospitem exhibebat apud Patriarcham, ita vt diceret ei Patriarcha: Experimento didici, quod omnibus bonis spiritualibus repleti sumus ad introitum tuum, & ob gratiam tui benedixit nobis omnipotens, sicut benedixit domui Ægyptij propter Ioseph. Ipse autem verus Ioseph nihil nouerat ibi, nisi tugurium suum, in quo claudebatur, & tegumentum, quo operiebatur, & panem arctum aquamque breuem, quibus reficiebatur. Domus erat, cella: potus, aqua: cibus, panis nigerrimus, habitus ferreus & asperrimus: lectus, antrum, culcitra, solum, capitale, saxum, coopertorium, tectum. Taliter se habuit per nouennium continuum, cui viuere Christus erat, & mori lucrum. Sæpe noctes peruigiles in oratione ducebat, & cum tandem aliquando ad necessitatem naturæ tenuissimo somno opus esset, lacrymis stratum suum prius rigabat. His & aliis similibus exercitationibus assuetus, cœpit Angelorum iucundari adspectibus, erudiri visitationibus, commoueri suggestionibus, sedulitate consolari. Ingenti cura magnoque tripudio Angeli intererant psallenti, aderant oranti. Solicitè conuerso congaudebant, tristem confortabant, ignorantem instruebant, tentatum protegebant: & in omnibus ipsi prouidebant.

*Angelorum fruitur consolationibus.*

## VT A SVIS SOLICITATVS SIT ad resiliendum à proposito. Cap. XV.

Factvm est autem cum homo Dei ibi moraretur, vt vbique terrarum requirerent eum cognati & noti. E quibus aliis lustrantibus prouincias, vrbes, populos & terras, alij maria transfretarent, extendentes se longè ad insulas remotissimas & ignotas. Cumque diutius frustrata fuisset solicitudo quærentium, tandem rumores veridicos acceperunt de eo à peregrinis quibusdam. Arreptó-

*Vbique requiritur à suis.*

que itinere, valedicentes Pictauiæ, aliqui eorum Massiliam venerunt, & ascendentes mare in nauibus, vento prospero in vrbem Acconensem celeriter ac feliciter applicuerunt, & sic tandem ad suum Comitem Hierosolymam peruenerunt. Post istos & alij veniebant, & aliis reliqui succedebant, & multiplicabatur indies aduentantium multitudo. Omnes autem qui præcedebant & qui sequebantur vnanimiter eum increpabant, & talia loquebantur: Quid agis Domine? quid insanis ô Guillelme? Quis te fraudulentus fraudulenter circumuenit, & nequiter fascinauit, vt respiceres in huiusmodi vanitates & insanias falsas? Quid tibi deerat in Comitatus fastigio, suffulto vndique subsidio amicorum? Quiesce iam ab hac stultitia. Ecce terram tuam alieni deuorant: nec est qui eis possit resistere. Qui si te præsentem cernerent, non auderent vel mutire. Hæc & huiusmodi in auribus Comitis Sirenes & Vlulæ quotidie sibilabant: & inimici hominis domestici eius talia fabulabantur. Mox mirum in modum ad eius subuersionem omnia viscera sua concussit inimicus, & illicita quæ prius per os amicorum suggesserat, vt eius consensum obtineret, in memoriā eius redire procurauit hostis antiquus. Diabolo ergo reuocante ad ruminanda præterita, & mundi concupiscentia illiciente oculos ad præsentia, factus est minus diligens extendendo se tepidius ad futura. Imaginabatur gloriam quam reliquerat, verebatur ignominiam, quam assumpserat, recordabatur ab amicis quæ audierat, & comparans visis audita miserabiliter intepuerat. Qui etsi ad primos insultus non est persuasus ad vomitum remeare, exinde tamen cœpit aliqua de rigore propositi relaxare. Hāc autem tepiditatis tentationem permisit eum Dominus sustinere, vt posteris daretur exemplum calcandi præsumptionem, & resiliendi in propriam miseriam: quia à nobis solum fragilitatem habemus & defectum, à Deo autem nostro fortitudinem & profectum. Dum igitur sic animo vacillaret, facta sunt quæ sequuntur.

*Conantur serui eum reuocare ad suū palatiū, sed frustra.*

*Paulo tepidius se gerit in orationibus & aliis spiritualibus exercitiis.*

## VT A PROPOSITO NONNIHIL deflexerit. Cap. XVI.

Contigit his diebus, vt Guillelmus, peragratis superioribus partibus Tusciæ, intra confinia Lucensium deueniret. Ciues autem Lucenses simultate quadam oborta aduersus vicinos eorum castrum quoddam ex illorum colonia fortiter obsidebant. Cumque viribus vel industria nullatenus præualerent, casu Guillelmū contigit eò peruenire: & iter faciens per medium illorum, obsidionis causam quæsiuit ab occurrentibus. Qua diligenter cognita, suadente diabolo, prorupit in hæc verba: Cassō labore bellatores hi consumuntur, in vanum castrum subuertere moliuntur. Non magis videtur hominibus istis ad pugnam conuenire, quam bubus aut asinis ad lyram. Hæc si mihi pugna concederetur, infra paucos dies, & diruta mœnia exterminarentur, & castrum expugnaretur. Audiuit hæc quispiam, & nunciauit aliis, & illi aliis, quousque verbum innotuit his, qui videbantur in exercitu gerere principatum. Et fuit commune consilium, vt Guillelmus à ciuibus vocaretur in medium. Vocatus adfuit, & sicut de Saüle legitur, ab humero & sursum eminebat super omnes. Et visa proceritatis eius longitudine, magnarumque virium fortitudine, cognouerunt eum

*Vltio diuina.*

virum bellicosum,& in bello doctissimum.Suasum est illi à ciuibus atque persuasum,intantum vt pœnitentiæ oblitus, expugnationis triumphum eis in crastinum promitteret affuturum: & sic suggestione diabolica ad damnosam militiam sponte respiciens, corde cum filiis Israël in Ægyptum reuertebatur. Cumque se militares induisset habitus, sequenti nocte transacta, summo mane omnino se lumine priuatum reperit oculorum.Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur scriptura: Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Videns igitur rediuiuus Saulus plaga cæcitatis se esse percussum, pudibundus & valdè confusus, luce clarius perpendit, ab Angelo Satanæ sibi fuisse illusum. Et compunctus corde intrinsecus, quod semel manum mittens ad aratrum,respexisset retrò,definiuit ad Dominicam militiam se protinus rediturum, & nunquam in perpetuum ab ea recessurum. Et recogitans quanta quotidie beneficia præstat inuitis pater misericordiarum, ex totis præcordiis se totum contulit ad rogandum Dominum, qui solem oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Domine Deus meus, inquit, qui es lumen indeficiens, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum,per te quæso tenebræ cordis mei illuminentur, & oculi corporis mei misericorditer aperiantur. Vix sermonem beatus Guillelmus finierat,& ecce protinus sensit super se Dominicam visitationem. Mox enim per Spiritus sancti gratiam, quæ tarda molimina nescit, ex insperato lumen amissum recepit. Sicque ad Dei militiam regressus est coactus, à qua stultè digressus fuerat spontaneus. Postquam autem facto die Lucensium multitudo ad eum secundum condictum & placitum conuenit, ea, qua potuit dissimulatione pertransiit. Intimauit eis, se esse pœnitentem & seruum Dei, & dedicatū ad seruiendum Deo viuenti, militare de cætero non licere. Et in hunc modum valefaciens Lucensibus, & transiens per medium illorum, ibat. Posteà suam perscrutans trepidationem, & imminentem suspectam habens imbecillitatem, reuisere proposuit Hierosolymorum sanctam ciuitatem.

*Pœnitentiam agens recuperat visum.*

## DE REDITV EIVS IN HIERVsalem, & abscessu in solitudinem asperam. Cap. XVII.

*Iterum proficiscitur Hierosolymã & in itinere capitur à piratis.*

VIR ergo Dei Guillelmus,resumptis spiritualibus viribus, dimissis Lucensibus, tendere cœpit ad priorem locum, & ad domum Patriarchæ reuerti, vnde prius exierat. Contigit autem, vt cum iter faceret secus litus maris, caperetur à prædonibus Sarracenis & piratis.Et videntes eum hominem imbellem & nudum,agnouerunt ex circunstantiis,Christi famulatui deputatum.Cumque vndique perscrutantes,inuenissent loricatum, festinarunt exuere & spoliatum dimittere. Sed vbi loricam circulis, vt prædictum est,alligatam & carni iam inhærentem distrahere nullatenus valuerunt, valedicentes ei more barbarico,illæsum liberè dimiserunt. Qui prosperè veniens Hierosolymam(egressus enim fuerat propter parentum & cognatorum infestationem) & in prius tugurium se recepit, & sicut prius per biennium continuum se reclusit, excepto, quod districtiori vita solito arctius se afflixit. Sed nec muscæ morientes, quæ perdunt suauitatem vnguenti, defuerunt ibidem. Viro posteriorum oblito, & se in anteriora extendere cupienti,affuit,sicut antè, notorum & propinquorum multitudo copiosa, & rebellis infestatio, non quieuit opponentium se spirituali viri proposito lingua venenosa. Quid hic agis, inquiunt, insane? quid consilium amicorum putas irritum & inane? Ad hoc Christi famulus, diligentior effectus solito, sepiebat aures suas spinis, & nec benedictionibus, nec maledictionibus motus, neque seducebatur blandimentis, neque concutiebatur minis.Ecce patet,post lapsum,quàm cautus Guillelmus fuerit contra recidiuum.Videns igitur vir Deo plenus, quorum sepulchrum patens est guttur,eorum se morsibus, & dentibus patere, ob nimiam eorum infestationem cogitauit occultè discedere, & in solitudine quadam propinqua ad vitam solitariam agendam, se Domino consecrare. Et factum est ita. Nam ecce elongauit fugiens, & mansit in solitudine. In qua procul amotus ab hominibus, more Anachoretarum solitariè aliquandiu habitauit.

*A propinquis & notis infestatus degit solus in deserto.*

## VT ABIERIT IN LIVALLIAM, & ad montem de Pruno. Cap. XVIII.

POST hæc vir Domini in omnibus pauidus, & propriam fragilitatem semper habens suspectam, recordatus est scriptum esse,sicut à quodam probo viro in loco prioris tugurij fuerat eruditus: Melius est duos simul esse, quam vnum,& væ soli,quia si ceciderit, non habet subleuantem. Volens ergo se in laboribus corporis exercere, quatenus diabolus inueniret occupatum, deliberauit beati Iacobi Apostoli limina visitare. Et inuento naugio per Dei misericordiam, qui in oculis nautarum sine naulo contulit ei gratiam, transfretauit & venit in Hispaniam, & ingressus Compostellanam ciuitatem, cum omni deuotione tanti Apostoli visitauit Ecclesiam, & effudit sicut aquam cor suum ante conspectum Apostoli. Vbi cum aliquandiu apud quasdam personas religiosas, eum charitatiuè detinentes, fuisset demoratus, in Tusciam reuertitur, Pisanorum partes ingreditur, & in sylua, quæ Liuallia nuncupatur, speluncam horribilem reperit. In hanc descendens Domino famulaturus recipitur,sed in breui tempore sociorum sibi religiosorum numerus copulatur: cum quibus illo in loco aliquanto tempore religiosè viuentibus conuersabatur, hospitaleque construitur ad Dei venerationem, & pauperum Christi refectionem. Sed non post multum temporis feruor eorum cœpit paulatim tepescere,& qui spiritu cœperant in carne probati sunt consummari, & tanto in religionis culmine positi deficiendo facti sunt deteriores, quantò ibidem proficiendo facti sunt meliores. Compellebantur à viro Dei Guillelmo renunciare illicitis,valefacere moribus assuetis. Et facti fastidiosi super præceptorum salutarium admonitione,vilipendebant imbui tanti patris informatione. Cumque ille non posset quæ audierat,& viderat,non loqui, conuiciis cœperunt & iniuriis affligere patrē inimitabilem. Sed quid ageret norma iustitiæ, virtutis insigne, alumnus disciplinæ, professionis forma?Hospitale cuidam viro religioso, Petro nomine, qui actibus malorum non consenserat,commendauit, & sic de illo loco,ad alium prudentissimè discessit. Veniensque ad montem qui de Pruno nuncupatur,in sylua opacissima, sub quodam modico tugurio,solitariusDomino famulatur.

*Proficiscitur ad S. Iacobi.*

*Habitat in horribili spelunca. Multi se subdunt eius magisterio.*

*Multa patitur à suis Monachis.*

*Secedit in opacissimam syluam.*



latur. Ibidem arctissima vita voluntariè assumitur, contemplationi simul & actioni insistitur, & vnius manus ponitur in ambobus.Ibi cellula construitur, hortulus concluditur,areola diuiditur, humus oleribus seritur, & arborum diuersa species inseritur, vinea etiam propaganda plantatur. Sed & à viro Dei terror & horror serpentum venenosorum cellam inquietantium procul repellitur,omnisque infestatio immundorum spirituum potenter abigitur. Opinionis siquidem eius fama vndique crebrescente, sociorum multitudo Deo famulatura, illi copulatur,& à falsis fratribus, inuidiæ facibus accensis,inuidiæ virus multiplicis toleratur. Vnum tamen de insultibus dæmonum ibi toleratum distinctè & ordinatè commemoramus, arbitrati stylo potiùs exprimendum, quàm silentio supprimendum.

*Degit illæsus inter serpẽtes.*

## DE TENTATIONE DÆMONIS sub specie proprij genitoris. Cap. XIX.

VADAM igitur nocte, cum solus suo illo solito & ignito modo meditationibus inuigilaret, & in orationibus intentus pernoctaret, contigit vt ei Satanas inuideret. Inuidit,& affuit, nec satellitum immundorum fraudulenta multitudo defuit. Et quem à rigore sancti propositi per se aliàs non valuerat emollire, cogitabat innumerabili dæmonum multitudine circumdatus,tentando circumuenire. Cõuenerunt igitur in vnum aduersus Dei famulum, vt multitudine vincerent, quem vincere fortitudine non poterant.Prima igitur vigilia noctis, cum surrexisset in principio vigiliarum suarum, & effudisset sicut aquam cor suum ante Dominum, audiuit subitò exercitum aduenientium dæmonum, qui quasi totam vallem occupantes, phaleris equorum & sonitibus crepitaculorum perstrepebant. Nunc animalia crederes vociferantia:nunc volatilia cantibus variis audires garrientia, nunc sibilabant vt serpentes, nunc hinniebant vt elephantes, modò rugiebant vt leones,iam vlulatibus pugnantium tota sylua resultabat: iam strepitibus militantium vallis omnis resonabat, modo clamoribus aucupum & venantium totum nemus tremebat. Accedentes autem propius, cellam eius circundederunt, & in modum coronæ rediuiuum Dauid Satanas & eius satellites cinxerunt. Mox mirum in modum circa illius cellam more militari cœperunt hastis inter se congredi, & duello de victoria certare. Ex illis autem vnus cæteris clarior & virtute robustior, apparuit in specie proprij genitoris, & ad Guillelmum dicere cœpit cum vociferatione clamoris.

*Apparet ei diabolus in forma proprij genitoris.*

*Cerne senescentem fili Guillelme parentem,*
*Exi continuò patre rogante tuo.*
*Germine non humili genitus, me respice fili,*
*Nec mea despicias vota, precesque pias.*
*Exi Vuilhelme: tu namque resumere per me,*
*Terras, & dotes, prædia, regna potes.*
*Iam sat seruisti, superest tibi gloria Christi:*
*Præmia non poteris perdere, saluus eris.*
*Iam patrem sequere, iam iamque tui miserere.*
*Ad tua regredere, viscera mota gere.*
*En generis soboles nostri stat, turbaque fratrum,*
*Cum quibus in Theatro ludere sæpe soles.*
*Fratres cum cuneis notorum respice tristes:*
*Exi, ne distes, associandus eis.*
*Illis iungeris pompa, solioque frueris:*
*Cinget te generis turba, beatus eris,*
*Armigerorum turba decorum glorificabit,*
*Seruorumque chorum copia larga dabit.*
*Cernendo mœstum te spectat turba nepotum,*
*His saltem præsta, quæsumus, antidotum.*
*Fili mi, quid habes animi leuitate cadendo?*
*Magnamini non est, perimi se velle latendo.*
*Quærere vilia, spernere gaudia, téne remordent?*
*Ecce placentia sunt tibi tristia, prospera sordent.*
*Ferrum, cauma, famem, frigus fers atque ligamen,*
*Nec florens ætas te mouet, aut pietas,*
*Postpositis igitur furiis, mihi sanus obedi:*
*Ne tardes ergo, concitus ipse redi.*

Hæc & eiusmodi princeps dæmoniorum in aures eximij principis suggerens suadebat: sed Christi miles verba deceptoria parui pendebat. Licet enim inauditis antea nouellis monstris fuisset aliquantulum perterritus, protectus fortitudine Dei nihil ad hæc respondit penitus. Mentem eius firmam in Domino nec terrores concusserunt, nec blandimenta seduxerunt. Videns ergo diabolus suam nihil prævalere industriam, contemni non ferens occultam fraudulentiam, sese conuertit ad quantam permissus apertam violentiam.Et effractis cellulæ ianuis, in multitudine copiosa audacter intrarunt, & extra domum trahentes, verberibus acriter ceciderunt.Conquassatis ergo & confractis vniuersis membris corporis eius ab iniqua caterua, supra dorsum eius fabricante, abierunt semiuiuo relicto, & paululum respirante.

*Crudeliter verberatur à dæmonibus.*

## VISITATVR A VIRGINE Maria, & cæteris virginibus. Cap. XX.

RECEDENTIBVS igitur malitiæ satellitibus, athletam suum in sua tribulatione consolari dignatus est pater misericordiarum, & pius Dominus, qui nouit pios eripere de tentatione, secundum multitudinem dolorum in corde suo, eius lætificauerunt animam multiplici consolatione. Nam subitò missæ sunt curare vulnera eius tres puellæ, renitentes inæstimabiliter specie generosa, secum portantes vnguenta pretiosa. E quibus vna cæteris præclarior & facie venustior rutilabat, quæ militem Christi cohortando, sermone dulcissimo mitius blandiebatur. Hæc erat, sicut ipso postea referente cognitum est, genitrix Dei, Domina mundi,regina cæli, virgo Maria.

*Sanãtur eius vulnera à gloriosa Virgine Maria Deipara.*

## DE HOSPITA A FEBRE sanata. Cap. XVI.

INTEREA videns diabolus per seipsum clàm vel palam ad seducendum virum Dei, suam nihil versutiam prævalere: molitus est per alios, quod per se non poterat adimplere.Conuertens igitur se ad acriorem læsionem & minus tolerabilem pugnam serpens antiquus, nouit scriptū esse, quod nulla pestis est efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Immisit itaque in cor sodalibus & falsis fratribus, qui cum ipso morabantur, vt inuidentia cordis, conuiciis oris, molestiis & iniuriis operis, eum incessanter infectarentur,& ita factum est. Postquam verò malignantium persecutiones diu longanimiter sustinuit,tãdem eorum nequitiis cessit, & abiit, atque in sylua Liualliam,vbi prius hospitale constructum erat, rediit.

*Valde ei sunt infesti sui Monachi.*

rediit. Sed & fratres loci eiusdem instigante diabolo, non minus eum persecuti sunt, immo plus etiá quàm ante, & cœperunt ei conuiciis illudere & eũ opprobriis saturare. Improperia exprobrantium Eliseo, ceciderunt super eum, quia multum dissimilis erat vita eius operibus illorum. Cùm ergo mortiferum virus inuidiæ cogitaret humiliter declinare, cœpit infirmus & debilis corpore quo tenderet æstuare. Et ecce subitò, sicut ipse postea referre consueuerat, vox ad eum de cælo sonuit, quæ in montem Petritium iuxta Castellionem Burianensem, eum ire præcepit. Nec mora, ad obsequendum mandantis imperio, licet infirmus artubus & corpore debilissimus, statim accingitur, & tandem paulatim ad nominatum locum peruenit. Cumque ibi per aliquot dies resedisset quietus & solitarius, superuenerunt pastores plurimi, qui de tota vicinia illic statutis diebus conueniebant frequentius. Quorum frequentiam & inquietudinem vir solitarius ferre non sustinens, egressus inde, lustrato vndique loco, tandem Castellionem deuenit, vbi amore & intuitu Iesu Christi, à quodam viro mansueto, qui erat incola loci illius, honestissimè susceptus est, & in domo eius resedit multis diebus hospitatus. Erat vir ille honestus habens vxorem & familiam, & de bonis temporalibus sufficientem mediocritatem. Erant ambo iusti in conspectu Domini, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Apud hos Guillelmus per longum tempus vsus hospitio est, eorum beneficio humaniter sustentatus, factum est autem vindemiarum tempore, vt infirmus & ieiunus circa horam diei nonam diceret hospitæ suæ: Ecce, inquit, longo corporis dolore, temporis calore, ac ieiuniorum continuorum pondere confectus tabesco, & ne per meam incuriam deficiam, pertimesco. Tibi ergo humiliter supplico, ad refectionem vespertinam mihi aliquid curato præparare. Cui illa respondit: Viuit Dominus & viuit anima tua, quia hodie tibi ministrare non possum, incommodo febris grauissimè prostrata. Velle quidem adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Mox ille passionibus hospitæ vehementer compassus, inuocauit super eam nomen Christi, & sub omni celeritate febris à fœmina pellitur, sanitasque pristina restituitur. Nec mora, ad viri Dei surgit imperium, & quod iussa fuerat, sedulò, fideliter & deuotè parat edulium: nec solum die illo, sed prout potest, eidem ministrat deinceps omnibus diebus vitæ suæ. Hoc ipsamet, Dominum in seruo glorificans, aliis consueuit enarrare non ingrata, etiam à nemine interrogata.

*Diuinitus monetur se conferre ad montem Petritium.*

*Pellit febrem à sua hospita.*

## DE TVGVRIO S. VIRI IN STABULO RODIS. Cap. XXII.

POST hæc vir verè humilis, nolens reputari, nec mirabiliter prædicari, laudationemque sui ferre non valens, apud quos huiusmodi fecerat signum, non acquieuit vlterius commorari. Et recedens clanculò, ad Ecclesiam S. Nicolai perrexit, & ibi modico tempore cũ venerabili viro Guidone Presbytero permãsit. Nec multo post eius beneficio & auxilio fretus, venit in vallem quæ dicitur Stabulum Rodis, solitudo quædam penitus inculta & horribilis valde est. Ibi recepit semetipsum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Anno Dominicæ Incarnationis 1155. mense Septembri, mediante adiutorio virorum nobilium castri Burianensis & dicti Domini Guidonis Sacerdotis, erectum est viro Dei, prout ipse voluit & optauit, mapale modicum & tugurium vile in loco qui dicitur Stabulum Rodis. Ibidem per annum fermè & dimidium superuixit, & pauperrimè degens, vitam asperrimam duxit. Hæc fuit vltima mansio & statio viri Dei. Ibi corpus terræ, spiritum verò tradidit æternæ requiei. Ibi in tanta innocentia ingressus est, in tanta simplicitate conuersatus est, vt inter feras bestias, serpentes & dracones degeret securus & illæsus. Volucres cæli cum illo vescebantur, bestiæ ferocissimæ, depositâ quodammodo rabie naturali mansuetæ reddebantur, & omnia reptilia, ad iussum eius obedientia, ibant & reuertebantur, animalia quantuncumque syluestria sacra eius vestigia humi prostrata deosculabantur. Etiam spiritu prophetiæ ibidem cœpit clarere, sicut sequentia docebunt. Erat iisdem temporibus Sanctus Albertus, bonæ indolis adolescẽs, viri Dei minister, & eius disciplina perfusus ambulans cum eo, intrans & exiens, & conuescens familiariter. Hunc ergo præuidens in spiritu, virum spiritus, & virtutis futurum, die sancto Epiphaniæ in discipulum & fratrem recepit, secum Domino militaturum. Vnde in libello, quem idem Dominus Albertus de vita patris visu & auditu percepta, compendio descripsit, inter cætera sic ait: Post hoc Epiphaniarum tempore ego inutilis & indignus Albertus, vitiorum multorum labe prægrauatus, à sua sanctitate sum receptus. Nec fraudatus est à desiderio suo vir desideriorum, proficiente in hoc eius discipulo, vt postmodum multorum pater fieret Monachorum. Intantum siquidem magistri discipulus factus est in melius æmulator, vt signorum & prodigiorum fuerit effector mirabilis. Sed iam nunc post viri sancti gesta, stylum conuertamus ad miracula, tam quæ obitum præcesserunt, quam quæ sunt subsecuta.

*Vitam asperrimam ducit solitarius in Stabulo Rodia.*

*Nihil nocetur à serpentibus & draconibus, sed & aues mansuetæ cum eo comedunt.*

## DE PVELLA FEBRICITANTE, & curata. Cap. XXIII.

IN diebus illis pater sanctus, vir Domini Guillelmus cum suo discipulo Alberto solitarius & quietus in suo residebat Eremitorio, & quidam vir Michius nomine victum ei de Castellione, charitatis studio, semel vel bis in hebdomada deportabat. Huius viri puella laborabat febribus, quæ pro charitate panem à viro Dei benedici, & sibi afferri rogabat. Cuius cùm desiderium prædictus vir viro Dei aperuisset, mox vir Dei præsumptionem fugiens, mittere quod rogabat, recusauit: adeo se peccatorem & omnium virtutum expertem sentiebat. Verum cum ab Alberto etiam rogaretur, panem oblatum signauit, sicque particulam in nomine Domini puellæ febricitanti destinauit. Qui degustatus, in Trinitatis nomine tribus puellis febricitantibus beneficium sanitatis est operatus.

*S. Albertus, discipulus viri Dei.*

*Pane benedicto tres puellæ febricitantes sanantur.*

## DE LAMPADE CADENTE, ET non fracta. Cap. XXIV.

ALIO tempore, cum nocte quadam more solito vocasset Albertum, ad orationem, parua & tenuissima lampas iuxta tectum suspensa, casu



casu in pauimentum corruit commota per murium corrosionem. Et ecce oleum perditum est & effusum, sed mira Dei voluntate, vasculum integrum & illæsum permansit. Quod natura non habuit, olei monstrauit effusio: sed quod creator potuit, lampadis fragilis patefecit integritas. Qui statim surgens discipuli somnolentiam feruenter increpauit, & Christi nomen benedictum in secula, cum hymnis & laudibus exaltauit.

*Lampas ex alto cadens illæsa permanet.*

## IN MORTE HABVIT SPIRITVM prophetiæ. Cap. XXV.

NEC prætereundum est, quod cum ad sanctissimum sui corporis festinaret obitum, accepit prophetiæ spiritum. Erant ambo solitarij, habitantes vnius moris in tugurio, discipulus & magister. Guillelmus ægrotabat ad mortem, & Albertus famulabatur vt minister. Et cognoscens discipulus, quia magister moreretur, vt ad terram viuentium migraret, lacrymabiliter talia ad eum loquebatur: Heu, heu, qualiter vnicum deseris filium? Nunquid post te superstes potero viuere? Nunquid soliuagus in hac obscura solitudine potero remanere? Pater amantissime ne me solum deseras, ne me desolatum relinquas. Ad has voces Guillelmus, super filium pia gestans viscera, blande consolatus est eum dicens: Sustine, fili mi, paulisper, sustine, & noli ingemiscere, quoniam antequam spiritus meus egrediatur è corpore, meliorem me socium tibi Deus transmittere curabit. Vix beatus Guillelmus sermonem impleuerat, & egresso de tugurio discipulo, vir illustris & prudens Reinaldus, medicinæ peritissimus, secularibusque affluens deliciis, aduenit, qui Alberti socius olim in scholis fuerat. Quo viso, Albertus occurrit in amplexus eius, & salutauerunt se mutuò verbis pacificis familiariter. Quæ postquam gesta sunt dixit Albertus Reinaldo. Vade festinus, & ne cunctetis, & teipsum manibus trade Domini mei antequam moriatur. Quo peracto Domini prouidentia, vir Dei prophetice dixit Reinaldo vera quidem verba, sed breuia: Vade, inquit, ne tardes redire fili, & confortare: quia spiritus mammonæ totis viribus à sancto proposito te studebit retrorsum abducere. His dictis, egressus est Reinaldus, & postmodum reuersus.

*Claret prophetico spiritu.*

*Reinaldus B. Alberti socius mundũ deserit.*

## DE MORTE B. GVILLELMI. Cap. XXVI.

POST hæc sciens beatus Guillelmus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset pœnitentiam quoad vixerat, in finem dilexit eam. Subiit ergo animum eius, vt Albertum diluculo Castellionem pro sacerdote citò dirigeret, qui ipsi pœnitentiam imponeret in extremis. Iussione ergo facta discipulo, tantus eum inuasit horror & pauor frigoris, quod vix explicare valet sermo doctoris. Frigus enim prævalidum, flante Borea, solito asperius inhorruerat, gelu nimium iter scopulosum constrinxerat, & densa nix omnia cooperuerat. Sed confortatus à magistro discipulus, relictis calceis, nudis ac teneris plantis cœpit ire. Dereliquerat autem ignoranter, priusquam ad sacerdotem pergeret, supra magistri caput pauxillum candelæ ardentis, quàm cum sacerdote rediens ardentem, vt prius, reperit, & in nullo imminutam, solo omnipotentis Dei miraculo. Mox Guillelmus de manu sacerdotis omnia sacramenta Christi ritè suscepit, ea quidem reuerentia & deuotione, qua spiritualiter à spiritu Domini accepit. Postea appropinquante hora exitus sui, subitò, licet incredibile videatur, primus pallor qui ex cilicio, ferro, squalore ac inedia corpori eius obrepserat, totus abscessit, vultuque clarificato, ac lætis oculis, inuisus antea color accessit. Defunctus viuere, & viuens mortuus videbatur, cui viuere Christus fuerat, & mori lucrum. Postea sciens Albertus, quod ea quæ de magistro suo sunt, finem sortiuntur, incepit dicere Antiphonam, quæ in egressu decedentium dicitur. Subuenite sancti Dei, &c. Psallebat etiam cum eo venerabilis sacerdos, quem pro imponenda pœnitentia de Castellione vocauerat: qui vt videret finem, cum solitariis duobus remanserat. Interim Albertus præparans funeris exequias, cantando plorabat, & plorando cantabat, non ignorans pium, & salubre, orare pro defunctis, cùm venissent ad locum illum: Occurrite Angeli Domini, exiuit spiritus eius, & reuersus est ad Dominum qui fecit illum. In ipso mortis articulo magis videbatur obdormiẽs, quam obiens: post mortem verò soporatus potius quam exanimatus. Nitorem coloris in facie, sicut in diebus iuuenturis receperat, & omnis decoloratio, solisque adustio recesserat.

*Candela accensa in nullo imminuta.*

*Moriturus Ecclesiastica sacramenta cum magna deuotione recipit.*

*Gloriosè migrat in cælũ.*

## DE SEPVLTVRA ET MIRACVlis eius. Cap. XXVII.

CERNENS Albertus cum Ioseph verum Israel obiisse, ruit in faciem animo consternatus, & tenens pedes veri Iacob, amplexando eius sacra vestigia, reuerenter osculabatur. Rursus autem refricatus est dolor de solitaria desertione: sed non passus est diutius discipulum suum sua expectatione fraudari. Nam Reinaldus, cunctis facultatibus suis in pauperes distributis, assiduè quod à viro Dei audierat, animo æstuante reuoluit, & citò post eius obitum, ad Albertum rediens, quod Deo promiserat exoluit. Verumtamen grauissimæ dæmonum persecutiones, iuxta præsagium Sancti Guillelmi, in conuersionis primordiis non defuerunt ei: quibus ingruentibus, mox fugiebat ad tumulum viri Dei. Et quandiu ibi erat, sicut postea referebat, nullas hostium molestias metuebat. Post hæc corpus beati Guillelmi à discipulo & Presbytero more Christiano ad sepulturam præparatur, & in hortulo, quem ipse dum viueret, propriis manibus coluerat, gleba illa sanctissima terræ commendatur. In quo loco postea humili schemate constructum est oratorium, vbi morbidis & variis depressis languoribus multiplex à Domino præstatur beneficium, & propè est Dominus petitionibus omnibus piè Guillelmum inuocantium. Obiit verbi incarnati anno 1156. quarto Idus Februarij, & sepultus est in Stabulo Rodis.

*In suis tẽtationibus Reinaldus ad tumulũ S. viri se conferre solebat tanquam ad securum portũ.*

*Multa miracula fiunt ad sepulchrum viri Dei.*

### NOTÆ.

Guillelmus.] *De eo Martyrolog. Roman. cum Baronio 10. Februarij. Multa scribit de eo Bern. Abb. Bonevallis in vita S. Bernardi Abb. Clareuall. Eius res gestas locupletius prosecutus est Theobaldus Episcopus, quas exscripsit*

*exscripsit Sur. tom. 1. nosque eas compendiosè etiam hic retulimus. Scripsit easdem Albertus eius discipul. quas & Cornelius Granpheus carmine cecinit. Fuit olim grauis controuersia inter Guillelmitas & Augustinianos. Primi dicebant hunc beatum eorum fuisse Institutorem, alij autem non, sed potius eum fuisse Ordinis D. Augustini: de qua controuersia melius silendum puto quam aliquid loqui. Sacrum eius corpus apud Parisios in Monast. Guillelmit. vulgò* des blancs manteaux, *supra maius altare asseruari didici.*

Anathematis opprobrio condemnatus.] *Anathema idem quod excommunicatio, separatio. Et dicitur ab Ana, quod est sursum, & theta, quæ est quædam figura sic facta quæ imprimebatur olim in frontibus damnatorum: inde dicitur anathema quasi anatheta Græcè, id est superna maledictio quæ solet fieri per Prælatos.*

A collibus Iberorum.] *Iberus est fluuius Hispaniæ, qui apud Cantabros oriens, per 40. passuum millia fluit, & in mare Balearicum exit: vnde Iberi & Iberes dicti sunt populi Hispani.*

Alij Eremiticam, alij Anachoreticam vitam ducentes.] *Est differentia inter Eremiticam & Anachoreticam vitam. Nam Anachoretæ sunt illi qui soli in desertis habitant & recluſi manent, contemplationibus vacantes. Vnde Anachoreta dicitur quasi cor agens ad Deum. Vel dicitur ab Ana, quod est sursum, & chorus, quasi cælestem chorum mente inhabitans. Eremitæ verò habitant quidem in desertis, sed non ita solitarij sunt quemadmodum Anachoretæ.*

Syrenes & Vlulæ.] *Syrenes sunt monstra marina, quæ dulcedine sui cantus nautas ad se trahere ferunt. Vlulæ verò sunt aues à fletu denominatæ, hoc est,* ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, *quod est vlulare, & flere. Virg. Certent & cygnis vlulæ.*

Peragratis partibus Tusciæ.] *Tuscia Italiæ est regio.*

Stabulum Rhodis.] *Vide quid dicat Card. Baronius in suis Annotat. ad Martyr.*

Flante Borea.] *Boreas est ventus Aquilo, qui ab Hyperboreis montibus flat, vnde & frigidus. Dictus Boreas* ἀπὸ τοῦ βοᾶν καὶ ῥέω. *Quoniam vt violenti flatus est, ita etiam sonori.*

*Habetur lib. 25. c. 46. 47. 48. 49. & 50. Speculi Hist.*

## *VITA S. STEPHANI EREMITÆ Grandimontensis, Ordinis Institutoris. Ex Vincentio Belu.*

*Patria & parentes S. Stephani.*

BEATVS Stephanus Ordinis Grandimontensis Institutor, fuit filius Stephani nobilissimi viri, ex Aruernensium partibus. Adhuc puer à patre ductus est Beneuentum, vbi à Sancto Milone Archiepiscopo duodecim annis educatus, regulam benè viuendi didicit. Denique discedens peragratis multis desertis, in Aquitaniam prope Lemonicas ad montem nemorosum qui Muretum dicitur, Christo duce peruenit: vbi fontes reperit & rupes, terram desertam & inuiam, quæ tota syluestris & sterilis hominibus insueta, & feris assueta, nouo hospiti suo potum frigidissimum, & domum ventis expositam offerens, afflictionem corporis, & requiem mentis manifestis indiciis promittebat. Tunc gaudens Stephanus, ibi Deo se seruiturum omni tempore spopondit, & cum quodam annulo quem de omni mundi substantia tantum habebat, semetipsum castissimam virginem desponsauit dicens: Ego Stephanus abrenuncio diabolo & omnibus pompis eius, & offero me ac reddo Deo patri & filio & Spiritui sancto. Scribensque professionem suam posuit super caput suum: fundens quoque orationem ad Iesum Christum Dominum, & ad matrem eius virginem, facto de virgultis paruo tugurio, anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo sexto, trigesimum annum agens ætatis, habitare cœpit eremum in ieiuniis & vigiliis & orationibus continuis seruiens Deo.

*Educatur à S. Milone Episcopo Beneuentano.*

*Seipsum annulo desponsat Christo, eiusque sanctissimæ matri.*

*Construit sibi tugurium ex virgultis arborum.*

Cibus eius panis & aqua, interdum farinulæ siligineæ paruæ sorbitiuncula. Incedebat quoque armatus lorica ferrea contra carnis insidias & mentis lasciuiam: quousque toto corpore exciccato plenam de seipso victoriam obtinuit. Indumenta quibus super loricam induebatur nullo tempore augebantur: sed hyeme & æstate ad repellendum frigus & cauma semper erant eadem. Stratus in quo post nimiam carnis suæ fatigationem ad quiescendum se modicum conferebat, adeò durus erat & quieti contrarius: quod in eo dormiens vexari poterat, non foueri. Erat enim ex tabulis ligneis instar sepulchri in terra consertis, omni stramento, omnique lectisternio carens: præter illam tunicam ferream quam semper ad nudam carnem gestabat, vilissimum etiam habitum, quo desuper indutus erat. Sic eo absente stratus eius nudus erat & vacuus eo præsente, talibus culcitris & linteolis erat ornatus. Præter horas canonicas & regularia debita, genuflexiones innumerabiles terram deosculando, & cum fronte nasoque percutiendo humiliter faciebat. Itaque eorum assiduitate manibus ac genibus in modum cameli callos contraxerat: & nasum in obliquum curuauerat. Psalmodiam & orationes, ac diuinæ contemplationis gratiam intantum amabat: quod horum dulcedini intentus, frequenter biduo vel triduo à corporali edulio vacabat. Et quia non potuit lucerna accensa latere sub modio, longè latéque diuulgata est sanctitatis eius opinio: multique ad eum veniebant, & monita salutis audiebant, paucique se ei sociabant cæteris austeritatem conuersationis suæ reformidantibus. Verumtamen districtionis suæ regulam nemini imponebat: sed sibi quidem asper, aliis pius, ac longè moderatior erat. Ac postquam disponente Deo discipulorum eius numerus creuit, similiter non quasi vnus ex illis factus est: sed minor omnibus illis. Nam illis ad mensam sedentibus & vescentibus, ille humiliter residebat passiones SS. & Vitas Patrum, vel aliam ædificantem scripturam legendo, de salute eorum solicitus eos prudenter instruebat, & orationibus suis iuuabat. Quæ tantæ virtutis apud Deum erant: vt ab ipsis dæmonum faucibus, & prauis machinationibus homines captos liberare posset.

*Cibus eius.*

*Lorica ferrea indutus inaudit.*

*Lectus eius.*

*Multas genuum flexiones facit.*

*Multi se eius subdunt magisterio.*

*Humilitas viri.*

Nam miles quidam generosus immensi criminis reus, cum inter alios qui ad eum visitandi gratia venerant assisteret ait. Obsecro te serue Dei, noli pro me Deum deprecari, nam quoddam peccatum intantum diligo: quod nullatenus illud odire vel relinquere volo. Quia si pro me rogaueris, ne hoc mihi contingat timeo; tuis ergo orationibus aliis auxiliare, mihi verò minimè. His dictis recessit lætus, & vir sanctus remansit tristis & anxius. Ingressusque capitulum fratribus congregatis, sed præ lacrymarum impetu vix loquens, tandem eos hortatur vt pro stultissimo milite Deum cum eo deprecentur. Nec mora, peccator rediit: & de stultitia veniam postulans, iniquitati suæ corde & ore renunciauit. Homo quidam diues victualia viro sancto in eremo consueuerat deferre. Sed quia longè ab eius cella manebat, in itinere sibi hospitium prouiderat, in quo vadens & rediens hospitaretur. Cuius hospitij

*Eius precibus quidam miles a peccandi consuetudine liberatur.*



hospitij Dominus quia diuitias illum habere cognouit, suadente diabolo duobus eum latronibus tradidit: qui vt ad redemptionem illum cogerent, in speluncis & cauernis terræ cum eo latitabant, ligatum eum tenentes & captum. Post aliquot dies nunciatum est Dei seruo quod ille familiaris suus in via qua ad eum veniebat, ab ignotis furtim captus fuerat hominibus, & quò nesciebatur abductus. Tunc fratribus super hoc conquerentibus & dolentibus ait. Cur estis anxij? Scio cui manifestum est de homine vbi sit, & quomodo se habeat. Nudati igitur pedibus eamus in oratorium, & beatæ Virginis matris Domini, in cuius obsequio captus est, imploremus auxilium. Quod cum fecissent, ecce crastina die diluculo proditor hospes cum duobus latronibus & homine quem ceperant, ad cellæ ianuam pulsantes astiterunt. Homo verò qui captus fuerat & ligatus, solutus & liber: fures autem & proditor erant vinculis religati. Quod frater hostiarius videns, & gaudens solito more patri manifestauit discipulos instruenti. At ille gaudium mentis vultu dissimulans, verbum quod inceperat minimè prætermisit: dans fratribus exemplum, vt non in miraculis, sed in solo Deo gloriarentur. Deinceps completo sermone fures & proditorem à vinculis quibus erant ligati soluit: Deoque & beatæ Virgini gratias agens tutos ac liberos abire permisit. Miri odoris fragrantiam cum eo loquentes & astantes circa eum ex eo procedere sentiebant: vtpote in quo suauitatis auctor requiescebat, & in quo virginitas, ac mentis & corporis humilitas eminebat. Excellentissimi quoque Cardinales Gregorius & Petrus Leonis, inter quos postmodum de Papatu schisma fuit: cum in Galliam missi in partibus Lemouicinæ legatione sua fungerentur, ad hunc virum pariter conuenerunt: & viuendi formam hanc à quo didicisset, & cur in loco tam sterili maneret, diligenter inquirentes, verbaque prudentiæ & humilitatis eius admirantes lætabundi recesserunt.

*En quomodo in necessitatibus auxilium B. Virgini Mariæ implorare debemus.*

*Magnæ odoris fragrantiæ ex eius corpore procedere, secum loquentes sentiunt.*

*Visitatur à Cardinalibus Gregorio, & Petro Leonis.*

Octauo autem die ab eorum recessu, nullo tamen adhuc dolore vexatus, ab exteriori colloquio cœpit vacare: seque totum doctrinæ discipulorum & orationi conferre, sciens per Spiritum sanctum obitum suum propinquare. Cum autem eos ardentissimè commoneret, illi astantes vnanimiter dixerunt. Sanctissime pater quamdiu tecum fuimus, nobis pro amore tuo necessaria præbuit Deus: sed post mortem tuam quomodo viuere poterimus? Ad hæc ille in fide firmissimus respondit. Deum solum vobis relinquo, cuius sunt vniuersa. Cuius etiam amore cuncta pariter & vosmetipsos reliquistis, si amando paupertatem ei constanter adhæseritis: ipse prouidentia qua gubernat omnia, vobis largietur quod nouerit expedire. Tandem eius membra letalis dolor inuasit, & post sacram vnctionem & viatici receptionem ad Dominum migrauit in ordine Diaconatus, octuagesimo ætatis suæ anno, feria sexta, Idibus Feb. dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Mox verò Monachi de Ambaizaro cum capellano eiusdem vici & populi multitudine pulsauerunt ad ianuam cum mœrore dicentes, & clamantes. Boni viri nolite nobis celare mortem Domini Stephani. Ianitor autem volens eos à sepultura remouere, vt fratres exequias sine tumultu deuotissimè celebrarent, quasi consolando dicit eis: Dicitis quia mortuus est, immo melius solito credimus ei esse. Cui Sacerdos qui cum cæteris venerat ait. Domine scimus quia mortuus est, noster enim puer quidam modo in extremis positus ab heri & nudiustertius loquelam amiserat, qui cum à matre sua exitum præstolante seruaretur, subitò in hæc verba prorupit. Video, inquit, scalam lucidissimam, cuius altera pars cœlum, altera tangit Muretum, & Angeli multi descendunt per eam, vt animam Domini Stephani perducant ad gloriam. Et mater eius egressa domum, me & Monachos hos vocauit, & in domum suam duxit. Ad cuius intimationem cum à puero quid diceret requireremus: idipsum ab ore illius audiuimus. Et addidit. Hoc erit vobis indicium quod veritatem dico, quia iam moriar, nec vltra vobiscum loquar, sed ascendam cum sanctissimo patre, & Angelorum multitudine. Quibus dictis expirauit. O fœlix visio! Quis enim congruentius virgini testimonium debuit perhibere quàm virgo? Eodem quoque die apud Turonum & Verseliacum decessus illius diuulgatus est: quæ duo loca à Mureto adeò remota sunt, quod nisi miraculosè id fieret, nequaquam fieri posset. Sequenti verò nocte cuidam Canonico familiari suo per visum apparuit habitu roseo decoratus. Nec mirum si roseo apparuit habitu, quia Martyr Christi extiterat dum in hoc seculo vixerat.

*Pueri vident visiones de eius beatitudine, & annunciat eius obitum.*

*Etiã Turon. diuulgatur eius obitus.*

*Apparet cuidam Canonico.*

*Migrat ex hoc mundo.*

Pio igitur patre orbati fratres, vnum de conuentu suo Petrum in Priorem sibi elegerunt Deo & hominibus amabilem. Sub cuius regimine cum fratres proficerent, Monachi Sancti Augustini, locum Mureti in quo Deo seruiebant cœperunt calumniari. Illi verò omnem litigandi occasionem fugientes, locum alium perquirebant, vbi caput religionis suæ constituerent. Nulloque idoneo reperto, tandem consilium inierunt, vt prior humiliter & deuotè missam celebraret, & cum fratribus vniuersis Deo supplicaret: vt quod postulabant significare non differret. Quod cum faceret, & ter Agnus Dei cantatum fuisset, vox cælestis audita est dicens. In Grandimonte, in Grandimonte, in Grandimonte: quam Prior & nonnulli de fratribus audierunt.

*Sacrum corpus transfertur Grandimontem.*

Finita igitur missa, pergentes ad locum sibi reuelatum, satis Murero vicinum, Ecclesiam & domos fecerunt ad habitandum: quibus vili schemate peractis, redierunt Muretum, & accipientes sanctum corpus in Grandimontem transtulerunt, paucisque scientibus subtus presbyterium ante altare recondiderunt. Illuc quidam miles paralyticus deportatus, vt in orationibus fratrum reciperetur, ante altare delatus, postquam super lapidem sepulchri pedes suos tenuit, liberè exclamans ait. Sinite me, quia modo factus sum sanus. In hoc loco in quo pedes teneo, dico vobis quia iacet aliquis sanctus, pro cuius meritis sanitatem mihi contulit Deus. Quidam etiam eius discipulus qui lumen amiserat, prostratus & orans ante sepulchrum eius, visum recepit. Pannus in quo sacræ reliquiæ inuolutæ fuerant, semel & iterum proiectus in ignem comburi non potuit. Quæ miracula Prior intuens timuit sibi & aliis quietem minui, & internæ suauitatis dulcedinem tardius experiri, si populorum turbæ locum ad quem venerant miraculorum causa frequentarent. Et veniens ad sepulchrum ita locutus est. Serue Dei tu ostendisti nobis paupertatis viam, & toto conamine docuisti nos incedere per eam. Nunc verò de arcta via ad latam & spatiosam tuis nos vis miraculis reuocare, & qui prædicasti solitudinem, nunc in solitudine foros & nundinas vis congregare. Non curiositate ducimur, vt miracula videre velimus: sanctitati tuæ satis credimus. Caue igitur ne de cætero ea miracula facias quæ

*Paralyticus ad eius sepulchrum sanatur.*

*Etiam quidã eius discipulus lumine oculorum priuatus, illud recipit.*

*Nota rem miram.*

tuam extollant ſanctitatem, & noſtram deſtruant humilitatem. Et ita ſicut petierant obtinuerunt, & in ſolitudine & ſilentio remanſerunt.

## NOTÆ.

Stephanus.] *Agit de eo Molanus in addit. ad Vſuardum. Eius geſta deſcribit Petrus in Cat. lib. 3. c. 120. Meminit eiuſdē Volaterranus lib. 20. Fuit Aruernus genere, vitamque ſolitariam duxit in monte Mureti prope Lemouicas. Plura ſcribit de eo Arnoldus Vvionius tom. 2. Ligni vitæ 12. Februarij. Pluribus verò Dubruel in Antiquit. ciuitatis Pariſienſis.*

Beneuentum.] *Eſt Campaniæ vrbs, quum eo colonia deduceretur, boni ominis gratia ita vocari cœptum, nam antea Maleuentum vocabatur.*

Parua ſorbitiuncula.] *Sorbitiuncula eſt cibus qui facilè ſorbetur, vulgò* vn petit humet, vt petit broüet à humer.

Callos contraxerat.] *Callus ſumitur pro duritia illa, quæ in manibus, vel pedibus ex labore naſcitur.*

## VITA S. STEPHANI ABBATIS Ciſtercienſis. Ex variis Auctoribus collecta.

BEATVS Stephanus, qui & Ardingus dicitur, in Anglia honeſtis parentibus ortus, tempore Guillelmi ſecundi Regis Angliæ floruit. Qui à puero Sireburnæ Monachus factus, poſtea pannos illos peroſus, Scotiam, mox Franciam contendit, vbi aliquot annis ſtuduit, deinde Romam cum Clerico conſorte profectus eſt. Qui eundo & redeundo, quotidie totum pſalterium cantitabant. Deinde Burgundiam regreſſus, in Moliſmo nouo & magno Monaſterio ſe totondit. Vbi cùm ei quædam proponerentur obſeruanda, quæ non erant de Regula, cœpit rationem eorum inquirere, & tandiu de ſuperfluis cum vno & alio diſputauit, vt Abbatem Robertum, & alios ſeptemdecim, in ſuam ſententiam induceret. Cum igitur de virtute in virtutem progrederetur, ad perfectiora pertingere cupiens, Eremiticam vitam valdè ſitiebat. Igitur petita, & obtenta licentia, vna cum Alberico, & aliis duobus, ad locum Viuicus dictum, profectus eſt. Sed ab illo pulſus, cum ſociis ad ſyluam Ciſtercium vocatam deuenit: vbi ædificato Oratorio in honorem beatæ Mariæ, perſeuerauit. In loco igitur horroris, & vaſtæ ſolitudinis habitantes viri illi virtutis, cœperunt diligenter corpus ſuum ieiuniis, & vigiliis macerare. Nam pro cibo pane furfureo, vel hordeaceo, necnon herbarum radicibus vtebantur. Nudis pedibus incedebant, & cellulas ex arborum ramis confectas habebant.

*Robertus Abbas Moliſmēſis cum 22. ſociis, ſe ad Stephanum confert.*

Audiens autem B. Robertus Moliſmenſis Abbas ſanctam eorum conuerſationem, aſſumptis ſecum viginti duobus Monachis, perrexit ad eos, vt ſancti eorum propoſiti eſſet particeps, & adiutor. A quibus cū ſumma deuotione ſuſceptus, eundem in Abbatem elegerunt, & ſic ordo Ciſtercienſis initiū ſumpſit. Verùm cum Monachi Moliſmenſes opera Summi Pontificis B. Robertum Moliſmum reduxiſſent, Abbatem eis loco ſuo præfecit Albericum, quo defuncto B. Stephanum ſubrogauit. Qui cum in hoc onere per ſpatium quindecim annorum iā permanſiſſet, & iam grauiter tædio ei eſſe inciperet paucitas ſua, & omnis ſpes poſteritatis decideret, in quam ſanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ ſanctitatem, ſed refugientibus auſteritatem, repente diuina viſitatione lætificatus eſt: vt in die illa reſponſum hoc à Spiritu ſancto accepiſſe domus illa videretur: Lætare ſterilis quæ non pariebas, erumpe, & clama quæ non parturiebas, quia multi filij deſertæ magis quam eius quæ habet virum, de quibus poſtmodum viſura es filios filiorum vſque in multas generationes.

*D. Bernardus ad eum venit cum ſuis.*

Anno igitur ab Incarnatione Domini 1113. ſeruus Dei Bernardus annos natus circiter 22. Ciſtercium ingreſſus cum ſociis amplius quam 30. ſub eodem ſancto Stephano ſuaui iugo Chriſti collum ſubmiſit. Ab illa autem die dedit Dominus Sabaoth benedictionem, & vinea illa Domini dedit fructum ſuum, expandens palmites ſuos vſque ad mare & vltra mare propagines ſuas. Succeſſu temporis, cum B. Bernardus omnium eſſet exemplar virtutum, miſit Dominus in cor Abbatis Stephani ad ædificandam domum Clarquallis mittere fratres. Quibus abeuntibus, ipſum B. Bernardum præfecit Abbatem. Erat autem Clarauallis locus in territorio Linginienſi non longè à fluuio Alba, antiqua ſpelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur vallis abſynthialis, ſeu propter abundantis ibi copiam abſynthij, ſeu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. Exinde Ciſtercienſis ordo paulatim per mundi climata dilatari cœpit.

*Clarauallis Monaſterium vbi, & à quo conſtructum.*

*B. Stephanus ardentiſſimus paupertatis amator.*

Erat ſanè hic beatus Stephanus Religionis, paupertatis, & diſciplinæ Regularis ardentiſſimus amator, & fideliſſimus æmulator. Nam cum ei quadam die nunciatum eſſet à cellario, nihil haberi in Monaſterio vnde vel vna die fratrum paucitas ſuſtentari poſſet: reſpondit. Sternite nobis duos aſinos. Qui cum ſtrati fuiſſent, fecit ſecum aſcendere Conuerſum vnum, & iuſſit ei vt in quodam vico panem oſtiatim mendicaret, & ipſe ſimiliter in alio faceret. Et poſtquam ſic feciſſent, ad vnum locum quem ei deſignauerat conuenirent. Factum eſt vt ita in loco prædicto ſibi iā redeuntes obuiarent. Tunc ecce Abbas videt ſaccum Conuerſi multo pleniorem quàm ſuum, & ſubridendo ait: Vbi mendicaſti? Vt video in craſſiori palea collegiſti quàm ego. Vbi obſecro collegiſti? Quis tibi plus donauit? Reſpondit Conuerſus. Preſbyter ille quem tu optimè noſti, ſacculum meum impleuit ferè ſolus totum. Quod audiens Abbas ingemuit & ait: Quare ibi aliquid accepiſti? Neſciebas quia Preſbyter ille ſimoniacè ordinatus ſit, & quod accepit eſt lepra & rapina? Viuit Dominus, quia de omni quod dedit nobis nihil guſtabimus: abſit enim quod peccatum illius comedamus, & nobis incorporemus. Conuocatiſque paſtoribus ouium qui non longè aberant, totum Conuerſi ſaccum in ſinus eorum euacuauit.

*Reſpuit eleemoſynam ſacerdotis Simoniaci.*

Sanè hic ſanctus tātæ erat pietatis & deuotionis, quod etiam iter agēs pſalmos decātabat cū deuotione magna. Quando ad horas Canonicas decantandas intrabat Eccleſiam, manu apprehendens ianuam dicebat: Manete hic cogitationes quoadvſque diuinum perſoluero officium, poſtea ſi neceſſe fuerit vos reaſſumam. Cum D. Bernardus adhuc eſſet Nouitius, eum reprehendit B. Stephanus quod conſuetas preces pro anima matris ſuæ intermiſiſſet. Cuidam Monacho diem obeunti, præcepit vir Dei, vt poſt mortem rediret, nuntiaretque ei num Deo placeret eorum inſtitutum. Iuſſis paruit Monachus, apparēſque in magna gloria, gratias viro Dei egit quod eum optimè inſtituiſſet, aſſeruitque ordinem quaſi ſtellas cæli multiplicaturum fore. Sed & abire noluit, niſi prius accepta ſancti patris benedictione. Spiritu prophetico clarus erat: nam præuidit malitiam Guidonis ſucceſſoris ſui, videns ex ore eius ſpiritum immundum & ſordidum exire.

*Notent hoc Monachi & Clerici.*

*En oratio pro defunctis.*

*Claret ſpiritu prophetico.*

*Meritū obedientiæ prōptæ.*

Miſit aliquando vir Dei quendam fratrem in ciuitatem Byzuntinenſem, abſque pecunia, vt emeret fratribus neceſſaria, treſque currus oneratos adduceret. Simpliciter obediuit frater, reperiensque mercatorem quendam ditiſſimum, neceſſitatem paupertatemque Monachorum denunciauit: qui oneratis curribus, omnia ad victum neceſſaria ſuppeditauit, & ita lætus pergens ad Monaſterium Monachus, eidem B. Stephanus Abbas occurrit cum Cruce, Deo gratias agens pro acceptis beneficiis. Cum vir ſanctus grauiter ægrotaret, & frater qui infirmorū curam gerebat, eſculentum quæreret, nec inueniret: diuinitus ales aduolans in roſtro tenens piſcem, ante pedes Infirmarij depoſuit: de quo vir Dei paululum ſuſtentatus & recreatus fuit. Multis miraculis claruit, & demum ſenex & plenus dierum migrauit ad Chriſtum 17. April.

*Deſiderans piſcem, ales eundem viro Dei affert.*

*Moritur.*

## NOTÆ.

Stephanus.] *Dē eo Mart. Rom. cum Bar. hac die. Plura de ipſo habentur in vita S. Bernardi Abbatis, lib. 1. c. 3. 4. 5. Et in vita S. Roberti primi Abbatis Ciſtercienſis. Agit de eo Sigebertus in Chronico anno Domini 1107. Hic habitum Monaſticum S. Bernardo tradidit. Meminit eiuſdem Vincent. in Speculo lib. 27. c. 1. Et Vvionius in Martyrologio Monaſtico, die ſuperius dicta. Fit mentio de eodem in Speculo Exemplorum.*

Ciſtercium.] *Cœnobium eſt in Burgundia fundatum ab Othone ſiue Eudone II. Duce Burgundiæ, circa annum Domini 1070.*

## VITA S. ROBERTI ABBATIS Ordinis Ciſtercienſis Inſtitutoris. Ex antiquis Hiſtoriis & Chron. eiuſdem Ordinis.

*Patria & parentes S. Roberti.*

BEATVS Robertus in Campania nobilibus ortus parentibus, patre Thyerio, matre Ermegarde, piiſſimis & eleemoſynariis, cum matri ſuæ de illo prægnanti Dei mater apparuiſſet, tenens in manu pretioſiſſimum annulum, dixit ad deſponſandum ſibi filium ſuum eſſe. Ermegardis hac viſione perterrefacta, neſciebat quid iudicaret, quidue diceret, quapropter iterum Regina Cælorum eidem apparens dixit ſe eſſe matrem Dei, & quod filius eius ei deuotiſſimus, eſſe deberet, vnde ipſa magnum honorem conſequeretur.

*Matri prægnanti apparet Dei mater, & Robertum futurum egregium ſeruum ſuum pranunciat.*

Natus puer, & ſacri baptiſmatis vnda ablutus, vocatus Robertus, ab initio fuit mater valdè ſollicita vt inſtrueretur in timore Dei, in bonis moribus, & artibus liberalibus. Iamque infans Robertus cœpit incredibili amore affici erga matrem Dei, ad cuius honorem erigebat altaria paruula, ſocioſque pueros ad hoc faciendum incitabat, & denique omnes ſuas orationes actioneſque beatæ virgini offerebat. Vnde etiam cœpit valde mundum abhorrere. Annum igitur agens decimum quintum, vel vt Breuiarium Monaſticum dicit, vndecimum, apud Sanctum Petrum de Cella ſuſcepit habitum regularem, vbi ieiuniis & orationibus vacans nocte & die, gratum Deo exhibebat obſequium, carnem ſpiritui, ſpiritum Creatori ſubiiciens. Ipſo ſic diſponente à Monachis illius Monaſterij electus in Priorem, poſtmodum ob eximias eius virtutes à Monachis Monaſterij Sancti Michaelis Tornodorenſis in Abbatem cooptatus eſt.

*Adhuc puerulus Beatæ Virgini eſt deuotiſſimus.*

*Suſcipit habitum Monaſticum in Monaſterio S. Petri de Cella.*

*Prior, deinde Abbas ordinatur.*

Cum verò eos reformare niteretur, à quibuſdam Eremitis rogatus fuit, vt idem munus ſuper eis admitteret: quorum votis ſatisfeciſſet, niſi Tornodorenſes Monachi reclamaſſent: tum propter Angelicam eorum vitam, tum etiam propter vocationem ſpecialem atque admirabilem duorum fratrum, qui cum ſibi magnas opes cumulaſſent ex ludis & iocis illicitis, nempe torneamentis, cum quibus decipiebant populum; tandem orta inter eos diſcordia, vt vnus poſſet omnes diuitias poſſidere, decreuerunt ſeſe duello crudeli interimere. Sed in arena conſtituti, derepentè mutati fuerunt ſolo aſpectu paruuli vnius Eremitorij, deponentesque omnem malitiam, & dolum, cum lacrymis peccata confeſſi, tandem Eremiticam vitam in dicto Eremitorio deinceps ſemper exercuerunt. Hæc igitur admirabilis conuerſio valde animabat Robertum ad eis ſubueniendum, veruntamen, dimittens nuncios, ſpem illis certam dedit, ſe quam citò facultas tribueretur ei à Domino, ad eos profecturum.

*Breuiarium Monaſticum 29. Aprilis.*

*Duo fratres diſcordantes ſolo aſpectu cellæ Eremiticæ conuertuntur, & Eremiticam vitam ibidē exercent.*

Poſtquam aliquandiu apud Tornodorenſes manſit, cum paruo profectu, tandem ad Cellam rediit, vbi ſtrenue ſeſe in orationibus & contemplationibus exercuit: ibique hauſit atque recepit diuinitus cæleſtes vitæ monaſticæ inſtitutiones, vt eas deinceps ſpargere poſſet per vniuerſum mundum. Et quamuis antea iam factus fuiſſet Abbas, nihilominus tamen propter maximam ſuam humilitatem Prioris officium in alia quadam Abbatia ſuſcipere non eſt dedignatus. Sed ibi non diu manſit, prædicti enim ſeptem Eremitæ perrexerunt ad ſummum Pontificem, rogaueruntque quatenus eis dignaretur concedere Robertum, qui ſtatim deuotioni eorum annuens, ſcripſit Abbati Cellenſi vt quamprimum eundem illis dimitteret. Aſſumptis igitur duobus ſociis iuit ad Nemus, cuius eſt nomen Moliſmus, vbi propriis manibus laborantes, ex ramis arborum domicilia & oratorium in honorem ſacratiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ conſtruxerunt, in eoque Domino ſalutis hoſtias, & ſacrificium contriti cordis offerebant. Multique relicto ſæculo pœnitentiæ cauſa ad eos accedebant, omneſque pedibus nudis incedebant, per totum fere annum ieiunabant, tantum leguminibus coctis ſale perfuſis, & pane nigerrimo & terreo vtebantur: ita vt Trecenſis Epiſcopus cum ad eos inuiſendos veniſſet, aliis cibis veſci non potuerit, vnde fuit valde ædificatus, & ex tunc cœpit eos adiuuare & protegere, & neceſſaria illis miniſtrare. Cum enim ſemel ita pauperes eſſent, vt nihil omnino haberēt, miſit quoſdam fratres ad eum rogans vt alimenta eis mittere dignaretur. Ille verò oneratis curribus, miſit ad eos ſuſtentandum & veſtiendum, & ex tunc nihil amplius paſſi ſunt. Multi enim nobiles cœperunt bona & prædia conferre. Sed nimia abundantia fuit cauſa perditionis eorum. Nam primum feruorem amiſerunt, rebelles ſancto viro & inobedientes eſſe cœperunt: quos cum vir Dei ſanctis admonitionibus & correctionibus ad rectam viam reducere conaretur, inde peiores euadebant: quapropter excutiens puluerem de pedibus, receſſit, & venit ad locum Hauz, & deuotè à ſanctis Monachis qui ibi Domino ſeruiebant, ſuſceptus, paulo poſt in Abbatem illum elegerunt. De ſuo tamen receſſu Moliſmenſes contriſtati, ſummum Pontificem adierunt; eiuſque authoritate freti, virum Dei reuocauere Moliſmum, in quo aliqui, vt Albericus, & Stephanus, cùm Eremiticam vitam

*Relictis Tornodorenſibus Monachis redit ad Cellā.*

*Conſtruit Monaſterium Moliſmenſe.*

*Trecēſis Epiſcopus ob extremam Roberti, & diſcipulorum paupertatē valde ædificatus recedit.*

*Nimia abundātia temporalium ſæpe Monachos ducit ad perditionem.*

*Iuſſu ſummi Pontificis Robertus reuocatur Moliſmum.*

appeteret, ad locum Viuicus dictum in Diœceſi Lingonienſi, profecti ſunt: ſed ab illo pulſi, ad ſyluam Ciſtercium vocatam deuenerunt in Cabilonenſi Diœceſi, vbi ædificato oratorio in honorem B. Mariæ, perſeuerarunt. Audiens autem B. Robertus ſanctam ipſorum conuerſationem, aſſumptis ſecum viginti duobus Monachis, perrexit ad eos, vt ſancti eorum propoſiti eſſet particeps, & adiutor. A quibus cum ſumma deuotione ſuſceptus, eiſdem aliquamdiu paterna ſolicitudine præfuit. Ibi igitur iactata fuerunt prima fundamenta illius florentiſſimi Ordinis, qui protulit ſummos Pontifices, Epiſcopos, Doctores, fratres Regum & Principum, quique palmites ſuos extendit vſque ad fines terræ. Tunc cœperunt omnes eis detrahere, auſteritaſque B eorum tanquam impoſſibilis iudicabatur: ſed & Monachi nigri qui tunc temporis vigebant, crudele bellum eis intulerunt: ſed B. Robertus fundatus ſupra firmam petram, ſcilicet Dei genitricem, omnes inimicos ſuperauit. Conſtituerat enim ordinem ſuum ſub eius tutela, omniaque Monaſteria ipſius matris Dei nomine conſecrauerat. Fecitque optimas conſtitutiones ad ſtabilimentum Regulæ D. Benedicti. Et intantum ſanctæ paupertatis amator fuit, quod omnia in Monaſterio propter eam relucerent. Nam ornamenta Eccleſiæ non erant ſerica, excepto Calice ob reuerentiam Sacramenti, qui poterat eſſe de argento vel auro, candelabra erant ferrea, incenſoria ærea, Cruces ligneæ, ſed & C baculus paſtoralis, qui adhuc apud Ciſtercium ſeruatur, erat ligneus. Incredibile ſilentium ſeruabant, ita vt neceſſe fuerit modum quendam inuenire ad exprimendum per ſigna abſque verbis. Præclaræ illæ conſtitutiones approbatæ fuerunt ab Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi, & Apoſtolicæ ſedis legato.

Cum per tres annos ſtrenuè incubuiſſet ad inſtitutionem noui Ordinis, Monachi Moliſmi tanto paſtore deſtitui ægrè ferentes, ſummum Pontificem adierunt, vt Robertum cogeret Moliſmum regredi. Annuens eis Pontifex, Cabilonenſi Epiſcopo ſcripſit, quatenus alio Abbate Ciſtercienſibus dato, Robertum reuerti cogeret Moliſmum. Omni- D bus ergo diſpoſitis, Abbatem eis loco ſui præfecit Albericum, & eo mortuo Stephanum ſubrogauit. Sicque nouellæ illius plantationis inſtitutor exiſtens, cum vtriuſque Monaſterij, Moliſmenſis ſcilicet & Ciſtercienſis regimen haberet, Moliſmum ſecundò rediit. Tandem cum iam obitum ſuum appeteret, eius horam illi Dominus reuelauit, & poſt longum & oneroſum morbum anno ætatis ſuæ 93. clarus miraculis, ſpiritum tranſmiſit ad cælos 3. Calend. Maij, anno Domini milleſimo 98. Die qua obiit viſi ſunt in cælo duo arcus valde luminoſi, pertingentes vſque ad 4. angulos mundi, cum magna Cruce, multis aliis paruulis eiſdem inſertis, & incluſis, ad oſtendendum quod Ordo Ciſtercienſium debebat multiplicari per crucem multorum laborum, & per circulos obſeruantiæ regularis. E

*Relicto Monaſterio pergit ad ſyluam Ciſtercium dictam.*

*Perſequũtur à Monachis nigris primi patres Ord. Ciſter.*

*Opera B. Dei genitricis omnes ſuperat inimicos S. Robertus.*

*Nota diſtrictum ſilentium.*

*Monaſteriorũ Moliſmenſis & Ciſterciẽſis regimen ſuſcipit.*

*Moritur.*

## NOTÆ.

Robertus.] *De eodem Martyrologium Romanum cum Baronio 29. Aprilis. Vitam eius retulit Surius tom. 2. Quam deſcribi curauerat Odo Abbas Moliſmenſis. De eo agunt & Petrus in Cat. lib. 4. c. 102. Vincent in Speculo lib. 25. c. 94. & 95. Volaterranus lib. 20. Vuionius in Martyrologio Monaſtico, & in Tractatu de Fundatoribus Ordinum. Meminit eiuſdem Alphonſus de Caſarubios in Compendio Priuilegiorum mendicantium & non mendicantium, in initio, & alij innumeri.*

## *VITA S. ROBERTI PRIMI ABbatis Caſæ Dei. Ex ea quæ eſt apud Surium.*

ROBERTVS genere Aruernus, natus eſt de parentibus Chriſtianis, matre Raingalde, patre Giraldo. Mater grauida cum pergeret ad quoddam caſtrum, inopinatò eum in ſylua peperit: vnde mater mirabunda & cæteri qui cum ea erant, cœperunt dicere, eum fore aliquando magnum Anachoretam. Duabus, diuerſis temporibus, nutricibus traditus nutriendus, vix & rarò lac earum ſugebat, vnde ferè ſemper propter lac corruptum ægrotabat & eiulabat: quare cum tertia adhibita fuiſſet, cœpit auidius mammas eius ſugere, & exinde à morbo & fletu ceſſare, vtpote quia caſta erat & honeſta, aliæ verò duæ meretrices & infames. Puer factus, traditus eſt diſciplinæ ſtudiis apud vicum Briuatum, in Eccleſia B. Iuliani martyris: vbi & Clericus factus eſt, & deputatus inter Canonicos, & procedente tempore, etiam vſque ad Preſbyteratum peruenit. Pueritiæ tempora ſic peregit, vt ab iis malis, quibus illa ætas vel proprio vitio, vel alieno plerumque inuoluitur, illæſus euaderet. Nam in Eccleſiis totis noctibus cum lacrymis excubabat. Pauperes & afflictos miſericordiæ proſequebatur viſceribus, quibus quidem poterat, opem, omnibus verò exhibens C compaſſionem, vlceribus plena corpora languidorum, abhorrentibus cæteris ipſe manibus contrectauit, manibus lauit. Atque talem pueritiam ſecuta eſt adoleſcentia melior, addebatque virtutibus virtutes. Ieiunabat propenſius & orabat quantum poterat, larga manu pauperibus diſtribuebat. Nam & domum eleemoſynarũ conſtruxit in vico. Deinde autem Sacerdotio quoque ſtrenue fungebatur, offerens Deo hoſtiam pro ſalute populi Chriſtiani. Inuitabat peccatores ad pœnitentiam, & verbo & vita nõ paucos lucrabatur, & cum omnes vitæ merito anteiret, omnibus tamen credi ſe inferiorem volebat. Denique contemplationis amore flagrans, etiam deſtinauit mutare locum, & relictis omnibus Chriſtũ ſequi. Adhibito igitur vno itineris ſocio, iter arripuit ad Cluniacum religionis ac diſciplinæ loci fama commotus. Sed cum clam ſe fugere putaret, fama proditus eſt, & omnes properè velut pro ſalute publica ſoliciti, profugum proſequuntur, tenent, reducunt. Erubuit itaque vir ſanctus, & propoſitum ſuum non magis impeditũ quam manifeſtum dolens, ex mentis ægritudine morbum incurrit. Vnde cum cœpiſſet cõualeſcere, intelligens ſe à propoſito, Dei voluntate impeditum, tentauit ſi vel inter ſuos adimplere poſſet optatum. Sed cum domeſticorum nemo ſalutaribus monitis præberet aſſenſum, rationabiliter vrgens propoſitum profectus eſt Romam, vt Apoſtolorum à Deo ſibi, quod deſi- derabat, conſilium impetraret. Et quidem reuerſus Roma, poſtulata, in fide nihil hæſitans, expectabat, cùm interea miles quidam, Deo inſpirante, cõpunctus ad virum Dei, conſiliũ petiturus acceſſit. Aquo cum accepiſſet, vt relictis omnibus, ad Chriſti militiam ſe transferret, reſpondit, id quidẽ ſe facturum, ſi fieri poſſet, cum ipſo libentiſſimè, vnde & intellexit vir Deo plenus hunc ſibi ſocium, ac voluntatis ſuæ miniſtrum diuinitus deſtinatum. Gauiſus ergo non parum, totum deſiderij ſui ſecretum ei aperuit, ſociumque ſe pollicetur. Nec mora. Miles fide iam plenus & conſtantia, vt cœptum ſuum Dei clementia proſperaret, ad memoriam Beatæ Virginis Mariæ Anitium ire decreuit.

*D. Roberti genitus & ſua inuentus.*

*Admodum afficitur ergà pauperes & morbidos.*

*Strenuè laborat pro ſalute populorum.*

*Nota inſignè humilitatem.*

*Viſit limina Apoſtolorum.*

*Diuinitus mittitur ad eum quidam miles.*

Quò



Quò dum properaret, ecce in via, Dei nutu, paratum inuenit quod petebat, Eccleſiam ſcilicet veterem, vaſta cinctam ſolitudine, votis ſuis in omnibus reſpõdentem. Reuerſus nunciat viro Dei quid inueniſſet. Qui gratulatus valde, gratias Deo reddidit. Sed & numerus trinitatis ſecundum deſiderium viri Dei adimpletur ad ſeruiendum, acceſſit & tertius æque miles, offerens ſe non ſolum ſociũ, ſed verius miniſtrum. Gaudet vir Dei, omnibuſque ad votũ paratis, die conſtituta Eremũ petit cũ duobus diſcipulis, quorum prior Stephanus, ſequens Dalmatius vocabatur. Veniunt ad locum optatum, bonis omnibus indigentem, quia eis bonum erat omnibus indigere. Nam quanto plus indigerent temporalibus, tanto plura ſe credebant B reperturos æterna. Auxit loci difficultatem etiam vicinorum improbitas, qui morum immanitate feris ſimiles, ſeruos Dei, quos ſuſtentare deberent, conuiciis vrgebant ac minis. Vbi quantas moleſtias ſenſerint, tacendo melius putamus exprimi, quàm dicẽdo. Verùm in iis aduerſis omnibus duorum mentes corroborabat tertius, velut in acie tyrones veteranus. Facta iuxta Eccleſiam cellula de ramis & frondibus, partiuntur inter ſe domeſticam curam, vt illi operarentur manibus, ipſe verò lectioni & orationi incumberet. In oratorio autem, quod vtcumque refecerant, certis horis & nocte communes preces fundebant, cibum C parcum, & aridum cum gratiarum actione vnà ſumentes, cuius pars maxima peregrinis & aduenis ſeruabatur, nec cogitabant de craſtino.

Quibus & id genus aliis exercitiis vir ſanctus vtens, non ſolum ſocios inſtruebat, ſed & incolarum quoque mitigabat feritatem, atque ita factum eſt, vt nonnulli quoque cingulum militiæ deponentes, & ſancto eius contubernio adhærentes, Chriſti ſe ſeruitio in perpetuum ibidem mancipa- rent. Sed & quidam quoque ex Ordine Clericali apud illum vitam ſolitariam delegerunt. Atque ita creſcente numero diſcipulorum, creuit & Religionis obſeruantia. Acceſſit verò ad vitæ meritum etiam magna miraculorum potentia, ita vt iam in illis locis nullus ambigeret, virum ſanctum me- D ruiſſe à Deo gratiam curationum. Quam ſic ille pro humilitatis cuſtodia fideliter petentibus miniſtrabat, vt diuina tamen beneficia non ſibi, ſed ſanctorum Agricolæ & Vitalis, in quorum ſeruiebat Eccleſia, meritis imputaret. Sed eius merita dæmones, cum ab obſeſſis corporibus pellerentur, non tacebant. Quorum fama diuulgante, multi vulgo mixti nobiles ad eum confluebant vndique, quos gratanter ſuſcipiens, verbo Dei recreatos, cum gaudio ad ſua remiſit. Sed cum plerique Chriſto ſeruire non niſi ſub ipſius ducatu proponerent, ortum eſt nouum ex neceſſitate conſilium, vt ſcilicet ibi cõſtrueretur Monaſterium. Ad quod conſtruendum habito ſuper hoc conſenſu Aruer- E nenſis Epiſcopi, bonæ memoriæ, Reuconis, cœpit Monaſterium ædificare cum ſumma omnium gratulatione.

Eo tempore Francis imperabat Henricus, Sedem Apoſtolicam Leo nonus tenebat. Papam igitur ſupradictus Epiſcopus adiit, vir ſanctus Regem Francorum, vtrique ſuper noui loci ſtabilitate auctoritatis robur & congrua priuilegia petituri. Vtrique ſuccedit ad votum, Rege non ſolum petita annuente, ſed & domum Dei, & virum ſanctum regiis honorante muneribus, & ſimiliter Papa decretis Apoſtolicis roborante conſilium, atque inſuper etiam hominem Dei, cuius famam ſanctitatis audierat, licet inuitum, Fratribus præficiendum, mandante. Quod & ita factum eſt: dedicatoque Monaſterio, vir beatus Monachicũ habitum regimenque ſuſcepit, tam fratrum precibus quàm Præſulis auctoritate. In quo quãta poſt regiminis curam circa ſubditos induſtriæ vigilantia, erga Deum autem ſimplicitas mentis eius illuxerit, hoc quidem frequens ſignorum oſtenſio, illud verò ſpiritualia laboris eius incrementa teſtantur. Nam præter ſecularium non modicã multitudinem, quorum animas verbo prædicationis atque exemplo, orationum etiam ſuffragiis eſt lucratus, ex quibus ad trecentos fermè Monachos acquiſiuit, præter Eccleſias quoque circiter quin- B quaginta, poſt diuturnam deſolationem ad Dei ſeruitium repararas, illud ſanè conſtat eſſe præcipuum, quod vnicæ ſimplicitatis ac charitatis ſuæ formam in diſcipulos, & eidem loco cuius fundator extitit, dotis inſtar egregiæ reliquiſſe cernitur hæreditariam ſanctitatem. Qui cum obitus ſui diẽ præſciuiſſet, fratribuſque ad ſe vocatis, poſt exhortationis verba ſingulis oſculatis amanter valedixiſſet; ſic conuerſus ad Dominum, ſeque & illos Deo precibus cõmendans, plenus dierum obdormiuit in Chriſto: ſepultuſque eſt in Caſa Dei noua, quam ipſe ædificauerat, octauo Calend. Maij.

*Inuitus præficitur fratribus.*

*Colligit ferè ad trecentos Monachos.*

*Obdormit in Domino.*

*Tendit vnà cum eo, & tertio ſocio in Eremum.*

*Viuunt ſimul in ſumma paupertate.*

*Orant in cõmune.*

*Plures ad eos veniunt ſtudio conuerſionis.*

*Potenter expellit dæmones.*

*Extruit inſigne Monaſterium.*

## NOTÆ.

Robertus.] *Agit de eo Molanus in addit. ad Vſuardus. Res eius geſtas refert Sur. tom. 2. Meminit eiuſdem Haræus, & Vvionius in Martyr. Monaſtico 24. Aprilis. Floruit anno Domini* 1040.

Anitium.] *Eſt celebris ciuitas Aruerniæ, quæ vulgò dicitur,* le Puis, *ſub tutela & protectione Matris Dei conſtituta.*

## *VITA S. ADELELMI EREMITÆ. Ex Ioanne Maldonato Hiſpano.*

IVVS Adelelmus Lugduni, quod eſt oppidum Galliæ, illuſtri Chriſtianaque ortus familia, poſt mortem parentum, poſt patrimonium pauperibus dilargitũ, militare ſibi dempſit indumentum, palliaſtrúmque vile induit, ac Romam mendicans properauit. Vbi cum triennium piis orationibus, ieiuniis, carniſque afflictationibus animum intendiſſet, tandem ad Robertum Caſædei Abbatem, cuius ante Romanam perfectionem obſequio ſe deuinxerat, reuertitur, à quo quidem vix eſt cognitus, tanta macie, tanto ſimul & ſitu, & ſqualore apparuit deformatus. Poſt multos denique amplexus, poſt acceptam redditamque ſalutem, ac reciprocas congratulationes, Monaſticam eſt Adelelmus vitam profeſſus. In E qua quidẽ quos languores, quas ęgrotationes ſigno Crucis depulſauerit, haud compendij eſt huius enarrare. Nam & proximam ciuitatem adiens ſacris initiandus, cereum ardentem per noctem hibernis flatibus horrificam ſine noxa pertulit.

Deuolutis poſt aliquot annis, inuitus, & omni nixu ſubterfugiens, Caſædei Abbas creatus, pium quidem ac mirabilem paſtorem egit. Haud ita tamen multo poſt eundem præſulatum, vt Chriſto plenius deſeruiret, obluctante, & ſupra quàm dici queat, ægrè ferente ſodalitio depoſuit. Iam hominis fama latè diffuſa, omnes in admirationem verterat, cum Angliæ Regina lethargum patiens, ſpéque ſalutis prorſus deſtituta, nuncios ad eum de-

*Patria S. Adelelmi.*

*Proficiſcitur Romam B. Adelelmus.*

*Monaſticam vitam profitetur.*

*Caſædei Abbas creatur.*

*Angliæ Regina eius opera cõualeſcit.*

quien las Cartas que un amigo escribe desea leerlas es nesesario sea Castigado
ilez qqq epistolae unusz amicusi escribois cupiois legois yustusz sunes ut punio
tu ya aquel podreis seguir todas las maldades, pero yo seguire el ditamen de
un buen maestro que Con buena fe desea el aprobechamiento, de los dicipulos,
[illegible] tui et ilez posunes sequoris omnise maligniasis sed ego sequoris exenpluni
unusz magister bonusz, qui bona fide Cupiois utilitasis Dicipulusi suusz,
tales son algunos, que no pueden de garde dar buen exenplo, aquel que lo
a menester talise sunes aliquis ut posuntes non dodas bonusz exenpluni quiz
abeoes nesecitas nesecitatis= ay desdichados de aquellos, que no creen
la buena dotrina, y el deseo de su maestro, quien solamente procura
el aprobechamiento del Dicipulo= Ve ilis quiz non credois bonusz dotri
nae, ed cupiditasis= suusz magisteri quiz solum Cura e abeoes utilitatis dicipuli
ile epistolas quas unus amicus escribet cupis legere eis yustum est ut puniat tu
ile poterimus sequi omnes malinitates sed ego sequar exemplum uni magistri bini
qui bona fide cupit utilitatem dicipulorum suorum tales sunt aliqui ut posent nom
dare bonum exenplum quod abet nesesitatem= ve ili qui Credunt bonam Dotrinam
ed cupiditatem sui magistri qui solum Cura abet utilitatis Dicipuli



petrus imperatus fuit ~~Cum~~ leguerit Conpositio
non daret nimmam ~~in~~ cun bona Conrilia
que didum ~~Docent~~ a magistra = = =
utinam aliqui esclarini qui comitunt aqui
a delita quod cum ~~pos~~ ~~ratio~~ namm
aciperent bona Conrilia quod unum bo
nus magister solet dare = = = =
hoc finitur. Cun voluntate Dei dalbono
principium novum anum = = =

---

craximodie celebratur ferte:n
facturi sumusquo ~~o~~ perditusfui
mirabile est urise parentescono
~~xe~~... lene mixemura nonconoy
jmus nec obtatuxi remiurabulla
boxe conosere quai ese i uifacer
amus qui perditus pexidilo
gamus

ſtinauit, vt vel micam panis, cui benedixiſſet ipſe, A transmitteret ad medelam. Vix eſt primò exoratus. Sed tandem quadram miſit, qua regina primum, mox quotquot per Inſulam morbo tenebantur, conualuerunt.

*Venit in Hiſpaniam.* Accitus poſt hæc literis Conſtantiæ Hiſpaniarum Reginæ, quæ Alfonſo ſeptimo nupta erat, in Hiſpaniam venit. Vbi abs Rege ſimul & regina perhumanè acceptus & habitus, mirabilem prima (quod aiunt) fronte ſe præbuit. Nam per vada Tagi prope Toletum, cum regius eſſet exercitus forte traducendus, nullis vel qui equis valentibus vehebantur, fluminis æſtui, ripas exolutis niuibus occupantis, ſatis fidentibus, Adelelmus debili ſedens aſello, vndarum globos cum omnium ſtupo- B re tranauit. Cæterum vt breuitatis inſtitutæ non ſimus immemores, cum copiam Rex faceret Adelelmo, deligendi ſibi locum ad habitandum, quem *In ſacello S. Ioannis Euãgeliſtæ obit.* maximè vellet, Sacellum B. Ioannis Euangeliſtæ, quod in ſuburbio Burgenſi Rex ipſe conſtruxerat, petiit, impendioque dotatum accepit, & per vitæ reliquum frequentauit, ſolitariam vitam in abſtinentiis, ieiuniis & vigiliis ducendo, vbi & fœliciter mortuus eſt, & inſigne nunc monumentum, eius reliquias continens, ac nomen referens, conſpicitur.

*NOTÆ.*

Adelelmus.] *De quo plura apud Haræum in addit.* C *circa finem.*

*Habetur tomo 2. ligni vitæ.*

## *VITA BEATORVM EREMITARVM Benedicti & Laurentij. Ex Arnoldo Vvionio Monacho.*

VIT beatus Benedictus primò Monachus Ordinis Vallis vmbroſæ, poſtmodum Anachoreticam deligens vitam, quaſi Angelus vixit in terris. De quo hoc inſigne refertur, quod cũ obiiſſet in Monaſterio Cultuſboni, eius ſacri obitus ſignum dedere campanæ, humano deſtitutæ auxi- *In obitu S. Benedicti cãpanæ humano deſtitutæ auxilio ſignũ dedere.* lio, & niues miraculo inaudito, ea in parte ſolum, D quò ſacrum deportabatur corpus ſeipſas liquefacientes, viam deportatoribus præbuere: in cuius etiam ore, poſt ſpatium annorum trecentorum viginti, lilium quaſi recens natum, niue candidius inuentum ſit.

*S. Laurẽtius apud Sublacum ſolitariã vitam ducit.* Laurentius natione Apulus in Caſtello Fanello inter Sipontum & Foggiam natus, deſiderio ſolitariæ vitæ ducendæ tactus, Sublacum petiit, & ibidem annis multis Angelicam potius quàm humanam vitam egit, vt eius miracula teſtantur. Quibus prouocatus Innocentius Papa IV. ſub cuius Pontificatu migrauit, eum inter numerum Sanctorum collocare decreuerat, feciſſetque ſatis, ni morte præuentus fuiſſet. Canonizationis eius pro- E ceſſus, in quo qualis, quantúſve fuerit explicatur, apud Monachos Sublacenſes, ſimul cum ſacro eius corpore in hodiernum vſque diem ſeruatur.

*NOTÆ.*

Benedictus.] *Obiit anno Domini 1107. eiuſque obitus diem reponit Vvionius in Mart. Monaſtico.*

Laurentius.] *Eius feſtiuitas 17. Decembris celebratur.*

## *VITA S. DRVONI INCLVSI. Ex Annalibus Hannoniæ.*

*Patria & parentes S. Druoni.* BEATVS Druonus in pago Spiniaco terræ Caruinæ, originem duxit ex parentibus nobilibus & diuitibus. Pater eius morte ſublatus, cum vxorem grauidam reliquiſſet, & tempore partus non poſſet parere infantem quem geſtabat in vtero, conſilio medicorũ & obſtetricum factum *Matri latera aperiũtur, vt infans extrahi poſſit.* eſt, vt infãs viuus extrahi poſſet, vt matri latera aperirentur. Sanus igitur & incolumis infans de ventre eductus ſtatim in Eccleſiam delatus eſt, vt baptiſmatis vnda tingeretur, & Druonus appellatus eſt. Qui adhuc in tenera ætate conſtitutus, ludens cum coætaneis pueris, ab eis irridebatur & deſpicatui habebatur, eo quod putabant eum matris mortis & obitus fuiſſe cauſam. Hæc improperia valde ægrè ferebat B. Druonus, contriſtabaturque vehementer: vnde Deo omnipotenti veniam humillimè poſtulabat ſi tanti ſceleris cauſa fuiſſet.

*Druonus bona ſua pauperibus diſtribuit.* Vt autem duodecim annorum attigit ætatem, B. Druonus omnia quæ in mundo ſunt deſpiciens, & ſoli Deo placere cupiens bona ſua pauperibus diſtribuit, vnicam ſibi tantummodo veſtem reſeruans, & ita quaſi alter Abraham exiuit de terra & de cognatione ſua, venitque ad oppidum quoddam nomine Seburgum in Hannonia: vbi cuiuſdam matronæ ſeſe miniſterio mancipauit, illiuſque quotidie ad paſcua ducebat & reducebat oues. *Paſcit oues cuiuſdã matrons.* Quod miniſterium licet vile & oneroſum, cum magna humilitate, modeſtia & animi tranquilli- C tate, per ſex annorum ſpatium patientiſſimè executus eſt. Inter oues paſcendum, ſeſe exercebat in orationibus & canticis ſpiritualibus, aliorumque paſtorum inanes cantilenas deuitabat. Cum autem ad virilem peruenisſet ætatem, obtenta à ſua domina licentia, Romam profectus eſt, Sanctorum Apoſtolorum limina viſitaturus. Poſtmodum vetò ad matronam, cuius prius ad paſcua duxerat oues, rediens, ab ea iucundè & gratanter ſuſceptus, per aliquod tempus apud eam manſit. Verum Spi- *Nouies Romanam peregrinationem ſuſcepit.* ritu ſancto inſpirante, eandem peregrinationem nouies ſuſcepit cum magnis laboribus & ærumnis. Fractus ab itinere, cum deſideraret ſemetipſum à mundi turbine ſegregare, exiguum & vile tugu- *Seipſum includit.* riolum prope Eccleſiam Seburgenſem conſtrui curauit, ibique ſeipſum includens, votum vouit, promiſitque Deo, ſe numquam dum viueret, ex eodem loco egreſſurum fore. Viuebat ibi in *Vouet ſe numquam ex cella exiturum.* magna abſtinentia & penuria, & vigiliis & continuis ieiuniis, pro cibo, hordeaceo pane, pro potu aqua vtebatur.

*Conflagrante eius cellula, nihil tamen læditur.* Quadam die, cum fortuito caſu Seburgenſis Eccleſia igne conflagraſſet: beati viri tuguriolum eidem contiguum etiam ardere cœpit. Cum verò populus clamaret rogaretque vt exiret: ille reſpondens dicebat vouiſſe numquam ex eodem loco egreſſurum; vnde ſi talis eſſet Dei voluntas, paratus erat in flammis conſumi. Et his dictis beatus vir orans flexis genibus in medio cellæ ſuæ manebat immobilis.

*Alterã ei populus cõſtruit cellam.* Poſtquam eius cella omnino fuit combuſta, ipſe diuina eum protegente gratia, nihil mali paſſus eſt, & ne quidem capillum capitis amiſit. Paucis elapſis diebus, poſtquam extinctæ ſunt flammæ, populus viro Dei aliam cellulam in eodem loco conſtrui curauit (nam vir ſanctus ex eo numquam ſe mouit, donec poſt mortem eductus fuit.) Ibi ergo à multis viſitari cœpit; quibus verba ſalutis per feneſtram impendens, eiſque benedicens, eos dimittebat: cunctaſque eleemoſynas partim pauperibus & egenis diſtribuebat, partim ſibi ad vitæ ſuſtentationem reſeruabat. Cum itaque vir ſanctus per



per 40. annos ſolus in hac cellula vixiſſet, tandem A *Migrat in cælum.* ſenex & plenus dierum & meritis ad Chriſtum migrauit, immarceſſibilem gloriæ coronam à Deo percepturus anno Domini 1186.

Eo defuncto, parentes & amici eius rogauerunt ciues Seburgenſes quatenus permitterent adduci ſancti viri corpus in ſuam patriam. Quam petitionem cum difficulter obtinuiſſent, & ſanctum corpus vehiculo fuiſſet impoſitum, nondum terminos pagi exceſſerat, cum eis qui illud deducebant, ecce *Nota miraculum.* ſubito ponderoſum & graue factum fuit, quod eis impoſſibile fuit vltrà progredi. Quod cernens Clerus Seburgenſis, ſacrum corpus facillimè in Eccleſiam Sancti Martini reduxit: illudque honorifice in *Mulier habens brachiũ confractũ ad eius tumulũ ſanatur.* medio Eccleſiæ ſepeliuit. Multa Deus ad ſerui ſui B ſepulchrum operatus eſt miracula. Imprimis mulier habens brachium confractum, cum nullo modo ſanitatem recuperare poſſet: ad viri Dei ſepulchrum ſanata fuit. Sed & Comes Flandriæ & Hannoniæ D. Fernandus nomine, cum audiſſet dictam Eccleſiam magnis eleemoſynis & muneribus quotidie ditari, propter corpus ſancti Druoni, vt theſauros illius Eccleſiæ habere poſſet, miſit ſeruos ſuos vt hũc theſaurum aſportarent. Sed cum ciues nollent dare, tandem poſtea petita conceſſerunt, eo quod potiſſimum dicebant qui miſſi fuerant, hoc fieri auctoritate Apoſtolica, ad ſancti viri canonizationem. Cum igitur ad ciuitatem Condeacenſem peruenisſent, neceſſe eis erat pontem tranſire. C *Vltio diuina in aſportantes ſancti viri reliquias.* Verum eo diuina virtute facto, omnes miſerè perierunt, & in aquis ſuffocati ſunt. Sed quoniam abiectus & vilis erat hic pagus vbi ſancti viri corpus ſepultum erat: conſilio factum eſt vt ad maiorem Dei & ſancti ſui honorem Bincham Annoniæ ciuitatem transferretur. Verumtamen in toto nouennio quo ibi ſacrum corpus remanſit, ne vnum quidem miraculum editum fuit: nihilominus tamen in loco vbi ſanctiſſimam ſuam traduxerat vitam, multa fiebant: quare iterum ad priſtinum ſuæ ſe- *Miracula in tranſlatione corporis ſancti.* pulturæ locum reductum fuit. Huic tranſlationi tanta conuenit populi multitudo, quod frumenta, & aliæ ſegetes, cum fuiſſent à tranſeuntibus conculcatæ, ſequenti die meritis ſancti viri omnes D erectæ & incolumes repertæ ſunt. Multi præterea diuerſis & grauiſſimis morbis vexati ad ſancti viri ſepulchrum ſanitatis beneficium perceperunt.

*NOTÆ.*

Druonus.] *Præter Annales Alſatiæ, agunt de eodem Molanus in Indic. SS. Belgij, Gazetus tom. 2. de Vit. SS. & antiqui libri. Eius feſtiuitas 16. Aprilis celebratur.*

Pago Spinaco.] *Vocatur hic Pagus vulgò* Eſpinoy.

Seburgum nomine.] *Vulgò dicitur* Sebourg en Hainaut.

Fernandus.] *De hoc Comite Fernando, & de rebus ab eo geſtis plura in Hiſtoriis & Annalibus Flandriæ.*

Ciuitatem Condeacenſem.] *Vulgò vocatur* de E Condé.

Bincham Annoniæ ciuitatem.] *De qua ſuperius in vita S. Venantij Eremitæ & Martyris.*

*Habetur in lib. de Proprietatibus Apum.*

## *VITA B. IACHELINÆ VIRGINIS. Partim ex Reuerendiſſimo doctiſſimoque Epiſcopo Thoma Cantipratenſi, & aliis.*

*Iachelina adhuc in tenera ætate reſpuit vanitates ſæculi.* VIT virgo quædam Romana Iachelina nomine, nobilibus & claris orta parentibus: quæ in tenera ætate conſtituta more magnatum in bonis moribus erudita fuit. Cum annos puericiæ tranſegiſſet, mox choreas, & ioculatorias cantilenas, & quæ illa ætas expetit, & poſcit ſimul Comitum nobilium celſitudo, mente deſpiciens, tota miſericordiæ operibus, eleemoſynis pauperum, & denique continuis orationibus & ieiuniis ſeipſam exercebat.

Interea parentes eius debitum naturæ ſoluentes filiam Iachelinam adhuc valdè iuuenem reliquerunt ſub tutela fratris nobiliſſimi & ditiſſimi Comitis Apuliæ. Qui de ea valdè ſolicitus, eam incredibili diligebat amore & pluſquam fraterno, tum propter eius ſapientiam & gratiam, tum etiam propter eximias virtutes quæ in ea relucebant. Quando igitur ſancta virgo ad nubiles annos per- *Ob eximiam pulchritudinem à multis petitur in coniugium.* uenit, multi nobiles, eximia eius pulchritudine & ſapientia illecti eam in matrimonium quæſierunt & obnixius à fratre poſtularunt. At verò illa quæ à teneris annis virginitatem ſuam Deo vouerat, nullo modo aſſenſum præbere volebat: verum cum à fratre Comite tradi nuptiis cogeretur, fugam meditata eſt. Capta igitur opportunitate vt ad par- *Virili habitu induta fugit ad partes alienas.* tes fugeret alienas, virilem aſſumens habitum clam aufugit, & hoc modo incognita vſque ad mare peruenit.

*Summo ſtudio perſequitur à fratre.* Interea Comes, frater virginis, qui ſororis nuptias cum gaudio expectabat, audiens fugam eius, turbatus eſt valde; ac demum poſt gemitus & dolores diu repetitos, ſeruorum & militum copia ſtipatus, directiſque nunciis per omnes vias frater Comes eam inſequitur via qua fugiebat. Quam cum *Inuenta, ſe in mare præcipitat, & illud miraculosè tranſit.* reperiſſet multum gauiſus eſt. Sed illa nullum effugium videns, ad obuium mare ſe contulit, fratre eam propius inſequente. Quo cum peruenisſet, ſupra altiſſimæ rupis cacumen aſcendit, & crucis ſigno ſe muniens, in mare ſe ex alta rupe proiecit. Quod vbi frater vidit, in lacrymas prorumpens & de eius ſalute deſperans, cum eiulatu magno ſorori de rupe clamauit. Super omnia mihi ſoror chariſſima reuertaris ad me, conſtruam tibi Monaſterium ditatum copiis, in quo liberè ſoli Deo ſeruies. In cuius clamores virgo ſancta quaſi ſurda aure pertranſiens, per ampla maris ſpatia procedebat. Et vide quanta virtus diuini miraculi. Nimirum natandi artis ignara, oculis ac manibus in cælum extenſis, quaſi per aridum ambularet, maris profunda tranſibat. Quo tranſito frater Comes ad propria rediit, ſemper quoad vixit tantæ ſororis abſentiam deplorans.

*In ſyluis Græciæ cum quodam ſancto Anachoreta vitam ſolitariam ducit.* Illa verò cum ſolitariam ducere vitam peroptaret, in deſertiſſimas Græciæ ſyluas peruenies virili habitu induta, cum quendam ſenem Anachoretam in rupis concauo habitantem, Deo ita volente, reperiſſet, eum rogauit quatenus ei placeret eum ſecum retinere, vt eius doctrina & exemplo Anachoreticæ vitæ tyrocinia ediſcere, & cõtra aëreas poteſtates pugnare poſſet. Anachoreta eam exiſtimans iuuenem quendam eſſe adoleſcentem, qui de ſceleribus ſuis pœnitentiam agere cupiebat, eum humaniſſimè excepit, & ſecum retinuit, vitæque ſpiritualis & Anachoreticæ ei inquantum licuit documenta tradidit. Miniſtrabat autem huic ſeni, ligna deferendo, hortulum componendo, aquam extrahendo, & alia huiuſmodi naturæ neceſſaria exhibendo. Sæpius noctes inſomnes in ſanctis meditationibus & precibus tranſigebat, pſalmoſque cum Anachoreta decantabat, ieiuniis continuis corpuſculum atterebat, Deoque continuè gratias referebat, *Exercitia & auſteritates eius.* quod eam à tantis periculis eripuiſſet, & ad deſertum adduxiſſet, rogabatque ſponſum ſuum Ieſum Chriſtum cui ſuam deuouerat virginitatem, ne eam

eam diabolus proderet fœminam. Vescebatur autem herbis & radicibus terræ, aqua sitim sedabat, humi cubabat. Multas diaboli tentationes pertulit, propter quas superandas, pœnitentia mirabili se affligebat. Nam & grauissimis laboribus & oneribus corpus suum, aliquando quoque hebdomada integra se inedia, aliquando in aqua gelida, & ardentissimo sole macerabat.

Verum enimuerò cum diabolus beatam hanc animo superare non posset, cœpit saltem eam insequi prælio corporali, aliquando eam verberibus, aliquando in portentosis & monstruosis formis ad eam deterrendam, apparebat. Sed cum nihil proficeret, Anachoretam de eius pulchritudine tentare cœpit. Vnde qui prius per tres annos eam iuuenem adolescentem putabat, fœminam postea cœpit suspicari. Nam attentius in eam defigens oculos, vultus & oculorum pulchritudinem mirabatur: vnde amoris sagitta in corde vulneratus, erga eam verbis & aspectibus plus solito afficiebatur. Quod cum videret castissima virgo, timens astutias & nequitias diaboli, ne se prodederet fœminam, fugit circa mare in propinquis Siciliæ desertis, & ibi supra arborem, adiutorio cuiusdam fidelis viri, arcto valde constructo tugurio, per nouennium latitauit: eodem sibi viro ita eleemosynam ministrante, vt numquam propter victum descendere cogeretur. Ibi multis reuelationibus & Angelorum colloquiis honorata fuit. Cum enim in Romana Ecclesia tunc temporis multi abusus regnarent, sedem Apostolicam tenente Innocentio Papa III. qui licet vir optimæ & integerrimæ vitæ fuerit, scriptisque & ædificiis plurimis Ecclesiam illustrarit, tamen quosdam fastus seu abusus Cardinalibus tolerabat, vel non audebat reprehendere: vnde factum est vt B. Iachelina diuino spiritu inspirata Romã perueniret, & prædictum Pontificem, cum omni Clero & populo ciuitatis, seuera & audaci redargutione permoneret. Cumque omnes attonitos reddidisset simul & ædificatos, ad dilectæ solitudinis rediit locum, vbi ad decrepitam vsque vixit ætatem. Et licet senex & annosa esset, tamen ter in hebdomada, nullo adiecto, panem cum aqua comedebat, & super nudam penitus terram, æquata ceruice pedibus, requiescebat, & postmodum plena dierum & meritis, lætantibus Angelis ad sponsum suũ Christum, pro cuius amore tanta sustinuerat, glorioſa migrauit.

*Damonis suggestione eam Anachoreta carnaliter diligit.*

*Fugit virgo sancta, & in Sicilia deserti, & supra arborem habitat.*

*Diuino spiritu ducta venit Romã, & Papã & Clerum seuerè arguit.*

*Abstinentia sanctæ Virginis in ætate decrepita.*

*Migrat ad Christum.*

### NOTÆ.

Iachelina.] *Præter Thomam Cantiprat. agunt de ea celeberrimi Auctores qui eius gesta narrant. Auctor libri Scalæ Cæli. Auctor Speculi Exempl. dist. 5. cap. 65. Auctor libri Apum, necnon alij antiqui historici minimè vulgares.*

## VITA S. LIPHARDI EREMITÆ. *Ex ea quæ est apud Surium.*

BEATVS Liphardus apud Aurelianos inclyta ortus prosapia, in ipsa iuuentute ad Iudicis est dignitatem euectus, pro sua prudentia & legum cognitione. In quo sanè munere administrando ita est rationem & æquitatem semper sectatus, vt à iustitiæ rectitudine non deflexerit. Anno autem ætatis suæ quadragesimo, diuino permotus instinctu, loci eius Episcopum adiit: vt in Clerum admitteretur, orauit. Cernens Antistes magnum eius erga religionem cultu, primò eum adscribit in Clericorum album, ac deinde honorem cumulans, Leuitæ ei ministerium mandauit. Quo honore auctus vir Deo plenus, terrenarum rerum abiecta sarcina, verum Monachum profiteri cœpit.

*Iuuenis dignitatem Iudicis adipiscitur.*

*Fit Clericus.*

*Deinde Diaconus.*

Est mons apud Aurelianos, quem incolæ regionis illius Magdunum vocant, in quo antiquitus erat extructum castrum, quod Vuandalica barbaries ad solum vsque diruit. Ita nullo illic manente habitatore, nemoribus excrescentibus, locus ille quondam celebris in solitudinem versus est. In eius verò abstrusos recessus Liphardus penetrans, vno solo contentus comite, eoque suo discipulo, apud fluuium Maluam, cellulam sibi ex virgis construxit, cœpitque illic habitare solitarius: vt ab hominum turbis, & mundi honoribus separatus, liberiùs ad diuinæ sese legis præscriptum accommodare posset. Tanta verò erat eius abstinentia, vt panis hordeacei, quem suis ipse manibus conficiebat, non nisi vnciam vnam in cibum sumere diceretur, & cum præter aquam nullum omnino alium potum admitteret, ea ipsa tertio duntaxat die parcissimè vtebatur. Vestes eius saccus & cilicium. Nec defuerunt ei miracula, quæ sanctitatis eius non dubia essent documenta.

*Mõs Magdunj. vide Saul. seyum in Annalibus Eccl. Aurel.*

*In hoc horrido deserto solitariam vitam exercet.*

*Magna eius abstinentia.*

*Vestes sancti viri quales.*

In Eremo illa vbi morabatur, erat immanis serpens, nec longè fons aberat gratissimas fundens aquas. Sed ad aquas hauriendas, præ huius bestiæ metu nemo ausus erat accedere præter Christi athletam Liphardum, & eius discipulum Vrbicium. Is serpens malo eum perurgente dæmone, summa feritate ad viri Dei habitaculum properabat, eum planè perditurus. Non latebat id hominem Dei. Accitum ergo Vrbicium, mittit ad eum locum vbi iam nouerat esse serpentem, nec tamen indicat cur ipsum eò mittat, vt eius fidem probaret. Vrbicius citò eò abiens, horridissimum serpentem sibi cernit venire obuiam: nimióque terrore correptus, in pedes se coniicit: refertque ad virum Dei quid in via viderit.

Tunc Liphardus placidè subridens: cur timuisti, inquit, modicæ fidei? deditque illi virgam, iubens, vt imperterritus illam sub serpentis aspectu humi defigeret. Abiit ille, crucisque signo munitus, fecit quod iussus erat. Porrò Liphardus ad preces se conferens, rogabat Dominum vt teterrimum draconem perimeret. Exaudiuit orantem Dominus. Simul enim vt aspexit draco virgam, furibundus accurrit; oſque suum ad caput virgæ attollens, eamque mordens, connitebatur confractam in solum deiicere. Sed precibus viri Dei id effectum est, vt nullo pacto incuruare eam posset. Cumque immanis bellua ita penderet, propter vasti corporis graue pondus ilicò crepuit. Id vbi cognouit vir Dei, cum discipulo suo abiit visum belluam, & pro tanto miraculo gratias egit Deo. Habitauerant autem in illo serpente multi dæmones, qui illo extincto, terribiles dabant per aëra clamores, ita vt vicini ruris habitatores exterriti, inter se requirerent, quidnam hoc esset. Timebant autem draconem è suo antro progressum, omnia vastatum venire. Cum autem arrigerent aures, nosse cupientes quæ voces redderentur: audiunt Liphardi nomen appellari, moxque ad solitudinem aduolant, taciti Liphardum perquirũt. Vt autem inuenerunt sanctum virum solitis precibus intentum, & draconem extinctum, omnes flere præ gaudio cœperunt, & in Dei laudes prorumpentes, dicebant sibi cælitus impensam salutem excidio draconis: diemque illum

*Oratione extinguit immanissimum serpentem.*



illum duxere celeberrimum.

*Marcus Aurelianensis Episcopus eũ ordinat sacerdotem.*

Interea Marcus Aurelianensis Antistes, in vico Clariaco, qui ab Magdunensi oppido tribus distat milliaribus, ob certas causas tunc residẽs, cum viri Dei virtutes didicisset: mox exurgens, ad domicilium viri Dei properè accessit, & post salutaria colloquia, eodem die sacerdotio eum initiauit, atque templum exiguum illi construxit: quod vsque hodie extat. Creuit hinc fama sancti viri, & in omnem regionem illam peruagata est, ita vt mirè eum venerarentur: eius meritis à dracone se dicerent liberatos, eius precibus se apud Dominum muniri confidentes. Permulti quoque mundo vale facientes ei adhæsere: vt eius disciplinis instruerentur.

*Oleo benedicto sanat puellam infirmam.*

Accidit autem vt hyeme quadam sæuiente frigore, quidam in supradicti montis latere sua abscondens vestimenta, à viro Dei nudus vestem peteret. Sed iam diuinitus reuelata erat illi hominis nequitia. Misit itaque vnum è suis, qui vestimenta illius afferret, locum ei indicans, vbi essent abscondita. Et allata, dedit ei qui vestem sibi dari petebat ita dicens: Cur voluisti miser per mendacium tentare Christi seruum? Ille verò se deprehensum sentiens, pudefactus abscessit.

Quædam puella nobilis, manus aridas, & debilia habens genua, ad eum venit: cadensque ad pedes eius sibi restitui petiit. Ille humi se prosternens Dominum rogat: inde surgens manus & genua puellæ benedicto oleo perungit, & illa Christi benignitate mox reualescit. Non est autem prætermittendum, quod cum Theodemirus Abbas Miciacensis Monasterij, è corpore esset abiturus, beatus Liphardus in somnis est admonitus, vt ad officia funeris illi patri præstanda properaret. Euigilans ergo, vno secum è suis assumpto, ad Monasterium illud profectus est. Cumque ad eius fores peruenisset, videt cælestium agminum choros sanctæ illi animæ psallentes occurrere: eamque cum ineffabili gandio ad cælum deducere. Cantabatur autem hic psalmi versus: Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit, &c. Mox vir Dei in cellam ingreditur, vbi corpus sancti Abbatis exanime iacebat, fratribus debita obsequia decantantibus, eiusque funus curat. Peracto sepulturæ ministerio, beatum Maximum, defuncti Abbatis nepotem in eius locum substituit: fusaque ad Dominum oratione, ad cellam suam reuersus est. Et cum tandem sui quoque obitus diem imminere cognouisset: conuocatis discipulis eum ante prædixit, & Vrbicium coram omnibus sibi designauit successorem. Nocte proxima, inter preces & lacrymas, sancta illa anima feliciter de rebus excessit humanis. Id verò postquam Episcopo innotuit: celerrimè ad eius funus accurrit. Iam in medio sacrum eius corpus positum, discipuli tristes luctuosis officiis prosequebantur: illudque Episcopus, vnà cum illis, magno studio tradidit sepulturæ. Deinde Vrbicius ab eodem Antistite in sua functione confirmatus, post obitum sancti viri, eius Monasterij structuram fecit sublimiorem: vbi hactenus pro meritis beati Liphardi multa diuinitus signa eduntur: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

*Videt animã Theodemiri Abbatis in cælum deferri ab Angelis.*

*Migrat in cælum S. Liphardus.*

*Sacrũ corpus ab Episcopo traditur sepulturæ.*

### NOTÆ.

Liphardus.] *De eo Mart. Rom. 3. Iunij. Agunt de eodem Sur. tom. 3. Pet. Aquil. Episcopus lib. 5. cap. 81. Trith. de vir. Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 164. Floruit circa annum Domini 550.*

A Saccus & cilicium.] *Cilicium à Cilicibus populis dictum est, apud quos (vt inquit Varro 2. de re Rust. c. 11.) cilicia primum confecta sunt. Fiunt autem ex villis equorum, hircorum, atque caprarum.*

Marcus Aurelianensis Antistes.] *De quo plura in Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis.*

Tribus distat milliaribus.] *Milliare, idem est quod mille passuum spatium.*

## VITA S. SOLÆ EREMITÆ. *Partim ex Georgio Vviccelio de Sanctis Ecclesiæ Dei, & aliis.*

EXCELSVS Dominus militantem Ecclesiam pretiosorum lapidum viuorum ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu vnitorum, ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit, atque ab initio vineam suam piis cultoribus, iuxta sanctam promissionem suam visitauit, firmauit, & auxit: ficque semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impartitur, & eandem vineam more solito visitans virum fortem ad huius vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicet Eremitam, & confessorem B. Solam, superno cætui iamiam indubiè sociatum.

*S. Sola à S. Bonifacio Archiepiscopo Presbyter ordinatus, secedit in Eremum.*

Qui Beatus Sola, regnante Domino Imperatore Pipino Francorum & Germanorum, sanctitate & miraculis claruit. Discipulus autem erat S. Bonifacij illustrissimi Martyris, à quo Presbyter Monachusque ordinatus aliquandiu sanctum præceptorem suum in peregrinatione & prædicatione secutus est. Postmodum desiderio vitæ solitariæ feruens, secessit in Eremum, vbi constructa exigua ex virgultis & foliis arborum cellula, contemplationi vacabat, amator enim solitudinis Sola, sæculi blandimenta noxia mirificè contempsit. Vnde nonnulli cellam Solæ, Solonis cellam nuncuparunt: sed verius sol, quam Solon dicendus vir, Sola enim soli Deo contentus, cælestia tantum curauit. Ibi cum aqua deesset, oratione sua fontis venas scaturire fecit, & asinum in quo sedere consueuerat post lupum ouem portãtem laxans, ipsum spectabili triumpho occidit. Postquam verò fuit martyrio coronatus beatus Bonifacius, Sola cum Vvillibaldo Episcopo totũ se in sacris ædibus construendis contulit. Accolæ autem ei pro Christi amore frequentius necessaria ministrabant. Sed & dominus Carolus Augustus multa ei donauit, quæ in Ecclesiarum & Monasteriorum constructione expendit. Sicque sanctis operibus & meritis glorioſus, ad Christum 2. Decembris migrauit.

*Precibus impetrat fotem. Eius iussu asinus insequitur lupũ.*

*Totum se dat in sacris ædibus construẽdis.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Sola.] *Agunt de eo Trith. de vir. Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 254. Molanus, & Vvionius in Mart. Monastico die supradicta. Claruit in Diœcesi Eistetensi anno circiter Domini 670.*

## VITA S. SEVERINI MONACHI *Noricorum Apostoli. Ex ea quæ est apud Surium.*

TEMPORE quo Attila Rex Hunnorum defunctus est, in vtraque Pannonia, cæterisque confiniis Danubij, res turbabantur ambigue. Quibus diebus sanctissimus Dei seruus Seuerinus, de partibus Orientis in Pannoniam veniens, in oppido quod Casturis dicitur, morabatur. Sed

*S. Seuerinus de partibus Orientis venit ad oppidum Casturis.*

cùm quodam die ad Ecclesiam ex more procedens, A cœpisset Presbyteris & Clero, atque omnibus ciuibus prædicere, vt hostium insidias imminentes, orationibus & ieiuniis, ac misericordiæ fructibus inhiberent, nec tamen audirent viri Dei oracula: famulus Domini reuersus ad hospitium, quo ab Ecclesiæ custode fuerat susceptus, diem & horam imminentis excidij prodens: De contumaci, ait, oppido,& citiùs perituro, festinus abscedo. Atque ita *Inde in Comagenis.* inde abiens, ad proximum quod Comagenis appellatur, oppidum declinauit: quod videlicet hostium intrinsecus consistentium custodia seruabatur arctissima, à quibus tamen vir Dei interrogatus non est. Itaque mox ingressus Ecclesiam, cunctos de salute propria desperantes, ieiunio & orationibus, B ac eleemosynis itidem hortabatur armari, proponens antiquæ salutis exempla. Sed neque hîc profecit, donec senex ille qui dudum in Castûris ciuitate tanti hospitis susceptor extiterat, eò aduenies, interitum sui oppidi, & præcedentem etiam de viro Dei historiam omnibus demonstraret.

*Liberatur ipso prædicãte ieiunium, oppidum ab hostibus.* Et quidem iis auditis habitatores memorati oppidi statim in Ecclesiam conuolant, iuxta monita beati viri, per triduum ieiuniis dediti, erratorumque veniam postulantes. Et ecce die tertio, facto subito terræmotu, ita sunt hostes intrinsecùs habitantes exterriti, vt exeuntes fugam velociter inirent, ac tandem mutuis se gladiis conciderent. Eo- C dem tempore ciuitatem Fabianis nomine sæua fames oppresserat: cuius habitatores vnicum sibi remedium adfore crediderunt, si à supradicto oppido Comagenis hominem Dei Seuerinum Religiosis ad se precibus inuitarent. Quos ille ad se venire prænoscens, cum hæsitaret vtrum pergeret cum eis necne, admonetur à Domino vt pergat. Veniens igitur ad prædictam ciuitatem, cœpit suadere, dicens: Pœnitentiæ fructibus poteritis de tanta famis pernicie liberari. Qui cum talibus proficerent institutis, beatus Seuerinus diuina reuelatione cognouit, quandam viduam nomine Proculam fruges plurimas occultasse. Quam productam in me- *Acriter reprehendit viduam occultantem fruges tempore famis.* dium, cum vehementer arguisset, magno mulier D pauore perterrita, cœpit seruata libenter pauperibus erogare. Nec multò pòst naues etiam de partibus Rhetiarum, mercibus onustæ quàm plurimis, extra tempus legitimum glacie quoque soluta, insperatè videntur in littore Danubij.

*Multa prædicit futura.* Multæ sunt autem & aliæ huius sancti viri prædictiones & salubres monitiones, & in primis quas experti sunt Rugiorum Reges Flacitheus, & eius filius Feletheus: ille fœliciter, iste infaustè. Insuper & Odoacer quoque qui regnauit in Italia. Qui cum ad humillimæ viri Dei cellulæ tectum adhuc iuuenis vilissimo tunc habitu intrasset: Vade, inquit ei vir Dei, ad Italiam, vilissimis pellibus nunc coopertus: sed multis citò plurima largiturus. Porrò præ- E sentabat se post aliquantum temporis nuncius sanc- *Solicitè curat sibi adferri SS. reliquias.* cti viri, quem pro deferendis reliquiis sanctorum martyrum Gerualij & Prothalij direxerat. Vnde ille condigno honore suscipiens allata manuscula in quadam basilica collocauit officio Sacerdotum. Quo videlicet in loco plurimorum martyrum congregauit reliquias: quas semper præeunte reuela- *Recusat dignitatẽ Episcopalem.* tione emeruit accipere. Episcopatus plerumque honorem vt susciperet postulatus, præfinita responsione conclusit, sibi sufficere dicens, quòd solitudine desiderata priuatus ad illam diuinitus venisset prouinciam, in qua turbis tribulantium frequentius interesset. Daturus nihilominus formam Monachis, solicitus admonebat beatorum patrum vestigiis inhærere.

Ex quibus cum esset quidam nomine Maurus, Monasterij cui beatus vir Seuerinus præerat, æditus, cùm eum vir Domini prius redemisset de manu barbarorum, secundò etiam abductum à latronibus, sola sua maiestate inermis latronibus excussit. Sed nihil hoc mirum. Siquidem dum adhuc Norici Ripenses oppida superiora constarent, tam celebris S. Seuerini flagrabat opinio, vt certatim eum singula castella pro suis munitionibus inuitarent, credentes quod eius præsentia nihil eis deueniret aduersi. Quibus præditus gratiis, tantam vir Dei captiuorum egenorumque curam ingenita sibi pietate susceperat, vt penè omnes per vniuersa oppida, vel castella pauperes ipsius industria pascerentur. Quibus tam læta solicitudine ministrabat, vt tunc se crederet tantummodò saturari, quando videbat egentium corpora sustentari. Et cùm heb- *Nota insignẽ abstinẽtiam, & simul misericordiam in pauperes.* domadarum sæpe continuatis ieiuniis minimè frangeretur: tamen esurie miserorum se credebat afflictum. Cuius largitionem tam piam in pauperes plurimi contemplantes, quamuis ex duro barbarorum imperio famis angustiam sustinerent, denotissimè frugum suarum decimas pauperibus impendebant. Et quidem iam post multos agones, *Prædicit diuinitus de suo obitu.* multaque in circuitu præstita beneficia, reuelante Domino beatus Seuerinus se de hoc seculo transitum cognouerat, cùm ad se vocatum supradi- C ctum Regem Rugiorum Feletheum cum vxore *Moriturus arguit Regem & Reginã de suis sceleribus.* Gisa crudelissima, de innocentum oppressione grauiter arguit. Deinde ad subiectos sibi fratres, verbis beati Ioseph, visitatione, inquit, visitabit vos Dominus: tollite ossa mea hinc vobiscum; sicque totum corpus suum signo crucis extenta manu consignans, non multò post quieuit in Domino sexto Iduum Ianuariarum.

Cuius quàm iusta fuerit iam commemorata ad fratres monitio, non multo pòst euentus docuit. Etenim per Odoacrum bello subacti Rugij, omnes deinde iussi sunt per eundem transire in Italiam: cum quibus & translata sunt B. Seuerini *Transferuntur eius Reliquiæ in Italiam.* pignora, integra adhuc corporis compage: cum iam sextus depositionis eius effluxisset annus. Apportatum est autem sancti viri corpus per diuersas Italiæ regiones. Et primò quidem delatum fuit ad Castrum nomine montem Freletem, vbi aliquandiu mansit carro adhuc impositum. Postea verò Gelasij sedis Romanæ Pontificis auctoritate, & Neapolitano populo exequiis reuerendis occurrente, cum illustris fœmina Barbaria venerabilem Presbyterum nostrum Marcianum, sed & cunctam congregationem, litteris frequentibus inuitasset in castro Lucullano, per manum S. Victoris Episcopi in Mausoleo quod prædicta fœmina condidit, collocatur. Qua celebritate multi diuersis languoribus afflicti, *Multi ægroti ad eius sepulchrum curantur.* quos recensere longum est, receperunt protinus E sanitatem. Monasterium autem eodem loco constructum est: quod & hactenus perseuerat.

## NOTÆ.

Seuerinus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 8. Ianuarij. Eius gesta fusiùs prosecutus est Surius tomo 1. Agit & de eo Petrus in Cat. lib. 2. c. 56. Obiit tempore Odoacri Regis Italiæ circa annum Domini* 480.

De partibus Rhetiarum.] *Rhetia est regio Europæ, quæ alio nomine Bauaria vocatur.*

Ciuitatem Fabianis.] *Fabiana est nunc Vienna Austriæ.*

VITA



## VITA S. GREGORII ARCHIEPISCOPI Nicopolis in Armenia, Eremitæ in pago Aurelianensi. Collecta ex ea quam collegit ex antiquis MS. Cod. S. Maximini Miciacensis, Carolus Sausseyus.

*Habetur circa finem Annalium Eccles. Aurelian.*

*S. Gregorius in Armenia natus.* GREGORIVS Armeniorum Nicopolitanus Archiepiscopus, morum probitate decorus, præfatæ gentis ortus extitit Religiosis parentibus, quem dum vnicum dilecta piorum parentum cura cuidam venerabili viro ac diuinorum dogmatum eruditissimo, sacris literis imbuendum credidisset, cælesti gratia præuentus, in bre- B dum ui vetus nouumque testamentũ didicit, & quicquid *Traditur cuidam doctissimo viro erudiendus.* Catholicæ fidei dogma expostulat, vigilanti studio percurrens memoriæ commendare non distulit. Nec mora, sapientior ipsis extitit doctoribus, quem Spiritus sancti gratia repleuerat.

Verùm transacto parui temporis spatio, vi febriũ correptus vterque parentum eius, debitum munus exoluerunt naturæ. Nec mora, Athleta Christi Gregorius non modicas parentum suorum possessiones sibi hæreditaria lege succedentes recipiens, sancti Spiritus paracleti, cui tota mentis intentione iugiter famulabatur, præsidiũ exposcebat, quatenus de his nihil aliud sibi liceret, nisi quod diui- *Patrimoniũ suum pauperibus distribuit.* næ maiestati placeret. Consumpto itaque in pau- C perum distributione patrimonio in Nicopolitanorum sanctæ matris Ecclesiæ finibus se Deo seruiturum deuouit; ibique comam capitis deponens cum *Fit Clericus.* cæteris fratribus, sub Clericali habitu degere cœpit. Nec reticendum censeo, quanto fudore ibi præ cæteris insistebat ieiuniis, orationibus, atque vigi- *Nunquam ieiuniũ frangit nisi diebus Dominicis.* liis. In omni namque vita sua numquam ieiunium fregit, nisi in Dominicis diebus, & sacris solemnitatibus: vinum & quod inebriare potest quasi pestem respuebat. Post solis occasum, ianuis iam Ecclesiæ obseratis, intra Ecclesiam solis custodibus scientibus remanens per totam noctem vigiliis & *Assiduitas eius in orationibus.* orationibus sedulus insistebat. Ante saluatoris vultum toto corpore prostratus, atque pauimento D inhærens solis articularibus digitis succurrentibus, centies in nocte resurgebat, accubitale suum nullus vnquam nouerat, nisi quod ei orandi lassitudo quamuis rarò contulerat. Quod custodes præfatæ Ecclesiæ cernentes, intra se stupebant dicentes; quis homo iste est, qui vita hominum despecta, more Angelico viuere desiderat? Illius cadauer nimiis attritum ieiuniis vix retinet spiritum: & tamen orandi assiduitate non frangitur. Nec mora, illius sancti viri præfatæ Ecclesiæ Archiepiscopo, cæterisque religiosis, fratribusque referunt: secreta diu celare nolentes. Quod audientes, quamuis ardenti amore illum prius diligerent (audierant enim quemadmodum vendito patrimonio, atque in vsi- E bus pauperum pro Dei nomine recondito, illius Ecclesiæ altaribus se seruiturum contulerat) tamen *Diligitur ab omnibus.* hac reuelatione permoti, amplioris diligentiæ cumulus occultè succrescere cœpit. Timebant autem ne si beneuolentiam quam erga eum habebant, ei coram ostenderent, indebitæ venerationis cultum effugiens, aut in Eremum occultè confugeret, aut in speluncis, & in petrarum cauernis se protinus occultaret.

At verò venerabilis Archiepiscopus diuini amoris fauore concepto, tantæ probitatis virum suæ familiaritatis expertem diutius non patiens, vt animal sibi simile cupiens adiungi, interpositis quibusdam sacris colloquiis sui secreti conscium, atque in omni Ecclesiastici ordinis causa consortem sibi fieri laborauit. Et quoniam iam senio confectus erat, nec eius vires ad peragendum sanctæ prædicationis officium satis præualebant: hunc pro se diuini verbi prædicatorem, atque suæ vicis exequutorem plebis consensu fieri destinauit: & vt impositi honoris munus plenius ageret, sacrorum Or- *Ordinatur Sacerdos.* dinum gradibus communicatis, ipse sanctissimus pater eum Sacerdotij honore sublimauit. Recepto igitur sanctæ prædicationis officio, tantam illi diuina pietas gratiam conferre dignata est, vt peragratis illis regionibus, torrentis eloquij dulcedine immundorum spirituum repelleret infestationem, & maximam etiam paganorum multitudinem, *Multos infideles conuertit.* quorum non minima pars eidem Episcopatui adhærebat, melliflui oris dulcedine relictis simulachrorum ritibus ad fidem Christi conuerteret.

Dum hæc & alia agerentur, idem Archiepiscopus vi febrium correptus, in lectum decidit moriturus. Qui dum iam vitæ suæ extremum terminum sensisset sibi adesse, conuocatis ad se eiusdem loci religiosis fratribus, de sui successore eligendo eos alloquutus est. Cui cum respondissent omnes, & simul rogarent, vt ipse eis Pastorem idoneum eligeret: lætatus Pontifex, Sacerdotem Gregorium in suo loco constituit. Quod factum omnibus placuit. Quid plura? Sacri Pontificis electione vniuer- C sæque plebis assertione, atque ipso Pontifice eidem sacri Ordinis iugum imponente, Pontificali infula decorari promeruit. Non post multum verò tem- *Archiepiscopatus honore decoratur.* poris, Archiepiscopo defuncto, venerabilis Antistes Gregorius, quamuis ante Episcopatum in Dei opere sedulus persisteret, post Episcopatum tamen studio vigilantiori virtutum omnium incrementa exercens, vt suo exemplo omnibus proficeret; seque ab omni casu immunem conseruaret laborare festinauit. Et vt sacri viri meritum omnibus liqueret, boni odoris aromata, quæ in eodem superni medici gratia transfuderat, suum odorem pluribus inferentia mentis & corporis salutem præstauere continuam. Nullius enim infirmitatis grauitas ibi *Claret miraculis.* perstare poterat, vbi beatus ille vim orationis D adhibebat, quique ad eum veniebant infirmi eius orationibus sanitate recepta sani atque incolumes reuertebãtur ad propria. Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, multimodaque debilitatum genera patientibus inuocato Christi nomine salutem restituebat. Tantas per illum Dominus dignatus est operari virtutes, vt non solum omnes morbidi à cunctis liberarentur infirmitatibus, verùm etiam inter suos pace constituta, nimiaque frugum vbertate omnis illa ciuitas lætaretur & patria.

Timens autem ne ab humanis fauoribus in su- *Fugit vanã gloriam.* perbiam elatus, quod in Dei opere tam longi temporis spatio cum tanto sudore conquisierat, prorsus perderet, ad solita arma recurrit, diuinæ pietatis clementiam deprecans, quatenus tale ei dare vellet consilium quod sibi valeret in futurum. Decreuerat quippe iam diu apud se Eremum apperere, mundique huius gloriam fugere, vt ampliorem inueniret. Igitur sub cuiusdam noctis silentio sumptis secum duobus religiosis fratribus, quibus omne cordis sui arcanum denudauerat, celeris fugæ iter arripiens, Alpium crepidines celeriter transiit, & ad Gallias iter direxit. Cumque peragratis *Relicto Archiepiscopatu, venit in Gallias.* pluribus ciuitatibus & oppidis illius regionis, Pithiueris oppidum deuenisset, in domum cuiusdam religiosi Sacerdotis, Arlifridi nomine, qui eiusdem oppidi Ecclesiarum custodibus præerat, hospitatus

est. In eadem verò nocte, quæ sui aduentus diem A sequebatur, dum primæ vigiliæ noctis more solito excubias celebrasset, quem sui itineris terminum vellet, Dominum deprecatus, vox de cœlis super eum intonuit dicens: Charissime mi Gregori, pro me multa passe, plurimaque passure, certum hic tui itineris terminum adfore constituo. Est enim non longe hinc quædam parua Ecclesia in honorẽ S. Martini Vertanensis consecrata, ab omni strepitu hominum segregata, quam propter solitudinem incolæ solam vocant, non plus ab hoc oppido duobus millibus passuum distans, ad hunc locum iubeo vt pergas, ibique Domino cui te seruiturum spopondisti, omni tempore vitæ tuæ deseruias.

*Reuelatur ei diuinitus locus Eremiticæ vitæ ducendæ aptus.*

Manè autem facto cum tetræ noctis fugata ca- B ligine suæ claritatis fulgore mundum sol illuminaret, præfatum hospitem cœpit interrogare vbinam esset Ecclesia, quæ vulgò Sanctus Martinus solus appellabatur. Cui cum respondisset duobus milliaribus distare ab oppido, dedisseque ei hominem vt ad dilectum locum eum deduceret, gratias agens itineri sese accinxit. Videns autem locum à Deo sibi præparatum, superfusa facie lacrymarum fletu, flexis genibus orauit ad Dominum dicens: Deus inæstimabilis quem nullus claudit terminus, infra quem cuncta subsistunt, & per quem omnia disponuntur, tibi gratias ago, qui mihi hunc locum mei laboris certum finem eligere & temetipsum demonstrare voluisti. In me enim sentio C quod numquam derelinquis sperantes in te, præsta mihi quæso Domine Deus, in tuorum operibus mandatorum perseuerantiam, vt in hoc loco tibi deuota mente seruiens, mole corporis depositа, per bonam confessionem, vt pollicitus es, ad te venire valeam. Et surgens ab oratione, mox cum ductore suo, ad prædictum reuersus est oppidum. Erat autem ibi nobilis quædam matrona Alluisa nomine, timens Deum, quæ super regionis illius populos iura potestatis exercebat: quæ fuit mater Odolrici Aurelianensis Episcopi. Ad quam veniens vir Dei, petiit vt in suæ potestatis terminis eum habitare permitteret. At venerabilis matrona omnipotenti Deo proniter gratias referens, qui tanto viro D ex longinquis regionibus adducto suæ potestatis patriam illustrare dignatus esset: vltro habitandi licentiam concessit.

*Alluisa Odolrici Episcopi Aurelian. mater.*

Tunc prædictus Antistes valedicens matronæ & omnibus, ad præfatam Ecclesiam reuersus est quantocyùs, ibique suæ quantitatis extruens tugurium, solitariam quam diu optauerat incepit viuere vitam. Nunc autem non est tacendum, quot annis in eodem loco Domino seruiens vixerit, & quam vitam duxerit, quotque miracula ibi per eum fieri Deus voluerit, vixit enim in eodem loco venerabilis Sacerdos Gregorius circiter septem annos seruiens Deo tota puritate mentis. Totius hebdomadæ in legitimis feriis nullo modo cibum E capiebat, in cæteris verò, hoc est in tertia & in quinta, & in septima feria occaso sole ieiunium soluebat. Solutio ieiunij talis erat, lenticulas ad solem in aqua germinatas quantum manus sinistra eius supportare valebat, & panis hordeacei tres vncias in lixiuia decocti, & herbarum crudarum radices, quas sibi ipse præparabat, in præfatis feriis quotidie comedebat. In Dominicis verò diebus ac in cæteris sacris solemnitatibus sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, & beatorum Apostolorum, excepta carne & abdomine, communem cibum capiebat. Nam illis diebus oppidani & diuites rustici, illius sanctitatem noscentes, prout quisque poterat ei afferebant: quibus cum gratiarum actione receptis, & iisdem deferentibus, sacris eulogiis sancti Pontificis manu cum benedictione communicatis ad propria reuertebantur. Partem autem quæ ei remanebat, pauperibus quorum non minima pars illic aderat, humiliter diuidebat. Sacerdotes quoque ac sacri ordinis ministros, necnon etiam quoldam laicos Religiosos ad prandium inuitabat, quibus etiam non solum corporalia alimenta, verùm etiam spiritualia subministrabat. Ipse verò propriis manibus artocreas cum melle & coctis acriminibus patrio more componens, cum hymnis spiritualibus & canticis post cibum gaudens illis offerebat, quo refecti putabant in se omnes paradisi adfore delicias. Verùm cum quidam rusticus sancti viri inuitationem stomachato corde respuens, ad domum suam cum famulis reuertebatur, qui antequam fluuium, qui infra Ecclesiam in qua vir Dei commorabatur, fluebat, transiret, arreptus à dæmone magnis vocibus cœpit clamare dicens. Serue Dei Gregori, quoniam tuam repudiaui inuitationem pessimè discrucior. Qui dum in aquam se vellet proiicere, à famulorum manibus retentus est, & manibus à tergo religatis ad prædictum virum, vbi cum fidelibus adhuc ad prandium sedebat, illum flentes celeriter perducunt, dicentes: famule Christi Gregori, hic noster dominus, quia tuum despexit præceptum, à dæmonio malè vexatur, vnde supplices petimus, vt pro illo Dominum orare non differas. Tunc venerabilis Antistes misericordia motus super eum à prandio concitus surrexit, & pergens ad Ecclesiam Deum deprecatus est, dicens: Domine Deus omnipotens, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, te deprecor, libera hunc famulum ab isto dæmone. Mox completa oratione dæmon exiuit ab eo. Tunc vir Dei illum manu suscipiens, ad prandium, quod prius despexerat, secum perduxit sanum atque incolumem.

*Solitariam vitam ducit.*

*Notæ S. viri abstinentiæ.*

*Vltio diuina in sancti viri contemptori.*

*Sanat dæmoniacum.*

Quadam die Dominica dum quædam rustica viro venerabili Gregorio solito more panem deferret, altera mulier quæ ad eundem Dei virum eiusdem rei causa pergebat, interrogauit eam dicens: quid est quod defers Domino Gregorio? At illa panem quem deferebat de manipula extrahens, ei respondit dicens: hoc tantùm Domino meo defero. At illa cum viso toruo intuens dixit: quo vultu hunc atrum panem tam sanctissimo viro defers? melior quippe iste meus est. Et extractus niue candidior apparuit. Pergentibus autem illis antequàm ad viri Dei cellulæ ostium accessissent, quæque suum panem extrahens mirum in modum muratos repererunt. Illa enim quæ panem alterius spreuerat, quasi carbonem suum panem nigrum reperit, alterius niue candidiorem intuens. O diuersa fidei conuersio! Bona enim fides in melius crescendo, semper augescit; mala autem in pœnis descendendo semper decrescit. Quo miraculo attonitæ, tamen sancti viri ianuam intrauerunt cellulæ, & flexis poplitibus de panibus quod illis acciderat narrauere recensentes. Venerabilis autem Antistes vtrumque munus suscipiens, ait. Ideo sancta Ecclesia iustos & iniustos recipit ad se venientes, vt iusti in iustitia sua permaneant, iniusti verò suam iniustitiam relinquentes, ad iustitiam verbi Dei dulcedine recreati recurrant. Mox præfatæ mulieres patris benedictione recepta ad propria redierunt.

*Bona fides in melius crescit, mala autem semper decrescit.*

Quadam die dum vir Dei per vinearum inculta herbarum radices colligeret, vnde sibi victum certis



certis diebus præpararet, maligni spiritus tentatio A semper bonis inuidens non defuit; hanc inter cæteras herbarum radices, veneniferæ apiorisæ radicem, quæ ridendo hominem interimit, seductor imposuit: quam vir Dei cum aliis colligens confestim ad cellulam deportauit, quas cum diligenter expoliret, atque ex lympha fortiter ablueret, ab illa radice in qua fraus inimici latebat, vnda sanguinis guttatim defluere cœpit. O veræ fidei constantia! Vera enim fides nescit timere: nihil enim illis timendum est, quos veræ fidei cultus diuinæ contemplationi indifferenter adiunxit. Tunc verò Dei famulus dæmonis astutias certissimè intelligens, maligni saporis radicem procul à se repulit, & flexis genibus gratias omnipotenti Deo reddidit, qui suos famulos semper & vbique protegit.

*Mirabilis radicis proprietas.*

Denique cùm quadam die Veneris ad Pithiuerensem Ecclesiam orandi causa more solito deueniret, occurrit ei tam pauperum quàm diuitũ puerorum non minima multitudo, quem disrupta veste cernentes indutum, post eum vociferari cœperunt, putantes eum insanum. Tunc quidam Hortrannus nomine fortè reuertens à foro venali per eundum vicum, per quem seruum Dei pueri deridendo insequebantur, pernam lardi ad domum suam deferebat. Qui vidẽs eum puerorum clamoribus fatigatum, ait: O stolidissime hominum, cur tua relicta cellula, quasi insanus discurris per oppidum? Et multis conuiciis afflictum, tandem eum C hæreticum quòd carnem manducare nolebat appellauit. Cui ille: hactenus, inquit, iniurias à te illatas patienter sustinui, hoc verò quod me hæreticum nominasti, nullo modo sufferre potui, hæreticus enim à Deo separatus dicitur. Nolo autem separari à Deo meo, pro cuius nomine hæc omnia patior. Quo dicto, cum magno impetu pernam lardi quam tenebat manu abstrahens in conspectu omnium eam quamuis crudam manducare cœpit. Mox iniuriarum illator pœnitentia ductus, ad sancti viri pedes corruit, veniam impetraturus: qua impetrata vir sanctus rediit ad propria.

*Hæreticus à Deo separatus dicitur.*

Hæc & alia huiusmodi quamplurima per seruũ suum Gregorium Deus operari dignatus est mira- D cula, quæ si quis plenius enarrare contenderit, potius dies quàm loquela deficiet. Et ne prolixa oratio fastidium auditoribus generet, stilum vertamus ad beati viri exitum. Illo autem in præfata Ecclesia sub tertia noctis diei Sabbathi vigilia orãte, atque Dominum finis sui dati terminum deprecante, apparuit ei Dominus Iesus Christus, dicens: Noli timere mi dilecte Gregori, quinta enim die ad me venies, vt tibi promisi, sub bona confessione, & quoniam terrena & peritura propter me deseruisti: te cælestibus & in æternũ mansuris præmiis condonatũ cũ fratribus tuis in cælestibus collocabo. Quo dicto cælos Dominus ascendit, & vir beatus de suæ mortis exitu certus, suam cellulam E celeriter expetiit, in qua sui corporis membra iam nimia febre correpta collocans, extremum sui exitus diem cælitus sibi ostensum expectabat. Quod cum audissent non solum oppidani, sed etiam rustici quos communis ardor amoris ei prius deuinxerat, veniebant ad eum corporis necessaria ei deferentes. Quibus vir Dei præcipiebat, vt quæ sibi attulerãt pauperibus erogarent, nec decet, inquiebat, fratres mei, corpus aliquo cibi recreamine sustentari, cuius spiritus iam à Deo vocatus totus hæret supernæ contemplationi. Hoc tantum vos deprecor, vt præceptorum Domini nostri memores ea complere studeatis. Denique corporis &

*Apparet ei Christus.*

*Migrat in cælum.*

sanguinis Domini nostri Iesu Christi perceptione se muniens, spiritum cælo, corpus terræ septimo Calend. Aprilis tradidit humãdum. Quanta in eius exequiis lamenta fuerint, quantaque turba fidelium illius obitu commota ad eum confluxerit, non solum ex finitimis, sed etiam & longinquis regionibus, reticere potiùs iudico, quam exprimere.

Tunc Clerus & deuotus populus ad eum conuenerunt, qui sancti viri corpus ex tugurio extrahentes, ad Sancti Martini Ecclesiam cum hymnis & canticis transtulerunt decenter, in qua totius noctis exequialibus cũ cereis & lampadibus excubiis celebratis, summo manè iuxta altare Sancti Martini honorificè sepelierunt: vbi quandiu in eodem loco iacuit, supernæ virtutis operatio plurima miracula fieri voluit. Nam quicumque æger ad eum veniebat, sancti viri meritis sanus & incolumis inde reuertebatur à quacumque detinebatur infirmitate. Tunc præfata matrona Alluiusa tantam populorum cum maximis muneribus frequentiam ad eundem locum defluere conspiciens, piissimæ cupiditatis igne succensa, sancti viri glebam cum summo honore Pithiueris oppido transtulit, & in Ecclesia Sancti Salomonis in qua nunc Deo volente requiescit, ante vultum Saluatoris iterum honorificè sepeliuit, in qua fecit & faciet benigna Dei dispensatio per serui sui merita plurima miraculorum genera.

*Honorificè sepelitur.*

*Miracula ad eius tumulũ.*

*Transfertur eius sacrum corpus.*

Hæc autem quæ superius dicta sunt partem oculis nostris vidimus, partim ab illis qui illius sanctissimo colloquio atque familiaritate fruentes, ea propriis oculis viderunt, accepimus, partim à parentibus eius & amicis qui post illius obitum eum quærebant putantes viuere, cognouimus. Laudetur inde summa & indiuidua Trinitas, quæ in sancti Confessoris sui Gregorij multiplici virtute triumphat, cui est honor & gloria, laus & iubilatio per infinita sæculorum sæcula. Amen.

## NOTÆ.

Gregorius.] *Beatus iste alio nomine Macharius vocabatur, qui Armeniorum Nicopolitanus Archiepiscopus postmodum solitariam vitam duxit apud Pithiuerim, tempore Odolrici 56. Aurelianensis Episcopi, & Roberti Francorum Regis, anno Domini 1022. vt videre est apud Sausseyum in Annalib. Ecclesiæ Aurel. lib. 8. num. 17. Stylum aliquantulum mutauimus, & quædam miracula breuitatis causa omisimus, quæ si quis desiderat, videat eumdem Sausseyum.*

Armenia.] *Regio est Asiæ inter Taurum & Caucasum montes sita: & à Cappadocia ad Caspium mare vsque protensa: ab Armenio Thessali Comite (vt inquit Strabo) sic dicta. Et vt Plinus author est, maior sc. & minor, vbi pretiosum inter reliqua aromata nascitur amomum. Hano Hebræi Ararab vocant. In ea Araxes fluuius, & pars Euphratis & Tygridis, & insignis ciuitas Artaxata.*

Pithiueris.] *Gallicè dicitur* Pitiuiers ou Pluuiers, *in Gastinens. Diœcesi Aurelian.*

Nicopolis.] *Est ciuitas Epiri, à victoria: Augusti sic appellata, qua Cleopatram & M. Anton. apud Actium superauit.*

Abdomine.] *Abdomen significat pinguedinem.*

Artocreas cum melle & coctis acriminibus.] *Erat quoddam epulum cum pane, melle & acriminibus, id est, quibusdam herbis acribus & parumper asperis, quibus simul iunctis & compositis pastelli & farcimenti speciem habebat.*

## VITA S. ODONIS ABBATIS.

### Ex Ioanne eius Discipulo.

*Habetur in Bibliotheca Cluniac.*

*S. Odo in aula Vuillelmi Ducis Aquitan. primò educatus.*

*Parisiis dat operam artibus liberalibus,*

*Pater S. Odonis.*

*Abbo Odonē filium precibus impetrat.*

*Offertur à patre Sancto Martino puerulus Odo.*

*Cuidam Presbytero traditur educandus.*

*Terribilem videt visionē Presbyter de ipso Odone.*

*Adolescens, militaribus exercitiis applicatur.*

*Venationibus & lusibus seipsum exercet.*

*Territus in visu ab huiusmodi exercitiis desistit.*

BEATISSIMVS Odo ex Francorum prosapia extitit oriundus: sed intra domum Vvillelmi robustissimi Ducis Aquitaniæ est alitus. Nonodecimo ætatis suæ anno, apud beatum Martinum Turonis est tonsus, ibique Grammaticæ laribus educatus, deinde apud Parisios Dialectica, Musicaque à Remigio viro doctissimo est instructus, & tricesimo ortus sui anno Burgundiam petiit, ibique per quindecim annos sub Bernone Abbate Monasticam vitam duxit in Balmensi cœnobio. Postmodùm verò Abbas ordinatus, Franciarum, Aquitaniarum, Hispaniarumque partium, atque Romanæ vrbis circumstantium cœnobiorum, effectus est dux, & pater dulcissimus. Pater eius Abbo vocabatur, Vvillelmo Aquitaniæ Gothiæque Duci imprimis charus. Qui cùm nō haberet liberos, in vigilia Natiuitatis Domini, dum orationibus insisteret, menti suæ suggestum est, vt à Domino peteret, ob virginis partum sibi condonari filium: talique instantia precum, vxoris emortuum meruit suscitare vterum.

Quadam die cùm ingressus est intra septa cubiculi vbi puer Odo decumbebat, eumque super cunabulum sine custode reperisset, huc illucque circumspiciens, cum neminem videret, suis manibus eleuauit, & corde sursum respiciens: Suscipe, ait, gemma Sacerdotum Martine, hunc puerum. Deponensque eum super stratulum recessit. Post hæc ablactatum cuidam Presbytero remotiori in loco manenti, eum tradidit educandum, & literarum studiis imbuendum. Fatebatur postmodum ipse Presbyter, se talem vidisse visionem. Videbam, & ecce Ecclesiarum Principes cœperunt mihi puerum petere, etiam exactè, Cumque scisciarer quid de eo fieri vellent, an patris domum reducere. Non ita se inquiunt venisse, sed vt in Orientis partes eum ducerent. At verò Presbyter, cùm eum dimittere nollet, & eis resistere nequiret, & quid amplius ageret, nesciret: terræ prostratus, conuertit se ad preces, deprecans vt prius in eum vltionem exercerent, quàm puerum tollerent. Nunc vindictam patris se dicebat perpeti, nunc se à parentibus dicebat vocandum proditorem pueri. Ad hæc referebatur respondisse vnus eorum. Ne fortè vindicet pater pueri in Presbyterum: dimittamus eum vsque ad tempus. Hac reuelatione perterrefactus Presbyter, puerum restituit parentibus. Factum est ergo cùm adoleuisset, pater eius eum militaribus exercitiis applicauit. Qua de re ipsum intra domum Vvillelmi tradidit, seruiturum Comiti. Relictisque litterarum studiis, venatorum aucupumque cœpit deseruire officiis. Sed Deus omnipotens, qui inuitis salutem præstat, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, cœpit Odonem in somnis terrere, vnde deinceps tota eius venatio in fatigationem conuerti cœpit. Et quantò ampliùs se ingerebat huiusmodi lusibus, tantò redibat mœrens sine omni effectu, & fatigatione confusus. His verò diebus suasit ipsi pater celebres habere vigiliarum excubias, quas ipse celebrare consueuerat. Euolutis autem aliquot annis, ad celebrationem vigiliæ Natiuitatis Domini cum seipsum præparasset, & partem noctis duxisset peruigilem: subitò venit ei in mentem obsecrare pro vita sua Domini Iesu genitricem. Et orans cœpit dicere, O Domina, & mater misericordiæ, tu nocte ista mundo edidisti saluatorem, oratrix pro me dignanter existe; ad tuum gloriosum & singularem confugio partum, piissima, & tu meis precibus aures tuæ pietatis inclina. Vehementer expauesco ne vita mea tuo displiceat filio. Et quia Domina, per te mundo se manifestauit: propter te quæso absque dilatione misereatur mei.

*Oratio eius ad beatam Virginem pro remissione peccatorum suorum, & conuersione vitæ.*

Inter has preces, & matutinas laudes, Missarumque solemnia, dies crastinus illuxerat. Et ecce (vt solebat) Canonicorum dealbatus affuit chorus, & dum (vt solebat) in laudibus tantæ solemnitatis diuersarum fieret vocum modulatio, velut impatiens iuuenis in medio eorum prosiliuit, vnáque cum ipsis mundi Regem laudare cœpit. Statim verò capitis eum inuasit nimius dolor. Intantum autem excruciabat eum dolor ille, vt nec ad momenti spatium vlla spes vitæ in eo remaneret. Ob hoc parentum reductus ad domum, per biennium omne genus curationis adhibuerunt ipsi. Et quantò ampliora, & omnigena sumebat medicamina: toties eminus ab eo salutis remedia fiebant. Tunc pater eius hæc videns cœpit dicere: Ecce beate Martine, quod gratè obtuli; exactè requiris, verè, vt decet, exaudibilis es in voto, sed charus in negotio. Desperato tandem salutis remedio, vnum fore putauit solatium Odo, si anhelanter confugeret ad beatum Martinum; nempe vt cui traditus fuit nescius, deposita capitis coma, illi seruiret sciens. Quod & ita factum est. Tantam postmodum deuotionem in beato Martino visus est habere, vt præ cæteris sanctis eum diligeret, suæque protectioni semetipsum quotidie commendaret, illum nempe vbicumque adesset, corde retentans, ore prædicans, operibus sequens. Cùm autem Ecclesiam S. Martini frequentaret, fuit rogatus à Canonicis vt officium S. Martini componeret. Sed ille primò ob humilitatem hoc recusauit, victus tamen precibus eorum mox cum omni annisu super tanti officium laboris incubuit. Tres verò hymnos in eiusdem laudē composuit, è quibus vnius tantùm exemplar inserere huic operi adiudicaui, Rex Christe Martini decus, hic laus tua, tu illius, &c. Similiter duodecim antiphonas, ternas per singulas habentes differentias. Quarum verba & vocum consonantiæ adeò sibi inuicem concordant, vt nihil in sensu plus minusue, nihil in symphoniæ modulationibus reperiri posse dulcius videatur. Retinentur hactenus Beneuenti. Nunquam manè, numquam vespere, eius memoria à suo pectore labebatur atque ore. O Martine, ô pie, quàm pium est gaudere de te. O Martine, &c.

*Per biennium graui capitis dolore laborat.*

*Nota pulchrè dictum patris S. Odonis.*

*Præ cæteris Sanctis summa deuotione afficitur erga S. Martinum B. Odo.*

*Rogatus officium S. Martini cōponit.*

Igitur vir beatissimus nonodecimo ætatis suæ anno, confugiens apud beatum Martinum, Clericatus suscepit officium. Comes autem Fulco qui eum enutrierat, ei cellam iuxta beati Martini Ecclesiam & quotidianum victum ex eadem canonica acquisiuit, eique concessit. Sed paupertatis amator vir beatissimus contempta mundi gloria, soli Deo placere curabat. Diebus itaque continuatis lectioni insudabat, & noctibus orationi vacabat, sciens esse scriptum: qui ignorat, ignorabitur. Quadam autem die cum Virgilij voluisset legere carmina, ostensum fuit ei per visum vas quoddam, de foris quidem pulcherrimum: intus verò plenū serpentibus. A quibus se subitò circumuallari conspicit, nec tamen morderi. Et euigilans, serpentes, doctrinam Poëtarum, vas in quo latitabant, librum Virgilij, viam verò per quam incedebat valde sitiens, Christum intellexit. Relictis igitur carminibus Poëtarum, alti edoctus consilij, ad Euangeliorum, Prophetarumque expositores se totum conuertit.

*Fit Clericus.*

*Dat operam studiis.*

*1. Cor. 14. Virgilij legēs opera, in visu ab huiusmodi lectione reuocatur.*



*Viuit solitarius in cella, semotus ab hominū consortio. Matth. 6.*

uertit. Contentus denique parua cellula, sublatusque ab oculis hominum, soli Deo placere festinabat. Distractis pauperibus vniuersis quæ ad vsum temporalem secum attulerat, secundum Euangelicum præceptum, de crastino nihil cogitabat. Noctu verò ab aspectibus se priuabat hominum, & ad sepulchrum beati Martini orationis gratia ibat solus, quod videlicet ab eadem cellula duobus ferè millibus distabat. Sed bonorum hostis tales ei terrores inferre cœpit. Ex lateribus namque viæ vndique egrediebantur vulpes, quæ prius terga illius persequentes obseruabant, deinde in eius faciem se obiiciebant. Sed cum ardentissimum iuuenem à recto, & proposito itinere vidissent inclinare non posse, gannitum dantes, & hianti ore super eum irruentes, minitabantur strangulare. At ille nec aufugit, nec restitit, sed complicatis cruribus, & contracto collo rigido, humeris tantum & brachiis se tuebatur. Tradens denique eorum dentibus totum corpus, gula solū cauebat lethalē morsum. Et ecce repente rapidissimo cursu interuenit lupus, eumque ab earum liberauit incursionibus, & deinceps illi comes est effectus, atque domesticus. Nocte verò cum orationis gratia egrederetur à prædicta in qua manebat cellula, non claudebat post se eiusdem ostiola, propterea quia nihil perdere metuebat. Nempe qui super nudam humum matta solum, & quibus vtebatur vestibus contentus erat. Contigit interea dum diuersorum librorum legeret volumina, ad beati Benedicti peruenisse Regulam, & cursim cum eam vellet transire, impegit in eundem locum, in quo præceptum est Monachis, vt dormire debeant vestiti. Nam plenè non intelligens eundem sensum, per triennium iacuit vestibus, & necdum Monachus, Monachorum leue ferebat iugum. Sed hoc mirabile est quod candor ipsius corporis non est immutatus à nigredine in qua iacebat humi. Sustentabatur autem media panis libra, & fabæ pusillo, atque perparuo potu.

*Varias patitur dæmonii infestationes.*

*Habet diuino nutu lupum familiarē & domesticum, qui eum ab aliarū ferarū morsibus arcet & defendit.*

*Dormit supra nudam humum.*

*Regulæ S. Bened. c. 22.*

*Sustentatur media panis libra, & fabæ pusillo, & perparuo potu.*

Contigit interea, vt plurimi ad eum venirent, visitandi gratia. Cogniti, vt notum reuiserēt, ignoti, vt notum eum sibi facerent. At ille velut fons redundans, desideratissima cunctis præbebat oscula, & quasi ex aperta Bibliotheca omnibus congrua præbebat exempla. Admonebat eos viuere parcè, & malè concupita non amplecti, ventris penitus refrenare ingluuiem, inquiens, qui ventrem farcit, venerem nutrit. Libidinosis præcipitiū opponebat draconis dicens. Heu miseros illos! quia tertiam partem stellarum cæli trahit draco post se. Ebriosis & comestoribus dicebat: Nabuzardan princeps coquorum destruxit muros Hierusalem. Doctorum flebat præcipitium & dicebat: Aspice Domine quia facta est desolata ciuitas plena diuitiis. Et rursus aiebat. Væ tibi Behemoth, numquam desit, proh nefas, aurum tibi sternis vt lutum, & radij solis sub te sunt. Itaque omnes diuino sale conditi, & cælesti ferculo satiati, gratias agentes ad propria remeabant, multaque illi dona offerebant & munera, ex quibus nihil recipere volebat. Victus aliquando à prædicto suo Domino, volens nolensve centum ab eo missos solidos recepit. Sed miles Christi nec momento passus est apud se moram pati: atque vt priùs eos indigentibus erogauit.

*Omnibus ad se venientibus dat monita salutis.*

*Apoc. 12.*

*Egregia sancti viri sententia. Iob. 41.*

Post hæc adiit Parisios, ibique Dialecticam S. Augustini, Deodato filio suo missam perlegit, & Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitauit. Præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium. Quo peracto rediit Turonicam. Per illud tempus rogatus est à fratribus, vt Moralia B. Gregorij Papæ sub vno eis coarctaret volumine. Ille autem professus est, se hæc minimè facere posse. Illis autem persistentibus in hac petitione, factū est vt quadam nocte domnus Odo intra Ecclesiam beati Martini consuetæ orationi insisteret. Et ecce subitò in eum somnus obrepsit, viditque in eadem visione sanctorum chorum venientem desursum, in eandem Ecclesiam descendere, & priùs benedixerunt Dominum, deinde ordinatim in subselliis sederunt. Atque post paululùm, vnus coram in medium prosiliens, dixit: Quidnam est quod hoc in loco moramur? Cæteri verò Gregorium Papā expectare se inquiunt. Hoc audiens pater noster Odo, velut auidus indagator, cœpit huc illucque circumspicere, quanam ex parte venientem eum posset videre. Deinde eleuatis oculis sursum, quasi è cælo missum videt beatum Gregorium, sed vltra omnes qui præcesserant eum, vultu, specieque, & moribus perspendidum atque ornatum. Mox veniente illo omnes surgunt, & flexis ceruicibus benedictionem petunt. Ille verò non inter eos deorsum vsque descendit: sed super ambonem Ecclesiæ substitit, & patrem nostrum terratenus prostratum vocauit inquiens. Surge, frater Odo, noli timere. Qui cum surrexisset, vidit veluti more scriptoris super auriculam eius hærentem pennam, & quasi Doctoris magisterio productim acuminatam, & in summo fixam. Quam sumens beatus Gregorius, eamque illi tradens, ait. Age ergo securus, & perfice tibi opus iniunctum & indictum. Quem verò composueris librum, non delebitur, meus autem stabit in æternum. Et continuò euigilans, intellexit protinus quod viderat. Sumens dehinc volumen illud magnum diligenter perlegit, & saniorem partem quam præuidit, sub vno volumine composuit.

*Videt visum S. Odo.*

*Iussus à B. Gregorio Papa libri Moralii ipsius sub compēdio reponit.*

Factum est postmodum vt præfatus Comes Fulco de thesauris beati Martini nescio quo pacto tulerit duo vascula auri. Sed camo infrenatus auaritiæ, dum ea reddere nollet, graui plexus est vltione. Ad mortem vsque perductus, ad beati se Martini iubet portari sepulchrum, ibique quamplurima promittens munera, sed nec sic sanitatis recipiebat remedia. Præterea diutissimè fatigatus adeò vsque est defectus, vt mortis tantùm expectaret exitum. Ad quem cum Odo visitandi gratia introisset, dixit illi. Redde miser vascula beati Martini, quæ infeliciter abstulisti, & protinus saluaberis. Ille autem & illa reddere, & alia spopondit cōferre, si rei fidem dictu actuque comprobaret. Mox patris nostri, & obsequentium manibus eleuatus, ad beati Martini corpus perductus, terræque prostratus, nec moram pati potuit subsidium sibi promissum; sed qui manibus venerat, veluti vehiculo latus, recuperatis artubus remeare cœpit suis gressibus. Siquidem ita factum est, vt ille correptus de cætero talia non committeret, & quæ promiserat fideliter adimpleret. Cœpit interea pater Odo eum admonere, vt relicto mundo hoc; tantùm satageret quemadmodum soli Deo placeret. Ille autem respondit. Mihi ista modo suadere non potes. Habeo tamen fidelissimum militem Adhegrinum nomine, in armis strenuum, & consilio prouidum, qui si te audierit, mox tuæ voluntati obediens erit; quod ita sequenti tempore factum est.

*Fulconis Comitis grauis pœna, ob ablata ex S. Martini thesauris duo vascula.*

*Ablata restituens, & alia promittens, tandē à grauī infirmitate liberatur.*

Intra paucos verò dies, omni recuperata virtute, domum suam reuersus est. Confluentes ad eum vndique eius sanitati congratulantes, assumpto sermone, quæ & quanta pertulisset, illic circumstan-

*Rhemigius S. Odonis in literis magister.*

tibus

*Adhegrinus strenuus miles Comitis, audiens miracula Sancti Martini, venit ad conuersionem.*

tibus cœpit exponere, addens insuper quàm citatam virtutem in verbis Domini Odonis competisset. Vnus autem ex assistentibus, & auditor internus, prædictus erat Adhegrinus: qui mox corde compunctus, dispositis, quæ possidebat omnibus, concitè rediit ad eum. Deposita itaque capitis coma, & seculari militia, ex tunc Christi factus est agonista. Sumens igitur pater Odo vniuersa quæ sibi ipse ad temporalem vsum attulerat, in finibus pauperum erogauit: sicut pridem de suis fecerat. Manserunt simul milites palatini, paruo tu-

*Degùt simul solitarij Odo & Adhegrinus.*

gurio contenti. Videntes denique mundum in maligno positum, & eius amatores in ruinosam & illecebris plenam tendere vitam, quotidie ad Monastica festinabant scandere fastigia. Interea non B fuit locus in Franciæ finibus, vbi audierunt fuisse Monasterium, in quẽ aut per se non issent, aut suos perlustratores non misissent. Et non inuenientes regionis locum inter eos, in quo requiescere possent, ad prædictum tugurium reuertebantur cum

*Adhegrinus Romam proficiscitur.*

magno dolore. Ob hanc causam placuit Adhegrino Romam pergere. Arrepto tandem eundi itinere, deuenit in finibus Burgundiæ, peruenitque in quandam vallem, quæ Balma dicebatur ex nomine. In ea namque erat Monasterium, nuper à Bernone

*Regul. Ben. cap. 53.*

Abbate constructum, diuertítque illuc, & ab eo officiosissimè secundum Regulam beati Benedicti, intra domum hospitum est susceptus, ibique

*Honorificè excipitur à Bernone Abbate.*

C more hospitis aliquo tempore commorari voluit, non tamen vt aliquo eorum indigeret: sed vt mores habitantium, locique consuetudines posset cognoscere. Fuerunt autem institutores eiusdem loci, imitatores cuiusdam patris Eutichij, cuius vitæ meritum cõuersationisque qualis fuerit, huic operi inserere nolui, obitum verò qualem meruerit, vestræ memoriæ commendare curaui.

Fuit iisdem vir temporibus Ludouici magni Imperatoris, charus videlicet Regi, omnibusque amabilis. Nam cum esset laicus, & peregrinis studiis eruditus, deferens ea vnde superbire solet humana fragilitas, totum se dedit beatorum Patrum Regulis & institutionibus, ex quibus nempe auD ctoritatibus diuersas consuetudines sumpsit, vnoque volumine colligauit. Deinde non multo post Monachus est effectus, & in tanto amore apud Regem est habitus, vt intra palatium suum illi construeret Monasterium. Decurso enim vitæ præsentis stadio, circunstantibus vndique fratribus, subitò emisit spiritum. Contigit interea dum à discipulis pij patris pararentur obsequia, ecce rediit viuus, qui fuerat mortuus. Illis verò attonitis & mirantibus, dixit pater Eutichius. Deo gratias.

*Eutichius Abbas totis 40 annis, nullum diem præteriit quin lacrymaretur.*

Sciatis quia ex his quadraginta annis, vnum tantum diem non memini me cibum sumpsisse, nisi prius fleuissem, hodie namque sublato mœrore, consolatus est me Dominus, & inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum. Dicens E hæc quieuit perpetuè. Ipse enim pater Eutichius institutor fuit harum consuetudinum, quæ hactenus in nostris Monasteriis habentur. Quas vir venerabilis Adhegrinus intuens, quantocyùs patri nostro Odoni curauit nunciare. At ille sumptis se-

*Tandè venit ad Balmense Monasterium B. Odo, vbi scholæ magisterium suscipit.*

cum centum voluminibus librorum, mox ad idem demigrauit Monasterium. Domnus verò Adhegrinus in vnam se coarctauit cellulam, & permittente Bernone Abbate, per triennium mansit in ea: nã patri Odoni (qui erat vir scholasticus) laboriosum scholæ impositum magisterium.

*Habitat in spelunca V. Adhegrinus.*

Venerabilis igitur Adhegrinus, sumpta postmodum licentia, Eremum petiit, & ibi parua subA arctatus est spelunca. Contigit vt die quadam, nimiis constrictus angustiis, cum nullus adesset qui ei consolationis verba, aut alicuius patris conferret exemplas, vt ait Sapientia, Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se, more labentis gurgitis, paulominus quoad desperationem vsque non descendit. Et ecce subitò adstitit ei splendidissimus vir, qui blande quid haberet interrogauit, aut cuius rei causa accidisset illi quod quasi ad præcipitium se vsque immergeret. Respondit dicens. Ex quo tempore Domino incessanter cœpi seruire, nullam consolationem aliquo modo ab eo merui recipere, qua de re coangustor vehementer, quia nescio si mea seruitus illi placet; an si pro tanto labore recipere merebor quandoque mercedem. Mox ille super collum eius irruit, eumque osculans: Crede, inquit, quia de bonis Domini vnquam indignus non eris, & consolatus eum his verbis, abiens recessit.

*Vexatur à spiritu desperationis Adhegrinus. Eccles. 4.*

*Diuinitus releuatur, & consolatur.*

Alio iterum tempore casus se præbuit vt extra cellam in qua manebat, reperiret eum tentator, Moxque in eum irruit, & supra immanissimæ rupis præcipitium vexit, indeque eum omni cum adnisu præcipitare voluit. Sed quid miles Christi ageret? Qui recto gressu illic stare nequibat, quomodo resistere posset, prorsus ignorabat. Verùm cum in summo mortis articulo esset positus, subito illi affuit beatus Martinus, apprehendensque manum eius, dixit ad eum. Quidnam est hoc, & C vnde huc aduenisti? Nescio, Domine, inquit, deinde confortans eum, restituit in locum suum. Ante hoc ferè quinquennium dum Pater Odo Romam pergeret, vt Monasterium intra Ecclesiam beati Pauli Apostoli (vt olim fuerat) reædificaret, cogente summo Pontifice, & vniuersis ordinibus sedis sacræ, placuit animo prius prædictum virum reuisere, quàm de hac re consulere, vt fieret quod scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.

*Diabolus ex altissima rupe Adhegrinũ præcipitare nititur.*

*A B. Martino liberatur.*

*Eccles. 32.*

Interea factum est dum de hac re secum quærerent, & multa de spiritualibus rebus diu sermocinarentur, cœpit eum Pater Odo deprecari, vt quicD quid sibi eo tempore reuelatum fuisset, familiariter sibi conferret. Recordatus itaque domnus Adhegrinus sodalitatis antiquæ, & mox inflammatus charitatis igne, respondit dicens: Illo die, illa hora, psalmodiæ peracto cursu, subitò mihi affuit beatus Martinus, cuius præclara facies, & quasi assueta familiaritas, post benedictionem mox mihi dedit facultatem. Effatisque sermonibus aliquantulis, percunctari eum cœpi quò pergeret, aut vnde veniret. At ille respondit dicens. Roma venio, & proficiscor ad Franciam, ad te positus penes iter, visitationis gratia diuerti. Deinde gratias agens, cœpi eum obsecrare, vt quia dignatus est peccatorem visitare, dignaretur sub eiusdem tugurium, vel E ad modicum requiescere. At ille. Hodie, inquit, ordinatio fit Ludouici Francorum Regis, & ad eius vnctionem accelero interesse, & idcirco nullam patior morã habere. Ad hæc ego respondi. Et si ita est vt abire velis, oro vt me prius benedicere digneris. Et ille. Non necesse habes benedici à me. Olim quippe qui me benedixit, similiter & tibi. Cumque incessanter eum vrgerem vt me beneficeret: mox ille è contra subiunxit, vt eum similiter benedicerem: affirmans insuper nullo modo se acquiescere nisi sibi vicissitudinem benedictionis rependerem. Qua de re non parua inter nos amica contẽtio orta est. Ille verò quia nolebat, ideò contra dicebat; ego autem quia nõ præsumebam. Vnde factum est, vt

*Iterum visitatur & benedicitur à B. Martino Adhegrino.*



vt collata prius inuicé benedictione, mox recesserit A abiens, meque cum magno reliquerit mœrore. Ad probandam tamen huius rei fidem, affuit pater Odo beatissimus, & fidelissimus arbiter, qui diem illum & horam adnotari iussit, & postmodum omnia diligenter requirens, facta reperit, vt ipse prædixit.

Sunt hactenus euoluti, nisi fallor, plusquam triginta anni, ex quo intra ipsam Eremum degit. Dominicis tantum diebus, aut præcipuis festiuitatibus ad Monasterium Sancti Petri, quod Cluniacum dicitur, quia ferè duobus millibus propè est, assueuit descendere. Sumpta videlicet modica farina, ex qua sibi panem conficere solet, & fabæ pau-

*Nota abstinentiam & tolerantiam S. Eremitæ Adhegrini.*

na, ex cis granis, mox ad Eremum reuertitur. Vino nec B aliquando vtitur, adipe verò aut oleo eius cibus non conditur. Patitur nimirum omni tempore frigus & calorem. Calorem inter scapulas, frigus inter manus & brachia.

Erant autem in ipso cœnobio Cluniacensi quidam fratres, qui audientes quod Dominus Odo conuersationis gratia illuc aduenisset, fingunt se interrogare. Itaque cum ab eo de hoc quod scisciscitabantur, responsum accepissent, aiunt dicentes: Omnes nos quærimus hanc Congregationem fugere, vt possimus animas nostras saluas facere, & tu è contra tuam hic vis perdere? Quibus cum respondisset, quare hoc dicerent. Rursum adiiciunt. Nosti consuetudinem Bernonis Abbatis? At ille. C Nusquam, inquit. Et illi. Heu heu! si scires quam durè scit ille Monachum tractare. Correptionem verò suam sequuntur verbera, & rursus quos verberat, compedibus ligat, domat carcere, compedibus affligit: ieiuniis atterit. Et hæc omnia perpessus, nec sic suam potest miser impetrare gratiam. Hæc audiens Dominus Odo, pedetentim titubare de ingressu cœpit. Quem prædictus intuens Adhegrinus, mox prosiliens in medium ait. Odo pater noli trepidare, ista verba non sunt fantis, sed administrantis, animaduerte quia per eorum ora diabolus loquitur. Mox illi confusi, retrorsum redeunt. Pater namque Odo cum Adhegrino collega suo, ad suauissimum Christi iugum colla submittunt.

*Malorũ Monachorũ detractionibus, paululum titubat à suptione habitus Monastici B. Odo.*

*Confirmatur ab Adhegrino.*

Libet interea patris nostri Odonis paulisper D seorsum ponere vitam, vt in exponendo eiusdem loci consuetudines, parum mihi aliquid liceat immorari, quatenus sequens lectio possit esse lucidior. Mos enim huius loci fuerat, vt magister scholæ solus cum solo puero, nec quoquam iret, saltem nec ad naturæ digestionem. Sed nec solus puer secretius illi loqui præsumeret, sed propter bonum testimonium alium è pueris, aut vnum ex fratribus

*Nota egregias consuetudines Balmensis Monasterij sub Bernone Abbate.*

comitatu, vel locutione semper assumeret. Si autem nox foret, vel casu accidente puer peteret sine lucernæ lumine, & alio fratre extra dormitorium pedem non auderet protendere: tempore verò refectionis numquam deerat lectio vtrisque mensis. Micas verò quæ ex sectione panum fiebant, vnus- E quisque ante se diligenter recolligens, priusquam lectio finiretur, cum gratiarum actione sumebant. Finita lectione nec eas, nec cibum alium vltrà sumere aliquis audebat. Has autem micas sacratiores aliis cibis esse fatebantur. Tale namque ferebant miraculum ex eis claruisse eisdem annis. Frater quidam in eodem Monasterio fuit valde idoneus, & omnibus charus. Qui ad mortem vsque perueniens, circumstantibus fratribus, qui eius venerant

*Diabolus moribundo Monacho obiicit*

orando commendare spiritum Domino, subitò emissa voce clamauit dicens: Adiuuate me obsecro Domini propter Deum. Modò (inquit) raptus sum ad iudicium, ibique protulit accusator humani ge- *micam panis quam comedere iuxta consuetudinẽ neglexerat.*
neris diabolus contra me, ad testimonium de micis panum sæculum, quas comedere secundum consuetudinem nolui, & de mensa ceciderunt. Atque post pusillum iterum terribiliter clamare cœpit & dicere: Ecce de quo vobis dixi, Diabolus adest, deferens prædictum sæculum. Nam cùm territi fratres mirarentur, adiecit rursum; illo in loco adest. An non videtis eum? Deinde iterum signo Crucis totum se muniuit, & inter verba orationis spiritum reddidit. Ab illo ergo die, omni cum diligentia sunt collectæ.

*Nota districtã & quasi continuã priscorum Monachorum silentium.*

Est & alius inter eos taciturnitatis modus. In incompetentibus namque horis nemo intra claustra eiusdem Monasterij audebat loqui, nec se cum B alio fratre iungere. Quando verò duodecim celebrantur lectiones, nullus intra prædicta claustra, præter ad Capitulum sequenti die audet loqui. Octaua enim die natalis Domini & eius Resurrectionis summum silentium noctu diuque fiebat in illis. Breuissimum quippe istud, illud fatebatur significare æternum silentium. Nam quoties necessitas ad exposcendum res instabat, toties diuersa signa inuicem fiebant, ad perficienda quæ vellent, quas puto Grammatici digitorum & oculorum notas vocare voluerunt. Adeò nempe inter eos excreuerat ordo iste, vt puto, si sine officio linguæ essent, ad omnia necessaria significanda sufficere pos-

*Ad necessaria significanda signis & nutibus vtebantur.*

sent signa ipsa. C

At verò inter quotidianos dies, & reliquas octauas sanctorum, talis discretio tenebatur. Etenim in quotidianis diebus inter diei noctisque cursus, centum triginta octo canebant psalmos: ex quibus quatuordecim nos dempsimus propter pusillorum animos, & certas peculiares orationes, quas hactenus nostri frequentant fratres, quæ videlicet modum psalterij videntur excedere. Similiter duabus missis identidem Litaniis. Per singulas verò horas Canonicas bis flectebant genua. In octauis quas diximus, septuaginta quinque canebant Psalmos inter prædictos cursus, & semel flectebant genua, & bis reficiebant. Sunt namque alia quamplurima, quæ arbitror propter lectores fastidiosos huic operi dignè esse parcenda. Igitur pater Odo dum scholæ magisterium assumeret, mox se tempus præbuit opportunum quo eius patientia probaretur. Affuit nox, & ecce quidam de pueris signo naturæ secessum petiit. Erat autem ille locus adeò dormitorio proximus & coniunctus, vt lucerna, quæ ibi regulari auctoritate ardebat, perlustraret eum. Surgens itaque pater Odo vnum suscitans è pueris, illo tantùm contentus lumine, cum eo abiit. Altera autem die (vt mos est) conuenientes ad Capitulum fratres, post Martyrologium, & versu finito, atque lectione Regulæ, cœperunt illum vehementer increpare, cur sine cereo transacta nocte post puerum iisset. Verùm quia ante veniam nullus audet suam proferre causam, nec suam post veniam defendere E sententiam, ilicò in terram corruens, veniam petiit, sufficire inquiens sibi posse dormitorij lucem. Sed tamen ab illis non solùm non est auditus, verùm è cõtra sub graui culpa adiudicatus, vir denique beatissimus, qui arrepto itinere angusto sequi venerat illum, qui cum pateretur non comminabatur, non indignans, aut murmurans, nec obstantiæ opponens querulas, terræ prostratus, veniam est deprecatus. Abbas autem suus, volens adhuc probare patientiam eius, fingit se irasci, & protulit sententiam excommunicationi connexam, vt illa die vltrà ei veniam non peteret. Ille autem Dauidicum illud

*Egregiè patientia S. Odonis exercetur.*

in pectore voluens, Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Abiens prouolutus fratrum pedibus, rogat vt eant, & vice sua eidem Abbati veniam petant. Quod & factum est.

*Psal. 65.*

*Abbati suo ob patientiæ constantiam charus efficitur.*

Tandem admirans Berno Abbas tantam in iuuene constantiæ patientiam, mox eum conuocat, & more Regulæ ipsam commotionem benedictione sanat, atque posthinc charior factus est illi. Erant autem fratres in eadem congregatione mente & actione iuuenes, quorum superiùs mentionem fecimus. Ij verò vnde proficere debuerant, inde ad interitum ibant. Nam quotiens locum occasionemue reperire potuissent, diuersas iniurias & falsas increpationes ei obiiciebant. At verò vir pacificus Odo eos seorsum ducebat, & innocens quasi reus, eorum pedibus se prosternebat, & veniam petens, non tamen metu humano, sed amore fraterno, nimirum vt patientia corrigeret, quos videbat diuinam incurrere vltionem. Siquidem post modicum tempus, diuinam vltionem perpessi sunt, & percussi iusto Dei iudicio, quia non potuit eos compescere fraterna correctio. Defuncto namque Bernone, qui erat tunc ipsius Monasterij pater, mox deposito Religionis habitu, ad sæculum reuersi sunt, & teterrimum postmodũ meruerunt obitum.

*Patitur quosdam inuidos & maleuolos fratres S. Odo.*

*Diuino iudicio percutiuntur.*

Sanè & hoc miraculum eo tempore inibi factum fuisse, Pater noster narrare solet. Erat quidam in eadem congregatione frater, tali vsus consuetudine. Nam cùm sederet ad mensam, totam mentem suam lectione præoccupabat. Die quadam contigit, vt collectis ex more micis, priusquam eas sumeret, præfatus Abbas lectioni finem imponeret; sed ille quid ageret prorsus ignorabat. Nam eas post finitam lectionem non audebat comedere, nec dimittere, ne casu perirent. Clauso verò pugillo dignum esse censuit, cum post versum ab Ecclesia essent regressi, reseruandas fore patri Monasterij. Factumque est vt ab oratorio sunt regressi, mox se pedibus postrauit patris. Qui cùm interrogaretur, cur veniam peteret, & ille quod factum fuerat, patula manu vellet ostendere: omnes prædictæ micæ in margaritarum speciem sunt conuersæ. Glorificantes igitur Dominum, mirabiliter stupefacti sunt. Deinde præcepto patris, in quoddam ornamentum ipsius Ecclesiæ intextæ sunt. Ille autem hæc de se quasi de alio solet narrare, & recitare. Ex illo iam tempore cœpit intra seipsum æstuare propter genitorum suorum ereptionem, quatenus eos posset ab huius sæculi nexibus subtrahere. Vnde factum est, vt non multo pòst accepta licentia, ad patrem suum abiret, eumque ad Monasterium duceret, atque Monachum ordinaret. Matrem verò indui fecit sacro velamine.

*Mica panis quas Odo in fine mensæ comedere oblitus fuerat, in margaritas conuertitur.*

*Patri & matri ingressum Religionis suadet.*

Factum est autem dum quadam die iam serò diuertisset quiescendi gratia in domum nobilissimi viri cuiusdam, absentibus verò Dominis, erat ibi eorum filia, vnà cum familiis, virgo quippe iam adulta. Quæ videlicet nimis curiosè per totam vesperam eius actus considerare studuit, atque vitam. Deinde compuncto corde, latenter per quoddam posticum irruit ad eum, eiusque prostrata pedibus se ream, citò nuptiis tradendam esse dicebat, addens vt propter Deum, cuius se profitebatur famulum fore, in eadem nocte eam liberaret. Audiens hoc Christi miles, cum ignoraret quid ageret, & quomodo tantæ virginis voluntati satisfaceret: intra semetipsum cœpit vehementer æstuare. Proponebat sibi iudicium, animæque illius interitum, rumoremque contra se parentum, & populorum, quare talia præsumpsisset Monachus. Sed amore Dei, & Virginis singultibus victus: tandem in eius ereptione dedit assensum. Nocte verò illa, cum omnes famuli domus quiescerent: ille (& qui cum eo erant) frater ascensis equis præcesserunt, iussuque suo famuli, qui eum comitabantur, sumpta virgine secuti sunt. Altera verò die applicuerunt ad Monasterium. Erat autem prope ipsum Monasterium constructum oratorium, vbi nobilissimæ mulieres causa orationis recipiebantur, ibique eam manere constituit, deinde ad Monasterium perrexit. Sequenti verò die (vt mos est) patri Monasterij omnia quæ gesserat studuit indicare. Etenim cum ea quæ de virgine gesserat audisset: turbato aspectu, cur sine licentia hæc agere præsumpsisset, grauiter eum cœpit increpare. Mox ille in terram prorui, eiusque pedibus prouolutus, veniam precabatur. Post hæc patris iussu à terra eleuatus, pòst, reiterata interrogatione, respondit dicens: Domine pater, ex quo me miserum suscipere es dignatus, inquantum considerare valui, numquam tibi aliud curæ fuit, nisi de animabus lucrandis. Nam cæteri Abbates hoc student, qualiter rebus possint abundare, & hominibus placere: tu verò pietate misericordiaque frerus, soli Deo placere satagis, propter lucrum animarum. Qua de re imitator tuus desideraui esse, idcirco hanc Virginem volui lucrari ad laudem tui nominis. Quamuis enim me etiam tardè vincerent ipsius lacrymæ, non sum tamen oblitus tuam increpationem, quam certissimè sciebam me non posse euadere. Sed malui potius pij patris flagello cædi, quàm reus pro eius anima inueniri. Et vtinam omnes mulieres in hac prouincia commorantes, quæ carnali vinculo retinentur, potuissem lucrifacere, & tu per me singulas debuisses piissimo tuo more flagellare. His & similibus verbis patris commotionem deliniuit, sed tamen talem obedientiam ei protinus iniunxit. Vade, & quemadmodum scisti eam de seculo eruere, ita scias quotidie alere ac sanctis monitis instruere, donec intra paucos dies, etiam ne pœniteat aliquando, & reuertatur suadente Diabolo ad sæculum. Cœpitque pòst hæc pater Odo per singulos dies ei cibum portare, & patrum præcedentium exemplis eam instruere, Donec intra paucos dies eam ad quoddam Monasterium duceret, ac sacris Virginibus sociaret.

*Virginis victus precibus eam tandem secum ducit ad Monasterium.*

*Corripitur ab Abbate ob rem gestam.*

*Humilitate, & mira loquendi dulcedine suũ Abbatem iratũ demulcet.*

*Iussu Abbatis suí prædicta Virgini quotidie cibum corporalem & spiritalẽ subministrat.*

Factum est non multò pòst, vt ipsa dormitionem acciperet in Domino. Cumque circumdedissent eam sorores, vt orando eius spiritum protegerent, & cùm penè illam præmortuam tenerent, subito voce qua poterat cœpit dicere. Adiuuate me obsecro leuare. Interrogantesque cur hæc diceret: Ecce, ait, beatissimum Paulum video venientem, & illi volo occurrere. Necdum verba compleuerat, & extendens brachia, vt velocius surgere posset, eadem verba rursus repetebat, cæteraque namque insanire eam putabant. Interea vi qua potuit super genua se eleuauit, & curuato capite benedictionem venienti petiuit his verbis. Benedicite. Et mox quieuit perpetuè. Qua de re nulli dubium fuit, illam ab eo esse susceptam, à quo fuerat visitata.

*Sancto fine quiescit prædicta Virgo, visitata in articulo mortis à Sancto Paulo Apostolo.*

Præuidens itaque pater Berno honestissimum virum fore futurum, promouit eum. Et accersito Episcopo, sine suo velle consecrare eum fecit sacerdotem. De quo videlicet Episcopo narrare solet pater Odo, quia benedictum ab eo cibum nullus canis audebat comedere. Quòd si casu contigisset, mox canis ille moriebatur, veluti pro cibo aliquid gustasset venenatum. Eadem autem nocte, quam Odonis ordinationis secuta fuerat dies, cum se

*Sacerdotio initiatur B. Odo.*



se post noctis soporem euigilasset, inuenisset que circa collum suum (sicut mos est) stolam sibi ab Episcopo collatam, protinus se in lamentum dedit, velut magnum ei aliquod accidisset malum. Atque per multum postea tempus præ nimio pudore nesciebat qua fronte extra Monasterium posset egredi. Vnde factum est vt ad eundem Episcopum pater Berno mitteret eum, reperta occasione quadam. Cumque Episcopus ille pro sua quodammodo consolatione in longum sermonem de culmine sacerdotij traheret: contigit vt de statu Ecclesiæ inter illos sermo affuisset. Tunc pater Odo ex Ieremiæ vaticinio flebilem illi de sacerdotibus cœpit sermonem exponere. Quo videlicet expleto, cœpit ille Episcopus rogare, vt eundem sermonem ei describeret, & libelli more componeret. Cui & è contra pater Odo protulit præceptum Regulæ, in quo continetur, quod absque licentia Prioris, nihil Monacho liceret facere. At verò idem Episcopus ob hanc causam perrexit ad Monasterium, & quia erat prædicti patris sodalis amicus, mox quod voluit obtinuit apud eum. Deinde præcepto illius tres libellos composuit, ex Ieremiæ vaticinio. Quorum videlicet textus per diuersas iam Ecclesias est translatus. Per illud videlicet tempus exitiali languore cœpit decumbere pater Berno. Mox vicinos Episcopos accersiuit, & ab omni ordine se deposuit, insuper & flebili voce se reum indignũque tali ministerio proclamabat præfuisse. Rogabat autem fratres vt sibi quem vellent patrem eligerent. Tunc manibus fratrum Odo captus, & quasi violenter constrictus, ac proclamantibus omnibus vt ordinaretur, coram Abbate suo vi est ductus, & cum nec sic vellet cedere & locum pastoris subire: superatus est tandem Episcoporum consensu, & excommunicationis cõminatione. Ordinato itaque illo, intra modicum tempus pater Berno migrauit ad Dominum. Igitur beatus Odo Abbas constitutus, mox contra eum veterani persecutores insurgunt. Ille autem malens locum dare, quam contentiose viuere, derelicto eodem Monasterio, & quæ ibi fuerant à Bernone Abbate parata, abiit Cluniacum, & cœptum pridem perfecit Monasterium. Constructoque oratorio, cum fratres inuitassent Episcopum ad sacrandum ipsum, constituto die venit stipatus cuneis, fultusque ministris. Quorum aduentu cognito, fratres nimio confundebantur pudore, non habentes tam dignos apparatus, quò eos possent honestè recipere. Manè autem instante crepusculo, ecce immanissimus Singularis de sylua egressus, festinanter properabat ad Monasterium. Quem videns Ecclesiæ custos, & quia erat foris Monasterio, meditans de ordinatu loci illius Ecclesiæ, fugit, foresque contra eum obserauit. Ille autem omissa feritate, vt ingrediendi aditus à quouis concederetur, prædictas regias diutius pulsauit, atque oris sui spuma, quo adhærere potuit, liniuit. Reuera cum nullus adesset qui ei ob timorem aperiret: tandiu ibi stetit, quousque Episcopus cum suis venit, quibus se præbuit sponte occidendum.

*Nota eximiã viri Dei humilitatem.*

*Iussu Abbatis cuidã Episcopo tres libellos de statu Ecclesiæ componit, & scribit.*

*Intruitur Abbas ordinatur S. Odo.*

*Moritur S. Berno Abbas.*

*Relicto Balmensi Monasterio, venit Cluniacum.*

*Monachi non habẽtes vnde Episcopũ honestè reciperent, Singularis de sylua progrediens, currit ad Monasterium, & seſe præbet occidendum.*

*S. Odonis misericordia erga pauperes.*

Valde misericors erat in omnes & benignus beatus ille, sed præcipuè erga pauperes & infirmos. Cæcos nẽpe, & claudos, Paradisi asserebat futuros ostiarios, ideò nullus deberet eos pellere à domo sua, ne Paradisi ei portas clauderent in futuro. Quod si fortasse aliquis è famulis, non ferens eorum improbitatem, responderet eis asperè, aut illis assueta beneficia non cõferret, siue accessum ostij denegaret, statim comminando increpabat eum grauiter. Deinde illo adstante, vocabat pauperem, eique præcipiebat dicens: Cum venerit iste ad portam Paradisi, talionem retribue ei. Hoc autem dicebat vt eos terreret, & charitatis eos affectu informaret. Si autem secus viam, anum reperisset, aut debilem, statim de suo equo descendebat, & eum desuper sedere faciebat: imperans, vt eminus omnes præcederent, adhærebatque illi vnus è famulis, qui illum contineret ne caderet. Ille verò incedebat pedester, ac semper psallens. Quam humanitatem cum in Alpibus Cotiis præstaret: mulier quædam ad primum sellæ eius tactum, dæmonio quo tenebatur, liberata est.

*Pauperes, infirmos & senes, suũ equum cogit ascẽdere, illos interim psallendo pedibus prosequens.*

In ipso etiam itinere vetulus quidã debilis prædictas Alpes simul cum illo transibat, erat autem oneratus sacculo pleno panibus & alliis, cœpisque ac porris, quarũ herbarum fœtores cum discipulus eius ferre non posset, longius retraxit pedem. Sed pius pater vt pauperẽ vidit, more suo super equum suum eum sedere fecit: sibique prædictum imposuit fœtidissimum sacculum. Peracto itaque eminentioris Alpis arctissimo itinere, ad decliuum montis incipientes descendere: vocauit discipulum dicens: Accede, quoniam supersunt psalmi quos debemus cantare. Cui cum respondisset, quod fœtorem illius sacci ferre non poterat: protinus increpando respondit. Heu me, pauper illud quod tibi fœtet, potest comedere: tu eius non potes ferre odorem? Pauper potest eum portare: tu eum dicis non posse videre? Hoc autem dicebat de se, quia verus Christi pauper erat.

*Fœtidissimũ saccũ cuiusdam pauperis longius portat.*

Sub id tempus missus est in Italiam à Leone summo Pontifice, vt pacis legatione fungeretur inter Hugonem Longobardorum Regem, & Albericum Romanæ vrbis Principem. Cum autem venisset Senas quæ tunc fame laborabant, illo introeunte ciuitatem occurrerũt egentes, eleemosynam postulantes. Dum verò transiret ciuitatis plateam, vidit tres viros, sed quamuis quadam honestate cooperti essent, quæ eos ab improbitate egẽdi alienos reddebat, attamen & eidem penuriæ dediti fuerant. Istis namque & istam dedit occasionem, vt suæ benedictionis participes fierent. Erant autem ante ostia domus eorum positæ singulæ scutellæ lauri baccis plenæ. Statimque vnum ex eis interrogauit, prædictas Lauri baccas, quanti venderentur pretij. At ille quid vile dixit. Cui Odo respondit. Tace, noli dicere vltra pretium quod dixisti, sed dic tantos denarios. Ille verò ita fecit. Protinus verò mutuo tot accepit denarios, & sic eos sub prætextu pretij, sua benedictione numerauit. Interea dum discipulus eius obseruaret, vidit illum venientẽ post pusillum à longè, & quasi præcinctũ militẽ ad bellum, incedentem stipatũ cuneis pauperum. Cum autem quæreret discipulus qui essent qui eum ambiebant, vel quid quærerent. Isti, inquit, sunt domestici Dei, & laboratores nostri: ergo accelera, & redde illis mercedem.

*A Leone sũmo Pontifice mittitur in Italiam, vt pacem conciliet inter Hugonem Lõgobardorũ Regem, & Albericum Romanæ vrbis Principem.*

*Honestiorum etiam virorũ verecundia & inopia cõsulit.*

Peracta itaque legatione, cum ad suos rediret, obuium habuit seminudum pauperem. Cui cum Oddo appropinquasset, gressum fixit, & omnes se præcedere compulit. Mox se expolians, pauperem operuit, præcepitque discipulo, tantum ei pretium impendere, vnde posset iter suum explere. Adeò autem sinus illius dilatatus erat misericordiæ, vt non solum fidelibus ista faceret, verum etiam persecutoribus suis manus aperiret, & palmas extenderet. Nam cum Romulæam vrbem ob inimicitiam Alberici, iam facti Principis, prædictus obsideret Hugo Rex, cœpit ille intra extraque discurrere

*Seminudo pauperi dat vestimenta sua B. Odo.*

rere & pacis concordiæque monita inter vtroſque diſſeminare, & prædictam vrbem tueri à tanta obſidione. Quadam autem die quidam ruſticus voluit eum propter lagunculam aquæ occidere, more ſuo nulli nocens, nihilque ſuſpicans, curuato incedebat capite. In tantum enim apud eum vſus inoleuerat regulæ, vt vbicumque eſſet ſiue ſtans, ſiue ambulãs, aut ſedens, ſemper curuato capite, defixiſque in terram luminibus incederet. Qua de re à quibuſdam conuerſationis ſuæ tempore, Foſſorium ludendo vocatus eſt. Factum eſt autem dum prædictus ruſticus ictu caput illius appeteret, vt omnes qui iuxta viam aderant, emiſſis vocibus, percutientis retraxerint manus. Tunc dulciſſimus pater denarios accepit mutuò, eique bonum pro malo reddidit, & fœderatum dimiſit. Sed poſtquam hoc ad aures prædicti Principis peruenit: amputare manus eius voluit. Quo audito obnixius ne fieret exorauit, & ruſticum incolumem atque indemnem abſoluit.

*Nota ſingularem eius humanitatẽ in ruſticum ipſum occidere volentem. Reg. cap. 7.*

Hic etiam cum diſcipulos ſuos regularibus diſciplinis inſtitueret, multorum Monachorum miſerabilem exceſſum & deceſſum narrauit, vt in eis motus iuueniles reprimeret. His, inquit, diebus duo fratres rapidiſſima rapti ſunt morte, non in vno loco, nec in vno die. Veniens vnus ex eis in domum cuiuſdam ſororis ſuæ, vehementiſſime eſurire ſe dixit, & refectionem petiit. Cui protinus illa piſces ſe abundanter habere dixit, vt comederet quales & qua hora vellet. Ille quaſi indignãs piſces ſe faſtidire reſpondit: nec eos iam videre ſe poſſe. Tunc armum cuiuſdam animalis ſibi aſſari præcepit. Sed non ferens aſſandi moram portiunculam incidit, & in prunas proiecit. Deinde ſibi vinum afferri præcepit, & carnis morſum auidè ſumpſit. At hoc ſumpſit quod gulam non tranſiliit, nec reiicere potuit: ſed vitam cum cibo finiuit.

*Monachus comedẽs carnes morte ſubitanea moritur.*

Alius frater veniens ad domum cuiuſdam parentis, cum magna eſſet copia piſcium, voluit comedere carnes, ſumptoque baculo occidit vnam gallinam. Qui adſtabant cum quodam rubore dixerunt ei: Licet tibi comedere carnes pater? At ille. Volatile, inquit, non eſt caro. Appoſita eſt ergo D coram eo gallina iam aſſata, ex qua coxam abſtulit & momordit. Quem morſum nec glutire potuit, nec vomere: ſed eum vita priuauit. Pugnos tamen & ceruicatas pro mercede ſuæ improbitatis, in opprobrium antequam moreretur accepit.

Quidam frater ex prædicti patris Odonis congregatione illicito tempore phlebotomiæ ſibi curationem adhibuit. Super quo facto commotus eſt eius animus: quia quamuis neceſſitas coëgiſſet, tamen abſque eius licentia præſumere non debuit. Mox vena per quam ſanguis prius effluxerat dirupta eſt, & quouſque animam redderet, à nemine reſtricta eſt.

*Item alterius vena, abſque licentia inciſa, à nemine reſtringi poteſt.*

In Monaſterio S. Heliæ Theodardus quidam ab E Odone præpoſitus fuit, in quo loco piſces nullo modo haberi poterant niſi à longè delati, multoque pretio comparati. Et quia non poterant Monachi qui illic reperti fuerant ab eſu carnium abſtrahi, oratione S. Odonis vallis in qua cœnobium ſitum eſt monticulis pluribus inuicem iunctis ſe clauſit, & aditum torrentis qui per eam fluebat adeo reſtrinxit, vt ex multis aquis collectis lacus fieret, & piſces vſque in præſens ad abundantiam præberet.

*Inſigne miraculum.*

Quadam nocte dum paſtores equorum dormirent, & fur veniens equũ aſcenſum aſportaret: frater Gotofredus in oratione peruigil hoc videns ne ſilentium frangeret in regula conſtitutum, tacuit vſque manè: die verò clara luceſcente, fur cum equo inuentus eſt in eodem loco quo ipſum aſcenderat affixus, qui ſe inde amouere non poterat, nec ex equo deſcendere, donec ad Odonem adductus pœnitentiam egit, & furtum reſtituit. Cui pater ſanctus quinque dari ſolidos pro vigiliæ labore mandauit.

*Fur diuinitus detinetur.*

Tempore quo Nortmanni Pictauorum & Turonum fines vaſtabant: duo ex fratribus Monaſterij Odonis Turonum miſſi, à Normannis nocte capti & manibus vincti ſunt: qui tamen ſilentium nunquam frangere voluerunt. Cumque manè ſimul pſallerent: ſed eos hoſtes ad loquendum nullatenus cogere poſſent: quidam dux eorum, enſe producto inſiliens equo, eos ferire voluit: quem equus ſubito in terram collisit: ſtatimque febricitare cœpit. Cæteri verò Nortmanni miſerunt ſortes, quem ex ipſis fratribus in vltionem Domini ſui flagellarent. Sed dum ſæpius miſſis ſortibus neminem eorum ſors contingere poſſet: conuerſi illi pro ſalute Domini ſui, fratribus per interpretem ſupplicarunt. Qui pro eius ſanitate ad Dominum preces fuderunt, & continuo dux ille ſanitatem recepit, & fratres dimitti mandauit.

*Notent hoc Monachi ſilentium frãgere aſſueſcẽti.*

Quadam vice dum Odo cum pluribus hominibus & equis Rhodanum nauigio tranſiret, equus quidam calce tabulam nauis percuſſit, ipſiuſque partem excuſſit, ſtatimque aqua intrare cœpit, & C totam repleuit nauem. Quæ præter omnium expectationem, ſic plena ad ripam vſque peruenit, neque vnquam ſubmergi potuit, donec equi & homines exierunt: ipſóque Odone, cuius meritis nauis ſuper aquas tenebatur, poſt omnes egreſſo, continuo eſt demerſa. Rediens Roma cum pluribus, inter Alpes niuium equitabat: cuius equus in præcipitium lapſus eſt. Vir autem Dei leuatis manibus, ramo arboris deſuper eminentis, alias nunquam viſæ, tamdiu ſe tenuit: donec equo ipſius à niuibus abſorpto, ipſe à ſociis iuuatus deſcendit. Statimque tam ramus ille, quàm arbor cunctis diſparuit.

*Nauis aqua plena, nõpoteſt ſubmergi, donec Odo ab ea fuiſſet egreſſus.*

*Diuinitus à mortis periculo liberatur.*

Reuera cum pro pace Regum & Principum, & Monaſteriorum reformatione, impatienti animo arderet, & ob hoc huc illucq; diſcurreret: ſæpe ei latrones inſidias parauere. Quodam nempe die quadraginta ſuper eum inſurrexerunt latrones. Cumque vnus ex eis qui erat inſignior Aimon nomine, vidiſſet eum, fratreſque qui comitabantur illum inceſſanter pſallere, ac pſallendo iter peragere: ilicò compunctus corde dixit ſociis ſuis. Numquam memini tales viros vidiſſe, nec puto alicubi viſi fuiſſent. Diſcedamus ergo ab eis. Eſt & quidam armiger cum eis, videlicet ſtrenuus vir, & ideo abſque noſtro periculo, non poſſumus nocere illis. Cui reſpondentes dixerunt: Armigerum illum in acumine lancearum noſtrarum leuemus, cæteros expoliantes abire dimittamus. Ad hæc reſpondit ille. Prius in me arma conuertite, alioquin me viuẽte, nihil eis debetis facere. Sicque inuicem ſunt diuiſi, & ad propria reuerſi. Latro itaque quem prædiximus poſt Odonem abiit, & reatus ſui pœnitentiam egit, ac dehinc à latrocinij prauitate ceſſauit.

*Inuaditur à 40. latronibus, ſed inſigniore compuncto, nihil læditur.*

Quodam etiam die iter agens iuxta prædonum fines, quidam latro iuuenis, intuens vultus eius affabilitatem, ilicò compunctus corde, eius prouolutus veſtigiis, vt ſui miſereretur, humili precabatur voce. Quem cum interrogaret, quid vellet: Monaſtica ſibi deprecabatur ſubueniri miſeratione.

*Item inſignis latro, vultus eius affabilitate conſpecta, conuertitur, & fit Monachus.*

Deinde



Deinde interrogauit eum Odo, ſi aliquis ex eadem Parœcia eum cognoſceret. At ille: omnes, inquit, dyſcoli, ac nobiles. Vade, ait, hodie, & cras ſtino duc tecum vnum ex prioribus loci iſtius cum veneris ad me. Quo audito abiit, & ſicut ei imperauerat peregit. Altera verò die, cùm vtrique ante eum veniſſent, cœpit beatus Odo virum illum magnatem de vita moribuſque prædicti latronis ſciſcitari. At ille. Iuuenis iſte, pater, inſigniſſimus latro eſt. Quo audito diſcretus pater ait latroni. Vade, & prius mores tuos corrige, & poſtmodum Monaſticum appete diſcipulatum. At ille. Ego, inquit, proiectus à te hodie, vado in perditionem: animam verò meã à te Deus requiret. Tunc miſericordia motus pius pater, præcepit ei, vt arrepto B itinere, ad Monaſterium eum præcederet. Quod & factum eſt. Peracto itaque aliquo tempore, ſub regulari degens examine, tandem effectus Monachus, cellerario fratri eum ad obediendum ſubdiderunt. Etenim cum idiota eſſet, vtrumque ei impoſuerunt, ſcilicet obedientiæ iugum, & ſtudium litterarum. Quod deuotè ita peragebat, vt vnam manum obedientiæ porrigeret, altera verò pſalterium ferret. Sicque frater iſte vitam ſuam peragens, poſt paucum tempus exilij huius vitæ ſuſcepit finem. Nam cum in extremo vitæ laboraret, vocauit pium patrem, ſingularem ſupplicans locutionem. Cui cum veniam peteret, interrogauit eum, ſi in aliquod peccatum incidiſſet poſt Mo- C nachatum. At ille. Nudo cuidam, te ignorante, mea culpa tunicam noſtram tribui, & funem pilis contextum de cellario abſtuli. Quem cum interrogaſſet, quid ex ea feciſſet. Refrenando, inquit, ingluuiem, quam dudum malè viuendo contraxi, ventrem meum ex ea circumligaui. Super quod factum ſtupefactus pius pater, cùm vellet eam ab eius viſceribus ſoluere, cutis quæ ei adhæſerat, vna cum ſanie eſt ſecuta. Adiecit & ait. Hac nocte pater, in cælis eleuatus ſum per viſionem. Obuiauit autem glorioriſiſſimæ perſonæ, & excellentiſſimæ poteſtatis mulier, appropinquanſque ait mihi. Cognoſcis me? At ego. Nequaquam domina. Et illa. Ego, inquit, ſum mater miſericordiæ. Cui D ego. Quid iubes vt faciam domina? Et illa reſpondit. Poſt triduum venies huc tali hora. Quod & factum eſt. Tertia enim die, hora qua dixerat, defunctus eſt. Inde beatus Odo conſuetudinem tenuit, beatam Mariam matrem miſericordiæ vocare.

*Vide qualiter Monachus abſque licentia nihil debeat facere.*

*Prædicto latroni cõuerſo in extremis apparet Dei genitrix.*

*Vnde B. Odo beatiſſimam Virginẽ Dei genitricem, matrem miſericordiæ vocare conſueuit.*

Cum aliquando Romæ eſſet, rogauit eum dominus Abbas Balduinus, vt librum quem de vita beatiſſimi Martini Epiſcopi, more Dialogi, Gallus & Poſthumianus compoſuerunt, ei corrigeret, & gloſſulis elucidaret. Cuius voluntati ſtatim aſſenſum præbuit, & accerſito fratre Othecario, emendandi operam dedit. Factum eſt dum hæc agerentur, vt veſpertinæ horæ ſignum pulſaretur. Statim ſecundum Regulæ præceptum, relictis quæque in manibus tenebantur, Eccleſiã ingreſſi ſunt. Codicem verò apertum vbi ſederant, reliquerunt. Præoccupati verò veſpertinis exequiis, codicem obliti ſunt. Erat autem hyemis tempus. Tanta autẽ eadem nocte inundatio defluxit aquæ, vt omnes Monaſterij officinas repleret. Locus autem ille in quo liber fuerat relictus, ita erat poſitus, vt aqua, quæ ex ipſius labitur tecto, & ex tribus aliis tectis, quæ ſubiacent ſuperiori, quodammodo vna conueniſſent collecta, more torrentis illo vno in loco deciderit: ibique vſque manè patulus permanſit liber, & tot aquarum inundationes in circuitu eius cecidere. Margo namque prædicti libri vndique fuit lota, ſcriptura verò permanſit intacta. Facto manè appoſitus eſt coram fratribus liber. Cumque attoniti mirarentur ait prouidus pater. Quid admiramini fratres? Sciatis quia vitam B. Martini aqua tangere timuit. Et ſic ea quæ Dominus propter eum fecit, in laudem Martini conuertit. Inſtante verò mortis eius articulo, cum piis eius actibus corona beatæ remunerationis deberetur à Chriſto, Romæ poſitus, acuta & continua febre corripitur: membra dolore franguntur. Dum autem de ſua vocatione ſuſpenſus haberetur, deſiderio ſibi fuit, priùs ſuum Martinum, quem à teneris annis ſummo amore proſecutus fuerat, orationis gratia reuiſere, & ei extremum ſpiritum cum proprij corporis fauilla conſignare. Igitur mortis inducias cum à Deo impetraſſet, Turones reuerſus, poſtquam Sancti Martini ſolemnitatem celebrauit, tunc febri redeunte, ſanctis Eccleſiæ ſacramentis munitus, inter ſuas fratrumque preces, animam Deo reddidit, 14. Cal. Decembris, circiter annum Domini 940. quem ſanctus Bernardus ad Guillelmum Abbatem ſcribens ſanctum fuiſſe aſſerit.

*Libri margo madefieri quidẽ poteſt, ſed non ſcriptura.*

*Ex humilitate, hoc miraculum tribuit B. Martino.*

*Mortis inducias à Deo impetrat, vt poſſit feſtum B. Martini celebrare. Breuiarium Monaſt.*

*Tandem migrat ad Chriſtum.*

## NOTÆ.

Odo.] *De quo Mart. Rom. 19. Nouemb. Aguntpræterea de ipſo Frodoardus in Chronico. Aymonius lib. 2. de Mirac. S. Bened. cap. 4. S. Odilo in vita S. Maioli. Sigebertus in Chronico, & de Illuſt. Eccleſiæ Scriptoribus. Sanctus Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem. Petrus Venerabilis, epiſt. 17. lib. 6. Iacobus Bergom. in Supplem. Chron. Volaterranus in Anthropol. Trithem. de viris Illuſt. Ord. S. Bened. cap. 53. necnon de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Vvionius in Martyr. Monaſtico, & alij innumeri. Plura de eodem Martinus Marrierius in Bibliotheca, vbi extant eiuſdẽ viri opera. Poſſemus & nos multa annotare, ſed Annotationes circa finem Bibliothecæ Cluniac. poſitæ ſufficient. Hoc verò dicemus, quod à nonnullis vocatur Ade, vel Adam, à nonnullis Odo, ab aliis verò Otho. A Gallicis verò ſcriptoribus vocatur vulgò* Sainct Eudes.

*Finis Libri Tertij.*

# DE VITIS PATRVM OCCIDENTIS.

## LIBER QVARTVS.

*Partim ex antiquis Manuscriptis Codicibus, & Ecclesiarum Breuiariis: partim ex incertis Auctoribus collectus.*

*Floruit iste Bernardus tẽpore Ioannis Papæ 22. cui tria volumina de Vitis SS. dedicauit, quæ in Biblioth. RR.PP. Dominic. Auenion. asseruãtur hactenus nunquam typis excusa. S. Amandus vitam Eremiticam amplectitur.*

### *VITA SANCTORVM AMANDI, & Iuniani Eremitarum. Ex Bernardo Lodouensi Episcopo.*

BEATVS Amandus vir illustris, nobilibusque ortus natalibus, natalem locum & diuitias temporales pro amore diuino relinquens, & vitam solitariam sibi eligens, inter arctas & accessu difficiles angustias rupium, paruum tugurium sibi construxit in rure seu territorio nobilis viri Rurisij, seu Rorisij Episcopi Lemouicẽsis supra Vigennæ fluuium, cuius loci seu territorij vocabulum tunc Commodoliacus dicebatur, vbi aliquandiu commoratus est ignotus hominibus, Deo notus, cui soli in solitudine placere cupiebat. Quadam verò die nutu Dei in rupe prærupta à pastoribus solitarius reperitur, qui asperrimæ illius habitationis locum admirantes abierunt: dehinc illius solitudinis incolam populis diuulgarunt. Cuius rei notitia fama referente dum ad prædictum Rurisium seu Rorisium Lemouicensem Præsulem peruenisset, comperto quod vir Dei Amandus inter arbusta frondesque quas locus eduxerat, antrum habitationis haberet, iussit ibidem pro spatio loci fieri cellulam habitantis solitarij satis amplam, sed conuentui multitudinis nimis angustam. Ex toto siquidem illius montis spatio rupis prærupta eminebat, quæ vndique accessum præbebat arctam modicamque planitiem continens, ad quam de monte superiori difficilis admodum descensus erat, vbi Amandus vitam solitariam virtutibus plenam ducens, contemplationi diuinæ vacans, hostis antiqui certamina non modica tolerauit & vicit.

*Rurisius Lemouicensis Episcopus.*

*Patria S. Iuniani.*

*Venit ad S. Amandum vitã Eremiticam ductarus.*

Beatus verò Iunianus puer (vt fertur) natione Cameracensis, ex nobili prosapia ducens originem, spiritu Dei afflatus, vt desiderio cælestis patriæ, parentes, patriamque natalem relinqueret, ad partes Aquitaniæ, duce Domino peruenit. Comperta autem fama sanctitatis beati Amandi, ipsum adiit, cupiens institutis eius, & moribus informari, & cum eodem se Christi tyrocinio & seruitio mancipare; accedensque ad cellulam sancti Amandi, fores eius vt sibi aperirẽtur pulsare cœpit. Sanctus verò Amandus cum cognouisset ad fores pulsantem esse, æstimans ne forte esset illusio aut tentatio diabolica, aliquandiu siluit, nec mox ei patefecit ingressum, donec probaret cuius rei causa prædictus venerabilis puer ad eius cellulam accessisset. Cognita verò causa, mox eum cum gaudio suscepit, & viam salutis ostendit. Iunianus itaque egregiæ indolis adolescens, qui sortitus animam bonam tanta humilitatis gratia, tantaque sanctitate vitæ noscitur excreuisse; vt non solum imitator magistri existeret, verum & diuino amore succensus, magistri vitam virtutemque transcenderet.

*Moritur S. Amandus.*

Demum cum eiusdem Sancti Amandi obitus propinquaret, post sanctam institutionem discipuli sui Iuniani, vitamque laudabilem sanctitatis, consummato fælicis vitæ agone, plenus dierum & operibus sanctis, in pace migrauit ad Dominum; habitationis & sanctitatis suæ hæredẽ & successorem relinquens Iunianum, ex discipulo magistrum, tanquam alter Elias alterum Elisæum. Corpus verò sancti Amandi in eodem loco vbi solitariam vitam duxerat sepeliuit: ibique sepultum latuit annis multis, indéque post annorum multorum curricula, translatum fuit ad Ecclesiam seu Monasterium Sancti Iuniani, & iuxta eius tumulum collocatum, id agente & prosequente instanter & deuotè viro strenuo Domino Rabulpho Canonico, concomitantibus & sequentibus signis. Qui Rabulphus, à B. Odone Cluniacensi primitus exhortatus, in eodem loco primitus Ecclesiam construxit, in quâ mundo renunciauit, sanctè obiit, vixit, & quiescit. Cuius corporis Sancti Amandi Inuentionis in prædicto loco, & translationis ab eodem, & miraculorum gestorum series & historia diffusius scripta ibidem legitur & habetur, & Sancti Amandi etiam nominatur. Floruit sub eodem ferè tempore S. Amandus, quo Clodouæus Rex Francorum à B. Rhemigio baptizatus cum Alarico Rege Gothorum qui Arrianus erat, & Aquitaniæ & Gothiæ regnum occupabat quod Romanis abstulerat, congressum habuit milliario decimo ab vrbe Pictauis, vbi Alaricus confossus occubuit, & depulsis ab Aquitania Gothis Arrianis, eandem meliori religionis regula & fidei continuò repleuit. Erat autem Dominicæ Incarnationis ferè quingentesimus, quando Clodouæus fuit per Sanctum Rhemigium baptizatus, regnauitque annis circiter 15. post baptismum.

*Transfertur eius sacrum corpus.*

Post obitum itaque S. Amandi, S. Iunianus in prædicta eius cellula per longa temporis spatia, solitariam vitam duxit, multis pollens virtutibus. Quodam siquidem tempore coluber miræ magnitudinis iuxta eius cellam apparuit, ad quem locum dum multi ob sanandũ diuersorum morborum incursus, vel commendandũ se orationibus eius, desiderarent accedere, à prædicta immani bestia fugabantur,



*Fugat ingentem serpẽtem S. Iunianus.*

bantur. Et non solum homines, sed & pecora, quæ contingere poterat, deuastabat. Conuenientes ergo in vnum ex vicinis locis homines, sanctum Dei famulum Iunianum deprecabantur, vt hanc bestiam suis orationibus ab eorum finibus depelleret, & eis ostenderet qualiter ad suam cellulam haberent accessum. Quorum precibus motus diuino fretus auxilio, cum immanem bestiam de habitaculo suo prospiceret procedentem, extensa dextera, vexillum S. Crucis aduersus eam opposuit: præcipiens ei in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt in eisdem locis vlterius habitare ipsum non videret, nec malum cuiquam inferret, & ad maris pelagus cursum arriperet. Qui mox ad viri Dei imperium, multis cernentibus, relicto habitaculo suo, de eodem loco discessit, & per territorium Pictauorum, vsque ad mare Oceanum progressus est & demersus. Hoc itaque fuit initium signorum S. Iuniani.

Eodem tempore in Pictauorum finibus, grandis pestilentiæ clades multam partem eiusdem populi consumpsit. Quod videntes, ad prædicti viri Iuniani cellulam, cuius opinio longè lateque diffundebatur, multi ad eum venientes petebant vt eis aquam Dei virtute sibi collatam traderet, per quam imminens periculum euaderent. Qui respondit eis se non habere aquam aliam nisi de vicino sibi Vegennæ fluuio. Cumque illi perstitentes instarent, vir Dei Iunianus, nocte sequenti vigiliis & orationibus institit apud Dominum. Manè verò exorto lucis crepusculo, vidit in cella sua ex latere rupis aquam vberem effluentem, quam cum gratiarum actione hauriens, petenti populo dedit. Quibus ex fide suscipientibus, & ad regionem suam deferentibus, quotquot ex eadem aqua sumpserunt, prædictæ cladis mortis periculum euaserunt, & salutis gratiam receperunt, & orationibus eius pestilentiæ clades abscessit à populo supradicto.

*Orationibus pestem sedat.*

*Inuidia & malitia diaboli in virum Dei.*

Dum quadam die S. Iunianus in cellula sua solitarius ad calefaciendum corpusculum ante prunas resideret; antiquus hostis diabolus sibi inuidens, cum violento impetu irruens, sancti viri membra proiecit in ignem. Sed non defuit diuinum auxilium ad liberandum Iunianum, quem diaboli tentatio arripuerat ad perdendum; mox quippe diuino liberatus auxilio, sanctus vir, ipsam cruentam bestiam, dum super cellulæ eius saxum adesset, præcipitauit eam à vertice montis per latus eiusdem quod defluit in Vegennæ fluuium, demergens eam in amnem, tanquam alter Moyses Pharaonem in profundum maris.

Postquam Iunianus se ereptum Dei misericordia à callidi hostis tentationibus intellexit, diuino fretus auxilio, aliorum infirmitatibus compatiens, multos suis precibus sanauit. Eodem nẽpe tempore cæcus quidam ad eum veniens deprecabatur vt lumen oculorum eius orationibus recipere mereretur, cumque Iunianus per biduum orationi fuisset intentus, die tertio, Deo auctore, cæco visus restituitur, & vidit post tenebras claram lucem.

*Cæco lumen restituit.*

*Claudus & surdus curantur.*

Non multo post quidam claudus & surdus ad eius sancti viri cellulam defertur, deprecans vt qui cæco lumen reddiderat, suis precibus quoque ei gressum & auditum restituat. Sanctus verò Iunianus orationem pro eo fundens ad Dominum post aliquot dies, vt ad domum reuerteretur exhortatur, dicens ei quod si fide intemerata maneret in Domino non ambigeret se recipere sanitatem, factumque est dum infirmus ex iussu hominis Dei nititur gressibus suis ad propria remanere, ab vtraque infirmitate solutus, ambulandi gressum & audiendi auribus recipit auditum.

*Nota de confugiẽtibus ad maleficos.*

Eodem tempore quidam vir Illustris & nobilis Rurisius, qui alio nomine Proculus dicebatur, nepos alterius Rorisij Episcopi Lemouicensis diues & opulentus, superbiæ fastu elatus, diuino iudicio traditur spiritui superbiæ diabolo flagellandus, vt humiliatus disceret & sentiret quantum tumidus amisisset. Cumque à suis affinibus & per medicos, & quod grauius est, per maleficos duceretur, vt à vexatione diaboli sanaretur; dum ab eo vnum volunt eiicere, mox in eum legio dæmonum est ingressa. Cumque à pluribus acrius exagitaretur, sui ad se reuersi, cogitare cœperunt, vt ad sancti Iuniani cellam eum perducerent, vt eius orationibus sanaretur, salubri consilio ad honorem Dei perducunt dæmoniacum. Vir autem Dei hortabatur eum vt ieiuniis & orationibus insisteret, & largas eleemosynas pauperibus erogaret. Sed cum vir ille multas pecunias Sancto Iuniano offerret, vt à tanto hoste liberaretur, sanctus vir respondit; non esse iustum vt qui sua propter Deum sponte reliquerat, alienis opibus ditaretur: sed quod sancto offerebat pauperibus erogaret. Cum autem S. Iunianus pro sanitate eiusdem, orationibus, ieiuniis, ac vigiliis intentus insisteret; eius meritis pristinæ restituitur sanitati, & ita sanus redditur, tam à mente quam à corpore à vexatione spirituum malignorum: vt post decessum patruelis sui Domini Rorisij Præsulis, Episcopus institueretur in Lemouicensi sede.

*Sanat dæmoniacum.*

Post hæc autem Iunianus vir Dei multis pollens virtutibus quadraginta annis in solitudine transactis, multis tandem exantlatis laboribus, necnon habitis multis contra hostem certaminibus, consummato fælici agone, obdormiuit in Domino. Rorisius autem non immemor tanti beneficij à sancto accepti, suis impensis basilicam ei studuit fabricare, in qua Sancti Iuniani corpus fuit honorificè collocatum, vbi meritis eiusdem multa præstantur infirmantibus beneficia & remedia sanitatum.

*Migrat in cælum vir Sanctus.*

### *NOTÆ.*

Amandus & Iunianus.] *Eorum gesta ex MS. syncerissimè descripsimus. Plura de eisdem in Breuiario Ecclesiæ Lemouicensis. De Iuniano verò in Tabulis Ordinis Fontebualdensis. Festiuitas autem S. Iuniani 17. Calend. Nouemb. celebratur. Olim corpus S. Iuniani quiescebat in Monasterio Nobiliacensi, vulgò* Noüaille, *in agro Pictauiensi. Tempore verò persecutionis Hæreticorum, seniores Monachi illud in prædicto Monasterio absconderunt. Sed quia iam omnes obierunt, nemo scit locum vbi sit absconditus hic thesaurus. Est autem B. Iunianus prædicti Monasterij patronus, floruitque circa annum Domini 485. tempore Clodouæi Regis Francorum.*

### *VITA S. LEONARDI ABBATIS. Ex Bernardo Episcopo Lodouensi Tom. 2. de Vit. SS.*

*Habetur in Biblioth. RR. PP. Dominic. Auenionens. S. Leonardi optima educatio.*

BEATVS Leonardus temporibus Regis Clotharij, filij Clodouæi Regis Francorum huius nominis primi, vita & virtutibus claruit. Hic siquidem honestis parentibus natus, & optimè ab eis educatus, & in humanioribus scientiis eruditus: cum multos per abrupta viriorum ire cerneret; mundo eiusque pompis valedicere disposuit. Valde autem ad vitam solitariam anhelabat, vtpote contemplationi valde commodam.

Opportu

Opportunitate igitur nacta, secreto de paterna domo aufugiens in territorio Cœnomannico Eremiticam vitam in quodam solitario & remoto loco ducere cœpit. Ab initio multas carnis rebelliones passus est, simul & dæmonum tentationes & crebras illusiones & molestias, quas tandem Deo iuuante ieiuniis & vigiliis, oratione continua, manuum durissimis laboribus superauit: factusque virtutum magister, multis Monachis ad eum confluentibus perfectioris vitæ viam demonstrauit. Crescente autem numero discipulorum eisdem Monasterium construxit. Tantæ autem humilitatis inter eos extitit: vt etiam Prioris nomen fugeret, & cum esset Prælatus, omnibus se viliorem, & inferiorem, habitu & meritis demonstraret. Cuius fama vbique vagante, vndique populus ad eum concurrebat. Laudi eius & meritis inuidentes maligni, suggesserunt Clothario Regi, vt sibi & genti suæ consuleret, per Leonardum illum Eremitam, qui multos sub obtentu Religionis colligebat, propterea Regnum Franciæ detrimentum non modicum sustineret. Rex nimis credulus, statim militibus missis præcepit, vt eum cum iniuria de regni finibus expellerent. Cum igitur ad eum venissent milites, eius verbis compuncti, admirătesque austerissimam illius vitam, tẽpore opportuno se facturos eius discipulos spoponderunt, & sic ad Regem regressi, cuncta quæ viderant & audierant, retulerunt. Rex audiens & pœnitens gratias egit Deo, & intantum Leonardum dilexit, quod ei cuncta liberaliter porrigeret, detractoresque, rebus & honoribus priuans, vix tandem precibus eius flexus eos pristinæ restituit dignitati.

*Relictis parẽtibus apud Cœnomanos Eremiticam vitam ducit.*

*Carnis tentationes continuis vigiliis, orationibus, & laboribus superat.*

*Cõstruit Monasterium.*

*Nota S. viri humilitatẽ.*

*Multos patitur inuidos & obtrectatores.*

*Clotharius Rex Leonardum honorat.*

Erat quoque sanctus Leonardus erga miseros & captiuos tantæ compassionis, quod hoc à Domino impetrauit, vt quicumque in carcere compedibus tenerentur, mox inuocato eius nomine soluerentur. Serpens eo orante, à parte pedum sursum tendens, & sinum eius perlustrans, non eidem nocere, neque ab orationis attentione turbare potuit. Facta autem oratione dixit: Scio inimice, quia ab initio homines quantum præuales inquietas: sed nunc in spe misericordiæ Dei, fac in me quicquid merui, si tibi detur potestas. Quo dicto, per caputium tunicæ exiens, cecidit mortuus, & ex tunc nullus ibi serpens apparuit. Perdurauit autem sanctus Eremita vsque ad tempora S. Germani Parisiensis Episcopi, & S. Domnoli, qui Innocentio Cœnomanensis Episcopo successit. Qui propediem se esse moriturum, & prædicti Domnoli aduentum prædixit: vnde & ipse Domnolus diuina reuelatione præmonitus est, vt iret ad sanctum Leonardum, eiusque animam Domino commendaret. Quo facto obiit Idibus Octobris. Sepultus verò duos cæcos illuminauit; & nunc etiam quanti sit meriti apud Deum, frequentia miraculorum ostendit.

*Magno compassionis affectu erga captiuos afficitur.*

*Serpens ei nihil nocere potest.*

*Prædicit suũ obitum.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Leonardus.] *Est hic Leonardus omnino diuersus ab alio Lemouicensi, de quo infra scribemus. Obiit autem hic beatus circa annum Domini quingentesimum sexagesimum, sub Chilperico Rege. Eius vita (vt scribit Bernardus Ludouensis Episcopus) apud Corbiniacum fusius legitur, vbi eius corpus translatum requiescit, vnde locus ipse propter miraculorum frequentiam quotidie à populis visitatur. Plura notatu digna de eo legi in Breuiario Ecclesia Cœnomanensis, quæ hic apponere libet. Sanctus Leonardus ex eorum sanctorum qui tempore Innocentij Episcopi aduenientes, & peregrinam vitam ducentes, in pagum Cœnomanicum venerunt, societate erat. Qui & locum quærens quo cellulam sub regulari ordine ædificaret, dono accepit quendam locum à sancto Innocente Episcopo in Eremo super fluuium Sarte: quæ cellula sancti Leonardi nominatur vsque in hodiernum diem. Qui postquam eundem locum accipere meruit, eiusdem Innocentis adiutorio fecit ibi Ecclesiam in honorem Sancti Petri Apostoli, cuius meritis & bonis exemplis, tantus concursus ibi erat populi: vt per tres annos dum illa cellula construeretur, à vicinis, & remotis, & Deum timentibus hominibus, panis, & alia victui necessaria afferrentur; ita quod omnibus abundaret. Multi autem nobiles, atque ignobiles, relinquentes prædia, omniaque vendentes, amore vitæ æternæ, dabant pauperibus, atque se iungebant beato viro, afferentes illi quæ residua erant, atque communem & regularem vitam ducebant, & erant illis omnia communia. Obiit autem S. Leonardus Idibus Octobris, & sepultus est in prædicta cellula sua à beato Domnolo Cœnomanensi Episcopo, cui pridie obitus beati viri de cælo reuelatus fuerat, quod ad sepeliendum non tardaret. Eius verò festiuitas 24. Octobris celebratur.*

## VITA S. PARDVLPHI EREMITÆ.

*Habetur in antiq. membranis Bibliothec. RR. PP. Dominic. Auenion. Aliàs Pardulphus. Catalogus virtutũ eius.*

### *Ex Bernardo Lodouensi Episcopo. Tom. 2. de Vit. Sanctorum.*

BEATVS & inclitus Christi seruus Pardulphus, in territorio Lemouicensi vico nomine Saradeno, ex parentibus licet plebeis, tamen honestis, Religiosis & piis, ortus, ab ineunte ætate templum Spiritus sancti factus est. Iam tunc enim radicabant virtutes, humilitas, benignitas, mansuetudo, patientia & deuotio præcipua, quibus parentes ad sui admirationem rapiebat.

Quadam die cum in syluam cum suis coætaneis pastoribus adolescentibus profectus fuisset, & illi puerorum more ludendo, (de consensu tamen Paradulphi) magnum ignem ad pedem cuiusdam arboris accendissent, quæ cum ruinam & casum minaretur, statim fugientes, Paradulphum nihil tale cogitantem iuxta ignem reliquerunt: factumque est vt arbore illa magna inopinatò corruẽte, ramus tã valide caput eius collíserit, quod penè mortuus & exanimis factus est. Ex grauissimo illo ictu (Deo ita permittente) in terribilem morbum incidit, ex quo, oculorum lumine priuatus, per totum vitæ curriculum factus est cæcus. Hanc autem afflictionem Deus permittere voluit, ad maiorem sui nominis gloriam & honorem, seruique sui probationem, meritorumque affluentiam. Parentibus suis & amicis dolentibus, ipse solus gaudebat, eosque ad patientiam hortabatur, & vt suam voluntatem diuinæ conformarent, pulchris rationibus suadebat.

*Efficitur cæcus.*

*Eius patientia.*

Cæterũ aliqui effluxerunt anni quibus ille corpore, animo, & virtutibus effectus robustior, ad Eremiticam cœpit anhelare vitã. Vnde Spiritu sancto afflatus, & quãuis parentibus in principio renitẽtibus, tamen postea consentientibus ductus est in desertum, vbi constructa vili & exigua cellula, solus cum solo Deo habitare cœpit. Dæmones hæc videntes & inuidentes, cœperunt eum variis tentationibus, molestiis & illusionibus afficere, sed per gratiam inhabitantis in eo Spiritus sancti, eos confusos semper reddidit. Imò de virtute in virtutem proficiens, cœpit clarere miraculis, ita vt ibique

*Degit in deserto.*

*Claret miraculis.*



vbique celebris eius fama vagaretur. Eo tempore nobilis quidam vir Lancerius nomine, Lemouicensem Comitatum tenebat. Et quoniam pius erat & vir bonus, in suo territorio Monasterium construxit & dotauit, congregatisque multis optimæ conuersationis Monachis, accessit ad virum Dei in Eremitorio suo commorantem, rogauitque vna cum Monachis, quatenus Pastoris officium acceptare dignaretur. Sed cum ei difficile videretur dilectam suam deserere solitudinem, nullo modo acquiescebat, verumtamen considerans esse Dei voluntatem, inuitus & renitens eorum precibus acquieuit.

*Lancerius Lemouic. Comes construit Monasteriũ.*

Factus Abbas & Monachorum pater, pristinam suæ conuersationis vitam non deseruit, sed potius auxit. Nam magis in Monasterio solitariam vitam duxit quàm in Eremo, ex quo enim semel ingressus fuit, numquam pedem extra posuit. Tantum autem bellum corpori suo indixit, quod non solum contentus erat illud crebris vigiliis atterere, sed etiam duris abstinentiis. Numquam enim panem, vel oua, pisces, seu vinum ad vitæ sustentationem adhibuit: sed olera & herbas, quinetiam solebat durissimis punctionibus, ex quibus sanguis emanabat, corpusculum suum atterere. Tantæ erat humilitatis, deuotionis & affabilitatis, quod non solum discipulos, sed & extraneos, etiam perditos ad Dei amorem, & vitiorum odium pertraheret. Quidam ex Lemouica ciuitate ita grauiter à dæmone torquebatur, quod appropinquantes verberibus afficiebat. Ligatum ergo eum vix parentes ad virum Dei perduxerunt. Qui cum venissent ante virum Dei, cœpit eum abominandus ille dæmon iniuriis, conuiciis, & blasphemiis lacessere. Sed ille fundatus supra firmam petram nihili faciebat iniurias, & cum iussisset eum in oratorium duci, potenter eundem expulit, hominemque illum sanum & incolumem reddidit. Adductus etiam est ei cæcus, quem ille qui cæcus erat, illuminauit, & videre fecit. Non solum hunc, sed & plerosque alios illuminauit, eratque ei hæc peculiaris gratia.

*Factus Abbas etiã pristinæ solitudinis rigorem non relaxat.*

*Nota S. viri abstinẽtiam.*

*Durissimis punctionibus corpus atterit.*

*Sanat dæmoniacum.*

*Specialẽ gratiam habet cæcos illuminandi.*

Cum quidam rusticus in sylua cæderet ligna, subtus arbores inuenit quosdam bolecos, quos colligens, finito labore deferre volebat ad virum Dei, sciens eum radicibus & agrestibus herbis vti ad cibum. Cum autem pergeret ad virum Dei, offendit in itinere quemdam Regnaricum nomine, Principem & Regis Caroli Consiliarium. Qui cum cerneret hos bolecos, iussit sibi dari in contemptum viri Dei, sed Dei vindicta non diu distulit. Nam cum eos ad prandium suum vellet comedere, & iam vnum cibum sumpsisset in ore, nunquam illum potuit deglutire, nec ex ore proiicere, sed gutturi adhærebat, ita vt mortem certissimam expectaret. Verumtamen pœnitens, signis & nutibus, rustico cui abstulerat bolecos, innuebat, vt pergens ad virum Dei veniam peteret. Iuit, & nuntiauit omnia, indulget vir Dei, & statim expuit vir ille morsellum, & liberatur à morte. Tanti beneficij non immemor, quædam bona dedit Monasterio ad seruorum Dei sustentationem.

*Vltio diuina in contẽptoſe viri Dei.*

*Apparet ei S. Michaël Archang.*

Quadam nocte cum in duro suo lectulo quiesceret, apparuit ei Sanctus Michaël Archangelus cum magna gloria & maiestate, ostenditque ei scalam erectam, cuius summitas cælum tangebat. Cumque eum diu fuisset consolatus, & ad patientiam hortatus, dixit ei: Ecce Pardulphe, scalam virtutum, quam qui ascendunt & perseuerant, haud dubiè inueniunt Dominum nostrum Iesum Christum, & satiantur ab omnimoda gloria eius. His dictis disparuit, & tanta consolatione repletus est vir Dei, quod vsque ad mortem perdurauit in ea. Totum autem Monasterium tanta odoris fragrantia & suauitate perfusum est, quod nullus dubitare potuit hanc tanti Principis apparitionem fuisse veram. Solebat autem vir sanctus sæpius osculari terram vbi steterant pedes Angeli, & ex ea accipiens dabat ægrotis, qui curabantur ab infirmitatibus suis.

In illis diebus cum Sarraceni omnem deuastassent Aquitaniam, & venissent ad Monasterium viri Dei: ita præsentia & verbis eius attoniti fuere, quod subito fugam arripuerunt, & postmodum à Carolo Rege pulsi & trucidati fuerunt. Multa spiritu prophetico futura prædixit: inter quæ & suum obitum, qui accidit prid. Id. Octobris, post longam, & grauem infirmitatem, suauisque odor ex eius corpore emanabat.

*Sarracẽni Aquitaniam vastantes S. viri præsentiam ferre nõ possunt.*

*Is est Carolus Martellus.*

*Moritur vir sanctus.*

### NOTÆ.

Pardulphus.] *Hic beatus (vt annotat) Bernardus Lodouensis Episcopus, floruit tempore Stephani Papæ II. & Caroli Imper. migrauitque sub Duce Aquitaniæ Hunaldo, qui fuit frater Gayferij Ducis Aquitaniæ. S. Pardulphi sarcophagum cum cineribus Garaltensis Ecclesia tenet, quæ ad testimonium illius castissimæ vitæ fœminam nullam admittit. Corpus verò eius se habere apud Arnacum, Monachi S. Martialis in Prioratu illo habitantes dicunt, illucque à Principibus de Turribus translatum fuit. Cuius corpus ad portam vrbis Lemouicæ tandiu immobile perstitit, donec cæcus adductus coram populo illuminaretur. Plura de Pardulpho in Breuiario Eccl. Lemouic.*

## VITA S. LEONARDI EREMITÆ.

### *Ex Bernardo Lodouensi Episcopo, & aliis.*

*S. Leonardi clari natales.*

BEATVS Leonardus sub Anastasio Imperatore in Galliis natus est. Parentes claros habuit, & magnæ apud Clodouæum Regem dignitatis & auctoritatis. Clodouæus is primò paganus fuit, sed ad beati Rhemigij Episcopi prædicationem, Christiana Religione initiatus est, & vt graues affirmant testes, Leonardum puerum è sacro baptismatis fonte suscepit, quod parentes eius imprimis charos haberet. Et tamen Leonardus puer postquam adolescentiæ robur adeptus est, noluit terreno Regi militare, vt fecerant maiores eius: sed spiritu diuino permotus, ad beatissimum Rhemigium Episcopum imitandum se contulit. Cuius sanè salutares admonitiones non surda accipiebat aure: sed vt futurus verbi Dei seminator, in pectoris sui armario diligenter recondebat. Erat enim vir Dei alacer in exhortando, sanus atque humilis in sermone, in actione simplex & pudicus, in promissis verax, in eleemosynis largus & munificus, in reddenda ratione modestus, atque adeò tenuis & submissus, vt non familia nobili, sed abiectissima ortus videri posset.

*Educatur apud S. Rhemigium.*

Et quidem eius fama permotus Franciæ Rex, honestos ad eum legatos misit, qui eum accersirent: sed ille posthabito dignitatis terrenæ fastigio, quod Rex offerebat, tanquam fidelis agricola verbum Dei seminans, Aureliam peruenit, inuentoque haud procul extra vrbem venerabili viro Maximino Monacho, aliquandiu apud illum moratus est, quousque diuina reuelatione admonitus, inde recedens in Aquitaniam profectus est. Quam reuelationem cum S. Liphardo fratri suo, qui fidus ei

*Contempta aula Regia, proficiscitur vt spargat per Galliam verbum Dei.*

*Valedicens fratri suo S. Liphardo, venit in Aquitaniam.*

comes fuerat, indicasset, orans vt secum iret, beatus Liphardus respondit: Et quidem mi frater, nisi tibi molestũ est, hic apud Ligerim mihi commodum construam domicilium: tu verò pergas ire, quò te vocat Dominus Iesus, isque tibi vbique propitius sit. Atque ita cum se inuicem osculati essent, à se separati sunt, & Liphardus quidem Madunum petiit, vbi etiam requieuit; Leonardus verò abiit in Aquitaniam, quò cum per Biturigum regionem iret, haudquaquam mortis metu se celauit: sed sicut vir strenuus, armis fidei munitus, Christum prædicabat. Iis enim in locis tum recens admodum erat Christiana Religio, necdum abolito prorsus ethnicismo.

*Passim curat omnis generis morbidos,*

Itaque vir Dei, quantum poterat, verbis & factis Christum annunciabat, pellebat dæmones, surdos, claudos, cæcos, & morbidos omnes ad ipsum venientes curabat: atque interim suum prosequens iter, galea salutis, & scuto fidei instructus, tandem in syluam peruenit quam Pauum vocant. Ea feris abundans Galliæ & Aquitaniæ Principes inuitabat ad venationes. Singulis etiam annis Galliarum Rex eò veniebat animi gratia, plerumque etiam Regina comitante. Aberat is locus à Lemouicum vrbe decem ferè milliaribus. Itaque cum B. Leonardus per eam transiret syluam, ecce Rex eò

*Periclitatur Regina Frãcia in partu.*

venerat cum Regina, quæ ex partu in magnum vitæ discrimen adducta, Regem non mediocri animi dolore affecit. Adhibebantur varia medicorum C opera, sed nihil promouebatur. Plorabat omnis aula, & familia Regis, quod Regina tam miserè abiret è vita. Quod vbi sensit beatus Leonardus, solita humanitate commotus, cum Rege & paucis satellitibus eius intrans cubiculum, vbi Regina de-

*Succurrit ei suis meritis S. Leonardus.*

cumbebat, oculis in cælum sublatis, Dominum pro ea deprecabatur, ac deinde exeunte illo cum Rege, confestim Regina peperit, & omni dolore absoluta est. Mox verò Rex cum omnibus suis tollens ad sydera manus, dicit beato Leonardo: En totum hoc nemus tibi trado possidendum. Sed è contra beatus Leonardus: Non, inquit, sereniſſime Rex, totum, sed eius tantum partem quandam à te accipiam, quando adeò promptum te experior. Ita- D que quantum potero nocte asello meo vectus circumire: tantum dari mihi peto. Annuit autem Rex libentissimè, iussitque omne illud spatium lapideis terminis definiri.

*Accipit à Rege locum construendo Monasterio aptum.*

Mansit autem vir Dei in illo loco, condiditque ibi oratorium in honorem beatissimæ Matris Dei, in cuius sinistro latere etiam altare alterum construxit in beati Rhemigij memoriam. Vixit verò parcissimè, corpus ieiuniis, vigiliis, & precibus macerans. Adiunxit quoque sibi duos Monachos, vita & moribus Religiosos, vt in ea Ecclesia perpetim diuina mysteria celebrarent, quando ipse sanctorum limina orandi causa visitaret. Solebat enim

*Frequens discurrit per memorias Sanctorum.*

pro more sæpissimè adire basilicam beati Martialis E Episcopi Lemouicẽsis, atque ea causa nolebat oratorium suum esse sine ministro, dum ipse abesset. Et quidem difficulter illic à Monachis aqua obtineri potuit, eo quòd ferè ab vno milliari apportanda esset. Rogarunt igitur beatum Leonardum, vt iuxta Ecclesiam aquam ipsis impetraret. Nec multa mora. Iussit ille humum instar putei fodi, stansque supra effossam humum, orauit Dominum, & mox perennes eruperunt aquæ, quæ vsque in hunc diem loci eius habitatoribus potum præbent.

*Confluit ad eum magna turba malè valentium.*

Porrò locum ipsum Nobiliacum dici voluit: quod à nobilissimo Rege eum dono accepisset. Vbi etsi latere percuperet vir sanctus, & hominum frequentiam fugeret: quando tamen ciuitas abscondi non potest supra montem posita, ita & infinita ad eum malè valentium turba confluxit, curabatúrque ab eo.

Fama autem sanctitatis eius omnẽ Aquitaniam & Britanniam minorẽ impleuerat, imò & vsque in Germaniam sese effuderat, atque adeò Deus ornauit & illustrauit illum, vt si quis in carcerem coniectus, eius nomen inuocaret: ruptis catenis, nullo impediente, liber abscederet. Vnde & accidit, vt multi etiam ex longinquis regionibus à vinculis & carceribus per eum liberati, ad eum venirent, & compedes atque catenas secum ferrent, ad eius se pedes humiliter abiicientes. E quibus etiam non pauci apud eum manebant, se illi offerentes: sed vir Dei illis potiùs seruire studebat, partem eis syluæ distribuens, vt consuescerent agriculturæ operam dare, & inde sibi parare victum, non autem inhiare prædis, ne rursus in vincula coniicerentur, & obscuros carcereres. Simul autem salutari eos Euangelij prædicatione quoque instituebat: sicut & omnes ad se veniẽtes variis affectos morbis, sanabat sanctis precibus, & optimis sermonibus cõtinenter pascebat, nudos vestiebat, esuriẽtes alebat, cunctisque necessaria pro viribus suppeditabat. Quibus virtutibus clarus cũ iam bonum certamen certasset, fidemque seruasset, tandem quando visum est altissimo vt è præsenti secu-

*Clarus multis virtutibus migrat in cælum.*

lo migraret, octauo Idus Nouemb. sanctissima anima eius ab Angelis recepta est in cælum, corpus autem sacratissimum à fidelibus humatum est in Ecclesia quam ipse construxerat in honorem beatissimæ sempérque Virginis Mariæ, & beati Rhemigij Rhenorum Episcopi: in qua Ecclesia multa diuinitus miracula fiunt, præstante Domino nostro Iesu Christo.

Postquam autem in pace quieuit, & in loco illo vbi primum sepultus est, miracula multa fecit: reuelatum est Clericis illius Ecclesiæ, vt alibi Ecclesiam fabricarent, & ibi corpus Sancti Leonardi honorificè transportarent. At illi peracto in oratione triduano ieiunio, tertia nocte prospicientes totam Prouinciam immensa luce fulgentem vide-

*Transfertur sacrum ipsius corpus.*

runt, præter illum locum vbi corpus transponere debuerunt. Ibique translatus, infinita circa incarceratos & compeditos miracula faciens, quanti apud Deum meriti sit monstrat. Vicecomes Lemouicensium, quandam maximam catenam fecerat, quam ad terrorem malorum ita in cippo suæ turris confixerat, quod reliquum catenæ foris prominens, ad omnem aëris intemperiem, quemcumque tenebat, mille quasi mortibus exponebat. Tunc accidit quod quidam seruus Sancti Leonardi, in ea sine culpa ligatus, cum iam inciperet mori, S. Leonardum rogauit, vt qui extraneos absoluebat, seruo suo iniustè morienti misericorditer subueniret.

*Quidã iniustè catenis constrictus, à S. Leonardo liberatur.*

Statim Sanctus Leonardus in alba veste apparens, imperauit vt surgeret, & præeuntem subsequens, catenam illam ad suam Ecclesiam baiularet. Quod & fecit, & ad laudem Dei videntes hoc plurimos excitauit. Quidam peregrinus à Sancto Leonardo rediens, in Aruernia captus est, & quærenti cur innocentem in carcere conclusissent, responderunt, quod nisi se copiosè redimeret, non exiret. Sequenti nocte Domino castelli Sanctus Leonardus apparuit, & vt peregrinum suum innocentem abire permitteret imperauit. Sed ille manè euigilans, & visionẽ quasi somnium paruipendens, de sancti imperio nihil fecit. Altera nocte similiter somniauit, & tamen propter hoc hominem non laxauit.



laxauit. Tertia nocte Sanctus Leonardus peregri- A num arripiens, extra oppidum deduxit, & statim turris, cum media parte castelli corruens, oppressis plurimis, solum principem ad sui confusionem fractis cruribus reseruauit. In Britannia similiter qui-

*Itẽ & alius.*

dam tenebatur, sed tamen Sanctum Leonardum, vt sibi succurreret, continuè precabatur. Vnde ipse Sãctus in medio carcere statim affuit, & palàm custodibus hominem sic absoluit, quod posita ei catena, quam ad Ecclesiam suam ferret, manu propria per medium illorum deduxit.

## NOTÆ.

Leonardus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 6. Nouemb. vbi hæc habentur in Aquitania S. Leonardi Confessoris, discipuli S. Rhemigij: qui nobili genere ortus, solitariã vitam deligens, sanctitate & miraculis claruit, ac præcipuè in liberandis captiuis eius virtus enituit. Agũt etiam de eo Sur. tom. 6. Vinc. in Speculo lib. 21. c. 11. & 12. Petrus in Cat. lib. 10. c. 29. Trithem. de viris Illust. Ord. S. Bened. c. 29. Vvionius in Mart. Monastico, & alij. De eodem in Breuiariis Ecclesiarum Lemouic. Tullens. necnon in Breuiario Ord. S. Ioannis Hierosolymitani.* B

## VITA S. GVNDVLPHI EPISCOPI & Eremitæ. Ex antiquis Manuscriptis Codicibus Monasterij Nobiliacensis, Diœcesis Bituricensis.

*S. Gũdulphus primò Archiep. Mediolanens.*

SANCTVS Confessor Dei Gundulphus, vita, moribus, scientiaque præclarus, ad summum Archiepiscopatus Mediolanensis ciuitatis fastigium electus, diuina adiuuante gratia, opus oneris suscepti Deo & hominibus charus exequutus est. Hic verò sanctus propter mala

*Relicto Episcopatu apud Biturigas Eremiticam vitam ducit.*

ciuitatis suæ à Deo immissa, diuina reuelatione ei facta ab vrbe digrediens, cum discipulis sociisque suis partes adiit Biturigas; vbi Eremiticam vitam ducens, herbis radicibúsque vescens, & fluminis vnda, expletaque huius laboriosæ vitæ militia, post diutinam carnis macerationem, plenus Deo & virtutibus, terræ corpus, cæloque spiritum reddidit. D

*Moritur.*

Cuius corpus per manus discipulorum, sociorúmque suorum in eadem sylua vbi Eremiticam vitam duxerat, pia deuotione cum lacrymis & singultibus humatum est. Credimus enim Deum populis fidelibus intimasse quatenus corpus B. Gundulphi ac piissimi Confessoris Mediolanensis Archiepiscopi, loco indecenti iaceret, glebamque corporis eius loco decenti transferre curarent, sicut in reuelatione corporis beati Protomartyris Stephani, aliorumque qui cum eo erant Luciano Presbytero extitit intimatum.

*Transfertur eius sacrum corpus ad Monasterium Nobiliacense.*

Postea verò sanctæ Ecclesiæ crescente famulatu, viri religiosi Christianique illius tẽporis, in syluam vbi sanctum corpus iacebat aduenientes, ipsumque E corpus auferentes cum hymnis, & canticis, & psalmis spiritualibus Nobiliacum transtulerunt, & in medio chori beatæ Mariæ cum honore sepelierunt. Vnde cum Monachi illius loci cultores post longum tempus sacra ipsius Cõfessoris ossa vt decentiori loco diuina reuelatione præmoniti, collocarentur, nutu diuino nebula ad instar noctis densa, ita totam repleuit Ecclesiam, vt se inuicem vix valerent inspicere. Deinde nebulam illam tanta dulcedo subsequuta est, vt præ odore & fragrantia in paradiso se esse existimarent. Sed & rosa rubei coloris, puris vernis æmula rosis in eius sarcofago inuenta est ita recens, ac si iam de sua arbore velli-

*Rosa in eius sarcofago miraculosè inuenta.*

ficata, ac cum eo apposita fuisset. Igitur à Religiosis leuatus, locoque decentiori collocatus, & Apostolica authoritate canonizatus diuersis quotidie fulget miraculis. Ad laudem & honorem Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen. C

## NOTÆ.

Gundulphus.] *De hoc glorioso Sancto fit mentio in Tabulis & Breuiario Ecclesiæ Mediolanensis. Pluribus verò in Breuiario Bituricensi, vbi hæc de eo habentur. Beatus Gundulphus Mediolan. Archiepiscopus exstitit, qui propter mala suæ ciuitatis immissa à Deo, ab eadem vrbe digrediens, cum quibusdam discipulis partes adiit Biturigum, vbi diu Eremiticam vitam ducens, expleta laboriosæ huius vitæ militia, post longam carnis maceration em, plenus Deo & virtutibus, terræ corpus, cæloque spiritum reddidit. Cuius corpus per manus discipulorum in eadem sylua, vbi Eremiticam vitam transegerat, præ deuotione humatum, postea Nobiliacum translatum, vbi in medio chori beatæ Mariæ iacet sepultum. Eius festiuitas 17. Iunij celebratur. Vidi ego sepulchrum eius in medio chori dictæ Ecclesiæ, sed iam à maledictis hæreticis susque deque euersum, & quod magis deplorandum est, ab iisdem sacrum corpus combustũ & in cineres redactum fuit: multaque alia sacrilegia ibidem commiserunt, quæ narrare longum esset. Valde honoratur hic Sãctus ab Incolis illius loci, extatque eius Eremitoriũ tribus millibus distans à Nobiliaco, propriamque virtutem habet febrem depellendi, sicut asserunt Incolæ loci, & in oratione propria etiam hoc innuitur. Hæc autem ita se habet. Deus qui beatum Gundulphum Confessorem tuum atque Pontificem, omnem febrium ardorem, omnemque languorem sedare depellereque voluisti, &c. Canitur totum officium proprium de eo, vnde in lectoris gratiam sequentem hymnum totam eius vitam continentem hic reponere volui.* C

*Vrbs gaude Nobiliaca:*
*Tanto ditata munere,*
*Corpus tanti Confessoris*
*Tenens Gundulphi Præsulis.*
*Hic sanctus relicta vrbe*
*Pro ciuium facinore*
*Partes petens Biturigas,*
*Tuas expetiuit syluas.*
*Ibique moram faciens*
*Carnem instans ieiuniis,*
*Vigiliis, sacris operibus,*
*Ducendo vitam cœlibem.*
*Tandem quoque Deo plenus,*
*Magnis clarus virtutibus,*
*Terræ corpus cineribus:*
*Animam cælo reddidit.*
*Sepultus à discipulis,*
*Cum psalmis, hymnis, canticis,*
*Loco suæ mansionis*
*Tradiderunt humi corpus.*
*Post hæc diuina vox*
*Populis loci insonans*
*Propinquis reuelauit diuinitus,*
*Vt sanctum releuarent corpus.*
*Sicut Gamaliel sanctus*
*Luciano Presbytero,*
*Ter dicens, ô Luciane,*
*Exclamauit vox de cælo.*
*Patri, nato, paraclito,*
*Omnis honor & gloria:*
*Sint huius sancti merito*
*Nobis æterna gaudia. Amen.*

Nobiliacum transtulerunt. *Est aliud eiusdem nominis Monasterium in agro Pictauiensi, vulgò dictum* Noüaille. *Istud verò dicitur* le Noble, *à nomine vrbis seu pagi qui sic antea vocabatur. Nunc verò de nomine Sancti vocatur* S. Gondon.

## *VITA S. DOMITIANI EREMITÆ. Ex M. S. Codicibus Monasterij Sancti Remberti . . .*

BEATISSIMI Domitiani Confessoris Christi vitam descripturus, primitus inuoco Deum patrem omnipotentem, vt qui eidem sancto vsque in finem dedit bonam perseuerantiam, nobis qui scripturi sumus, & vobis qui compellitis, per eiusdem sancti, atque omnium intercessionem sanctorum vitam tribuat sempiternam.

*Patria & parentes S. Domitiani.*

Denique Cõstantij Imperatoris tẽporibus in Romana vrbe, ex nobilitatis lãpade non obscuris natalibus nascitur Domitianus Dei famulus, patre Philippo, matre autem Martianilla, qui præ cæteris gratia generositatis ornati, regenerationis gratiam, vt à prole compertum est, integrè, ac Catholicè inter Arrianos occursus fideliter custodiebant. Ablactatum verò puerum præfatum scholis commendauerunt Catholicis, in quibus aliquandiu commoratus, diuini eloquij strenuum cœpit habere in discendo studiũ. Qui cum ad adolescentiæ annos peruenisset, libellis patrimonij à parentibus acceptis, ad scholam reuertitur, studiisque maioribus in discendo mãcipatur. Vbi dum ferè ad quintum decimum ætatis suæ annum vacandi haberet studium in diuinis cultibus, patre ab Arrianis ob Catholicã fidem interempto, mater nimio dolore attrita, lucis huius caruit vsu. Sicque ab infidelibus patre interempto, matre verò nimio extincta dolore, nobilis qui remansit filius, maximis repletur doloribus: atque parentibus humi condignè reclusis, ex doloribus quantulumcumque recreatus cœpit cogitare quid agere deberet: si patrimonio contentus temporali, laicalem, an Ecclesiasticam expeteret dignitatem. Cúmque duobus mensibus in tali versaretur conflictu, famulum domus suæ taliter alloquitur: Eia, inquit, Sisime, dicito mihi, si homo dum liber esse dignoscitur, & permare securus in libero potest arbitrio, implicare se debet in diuersis & multis ac caducis seruitiis? Respondit Sisimus. Existimo & verè fateor, nobilius quemcumque facturum esse, cui facultas est, esse liberum quàm seruum. Et Dominus: optimè, inquit, respondisti. Hanc quippe sequi volo regulam. Te autem & omnes quibus præfectus sum dimittens liberos, cætera volo vendere, pauperibus eroganda. Quod statim incipiens agere, infra duas hebdomadas totum patrimonium vendidit, & omnia pauperibus erogauit, atque Monasticam deuotissimè suscipiens vitam, secularem funditus dereliquit.

*Eius pater ab Arrianis interficitur.*

*Patrimoniũ suum erogat pauperibus.*

*Iulianus Apostata Mõnachos militare iubet.*

Interea Constantio Imperatore defuncto, Iulianus Apostata suscepit Imperium, qui crudelitates exercens, multos Monachos etiam militare iussit. Quod vir Domini audiens, furentis diaboli, & inuidentis cognouit astutias, atque continuò Euangelicam protulit sententiam, dicens. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Crescente autem rabie fœuientis Apostatæ, præfatus vir nobilis, dissimulato habitu, nauigium expetiit marinum, quasi in Thebaidem iturus. Sed quia conspexit, quod in Thebaide persecutio maior excitanda erat, eò quod illic copia Monachorum esset, formidauit illuc tranimeare. Quin potiùs Occidentales partes eligens, nauim quandam ingressus, Massiliam vsque peruenit, vbi cum Saluiano eruditissimo Presbytero, aliquandiu commoratus, Lirinẽsem vtique petagrauit Insulam. In qua vno anno conuersatus, cuncta quæ ei acciderant, patri Vincentio, viro doctissimo ac disertissimo Presbytero narrauit, & fratribus.

*Venit Lirin. S. Domitianus.*

Quo in loco persecutionem audiens, quam fugerat, aduenire: Arelatem apud Dominum Hilarium Episcopum aliquantulum commoratus, aduenit. Cum quo aliquo conuersatus tempore, Iulianum insequutorem suum diuino audiuit apud Persidem gladio interiisse. De qua re vtcumque securus, & à præfato venerabili Episcopo, ex sua conuersatione admodum dilectus, secundùm Ecclesiasticos ordines Presbyter ab eo est ordinatus. Ac deinde humanos declinans fauores, petita benedictione australes expetiit partes, Eremiticam ducere vitam magis eligens, quàm ciuilem. Verùm audiens beati Eucherij sanctitatem Episcopi Lugdunensis inclytæ vrbis Galliarum: summa cum festinatione illum videre desiderans, Lugdunum ingreditur, eiusque voluntatem sciens Pontifex, tabulam etiam cum reliquiis sanctorum Chrysanti & Dariæ, super quam missas faceret, Eremitæ futuro pius pater dedit. Sicque Lugdunum egressus, quandam Eremum aggreditur, locum qui Axancia vulgò dicitur. Atque ibidem non adhuc multos commoratus dies, arctum constructi oraculum, & Pontifici memorato innotuit, vt eius iussu in honorem Sancti Christophori martyris dedicaretur.

*Item & ad S. Hilarium Arelat. Episcopum.*

*Ordinatur Presbyter.*

*Proficiscitur Lugdunii ad S. Eucherium.*

*Degit in Eremo.*

Interea dum ibidem conuersaretur seruus Dei Domitianus, ieiuniis & orationibus ac vigiliis, missarumque solemniis intentus, discipulos cœpit habere, qui eius arctissimæ vitæ cupiebant esse pedissequi. Sed cùm frequentiam aduentantium circumquaque residentium cerneret populorum, grauiter ferens, ad Dominum Eucherium repedat Põtificem, taliterque eum alloquitur: Pater venerande, non mihi videtur tumultuosus, cunctisque penè notus ille locellus, in quo habitare cœpi, aptus esse Monachis, maximè cùm aqua illic desit. Cui Papa piissimus. Vade, ait, & perquire vbicumque vis locum ad habitandum congruum. Sicque benedictione accepta, ad propriam reuertitur cellam. Altera verò die post laudes Deo redditas, & solemnia Missarum celebrata, cum discipulo suo Modesto nomine, contra Orientales partes iter arripuit. Qui fluuio qui Igneus dicitur, transito: in profundam Eremum sese dederunt, in confinio videlicet Lugdunensis territorij, in quibus locis antiqui falsi monetarij olim conuersati fuerant.

*De consensu S. Eucherij Lugdun. Episcopi locum mutat.*

Igitur circumcirca illos perscrutantes locellos, fontes repererunt irriguos. Inter quos vnum inuenientes maximum Bebronnæ indiderunt nomen, vnde vsque in hodiernum diem Bebronnensis dicitur ille locellus. Nocte verò illa in quodam specu se recludentes, hymnis & laudibus Deo peractis, fatigati ex itinere, quieti fessa dederunt membra. Circa mediam verò noctem, non valde soporato Dei famulo Domitiano, Dominus Iesus ei apparuit, clementique vultu eum alloquitur dicens: Domitiane athleta prudentissime, viriliter age, quia in omnibus sum tuus adiutor, eo quòd multos qui tuo exemplo nutriendi sunt in hoc loco sim filios recepturus. Sicut enim disposuisti heri in animo tuo,

*Apparet ei Christus.*



tuo, ita ædificare incipe. Cogitauerat namque serò supra collem, qui prædicto fonti eminet contra occidentem, qui quantulamcumque habebat planitiem, maximam facere cellam, iuxta viam verò hospitiolum paruulum propter pauperes. Expergefactus itaque Dei famulus, gratias egit Deo, qui ei prosperum suum nunciauerat euentum. Continuóque reuersus ad cellam, discipulos ex loco aptissimo, & maximè ex visione quam viderat, consolatur non modicè. Oratorium verò & hortos, ac vineam quam ibi construxerant, cuidam Presbytero commendantes, ad locum præuisum cum omni supellectili deuenerunt, atque ad habitandum infra biennium habitacula, & duo oratoria, vnum in honorem Sanctæ Dei genitricis Mariæ: alterum verò in honorem Sancti Christophori Martyris condiderunt, quæ etiam iussu Domini Eucherij Papæ Lugdunensis dedicata sunt.

*Cõstruit duas Ecclesias, vnam in honorem S. Dei genitricis: alteram in honorẽ S. Christophori Martyris.*

Cœperunt autem quædam Eremi loca excolere, semina iacientes: vberes fructus vnde recepere temporibus suis. Quadam autem die dum Domitianus Dei famulus cum fratribus quodam opere fatigatus, ad vicinum alueum, qui Albaronna dicitur, ad lauandum, causa refrigerationis venirent, & iam flumen fuissent ingressi: vulpes quæ callidum animal dicitur, sãdalia religiosi Dei famuli memorati, ore proprio laniare cœpit, atque corrosit. Quod vir Domini cernens ait: Domine qui Angelos fecisti, quique vermiculos condidisti, & omnia quæ suprà, infrà, & subter sunt formasti, te inuoco, vt hæc ferula ac genus illius, vlterius nos, ac successores nostros lædere non præsumat. Nec dum verba Dei famulus finierat, & bestiola illa ante oculos expirauit. Deinceps verò nullam læsionem genus illius in eodem loco facere præsumpsit vsque in hodiernum diem. Nam & cum gallinis illius loci sunt visæ postea iocari vulpes contra suam naturam agentes, sed nullam earum lædere præsumpserunt.

*Oratione vulpeculam interimit.*

Cœpit interea Dei seruus cum suis altiorem vitam ducere, ita vt ipse infra hebdomadam cibum sumeret. Nam & collata est ei à Domino potestas dæmonibus imperandi, & eos ab obsessis corporibus pellendi. Vnde & cum multum ab aduentantibus tædium pateretur, formidans humanos fauores (quos declinare nitebatur) secedebat clàm in profundam Eremum, Sabbatho ad nocturnas tandem vigilias reuertens. Cernentes autem eius discipuli, præ nimia eum abstinentia valdè debilitatum, pedibus illius prouoluti aiunt: Cur nos pater deserere niteris? aut certè cur non perpendis nos aliquos esse adhuc rudes? Quod si ex nimia macie decesseris, indocti, & sine pastore remanebimus. Discipulos nempe nimio afflictos dolore conspiciens, cœpit habere quotidianum vilissimum cibum, & illum vespertinum, & sic vtcumque refocillatus est. Visum est interea viro Dei, circa viam, sicut priùs cogitauerat, oratorium facere, & conuocatis discipulis ait. Necesse est, fratres, vt cum Dei miserentis adiutorio incipiamus vnum circa viam ædificare oratorium. Cui consentientes eadem die cœperunt fundamenta aperire, eaque alia die posuerunt. Ibi ex vicino conuocatis cœmentariis oratorium non adeò modicum ædificare cœperunt. Sed adueniente famis inopia, quæ tunc temporis Galliam tenebat aliqua per loca, panis etiam defecit seruis Dei, & eorum cœmentariis conductis. Quod vir Domini cernens, ait: Laborate fratres prout opportunum vobis videbitur, ego autem properabo ad seculum aliqua victui necessaria quæsiturus. Ascenso autem asello, venit ad vilam quæ vulgò Torciodus dicitur, atque dum ex more homines loci illius in clibano pridie panes coxissent, & ille prunas adhuc ignitas conspiceret: accluis intuitus infra clibanum, panem miræ magnitudinis atque insoliti candoris aspexit, foras cum baculo extraxit, & cunctis incolis prædictæ villulæ ostendit, ne fortè alicui eorum in obliuionem veniisset. Sed cùm nullus ex ipsis suum cognosceret esse, intellexit vir Domini ab eo qui panis est viuus, suis esse cœmentariis præparatum. Sicque continuo reuersus eis obtulit, dicens: Accipite fratres annonam nobis à Domino præparatam, ex quo videlicet pane sexdecim Monachi & quatuor cœmentarij, decem sunt pasti diebus affatim. Videbatur namque in eorum dum frangeretur manibus crescere. Ergo ex eodem pane dum iam quinque diebus essent refecti, pater sollicitus de discipulis ac cœmentariis, qui vtrique in oratorio ædificando erant intenti, rursus asello ascenso, seculum repetiit, victui necessaria mendicaturus.

*Abstinentia viri Dei, & potestas aduersus dæmones.*

*Humanas fugiens Laudes Eremi secretiora penetrat.*

*Aliquantulũ causa discipulorum rigorem abstinentiæ moderatur.*

*Diuinitus inuenit panẽ ad sustentandos Monachos & cœmentarios.*

Erat præterea quidam vir Latinus nomine, secundùm secularem potentiam nobilissimus, in prædio suo quod dicebatur pridem Colonia, à fonte, qui Colonno vocabatur trahens vocabulum. Sed hic vir cum esset potens & inclytus, voluit à nomine suo, fonti & villæ trahi vocabulum, id est à Latino fons Latinus, inde & villa Latiniacus, quæ nomina vsque in hodiernum diem & fons & villa retinent. Quadam verò die dum à iocis quos cum auibus facere solitus erat, reuerteretur, areæ suæ ventilatores conspiciens, illuc diuertitur. Sed & vxor eius Siagria nomine, religiosa matrona properat in occursum. Ibique dum fabularentur simul per diuersos amplexus, & frumenta diuersis aduentantibus venderent, supradictus seruus Dei Eremitanus cum asello aduenit, eosque ita alloquitur: Nobile connubium vita vobis & pax augeatur. Serui enim Dei viuentis in vicina Eremo degentes, miserunt me ad vos, sicut & ad cæteros nobiles, victui necessaria postulantes, præsertim cùm vnum oratorium velimus ædificare, & panis defecerit. Tunc ad illum Latinus; Cur, inquit, expetis, me tibi meum dare frumentum, cùm potiùs mimum te esse conspiciam, quàm seruum Dei? Domitianus respondit: O Dux inclyte, benè apertos oculos in me habuisti modo, cùm plus desidiosè & negligenter quàm expedit, viuam. Latinus autem, quia Arrianus erat, multumque de fide disputare cupiens ait: Ergo quia ministrum te dicis esse seruorum Dei commorantium in Eremo, dicito nunc mihi, qualem tenetis fidem. Domitianus respondit: fides si varia fuerit, variantes & leprosos gignit. Si verò solida & vniuersalis, solidos & absque vlla offuscatione, ad regnum cœlorum cultores suos perducit. Tunc Latinus: Quæ est solida & vniuersalis? Domitianus respondit: Ipsa est quam audiui à magistris meis Apostolicis viris, & quæ nunc multos habet insequutores Arrianos. Latinus ait: Quæ est? Domitianus respondit: Hæc est fides nostra, credere in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum. Deum patrem, eò quòd habeat filium: Filium, eò quòd habeat patrem, cui æqualis secundùm diuinitatem per omnia est. Spiritus verò sanctus ab vtroque procedens, nihilominus consubstantialis & coæternus est patri, filioque.

*Nota magnã S. viri humilitatem.*

*Disputatio viri Dei de fide, cum Latino Duce Arriano.*

*Vera & integra fidei professio.*

Has tres personas vnum fatemur Deum, quia vna Deitas, vna omnipotentia, vna est æternitas, indiuiduaque maiestas. Latinus ait: Ergo potestas

patris non est maior quàm filij? Domitianus respondit. Nequaquam, quia ipsa est potestas filij secundùm diuinitatem, quæ & patris, sicut Deitas & Æternitas. Tunc Latinus ait: Stultè dicis. Vis modò vt ego qui tantæ potestatis sum vir, adhuc puerulo filio meo quem cernis, omnem gloriam meam & dignitatem credam, quarum adhuc minimè dominari valet? Et si ego decedens & moribundus nolo illud facere, quantò magis omnipotens Deus pater filio adhuc tenero non suam omnem contulerit dignitatem? Domitianus respondit: O Dux carnaliter sapis, & secundùm carnem omnia iudicas. Nos autem credimus quia Deus pater per filium omnia fecit, sicut in Euangelio legimus: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Latinus iratus ait: Recede mime à nobis, quia mentiris. Cogitaueram namque, si rectè prosequutus fuisses, asellum tuum onerare frumento. Domitianus respondit. Si ego de fide bene sentio, & hæc vera sunt quæ sum prosequutus modò, in nomine vnigeniti Filij Dei per omnia coæterni & coæqualis Deo patri, hæc fana quæ ad culturam dæmonum fabricata sunt, corruant. (Erant autem circa aream duo excelsissima fana, quæ secundùm Gentilium ritum, in honorem Iouis & Saturni fabricata antiquitus fuerant, & licet occultè, tamen adhuc colebantur à ruralibus rusticisque hominibus.) Qua ruina peracta, statim terra contremuit, & post pusillum cælum cùm esset serenum nubibus obumbrari cœpit, deinde tonitrua mugire, magna fulgura coruscare, atque grando nimia cadere festinauit.

*Sancti viri iussu templa Idolorum corruũt, & alia miracula patrantur.*

Quod Arrianus vir conspiciens cum vxore, & liberis, ac omni famulatu, festinus cucurrit ad palatium suum, quod ex marmoribus magnisque silicibus erat constructum. Quod introgressus, cœpit cum coniuge, ac proceribus suis considerare: Cur, inquit, ad vocem tanti mimi rustici tanta Dominus voluit facere? Fana corruerunt, terra mota est, cælum tonitrua, grandines & fulgura dedit. An fortè vera putanda sunt quæ prosequutus est, vt Dei filius æqualis sit Deo patri per omnia? Siagria coniunx eius, prouoluta pedibus ipsius ait: Domine mi, si bene percontaris, inuenies vera quæ famulus Dei ille prosequitur, quoniam dum tecum loqueretur in area, vidi vultum eius quasi Angelicum, quod & indicare tibi volui vt considerares, sed accedente subitanea ruina non valui. Quapropter obsecro vt iubeas illum accersiri ad te, quatenus sana quam retinet doctrina, te instruat, quia nisi ita esset vt ille prosequutus est, tam grande miraculum minimè fieret. Cui Latinus, iube, inquit, intromitti illum. Quod cùm iussum esset, quæsitus per omnia officia palatij & minimè repertus, putatus est mortuus esse grandine & coruscationibus. Cuius cadauer dum perquireretur ad sepeliendum, reperitur Dei famulus illæsus in area cum asello, gyrans eandem aream proprio baculo, & riuulos ex procella conglobatos prohibens, ne triticum quod grando non læserat, riuuli contingerent. Quod factum est grande miraculum, vt ne vna quidem gutta quæ humanis potuisset oculis apparere, nec Christi amicũ tetigerit Domitianũ, neque aream sit ingressa, sed neque asellum. Quod cum conspexissent iuuenes illum perquirentes, suo nuntiauerunt Domino. Ille verò hæc audiens, coniugis ex parte fretus consilio, ita se promisit crediturum vti famulus Dei Domitianus credebat. Quem intromitti iubens, pedibus eius se prouoluit dicens: Ne irascaris serue Dei viuentis, quod mimum te vocauerim. Et quia vera te agnosco prosequutum esse de fide Trinitatis, ita credo vt tu. Tantùm obsecro, deprecare pro me & domo mea Dominum, vt auertere dignetur iram suam a nobis, quia veraciter credo Filium Dei æqualem Deo patri, coæternum & consubstantialẽ.

*Siagria Latini vxor videt vultum viri Dei, quasi vultũ Angeli.*

*A grandine & pluuia nõ tangitur vir Dei.*

*Latinus Arrianus ad fidem Catholicam cõuertitur.*

Dei famulus hæc cernens, gratias egit Domino dicens: Domine gratiæ tibi à fidelibus tuis innumerabiles reddendæ sunt, quia errore peruersos quos vis reuocare non desistis. Sicque propria leuauit manu Latinum flentem de solo, atque prout potuit, illum ac domum eius ab errore Arriano ad veram retraxit Catholicam fidem, adiutus maximè à supradicta matrona Siagria, quæ nobilis erat Catholica. Triduum verò apud eos moram faciẽs famulus Domini, commonuit eos, sinceriter tenere rectam fidem. Quem cùm maximis honoribus cumulare vellent, nihil aliud quæsiuit, nisi securitatem in Eremo, quantùm iuris eorum erat, & aliquam vineolam, ex qua posset ille, atque alij serui Dei post illum futuri, Deo offerre sacrificium. Tunc Latinus: Eremum quam quæris vsque ad petram quæ Artemia dicitur, à dextra seu læua sub integritate tibi credo, tantum vt per tuam ac tuorum sequentium licentiam, nos & posteri nostri venandi potestatem habeamus. Tunc Siagria: Domine mi, vineam expetit, dare illam possumus illi supra villam sitam quæ Vallis dicitur, quam Gontbado filio nostro dedimus, quia prope Eremum suã est, & dicitur deserta. At sicuti Deo decet offerri, optimum vinum reddit. Conuocato itaque Notario ac testibus, continuò factus est libellus ita continens. Dominis magnificis seruis Dei Domitiano, & sociis eius Eremitis Latinus & Siagria. Propterea quia serui Dei excelsi estis, ideò concedimus vobis iure proprietario res proprias nostras, quæ sunt in pagis inclytæ Lugdunensis vrbis Galliæ, & ex parte Bellicensis castri: hoc est vineam vnam supra villam quæ dicitur deserta, &c.

*Siagria Latini vxor fidelis & Catholica.*

*Multa bona tradũtur Domitiano & discipulis eius, à Latino & Siagria vxore.*

Igitur vir Domini Domitianus, recepto libello, oneratoque asello ad propriam repedare volens cellam, inuenit suos dormientes cœmentarios iuxta fontem qui dicitur Condemnans, famis enim inopia depressi ædificium reliquerant. Monachi ab altissimo monte reuersi, solitosque cibos non deferentes, cœmentarij ad proprias redire disposuerant domos. Quos cùm dormientes reperisset, ex parte illos cognoscens, excitauit eos dicens: Quid estis fratres quod agitis? Cur cœptum opus dereliquistis? An fortè virtus deficit? Cui protinus responderunt. Verum est, pater. Nam decem diebus pasti sumus pane abundantissimè quem nobis detulisti pridem, & vno supermansimus die sine victu, hoc est, sexta feria, esca verò deficiente, cœpimus reuerti ad domos proprias. Famulus quoque Dei Domitianus ait: Qualem putatis hodie esse feriam? At illi dixerunt: Sabbathum. Erat autem secunda feria. Tunc beatus Domitianus ait: Surgite, quia satis dormiuistis duobus diebus, reuertimini ad cœptum opus, Dominus enim largitus nobis vberrimè victui necessaria. Surgentes autem sequuti sunt senem: cœptumque oratorium ad calcem perduxerunt.

*Visitantur fratres à Latino & Siagria vxore.*

Quadam autem die Latinus cum Siagria coniuge Eremum petens, visitauit fratres. Videns verò conuersationem illorum, lætatus est valde, multaque eis largitus est dona. Sicque benedictione accepta, reuersus est ad propria. Interea cœperunt multi audientes eius conuersationem ad eum filios suos ad habitum Religionis suscipiendum mittere.



mittere. Oratorio quoque consummato, & à beato Eucherio Pontifice dedicato, cœpit strictè Dei famulus ibi ieiuniis ac vigiliis senile corpus domare. Et postquam quendam prudentissimum Ioannem nomine, patrem Monasterij constituit, quietem arripuit, multisque diebus ac noctibus in diuinis laudibus & orationibus perseuerans, Deo soli placere studebat. Cúmque in virtutibus succresceret, appropinquante iam fine dierum suorum, febre leui corripitur. Accersitoque patre Monasterij, cæteros quoque iubet adesse. Erant autem 25. Fratres: quibus præsentibus, sic eos alloquitur: Pacem sequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Ipsi verò appropinquate, & appropinquabit vobis. Cognoscite namque quia reuelante Domino, noui diem obitus mei, qui erit ipso de Calend. Iuliarum. Quibus verbis auditis fratres flere cœperunt dicentes: Et pater, cur tam cito nos deseris? Quibus ille ait: Non vos derelinquo filij, sed Deo potius commendare vado, date mihi osculum. Qui omnes osculatus dixit: Ipse qui pati dignatus est pro vobis, & pro omnibus, vos conseruare dignetur in suo sancto famulatu. Appropinquante igitur die Calendarum Iulij, iubet iterùm Abbatem adesse & fratres, sacraque missarum solemnia celebrari. Sicque diuino saginatus pabulo, coram cunctis discipulis, manibus ad cœlum erectis, ait: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Itaque cum hoc extremo verbo efflauit spiritum. Anima autem à corpore egrediente, tanta illic fragrantia & odor suauissimus ortus est, quantum nullus hominum in eodem loco sentire antea meruit, ita vt quidam fratres infirmi, vnus typo quarto, alij furunculorum & melancholica passione depressi, ex memorato odore repleti, sani facti sint. Tunc pater cum cæteris fratribus, prælibati patris corpus suscipientes, condigno honore in sarcofago præparato, non longè ab altari S. Genesij Martyris posuerunt, vbi Deo fauente vsque in hodiernum diem diuina ostenduntur miracula. Recipiunt ibidem cæci visum, claudi gressum, dæmoniaci curantur, & alia innumera per seruum suum Dominus facere dignatur miracula. Qui cum patre & Spiritu sancto in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Sub mortem suos fratres ad sanctimoniam hortatur.*

*Prædicit suũ obitum.*

*Ex odore emanante de corpore viri Dei sanãtur infirmi.*

*Item & ad eius sepulchrum.*

## N O T Æ.

Domitianus.] *De quo Martyrol. Rom. cum Baronio 1. Iulij. Nos eius gesta hactenus incognita, ex vetustissimis membranis descripsimus. Agunt præterea de eodem Petrus in Cat. lib. 6. c. 39. Trithem. de viris Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. c. 297. Vuionius tom. 2. Ligni vitæ. Hi duo posteriores dicunt Domitianum fuisse Ordinis S. Benedicti, vixisseque anno Domini 560. Sed manifestè errant: nam floruit tempore S. Eucherij Lugdunensis circa annum Domini 441. tempore Valentiniani Imperatoris. Et sic præcessit longè S. Benedictum, qui natus est anno 480. & instituit Monasticam disciplinam anno 517. & misit discipulum suum S. Maurum in Gallias anno 541.*

Cui Papa piissimus Eucherius.] *Antiquitus Episcopi etiam Papæ vocabantur: nunc autem solus summus Pontifex Papa propriè dicitur propter excellentiam dignitatis, & potestatis plenitudinem.*

Typo quarto.] *Hoc loco Typus accipitur pro febre quartana.*

Furunculorum & melancholica passione depressi.] *Furunculus est tuberculum acutum cum inflammatione ac dolore in carnosis maximè partibus, vt scribit Galenus, prouenitque ex humoribus crassis. Dicitur autem Furunculus, quasi furtim nascatur. Melancholica verò passio dicitur nigra cholera; hoc est atra bilis, quæ sæpe in furorem agit homines.*

## *VITA SANCTORVM EVSPICII Episcopi, & Maximini Abbatis. Ex MS. Codicibus Bibliothecæ Monasterij nostri Ambert in agro Aurel.*

CVM Rex Clodouæus ab oppido Viridunensi pedem extulisset, & res regno suo dignas per loca opportuna & ciuitates ordinasset: ad Aurelianorum vrbem peruenit. In qua dum aliquantisper remoraretur, quodam die dum more Regibus solito alacritate vltra solitum vteretur: motus instinctu diuino, sanctum senem Euspicium, eiusque tam virtute quàm sanguine proximum aduocari iussit Maximinum. Cui & dixit: Nostræ quidem fuerat voluntatis, & vt putamus, Ecclesiæ vtilitatis, vt te doctore & duce frueretur ciuitas & populus tibi sanguine socialis. Sed quia ad hæc te traximus loca, forsitan voluntate diuina imperante, optamus te in his partibus locum aliquem eligere. Vestrum est ergo illud prouidere, nostrum verò erit prouisum ordinare.

*Clodouæi Regis liberalitas erga sanctos Euspicium & Maximinũ.*

Qua indulgentia viri sancti percepta, diligentissimè inuestigare cœperunt qui locus eorum votis esset commodus: scilicet vbi secreti compotes fierent, & menti semper amica silentia adipisci possent. Sed cum quod quærebant diuinitate fauente reperissent: sanctus Euspicius, qui sciret imminere sibi diem vocationis extremæ, non suo nomini tantum munus adscribi voluit, sed sub titulo nepotis sui beatissimi Maximini. Petente igitur Euspicio agrum Miciacensem sibi concedi cum paruula possessione quæ vocatur Cambiacus, & alia quæ vocatur Latiniacus, Rex libentissime annuit, ideo accitis commentariensibus & notariis publicis, solemnes conscriptæ sunt literæ. Cœperunt ergo sancti viri hunc locum incolere, & Ecclesiam & cellas Monachorum construere, adiuuante Rege, & Præsule Eusebio, qui basilicam sacrauit, & dedicauit in honorem Sancti Stephani, & eodem die Diaconum ordinauit Maximinum, & postmodum eundem Sacerdotem & Abbatem præfecit. Post quæ omnia, biennio cum fælici nepote suo Maximino beatus Euspicius in terreno habitaculo corporis commorans, extremam sortitus diem ad Dominum fæliciter migrauit, cum obitum suum longè ante prædixisset.

*S. Maximinus nepos B. Euspicij.*

*Eusebius Episc. Aurel. Diaconus & Sacerdos ordinatur S. Maximinus.*

Post obitum B. Euspicij, sancto Maximino ægerrimè ferente solitudinem suam, & calamitatem maximam, venerabilis Eusebius Pontifex, eius viscerum dolorem blandioribus & dulcioribus cœpit mulcere verbis, & postmodum eum præfecit Abbatem. Iam verò prædictus Domini famulus Maximinus in locis sibi attributis non immemor necessitatis fraternæ iussit magnopere impendi curam agriculturæ: ita scilicet animum intendens contemplatiua vitæ, vt tamen non negligeret eorum curam, quibus etsi non præesse, prodesse tamen affectabat. Cuius labori Deus reddidit vicissitudinem. Nam locus Cambiacus vberrimos eodem anno rei frumentariæ contulit fructus.

*Abbas constituitur.*

Cumque memoratus atque piissimus vir propter necessitatem fratrum idem frumentum ad Monasterium deduci iussisset, impositum est plaustris, quorum subuectione ad Ligerim vsque deueheretur, & inde nauibus imponeretur. Cum autem naues super imposita onera suscepissent, & à litore

fune

fune ſoluto aliquantiſper nautæ ſe fluuio credidiſ- A ſent: ventus validus atque contrarius ex aduerſo eis occurrit, & tempeſtate non minima excitata, vndis hinc inde irruentibus, & naues in diuerſa iactantibus, ſpes eis omnis ſublata eſt vitæ, & ſola tam nauis quàm & rerum, necnon & hominum expectabatur iactura. Forte autem Monachus quidam ſancti viri dum ripæ fluminis ſuperſederet, & tranſeuntes ſpectaret, periculum imminere vidit, curſu rapidiſſimo Monaſterium repetiit, & naufragium Abbati nunciauit. Qui conſueta in Domino fiducia fretus, fratres conuocat, & ad orationem hortatur. Nec mora, piæ fidei effectus conſequutus eſt. Nam integris nauibus, conſopitis fluctuum voluminibus, abſque vllius rei detrimento B portum Marogili appulerunt.

*Oratione S. Maximini & fratrum, naues tempeſtate iactatæ ad portum perueniunt.*

Tunc igitur circa ripas Ligeris quidam eminebat cliuus, in cuius ſupercilio vaſtum ſpecus profunditatis nimiæ patebat. Qui locus quondam lupis & bubonibus cæteriſque ſimilibus ſui tenebroſitate domicilium pandere conſueuerat. Hic verò tabo & putredine congeſtarum ab habitantibus carnium, ſerpens tantæ excreuerat immenſitatis, vt vix eodem caperetur foramine, niſi & ſui corporis mole anguſtiam dilataret ſpeluncæ. Qui cum primum tumentia colla flammataque lumina foras cœpiſſet oſtentare coactus (vt diximus) arcta habitatione, flatu flammifero, & fœtore nimio, quæcumque erant circa Ligerim paſcua fœdauit, C agroſque in eodem circuitu, ſui importunitate cultoribus vacuauit. Aues etiam deſuper volantes eius anhelitu interemptæ decidebant ad ima, naues per Ligerim commeare gaudentes, ſimul cum nauigantibus ſortiebantur naufragia: quod virum Dei clamore perſtrepente hominum latere non potuit.

Denique auxilium diuinæ pietatis implorans, conuocatis ſecum quibuſdam fratribus, ad hoc ſpectaculum cernendum ſimul ire cœpit. Cumque vir Domini Maximinus oſtio appropinquaret ſpeluncæ, perſenſit ſerpens cæleſtis poteſtatis fortitudinem ſibi inimicam affore, ſeſeque furibundus & tumidus cupiens occultare, in ſpeluncam cona- D batur redire. Quod fratres qui cum ipſo erant, non ſine tremore poterant ſpectare. Quos ille increpauit de puſillanimitate & parua eorum confidentia. Itaque accepto minimi ignis paruiſſimo torre, & ſigno Crucis antepoſito, ſcrobi iniecit, qui ex ſui paruitate in tantos flammarum globos excreuit, vt totam vaſtitatem illius repleret antri. Qua aduſtione anguis in cineres ſolutus eſt, vt deinceps nullum eius corporis veſtigium inueniri potuerit. Et non ſolum ſerpentem deleuit: verumetiam eadem flamma ita ſpeluncam mundauit, vt quæ fuerat quondam habitatio ferarum: poſſet tunc fieri gratiſſima ſtatio hominum.

*Ingentẽ draconem veneno ſuo omnia infectantem interficit.*

His itaque & aliis quamplurimis virtutum inſignibus ſanctus Domini perſpicuè ornatus, tranſacto poſt iſta biennio, ſentiens ſe iam vocari à Domino, fratribus accitis, eos ad charitatem hortatus, monuit eos cauere à ſuggeſtionibus inimici, ſicque eos deoſculans, plenus virtutibus, & ſanctitate, octauo decimo Calend. Ianuariarũ migra- *Migrat in calum.*
grauit. Sepultus eſt autem ad Septemtrionalem partem ipſius Monaſterij, ſuper ipſius antrum ſpeluncæ, è quo ſerpentem eiecit, ſicut ipſe fratribus olim præceperat, vbi operante clementia ſaluatoris, multis miraculorum ſignis diuinam virtutem multipliciter publicauit. De quibus illud non ſilendum ratum duximus. Quidam Dominus habens ſeruum corrigendum & vapulandum, cum fugiſſet ſeruus ille ad tumulum viri Dei, Dominus eius inſequens eum, præſumpſit ipſum de tumulo abſtrahere, vt vindictam in eum exerceret. Sed mox diuinam ſenſit iuſtitiam. Verum cognoſcens reatum ſuum, & veniam petens, tandem ad viri Dei ſepulchrum liberatus eſt. *Seruus ad ſepulchrũ viri Dei fugiẽs à furore Domini ſuti liberatur.*

*NOTÆ.*

Maximinus.] *De Maximino agit Mart. Rom. 15. Nouemb. Plura de eodem in Breuiario Eccleſiæ Aurelian. vbi legitur beatum Maximinum, tempore magnæ famis populo ſubueniſſe, atque miniſtraſſe. Meminit eiuſdem Carolus Sauſſeyus in Antiquit. Eccleſiæ Aurelian. Vulgò dicitur* S. Meſmin.

## *VITA S. AVITI PRESBYTERI ET Eremitæ. Partim ex egregiis MS. Codicibus Bibliothecæ Monaſterij noſtri B. Mariæ de Amberto in agro Aurelianenſi, partim ex D. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.*

AVITVS apud Aurelianos plebeio ex ſanguine ortus, parentes habuit humili loco natos. Mater eius patriam habuit Virdunum. Vt autem Aureliam proficiſceretur, inopia & egeſtas eam compulit, nupſitque illic cuidam Belſicolæ, cui peperit Auitum. Eo naſcente, ingens lumen in cubiculo apparuiſſe, certa religione compertum eſt; ita vt eo ſplendore obſtetrices ab officio ſint deterritæ. *Naſcente S. Auito ingens lumen in cubiculo reſplidet.*

Creuit inde puer, & cum infantiæ rudimenta exceſſiſſet, ad Mictianenſe Monaſterium aduolauit ſub beato Maximino Abbate. Cum autem tantæ eſſet ſimplicitatis & innocentiæ, vt nedum Abbati, ſed etiam omnibus obediret; quidam Monachi inuidia correpti, fatuum eum vel brutum appellabant. Habebat vero pro more partem ciborum ſuorum clam egenis impartiri, ſæpe detractis veſtibus illorum tegere nuditatem. Abbas itaque cæleſte in eo lumen conſiderans, tacitus illum amare cœpit, conſtruxitque ei cellam intra veſtibulum Monaſterij procul ab aliis, ne eius ieiunandi, & orandi aſſiduitas à fratribus vanæ gloriæ tribueretur. Quo tempore Cellarij ei munus demandatum eſt. Sed videns ſe impediri ab exercitiis orationis & contemplationis, quadam nocte cum inſeruiiſſet Abbati, cingulum cum clauibus colligatis cautè ad eius caput depoſuit, relictoque illo onere ad Calauniæ loca abditiſſima ſeceſſit: vbi cellam è vilibus texens virgultis, multis diebus delituit. De eius fuga contriſtati omnes Monachi ad inquirendum Auitum ſimul omnes profecti ſunt, tandemque repertum, ad Monaſterium precibus flexum adducunt, ſibique Abbatem, Pontifice iubente, conſtituunt. Verum ſub tanto onere ingemiſcens, turſum fugam meditans vir Dei, vno tantum puero comite contentus, vaſtas ſolitudines latiturus expetit. Erat quidam Eremi locus, nemoroſa fronde contectus, planeque abditiſſimus, in Pictiacæ ſyluæ fundo, quem olim priſca manus conſtruxerat, hederæque complexu horrebant culmina ſenſim diruta. Ibi ille vltro ſeſe in illud protrudit deſertum, exiguamque ex corticum fragmentis domum prouidus Chriſticola ſibi conſtruens, clandeſtinum amplectitur exilium, & diu multumque ruricolis ignotus, pomiferis dapibus, quas ſylua miniſtrabat, ſe ſuſtentabat. Per id tẽpus cum *Fit Monachus.* *Eius benignitas in pauperes.* *Latitat in ſolitudine.* *Creatur Abbas.* *Iterum fugit ad Eremum.* *Suſtentatur pomis & herbis ſylueſtribus.*



cum paſtor quidam fortuito caſu nocte veniſſet ad A cellam eius, (ipſe enim erat à longo tempore mutus) balbutiens & petens ignem, vir Dei in mediis denſæ noctis tenebris, cernens hominem tetra facie, deformi capillo, vilibus pannorum fragmentis ſemitectum, nonnihil perterritus, quod putaret aliquod immanis eremi monſtrum, videre, aut dæmonem ſibi apparere, mox ad orationis præſidia ſuo more confugit. Poſt preces à terra ſurgens, Crucis ſignum manu pingit contra hominem, ſicque eum affatur quis eſſet, & quid quæreret. Mox ad imperantis vocem inſontis lingua laxatur, voxque inter fauces renaſcitur: ſentienſque viri Dei virtutem, ad eius pedes ſe abiicit, immenſas agit gratias pro collata ſibi medicina. Ille vero de ſe humiliter B ſentiens, præcepit ne cui diceret miraculum; ſed præ gaudio non ſe potuit continere quin patri & fratribus Dei virtutem diuulgaret: vnde cœperunt multi morbidi ad eum confluere, qui ſanabantur omnes. Sed cum vir Dei immenſa populi multitudine premeretur, voluit nocturnis horis clam ad loca occultiora ſe transferre: ſed tam populi precibus, quàm Præſulum authoritate, vix tandem potuit retineri. Conſtruxit autem in eo loco inſigne Monaſterium, in quo in hunc vſque diem priſcorum patrum Pauli & Antonij inſtituta inconuulſa ſeruantur.

*Muto loquelam reſtituit.* *Item multos ſanat egrotos.* *Conſtruit Monaſt.*

Per id tempus vir Dei Aureliam proficiſcebatur, liberaturus miſeros, qui in ergaſtulis vincti tenebantur. Venit autem ei obuiam immenſa turba languentium, è quibus vnus paruulum filium à natiuitate cæcum obtulit, & ad pedes eius depoſuit. C Motus miſericordia vir ſanctus, ſignum Crucis ſuper oculos impreſſit, & confeſtim vidit. Nimis prolixi operis eſt cuncta annotare, quæ tum Aureliæ, tum aliis diuerſis in locis vir Dei effecit. Certè eius vrbis iudicum ſuperba poteſtas, viſis eius miraculis, adeo ei addicta fuit, vt ante omnia vincti, eo rogante, relaxati ſint.

*Puero à natiuitate cæco lumen reſtituit.* *Eius precibus vincti & incarcerati relaxantur.*

Non eſt autem ſilentio prætereundum miraculum, quod quidam Mictiacenſis Monachus, quem Sanctus Auitus ſpecialiter charum habuit, qui etiam in ſolitudinem cum illo profectus fuerat, D prætualidæ infirmitatis anguſtia grauatus obiit. Porrò beatus Auitus more ſuo procul ſeceſſerat in deſertum: cum ecce vnus è fratribus derepentè ei nunciat obitum illius. Ille hoc audito nuntio, celeriter quàm potuit rediens ad Monaſterium, & Eccleſiam ingrediens, more ſuo humi ſe abiicit, & Deum fuſius deprecatur. Surgenſque à terra, ſenſit diuina benignitate vitam Monachi ſui ſibi datam, defunctumque in nomine Dei patris ſurgere iubet. Ilico ſurgit qui fuerat mortuus, ſedenſque in feretro, omnia quæ ſibi eueniſſent, ordine explicauit, mirantibus omnibus Monachis tam ſtupendum miraculum. Porrò is qui excitatus fuit à morte, beati viri complexus dexteram, incolumis à feretro E ſurrexit, & cum hymnis ad cellam rediit, multiſque poſtea annis ſuperuixit. Fuit hoc miraculum à S. Leobino Carnotenſi Epiſcopo diu vulgatum, qui ſe ab ipſo ad vitam reuocato fratre id didiciſſe teſtabatur.

*Suſcitat Monachum mortuum.* *S. Leobinus Carnotenſ. Epiſcop.*

Quidam ex Dunenſi Caſtello acceſſit aliquando ad virum Dei, rogans vt poſt obitum ſuum, ſe in illis partibus, non multum à ſua habitatione remotis, tumulari permitteret, & quod Eccleſiam eius nomini conſtruerent. At ille ſe peccatorem aſſerens, & indignum, dixit corpus ſuum iuxta Aurelianum debere poni.

*Claret ſpiritu prophetico.* *Moritur vir ſanctus.*

Nec multo poſt vir beatus certaminis ſui victoriã A obtinuit, ſanctumque cælis ſpiritum reddidit. Vbi verò Aurelianenſes & Dunenſes de eius obitu certiores facti ſunt, propter ſacrum corpus ſibi vendicandum vtrimque arma capeſſunt. Verum ingruente bello, (Deo volente) quidam Leuſus, vir inſignis, ac ſumma poteſtate præditus, iurgantium lites dirimit, corpuſque ſalutiferum per publicum aggerem Aurelias deportari iubet. Tum verò Dunenſes magno dolore correpti, orant beati viri aliquas reliquias ſibi dari. Non potuit hoc negari petentibus. Accedunt ergo ſummi Sacerdotes, & cum tremore ſacrum corpus attrectantes, magnum reliquiarum munus conferunt poſtulantibus. *Decertatio pro S. viri Reliquiis.*

Ea tempeſtate Rex Childebertus, inclytus Fran- *Childebertus Rex de Hiſpanis triũphans S. viri precibus, ad eius honorem, inſignem baſilicam cõſtruit.*
corum Princeps, comparato exercitu Hiſpanias B ſuo addere volebat Imperio. Audita verò tanti viri fama, & quod ſepulchrum eius exigui parietes vallarent, cæleſti Regi votum integra deuotione nuncupauit, ſi incolumis in regnum ſuum Sancti Auiti interceſſione reuerteretur, ampliſſimam ſe ſuper eius monumentum baſilicam conditurum. Itaque in itinere multa quidem ab hoſtibus perpeſſus eſt, ſed quoties ei ſtructæ eſſent inſidiæ, toties Sancti Auiti interceſſione ab impendentibus periculis liberatus eſt: atque ita ſoſpes & triumphans rediit in regnum ſuum. Tum verò inſignem ædem, vt erat pollicitus, in loco ſupradicto extruendam curauit.

Refert beatus Gregorius Turonenſis Archiepiſcopus hoc de ipſo miraculum, in hunc modum. C Cum anniuerſarius aſſumptionis eius dies cum ſummo honore coleretur: vnus è ciuibus, aliis ad Miſſarum ſolemnia euntibus, accepto raſtro, vineam paſtinare direxit. Nec increpatus à multis, redire voluit dicens: Et hic quem colitis operarius fuit. Verùm vbi ingreſſus vineam, primo ictu terram aperuit: protinus retorta ceruice, facies eius ad tergum conuerſa eſt. Tunc tremens, ſpectantibus populis, cum fletu magno baſilicam ſancti ingreditur. Poſt paucos verò dies orans in eodem loco aſſiduè, directa ceruice conualuit. *Vltio diuina in nolentem ſancti viri feſtiuitatem celebrare.*

*NOTÆ.*

Auitus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 17. Iunij. Agunt præterea de eo Sur. tom. 3. Petrus in Cat. Arnoldus Vvion tom. 2. Ligni vitæ, Iacobus Moſander, Cornelius Graſius, Haræus. Vidi Breuiaria multarum Eccleſiarum Galliæ, in quibus fit de eo officium duplex vel ſemiduplex. Nos etiam multa collegimus quæ apud prædictos Auctores non habentur.*

## *VITA S. MARCVLPHI EREMItæ. Ex manuſcriptis Codicibus Eccleſiæ Meduntenſis.*

MARCVLPHVS oppido Baiocaſſinæ vrbis nobilibus parentibus oriundus fuit. Et cùm eſſet adoleſcens parentibus defunctis, inter Chriſticolas nutritus literis benè inſtruebatur & moribus. Hic itaque in adoleſcentia creſcens, cum tranſiret infantiæ ætatem, & conſpicuus in robur virile migraret, à Chriſtianis nimio diligebatur affectu. Qui cùm eſſet in triceſimo ætatis ſuæ anno, à ſancto Poſſeſſore Conſtantinæ vrbis Epiſcopo, Euangelium Domini ſequutus, relictis omnibus, proficiens in virtutibus, ibi ordinatus eſt Clericus. *S. Marculphi patria.* *Fit Clericus.*

Non multum verò poſt interuallum temporis, omnis Clerus, & populus eum ſibi prædicatorem fieri ab ipſo Pontifice expoſcunt. Tantam enim ei Dominus gratiam prædicationis contulit, vt nul- *Officium prædicationis ei imponit S. Poſſeſſor.*

lus esset,qui non illum ex affectu diligeret,& hunc esse verum Dei famulum acclamaret. Beatus verò Marculphus miles Christi, erat statura pusillus, aspectu Angelicus, sermone præclarus, opere sanctus,corpore nitidus,castitate integer,in gente magnus,consilio perfectus, fide catholicus, charitate diffusus, amator Christi Ecclesiæ assiduus: nullum momentum otiosum sectans, sed aut legens, aut meditans, aut retia manibus texens, nullum diem intermittebat, quod non occurreret ad obsequia danda seruis & pauperibus Dei. Quotidianis quoque diebus,prædicatione populum acclamabat, & monebat,vt ad prædicationem copiosa turba velociter festinaret. Ipse autem athleta Christi in ieiuniis & orationibus Domino seruiebat.

*S. Marculphus statura pusillus.*

*Catalogus virtutũ eius.*

In illis quoque diebus dum quadam nocte in stratu suo requiesceret,vidit in visu virum splendidum, Angelicum aspectum habentem, qui dicebat ei: Non tibi videatur durum aut laboriosum, surge, & perge quàm citiùs ad Childebertum Regem,& roga eum,vt de fisco suo Dominico,secundum dispensationem diuinam, tibi largiatur. Ne timeas, Dominus enim custodiet te, & viam tibi ostender,per quam securus eris. Tunc Sanctus Marculphus asinolum qui eum consueuerat vehere, ascendit, perrexitque vna cùm fratribus suis Cariulpho,& Domaldo, & peruenit vsque ad Regem in die festo. Gloriosus autem Rex, & Vvldregodis Regina, vnà cum turba procerum, cum Episcopis, & religiosa turba Sacerdotum, tunc in Ecclesia Missam expectabant, tunc beatus Marculphus vnà cum ministris suis ingressus est, & abscondit se in oratione procumbens. Erant autem ibi homines dæmonia habentes, & clamauerunt dicentes iterum atque iterum, parce nobis Sancte Marculphe. At verò Rex obstupuit, quia ignorabat quis esset,cui dæmonia voces acclamarent, & diligenter inquirere fecit,quisnam ille esset. Illi verò qui præsentes aderant, beatum Marculphum orantem inuenerunt, & interrogauerunt eum, si tu es ipse qui vocaris Marculphus? Ipse verò confessus est, & non negauit dicens: Ego sum. Dixerunt ei, Rex vocat te. Ille verò progressus est ad Regem. Et dixit Rex ad eum: Veni benedicte Domini, gratulemur in aduentu tuo. Ille autem respondit: Pax vobis. Iustitia & misericordia ministrentur tibi de cælo. Rex dixit Vnde est aduentus tuus? Ille respondit, de partibus Constantinis, vbi monitus fui in somno per Angelum Domini, vt venirem huc ad præsentiam vestram. Accessi vt clementiæ regni vestri nunciarem, vt congregandis militibus Christi, de fisco vestro Dominico aliquem locum opportunum concedatis. Rex dixit. Habes aliquam benedictionem? Ille respondit: Etsi indignus & peccator, Presbyter ego sum. Rex dixit. Habes alicubi iam transmeatum locum in quo te adiuuemus? Beatus Marculphus respondit. Est loculus optimus in pago Constantino supra littus maris, qui nuncupatur Nantus, prope Duolmionem,ipse annunciatus per Angelum Domini, vt ibidem cœnobium, in Dei nomine, ad congregandos Monachos construere debeam. Ipsam modicitatem pietas vestra nobis concedat. Rex Childebertus dixit beato Marculpho. Fac orationem super energumenos istos, & quicquid petieris impetrabis.

*Diuinitus admonitus pergit ad Childebertũ Regem.*

*Dæmones sãcti viri præsentiam sustinere non possunt.*

*S. Marculphus Sacerdotali honore fuit insignitus.*

Ipse verò sensit se virtutem habere, & continuò genua flectens, orabat dicens: Deus qui rubrum mare siccasti,& populum tuum siccis pedibus liberasti, Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui de Maria Magdalena septem dæmonia ejecisti, qui Apostolis tuis potestatem dedisti infirmos curare, claudos erigere, surdis auditum reddere, cæcis visum, dæmonia eiicere, mortuos suscitare, & quod gratis acceperunt gratis darent: libera hos famulos tuos, & famulas tuas. Et surrexit cum oratione, dicens: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, & fecit signum crucis super eos,& ceciderunt sicut mortui, & per ora & nares eorum crepuit sanguis,& erexerunt se sani,laudantes & benedicentes Dominum quotquot per orationem Sancti Marculphi fuerunt liberati. Ipse autem Marculphus indignum se esse dicebat. Tunc gloriosus Rex Childebertus, misericordia motus iussit instrumenta chartarum fieri,& manu propria annulo suo firmauit, & quod sanctus petierat, ad integrum fuit concessum & firmatum. Imperauit etiam Rex, vt quicquid deinceps beatus Marculphus vellet, ab illo sine vlla hæsitatione expetereť.

*Oratio viri Dei.*

*Signo crucis fugat dæmones ab obsessis corporibus.*

*Humilitas sancti viri.*

*Impetrat à Rege quicquid vult.*

His igitur ita gestis, Rex cum vxore sua, & vniuersa prole, se illius sancti viri orationibus commendans, atque obnixè vt sæpiùs eum reuiseret flagitans, tandem eum dimisit. Reuersus autem vir sanctus, locum excolere aggreditur. Construxit autem Monasterium aptum regulari institutioni, & congruum. Rebus denique intus & extra pia dispensatione apparatis atque dispositis, non paucos cum quibus vitam Monasticam duceret, sibi fratres asciuit, quos assiduè non solũ exhortationis piæ incitamentis, verumetiã diuinæ prosecutionis exemplis monebat, vt semper ardua & sanctiora sectarẽtur, quatenus de virtute in virtutem progredientes, Regem regum in Sion contemplari mererentur.

*Cõstruit Monasterium.*

Rursus & illud est operæpretium lectioni inserere, qualiter vir sanctus antiqui hostis præuenit insidias. Aliquando namque vir sanctus tempore quadragesimæ obseruationis imminente, Insulam quandam, cui vocabulum est Duolimonis, incomitatus expetiit, quatenus ibi per illud sacrum tempus quadragenarium, corpus rigidiùs solito macraret, & quo ab hominum remotior esset conuentibus,eo ad vigilias,orationes, ieiuniaque exercenda aptior,atque expeditior existeret. Sed quadam die dum ante aditum casulæ quam pro tempore sibi parauerat,hora fermè sexta residens diuinæ lectioni incumberet: ecce malignus spiritus infatigabilis humani generis aduersator, sperans eum pestifera fallere decipula,transformatus in fæmineam speciem, adest ante eum; clamitansque sese naufragam esse,atque casu illuc eiectam,prece lugubri supplicabat,vt eam & tecto tegeret,& cibo recrearet. Vir autem Domini,vt erat ad omnia prouidus, atque Christi gratia circumseptus, diabolicæ fraudis confestim deprehendens vestigia,librum quem tenebat deposuit, intransque cellulam, panem accepit, crucisque super eum signum depingens, si non phantastica, inquit, es fæmina, sume panem, quem porrigo crucis munitum signaculo. Sed cuius est inimicus, eius nomen nequaquam sustinere præualens,ilicò tanquam fumus euanuit, atque ex alta rupe sese in mare cum horrifico præcipitauit strepitu.

*Toto tempore quadragesimæ vitit solitarium.*

*Diabolus ei apparet in specie mulieris.*

*Signo crucis turpiter eum fugat vir sanctus.*

Iste enim vir sanctus his defensaculis circumseptus extiterat, quibus hostis huiusmodi Domino attestante facilè repellitur. Ieiuniis quippe & orationibus, cæterisque Christianæ militiæ exercitiis indefessus existebat. Nullis etenim aliis cibis, præterquam pane hordeaceo, crudisque vescebatur herbis: tunica denique qua tegebatur, saccus erat cilicinus,vestes autem aliæ veruecinæ pelles. Somnum verò quem solummodò lassitudo cogebat paulu

*Pane hordeaceo & crudis herbis vescitur.*

*Habet saccũ cilicinum pro tunica.*



tias rependit,atque eiusdem sancti viri ditioni eandem dimidiam insulam mancipauit. Construxit etiam beatissimus sacerdos ibi Monasterium, in quo fratres Christo famulantes constituit. Denique cùm B. Marculphus pauco tempore elapso, ad Monasterium quod primum construxerat regredi properaret, pater quidam Genastis nomine,filium suum rabidi lupi morsibus miserabiliter dilaceratum, atque iam morti proximum, ei obtulit, magnis postulans clamoribus quatenus ne moreretur puer,suis vir Deo amabilis precibus obtineret. Sed qui pietatis visceribus totus in Christo affluebat, quique ad subueniendum proximorum miseriis semper erat promptissimus, protinus Dominum oraturus in terram prosternitur: sed quanto terræ pronior, tanto cælo vicinior, mox vt surrexit de puluere, puer ab omni sanatus est vulnere. Magna circumstantibus oboritur lætitia, patri pro restituto filio, reliquis autem pro insperato miraculo.

*Nota sententiam.*

*Puerum à morsu lupi rabidi sanat.*

Cùm autem non longè suæ dissolutionis terminum, sancto reuelante spiritu, prænosceret affuturum, Regem Childebertum, priusquàm de hac vita migraret, adire decreuit, quatenus prædiorum donationes, quas cœnobiis multi fideles viri suarum pro salute animarum dederant,absque vlla posterorum calumnia inconcussè, & incontaminatè perpetualiter permanerent, regali astipulantur auctoritate. Igitur apparato commeatu,iter cœpit. Quas verò Christus Dominus per eum virtutes fecerit in itinere, non est commodum reticere. Nam priusquam Compendium castrum, vbi tunc Rex morabatur, peruenirет, super fluuium qui Ysara dicitur, veniens,vt paululum à fatigatione recrearetur itineris, in pratum quoddam diuertit. Ecce autem venatores Regis leporem canibus immissis insequebantur. Lepus autem per apertam camporum planitiem fugiens, iam iamque capiendus, mortem imminentem crebris flexibus differret, cúmque hinc & inde campis patentibus nullum euadendi prospiceret effugium, sub sancti viri confugit amictu. Vnus verò venatorum maximè superbus & ore immoderatus, ad eum accedens: qua temeritate, inquit, Clerice, venationem Regis inuadere præsumpsisti? Redde eam, alioquin mox meo gladio interibis. Vir autem Domini non periculum declinandi causa, sed vt illius qui homines saluat & iumenta, patesceret magnificentia, bestiolam dimisit. Canes verò qui ad eam capiendam circumstabant, ita affixi, rigidique effecti sunt, ac si non esset vitalis mobilitas.

*Liberat leporem à venatoribus.*

Is autem qui virum sanctum irreuerenter ac cõtumeliosè adortus fuerat, ex equo quem calcaribus instigabat corruens, est adeò in terram allisus, vt venter eius discussus, suis euacuaretur intestinis. Quo facto socij eius stupefacti, scientesque ob sancto viro illatam iniuriam, id illi contigisse misero, pedibus eiusdem beati viri aduoluti, vt iam morituro parceret implorabant. Sed qui semper ad miserandum potius quàm ad vlciscendum paratus erat, vbi semiuiuus iacebat protinus aduenit; manibusque propriis exta prominentia contrectans, suo loco recondidit. Vbi verò diutissimè incubuit orationi, sese de terra erexit, signoque super eum facto, qui penè exanimis tenebatur, incolumis effectus est.

*Vltio diuina in venatorem irreuerẽtius se erga virũ sanctum gerentem.*

*Sanatur precibus viri Dei.*

Rex autem è venatu rediens,vt audiuit quod factum fuerat, ad beatissimum virum festinus tendere cœpit. Vt autem eum prospicere potuit, maxima cum reuerentia ad eum accessit: atque vt eum

*Magno eum honore prosequitur Rex Childebertus.*

*Iacet super nudam humum.*

paululum super humum nudam iacens, capitique lapidem supponens carpebat. Taliter igitur Christi miles agonizans, omnes à se hostiles procul amouebat infestationes. Paschali denique propinquante festiuitate reuisere fratres deliberans Monasterium repetiit, eisque quod sibi contigerat expedito, omnes immenso repleti sunt gaudio, tum pro ipsius desiderato reditu, tum quia saluum & incolumem sibi diuina reddidisset eum defensio. Fama autem beati viri longè latéque dispergebatur, atque ad eum plurimi ex locis circumiacentibus concurrebant. Multi verò illius sancta conuersatione & doctrina accensi, vana penitus abdicantes, quæque habere poterant, ei afferebant, & vt subesse eius regimini possent, humiliter deposcebant.

*Multi ad eũ confluunt.*

Vir autem Domini libenter eorum annuens deuotioni, tanquam fidelis Christi œconomus, quæ sibi offerebant partim in recreatione pauperum, partim in redemptione captiuorum, partim etiam in cœnobiorum distribuebat constructione. Nam plura præter primum fundans, rebus eorum, qui ad ipsum confugiebant magisterium ditauit cœnobia. Venerabilis denique sacerdos Domini Domaldus, curis omnibus mundani negotij renuncians, ad beatum Marculphum conuolauit: cum quo beatissimus Marculphus, non post multum temporis, aliquandiu vitam Eremiticam disponens agere, Britannicæ regioni quandam adiacentem insulam, quæ Agnus vocabatur adiit; incolebatur autem eadem insula à paucissimis colonis, in qua etiam religiosissimus vir Helibertus nomine, nimiæ rigore abstinentiæ sese macerans, morabatur. Cuius tugurium vir Domini Marculphus cum B. Domaldo intrans, diu cum eo asperam contritionem corporis exercendo, vitæ speculatiuæ inhæserunt. Sed quantum qualeque in eadem insula Christus per sancti viri merita patrauerit miraculum,non silentio supersedendum.

*Plura construit Monasteria.*

*Viuit solitarius in Insula dicta Agnus.*

*Helibertus Eremita vir magnæ abstinentiæ.*

Aliquando namque piratæ plurimi ferè ad tria millia, ex inexhaustis scaturignibus gentis Saxonicæ prorumpentes, ascensis nauibus,cursu veloci, velis & remis accelerantibus, ad prædictam insulam deprædandam, atque depopulandam tendere cœperunt. Quod insulani qui non plures quàm triginta perhibentur fuisse,deprehendentes de longè, subito metu percussi, quid agerent, quodve confugium peterent, vtpote mari circumsepti, omnino nescientes, tandem salubri reperto consilio, pariter ad B. Marculphi cucurrerunt præsidium, atque eius genibus obuoluti, vt eis subueniret, questuosis implorant clamoribus. Quibus vir sanctus: Filij, inquit, forti animo estote,si meis monitis acquiescere vultis, arma constanter capescite, & animis intrepidis, hostibus ad resistendum occurrite. Spondeo enim vobis de ipsis affuturam victoriam. Nam pro vobis ipse pugnabit, qui quondam Pharaonem, eiusque exercitum magnifica contriuit potentia.

His igitur incitamentis animati, audacter ceperunt gladios, atque non sua, sed Dei confisi dextera, virique sanctissimi precibus, fortiter pugnaturi piratis occurrunt: fitque vtrimque congressus acerrimus, sed per Dei virtutem, & per beati viri obtentum, omnibus Insulanis illæsis, barbarorum paucis necatis, plurimisque absorptis gurgitibus, nullus superfuit, qui reliquorum casum suam reportaret in patriam. Audiens autem eiusdem insulæ Dominus, tot millia hominum per B. Marculphi suffragium consumpta, immensas Deo gra-

*Meritis & precibus viri Dei, Insulani obtinent victoriam contra piratas.*

vir ſanctus benediceret, ſupplex flagitabat. Benedicat, inquit, tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Denique cauſam ſui itineris Regi intimans, & à Rege Reginaque & cunctis ſuis optimatibus hoc impetrato, quod petierat, domum reuerſus eſt.

*Ægrotat.* Quoniam verò dies inſtabat, qua Chriſtus ſudores B. Marculphi reſpiciens, de hac corporeæ corruptionis imbecillitate, ad perennis incorruptionis ſanitatem eum migrare diſpoſuerat, modica tactus moleſtia, gaudens & exultáns ſuæ vocationis præſtolabatur horam. Inualeſcente denique languore, vicinum ſui exitus terminum præſignante, fratres vndique, multaque populorum

*Viſitatur à Laudo Epiſcopo Conſtãtienſi.* turba, inter quos etiam venerabilis vrbis Conſtantiæ Præſul Laudus, viſitandi ſtudio ad eum accurrit. Paſtor autem bonus blandè gregem ſuum conſolans, vtque ſancti propoſiti normam nullo modo deſereret admonens & exhortans, ſummo paſtori Chriſto ſupplicabat, vt quos ſacratiſſimi ſui ſanguinis effuſione redemerat, eos iugi protectionis munimine circumdaret. Tandemque oculis & manibus cælo intendens: Domine, inquit, Ieſu Chriſte æterni patris fili vnigenite, miſerere mei ſenis. Et ſi iam ſatis eſt tuæ pietati quod huc vſque tuæ militiæ caſtris interfui, merear deinceps diu optata libertate donatus, ciuium ſupernorum admiſceri conſortio.

*Migrat ad Chriſtum.* His dictis ſpiritum choris Angelicis ſociandum exhalauit. Dolent omnes, turbantur vniuerſi, fit luctus omnium qui aderant intolerabilis de abſentia tanti patris. Vir autem Domini Calendis Maiis hominem exuens, ſepultus eſt in Monaſterio quod priùs conſtruxit in loco qui dicitur Nantus. Cum eo etiam duo fratres, qui eodem tempore obierãt Cariulphus, & Domardus ſepulti ſunt in Chriſto. Poſt non modicum temporis denique interſtitium venerandus Eccleſiæ Rothomagenſis Pontifex Andoënus, cum Diœceſim ſuam circuiret cura paſtorali, deuenit in pagum Conſtantinum. Expetitus eſt autem eſt ab Hermino loci ſæpedicti Abbate, vt eundem locum viſeret, & corpus beati viri de loco in quo iacebat, alium in locum, quem ipſe parauerat transferret. Cuius petitioni prædictus Præſul annuens, locum adiit, & ad quod venerat aggreditur negotium. Sublato autem de tumulo viri ſancti corpore, licet conſumptis carnibus ſola cutis adhuc virtute Dei incorrupta hæ-

*Vultus eius diu poſt mortem viuidus, & incorruptus repertus.* reret oſſibus, tamen & ita viuidus apparuit vultus eius, ac ſi viuifico foueretur ſpiritu. Quod miraculum vt multis fieret notum, detectum manſit per triduum corpus. Beatiſſimus verò Andoënus præfatum popoſcit Abbatem, vt de ſancti viri corpore, tam pro ſui laboris compenſatione, quàm pro ſanctitatis deuotione cõcederet aliquid. Cui rei illi libentiſſimè conſenſit. Cùm autem apud ſe caput tractaret auferre, chartula huiuſmodi verbis exarata manu eius cælitus miſſa decidit: Cæterorum membrorum beatiſſimi Marculphi quod voles ſumito: caput autem eius ne tangas. Præſul igitur ſanctiſſimus huiuſmodi diuino interdicto à

*S. Andoënus corpus ſancti Marculphi transfert.* propoſito reuocatus, in loculo qui paratus erat ſumma cum veneratione beatiſſimi Confeſſoris reliquias condidit. Quo in loco crebrò patrata, virum ſanctum non eſſe mortuum, ſed vere viuere, teſtantur miracula. Nam ibi per beatiſſimi Marculphi merita, & viſum cæcitas, & auditum recepit ſurditas, omniſque à quibuſcumque languenbus procul eſt fugata infirmitas, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor, &

*Nota re miram.*

A gloria cum patre & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum. Amen.

## NOTÆ.

Marculphus.] *In antiquis exẽplaribus legitur Marculfus. De quo agunt Vvionius in Mart. Monaſtico 25. Aprilis, ſed Marcolphum mendosè vocat Trithem. de viris Illuſt. Ordin. S. Bened. lib. 3. cap. 54. Robertus Cœnalis de re Gallica lib. 2. Perioche 4. Vinc. in Speculo, lib. 22. cap. 11. Eius vitam habet Gazetus tom. 1. Floruit tempore Childeberti Regis Franc. anno Domini 670. Quotannis in eius feſtiuitatis die, plurimi languidi ipſum reclamantes, & implorantes miraculosè ſanantur, & præcipuè à morbo Scropharum, vulgò* Eſcroüelles. *Huius Sancti Reliquiæ à loco in quo iacebant, à Dunis ſublatæ ſunt, & in vineis prope Meduntam abſconditæ, à ciuibus quibuſdam repertæ, poſtea in Baſilica B. Mariæ in dicta vrbe, ſupra maius altare, vna cum ſociis in vita eius nominatis, honorificentiſsimè conditæ iacent, & à fidelibus piè venerantur.*

Ad Childebertum Regem.] *Fuit eius nominis tertius Rex.*

Et Vvldregodis Regina.] *De qua fit mentio in vita S. Carilephi, vbi vocatur Vltrogodis.*

In pago Conſtantino.] *Vulgò* de Contances.

Adiacentem Inſulam, quæ Agnus vocabatur.] *Hæc Inſula Britanniæ minoris, Gallicè vocatur* Agnelle.

## VITA S. SIMPERTI EPISCOPI. Ex MS. Codicibus.

*Natalis S. Simperti. Prima ætate ſe Eremiticam vitam amplectitur.*

SANCTVS Simpertus ex regali ſtemmate Francorum, Caroli, aliorumque procreatus, prima ætate ſe Eremiticæ vitæ, in loco qui Norbatum dicitur, in partibus Suntgayæ, circa ſuperiores partes Lantgrauiatus Alſatiæ, inter montana ſaxoſaque loca tradidit: vbi ab hominum ſegregatus conſortio, ſoli Deo vacabat, corpuſculum aſſiduis macerans ieiuniis & vigiliis. Neque ei defuerunt inſidiæ, & tentationes hoſtis humani generis, ſed ille omnipotentis Dei ope tanquam bellator fortis eas ſuperabat, & allidebat ad petram qui Chriſtus eſt.

*Multi eius magiſterio ſe ſubdunt.* Verùm poſtquam longo tempore in ſyluis delituiſſet, & iam idoneus factus eſſet ad eruditionem cæterorum; Deus volens ſeruum ſuum manifeſtare, eiuſque merita declarare, miraculorum ei gratiam tradidit: vnde multi eius magiſterio ſubdi cœperunt: quos ille benigne ſuſcipiens, ſecum admittebat, eiſque perfectionis viam demonſtrabat. Cum verò in dies diſcipulorum numerus creſceret, huic Eremitorio ſubrogatus, vt Abbas præfuit, ipſumque ſpecialibus, magniſque priuilegiis auxit, à Carolo magno datis. Creſcentibus eius meritis cùm idem Carolus Baioariæ principes perfidiæ pœna mulctatos domuiſſet, vti fide, & ſanguine iunctum in Epiſcopum Auguſtenſem, ſub modio latitantem Simpertum erexit. Factus Epiſcopus, nihil de priſtina ſua auſteritate remiſit. Eccleſiam Sanctæ Afræ reparauit, eique multa alia bona fecit: conſecrauitque maiorem Eccleſiam Auguſtenſem, eamque in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ dedicauit, in Vigilia S. Michaëlis Archangeli. Et ita poſtquam per ſpatium triginta annorum Eccleſiam ſuã ſanctè & laudabiliter gubernaſſet, vita & miraculis clarus obdormiuit in Domino. Succeſſu autem temporis cum Ioannes Cardinalis, huius ſancti vitam Fœlici Papæ attuliſſet, ſummus Pontifex viſis eius miraculis, eum in

*Opera Caroli Magni fit Epiſcopus Auguſtenſis.*

*Reparat Eccleſiam S. Afræ.*

*Migrat in cælum.*



*Catalogo Sãctorum adſcribitur.* in Sanctorum numerum retulit, permiſitque vt officium de eo ageretur.

## NOTÆ.

Simpertus.] *De quo Molan. in addit. ad Vſuard. 13. Octobr. Vitam eius compoſuiſſe fertur Agilbertus, Prior Cœnobij SS. Vdalrici & Afræ, in quo requieſcit hic Sanctus. De eodem agunt Belforeſtius in Coſmographia, in deſcriptione Ciuitatis Auguſtanæ. Petrus Crat. de Epiſcop. Germ. & Democh. de ſacrificio Miſſæ tom. 2. c. 35. à quo numeratur vndecimus illius Ciuitatis Epiſcopus. Migrauit anno Domini* 809. *Epiſcopatus ſui* 30. *Fuit nepos Caroli Magni Imperatoris.*

## VITA B. BERTHOLDI EREMITÆ & Martyris. Ex manuſcriptis Codicibus.

*Principes qui tempore Caroli Magni ſanctitate claruerunt. Vvighardus.*

CAROLO Magno imperante, fuerunt in Germania quidam Principes & Comites, qui morum & vitæ ſanctimonia, veteribus ſanctis patribus comparari poſſe viſi ſunt. Quorum vnus Vvighardus nomine, ædificauit Monaſterium Sancti Benedicti Lucernæ, primuſque Abbas in eo

*Dietlandus.* Monaſterio inculpatè cum fratribus ſuis vixit. Dietlandus etiam Dux Sueuorum, Monaſterium Eremitarum ingreſſus, Abbaſque in eo ſanctiſſimè

*S. Huldrichus. S. Bertholdus Comes omnibus relictis, fit Monachus.* cum ſuis vixit, multumque verbo & doctrina profuit. S. etiam Huldrichus eodem tempore ſanctitate claruit, qui antea erat Sueuiæ Princeps. Verumenimuerò Bertholdus Comes, magnarum opum vir, quaſi ſol relucens, virtutum radios emiſit. Qui cum bona ſua diſtribuiſſet pauperibus, vt pauper pauperrimum ſequi poſſet Chriſtum, in quodam Monaſterio in monte Ezelio conſtructo vitam Monaſticam duxit. Cernere erat alium hominem. O qualem! ô quantum mutatum ab illo! Delicias ægrè fert, & quæcumque humana vanitas vſque ad mortem amplectitur & amat, alta mente deſpicit

*Catalogus virtutũ eius.* propter Deum: in cuius virtute veteres pennas proiecit, & nouos mores aſſumpſit cælicola Bertholdus, cui tum acerrimis ieiuniis longos ſoles ducere, macris vigiliis incentiua carnis domare, continuis genuflexionibus veniam peccatorum impetrare, perdiu ſimul & pernox cura erat.

*Secedit in deſertum.* Interea cum tantis virtutibus polleret, ad perfectiora tamen aſpirare deſiderans, obtenta licentia commigrandi in ſolitudinem, è Monaſterio diſcedens, ad quoddam opacum & deſertiſſimum nemus apud fontem, qui noſtræ Dominæ vocatur, ſeceſſit: ibique breui & vili extructo tuguriolo ſolitariam ducebat vitam. Cumque in hac ſolitudine multos iam pertranſiſſet annos, inuidus, & hominum oſor diabolus, non ſufferens tanti viri ſanctitatem, duos ſibi ſimiles nequam & peruerſos ſuſcitauit latrones, qui cum quadam die per nemus

*Trucidatur à latronibus.* oberrarent, tandem ad cellam viri Dei peruenerunt. Gauiſi autem multum de hac inuentione, cum eſſent inimici Monachorum, ſimulque ſperarent pecuniam ſeu aliquid magni pretij apud eum inuenturos, eum crudeliſſimè interfecerunt. Corpus eius in Monaſterio Einſidelenſi delatum ibique ſepultum, vſque in hodiernum diem miraculis refulget.

## NOTÆ.

Beltholdus.] *Meminit eiuſdem Vvionius tom. 2. Ligni vitæ. Agunt etiam de eo Germanicarum rerum ſcriptores, floruitque circa annum Domini* 700.

## VITA S. PRINCIPINI EREMITÆ & Martyris. Ex Antiquitatibus Monaſterij Syluiniacenſis.

*S. Maura cũ filiis relicta patria venit ad S. Martinum.*

EVIT beatus Principinus filius B. Mauræ, nobiliſſimæ atque illuſtriſſimæ fœminæ, quæ diuinitus inſpirata, diuitias & honores mundi, patriamque Gothicam tunc Idolis deditam, vnà cum duodecim filiis ſuis relinquens, venit in Galliam ad Sanctum Martinum Archiepiſcopum Turonenſem, vt poſſet in Chriſtiana fide erudiri, & demum ſacroſanctum Baptiſmi Sacramentum ſuſcipere. Qui beatiſſimus Pontifex cum eam honorificè excepiſſet, & in fide confirmaſſet, & Idola abiurare feciſſet, tandem vnà cum ſuis filiis lauacro ſalutari eam abluit.

*Agrippinus Gothorũ Rex ſanctos perſequitur.* Interea Rex Gothorum Agrippinus audiens nouam hanc & admirabilem conuerſionem, valde iratus, ſtatim ſatellitibus ſuis præcepit, vt inſequerentur prædictos Deorum ſuorum contemptores, & vbicumque inuenirentur, abſque miſericordia crudeliter necarentur. Multi igitur multas regiones peragrantes, tandem diuerſis in locis primò decem occiderunt, partim apud Biturigas, Lemouicas, & Pictauos. Beatus verò Principinus qui ſolitariam vitam fuerat amplexus, prope fluuium

*S. Principinus viuit ſolitarius.* Oculi in territorio Borbonienſi, non longè ab vrbe Ericia, ab impiis ſatellitibus repertus eſt. Interrogatus verò quiſnam eſſet, audacter reſpondit ſe Chriſtianum eſſe, natione Gothum, baptizatumque fuiſſe cum matre & fratribus, à beato Martino Archiepiſcopo Turonenſi.

*Trucidatur à Regis ſatellite.* Tunc vnus ex ſatellitibus acrioris iracundiæ motibus ſtimulatus, amputauit impia ſecuri caput eius, quod decidens terræ, & inchoatæ laudi volens finem imponere, illud canticum reddidit, quod poſt benedicamus Domino, omnis fidelis homo dicit, ſcilicet, Deo gratias. Subſequitur autem huic laudabili miraculo, & illud mirabile factum, quod in beato Dionyſio credimus eſſe adimpletum. Nam

*Abſciſſum ſuum caput portat.* trunci beati Principini corporis dextera manus baiulat apprehenſum reciſum caput, & cadauer emortuum vadit, velut viuens, per longa ſtrata viarum. Tandem autem illud cadauer peruenit, Angelicis deductum manibus, ad Eccleſiam nomini Dei, Sanctique Petri conſecratam, vbi quidam cæcus nomine Macarius ſolito reſidebat: quem aduenientium eleemoſyna paſcebat. Audiens autem crebros aduenientis cadaueris paſſus, & animaduertens ſolo auditu frequentes ipſius Eccleſiæ oſtij propulſatus, interrogat ilico cauſam quam non valet videre, propter claritatem oculorum perditam. Accepto autem ſuper interrogatam cauſam reſponſo, & audito, quod Principinus eſſet, qui pro Chriſti nomine erat abſciſſo capite coronatus martyrio. Palpans igitur cæcus Macharius, notas ſibi Eccleſiæ oſtij fores referat, & vterque ſe non videns, inſimul in domum Dei intrat, iſte emortuus abſciſſo capite, iſte adhuc manens in cæcitatis caligine.

*Cæcus S. Martyris ſãguine liniens oculos viſum recipit.* Ad demonſtrandum autem ſancti martyris Principini meritum, dum de collo ipſius guttas ſanguinis palpando cæcus abſtergit, & veteranos cæcos ſuos oculos illinit, denegatum prius lumen recepit, & gaudens videre incepit. Manè autem facto ſepeliuit eum vt potuit, in vno eiuſdem Eccleſiæ loco, vbi per multos dies manens, multas per eum operatus eſt virtutes omnipotens Deus. Cuius feſtum celebratur 12. Nouembris.

NOTÆ.

Principinus.] *Præter MS. Syluiniac. Monasterij fusius agit de eodem Sebastianus Marcallius lib.6. Antiquitatum Syluiniac. vbi dicit asseruari sanctum eius corpus supra maius altare, in capsa tota figurata & historiata, referens quæ supra retulimus de vita ipsius. Ibi etiam in ingressu Ecclesiæ cernitur eius imago altitudinis vnius hominis portans caput in manibus, pingiturque cũ habitu Eremitico. Cuius translat. dies 6. Ianuarij celebratur. Clemens Papa VI. dedit Indulgentias omnibus visitantibus Ecclesiam Syluiniac. in festo Sanctorum Principini martyris, Leodegarij: itẽ martyris Maioli & Odilonis Abbatũ, quorũ corpora ibidẽ honorificè asseruantur.*

Filius S. Mauræ.] *Fuit & alia S. Maura virgo & martyr, cuius vitam infra ex Breuiario Eccles. Bellouac. describemus.*

*Ex antiquis Codicibus.*

## VITA S. SEBALDI EREMITÆ.
### Ex MS. Codicibus.

SEBALDVS Confessor dignissimus ac sanctissimus doctrina & sãctitate in Germania floruit. Is ex Regali prosapia ortus, Regis Daciæ fuit filius ac Reginæ castissimæ, qui votis & precibus à Deo hanc sobolem impetrarunt. Ab ineunte ætate disciplinis ac literis traditus: pro adipiscendis liberalibus artibus Parisios petiit. Cernere erat iuuenem progredi de virtute in virtutem, innocentia præditum, benignitate laudabilem, & denique omnibus exemplum bonæ conuersationis esse.

*Parentes eũ impetrant à Deo.*

*Mittitur Parisios.*

Cum igitur sanctus adolescens, tantis insignitus virtutibus, etiam eruditissimus euasisset: virgo eximia pulchritudine decorata, de Regum Francorum stirpe & familia, matrimonio ei iuncta fuit. Verùm cum semper castitatem coluisset, eandem vsque ad mortem conseruare voluit. Quare spretis omnibus mundialibus pompis, & paterno regno, sponsam elegantissimam nocte deseruit, & in longinquas partes secedens, Anachoreticam cœpit ducere vitam, extructo propriis manibus vili tuguriolo. Toto tempore quo in Eremo delitescebat, herbis & pomis vltro náscentibus famem sedabat: corpus cilicio & ieiunio continuo atterebat, & die noctuque in sacris hymnis & oratione versabatur.

*Despondet filiam de Regũ Francorum familia.*

*Sponsa relicta petit Eremũ.*

Eo sic viuente, cum post nuptiarum diem non compareret sanctus adolescens, sponsa cum omni domo conturbata & afflicta, patrem de hac re reddidit certiorem. Qui audita Sebaldi fuga, post gemitus & dolores simul repetitos, seruos suos ad eum quærendum misit. Illis igitur eum perquirentibus, per ciuitates & montium solitudines, cum non inuenissent (vtpote Deo eum occultante) ad Dominum suum cum mœrore redierunt. Interim vir sanctus in solitudine degens, Angelorum fruebatur consolationibus, cum postquam quindecim annos hominibus in horrida solitudine vixisset incognitus, diuino spiritu afflatus, peregrinationem Romæ suscepit. Vbi cum peruenisset, à Gregorio III. summo Pontifice honorifice susceptus, ab eodem ad Germanos prædicationis gratia directus Vvilebaldum & Vvinibaldum fratres, itineris comites habuit, & primò apud Longobardos, deinde Ratisponæ, doctrina & miraculis claruit. Postquam autem ad Christum multos conuertisset, amicam solitudinem repetens, apud Nurembergam in solitudine nemorum religiosissimam ac perfectissimã vitam vsque in finem exegit. Vbi præter doctrinam populo exhibitam, miraculorum gloria nominatissimus euasit. Tandem plenus dierum, ad oratorium fratrum, S. Martino dicatum Nurembergæ, vbi modo cœnobium Ordinis S. Benedicti ac Sancti Ægidij nuncupatum, peruenit; infirmitate & senio correptus, sanctissimè migrauit ad Christum. Cuius sanctum corpus ab indomitis bobus ad locum sepulturæ ductum; ibi insignis basilica in eius nomine extructa fuit. Quem postmodum summi Pontifices propter crebra miracula in sanctorum Confessorum numero aggregarunt: præcipuè Martinus V. Papa, eiusque festum per vniuersum orbem 14. Calend. Septembris celebrari iussit. Quamobrem apud Nurembergenses summo honore colitur: cùm Nuremberga præclara vrbs, meritis huius dignissimi patroni, augmentum in omni honore & gloria vbertim senserit.

*Coruscat miraculis.*

*Migrat.*

*In Sanctorum numerũ adscribitur.*

NOTÆ.

Sebaldus.] *Agunt de eo Petrus Cratepoleus de Episcopis Germaniæ, Vvionius lib. 4. Ligni vitæ in Tractatu de filiis Regum Monachis & Sanctis. Sed errare conuincitur, cum dicit eum vitam Monasticam in cœnobio S. Martini duxisse, cum ex eius vita fideliter descripta reperiatur eum senio & infirmitate correptum, & de morte diuinitus certiorem redditum, in dictum Monasterium aduenisse, vt sepulturæ corpus suum mandaretur. Agit de eodem auctor Chronici Chronicorum. fol. 162. Floruit circa annum Domini 716. Sanctum eius corpus Nurembergæ seruatur, vt scribit Primus Cabiloneus Episcopus, in Reliquiarum locis.*

Regis Daciæ.] *Dacia est regio in Scythia, quam quidam Thraciæ partem, quidam conterminam dicunt. Alij prouinciam citra & vltra Istrum esse autumant. Hæc (vt Ptolemæus scribit) à Septentrione parte Sarmatiæ, à Meridie Danubio terminatur, quam nonnulli Dalachiam magnam esse voluerunt. Cuius populi Daci, & Dacæ dicuntur. Dacia hodie diuisa est in Transyluaniam, Zyrserland, Rasciam, Septemcastram & Bulgariam.*

Ad Germanos.] *Germani populi dicti sunt à Germania regione. Hi antea Teutones appellabantur, à Teutono Deo eorum, quem terra ortum existimabant: postea Alemanni dicti sunt, ab huius Dei filio Manno. Germaniæ vocabulum nuper à Romanis additum: quoniam cum primum Rhenum deuictis Gallis transgressi fuissent, videntes eos & feritate animorum, & proceritate corporum, & colore flauo, forma præterea & moribus, & viuendi ritu Gallis simillimos, Germanos eos, hoc est fratres Gallorum esse existimarunt.*

## VITA S. GVILLELMI MONACHI.
### Ex manuscriptis Codicibus Monasterij nostri Auenion.

*Quindecim ann. in Eremo manet incognitus.*

*Pergit Romã, & à Gregor. II. summo Pontifice honorificè excipitur.*

BEATVS Guillelmus tempore Pipini Regis Franciæ natus est, de præclara Francorum progenie ex patre nobili, magnoque consule Theodorico. Mater generosa & nobilis Comitissa, dicta est Aldana. Ambo quidem de summis Franciæ principibus: qui Guillelmum puerum cum omni diligentia nutritrum, tradiderunt liberalibus disciplinis. Eruditum verò literis diuinis, & diuersis Philosophorum doctrinis, instrui curarunt in exercitiis militaribus.

*Clari natalet S. Guillelmi.*

*Degit in aula Caroli Magni Imp.*

Defuncto autem Pipino, Carolo eius filio commendatus est, vt ei ministraret. Qui cum aliquandiu Regi in mensa ministrasset: ita eidem placuit eius ministerium, quòd ob præclaras animi dotes, ab



ab eo Consulis nomen & consulatum, & in rebus bellicis primæ cohortis principatum acceperit. In illis diebus Sarraceni à partibus Hispaniæ pariter conglobati magnum perduxere exercitum, & ad partes Prouinciæ & Aquitaniæ properantes, Regnum inuadere conabantur Caroli, magnasque Christianorum strages faciebant. Cum hæc nunciata fuissent Carolo magno, inito consilio, Guillelmum promouet ad Ducatum. Qui Comitis & Ducis gloria sublimatus, fuit inter Principes primus, & secundus à Rege. Omnium igitur consilio factum est & sancitum vt ipse expeditionem in barbaros susciperet. Congregatoque magno & forti exercitu, Septimaniam ingressus, & Rhodano transuadato, ad vrbem Arausicam agmina disposuit & castra, quam Sarraceni cum Rege eorum Theobaldo iam occupauerant. Fugatis verò & penitus deletis Sarracenis, hanc ciuitatem fecit famosissimam, & in ea diu habitauit.

*Sarraceni deuastant Prouinciam & Aquitaniã.*

*Fugat Sarracenos B. Guillelmus.*

Pace vndique habita, cœpit se totum diuinis rebus mancipare. Sacerdotes magno honore prosequebatur, pauperes recreabat, & de Monachis specialem curam habebat. Venit autem ei desiderium ædificare Monasterium in loco deserto. Fuit ergo ei voluntas ad excelsa montana Lodonensis territorij procedere, ingressusque per arctam viam & scopulosam, subitò occurrit ei inter ipsas montium crepidines, parua quædam & inculta planities, vndique rupibus constipata, nemorosis circumquaque arboribus obumbrata, riuulo viuentis aquæ per medium defluente. Hic locus Vallis Gellonis antiquitus dicebatur. Constructo autem celebri Monasterio, illud specialiter B. Mariæ Dei genitrici dedicauit: duasque sorores eximia pulchritudine decoratas, quarum vna Albana, altera Bertana vocabatur, de earum voluntate & deuotione, Moniales constituit. Cum autem ob necessitatem ingruentem Carolo Regi necessarius, in Galliam redire cogeretur, & absolutis omnibus negotiis pro quibus fuerat aduocatus, desiderium quod à multis annis conceperat de sæculo deserendo, tandem Regi manifestum fecit, obnixéque rogauit, vt eum dimitteret abire ad deserta de peccatis pœnitentiam facturum. Rex hęc audiens nimio dolore confectus, rogabat ne eum desereret. Sed videns eius animi constantiam, licentiam abeundi concessit, & in signum amicitiæ dedit ei magnam partem de vero ligno S. Crucis.

*Multo in honore habet Sacerdotes.*

*Cõstruit Monasteriũ, vbi sorores suas moniales reponit.*

*A Carolo magno datur ei magna portio ligni S. Crucis.*

Igitur multis eleemosynis erogatis, relicta Gallia, Aluernicum pagum ingreditur. Cumque ad vicum qui Briuata dicitur deuenisset, & hospitio exceptus fuisset, perrexit ad orandum ad templum S. Iuliani Martyris, vbi deuote prostratus, diuque lacrymatus, oblatisque sancto altari diuinis muneribus, etiam de armis suis fecit oblationem, obtulitque ad Martyris tumulum, galeam & clypeum, qui vsque hodie conseruatur; foris verò extra templum ad ostium, pharetram & arcum suum, ingensque telum, & versatilem gladium: iterumque prostratus ad tumulum, rogauit sanctum Martyrem vt ei perseuerandi gratiam impetraret: iisque peractis gaudens processit ad Monasterium quod ædificarat, iamque tunc nudis pedibus incedebat, indutus ad carnem cilicio. Cum autem appropinquaret Monasterio, facta fuit ei solemnis processio, ductusque ad orationem, obtulit lignum S. Crucis, & sanctas reliquias quas Carolus Imperator eidem dederat, multa insuper pretiosa ornamenta, & calices aureos & argenteos: factusque est Monachus anno octingentesimo sexto, imperante Carolo, in die natali Apostolorum Petri & Pauli: omnemque obedientiam in cunctis minimis & vilibus officiis adimplere curabat. Habebat consuetudinem centies in die, & centies in nocte, ante altaria genua flectere, & ob memoriam passionis Christi, se acerrimè flagellari faciebat. Cum die quadam panes coquere deberet, & hora tardior esset, furnum purgare cupiens, & scopam ad purgandum paratam non habens, eundem scapulari purgauit, ingrediens in clibanum accensum, cineresque manibus expulit, & tam corpore quàm vestibus omnino inustus exiens, coctos panes sine mora fratribus asportauit. Aqua frigida & solo pane multo tempore vsus est, & in cella diu solitarius mansit: erat enim magnus silentij amator. Clarus spiritu prophetico obitum suum longè ante præsciuit, migrauitque 5. Calend. Iunij. In hora autem sui transitus, repentè per omnes maiores & minores Ecclesias magnus & insolitus clangor campanarum factus est.

*Fit Monachus S. Guillelmus.*

*Centies per diem & noctẽ vacat genuũ flexionibus.*

*Illæsus in clibanũ accensum ingreditur.*

*Eo moriente campanæ sine vllo hominũ adiutorio pulsantur.*

NOTÆ.

Guillelmus.] *De eodem Vvionius in Mart. Monast. 5. Iunij. Petrus lib. 5. c. 61. Marulas, & alij recentiores. Vitam eius ex MS. Codicibus Monast. nostri Auenion. descripsimus, eamque prolixiori stylo protensam contraximus.*

Septimaniam ingressus.] *Vulgò Septimania dicitur* Languedoc.

Ad vrbem Arausicam. ] *Hæc ciuitas vulgò dicitur* Aurange.

## VITA S. SIBERTI EREMITÆ.
### Partim ex antiquis monumentis Carthusiæ Bonipassus in Comitatu Auenionensi.

*Locus Carthusia Bonipassus primo Malipassus dictus.*

IN finibus Comitatus Venaysini, erat locus in descensu montis, inter quem, & Durentiæ alueum, modicum erat interuallum. Ibidem specus erat & antra, receptacula latronum, qui latrocinia, cædes, & mulierum oppressiones innumeras exercebant: ideo locus ille Malipassus vocabatur. Tandem diuina clementia virum sanctum Sibertum nomine, ab exteris nationibus in prædictum locum destinauit. Qui in dicti loci decliuo, Dei mandato, cœpit basilicam ædificare, in honorem Dei & B. Mariæ Virginis, cuius rei fama vbique conuolauit. Aduenium Domini prædiorum illorum, interdicunt opus. Vnus illorum furibundus instrumenta ædificantium rapit, in flumen proiicit. At S. Sibertus, flexis in litore genibus, orat, supernatat ferrum, hoc recipit sanctus vir, artificibus restituit, continuatur opus, tandemque perficitur, supradictis Dominis consentientibus.

*S. Sibertus in honorem Dei genitricis Ecclesiam construit.*

*Eius precibus ferrum supernatas.*

Cum vir Dei quadam vice eleemosynam peteret à quodam ventilatore in area, obtulit ille mulum indomitum soluendum à vinculo quo erat ligatus. Soluit S. Sibertus, & velut agno mansuefacto, animali vtitur. Viso miraculo, rusticus ei mulum dat, quo deinceps semper vsus est vir sanctus, ad ea portanda quæ sibi in eleemosynam ad ædificationem templi dabantur.

*Mulum indomitum reddit mansuetum.*

NOTÆ.

Sibert.] *Quemadmodum mihi fuit missa præsens historia, talem tibi reddo candide Lector, dolens non mediocriter integram non accepisse vitam. Porrò qui mihi supradicta miserunt, etiam monuerunt plura reperiri posse de beato Siberto in libro Fundationis Carth. Bonipassus impresso, quem librum multi adhuc viuentes habuerunt & lege*

*& legerunt. Insuper in operibus Domini Vasquini Philieuli quondam Canonici Auenionensis, de rebus supradicti Comitatus, plura de Siberto reperiri posse scriptum est mihi. Sed prædictos libros nondum videre contigit. Est hic Sanctus magno habitus in honore in prædicta Carthusia.*

## VITA SS. CANNATI ET AYGVLphi Episcoporum & Eremitarum.

S. Cannatus ex Anachoreta creatur Episcopus Massilien sis.

VIT Sanctus Cannatus natione Græcus, regiæ stirpis, qui adolescens factus, mundi vanitatibus valedicere cupiens, relicta patria, venit in partes Occidentis, & in Prouincia Anachoreticam vitam duxit. Cuius fama sanctitatis cum vbique vagaretur: tandem diuina disponente gratia, ad Episcopatum Ecclesiæ Massilien sis quamuis inuitus promotus fuit, nihilque de prima viuendi ratione remisit, innumerisque miraculis claruit.

S. Aygulphus ex Anachoreta Arch. Bituric.

Sanctus Aygulphus, cum esset Monachus Ordinis Sancti Benedicti, postmodum secessit in Eremum, vbi per multos annos Angelicam vitam duxit. Postmodum verò Bituricensis Episcopus creatus sancto fine quieuit.

### NOTÆ.

Cannatus.] *Corpus S. Cannati Massiliæ quiescit. De translatione corporis ipsius Saulseyus Aduocatus Aquensis in libro de Indulgentiis Eccles. Massilien sis multa scribit. Præter Massilien sem Ecclesiam, eius festum præterea Ecclesiæ Aptensis, Tricastrinensis, Cauallicensis, octauo Octobris celebrant, vt ex earum Breuiariis constat.*

Aygulphus.] *Fuit electus in Episcopum Bituricensem anno Domini* 840. *Sedit per annum, & aliquot menses tempore Gregorij Papæ, & Lotharij Regis Francorum, & Caroli Calui. Quiescit in Ecclesia, vulgò dicta* S. Housdin, *Diœcesis Bituricensis, cuius festum celebratur vndecimo Iunij in prædicta Parrœchia. Fuit* 46. *huius sedis Episcopus, vt videre est apud Ioannem Chenu in Chronico Archiepiscoporum Bituricensium. Meminit præterea eiusdem Democharez de Sacrif. Missæ tomo* 2.

## VITA B. IOANNIS DE MONTEmirabili. Ex MS. Codicibus Monast. nostri Suession.

B. Ioannes habitans in deserto monetur diuinitus ad S. Bernardum se conferre.

IOANNES Comes Montismirabilis (est autem Monsmirabilis ciuitas sita in Comitatu Briæ stadiis octodecim distans ab Agendico altera celebris nominis ciuitate, quam alio, sed nouo vocabulo Incolæ Priminum nominant) tædio vanitatum sæculi, cum aulam opesque quas permultas possidebat in patrij soli desertum locum secedens, reliquisset, ac ibi per septennium corporeis impendisset vexationibus, audita diuinitus magni Bernardi Clareuallensis fama, qui tunc temporis Gallias Benedictini Ordinis reparationem promouens peragrabat: ad eum cœnobiticæ vitæ incensus studio noui Monasterij in Nouiadensi sylua fundamenta locantem profectus est, Monastici habitus petitione insitam humilitatem proditurus.

Ab eo itaque discipulorum gregi ascitus, tam claris statim futuræ sanctitatis emicuit portentis: vt dignus etiam qui præesset cæteris haberetur. Cum aliquando moraretur in Monasterio Vrsicampi, & B. Bernardus visitationem faciens audiuisset magnam eius austeritatem & abstinentiam, (sæpius enim fabas, herbas, cum pane nigerrimo, nunquam autem vel rarissimè pisces, ad cibum adhibebat.) Quod admirans D. Bernardus volens experiri vtrum tanta abstinentia ex spiritu Dei procederet: cùm in vicino flumine piscis captus fuisset; hunc beatus Bernardus coctum Ioanni misit, præcipiens vt illum in virtute sanctæ obedientiæ comederet. At beatus ille qui in obedientia promptissimus erat, non solum comedit piscem integrum, sed etiam omnes aristas & ossa; vnde cum omnes propinquam eius mortem expectarent, ne minimum quidem sensit dolorem, diuina eum protegente gratia.

*Vulgò dicitur Orcam.*

*Nota singularem viri Dei obedientiam.*

Beatus autem Bernardus supra id quod credi poterat admirans mirabilia quæ circa seruum suum Ioannem Deus operabatur, eundem quamuis renitentem Longipontis Abbatem ordinauit. In cuius fabricam nondum absoluto opere, villas, prædiaque omnia cum permultis angustæ ditionis vrbibus ac oppidis erogauit. Hanc autem præfecturam non suo ambitu quæsitam tanta prudentia ac lenitate gessit: vt innumeri ilico ad eius regimen vndequaque confluerent. Inter multas autem virtutum eius præclaras dotes, humilitas eminebat præcipuè. Nam dum ad agrorum sationes, messesue, aut frugum collectiones cum suorum agmine progrederetur: obuios leprosos oris osculo excipiebat, suis humeris in cœnobium gestabat, curabat, demum sanatos eius meritis, benedictione ac pecuniis iuuabat.

*Fit Abbas Longipontis.*

*Singularis eius virtus humilitas, & charitas erga pauperes.*

Cum aliquando oppidum à se Monasterio concessum, cuiusdam annui redditus percipiendi causa ingressus esset, & tumultuantes rusticos conciliare conaretur, illi iracundia perciti, omnes canes in eum immisere, ac saxis appetitum, iniuriis etiam scommatibusque prosciissum recedere iusserunt. Ille verò in genua prouolutus ac fusa oratione, canum morsibus ac lapidum imbribus se obiecit inermis, Deum pro aduersariis precaturus. Qua eius oratione factum est, vt nec canum feritas, rabiesque illum attingere, nec saxorum eiaculatio ferire potuerint.

*Nullo modo canum morsibus læsi potest.*

Cum filius, cui vnico Montismirabilis Comitatum ac Baroniam Esternensem legauerat, eum aliquando illac transeuntem offendens, vi in aulam reductum, à claustri horrore futilibus verborum lenociniis & blandimentis abducere conaretur, ac nisi acquiescceret, habitu Monastico confestim à suis exuendum minaretur: facta oratione, caligine, ac nebulis castrum, cæcitate verò filium, ac aulicos eius percussit, quibus tamen veniam exorantibus indulsit: multosque ex eis regulari vitæ illectos addixit. Alia vice cum ad Vrsicampum proficisceretur vt S. Bernardum inuiseret, Suession. puellam quandam Auinam nomine grauiter à dæmonio vexatam, liberauit. Longum esset recensere singula eius miracula, quia tanta sunt quod magnum codicem conscribere opus foret, qui ferè ducenta folia contineret. Demum B. Ioannes sanctitate & miraculis conspicuus circiter decimo quarto ab obitu diui Bernardi anno, senio grauis, apud Longipontis cœnobium ex hac vita migrauit: cuius è tumulo liquor instar lactis candidi, diu postea ad ægrotorum medelam manauit. Et nunc etiam die festo eius abundanter emanat, vnde multi ægroti & obsessi sanantur.

*A proprio filio multa indigna patitur.*

*Sanat dæmoniacam.*

*Migrat feliciter.*

### NOTÆ.

Ioannes.] *Librum vitæ eius ducenta folia continentem, asseruari didicimus in Bibliotheca Monasterij nostri Suessionensis. A quodam autem Monacho eiusdem Monaste*



*Monasterij, hoc fragmentum recepi.*

Comes Montismirabilis.] *Vulgò Monsmirabilis dicitur* Montmirel.

Longipontis Abbatem ordinauit.] *Hoc Monasterium Gallicè dicitur* Longpont.

## VITA S. ANGELI EREMITÆ ET Martyris, Ordinis gloriosissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ de Monte Carmelo.

Ex peruetusto quodam Codice manuscripto nuper Romæ quasi diuinitus reperto, bona fide, fideliterque descripta, & excerpta anno Domini 1601.

## PROOEMIVM B. ENOCH PATRIARchæ Hierosolymitani in vitam S. Angeli Carmelitæ & Martyris.

*Auctoritas huius Historiæ.*

ENOCH seruus Dei & Domini nostri Iesu Christi, miseratione diuina Patriarcha Hierosolymitanus, venerabili Ecclesiæ Orientali, Occidentali, Meridionali, atque Septentrionali, omnibus Catholicis, & fidei orthodoxæ subiectis, salutem, pacem, ac sempiternam benedictionem.

Vobis quàm fideliter & veraciter scripsimus passionem glorioissimi martyris, dignissimique Eremitæ Sancti Angeli, ciuitatis Hierosolymitanæ, Ordinis Eremitarum Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, cuius passionem & obitum nostris propriis sumus oculis intuiti, atque vidimus, necnó propriis manibus palpauimus. Nos ergo fragiles, & sanctorum virorum minimè vestigia imitantes, vtpote S. Athanasij Episcopi Alexandrini, & Hieronymi Presbyteri Cardinalis, sanctissimi ac sapientissimi Doctoris, qui eorum virtute & sanctitate, vitas, & passiones multorum sanctorũ virorum scripserunt, necnon aliorum doctissimorum hominum Christianissimorum, qui dictas passiones notare voluerunt; pariter & nos eorum exemplis memorati S. Angeli vitam & passionem scribere, & in memoriam reducere voluimus. Magno ac arduo amore, immensaque charitate, sanctitatibus, & beneuolentiis vestris dictam passionem memorati S. Angeli intimantes, verum funditus narrantes, quod vidimus & audiuimus, nolentes penitus mentiri, cum qui mentitur, Salomone testante, occidat animam, & alibi scribente. Perde omnes qui loquuntur mendacium. Et Dominus in Euangelio, de omni verbo otioso in nouissimo iudicio rationem reddituri sumus. Igitur veritati ipsi inhærentes, vidimus, & audiuimus nunciationem natalis beati Martyris voce viua à sanctissimo Nichomede Patriarcha Hierosolymitano prædecessore nostro, præfati Angeli patre spirituali, ac etiam aliorum sanctorum virorum fideli testimonio dignorum, qui vitam præfati S. Angeli, quem ob eius merita sumus cæli conditor sibi contulisse videtur, eiusque miracula, ac merita, quæ Deo omnipotenti sibi fauenti, omni solertia peragebat, fuitque diuinus homo Gerasinus Archiepiscopus Nazarensis, præfati Angeli martyris socius, atque Ioannes Archiepiscopus Cæsarien sis, & Petrus Episcopus Ascalonensis, quæ est Bethleem. Fuerunt autem sanctissimi, ac honestissimi viri Eremitæ montis Carmeli, atque alij sanctissimi homines, qui cum

*S. Nichomedes Patriarcha Hierosolymit. spiritualis pater S. Angeli.*

A Sancto Angelo societatem habuerunt, qui eius vitæ testimonium perhibuerunt veritati, sancta Synodo præsente Hierosolymitana, coram sanctis Patribus ibidem existentibus, & approbantibus, nemine discrepante numero verè 32. videlicet Athanasio de Claromonte Patriarcha Alexandrino, Ioanne Archiep. Duracensi, Andrea Archiepiscopo Nicomedien si, Ioanne Archiepiscopo Cretensi, Luca Archiepiscopo Thessalonicensi, Paulo Archiepiscopo Colossensi, Alexandro Archiepiscopo Necosien si, Petro Archiepiscopo Tracensi, Petro Archiepiscopo Ioronensi, Ioseph Archiepiscopo Tyrensi, Philippo Archiepiscopo Patracensi. Item Ioanne Episcopo Athenien si, Iuliano Episcopo Veronensi, Paulo Episcopo Lydensi, Cassiano Episcopo Syndonensi, Nerairio Episcopo Buicenensi, Sixto Episcopo Penadensi, Petro Episcopo Tyberiadensi, Helia Episcopo Ioppe, & Iaffæ, Andrea Episcopo Ascalonensi, 1. Gatha, Pelagio Episcopo Neapoli, 1. Sichen. Athanasio Episcopo Montis Thabor, Georgio Episcopo Ierabolensi, Andrea Episcopo Gabulonensi, Ioële Episcopo Anterabensi, Petro Episcopo Impolitano, Georgio Episcopo Palphonensi, Paulo Episcopo Famagustanensi, Athanasio Episcopo Rages Medorum, Alexandro Episcopo Damascen. Thadæo Episcopo Scopiensi, Antonio Episcopo Stephan. Alexio Episcopo Cirgenensi, Georgio Episcopo Albanensi, Iona Episcopo Bendenensi, Petro Episcopo Dulanensi, Iacobo Episcopo Mexiensi.

*Episcopi qui Synodo Hierosolymitanæ interfuerunt.*

Vnde præfatus S. Angelus gladio peremptus, diem sui obitus in Insula Siciliæ, in quadam terra quæ Lecatta nuncupatur, finiuit, Agrigentinensis Diœcesis. In cuius obitu ego Enoch præsens fui, atque sui societatem numquam deserere valui. Qui prædicans veritatem contra Berengarium de Pulcella sorore sua turpi incestu cognoscente, à Deo missus vt nefandissimum scelus eradicaret, ab eo per Iesum Christum fuit sibi mors nunciata, & à S. Ioanne Baptista confortatus, à quo suas sanctissimas Reliquias in Italiam portauerat, videlicet brachium, & tibiam, reseruatas per sanctum Iuliani Apostatæ, vna cum capite S. Ieremiæ, & cum brachio S. Catharinæ virginis, & tibia S. Georgij, & imagine quam Sanctus Lucas Euangelista depinxit, ad petitionem S. Theclæ Virginis, S. Pauli Apostoli discipulæ. Quas reliquias Alexandrinus Patriarcha Athanasius de Claromonte nobili suo fratri Gederigo de Claromonte per eum miserat.

*S. Angelus Reliquias S. Ioannis Baptistæ, & aliorum sanctorũ in Italiam detulit.*

## VITÆ HISTORIA.

*Patria & parentes S. Angeli.*

FVIT quidam Iesse nomine Hebræus, incola Hierosolymitanus, habens vxorem, Maria nomine; ambo ex progenie Dauid absque aliquali redargutione Deum timentes, omnibusque diebus eorum vitæ legem diuinam obseruantes, ac ieiuniis & vigiliis Deum orando vacabant; quatenus Deus omnipotens eis deberet manifestare, vtrum verus Messias in lege promissus iam venisset, an venturus esset. Quamobrem Iesse & Maria sæpissime ad Nicodemum Patriarcham prophetam pergebant, eumque super hoc consulebant, tamquam Catholicum & fidelem Dei amatorem, & animarum quæ sese dabant sanctæ legi, atque sanctorum prophetarum dictis & documentis. Et vna dierum, scilicet 24. mensis Martij prope festum azymorum, Iesse & Maria in terra prostrati, atque

rigido cilicio induti, Deo immortali vouerunt, numquam de terra surgere, nec quicquam bibere atque comedere, donec æternus pater veritatem fidei Catholicæ eis manifestaret, vtrum esset verum id quod Patriarcha eis latius explicaret.

Stantes ergo illi in magno fletu & amaritudine per totam noctem, vsque ad horam sextam, videlicet die Veneris sancti, viderũt Virginem Mariam Christi Iesu matrem, magno Angelorum cœtu visibilium comitatam, vbi vterque prostrati iacebãt. Quæ ait. Frater & soror de domo Dauid, ex qua nempe, vt ego, sit vobis certum quod sum Maria Virgo mater Iesu Christi, veri Messiæ in lege Dei promissi quantum ad diuinitatem, veri hominis quantum ad humanitatem assumptæ carnis à me Virgine eius matre. Qui Spiritu sancto conceptus est absque humano semine. Igitur ô frater mi Iesse, & tu soror mea Maria, tota mente credere debetis quod Nicodemus vobis mandauit de sancta fide Christiana. Ilico Iesse & Maria capite de terra prouoluto Virgini matri dixerunt. O Mater Dei & gratiæ, quid pro salute nostra agere nos expedit? Tunc respondit Virgo beata. Recedatis hinc, & ad templum vbi diuinum officium celebratur, attingere non tardetis per prædictum Patriarcham, & dicatis quæ vidistis, & meam apparitionem narrate, & confestim videbitis in manibus dicti Patriarchæ filium meum Christum verum Messiam, & cras in mane sacrosanctũ baptisma accipere ne differatis, quo mediãte possidebitis regnum æternum, & in veritate dico, ô Iesse, quod Maria vxor tua concipiet à te 20. die post Pentecostem duos filios masculos, & illi qui primus nascetur impone nomen Angelus, & ille erit martyr pro veritate dicenda. Secundo verò impone nomẽ Ioannes, & erit iste Patriarcha Hierusalem, qui erunt duo candelabra, & duæ lucernæ ante conspectum Domini. His igitur dictis Virgo Dei disparuit.

*B. Virgo Maria apparet parentibus S. Angeli.*

*A beata Virgine conceptio & nat. S. Angeli parentibus prædicitur.*

Ilico Iesse & Maria surrexerunt, & cum omni festinatione ad sanctum templum Domini accesserunt, ad quod nullus alius Iudæus, aut Paganus accedere poterat. Intrare verò volentes, Templi custos cognoscés illos esse Iudæos, subito inde repellere eos nõ est veritus, Christiani verò qui aderant illic cum vidissent duos Angelos sanctos eos associantes, dixerunt Iesse & Maria, nos volumus effici Christiani, dimittatis nos ad Sanctum Nicodemum ire, & cum magna Christianorum societate in sanctum templum intrarunt, atque coram Patriarcha pauimento irruerunt, & ibi erat fere totus populus, & adstantes ibi cœperunt narrare eis beatæ Virginis Mariæ matris Iesu Christi visionem visibiliter visam, ac etiam præceptum eis ab ea ore suo sanctissimo factum. Quapropter ipse Patriarcha Deo, & Virgini gloriosæ gratias retulit immensas, illos verò non modica charitate, scilicet Iesse & Mariam recepit, & omni affectione spirituali, & etiam catheruminari eos iniunxit, præcepitque modicum ab altari residere, vt officium audirent, & quæcumque fienda viderent ad laudem & honorem passionis Iesu Christi Domini nostri, atque viderent omnes accipere more solito corpus Christi, Patriarcha enim cum esset dies Iouis sancta, & vellet, vt moris est, signum Crucis facere cum Eucharistia super calicem, Iesse & Maria viderunt oculis propriis visibiliter Christum in forma humana ætate perfecta, in qua erat dum mortem passus fuit. Aliqui perfecti Domini serui, eo modo, & ea hora eos vidisse similiter attestati sunt, qui erant numero triginta, qui totum pura conscientia Patriarchæ explicauerunt. Omnes vnanimiter mox gaudio percepto summæ bonitati Iesu Christi gratias egerunt de tali apparitione eis impensa. In Sabbatho sancto aqua sacri baptismi facta & sanctificata, præfatus Patriarcha, Iesse & Mariam interrogauit quid de fide crederent Christiana. Et cum vidisset eos perfectos pura mente & corde, prout sancta Romana tenet Ecclesia, baptizauit eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, toto populo respondente, Amen. Postea verò ex corpore, & sanguine Christi communicati sunt.

*Catheçumeni fiunt parentes S. Angeli.*

*A S. Nicodemo Patriarcha baptizãtur Iesse & Maria parentes S. Angeli.*

Iesse igitur iuit ad domum quandam, quæ fuit S. Annæ matris beatissimæ Virginis Mariæ, in qua nata fuit, vbi nunc Monasterium est fratrum Eremitarum Ordinis Sanctæ Mariæ de monte Carmeli. Maria autem ad montem Sion, vbi est Monasterium monialium Ordinis S. Basilij, & hoc fecerunt ex Patriarchæ præcepto, & quod ibi moram facerent vsque ad Pentecostem cum illis sanctissimis personis, postmodum eorum domum adire deberent. Quod præceptum cum omni humilitate & charitate obseruarunt, confitendo semel in hebdomada peccata sua, & corporis Christi communionem à manu Patriarchæ sumendo. Celebrato autem die Pentecostes, & corpore Iesu Christi accepto de manu Patriarchæ, Iesse & Maria habita licentia, ad eorum domum perrexerunt.

Iuxta verò Dei præceptum Iesse cognouit Mariam vxorem suam, & concepit tempore accepto, scilicet nouem mensium, & peperit duos filios masculos, prout Virgo Maria eis nuntiauerat. Post octo dies pueri fuerunt Patriarchæ memorato præsentati, & baptizati sunt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Primogenitus vocatus fuit Angelus, secundus verò Ioannes, prout à beata Virgine nunciatum fuerat, quos Iesse & Maria cum omni solertia nutrierunt, & Patriarcha etiam cum summa dilectione eis prouideri faciebat de necessaceriis alimentis, tam filiis, quàm parentibus. Et sciatis, quod hi duo infantes in eorum vita tantæ ordinationis & virtutis existebant, quod numquam cibum & lac sumebant, nisi præuia magna corporali necessitate. Et postquam annũ quartum compleuerunt, Iesse & Maria eorum parentes, ab hoc miserabili seculo transierunt. Et quia eis visus fuit Angelus bonus Dei, dies suos extremos annuncians in die Sanctorum Petri & Pauli deuotè & humiliter confessionem suam pergerunt, & Sacramentum Eucharistiæ sumpserunt per manus prædicti Patriarchæ. Postmodum cum mortui essent, Patriarcha eorum corpora cum omni honore, omnique deuotione sepeliri fecit in præfata Ecclesia, Angelus autem & Ioannes deportati fuerunt in domum præfati Patriarchæ, quos eruditi iubet scientia, boniſque moribus informari, & eos addiscere fecit Grammaticam Græcam, & Latinam, & adeo bene fuerunt eruditi, quod à septennio ad decimum octauum annum, ita valentes censebantur, vt nihil supra.

*Nascuntur S. Angelus, & Ioannes, fratres.*

*Abstinentia Angeli & Ioannis dum vbera adhuc matris fugerent.*

*Moriũtur rum parẽtes.*

*Optimè eruditi curantur in lingua Græca & Latina.*

Verum cum Patriarcha cognouisset dies suos nouissimos claudere debere; vocauit Angelum & Ioannem, quibus hæc explicauit. Filij charissimi, ego in breui tempore ex hac vita sum recessurus, vos igitur gratias Deo agite, qui vos in suorum numero elegit. Rogo autem vos vt deuotam aliquam regulam eligatis, vt in aliqua Religione approbata Deo seruire possitis. Cui Angelus & Ioannes dixerunt. Regula Sancti patris Basilij perfecta

*Eligunt institutũ Carmelitarum.*



perfecta est, & laudabilis: sed nos animo nostro statuimus Regulam obseruare, quam S. Albertus fecit Carmelita Patriarcha prædecessor vester annis iam elapsis 412. vbi habitant fratres Eremitæ Montis Carmeli, & in ea Religione cum benedictione vestra volumus Deo seruire, & virgini gloriosæ eius matri.

Patriarcha hæc audiens, innuit eis, & ad id agendum intimauit. Præfatus igitur Nicodemus Patriarcha à domo propria recessit, & omni solicitudine, & humilitate ad præfatum Monasterium Sanctæ Annæ perrexit vnà cum Angelo & Ioanne, Prioris quæsito nomine, Hieronymus vir magnæ auctoritatis, & potestatis, & sanctitatis, & reputationis in ciuitate Ierusalem cum erat Prior. Quo reperto, eum rogauerunt, vt in illam Religionem sanctam eos, scilicet Angelum & Ioannem recipere vellet, ac ibi humiliter Deo seruire. Habito autem consilio fratrum cum dicto Priore, ad honorem summi Dei, & gloriosæ Virginis Mariæ matris suæ, cum omni honore, & humilitate, & deuotione recepti sunt in fratres Ordinis Eremitarum de monte Carmeli, secundum Regulam S. Alberti Patriarchæ. Post annum autem probationis regulæ, cum licentia Prioris, gressus suos in montem Carmelum direxerunt, maiorem abstinentiam quam Regula præciperet volendo seruare. Ordinatio eorum vitæ cum licentia Prioris fuit, à festo Sanctæ Crucis de mense Septembris vsque ad festum Paschæ ieiunare in pane & aqua. Feria verò 2. 4. & 6. nihil aliud sumebant nisi de fabis crudis, & mollibus. A Pascha verò vsque ad Pentecostem feria 4. & 6. in pane & aqua. Aliis verò diebus solum comedebant modicum caulium cum modico oleo, & modicum pomi. A Pentecoste vsque ad festum exaltationis S. Crucis, die Dominico, & die Iouis, comedebant cocta, aliis verò diebus panẽ & aquam. Numquam comederunt carnes, nec oua, nec vinum biberunt. Supra carnem nudam, camisiam ferream gestabant, postea verò vnam vestem laneam albam, & desuper aliam griseam, cum scapulari more Monachorum. Postea verò cappam albam cum friseo nigro, & hanc cappam gerebant in Ecclesia, & in ciuitate. Eorum dormitiones super tabulas septem libræ ferri appositæ erant. Tempore somni dormiebant induti, nec post religionis ingressum visi fuerunt à fratribus in lecto iacere. Et vltra debitum officium, semper genibus flexis totum dicebant psalterium. Hæc supradicta omnibus diebus vitæ eorum peregerunt in hoc miserabili mundo.

*Habitum Religionis Carmelitarum assumunt.*

*Nota magnã Angeli, & Ioannis abstinentiam.*

Vna die cum licentia Prioris, nomine Ieremia, frater Angelus, & frater Ioannes pro labore sibi iniuncto peragendo, iuerunt portatum lignum. Cum ergo Ioannes vnam arborem incideret, securis de manico exiuit, & in aquam cecidit in quodam fonte S. Heliæ vocato, qui profundissimus erat. Frater Angelus hoc viso, accepit lignum, scilicet manicum, & in aquam posuit, dixitque fratri suo Ioanni: Oremus Dominum & patrem nostrum Eliæum, vt nunc ita natare faciat super aquam securim nostram, veluti fecit tempore Prophetarum, & virtute eius magnæ sanctitatis. Facta oratione cum surgerent, inuenerunt ferrum cum ligno sicut prius erat. Hoc viso immensas Deo obtulerunt gratias, pariterque Sancto Eliæo. Angelus autem prohibuit fratri suo vt nulli viuenti hoc reuelaret. Sed Prior memoratus in sua camera orans vidit quandam visionem, scilicet quod propter orationem Angeli, Deus faciebat natare ferrum super

*Ad preces S. Angeli ferrũ supra aquas natat.*

aquas, prout faciebat Sanctus Elisæus, & istud fuit primum miraculum, quod Deus fecit per orationem S. Angeli. Et hæc suprascripta sunt dicta & relata per supradictum Nicodemum Patriarcham Hierosolymitanum prædecessorem nostrum. Ego verò omnia prædicta attestor, quia à pueritia semper fui in domo præfati Patriarchæ conuersatus. Postquam verò Religionem ingressus sum, vidi alia multa, & infinita signa & miracula præfati S. Angeli. Dimissis illis quæ fecit Deus instantibus orationibus fratris Ioannis eius fratris, quæ operata sunt in sancta Religione, & eo existente Patriarcha Hierosolymitano prædecessore nostro, vbi etiam pro postulationibus miraculorum beneficia exhibere non desinunt. Mortui quoque quatuor vitam receperunt. Paraclyti quoque 20. adepti sunt sanitatem. Leprosi verò 19. cutem receperunt mundam, cæcique quinque lucis restituti sunt sanitati. Plurimi etiam à dæmonibus vexati, & à variis sunt infirmitatibus liberati, meritis præfati sanctissimi Ioannis Carmelitæ, fratris prænominati Angeli.

*Ioannes frater S. Angeli claret miraculis.*

Nicodemo verò Patriarcha ab hac vita migrante, & ad gloriam cælestem reuertente, quidam frater nomine Stonobius Ordinis S. Basilij, vir magnæ sanctitatis, fuit in Patriarcham electus, & confirmatus, & cum essent quatuor tempora natiuitatis Domini, frater Ieremias dicti Ordinis Prior misit Angelum & Ioannem Zebedæum, & Thadæum Hierosolymam, causa se promouendi ad Ordines Sacerdotales. Præfati ergo fratres cum omni humilitate & reuerentia iter arripuerunt ad sanctam ciuitatem Hierusalem. Illis verò adiunctis versus ripam fluminis Iordanis, vbi S. Ioannes Baptista Dominum baptizauerat, repererunt flumen adeò exundatum propter nimiam aquarum copiam & pluuiarum, quod nauem demerserat. Nullo eis licebat modo transire, adeò quod ibi erant fere 70. homines qui flumen transire quærebant, nec poterant. Eo viso S. Angelus dixit circunstantibus: Precor fratres charissimi, vt omnes oremus, quatenus omnipotens Deus nobis gratiam præbeat, vt flumen istud transire valeamus. Et eis orantibus vna cum eo ferè per mediam horam S. Angelus iuit ad flumen, & dixit: ô sanctum flumen quod Dei mandato, per siccum populum Israëliticum transire fuisti, & per obedientiam retro cucurristi in meatus tuos, & Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei in baptismo recepisti, & per virtutem Dei patris, & filij, & Spiritus sancti, & per merita sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi, & per obedientiam nobis impositam, sta, & mane obediens, & firmum, tuumque velociter cursum cessa, vt nos, & isti deuotissimi Christiani transire valeamus immunes. His verò dictis flumen ex parte inferiori, suum velocissimum cursum retrocessit. Ex parte verò superiori, sicut planities aquarum ad instar montis firmissimi stetit, quod quilibet sicco pede transiuit per virtutem diuinam, & merita Sancti Angeli. Quo viso omnes maximam reuerentiam erga S. Angelum habuerunt. Quod miraculum diuulgatum fuit per totam Hierusalem, & totam patriam. Et cum dictam ciuitatem applicuissent, S. Honofrius Sanctum Angelum recepit maxima cum lætitia, ac eius socios. Ordines verò Sacerdotales eis contulit. Angelus verò & Ioannes, cum Ordines Sacerdotales receperunt, erant 28. annorum, & ciues Hierosolymitani, audientes tantam de Sancto Angelo sanctitatem, & miraculum quod fecerat, Priorem rogauerunt, vt per aliquot dies,

*Moritur S. Nicodemus Patriarchæ Ierosolymitanus.*

*Oratione S. Angeli fluuiũ Iordanis multi sicco pede transeunt.*

*Ordinatur Sacerdos.*

eum ibi ſtare permitteret; qui eorum deſideriis,& petitionibus conſenſit.

Adueniente autem die Natalis Domini, Sanctus Angelus vna cum fratre ſuo Ioanne, ab Hieruſalem receſſit, & ſuos greſſus verſus Bethleem direxit deuotionis gratia, & eorum deuotione peracta vſque ad veſperas montem aſcendit. Et cum vbique iam eius fama fuiſſet diuulgata, quædam mulier de ciuitate Bethleem nomine Elizabeth, ad Sanctum Angelum acceſſit, filium ſuum in brachiis geſtans, magniſque fletibus abundans, ſeſe ad pedes Sancti Angeli proiecit, atque dixit ei. O dulcis pater, ô dulcis amice Dei, & ſerue Ieſu Chriſti, ego profectò credo,& firmiter exiſtimo, quod ſi chlamydem tuam proiicias ſuper puerum meum, qui iam ſuos dies expirauit, à morte reſuſcitabit ad vitam. S. verò Angelus ſic ei reſpondit. O ſoror, ſuſcitare mortuos non eſt conceſſum peccatoribus, qualis ego ſum: ſed ſolum ſanctis Prophetis, & amicis Dei ſpiritualibus. At illa. Numquam hinc recēdam, donec proieceris mantellum tuum ſuper filium meum, & facias orationem pro eo. Audiens talia verba vir ſanctus cooperuit filium ſuum cum chlamyde, & ſic orauit. O Deus omnipotens atque mirabilis in omnibus operibus tuis, qui reſuſcitaſti filium viduæ, & Lazarum quatriduanum iam fœtidum, à monumento reſuſcita iſtius mulieris filium. Hac oratione peracta ſtatim reuixit qui erat mortuus. Iuuenis verò prædicabat ſic. Hic frater Angelus verus amicus eſt, & magnus cultor Dei, qui mortuos reſurgere facit, non ſolum à morte corporali, verum etiam à ſpirituali, quoniam ego damnatus eram propter peccatum blaſphemiæ; ſed per eius orationem liberatus ſum ab vtraque morte. Et hoc miraculum diuulgatum fuit omnibus gentibus Bethleem, & omnibus qui ad feſtum venerant, qui numero erant fere decem millia, præſentibus Honofrio Patriarcha Hieroſolymitano, & Ioanne Archiepiſcopo Nazareth,& Petro Epiſcopo Bethleem, & aliis Prælatis Græcis, & Armenis.

*Visitat loca ſancta in Bethleem.*

*Humilitas S. Angeli.*

*Suſcitat iuuenem mortuum.*

*Hoc intelligitur, quia ſententia damnationis erat ſuſpenſa, necdū diffinitiuè lata.*

Nocte verò ſequenti S. Angelus receſſit ſolus, Angelo Dei duntaxat ſociatus, & abiit in deſertum, & ibi per quinquennium ſtetit, nec vmquam quiſquam hominum tempore illo ſciuit quid de eo factum eſſet, quamquam per valles, & montes vndique quæſitus fuiſſet. Vobis autem notum ſit & manifeſtum, quod eius mantellus impoſitus fuit ſuper aliquos mortuos, nec quilibet, nec omnes reſurgebant, præter ſeptem: videlicet Andreas, filius Ioannis de Hieruſalem, Blaſius, filius Antonij de villa Bethaniæ, Thadæa, filia Pauli de ciuitate Samariæ, Stephanus, filius Philippi ciuitatis Hieruſalem, Lazarus, filius Blaſij de Iericho, Matthia, filia quondam Ioſeph de Nazareth, qui lōgo tempore ſuperuixerunt in religione ſancta Carmelitana, & mulieres intrauerunt Monaſterium quarumdam Monialium in monte Sion. Et ex illo ſanati fuerunt quatuor leproſi. Et hęc miracula manifeſtè & publicè vidimus publicari per totam Eccleſiam Hieroſolymitanam, ab Honofrio eiuſdem Eccleſiæ Patriarcha, præſentibus triginta ſex Epiſcopis in Concilio Synodali dicti Patriarchæ Hieroſolymitani congregatis.

*Secedit in Eremum ſanctus vir.*

*Septē mortui ad impoſitionem pallij S. viri vitæ ſūt reſtituti.*

His verò diebus Honofrius Patriarcha ſuos dies clauſit, loco cuius fuit ſurrogatus frater Ioannes, dicti Sancti Angeli frater, & vnanimiter fuit gratia Spiritus ſancti inuocata, electus in Patriarchā, qui poſt ſuam conſecrationem ſedem aſcendit Patriarchalem. Et nuper ſcitum eſt, quod ſcilicet Sanctus Angelus in eo deſerto morabatur, vbi Chriſtus ieiunauit, & illic quinque annis ſemper nutritus fuit pane Angelico, & quotidie à Sanctis Angelis viſitatus. In fine verò quinque annorum apparuit ei Ieſus Chriſtus cum magna ſanctorum multitudine & Angelorum, qui dixit ei. Angele non eſt tempus hic amplius morandi, ſed volo quod tu ad gloriam patris mei venias cum Angelis & ſanctis, nec illam mereri vales, niſi mediante martyrij corona; quia vſque ad mortem mei amore te oportet pati in Inſula Siciliæ, in quadam terra quæ Licatta dicitur Agrigentinenſis Diœceſis. Ad quam Inſulam ibis cum reliquiis Præcurſoris mei Ioannis Baptiſtæ, videlicet cum tibia, & brachio ſuo, necnon capite Ieremiæ Prophetæ, & brachio S. Catharinæ,& tibia S. Georgij, & imagine matris meæ, quam depinxit S. Lucas ad petitionem S. Theclæ Apoſtoli Pauli diſcipulæ, quam ſeruus meus Athanaſius Patriarcha Alexandrinus tibi dabit. Cum verò fueris ibi, videlicet in dicta terra nomine Licatta *, prædicabis abominationes illas quas cōmittit Berengarius cum ſua ſororẽ carnali iam duodecim annis elapſis, cum qua genuit filios tres,& eos admoneas ſecretè ſepties, & clam, & ſi ſeipſos noluerint emendare; palam & manifeſtè eorum peccata redargue. Quamobrem certus exiſtas, quod illius redargutionis indignabitur, & cum ira magna & ſuperbia te interficiet, & ſolum ſoror eius cum qua peccauit, peccatorum pœnitens, ad gloriam conuertetur. Et in hac forma prædicādo, & reprehendendo malè acta, & inceſtum ſceleratiſſimum, more Ioannis Baptiſtæ mortem recipies, & patibulum martyrij, & ad vitam cæleſtem aſcendes, tribus coronis coronatus, ſcilicet corona virginitatis, ſecunda obedientiæ & humilitatis, tertia martyrij, propter veritatis aſſertionem, & prauitatis redargutionem.

*S. Angelus in deſerto paſcitur ab Angelis.*

*Apparet ei Chriſtus, qui ipſi martyrii prædixit.*

** Melius Leocata. Mittitur ab ipſo Chriſto in Siciliā ad arguendum inceſtum Berengarij.*

Sanctus verò Angelus, Chriſtum viſibiliter videns, in terra proſtratus, eum adorauit qua potuit mente puriſſima, dicens ſe totis viribus velle obſeruare eius mandata, & mortem pro ipſo ſubire. Deinde ipſum ſic rogauit. Te deprecor Domine Ieſu Chriſte, vt hanc tuam ciuitatem Hieruſalem tibi placeat habere recommiſſam, in qua ſacratiſſimum tuum ſanguinem fudiſti pro redemptione & ſalute humani generis. Cui Chriſtus reſpondit. Angele mi certus exiſtas, quod ciuitas Ieruſalem, & tota Iudæa, & Samaria, & Galilæa, & tota terra promiſſionis, & Armenia, & Ægyptus, & Cappadocia tota, & Phrygia, hinc ad modicum tempus dabitur in manibus Iſmaëlitarum, ſeu Agarenorum. Ab alia parte, quaſi tota Græcia, vſque ad regnum Albaniæ & Sclauoniæ, & Ruſſiæ, & Hungariæ, erunt in manibus Iuxorum, & magnas guerras, & reprehenſiones habebit tota Italia, ab iis infidelibus propter magna crimina. Iſtud erit quando Eccleſia erit ſæpiſſime diuiſa, & vnuſquiſque alteri aduerſabitur, & quando erunt duo, vel tres ſummi Pontifices effici voluerint, & quando Eccleſia erit à multis tyrannis expoliata, & quando Eccleſia plena erit multarum Religionum hypocritarum populos defaudrantium ſub colore ſanctitatis, qui paucam charitatem erga proximum habebunt, & loco eius ſuperbiam, auaritiam, inuidiam, luxuriam, & ſodomiam communiter habebunt. Et propter talia peccata permittam Italiam, & quaſi omnes Chriſtianos, per manus inimicorum meorum caſtigari. Tu igitur prædica, & nuncia populo Chriſtiano quod venturum eſt propter eorum ſcelera. Cui Angelus dixit. O Deus meus,

*Multa Regna data in manus infidelium propter peccata.*



meus, quis ergo liberabit tuam ſanctam ciuitatem de manibus infidelium? Et Dominus reſpondit. Vnus potens, & ſanctus Rex de domo Franciæ, & iſte amabitur ab omnibus Regibus Chriſtianorum, & ab omnibus fidei orthodoxæ profeſſis. Et habebit paſſagium cum meo vicario, & cum multis Chriſtianis, quorum multi meo amore mortem patientur, & gloriam æternam ſibi vendicabunt. Poſt hæc verò Chriſtus Dominus diſparuit.

*Is eſt Sanctus Ludouicus.*

Ilico S. Angelus cum magna conſolatione iter arripuit verſus Hieruſalem, & propter maximam pœnitentiam incognitus fuit. Et cum Priorem ſuum vidit, ſe in terram proiecit, dicens culpam ſuam. Hoc audiens frater Ioannes Patriarcha eius frater, venit ad Monaſterium S. Annæ, & eum viſitauit. S. verò Angelus dixit Priori, & omnibus fratribus, & fratri Ioanni Patriarchæ, ſicut Ieſus Chriſtus ei apparuerat, eique narrauit omnia viſa, & audita. Fecit ergo fieri edictum populo Hieroſolymitano quod prædicare volebat, propter quod fuit totus populus congregatus, & beatus Angelus prædicauit die Dominica proxima Septuageſimæ, qua excellentior nec prius, nec poſtea audita fuit, prædicatio propter quod 80. Iudæi baptiſmum ſuſceperunt, & veri Chriſtiani effecti ſunt.

*Ad prædicationem Sancti viri multi Iudæi conuertuntur.*

Poſtea verò ipſe Angelus, & frater Ioſeph de Emaus, & frater Petrus de Bethleem, & ego frater Enoch receſſimus ab Hieruſalem, cauſa eundi in Alexandriam. Vt autem ad hanc peruenimus, recepti fuimus à S. Athanaſio Patriarcha Alexandrino, qui iam famam Sancti Angeli perceperat, maximo cum honore, & deuota charitate. Cui ſanctus Angelus explicauit quomodo Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum viderat, & quod ei præceperat, vt aſportare deberet brachiū & tibiam S. Ioannis Baptiſtæ in Italiam, cum aliquibus aliis reliquiis, de quo Patriarcha nullum ſignum adhuc habuerat.

*Proficiſcitur in Italiā cum multis Reliquiis.*

Poſtea receſſimus die prima Aprilis, & cum proſpero vento in Siciliam iuimus ſuper quandam Ianuenſium * nauim, quæ tunc erat Alexandriæ, & Ianuam volebat repatriare. Die verò decima nona eiuſdem menſis prope Ciciliam applicuimus, in qua die quatuor Sarracenorum Galeæ nauim noſtram aggreſſæ ſunt, & eam ceperunt, & aſcenderunt circiter ſeptuaginta Sarraceni, & quaſi omnes Chriſtianos ferripedarunt. Quibus S. Angelus ait: A, a, nolite offendere amicos Chriſti, & eius ſeruitores. His auditis, ſubitò quidam illorum Sarracenorum maximo impetu eum fortiter percuſſit, magna ira motus, & dictum Sanctum Angelum in terram poſuit, vt eum ferripedaret. Tunc Sanctus Angelus manibus iunctis, Deum orauit hac oratione. Libera nos Deus de manu inimicorum noſtrorum, & da gloriam nomini tuo, vt gloriemur in laude tua, & liberentur dilecti tui. Et ſubitò iis dictis, venit ignis de cœlo, & combuſſit omnes illos 70. Sarracenos, & omnes alij exiſtentes in Galeis effecti ſunt cæci, qui numero erant fere 300. qui ſubmiſſa voce clamabant, Miſericordiam. Et Sanctus Angelus vnà nobiſcum, & cum omnibus Chriſtianis dictas Galeas intrauit, qui dixit infidelibus. Quis veſtrūm credit fidem Chriſtianam? Dico vobis, quicumque fideliter credet fidem Ieſu Chriſti, lucem recuperabit ſpiritualem & corporalem, & poſtea vitam æternam recipiet. Ex quibus ducenti fuerunt baptizati, & lucem receperunt, iuimuſque omnes in Siciliam, ad laudem & gloriam æterni patris, qui talem gratiam contulit ſeruo ſuo Angelo, qui ad fidem Chriſtianam illos Sarracenos conuertit, & applicuimus in terram Meſſinæ, vbi fuit magnum feſtum celebratum ex lætitia nouellorum Chriſtianorum.

** aliàs Genuenſium.*

*Proficiſcitur in Siciliam.*

*Vltio diuina in Sarracenos virum Dei captiuare volentes.*

*Ducentos infideles baptizat.*

Erat ibidem quædam Domina nomine Conſtantia, habens filium mutum, quem portauit coram S. Angelo, vt eum ſanum faceret. Angelus verò Deo omnipotenti orationem fecit, qua facta, ilico puer ſanitatem recuperauit. Poſt hæc nauim intrauimus, & ad portum Romanum vrbis veteris venimus. Ibi erat Honorius III. Romanorum Pontifex, & Dominus Fredericus de Claromōte, cui S. Angelus reliquias conſignauit Sancti Ioannis Baptiſtæ, quas cum maximo gaudio ſpirituali recepit, & cum famam S. Angeli audiſſent, valde contenti Chriſto Ieſu gratias egerunt.

*Sanat puerū mutum.*

*Benignè excipitur ab Honorio Papa.*

Poſt hæc inde receſſimus, iuimuſque Romam, & Sanctus Angelus vna nobiſcum, qui omnia Sanctorum loca viſitauit, vbi inuenit Sanctos Dominicum, & Franciſcum qui erant in Eccleſia S. Ioannis Laterani. Et cum Eccleſiam intraſſent, S. Franciſcus charitate & amore plenus, necnon ſpiritu prophetiæ, Sancto Dominico alta voce dixit: ô Dominice, ecce Angelus de Hieruſalem, totus ciuis cæleſtis propter martyrium, & ſeipſum proſternens, Sanctum Angelum cœpit oſculari. Dixitque S. Angelus Sancto Franciſco, quem numquam viderat: Bene, & feliciter aduenias verus humilis, & grandi humilitate plenus, qui ſolus meretur portare ſacra ſtigmata Ieſu Chriſti. Sanctus verò Dominicus admirabatur de eorum ſermonibus, qui per horam & amplius ſteterunt amplexati. Poſt verò ſeipſis dimiſſis, ad Sanctum Dominicum venerunt, & de rebus ſpiritualibus & cæleſtibus loqui cœperunt. Venientes autem de S. Sabina, inuenerunt vnum leproſum, qui vocabatur Angelus, quem S. Angelus cum eſſet oſculatus, ſubitò ſanus effectus eſt, data gloria & honore omnipotenti Deo.

*Veniens Romam inuenit Sanctos Dominicum, & Franciſcum.*

*Sanat leproſum.*

Poſt hæc ij ſanctiſſimi viri per diem & noctem in oratione ſteterunt, & licentia impetrata à Sanctiſſimo Papa, ex præcepto Ieſu Chriſti, receſſit ab vrbe, & cum ſociis ſuis in Siciliā applicuit, & venit Panormam, & in Monaſterio S. Mariæ de Grotta, Ordinis S. Baſilij hoſpitatus eſt, vbi fuit Monachus ſupra memoratus Athanaſius Patriarcha Alexandrinus. Ibi cum feruore intentiſſimo prædicationi vacauit per quadraginta dies, ex qua maximus fructus ſubſecutus eſt: quoniam ſolum de Iudæis conuerſi ſunt ducenti & ſeptem, exceptis aliquibus infirmis diuerſarum infirmitatum, qui integram receperunt ſanitatem.

*Cum magno fructu animarum prædicat.*

Poſt dies verò quadraginta, ipſe cum ſociis ſuis iuit ad ciuitatem Agrigentinam, & tranſeundo per balnea Chifalij, illic inuenimus leproſos homines, qui volebant ſeipſos balneare in illo balneo, vt ſanari poſſent. Balnei autem cuſtos nolebat quod balneum intrarent, quoniam non erat balneum leproſorum. Et audiendo hanc controuerſiam S. Angelus eis dixit: Pacem habeatis, audite me parumper precor. Creditiſne quod ingreſſus huius balnei faciat vos ſanos? At illi. Credimus. S. Angelus reſpondit. Non eſt verum, quoniam nondum purificati eſtis vera confeſſione. Si igitur habita contritione peccatorum veſtrorum, velitis veſtram facere confeſſionem, poſtea intrabitis balnea, & libere rabimini, & ſic fecerunt. Poſtea S. Angelus ſuis propriis manibus illos leproſos lauit cum aqua fontis ibi proximi, & oratione facta per virtutem Ieſu Chriſti, eos ſanauit, & eorum carnes, quæ ſimiles porcorum aſſatorum carnibus videbantur, ita mundæ effectæ ſunt ac ſi numquam leproſæ fuiſſent.

*Conſulit leproſis confeſſionem & cōtritionem, vt poſſint ſanari.*

sent. Post hæc S. Angelus dixit eis. Cauete vos à peccato, ne in aliquam aliam infirmitatem incidatis, quoniam mediantibus sceleribus, pro peccatis superuenient infirmitates. Et istud miraculum fuit manifestum pluribus quàm 130. hominibus, qui præsentialiter aderant: præcipuè reuerendo patri & Domino D. Gotfredo Archiepiscopo Panormitano, qui in illis balneis erat propter aquas, eum prementes dolores: qui se Sancto Angelo commendans sanus fuit à sua inæstimabili infirmitate, qui vnà nobiscum venit Agrigentum, vbi S. Angelus prædicauit per quinquaginta dies, vbi maximum fructum fecit, quia multi infirmi liberati fuerunt ab infirmitatibus suis, videlicet paralytici, dæmoniaci, surdi, cæci, leprosi diuersarum Insulæ partium.

*Gotfredus Ep. Panormitanus ab incurabili morbo, oratione S. viri sanatus.*

Post hæc inde recedens venit Licattam *, quò Domini nostri Iesu Christi præcepto missus fuerat causa prædicandi. Die decima Martij intrauimus illam terram, vnà cum præfato Archiepiscopo, qui numquam nos voluit deserere, & hospitati fuimus in domo sua. Post paucos autem dies, S. Angelus fecit conuocari Berengarium in camera sua, & secretò eum admonuit, iuxta præceptū sibi impositū, & non solùm septies, sed decies septies. Cui prædictus Berengarius omnia negauit à principio vsque ad finem, & dixit ei, quod S. Angelus, non erat Angelus, sed homo diabolicus, & hypocrita tristis, & quod de omnibus mentiebatur, & sic publicè prædicabat coram hominibus & mulieribus. Cui aliqui dicebant. Berengari, noli mentiri, quoniam si ea quæ dicit vera sunt, Deus manifestabit ea per mundum. Die verò Veneris, S. Marci in litania maiori, prædicante S. Angelo, aduenit Margarita cum tribus filiis, quos fecerat cum Berengario fratre suo, & coram toto populo amariter flendo, dixit, atque magno dolore cordis incensa. O Angele sanctissime, à Deo missus pro nostra salute, te deprecor vt sim tibi recommissa, atque Deum orare placeat, quoniam iam sunt anni duodecim, quibus in peccato perstiti cum Berengario fratre meo, & ab eo hos concepi filios. S. Angelus dixit ei. Deus misericors tibi parcere peccata tua dignetur. Et tam manifestè istud protulit, quod Berengarius spiritu diabolico ductus, disposuit Sanctum Angelum interficere.

* *Melius Leocatam.*

*Sæpius secretò admonet Berengariū vt à scelere suo resipiscat.*

*Multis cōmeliis ab eo afficitur vir Dei.*

*Tandem pœnitet soror Berengarij.*

Nocte itaque sequenti sibi apparuit S. Ioannes Baptista, & eum excitauit ex parte Domini nostri Iesu Christi dicens: O Angele mi scias, quod tua humilitas, obedientia, & castitas placuerunt Domino nostro Iesu Christo, & gloriosæ Virgini matri suæ. Ideo gaude, nam omnes Angeli exultant de tuo aduentu ad gloriam, quoniam mortem recipere debes, atque tuum sanctum sanguinem super terram effusè dispergere debes in quinta die mensis Maij, per manus Berengarij. His autem dictis, Sanctus Angelus gratias retulit Deo, quoniā ipsum peccatorem dignabatur ad cælestem gloriam recipere. Post hæc S. Ioannes disparuit.

*Apparet Angelo S. Ioānes Baptista, eūque ad martyrium subeundū adhortatur.*

De mane diuinis officiis expletis, Sanctus Angelus vocauit fratrem Ioseph, fratrem Petrem, & me fratrem Enoch, quibus visionem recitauit quā viderat à Sancto Ioanne Baptista, & quomodo die quinta Maij à Berengario debebat interfici. Cui dixit frater Petrus. Ergo hinc recedamus, causa mortis euitandæ. Cui Sanctus Angelus. Nescis quod ordinatum est ab ipso Dei Filio, & Spiritu sancto, vt hoc martyrium pati debeam, quo possim ad sempiternam gloriam peruenire, & vos me fugere vultis? Cui frater Petrus dixit suam culpam,

*Timidos fratres cōfirmat vir sanctus.*

Aduenientе autem die quinta Maij, celebrata Missa, Sanctus Angelus prædicabat prope mare, vbi erat Ecclesia Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi. Ibi erat populus, fere quinque millia hominum. Et ipso prædicante venit Berengarius, spiritu diabolico ductus, ascenditque pulpitum, & Sanctum Angelum quinquies percussit. Quapropter populus videns tum nephas eorum in Sanctū Angelum inique commissum, homicidam arripuit causa interficiendi. Cui Sanctus Angelus dixit. Nolite ex parte Dei dare impedimētum tanto amico meo, quo mediante, ad ipsum Deum proficiscar. Dimittite vindictam Domino meo dicenti: Mihi vindictam, & ego retribuam eis. Sed vnum precor, vt ad domum Margaritæ festinanter adire debeatis, eamque latere ne differatis, ne iste Berengarius eam interficiat. Postea cantare cœpit psalmum: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, &c. Deinde, In te Domine speraui, & cum peruenit ad, In manus tuas Domine, audita fuit vox vnà à populo dicens: Veni Angele, ad æternam patriam, ad gaudendum cum Sanctis Angelis & animabus.

*Ab impio Berengario inter prædicandum gladio percutitur.*

*Migrat ad Christum.*

His dictis, fuit visa lux sole splendidior à populo supra corpus S. Angeli, & ilico eius anima fuit à corpore separata, & à multis visa fuit sicut columba candida de corpore exire, atque cantus mirabiles auditi fuerunt de cœlo. De eius verò corpore exibant odores ineffabiles. Et cum non posset Berengarius suam sororem occidere, eo eunte ad Palatium, laqueo se suspendit in quadam pertica. Eius verò anima & corpus à diuina misericordia desperatum, proiectum fuit, atque in locis prophanis sepultum.

*Eius anima in specie columbæ visa cœlos penetrare.*

*Horrendus interitus Berengarij.*

Et cū Archiepiscopus Gotfredus non esset præsens in morte S. Angeli, sed studens in aliquibus lectionibus Sancti Bernardi, apparuit ei sancta eius anima, & dixit ei. Archiepiscope, vado ad Paradisum. Qui respondens ait. Quis es tu? Et respondit. Ego sum frater Angelus Carmelita tuus Ierusalem inferioris, nunc effectus sum superioris. Vade, & sepeli corpus meum in loco vbi propter Dei amorem martyrium sustinui, & amore iustitiæ, & Iesu Christi gladiatus fui.

*Apparet S. Angelus post mortem suā Gotfredo Archiepiscopo.*

Subitò Archiepiscopus cum tota familia sua venit ad sanctum corpus. Illud verò stare supra terram fecit per octo dies, cum magnis faculis, & officiis, prout vnus sanctus martyr Christi. In quibus quædam miracula fecit, quæ dictis essent inexplicabilia. Nam surdi auditum, cæci lumen, claudi gressum, leprosi mundationem, paralytici sospitatem, & denique omnes infirmi cum deuotione eum visitantes per octo dies receperunt. Fuit autem sepultus in loco vbi gladiatus fuit, per manus eius loci Symporitimi. Frater Petrus & frater Ioseph, & ego frater Enoch fuimus socij anno Domini nostri Iesu Christi 1220. die verò 13. Maij, sepultum fuit corpus eius ad honorem illius qui viuit & regnat in secula seculorum.

*Honorificè sancti viri corpus sepelitur.*

### NOTÆ.

Angelus.] *De eo Martyrologium Romanum cum Baronio in Notis 5. Maij. Agit de eo Molanus in addit. ad Vsuardum, Petrus in Cat. de SS. nuper canonizatis, Paleonydorus lib. 3. antiquitatum, c. 3. Thomas de Trugillo tom. 2 Concionat. Plura de eodem in Breuiario Ordinis Carmelitarum, necnon in Fastis eorum. Mortuus est circa annum Domini 1220. Fuit autem interfectus à Berengario eiusque assclis, qui Berengarius non solum erat incestuosus, sed etiam hæreticus, vt patet ex*



*ex Martyrologio Rom. quod dicit ipsum Angelum ob defensionem fidei Catholicæ fuisse ab hæreticis trucidatum. Plura de eodem in Breuiario Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, vbi hæc notatu digna leguntur. In honorem sancti Martyris constructa fuit Ecclesia, & eius corpus in tumba requiescit honesta. Fons in eodem loco scaturiens, in quo iste martyr gloriosus sanguinem pro Christo impendit, singulis annis à primis vesperis, vsque ad secundas inclusiuè, oleum ministrat, quo cum ipso die vncti fuerint meritis sancti martyris multis grauati languoribus sanantur ad laudem omnipotentis Dei. Similia refert Petrus vbi suprà, quem etiam martyrem simul & confessorem vocat. Porrò S. Angeli vitam M.S. habui opera R. Domini D. Roberti Berthelot Episcopi Damasceni & Suffrag. Lugd.*

## VISIO BEATI ATHANASII DE Claromonte Patriarchæ Alexandrini, de Reliquiis S. Ioannis Baptistæ.

*S. Ioannes Baptista apparet Athanasio de Claromonte Patriarchæ Alexandrino.*

ANno Domini 1219. in festo Annunciationis B. Mariæ post horas matutinales, quasi circa horam nonam noctis, in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, coram suis sanctis Reliquiis orando, quasi mihi videbatur non dormire. Videbam autem iuxta me hominem vnum quasi annorum triginta, cuius aspectus lucidus, & clarus tanquam sol erat, qui totam Ecclesiam illuminare videbatur. Erat enim indutus pellibus camelorum, tenebatque in manu sua vexillum Sanctæ Crucis, vocans me ter, & dicens. Athanasi, esto certus quod voluntas mea non est, vt Reliquiæ meæ, & quæ mecum sunt, in isto remaneant loco, & maximè imago gloriosæ Virginis Mariæ propter infinita peccata huius populi, sed in Italiam festinanter ipsas mittere procures per fratrem Angelum de ciuitate Hierusalem, qui martyrium sustinere debet in Insula Siciliæ, propter veritatem dicendam, (sicut & ego sustinui) & per fratrem Enoch seruum suum.

Ego verò tremebundus interrogaui quisnam esset, & quod nomen haberet. Qui dixit. Sanctus sum Ioannes Baptista, cuius reliquiæ sunt in ista Ecclesia. Eas verò Federico de Claromonte fratri tuo, & meo deuoto mittere debes, qui cum Honorio Papa de eis prouidebit. Quibus dictis disparuit. Et postmodum euigilans, de mandato S. Ioannis, & gloriosæ Virginis, per fratrem Angelum, prædictas Reliquias vobis mitto, vna cum fratre Enoch, qui homines sanctæ vitæ sunt, & conuersationis. Quæ Reliquiæ sunt Imago gloriosæ Virginis Mariæ, brachium, & tibia S. Ioannis Baptistæ, caput Ieremiæ Prophetæ, & brachium S. Catharinæ Virginis & Martyris, & tibia S. Georgij.

*Imago beatæ Virginis cum Reliquiis S. Ioannis Baptistæ, transferuntur in Italiam.*

## VITA S. SIMONIS STOCHI Carmelitæ. Ex quodam Codice manuscripto Bibliothecæ Reuerendissimi Domini D. Roberti Berthelot Episcopi Damasceni & Suffraganei Lugdun.

*S. Simon primò solitariā vitam ducit in trunco arboris.*

VIT S. Simon Stoch natione Anglicus, sextus Generalis Ordinis Carmelitarum, qui ante aduentum fratrum Ordinis sui ad Angliam, spiritu prophetico illos expectauit in quodam trunco concauo ducens vitam solitariam. Et ideo à trunco, qui in Anglico vulgari Stoch vocatur, Simon Stoch communiter vocabatur. Postquam verò per suum ministrum intellexit quod Domini videlicet Vvesti & Grey Barones, fratres aliquos de monte Carmeli secum ad Angliam duxerant, & eos in Conuentibus Alnoici, & Ayleffordiæ, religiosè fundauerant: prædictam vitam solitariam tenuit, & sacrum Ordinem Carmelitarum, (quem diu spiritu prophetico expectauit) maxima cum deuotione intrauit.

*Ordinē Carmel. ingreditur.*

Processu verò temporis, in quodam Capitulo generali, in Prouincia Angliæ celebrato, miraculosè in Generalem Ordinis sui fuit electus, quem religiosè & sanctè quinquaginta rexit annis. Quo quidem tempore S. Ludouicus Rex Franciæ, fratres de monte Carmeli duxit in Franciam, & diuersi summi Pontifices, videlicet Honorius III. & Gregorius IX. & Innocentius IV. (qui Concilium generale in Lugduno celebrabat) propter sanctitatem Simonis Regulam sui Ordinis confirmauerunt, mitigauerunt, & correxerunt.

*Miraculosè in Generalem eligitur.*

*Regula Carmel. à multis summis Pontificibus approbata.*

Sanctus verò Simon Virginem gloriosam, Dei genitricem, iugiter deprecabatur, vt Carmelitarum Ordinem speciali insignitum ipsius Virginis titulo, aliquo singulari priuilegio communiret, dicens quotidie voce deuotissima in suis orationibus:

*Flos Carmeli, Vitis florigera:*
*Splendor cæli, Virgo puerpera*
*Singularis.*
*Mater mitis, sed viri nescia,*
*Carmelitis da priuilegia*
*Stella maris.*

*Singulari deuotione afficitur erga beatam Virginem.*

[redacted]

*Priuilegium singulare impetrat à beata Virgine.*

Ratione verò huius magni priuilegij, diuersi proceres Regni Angliæ, multa fratribus contulerunt, præcipuè beatus Adoardus * Rex Angliæ secundus, qui fratres prædictos Oxonij fundauit, dans eis proprium palatium pro conuentu. Corpus S. Simonis Stoch in Conuentu requiescit Burdegalæ, multis clarens miraculis. [redacted]

* *aliàs Odoardus.*

*Corpus S. viri quiescit Burdegalæ.*

### NOTÆ.

Simon Stoch.] *Plura de eo Trithem. in Hist. Carmelit. Auctor Fasciculi temporum. Meminit eiusdem Franciscus Cherascus Carmelita in Vita Henrici Siluij, & in Catalogo Generalium Ordinis. Fuit 6. eius Ordinis Generalis, electus anno Domini 1250. Porrò (vt supra dictum est) multi Reges & Principes ad honorem Dei genitricis Scapulare illud gerebant, præcipue S. Ludouicus Rex Galliæ, Odoardus Rex Angliæ, S. Angela filia Regis Bohemiæ, & alij multi. Nunc quoque hæc deuotio valde viget, propter quoddam miraculum nuper Auenione factum.*

## VITA S. MECTHILDIS VIRGINIS. Ex antiquo Codice celeberrimæ Bibliothecæ Monasterij nostri SS. Trinitatis de Marcoussiaco.

FVIT virgo quædam Mecthildis nomine, ab infantia, à Deo in benedictionibus præuenta, ita vt primò nata, cum videretur iam spiritum exhalare, eam Presbytero sancto & iusto viro iam

Missam

*Sacerdos beatã Mecthildẽ baptizans,eã fore ſanctam pranunciat.* Miſſam celebraturo, parentes eius cum feſtinatione attulerunt baptizandam. Qui cum eam baptiſaſſet prophetico ore dixit: Quid timetis? puella hæc nequaquam morietur, ſed ſancta & Religioſa erit, & Deus multa miracula in ea operabitur, dieſque vitæ ſuæ in ſenectute bona cõſummabit. Quod autem baptiſmus eius acceleratus eſt; inde fuit vt ipſe Chriſtus eidem poſtmodum reuelauit, vt abſque mora eius anima Deo templum dedicaretur, eamque ex vtero matris totaliter inhabitando ſua gratia poſſideret. *Quare eius baptiſmus tantopere acceleratus.*

Cum verò eſſet annorum ſeptem, mater eius die quadam cum infantula clauſtrum adiit, quod erat prope caſtrum, cui parentes eius præerant, in quo contra matris voluntatem cum magno gaudio manſit, & per ſeipſam rogans ſorores ſigillatim, vt eam in ſuum conſortium aſſumerent obtinuit, nec poſtea minis aut blanditiis parentes inde eam poterunt amouere. Statimque miro modo cœpit in Dei amore & deuotione mira feruere: ſpirituſque eius melliflua ſuauitate crebro in Deo exultare. Proficiens ergo de die in diem, omnium virtutum ſummam apprehendit. Eratque miræ dulcedinis, magnæ humilitatis, & multæ patientiæ, paupertatis amatrix, & eximij feruoris & deuotionis, & maximè in charitate proficiens quantũ ad Deũ, & homines, omnibus ſe amabilẽ & ſeruilem exhibebat. Zelo etiam pietatis ſuper tribulatos & tentatos mirabiliter mouebatur, & eis ſicut vera mater in omnibus ſolamen, & auxilium miniſtrabat: ita vt quicumque ad eam acceſſiſſet, conſolatus rediret [redacted] Deus ſua perfuderat gratia, non tantum ſpirituali & gratuita, ſed etiam naturali, ſcilicet ſcientia & intellectu in vocis ſonoritate, vt in omnibus clauſtro perutilis videretur, ac ſi Dominus in ea donorum ſuorum nihil fuiſſet oblitus. *Catalogus virtutum S. Mecthildis.*

*Variis exercetur infirmitatibus.* Inſuper benignus Dominus flagella ſua in ea ſic continuabat, vt dolore capitis ac vitio lapilli, & nimio calore iecoris penè frequenter laboraret. Quæ omnia libentiſſimè & lætiſſimè ſuſcipiebat.

Annunciationis Dominicæ die quadã cum peccata in amaritudine animæ recogitaret, vidit Dominum Ieſum in ſolio ſublimi, qui ei omnium peccatorum ſuorum veniam dedit. Cum autem inſtaret tempus nobiliſſimi conuiuij, quo ipſa dilectum animæ ſuæ Ieſum perciperet in ſacratiſſima communione, audiuit eum ſibi dicentem: Tu in me, & ego in te, & in æternum non derelinquam te. In aduentu Domini cum glorioſiſſimam Virginẽ Mariam cuperet ſalutare, ſic edocta eſt à Domino. Saluta, inquit, cor virgineum meæ matris in affluentia omnium bonorum: quibus hominibus perutile fuit, ſcilicet quod fuit puriſſimum: vnde prima votum virginitatis emiſit. Humillimum, quia præcipuè meruit de Spiritu ſancto concipere. Deuotiſſimum & deſiderantiſſimum: quia ſuo deſiderio ſe mihi intraxit. Quarto feruentiſſimum in amore ad Deum & proximum. Quinto conſeruantiſſimũ, diligenter omnia conſeruans quæ in infantia, pueritia, & in iuuentute peregi. Sexto patientiſſimum in mea paſſione, quæ maximè cor eius per iugem memoriam pertranſiuit. Septimo fideliſſimũ, quia me vnicum filium ſuum pro mundi redemptione voluit, immo maluit immolari. Octauo in orationibus maximè ſolicitum, pro Eccleſia nouella iugiter intercedens. Nono in contemplatione ſedulum, ſuis meritis hominibus gratiam impetrans. *Edocetur à Domino ſalutare Virginẽ matrẽ.* *B. Dei genitrix Virgo Maria prima votum virginitatis emiſit.*

Quadam vice, cum nocte ex triſtitia ſomnum capere nequiret, audiuit Angelorum choros perſonantes: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet, viditque Dominum ſtantem coram ſe in viridi veſtimento. Ad quem illa. O amantiſſime Domine, cum ſic tempus paſſionis eſt, cur viridi veſte indueris? Cui Dominus. Scriptum eſt: Si in viridi ligno hæc fecerunt, in arido quid fiet? In quo intellexit quod ſi virorem omnium virtutum Ieſum tam diuerſis affecerunt pœnis: tunc eis qui aridi ſunt omnibus bonis æterna præparentur tormenta. Tunc orauit Dominum vt eam inſtrueret, quid illi laudis faceret hoc tempore paſſionis. Qui oſtendit ei digitos manus ſuæ, per quos edocta eſt, ipſum quinque modis laudare. Primo ſuam incomprehenſibilem omnipotentiam, qua ipſe præpotens Angelorum & hominum, pro homine impotens eſt effectus. Secundo inſcrutabilem ſapientiam, qua ipſe fatuus eſt reputatus. Tertio ſuam ineffabilem charitatem, qua gratis odio eſt habitus. Quarto ſuam benigniſſimam miſericordiam, qua pro homine tam crudeli morti eſt adiudicatus. Quinto ſuam ſuauiſſimam dulcedinem, qua morte amariſſima pro homine eſt amaricatus.

*Apparet eiſ. Dei genitrix.* Glorioſa virgo Maria dum vice quadam illi appareret, illa rogabat beatiſſimam virginẽ Mariam, vt dignaretur illam inſtruere quid ea die ei honoris exhiberet. Cui reſpondit. Admone me gaudij quod habui cum Filius Dei tanquam ſponſus procedens de corde patris in vterum meum venit, exultans vt gigas ad currendam viam, gaudij quod habui cum de virginali vtero meo procedens factus eſt mihi filius dulcedinis & gaudij.

*Salutatio Angelica ſuper omnes beatiſſimæ Virgini gratiſſima.* Sabbatho quodam dum Salue ſancta parens cãtaretur, dixit beatiſſimæ Virgini. Si te cæli Regina dulciſſima ſalutatione quam vnquam humanum cor excogitare potuit, ſalutare poſſem, libentiſſimè ſalutarem. Statim glorioſa virgo eidem apparuit habens in pectore ſuo ſcriptum aureis literis Angelicam ſalutationem, & ait. Supra hanc ſalutationem numquam homo peruenit: nec dulcius me ſalutare poterit.

Die quadam poſt Matutinas, in oratione dubitare cœpit ſi in ſero Dominæ noſtræ Completoriũ dixiſſet an non. Vnde contriſtata Deo negligentiã ſuã confitebatur, & ilicò Completorium perſoluit.

*Familiaris eſt B. Virgini S. Mecthildis.* Poſt hoc legit quinque Aue Maria, quæ dicere ſolebat antequam ſumeret corpus Chriſti. Tunc beatiſſimam virginem coram ſe ſtantem, & ſe amplexibus ſtringentem ſenſit. At illa cœpit negligentiam conqueri; interrogans ſi Completorium in ſero dixiſſet. Cui virgo. Cum neſcis ſi legeris: ſic eſt coram filio meo, ac ſi non feceris.

*Itẽ edocetur à Domino laudare & honorare Virginem matrẽ ſuam.* Alia vice cum ſe Deo culpabilem redderet, pro eo quod eius matrem numquam vt debuit dilexiſſet, ait illi Dominus. Pro hac tua negligentia, lauda matrem meam in fidelitate, quia mihi in omnibus in vita ſua fideliſſima adſtitit, in omnibus actibus ſuis ſemper voluntatem ſuam meæ ſubiiciens voluntati. Secundo extolle fidelitatem ipſius, quia mihi in omnibus neceſſitatibus meis fideliſſimè adſtitit, ita vt omnia quæ ego paſſus ſum corpore, ipſa ſuſtinuerit mente. Tertio magnifica illam, quia adhuc in cælo mihi fideliſſima eſt in acquirendo mihi peccatores vt conuertantur, & animas vt à pœnis liberentur, quia ipſius interuentionibus innumeri peccatores ſunt conuerſi.

Nocte quadam dum à ſomno euigilaret, & Dominum intimis præcordiis ſalutaret: vidit ipſum de cæli palatio venientem ad ſe, & cor ſuum diuinum cordi ſuo applicantem, eique dicentem. Numquam apes ſe auidius immittunt in prata virentia ad dulces carpendos flores, ſicut ego paratus ſum ad tuam me vocantem venire animam. Item ſæpius ei contigit vt cum pigra & minus deuotá eſſet, diuinum cor Dei quaſi ignitum aurum cordi ſuo iungi ſentiret: ex cuius caloris vapore nimiam percipiens dulcedinem, mox feruentiſſimo amore ſolito eſt ſuccenſa. Sabbatho etiam quodam vidit ipſum ſponſum Eccleſiæ Ieſum de cælo ſe inclinãtem expanſis manibus in eius amplexus ruentem, eamque medullitus ſic in ſe trahentem, vt tota abſorpta in Deum penitus à ſe deficeret, intantum vt à choro quaſi exanimis portaretur; quoniam ſpiritus eius totus tranſierat in ipſum, quem toto corde dilexit, & præ omnibus concupiuit, & tam mira dulcedine replebatur, vt per ſeptimanam illam dulcedinem ſentiret. Item lectionem lectura, dum ad pulpitum inclinaret, apparuit ei ſpecioſus præ filiis hominum puer Ieſus eam circumplectens & ad ſe trahens: à quo cum magna difficultate & pœnalitate ſe erexit, & vix lectionem legere poterat. Item ſæpius ei accidit, dum in Matutinis ita plena Domini fruitione & dulcedine magna eſſet, vt omnem fortitudinem conſumpſiſſe, nec lectionem legere poſſe videretur. Et dixit ad eam Dominus: vade & lege, nam ego te adiuuabo, ſicque cum animi magna conſtantia lectionem incipiens eam compleuit. Quadam autem vice dum ad Matutinas Euangelium, exurgens Maria, legeretur: tantam illi Dominus gratiam contulit, vt à ſe penitus deficiens lectionem intermitteret, ita vt à choro quaſi exanimis portaretur. Cumque in lectum pauſanda reclinaretur: rogabat Dominum vt hora competenti eam excitaret. Et ecce ante primam vidit iuuenem in viſu pulcherrimum coram ſe ſtantem: ex cuius præſentia cor eius tantam ſenſit dulcedinem, vt inde excitaretur. *Magnos mentis exceſſus habet.*

Alia vice cum ex præcepto poſt Matutinas dormitura iret in cubiculum: vidit Dominum quaſi in ſublimi ſolio reſidentem, ſub pedibus ſcabellum habentem, & dicentem ei. Hic ſuper pedes meos reclinans dormi. Et cum eius vulneri pedis aptaretur: tunc audiuit vulnus illud quaſi ollam feruentem ebullire. Et dixit ad illam Dominus. Quem ſonum dat coquens olla? At illa dum cogitaret ſe neſcire, reſpondit Dominus. Olla ebulliens ſonat: ac ſi dicat, curre, curre. Et amor cordis mei ſemper inſtigauit me, curre, curre de labore ad laborem, de ciuitate ad ciuitatem, de prædicatione ad prædicationem, nec vnquam me quieſcere permiſit: donec omnia ſaluti tuæ neceſſaria vſque ad finem compleui.

*Apparet ei Chriſtus.* Alia vice apparuit ei Dominus Ieſus quaſi paruulus quinque annorum. Quæ dixit ei. Mi Domine, in tali ætate mihi appares? Et puer. Tu modo quinquaginta annos habes, & ego quinque. Primus annus meus ſtabit pro annis decem vitæ tuæ. Secundus ſtabit pro viceſimo tuo. Tertius pro triceſimo tuo. Quartus pro quadrageſimo tuo. Quintus pro quinquageſimo tuo. Sicque omnia peccata tua delebuntur, & anni tui ſanctificabuntur: totáque conuerſatio tua ex mea conuerſatione perfecta erit. Puer itaque ſtabat manus ſuas perſpiciens, & cum ſuper hoc miraretur, puer reſpondit. Sicut homo manus ſuas reſpicit: ſic ab infantia vſque ad diem paſſionis meæ quotidie mortem meam in corde meo reuoluebam, & omnia cognoui quæ



ventura erant ſuper me; per quod inſtruebatur, quia bonum eſt homini mortem & ea quæ futura ei ſunt ſæpe memorari.

Vidit aliquando Dominum ſtantem, aureum flagellum in manu tenentem, & illi minantem. Tunc illa corruit in terram, & flagellum Domini amplexabatur; per quod dabatur intelligi, quod homo cum gratitudine dona Dei ſuſcipere debet tam proſpera quam aduerſa. Hanc Dei famulam inimicus valde ſæpe tentationibus infeſtabat. Contigit itaque die quadam cum Chriſtus ei apparuiſſet, eique magnam gratiam & conſolationem tribuiſſet, affuit tentator immittens cordi eius timorem & triſtitiam, quod donum illud non erat à Deo. Cum verò nimium affligeretur, corruit ad pedes Domini Ieſu, & conquerebatur infidelitatem cordis ſui. Quam Dominus proprio nomine vocans, dixit: Mi dilecta Melctidis, noli timere, nam timor & triſtitia hæc tibi non nocebunt, ſed magis te ſanctificabũt, & ad gratiam meam præparabunt. Et ſi hæc cordis tui gaudium non temperarent, cor tuum nimia dulcedinis affluentia diſſolui oporteret. *Infeſtationes dæmonum patitur.* *Tentationes augent meritum.*

Die quadam volens confiteri, ſed confeſſorem non habens, multum triſtabatùr, eo quod corpus Domini inconfeſſa ſumere non audebat. Tunc in oratione cœpit in amaritudine conqueri Deo ſummo Sacerdoti, negligentias & culpas ſuas, qui dedit ei certitudinem de remiſſione omnium peccatorum ſuorum. Sed cum adhuc variis cogitationibus hæſitaret, reputans ſe indignam accedere ad imperiale conuiuium regis Angelorum, cogitans qualiter imparata, nec confeſſa magnificum perciperet donum, inſuper etiam ſpem & conſolationem ſibimet ingereret; ait illi Dominus. Cogita quod omne deſiderium quod vnquam aliquis ad me habuit, à me illi inſpiratum eſt, & omnis ſcriptura & ſanctorum eloquia à ſpiritu meo effluxerunt, & effluent ſine fine. In hoc cognouit, quia & hoc deſiderium quod habebat vt ſumeret corpus Chriſti, à Spiritu ſancto ei cælitus eſſet inſpiratum. Acceptaque fiducia intantum cor eius confirmatum eſt: vt ei videretur nullo modo ab hoc deſiderio poſſe reuocari. Cum autem ſic eſſet confirmata, audiuit Angelos in cælo cum lætitia perſonantes: Confirmatum eſt cor virginis. Et ſic acceſſit ad communionem excellentiſſimi corporis Chriſti. *Habet reuelationem de remiſſione omnium peccatorum ſuorum.* *Audit cætus Angelorum.*

*S. Virginis feruens amor ad Chriſtum.* In quadam die Paraſceues dum Sacerdos Crucem ex more ſepeliret: deuota hæc mulier ait ad Dominum. O animæ meæ præcordialis dilecte, vtinam nunc anima mea eſſet eburnea, vt in ea te decentiſſimè ſepelirem. Cui Dominus. Et ego te in me ſepeliam qui viuificans vita ſum, & ſagina lætificans & impinguans animam tuam à dextris tuis, & zelans perficiens omnia opera tua, à ſiniſtris verò reclinatorium aureum ſuſtentans te in tribulationibus, infra te quoque firmamentum tenens animam tuam. Deinde feria quarta poſt Paſcha dum inciperetur Miſſa; Venite benedicti: ineffabili & inuſitata quadam replebatur lætitia. Dixitque ad Dominum. O ſi vna eſſem de illis nimiùm benedictis qui hanc dulciſſimam audituri ſunt vocem. Dominus reſpondit. Etiam pro certo ſcias, doque tibi cor meum in pignus quod tecum ſemper habeas, & in die illa cum hoc deſiderium tuum impleuero, in teſtimonium mihi illud reſignes. Do etiam tibi cor meum in domum refugij: vt in hora defunctionis tuæ nullam viam præterquam in cor meum in perpetuum pauſatura declines. Hoc donum, vnum ex primitiis donorum Dei erat. Cœpitque ex tunc mira deuotione circa cor diuinum

Domini Iesu affici, & ferè quotiescumque Dominus ei apparebat, aliquod speciale donum à corde eius accipiebat, quemadmodum patet in multis locis librorum Visionum eius. Sic etiam ipsa in simplicitate dicere solebat. Si omnia scribi deberent quæ à benignissimo Dei corde mihi collata sunt bona, matutinalis libri excederent quantitatem.

*Capitis acerbos dolores patitur.*

Quadam nocte dum ex capitis doloribus nullam posset habere requiem: orabat Dominum, vt saltem vnum foramen sibi monstraret, in quo requiē inueniret. Qui ostendit ei quatuor foramina vulnerum suorum, præcipiens eam eligere in quo horum vellet habitare. At illa nolens eligere, diuinæ commisit pietati vt ei daret quod ipse vellet. Tunc ostendit ei vulnus cordis sui dicens: huc intra, vt pauses, quæ statim cum gaudio intrauit. Et visum est ei tot ceruicalia sericea se habere, quot ictus dolorum tunc sensit capiti suo aduenire. Et ait Dominus; Bombices sericum gerunt, & de me scriptum est: Ego sum vermis, & non homo. Hucusque in laboribus mihi deuotè seruiuisti, à modo in virtutum exercitiis exemplo meo placitis mihi seruire studebis, & quæ tibi fuerint importabilia, ego ea tecum feram.

*Apparet ei Angelus.*

Angelus Domini aliquando apparuit famulæ Christi, & tulit de corde eius quasi chartam, quæ sanguine ipsius ita erat inscripta. Deus fidelis in quo non est iniquitas. Et illud. Mallem mori quàm criminaliter à te separari: quam Domino cum gaudio præsentauit. Manè etenim dum cogitationibus infestata fuisset, illa hæc cogitauerat resistendo, & ait Angelus ad eam. Hæc tu hodie cogitaueras. Et hoc scias quoties homo in cogitationibus & desideriis suis resistendo proponit in corde suo potius mori, quàm velle peccare, statim corā Deo acceptabitur, ac si homo virtutem illam opere perfecerit. Tunc illa procidens ad pedes Domini, conquesta est quod omne tempus vitæ suæ inutiliter viuendo consumpsisset, proponens de cætero si possibile esset, quod vsque in diem extremi iudicij viuere vellet etiā in maximis pœnis & doloribus, in quibus homo vixit super terram. Cui Dominus. Pro omnibus quæ neglexisti, saluta cor meum in diuina bonitate, quia ipsum est fons & origo totius boni, & vnde omne bonum procedit.

*Humilitas S. Virginis.*

Inter Missarum solemnia dum pigra esset & dormitaret, cum mœrore suam negligentiam conquesta est. Cui respondit Dominus. Si nihil inuenires in te quod tibi displiceret: in quo bonitatem meam recognosceres? Et si homo nihil in se haberet quod displiceret, non cuperet accipere quod tam paratus sum ferre, omnem denique sanctissimam & innocentissimam conuersationem meam qua vixi in terris, libentissimè illi do: vt eam sibi assumens, omnia quæ ei desunt suppleat ex meo.

*Familiaris est Angelo suo custodi.*

In quadam necessitate Clausstri, dum conuentus psalterium quod legerat, Christi famulæ Deo offerendum committeret, dixit Angelo suo. Eia dilecte Angele, tu qui cognoscis sicut & cognitus es, ego autem cognosco ex parte, hanc rogo orationem regi tuo, cui in decore & deliciis assistis, repręsenta. Cui Angelus. Ego plus gaudeo quod tuam legationem Deo meo habeam præsentare: quàm vmquam aliqua matrū de honore, & diuitiis vnici filij sui potuit exultare. Et cum Domino præsentasset, ait Dominus. Quot personæ hanc orationem persoluerunt: toties oculis misericordiæ meæ eas respicere volo, & aures clementiæ eis inclinare.

Sufficere iam volumus, nec vltra iam procedere, licet multa possemus addere: ne ipsa prolixitate aut multiplicitate in fastidium legentibus, (quod absit) conuertantur. Tanta etiam prætermisimus, quod hæc quæ scripta sunt, pauca respectu eorum quæ omisimus videantur. Hæc autem ad Dei solius gloriam & proximorum vtilitatem protulimus, & quia indignum putauimus si vtilia non tantum nobis, sed adhuc futuris silentio tegerentur. Si ipsius venerandæ personæ vitam & conuersationem laudabilem & verè mirabilem minus descripsimus: libet saltem in fine aliqualiter eam commendare, vt & mores eius imitari cupientibus, formam relinquamus. Venerabilis siquidem hæc persona virginitatem quam à septimo anno Deo vouerat, & cordis munditiam tanta diligentia custodiebat, & ab omni peccato ab infantia sic abstinuit, vt etiam duo Confessores eius testarentur numquam tanti & tā mundi cordis homines se expertos, vt istam & sororem suam dominam Abbatissam. Vnde cum integram confessionem fecisset iuxta minimum eius peccatum, quod in pueritia se dolenter memorabat fecisse: hoc erat quod vice quadam dixit se furem vidisse in curia, cum non vidisset, nec aliud mendacium scienter & sponte sua se recoluit perpetrasse. Tantopere paupertatis amatrix erat, vt necessaria sua habere nollet, coacta etiam per obedientiam vnum tantum æstimationis peplum habuit: cætera vilissimi panniculi erant, & tunicas etiam valde consciscas, & vndique reparatas portabat: cū tamen quicquid voluisset sufficienter habere potuisset. Cætera omnia ad religionem pertinentia perfectissimè habuit, scilicet propriæ voluntatis abdicationem, suiipsius deiectionem, obedientiæ promptitudinem, orationis & deuotionis studium, lacrymarum vbertatem, sedulæ contemplationis fruitionem, seipsam intantum abnegauerat, oblitaque sui in Christo sic absorpta erat, vt (sicut de Sancto Bernardo dicitur) sensibus exterioribus parum vteretur. Vnde sæpe putrida nesciens comedebat, donec à proximis sedentibus & odorantibus est compertum. Similiter aliquando carnes nesciēs comedebat: donec per risum aliorum ad se rediens quid fecerit recognouit. Doctrinam in tanta abundantia effundebat, vt ei similis in cœnobio suo non surrexerit, nec aliquando surrectura sit. Vbique enim sorores se circa eam velut prædicatorem, verbum Dei audituræ congregabant. Omnium refugium & consolatrix erat, & singulari dono hanc gratiam habebat, vt homines secreta cordis sui ipsi fiducialius aperirent. Et complures à suis grauaminibus per eam erepti, non solum intra claustrum, sed etiam foris & de longè venientes Religiosi, & sæculares, ab homine numquam tantum consolationis, quantum ab ista se inuenisse dicebant. Tantas orationes dictauit & docuit, quod si insimul scriberentur, psalterij excederent quantitatem. Doloribus & infirmitatibus tam continuè vexabatur, vt non immeritò martyribus societur. Insuper multis castigationibus pro peccatoribus seipsam affligebat. Deniquè vice quadam ante quadragesimam cùm populum cantibus lasciuientem audiuisset: zelo Dei, & compassionis affectu nimium inardescens, vt saltem aliquam Deo faceret emendationem, testas vitrorum, & alia fragmenta acuta in lecto suo composuit, & in eis se proiiciēs, tandiu se volutabat, donec cute confracta, & tota sauciata, sic sanguine profluēret, vt præ dolore nec sedere, nec iacere valeret. Circa Christi passionem miro ferebatur affectu: vt rarò de ipsa sine lacrymis loqui posset, & sæpius cum de Christi passione siue

*Magna Virginis huius puritas & innocentia.*

*Paupertatis amatrix præcipua.*

*Tota in Dei intenta vix sensibus exterioribus vtebatur.*

*Multi ad eā vndique confluunt.*

*Pro peccatis populi seipsā discruciat.*

*Sine lacrymis de passione Domini loqui non potest.*

amore loqueretur, tanto feruore succendebatur, quod facies eius & manus in modum decocti cancri apparerent. Vnde credimus frequenter eam sanguinem suum spiritualiter in Christi amore fudisse. Mira suauitate verbis Euangelicis pascebatur, & tanta dulcedine afficiebatur, vt sæpius cum illud in choro legeret, in tantam iubilationem verteretur, quod finire non poterat: quandoque penè exanimis reddebatur, & tam feruenter illud legebat continuè, vt audientes in deuotionem excitaret. Similiter dum in choro cantabat, ac si tota arderet, totis viribus Deo intendebat, modo expansis manibus, modo in altum eleuatis, quandoque velut in ectasim versa etiam trahentibus & mouentibus eam non sentiebat, aut vix ad se redibat. Spiritu etiam prophetico clarens, quandoque hominibus quæ eis futura erant certissimè prædicebat. Iam verò quid amplius dicemus? Nunquid non Angelicis spiritibus valebit æquari? Quibus etiam in terris tam amantissimo & amicissimo fœdere copulata erat, vt eorum præsentia rarò careret. Et quia Angelorum officiū est ministrare, hoc bene cōgruit ei, quæ officiosa charitate, & dulci societate miseris affectum ministrauit compassionis, peccatoribus subsidium orationis, negligentibus admonitionem correctionis, ignorantibus verbum instructionis. De infirmis maxima erat illi cura, ita quod numquam intantum poterat occupari, quin eas quotidie singulas visitaret, & si quid opus illis esset, solicitè interrogaret, propriis etiē manibus eis ministerium exhibens tam ad recreandum quam ad pausandum, & in senectute & infirmitate adhuc se ad infirmas portari faciebat, & aliquando non valens loqui, gestu & nutibus tam fideliſsimum eis prætendit compassionis affectum, vt plurimos ad fletum commoueret. Ad quælibet vilia opera, & maximè ad communes labores, sororibus se frequenter sociabat: quandoque prima, immo sola laborabat, quousque subditas induxit, vel magis exemplo, vel blandis verbis ad se iuuandum allexit. Ipsa etiam more Archangelorum multorum interuentrix ad Deum fuit, & eorum pia ad ipsum adiutrix.

*Claret spiritu prophetico.*

*Angelicis spiritibus pulchrè compatur.*

*Magno compassionis affectu afficitur erga animas in purgatorio detentas.*

Virtutibus quoque assimilabitur, quia virtutum omnium præclarum fuit exemplar. Inter potestates etiam non immerito assimilabitur, cui omnipotens maiestas se totiens in potestatem dedit, & quæ super dæmones tum potens effecta est, sicut cuidam alteri personæ per visum conquesti sunt dicentes, quod eius meritis & intercessione quotidie animæ fidelium à potestate eorum tollerentur. Magno compassionis affectu afficiebatur erga animas in Purgatorio detentas, multasque & innumerabiles eripuit de his acribus pœnis, quæ postmodùm ei apparebant, & gratias agebant. Vnde etiam semel videre meruit ex singulari priuilegio Purgatorij pœnas, necnon Inferni, & gaudia Paradisi. Cum Principatibus etiam iure obtinebit locum: quæ velut princeps militiæ cum sorore sua, omnia Monasterij tam interiora quam exteriora sapientissimè & ordinatissimè gubernabat. Dominationibus insuper non incōgruè sociatur, quæ domina affectuum & actuum suorum fuisse probatur. Dominabatur siquidem cordi, omni custodia illud seruando. Dominabatur operibus suis, ipsis propter Deum se exercendo. Ipsa etiam quietissimus & deliciosissimus thronus Dei, per serenissimam & mundissimam mentem dici potest: quæ Dei gratia plena, omnibus à se quærentibus qualiter viuere & se regere deberent, quasi ex ore Dei in ea sedentis, quid facere deberent, indicabat. Cherubin quoque similabitur, quæ toties ipsi fonti misericordiæ mersa, & luminis abyssum penetrans velut sol refulgens in templo Dei scientia & doctrina omnes ad se venientes illuminauit. Sicut enim ipsa nobis retulit, super psalmos, & quicquid cantabat siue legebat, sæpe spiritualem intellectum Dominus illi dabat, & quæ antea non cogitauerat, intellexit. Similiter Seraphin conuenientissimè & dignissimè hæc virgo comparabitur: quæ ipsi amori qui Deus est, toties immediatè vnita, eiusque igneo cordi tam amantissimè impressa, vnus cum eo spiritus ignitus est effecta. Valde enim gratiosa erat in loquendo de Deo, maximè de charitate tam feruenter loquebatur, vt audientes sæpe accenderet. Vnde feruentissima fuit charitate & deuotione ad Deum, & summa in pietate & solicitudine ad proximum, prima in humilitate & afflictione ad seipsam. Tranquillissimæ mentis extitit, & tam liberum & exoccupatum cor à curis tempore orationis habebat, vt frequētissimè ab oratione ad fenestram vocata, siue ad alia negotia, statim vt rediit, eandem puritatem orationis, quā in oratione habuerat, reinuenerit. In infirmitate sua ita mitis & benigna erat, & tam hilaris & patiens ad omnia: vt omnes ad se venientes sorores, & sibi ministrantes, lætas redderet & iucundas. Numquam etiam sic malum inualuit, quin fieret alacrior, ac si nihil pateretur. Numquam inueniebatur otiosa: aut enim semper erat vtiliter manibus operans, aut orans, aut docens, aut legens. Demum instante morte, cum sacramentis Ecclesiasticis seipsam muniisset, tandem post terribiles infirmitates & labores pro Christo exantlatos, senex & plena dierum, virtutibus & miraculis clara migrauit ad Dominum, quem toto corde quæsierat, & amauerat, quem totis viribus optauerat.

*Eius patientia in magnis doloribus.*

*Moritur.*

## NOTÆ.

Mecthildis. ] *Tres huius nominis reperio sanctas Virgines, vnam, de qua egimus supra ex Trithemio lib. 3. quam etiam Macthildem vocat. A Taliam filiam Regis Scotiæ, quæ cum fratre. Alexandro terreno Regno relicto humillimam & pauperrimam vitam peregrinando duxit, de qua fusius scribitur in Speculo exemplorum. Tertiam inuenio Mecthildem fuisse sociam Sancti Gertrudis, cuius res gestæ in lib. Insinuationum diuinæ pietatis prolixius leguntur. Sed & indoctus aliquis poterit istam de qua nunc agimus, quartam apponere. Verum vt omnis deinceps errandi occasio tollatur, istam Mecthildem cuius vitam scripsimus pro certo dicimus esse illam sociam S. Gertrudis Brabantinæ, & sic non quartuor, sed tres tantum Mecthildes assignamus.*

## VITA S. ITERII EPISCOPI EX Anachoreta. Ex Breuiario & Antiquitatibus Ecclesiæ Niuernensis, & scriptis Ecclesiæ Sulliacensis.

*Breuiar. Eccles. Niuern. 8. Iulij.*

ITERIVS ex Noëmico vico oriundus, omnium liberalium artium scientia instructus, vitæ sanctitate, & diuinitus sibi collata gratia sanitatum conspicuus, adeò hominum gloriam declinauit, vt quoscumque sanaret, admoneret ne cui dicerent: ipse verò loca quæuis abditissima quæreret vbi lateret incognitus. Illum igitur in quodam loco qui Vastinū dicitur, inter vepres & spinas morantem inuenerunt nonnulli. Verum cum sanctitatis eius fama vbique vagaretur, Sāctus Sergius Papa primus, comperta viri sanctimonia, inde Romam

*Patria S. Iterij.*

*Degit solitarius.*

*A S. Sergio Papa primò euocatur.*

à legatis suis adductum, familiarissimè complexus est,& illic miraculis coruscantem apud se per octodecim menses retinuit.

*Creatur Episcopus Niuernensis.*

A Clero demum populoque Niuernensi votis omnibus in Episcopum expetitus & impetratus Iterius,in eius ciuitatis ingressu, quendam artubus contractum sanitati restituit : dæmoniacum vnum à dæmone liberauit. Postea verò Ecclesiam Niuernensem cum per multos annos rexisset, emeritus miles animam Deo reddidit.Eius corpus in nauigio super Ligerim positum, solo proprio restituit fluuius, & cum in eius transitu infirmi multi sanitatem recepissent : tandem Noëmio appulsum, Sacerdotes iuxta altare Ecclesiæ honorificè sepelierunt.Eius verò festum 8.Iulij celebratur.

*Moritur.*

*N O T Æ.*

Iterius.] *Præter Niuernensem Ecclesiam & Sulliacensem, sit etiam celebris mentio de eo in Breuiariis Ecclesiarum Senonens.& Aurelian.& Bituric.Fuit 16.Niuernensis Episcopus, successitque Rogoni circa annum Domini 691. sub S. Sergio Papa I. & Theodorico I. Galliæ Rege. Erat olim in castro Sulliacensi super Ligerim egregia Ecclesia collegiata, dedicata & constructa eius honori, sed Dominus & possessor illius loci cum sit hæreticus,eam euertit & eruit, transtulitque in vrbem in Sacello B.Mariæ Virginis Dei genitricis, & ibi celebratur diuinum officium à Canonicis. Magna pars Noëmici vici ob honorem sancti viri fert nomen eius, & tantum patronum se habere congaudet. Hæc & multa de eodem reperiuntur apud Michaëlem Cottignonum Presbyterum & Canonicum Niuernensem,in suo libro de Antiquitatibus seu Chronicis Episcoporum Niuernensium. Vocatur autem Gallicè hic* Sainct Itier.

Noëmico vico.] *Est Noëmicus vicus,pagus in Diœcesi Senonensi,vocaturque Gallicè* Noian, entre la Bussiere & Montargis sur le grand chemin de Neuers.

## *VITA S. MANDETI EREMITÆ, Ex Breuiariis Ecclesiarum Bituricens. & Aurelian.*

*Breuiar. Eccles. Bituric. 20. Nouemb.*

*S. Mandetus filius Regis Hiberniæ.*

TEMPORE Childeberti Francorum Regis, gloria miraculorum effulsit beatus Mandetus,regali stemmate oriundus,rege videlicet Hiberniæ. Cumque eius parentes nouem filios procreassent, decimum Mandetum in gratiarum actionem decimantes,ad diuini cultus ministerium vouerunt atque dedicarunt.

Ipse verò literis traditus, quo melius eisdem operam daret, paterna domo relicta, longissimas terrarum oras adiit. Contigit autem vt defunctis nouem fratribus Mandetus quæreretur, atque inuentus cuidam Regiæ puellæ à Rege matrimonio inuitus traderetur. Qui virginitatem quam Deo vouerat violare timens, orauit ad Dominum, vt immissa infirmitate, à desponsata vxore odio haberetur. Qui continuo ex ægritudine adeò fœtere cœpit, vt nullus ad eum accederet, aut appropinquare vellet.Ipse verò impetrata discedendi licentia,ab infirmitate conualuit, & necessitate ac grauitate matrimonij exutus est.

*Impetrat à Deo infirmitatem,vt suâ possit seruare virginitatẽ.*

*Fit Monachus, deinde Abbas.*

Cumque moribus & scientia clarus,ad Sacerdotij gradum sublimatus esset, defuncto Abbate Monasterij, in quo eius obedientiæ diu inseruierat, à Religiosis & Monachis Abbas præficitur. Sed cum ad dignitatem regiam postularetur defunctis fratribus, regales pompas fugiens, cum duobus sociis discessit : peragratisque superioris Britanniæ partibus, ad quandam applicuit Insulam, à qua cum multitudinem serpentium fugasset, oratorium ibidem construxit : vbi herbis & radicibus, ac frigida aqua viuens, cum virtutibus & miraculis fulgeret, spiritum exhalauit, & 14. Calendas Decembris ad cælestia regna fæliciter migrauit.

*Declinans regiam dignitatem vitæ solitariæ in quadam Insula.*

*N O T Æ.*

Mandetus.] *In Ecclesia Aurelianensi fit officium duplex de eo, & in Ecclesia Bituricensi celebrantur octauæ solemnes, sicut ex Breuiario patet. Colligitur autem ex oratione propria corpus viri sancti requiescere in dicta Ecclesia. Est autem hæc : Deus qui beatum Mandetum confessorem tuum, ex genere regali procreatum, in æternam gloriam collocasti, & in præsenti Ecclesia honorari voluisti,&c. festum eius 20.Nouembris celebratur. De eo etiam in Tabulis Breuiarij Ordinis Fontebraldensis.*

## *VITA S. DVLCHARDI EREMITÆ.Ex Breuiario Ecclesiæ Bituric.*

*Breuiar. Eccles. Bituric. 10. Nouemb. Patria & parentes S.Dulchardi.*

IMPORE Clotarij Francorum Regis effulsit confessor memorabilis Dulchardus, qui Auarico Biturigum ex religiosis parentibus ortus, cum annorum esset duodecim,& oues patris sui pasceret,solo quorumdam transeuntium Monachorum intuitu, relicto grege, obliteque parentum cognatione, vt Monachus fieret apud Aureliam, ad Miciacense Monasterium properauit : vbi suscepta monastica professione, tonsuram adeptus, psalterium didicit, & in iis, quæ ad Ecclesiasticum ordinem pertinent, cæteros præcelluit.Itaque oratione assiduus, castitate perspicuus, sobrietate & ieiunio præcipuus, humilitatem seruabat attentius. Sæpius veste exutus, pauperum nuditatem operiebat, atque contra malignos spiritus luctamen sumens, nullis carnis delectationibus succubuit.

*Pascit ues patris.*

*Fit Monachus.*

*Catalogus virtutũ eius.*

Cuius perspecta sanctitate,post sexdecim annos, ipse ianitor monasterij licet iuuenis, effectus est. Qui cum ob huius susceptam obedientiæ curam, multorum insidiis ac subsannationi pateret, & omnia æquo animo in vera simplicitate sustineret : statuit cum aliis sanctissimis Monasterij tribus, cœnobium deserere, & Eremum petere, & paucis diebus in abditis Scaloniæ locis, superno inspectori deuotissimè famulatus : tandem ad locum qui Vectoria olim appellatus est, non longè ab Auarico remotum, omnium hominum habitatione destitutum, ac opacissimo nemore circumfultum, peruenit. Vbi exiguo tugurio constructo solitariam agens vitam, nihil aliud in cibo & potu præter illud quod humus sponte proferebat agnoscens, vero numini deuotæ seruitutis reliqua ætate exhibuit obsequium. In quo cum insigni conuersatione fulgens tota mentis auiditate ad videndum Deum anhelaret: ipse ex humilitatis consuetudine, quanto plus deiiciebat se, gloriamque fugiebat, tanto magis virtute conscientiæ ad ampliorem sublimabatur. Quod in quodam energumeno propria oratione liberato, qui ad hospitij sui ianuam accedens, eumque veluti agnitum proprio nomine, vt ei misero parceret inuocans, contigit. Nam diuulgato miraculo cœperunt vndique ad eum quoque infirmi confluere : quos per manus impositionem, oratione sanos reddebat. Nulla etenim infirmitas ibi locum habebat, vbi beatus confessor vim orationis adhibebat.

*Multos patitur obtrectatores.*

*Petit Eremũ.*

*Energumenum sanat.*

Tantis



Tantis igitur virtutibus clarus, eius appropinquante exitu, à Sancto Abbate Auito visitatur: quem obnixè precatur, vt in sepulchro quod sibi parauerat, proximè moriturum sepeliret. Quo annuente, Dominici corporis & sanguinis communione munitus, dum lætabundo animo hunc psalmum : Sicut Ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus,occineret, erectis in cælum manibus, inter orationis verba 8. Calend. Nouembris migrauit à seculo. Longo verò post tempore, vbi sepultum est corpus eius, fabricata est condigna eius meritis à Præsule Bituricensi Ecclesia, in qua Dei operante gratia,plurima fiunt virtutum miracula.

*Psalm. 41.*

## *VITA S. EMANI EREMITÆ, ET Martyris, ex Breuiario & Antiquitatibus Ecclesiæ Carnotensis.*

*Breuiar. Eccles.Carnot.*

*S. Emani bona indoles.*

SANCTVS Emanus in Cappadocia natus, à prima ætate, bonæ indolis adolescens,non lasciuiam complexus est mundi, non sæculi oblectamentis & voluptatibus dum liberè vti posset, applicuit animum, sed cor gerens senile, ac omnes cordis sui cogitationes ad ipsum creatorem suum, & opera pietatis charitatisque conuertens, in Dei timore & proximi charitate,eo magis feruebat indies : quo maiori vtens pro qualitate temporis ratione, cuncta sub sole vanitati subiecta, transitoria & caduca, iuxta Sapientis sententiam esse cognouit. Quare vt liberius Deo vacare posset, patriam parentesque adhuc valde iuuenis deserens, Romam profectus est. Auditaque Sancti Leonis Papæ sanctitate & misericordia in egenos, ad eundem accessit. Qui cum vidisset eum esse optimi ingenij, in humanioribus scientiis iuuenem erudiendum curauit. In quibus cum magnos progressus fecisset, tandem vt sanctorum precibus & suffragiis iuuari mereretur, peregrinari decreuit.

*Proficiscitur Romam.*

*Is est eius nominis secundus.*

Audita igitur miraculorũ fama S. Nazarij apud Mediolanum, eò profectus est, mansitque ibidem aliquandiu. Sed ampliores pro Christi amore cupiens tolerare labores, secundam peregrinationem suscepit, Augustoduni, ad tumulum Sancti Symphoriani martyris. Vbi diuina operante gratia multa patrauit miracula. Nam claudum in virtute Sanctæ Crucis sanauit, puero cæco & surdo visum & auditum restituit, alium præterea puerum mortuum Vrbicium nomine ad vitam reuocauit, cuius etiam matrem grauiter à dæmone vexatam, perfectè liberauit à tam crudelissimo hoste.

*Item & Mediol.ad sepulchrum S.Nazarij.*

*Item & August.ad sepulchrũ S. Symphoriani.*

*Claret miraculis.*

Propter hæc & alia quamplurima miracula ab vniuersa ciuitate vnicè amabatur, & reuerebatur. Mansissetque semper ad tumulum prædicti martyris, ni Deus eum ad altiora & sublimiora destinare voluisset. Quadam enim die eo orante, diuinitus admonitus fuit, vt ad partes Carnotensium se conferret, ad prædicandum Euangelium. Qui cælesti visioni & iussioni obtemperans, venit Carnutum, cœpitque diligenter prædicationi incumbere, non sine magno animarum fructu & profectu. Multi enim adhuc Idolis dediti, aliisque grauissimis vitiis implicati detinebantur tempore Theodeberti Regis Francorum. Sed cum quietam & solitariam appeteret vitam beatus Emanus, in quodam oppido Sybernitico nomine non longe ab vrbe Carnotensi, sibi sacellum & cellulam construxit, vbi Angelicam potius quam humanam exercuit vitam. Sæpius totas noctes insomnes in orationibus & meditationibus transigebat, ieiuniis continuis corpus atterebat, radicibus & herbis adiũcto modico pane hordeaceo victitabat. Vt autem magis concupiscentiam domaret, ô rem inauditam ! ad sitim extinguendam, aqua salsa vtebatur. Demum postquam plures annos in tam sanctis perseueraſſet exercitiis : quadam die per syluam deambulans cum egregiis viris Maurillio & Allemaro, incidit in latrones. Qui cum aurum & argentum multum in cella eius se inuenturos putarent, necnon etiam molestia affecti quod vir Dei sæpius eos redarguisset de suis sceleribus,& ad meliorem frugem reuocare voluisset:opportunam nacti occasionem sese vindicandi, crudeliter virum sanctum, vna cum prædictis Maurillio & Allemaro, trucidarunt. Quorum corpora in eodem loco sepulta fuerunt. Postmodum verò successu temporis, corpus S. Emani cum corpore S.Mauricij collocatum fuit.

*Nota miram austeritatem.*

*Perimitur à latronibus.*

*N O T Æ.*

Emanus.] *Præter antiqua MS. & Breu.Carnot. plura de eo habentur in Antiquitatib. eiusdem ciuitatis. Necnon & nouissimè descripsit vitam eius Gazetus tom. 2. de vit. Sanct. Obiit circa annum Domini 680. Magno est in honore hic Sanctus apud Carnotenses, depingiturque in habitu Eremitico.*

## *VITA S. LAVTENI EREMITÆ. Partim ex Breuiario Cluniacensi, & aliis Codicibus.*

*Breuiar.Cluniac. 6. Nouemb.*

*Patria Sancti Lauteni,eiusque sancta pueritia.*

EVIT venerabilis vitæ vir Lautenus nomine in Eduensium territorio,genere non infimo ortus : ipso tempore iuuentutis non lasciuiam sectans, sed parentum venerabilium vestigia sequens : monitaque aure cordis intendens, ostendebat in moribus quis esset futurus in actibus.Nam pollebat castitate non solum apud homines corporis : sed etiam apud Deum mentis. Charitatem præcipuè habens fixam in corde: vt cum timore diligeret Christum,& cum dilectione timeret.In orationibus peruigil, in ieiuniis fortis, in psalmodiis assiduus, in lectionibus diuinis frequentissimus, in humilitate summus : sequens illud Euangelicum. Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Erat ei delectabile vt Christus illi esset viuere, & mori lucrum.

*Catalogus virtutũ eius.*

Enimuerò secundum diuinarum scripturarum normam, nolens antea fieri magister, quam discipulus esset magistri : sancti & viri Religiosi Laurentij Abbatis Balmensis se subdidit institutis, sub cuius magisterio positus, quasi peritus agricola excoluit agrum mentis & corporis sui, breui tempore in omnibus exercitiis spiritualibus : ita vt iam absque solatio aliorum solo Dei adiutorio fretus aduersum malignorum spirituum multitudinem pugnaturus, Eremiticam vitam expeteret habitaturus.

*Fit Monachus.*

*Petit Eremũ.*

Tunc ipse bonorum operum inuidus diabolus non iam occultè, sed patenter se cœpit eius oculis inicere, tentans eum terrere suis machinamentis deceptoriis. Assistebat nãque orante eo ante ipsum cum magna multitudine suorum satellitum, emittens diuersarum bestiarum sonitus vocum, leonum videlicet, luporum, cæterarumque ferarum.Sed vir Domini nihil horum pertimescens, ad Deum se conuertens dicebat : Exurge Domine,& dissipentur inimici

*Damones eũ terrere conãtur.*

inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Qui statim fugientes velut fumus euanescebant. Cumque aduersum se conspiceret tam sæuissimè consurgere exercitus dæmonum, cœpit magis semetipsum exercere in abstinentia ciborum & frequentia vigiliarum: vt iam in diebus vnius quadragesimæ in hebdomada duabus tantum vicibus comederet, solas scilicet pulticulas hordeaceas, in alia quadragesima pomis vteretur siccis, in tertia verò oleribus necdum coctis.

*Magna S. vinei abstinentia.*

Eo sic solitariè viuente Presbyter quidam Gallicanus nomine à dæmonio vexabatur. Qui audiēs opinionem sanctitatis illius, venit ad eum flagitās, vt ei sanitatem conferret benedictione sua. Tunc ille. Tu, inquit, Presbyter es, ego autem Monachus: peto vt tu benedicas me. Et cum inter eos esset contentio, benedici se adinuicem rogantes: dedit ei vir sanctus oleum, & iussit vt se perungeret de eo. Accipiens id Presbyter, vnxit se, & continuè recessit ab eo dæmonium. Longum esset singula eius miracula percurrere: nam intantum in illo apparuit Dei gratia, vt malè habentes, per eius preces impetrarent remedia. Cæci visum, claudi gressum, surdi auditum, muti loquelam, dementes sospitatem, & quod permaximum est, nullus ad eum accessit, qui non melioratus recesserit. Postquam verò per multorum annorum curricula solitarius in Eremo vixisset, supradictus Laurentius Abbas, Monasterij Sāctorum Petri & Pauli Apostolorum, Balmensis, migrans ex hac vita, hic beatus postmodum ei in regimine successit, & oues sibi creditas sanctissimè & prudenter gubernauit, & sic vita & miraculis clarus ipse migrauit ad Dominum die 2. Nouembris, cuius Natalis ea die celebratur.

*Humilitas S. Lauteni.*

*Sanat dæmoniacum.*

*Succedit Laurentio Abbati in regimine Monasterij Balmensis.*

*Migrat.*

NOTÆ.

Lautenus.] *De eo agit Arnoldus Vvionius in additionib. Ligni vitæ prope finem.*

Eduensium, &c.] *Sunt Eduenses, aliàs Augustodunenses, populi Burgundiæ à ciuitate Eduensi, vel Augustodunensi, quæ vulgò dicitur* Austun, *sic dicti.*

A Dominico illucescente 6. Idus Decembris, Euatragios, & VI. P. C. Basilij Iunioris v. C. C. Anno XII. regni Domini Childeberti Regis, Indictione quinta, sicut colligitur ex eius Epitaphio, in quo legūtur versus sequentes, superiores autem periere.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ *S. Virginis Epitaphium.*

*Mensibus & geminis concludens tempora vitæ,*
*Viuit in æternum nullum moritura per ævum,*
*Ista Valens fieri fletu manante rogauit;*
*Iura Sacerdotij seruans, nomenque iugalis.*

Hoc Epitaphium videtur literis Romanis maiusculis in marmore semifracto exaratum.

NOTÆ.

Cæsarea.] *Vel Cæsaria, plura de eadem Baronius tom. 7. Annalium, sub finem tomi præfati, & anni Christi 587. tempore Pelagij Papæ II. & Mauritij Imperatoris, vbi eam Cæsariam appellat, & fœminam, non autem virginem. Sed fallitur, nam in antiquo Breuiario Ecclesiæ S. Andreæ virgo nominatur his verbis Cæsariæ Virg. 4. Capparum & 12. lectionum, cum oratione propria. Eius autem festum in hoc Breuiar. reponitur in mense Decemb. post gloriosissimæ virginis Dei genitricis Mariæ immaculatā conceptionem. Nam secundum Epitaph. obiit 6. Idus Decemb. qui est dies immaculatæ concept. Sacrum huius virginis caput ostenditur in argento bis deaurato in dicta Ecclesia S. Andreæ, & deuotionis causa, capitibus ægrotantium imponitur, præcipuè eorum qui capitis morbo vexantur: multæque Indulgentiæ conceduntur visitantibus dictam Ecclesiam, & Reliq. die 3. solemnitatis Pentecostes. Notandum etiam est istam Cæsariam vel Cazariam esse aliam à S. Cæsaria Abbatissa sorore Sancti Cæsarij Arelat. Episcopi, nam temporis ratio hoc conuincit, certum enim habetur ante annos fermè octoginta ipsam iam fuisse Abbatissam, adeò vt impossibile sit in hunc vsque Christi annum, nempe 587. fuisse superstitem. Adde quod apud Arelatens. in eius Monasterio videntur eius sancta Reliquiæ cum capite, & apud S. Andream ostenduntur caput & Reliq. istius Sanctæ Cæsariæ de qua nunc agimus. Legatur Baronius loco supracitato.*

## VITA S. CÆSARIÆ VIRGINIS.

*Partim ex antiquis monumentis Monasterij S. Andreæ prope Auenionem, & ex iis quæ Franciscus Claretus Archidiaconus Arelatensis scripsit Cardinali Baronio, partim etiam ex iis quæ memoriæ tradidit idem Cardinalis.*

*Patria S. Cæsaria.*

IVXTA oppidum S. Andreæ, quod in Gallia Occitana situm est, Diœcesis Auenionēsis, fuit quædam virgo nobilissima, nomine Casaria, vel (vt aliqui volunt) Cæsaria, quæ, cum ad nubiles peruenisset annos, à parentibus matrimonio copulata est cuidam nobilissimo viro nomine Valenti. Viuebant autem ambo in timore Dei, eleemosynas multas facientes, & quod maioris est admirationis, virginitatem suam illibatam in matrimonio diu seruauerunt, & postmodum Valens ex coniugio transiuit, consentiente vxore, in sacerdotium, B. autem Cæsaria quæ dudum ad vitam solitariam anhelabat, secessit in speluncam in summitate montis dicti oppidi, vbi per totum vitæ suæ curriculum solitaria vixit in magna abstinentia, & penuria rerum omnium: vnde eam Deus ad declaranda eius merita, multis decorauit virtutum, & miraculorum insigniis. Obiit autem hæc gloriosa Virgo in dicta spelunca, (vbi nunc est capella in ipsa rupe excisa) circa medium noctis die

*Matrimonio copulatur.*

*Virginitatem cum viro suo seruat.*

*Viuit solitaria in quadā spelunca.*

*Claret miraculis.*

*Moritur.*

## VITA S. CLODOALDI PRESBYteri & Eremitæ. Partim ex Breuiario Ecclesiæ Parisiensis & aliis.

*Breuiar. Eccl. Parisiens. 7. Septemb.*

CLODOALDVS Clodouæi magni Regis Francorum, ex Clodomiro Aurelianensium Rege nepos, cæso à Burgundionibus patre, ipse cum duobus fratribus Theodoualdo & Gunthario, pupillus, sub auiæ Clotildis sanctissimæ tutela relictus est: sed instigante diabolo ambitionis principe, patrui eorum Childebertus & Clotharius Reges, vt hæreditatem pupillorum inuaderēt, duos quidem vi & fraude occiderunt; vnum decem, alterum septem annorum, quos Regina auia immenso luctu prosequta, in basilica Sancti Petri Parisiis sepeliendos curauit. Tertius verò Clodoaldus, cum ad simile exitium quæreretur, ope virorum fortium, imò protegente Deo seruatus est. Qui exhæres factus in terris, hæreditatem quæ de cælo est toto animo concupiuit; neque tam abiectus à mundo, quàm mundum ipse despiciens, sibi propria manu capillos in signum contempti regni incidit, & Clericus factus, diuinæ se seruituti subdidit. Ideoque sacrorum librorum lectioni, humi strato cilicio incumbens, sub Christi disciplina tenerum corpus exercuit, & quod reliquum erat substantiæ, Ecclesiis & pauperibus distribuit. Quo tempore

*S. Clodoaldus nepos Clodouei Regis.*

*Theodenaldus & Guntharius filij Clodomiri Regis à Childeberto & Clotharioregibus, regnādi cupiditate crudeliter occiduntur.*

*Clodoardus fit Clericus.*



*S. Seuerinum inclusū adit.*

tempore sanctum Seuerinum Monachum adiit, vt ab eo sanctæ religionis habitum perciperet; qui intra Lutetiam in cella conclusus, contemplationi diuinæ vacabat.

*Solitariā vitam ducit in Prouincia.*

Inde ad extremam Galliæ partem quæ Prouincia dicitur, solitariè victurus discessit. Vbi dum orationis domum construeret, pauperi eleemosynam petenti, cum aliud non haberet, cucullum tribuit, qui sequenti nocte propter meritum dantis coruscare ingenti lumine visus est. Propterea fama sanctitatis eius vbique diffusa, multi grauissimis infirmitatibus detenti veniebant ad eum, sicut cæci, claudi, paralytici, dæmoniaci, qui curabantur omnes. Sed timens vanam gloriam & sui nominis celebritatem maiorem, Lutetiam reuersus est, & populo acclamante per Eusebium Episcopum dignè Sacerdotio consecratur. In loco qui Nouigentum dicebatur, Monasterium fecit: vbi post multorum animas Christo acquisitas, morte quam ipse præscierat, fæliciter consummatus, atque sepultus est. Cuius etiam mors pretiosa crebris miraculis illustrata est.

*Claret multis miraculis.*

*Ordinatur Sacerdos.*

*Moritur.*

NOTÆ.

Clodoaldus.] *De quo Mart. Romanum cum Baronio 7. Septembris. Agunt præterea de eodem Sigebertus in Chronico, qui dicit eum floruisse sub Iustino seniore: Petrus Equilinus Episcopus in Cat. lib. 8. c. 50. & denique omnes qui historias Francorum scripserunt tam antiqui quàm moderni, Ægidius, Belforestius, &c. Fit etiam mentio fusius de eo in Chronico Burgundiæ Paradini. Porro Epitaphium S. Clodoaldi tale est.*

*Artubus hunc tumulum Clodoaldus consecrat almis,*
*Æditus ex Regum stemmate perspicuo.*
*Qui vetitus Regni sceptrum retinere caduci,*
*Basilicam struxit hanc fabricare Deo.*
*Ecclesiæque dedit matrici iure tenendam*
*Vrbis Pontificij quæ foret Parisij.*

*Eius autem sacrum corpus nunc in basilica S. Dei genitricis Parisiens. honorificè asseruatur, quemadmodum Dubrul, & Ducheine in Antiquitat. Ciuit. Parisiensis.*

## VITA S. PATRICII EREMITÆ. Ex Breuiario Ecclesiæ Niuernensis.

*Breuiar. Eccles. Niuern. 31. Octob. Clari parentes S. Patricij.*

PATRICIVS in territorio Aruenicæ vrbis nobilibus ac claris parentibus ortus est. At longè sanctitate, humilitate, morumque integritate illustrior extitit. Qui relictis huius sæculi diuitiis, calcatisque deliciis, & voluptatibus humanis, se totum ad Dei cultum contulit. A quo vt nulla posset ratione auocari & distrahi, Monasterium Abbatis Portiani ingressus est: vbi tyrocinia vitæ Monasticæ exercens, admirabilem sanctitatis futuræ cunctis Monachis expectationem præbebat. Quibus ita charus & obediens fuit, vt nullum onus quantumuis difficile, pro Christi nomine, fratrumue obsequio refugeret: sed omnia fortiter munia Monasterij sustinebat, & alacrius perficiebat.

*Fit Monachus.*

*Solitariæ vitæ ducendæ causa venit Niuernū cum quibusdam sociis.*

Expleto tēpore obedientiæ, animū ad altiora appulit, & religionis Christianæ amplificādæ desiderio flagrans, se in pagū Niuernensem qui Gentilicū vocatur, cum his sanctissimis viris Germano & nepote ipsius Germanione, contulit: vbi locum omnino spinis consitum, & ab hominum frequentia remotum, & vetus phanum dirutis parietibus, repererunt; quem quidem locum ad solitariam vitam agendam sibi elegerunt. Vbi assiduis orationibus, ieiuniis & vigiliis incumbentes, admirabili sanctitate, humilitate, abstinentia vnumquemque ad religionem Christianam amplectendam allicie-bant, & potissimum Pomponiam matronam multis diuitiis affluentem. Quæ cognita seruorum Christi charitate & probitate, vt pro animæ suæ salute precarentur, & orarent, mediam villæ partem contulit, cuius beneficio ibi Monasterium extruxerunt.

*Claret miraculis S. Patricius.*

Tanta ergo in illis tribus seruis Christi relucebat sanctitas, & potissimum in Sancto Patricio, vt vndique ad eum fieret Christianorum, & maxime fratrum concursus: à quibus inuitus Abbas creatus est. Siquidem ita misericordia præuentus erat, vt admirandis miraculis languidos omnes & infirmos, signo Crucis, & sancti olei vnctione sanaret. Inter quos Seruilius vir opulentus, membrorum compagibus languens, præfati olei vnctione sanatus est. Cum ancilla cuiusdam matronæ Niuernensis oculorum lumine orbata esset, adducta ad Sanctum Patricium, visum recepit. His miraculis clarus & insignis virtutibus fulgens, plenus dierum & sanctitate, transiuit ad Christum, & sepultus est in Ecclesia, suo nomini dicata. Eius autem solemnitas 31. Octobris celebratur.

*Moritur.*

NOTÆ.

Patricius.] *Extat Ecclesia S. Patricij nomini dicata, seu Paræcia apud Niuernum, vbi & solemniter eius festum celebratur, & multo in honore habetur. Vulgò dicitur* S. Pere.

In territorio Aruernicæ vrbis.] *Vt optimè annotauit Dominus Sauaro, non solum Auernia sumitur pro tota prouincia quæ vulgò dicitur* Auuergne, *sed præcipuè & specialiter pro ciuitate quam communiter Claromontem appellamus, Gallicè* Clairmont.

## VITA S. GENDVLPHI EPISCOpi. Ex Breuiario Ecclesiæ Parisiensis.

*Breuiar. Eccles. Parisiēs. 13. Nouembr. Patria S. Gendulphi.*

GENDVLPHVS parentibus Christianis & erga pauperes benignissimis, sterilibus tamen, Romæ imperante Decio Cæsare natus est. Qui à beato Xisto Papa tempore persecutionis eruditus, & per omnes gradus ad Episcopatum sublimatus, in Gallias ad prædicandum gentibus Euangelium est missus. Itaque in plurimis Aquitaniæ locis Christum annunciauit, & ad dæmones expellendos, sanandasque ægritudines diuina virtute præditus, vbique verbo doctrinæ & miraculis copiosam Domino multitudinem acquisiuit. Sed & multa pro Christi nomine pertulit, ita vt fustibus cæsus, & in clibanum ardentem immissus, exiisse diuino beneficio incolumis legatur. Atque vt doctrinam suam vitæ seueritate commendaret, pane tantum hordeaceo & aqua potabili, vitam sustentabat. Tandem in pago Bituricensi, loco qui nunc Cella Sancti Gendulphi dicitur, Monasterium construxit: vbi in pace quiescens, cum patre suo qui peregrinationis & laborum socius extiterat, sepultus est: multisque vicinos populos beneficiis cumulauit. Eius corpus & caput in Ecclesia Parisiensi honorifice repositum conseruatur. Cuius festiuitas 13. Nouembris celebratur.

*Ordinatur Episcopus à B. Xisto Papa.*

*Prædicat verbum Dei in Aquitania.*

*Cella S. Gendulphi.*

*Moritur.*

*Eius corpus Parisios trāsfertur.*

NOTÆ.

Gendulphus.] *De quo in Tabulis Ecclesiæ Bituric. Cauendum est ne confundatur cum supradicto Gundulpho,*

*pho, cum eorum res gestæ sint omnino diuersæ, licet ferè conueniant nomine. Fuit & alius Gendulphus, seu melius Gengulphus martyr, de quo in Breuiario Ecclesiæ Talensis.*

## VITA S. MARIANI EREMITÆ.

*Ex Breuiario Ecclesiæ Bituricensis.*

*Breu. Eccles. Bitur. 19. Augusti.*

MARIANVS ingenuis parentibus Bituricensis vrbis procreatus, sponsam suam cum mundi illecebris derelinquens apud Spinolaium vicum, plusquam quadraginta annis, in orationibus, ieiuniis & vigiliis, clarens miraculis Eremiticam vitam duxit. In qua à Sancto Aminio nepote eius visitatus, dum interrogaretur, quomodo inedia corporis tantam vigiliam sustinere valeret, respondit se plurimas tentationes & insidias in specie serpentium diaboli sustinuisse, quas per orationem & vexillum Crucis, ita debellarat, vt postmodum nullo excubiarum tempore, sopore deprimeretur. Abnuit autem sacerdos fieri dicens, non propter honorem sæculi, verum propter solam humilitatem, cuius sublimitas Christus est, vastam se Eremum expetiisse. Oblatam sibi pecuniam, veluti noxia venena contingere & accipere recusabat, & sanctitate plenus in solitudine diem clausit extremum 19. Septembris.

*S. Marianus relicta sponsa Eremiticam vitam ducit.*

*Plurimas dæmonii patitur insidias.*

*Nota S. viri humilitatem. Moritur.*

### NOTÆ.

Marianus.] *De quo Martyrologium Roman. cum Baronio in Notis 19. Augusti. Scripsimus suprà lib. 2. alterius Mariani Inclusi vitam ex Trithemio.*

Bituricensis vrbis.] *Quæ vulgò dicitur* Bourges.

## VITA S. MARTIANI ABBATIS.

*Ex antiquo Breuiario Ecclesiæ Aptensis.*

*Breu. Eccles. Aptens. 25. Augusti.*

MARTIANVS Religiosus Benedictinus, vir eximiæ fuit sanctitatis. Qui ortus ex castro Sanione Diœcesis Aptensis, regni Arelatensis, (ipsa est prouincia Prouinciæ) ex parentibus plurimis opibus, sed amplioribus virtutibus abundantibus, fuisse dicitur. Est enim Sanio, castrum olim fortissimum & inexpugnabile, & ab Apta circiter duobus distans stadiis. Parentes igitur S. Martiani, sine liberis degentes, virtutibus pollentes, & temporalibus bonis competenter locupletati, continuis precibus, prolem potius virtutis, spiritualiumque bonorum, quàm temporalium, hæredem futurum, à Domino crebris orationibus, eleemosynis, gemitibus & lacrymis poposcerunt. Et non sunt fraudati à desiderio eorum. Nam tandem Martianum nomine diu optatum, talem qualem decebat sanctitas, & opera eorum merebantur, genuerunt. Erat autem infans Martianus facie rutilans, aspectu hilaris & iucundus, sermone & moribus ornatus. Decebat enim, vt eum quem diuina perfuderat gratia, interius, exteriusque relucere faceret. Tanta denique præuentus erat gratia: tantisque ornatus gratiis, vt ab omnibus singulariter amaretur.

*Patria S. Martiani.*

*Parentes S. Martiani, precibus eum à Domino obtinent.*

Transactis igitur ablactationis suæ, atque puerilibus annis innocenter decursis, totum spiritum suum transtulit in Deum suum. Nemo tempore suo in visitandis liminibus Ecclesiarum, & sacrorum locorum attentior, nemò in oratione feruentior & deuotior. Scholis adhibitus, non solum cõdiscipulis, sed etiam magistris, propter egregium ingenium & sapientiam superantem ætatem, stuporem inferebat. Liberalibus igitur disciplinis sufficienter edoctus, cogitauit ex talento duplici sibi credito, videlicet naturæ & gratiæ, duplicatum illud Domino suo referre. Considerans autem se Domino, (sicut desiderabat,) non ita perfectè posse adhærere in sæculo; captus amore vitæ solitariæ, clam relictis parentibus, deserta loca petiuit & incoluit: pauperem & nudum Christum, pauper ipse & nudus sequi cœpit. Non est huius loci edicere, quantas in illis desertis æstus, frigoris, famis & sitis, dæmonumque illusiones & molestias sustulerit. Eas meditandas relinquimus iis, qui non ignorant, & experti sunt, quanto odio prosequitur diabolus solitarios, hominum consortia fugientes, & quodammodo in terris vitam Angelicam exercentes.

*Scholis adhibetur, & multum proficit.*

*Petit Eremi.*

Postquam vir Dei per multorum annorum curricula solus in Eremo habitasset incognitus: tandem diuinitus inspiratus, considerans quod sibi ipsi solummodo prodesset, fidelium adiutus ope cœpit construere Monasterium: portabat ipse lapides, aquam & alia necessaria latomis ministrabat. Cum ergo sex Monachos Religione & sanctitate conspicuos secum assumpsisset: secundum S. patris Benedicti instituta eos viuere docuit. Ipse verò duriorem & austeriorem vitæ modum sectabatur. Asperrimo enim cilicio semper vtebatur: super nudam iacebat humum, pernoctabat in orationibus, & denique solitudinem & silentium aliasque austeritates & pœnitentias, quas in Eremo exercuerat, in Monasterio non intermisit. Licet Monasterij pater esset, nihilominus pro victu fratrum cum magno labore sarcinulam gestans, eleemosynam petebat: aliaque vilia & abiecta officia exercere non dedignabatur.

*Cõstruit Monasterium, & colligit Monachos.*

*Asperrima vtitur cilicio.*

*Pro victu fratrum eleemosynam petere non dedignatur.*

Quadã die cum Aptam proficisceretur, contigit eum in domo cuiusdam optimæ viduæ hospitari, quæ elegantem puerum & hunc vnicum habebat. Quem cum vir sanctus vidisset optimè morigeratum, petiit matri quatenus permitteret vt eum Monachi veste indueret. Illa quæ vnicum hunc tantum habebat filium, tam elegantem, & bonis moribus ornatum, quemque valde diligebat, baculumque senectutis fore expectabat, honestè recusauit. Paucis mensibus transactis, dum pro quibusdam negotiis ad dictam ciuitatem se contulisset, contigit puerum infirmari & mori. Mater lacrymabunda & gemens per vicos filij mortem lamentabatur. Verùm cum resciuisset B. Martianum esse in vrbe, non ignorans viri Dei sanctitatem, fide plena, mortuum puerum in platea posuit, & cum diu virum Dei quæsiisset, tandem eum inueniens, multis lacrymis & precibus coactum, ad locum vbi puer mortuus iacebat, adduxit. At ille dixit ei: Si quando petieram tibi, dedisses mihi filium tuum, modo non fuisset mortuus. Tunc miseratione motus, præmissa oratione cum lacrymis, mortuum vitæ restituit, & matri tradidit. Tunc omnes admirari, tunc Deum benedicere & laudare cœperunt, qui tantum miraculum per seruum suũ operatus fuerat. Statimque mater quæ antea viro Dei postulanti filium recusarat: nunc suppliciter rogat vt eum accipiat, & Monachorum ei habitũ tradat. Quem benignè suscipiens vir Dei, eum secum in Monasterium duxit, & tonsurato capite Monachum fecit.

*Suscitat mortuum S. Martianus.*

Beatus interea Martianus cum multos collegisset Monachos, & iam senex esset, ei vires corporis deficere



deficere cœperunt. Quadam die cum reuerteretur à ciuitate Aptensi, simplici baculo, sua onustus sarcina ad victum fratrum ordinata, circiter circa mediam viam constitutus, deficere cœpit, & breui interpolatione facta, in loco qui etiam nunc Petra S. Martiani dicitur, fæliciter expirauit. Qui licet humano solatio destitutus esset: Angelorum tamen comitatus est choris. Nam & campanæ circiter per tria milliaria, sine humano adminiculo, sed potius diuina actæ potentia, personuerunt. Concurrunt fratres scire cupientes quidnam esset: venientesque ad locum, patrem mortuum deferre ad Monasterium voluerunt. Tunc superueniunt & Aptenses ciues, sed corpus à nullo potuit moueri, donec & Aptensis Antistes aduenit: qui vna cum Clero in basilica Sanctorum Auspicij & Castoris eiusdem ciuitatis quondam Episcoporum & Martyrum, sacrum corpus deposuit. Nec defuere plurima miracula, nam febricitantes, aliique variis languoribus vexati ad sancti Confessoris corpus concurrentes, curati sunt, & plene liberati. Eius festiuitatem Ecclesia Aptensis celebrat 25. Augusti cum octauis & officio proprio. Hic vir sanctus semper virginitatis lilium illibatum custodiuit.

*Feliciter migrat in cælũ.*

*Mortuo viro Dei, campanæ humano destitutæ auxilio dant sonitum.*

*Miracula ad eius tumulũ.*

### NOTÆ.

Martianus.] *S. viri corpus Aptensis Ecclesia, vna cum corporibus SS. Annæ, matris Dei genitricis Mariæ, Auspicij & Castoris eiusdem Ecclesiæ Episcoporum summa cum reuerentia & honore reseruat.*

Apta.] *Est vrbs Prouinciæ antiquissima, quæ vulgò dicitur* At, *vel* Asat, en Prouence.

## VITA S. SEVERINI INCLVSI.

*Ex Breuiario Ecclesiæ Parisiensis.*

*Breuiar. Eccl. Parisiens. 24. Nouemb.*

SEVERINVS apud Lutetiam Parisiorum Monasticam vitam amplexus, vt multo facilius & liberius diuinis vacaret obsequiis, & rerum cælestium contemplationi: cella ita se concluſit, vt omnium hominum conuictum, & conspectum vitaret. A quo beatus Clodoardus, Clodouei primi, ex Clodomiro nepos, & Religionis habitum, & sanctissimè in illo proposito viuendi rationem, regulamque accepit. Tandem sanctitatis fama, & vitæ planè angelicæ commendatione celebris, ex hac vita decessit. Cuius corpus in Ecclesia Parisiensi requiescit. Vixit sub Clodouei magni filiis Regibus. Eius festum die 24. Nouembris celebratur.

*S. Seuerinus viuit inclusus in cella.*

*Sanctæ conuersationis habitum tradit S. Clodoardo.*

*Sanctitate celebris migrat in cælum.*

### NOTÆ.

Seuerinus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 24. Nouemb. Agit præterea de eodem Dubreul in Antiquit. Ciuitatis Parisiensis. Fuerunt & alij duo eius nominis Sancti, vnus Abbas Agaunensis, & alter dictus Noricorum Apostolus.*

## VITA S. AMBROSII EPISCOPI & Eremitæ. Ex Breuiario Ecclesiæ Bituricensis.

*Breuiar. Eccles. Bituric. 16. Octob.*

BEATVS Ambrosius Caturcensis Episcopus, diebus & noctibus vigiliis & orationibus semper intentus, nihil nisi quod ex re Ecclesiæ esset diligens: omnia quæ habebat pauperibus distribuebat. Qua de re ciuitati inuisus, in quandam iuxta templum se retrusit cellam. In qua multum precę valens, languidos sanabat, detectaque inimici

*Omnia sua distribuit pauperibus. Degit inclusus in cella S. Ambrosius.*

*Diabolus in specie mulieris ei apparet.*

*Relicta cella habitat in arctissima spelunca.*

Postmodum de illa egressus cellula, in arctiore se recluſit cauerna, sub altissimo ponte fluuij Olte, catena ferrea vinctus, quo liberius contemplationi, orationiue inhæreret. Proiectaque claue in flumen, se inde non exiturum professus est, donec Dei voluntate clauis reperta esset. Vbi Deo confidens, ad tertium tantum diem offerri sibi cibum cum aqua secretò curabat. Verum euolutis tribus annis, cum mortuus crederetur, alio vice eius substituto, clauis in æde substituti Episcopi ad os piscis inuenta est. Et inde agnito vero Episcopo Ambrosio, vniuersus Clerus cum populo, cereis & psalmis & hymnis ad eundem educendum foras, & suæ sedi restituendum, festinat occurrere.

*Nota insignẽ eius abstinentiam.*

*Fruſtra laborat Clerus & populus, vt eũ ad suam Ecclesiam reducat.*

At non acquiescens, Romam cum suo discipulo perrexit, acclamantibus cunctis: Miserere nostri pater, & nos Deo in tuis orationibus commenda. Post aliquod tempus Roma reuersus, in pago Bituricensi commorans, per multas tribulationes expurgatus, gloriosum Deo spiritum reddidit. Postea Biturigas translatus, honorificè sepultus est.

*It Romam.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Ambrosius.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 16. Octobris.*

Caturcensis Episcopus.] *Hæc ciuitas Caturcum dicta, Gallicè vocatur* Cahors.

## VITA S. DONATI EREMITÆ.

*Partim ex Breuiario Ecclesiæ Gratianopolitanæ: partim ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino lib. 7. c. 68.*

*Breuiar. Eccl. Gratianop. 19. Augusti.*

EVIT vir quidam Donatus nomine, à Neustriæ regionibus, Aurelianensi vrbe oriundus, qui à rudimentis infantiæ suæ electus est à Domino. Cumque trium esset annorum, traditus est à genitoribus suis magistro, vt eum litteris erudiret. Tantam autem gratiam Dominus ei largiri dignatus est, vt omnia beati Dauid sciret Cantica. Cum verò esset annorum decem, omnia volumina tam veteris quàm noui Testamenti peragrauit. Tunc placuit Aurelianensis vrbis Episcopo, vt eum clericaret. Sed & cum peruenisset ad ætatis duodecimum annum, complacuit Episcopo, vt eum ad onus Diaconatus benediceret.

*Patria S. Donati.*

*Fit Clericus, postea Diaconus.*

Tanta verò erat in eo boni animi tranquillitas: vt omnes dicerent illum esse à Deo electum. Tunc complacuit omnibus, vt Presbyteri onus acciperet. In quo honore constitutus, conuersus ad semetipsum ait. Quid mihi cum beato Abrahã? Illi enim dixit Dominus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & vade in locum quem monstrauero tibi, & ibi eris mihi acceptabilis. Dum autem hæc in animo volueret, relicta vrbe Aurelianensi, recto tramite petiit vrbem Turonicam, vbi corpus sancti Martini requiescit: vt eius patrocinia accipere mereretur. Cumque ibidem paucis diebus commoratus esset, accepto patrocinio à sancto Martino, sic eremũ petiit: & postquam peragrasset omnes prouincias, & omnes montes excelsos, peruenit tandem ad montem qui dicitur Iura. Contemplatus autem eum, descendit ad radicem eiusdem montis, in conuallem quæ dicitur Ragion, arida & ruinosa nimis, vbi accessus hominum non erat: sed serpentes, & dæmones ibi habitabant. Eò aduenientes beatus Dona-

*Sacerdotio initiatur.*

*Pergit Turones ad sepulchrũ S. Martini.*

*Petit Eremũ.*

tus, draconem miræ magnitudinis inuenit: de cuius flatu omnia arbusta erant combusta, & ibi semper tonitrua ac fulgura personabant. Cùm autem vidisset draco ille Sanctum Donatum venientem ad se: statim caput suum quasi cubitis duodecim eleuauit, vociferans & exsibilans nimis. Ad cuius vocem omnia serpentia accurrerunt, quasi virum sanctum deuoratura. Sed vir sanctus in fide fundatus, sese ad orationem prosternès, draconem, cæteraq; animalia venenosa fugauit, & sua oratione extinxit. Cœpit autè ibi habitare Anachoreticâ ducens vitâ, & corpus ieiuniis nimiis excruciàs. Cibus eius erant fructus agrestes, radices, & cortices arborum: lectus eius terra dura. Cùm igitur multos annos in solitudine vixisset, & instaret vocationis eius dies, adueniente Abbate Mario, diuinitus admonito, vt ad eum accederet: inter verba orationis migrauit ad Christum: ab eodem patre ibidem sepultus 13. Calend. Septembris. Postmodum corpus eius ad pagum Sigistericum Galliarum translatum fuit.

*Fugat draconem.*

*Petrus in Cat. lib. 7. c. 68.*

*Migrat ad Dominum.*

A *Chronol. Archiep. Bituric. narratque ipsum prædixisse incendium cuiusdam celebris basilicæ illius ciuitatis. Fuit & alius S. Iacobus Eremita Arch. Tharant. de quo plura scripsimus in vita S. Honorati Arelat. Episcopi, cuius discipulus fuit.*

## NOTÆ.

Donatus.] *De eo Mart. Romanum cum Baronio 19. Augusti. Ita enim scribitur in Mart. In Gallia in pago Sigisterico beati Donati Presbyteri & Confessoris, qui ab ipsis infantiæ rudimentis, mira Dei gratia præditus, Anachoreticam vitam multis annis exegit, & miraculorum gloria clarus migrauit ad Christum. Agunt* C *de eodem Beda, Vsuardus, Addo, Vvionius in Martyrologio Monastico hac die. Huius festum celebratur, & fit officium duplex in Ecclesia Auenion. de communi confessoris, & de eodem fit mētio in antiquo Missali eiusdem Ecclesiæ descripto anno Domini 1260. cum oratione propria, & magna pars corporis istius sancti continetur in sacculo sericeo, intra capsam argenteam, quæ extat super altare maius, cum alio vbi sunt Reliquiæ S. Maximi Episcopi, & duobus aliis sacculis in quibus sunt inclusæ particulæ quæ superfuerunt de Reliquiis Sanctorum Rufi & Veredemi, cum aliqua pars horum duorū anno 1618. fuerit reposita in eorum statuis argenteis, quæ diebus solemnibus eminent super altare maius, & à visitantibus dictam Ecclesiam visuntur & coluntur.*

Ad montem qui dicitur Iura.] *Est mons Burgundiæ, de quo vide Baronum in annotationibus 28. Februarij, & Plinium lib. 16. c. 41.*

*Breuiar. Eccles. Bituric. 19. Nouemb.*

## VITA S. IACOBI EREMITÆ. *Ex Breuiario Ecclesiæ Bituric.*

*S. Iacobus natione Græcus.*

IACOBVS ex nobili progenie Græciæ natus, liberalibusque literis eruditus, cum aliquandiu militiam exercuisset, aulisque Regalibus inseruiisset: misericordia Domini (quæ eum sibi vas in honorem prædestinarat) per prædicationem Herpelini fratris sui, pompa seculari relicta, ad Diaconatus officium vocatus est: atque virtutum ornamentis indutus, per nimiam deuotionem Religionis, prædiis maximis, & opibus diuenditis, vniuersa ferè pauperibus distribuit. Deinde naui comparata, grauida, onustaque annona, cum suis se pelago committens, iter suæ peregrinationis arripuit, & aduersus varias seculi tentationes Deo militans, atque Eremiticam vitam ducens, virtutibus plenus, tandem in pace quieuit 19. Nouembris.

*Ad prædicationem Herpelini fratris, mundo valedicit.*

*Facultates suas pauperibus distribuit.*

*Relicta Græcia, venit in Occid. vbi Eremiticā vitam ducit.*

*Moritur.*

## NOTÆ.

Iacobus.] *De quo plura scribit Ioannes Chenu in*

congruum, oratorium ibi construxit, & molendinum in aqua, quæ vocatur Ysauria, de qua dicitur, quod multo tempore durans, inconsumpta omnino permansit, certis temporibus retinens, & erumpens, bladum appositum opportunis temporibus conuersum restituens, & farinam. In hoc dum maneret vir Dei Orientius, quadam die vidit ad se venientem multitudinem populorum, quod molestè ferens, fugam arripuit, & rupi vestigium imprimens, chaos hians ibidem apparuit, vt ad eum nullus haberetur accessus: vbi per multos dies persistens orationi, ieiuniis, & vigiliis, secum manens, deuotè vacauit. Omni namque die semel dicebat psalterium, manens in aqua frigida, vsque ad vmbilicum, & de labore suo panem manducans & olera, aquam solam ad potum habebat. Sibi nuda terra pro lecto erat, nocteſque quasi ducebat insomnes, pallio, & sola tunica contentus, & catena pro cingulo vtens. . . . . .

*Rupi vestigiū imprimit.*

*Seueriter corpus discruciat.*

## NOTÆ.

Orientiùs.] *De quo Mart. Romanum cum Baronio 2. May.*

Vrbis venerabilis Auxitanæ.] *Hæc est celebris ciuitas Regni Galliæ, quæ vulgò dicitur* Auchs, *in qua residet Archiepiscopus.*

*Breuiar. Eccles. Lugd. 25. Septemb.*

## VITA S. LVPI EPISCOPI EX Anachoreta. *Ex antiquo Breuiario Ecclesiæ Lugdunensis.*

BEATI Lupi Confessoris & Archiepiscopi Lugduni, prosapiam non noscens terrenam, summam illius ingenuitatem, Dei seruitutem, nobilitatemque tantummodo hic credo inserendam. Et hoc vt causa sit exempli veteris, illa conscriptionis series Melchisedech, quem videmus subitò introductum, (vt ait Apostolus) sine patre, sine matre, sine genealogia electum, atque à Deo Pontificem ordinatum. Altitudo enim dignitatis magis quærenda est, & indoles fidei ac virtutis, quàm transitoriæ.

*Seruitus Dei vera est nobilitas.*

Causam verò huius nominis Lupi, non humanæ prouidentiæ industria, sed diuino instinctu reor esse prouisam. Nam cum nomina singulis creaturis imponantur; quodam tamen huic præsagio hoc nomen videtur impositum, vt de Lupo fiat pastor verus. Vel quia Græca etymologia, Lupus dicitur quasi Leopos, id est, Leonis pes: Leonis vtique qui de tribu Iuda vicit. Cuius pedibus appropinquare, doctrinam est accipere, vel habere. Siue etiam disgrediendo per mundum, semen vitæ dispergendo, verbum Dei docere est.

*Etymologia huius nominis Lupi.*

*Viuit solitarius iuxta mœnia ciuitatis Lugd. S. Lupus.*

At verò si de loci illius situ quis requirit, iuxta Lugduni mœnia, secus fluminis Araris decursus, (sicut multorum relatu compertum est) vt Elias quondam & Ioannes in desertis: ita iste Lupus secretis residebat in locis. Fallaciæ naufragia mundanæ iuuenis perhorrebat, atque euadere gestiens, manum, quam ad ramum pompæ sæcularis porrexerat, retraxit, & Anachoreticæ vitæ bona prospiciens, eam audacter amplexatus est.

*Et familiaris Sigismundo Regi.*

Sigismundi enim temporibus vir iste clarescere cœpit, qui cum ipso familiaritate sociatus fuit. Vnde cum adhuc Sanctus Lupus secretus tenere-

*S. Sigismundi de S. Lupo testimonium.*

tur, talia de ipso Sigismundus dicebat. Lupus hic non raptor ad perdendum, sed præuisor ouium fiet ad saluandum. Pastor electus in vrbe Actaria erit, Ecclesias Christi construet, caulas gregis fabrica-



A bit, gregem Domini adaugebit; atque talentum sibi creditum in præsentia sui Domini introductus, duplo in augmentum repræsentabit. Delabente igitur temporis curriculo, Lugdunensi præsule diem extremum explente, Pontificalis vacuata possessore cathedra, talem egregium adepta est sessorem. Plebs itaque, & Clerus vniuersus, prædicti Regis animati sententia: Lupum requirunt ad pastoris officio ordinandum. Quem tota virtute renitentem, captum, secretalibusque erectum sedibus domus Dei dignum præordinauit dispensatorem. Caput itaque vrbis effectus, nulli pompæ pedem intulit: nec quod extiterat, esse desiit. Quam prudenter igitur & quàm circumstanter in sui, filiorumque vigilantia perstiterit, possibile non est nostræ facultati euoluere. Nam iustitiæ libramina cuncta ponderabat, atque vt de sancto legitur Zacharia, in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela incedebat. Et cum sit iustitiæ officium sua vnicuique tribuere; Deum præ omnibus, & super omnia diligendo, proximum æqua lance, vt seipsum amare procurabat. Deo quotidie debitæ seruitutis obsequia, fratribus humanitatis reddebat officia, atque iuxta Domini dictum, quæ Dei erant, Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari restituens, omnibus omnia factus, vnicuique propriam reddebat debitæ impensionis mensuram . . . . . .

*Opera Sigismundi Regis Burg. creatur Arch. Lugd.*

*Nihil sibi blanditur ob adeptū Pontificatum.*

*Catalogus virtutū eius.*

## NOTÆ.

Lupi.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 25. Septemb. Meminit eius Demochares de Sacrif. Missæ. Agunt præterea de eodem Renatus Choppinus, Paradinus in Hist. Lugd. Pluribus autem Iacobus Seuertius in Chronol. Arch. Lugd. vbi dicit ipsum præfuisse Concilio Aurelian. 3. & sacrum eius corpus apud Insulam Barbaram quiescere, fuisseque 28. huius sedis Episc. sedisque exordium habuisse anno 524. Quidam arbitrati sunt (vt Baronius) assumptum fuisse ex illis Monachis Insulæ Lerinensis, qui olim Eremitarum more victitabant. Sed quantum à veritate hæc opinio aberret, ex supradicta historia Vita conuincitur, quæ ipsum Anachoreticam vitam duxisse circa Ararim, non longè à ciuitate* D *tradit.*

Fluminis Araris.] *Est Arar fluuius Galliæ Lugd. à monte Vosago, per fines Heduorum, & Sequanorum, in Rhodanum fluens, vulgò dicitur* la Saone. *Plura de isto flumine scribit Paradinus in Hist. Lugdunensi.*

*Breuiar. Eccles. Lugdun. Feb. 27.*

## VITA S. BALDOMERI MONACHI. *Ex antiquo Breuiario Ecclesiæ Lugdun.*

BEATVS Baldomerus intra Gallias natus, apud Lugdunensium vrbem habitator extitit. Et dum in Dei nomine ab adolescentia sua in Christi cultu & in bonis operibus permaneret, vultum semper & gressum simplicem gessit. Qui in vestitu & calciamento esse vilis apud homines videbatur: quod dignum & pretiosum post eius obitum esse cognouimus. Ille quotidie assiduis precibus Dominum benedicebat, & omnes ad hoc inuitabat.

*S. Baldomerus ciuis Lugd.*

*Vilibus vtitur vestimentis.*

In primis ferè annis ab adolescentia & iuuentute sua, faber ferrarius fuit: quod ministerium ita dignè peregit, vt quæcumque vtensilia sibi necessaria ad hoc opus exercendum habebat, in pauperum necessitates pro amore Dei dispensarit. Et hæc fideliter agens, quasi miles Iesu Christi, & fortis pugnator, aciem hostis inimici, intentis precibus ad Dominum superabat.

*Adolescens fit faber ferrarius.*

*Pauperibus etiam necessaria sibi distribuit.*

O virum bonum & beatum, in quo dolus nullus quam apparuit. Fuit enim semper castitate integer, *Catalogus virtutũ eius.* in charitate benignus, in lectionibus intentus, in vigiliis solicitus, & in eleemosynis promptus. Quodam tempore cum venisset vir Viuentius Abbas ad orationem in vico quodam, qui Audiacus vocatur, & ingressus fuisset; memoratum famulum Christi Baldomerum, vestitu, & calceamento vili, ibidem orantem inuenit. Sed cum ad puerum cœpisset habere colloquium, & inquireret quis esset; sensit per spiritum Dei, fidelem esse ministrum, sicque eum secum vsque ad suam domum lætus adduxit. *Viuẽtius Abbas ipsum ad vitam Monasticã hortatur.*

Deinde in Monasterio Sancti Iusti Lugduni, in quo ipse positus erat Abbas, permanere constituit. In quo etiam ita semper vitam beatam peregit, vt quicquid ei à quibuscumque personis dabatur nutibus Domini, pauperibus transmittere dignaretur, & omnia in pauperum eleemosynis expenderet. De futuris autem numquam solicitudinem in se habebat, tantum enim in Domino confidebat. *Tandem conuolat ad Monasterium S. Iusti Lugd.*

Et cum hæc Dei amore fideliter diu exercuisset, & fama eius in omnibus longè & latè crebresceret, à beato Gaudrico dictæ Vrbis Pontifice, (licet inuitus) ad Subdiaconatus implendum officium est benedictus. Cuius manus iam dictus vir Dei cũ lacrymis osculabatur, & ipsum exorabat, ne hoc officium sibi imponeret, & se indignum vociferabatur suscipere tale ministerium. *Subdiaconus ordinatur.*

In dicto verò Monasterio Sancti Iusti, cellulam in qua habitaret, vilem elegit, in qua Dominus tantam gratiam donare dignatus est, vt aues cæli à nemine captæ, aut comprehensæ, iuxta consuetam horam refectionis, in eius manibus cibum venirent assiduè assumere. Quas cum reficeret vir Dei, ita eas monebat dicens eis: reficite, & Dominò cæli benedicite. Interea tamen quotidie pro iam dicta vrbe, & omnibus commorantibus in ea, aut memorato Abbate, ad Dominum preces cum lacrymis fundebat, vt ipsis ingressum Paradisi aperire dignaretur. Et cum eum Dominus ex hac luce recipi iussit, tantam ad memoriam eius dignatus est conferre salutem: vt si quis ad sepulturam beati viri ægrotus aduenisset, & fideliter ibidem exoraret, à quacumque infirmitate fuerat possessus, statim sanus abscederet. Et qui tunc putabatur in corpore esse inferior gradu: iam cognoscitur in spiritu esse superior & virtute. *Solitariæ vitæ ducendæ causa cellam vilem sibi deligit.* *Aues ad ipsũ mansuetæ accedunt.* *Moritur.* *Ægroti ad viri Dei sepulchrum sanitatis beneficium recipiunt.*

*NOTÆ.*

Baldomerus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 21. Februarij. Plura de ipso scribit Iacobus Seuertius in Chron. Arch. Lugdun. Incepit autem secundum ipsum, sub Tetrico Arch. progressus sub S. Viuentio, & desiit sub Gauderico, à quo & Subdiaconus est ordinatus. Extat apud Foresios ciuitas de nomine ipsius Baldomeri vocata, vulgò* S. Galmier.

A beato Gaudrico.] *Aliàs Gauderico, qui fuit 43. Arch. Lugd. iuxta Seuertium.*

Breu. Eccles. Dienſ. 16. Auguſt.

## *VITA S. RACHONIS EPISCOPI.*

### *Ex Breuiario Ecclesiæ Diensis.*

SANCTVS Racho cùm perfectæ vitæ sanctitate esset, & diuersarum gratiarum charismata, Domino largiente, possideret: illud quod adhuc sanctitatis culmen deerat, Domino inspirante, ac populo eligente promeruit, vt Sacerdos & Pontifex Eduensis Ecclesiæ ciuitatis ouium pastor eligeretur. *Sãctus Racho creatur Pontifex Eduensis Ecclesiæ.*

Cuius sanctitatis fama dum per diuersos Ecclesiarum erumperet accessus, adhuc factum est, vt ad Imperatoris aures pertingeret. Cuius filia à spiritu immundo correpta grauiter vexabatur: à quo vt posset erui, beato Rachoni celeriter repræsentatur. *Filiam Imperatoris à sæuo dæmone liberat.*

Ille autem venerabilis de infælici euentu mistertus est filiæ. Ille verò confisus in Domino, in orationis arce prosternitur. Nocte autem quadam cùm vir sanctus sacris hymnis, canticisque spiritualibus esset intentus, puella ante se est deducta, & misit in os puellæ digitos, & nequam spiritum à corpore abegit obsesso.

At miraculum Imperator cernens, immensos auri, argentique cumulos offert sancto Sacerdoti. Quod ille execrans, ac refutans, obtinuit, vt Eduẽsium ciuitas, quæ tributaria erat, libera efficeretur. *Impetrat suæ ciuitati libertatem.*

Beatus Racho fuit Monachus Eduensium, & Episcopus, multum iciunans, & non comedebat nisi panem hordei, & aquam tribulationis. Et legem Christi prædicabat, & eius seruitium faciebat. *S. Racho prius fuit Monachus austeroris vitæ.*

Post verò longum exilium Rex illius terræ fecit Sanctum Episcopum proiici in mare, quem Angeli, Dei miraculo, ad portum deduxerunt, tali hora qua fuerat proiectus in mare. *Proiectus in mare liberatur ab Angelis.*

Et cum exiuit, beata Virgo Maria apparuit ei, confortans eum. Tunc beatus Racho impetrauit à Domino, vt omnes venerantes suam festiuitatem, nunquam tempestatem paterentur, nec potestate inimici detinerentur. *Apparet ei beata Dei genitrix.*

Cui beata Virgo Maria dixit. Quod postulasti tibi datum est desuper. Post hæc in diuersis partibus mundi legem Domini prædicauit. Ad vltimum verò rediit ad terram, & ciuitatem suam, scilicet Eduensium, & ibi obdormiuit in Domino. *Migrat in cælum.*

*NOTÆ.*

Racho.] *Mendosè in Breuiario Ecclesiæ Diensis scribitur & vocatur Rochus. Nam in antiquo Breuiario manuscripto & impresso Ecclesiæ Augustodunensis, semper Racho nominatur: necnon ab omnibus historicis, sed præcipuè à Demochare, quem dicit fuisse 17. eius ciuitatis Episcopum. Meminit eiusdem Petrus à S. Iuliano, in antiquitatibus ciuitatis Augustod. Notandum quod in Breuiario Ecclesiæ Diensis, huius sancti festiuitas 16. Augusti celebratur, in Breuiario Ecclesiæ Eduensis siue Augustodun. circa finem mensis Ianuarij, vt vidi in quodam Breuiario manuscripto. Sed dicendum, quod Diensis Ecclesia in mense Augusti eius festiuitatem celebrat, quia fortè 16. eiusdem mensis facta fuit eius translatio. Ecclesia verò Eduensis solemnitatem eius celebrat in mense Ianuario, eo scilicet die, quo ad cælestia regna migrauit. Doleo me non vidisse partem hyemalem Breuiarij Ecclesiæ Eduensis, vt plenius huius sancti viri gesta hic insererem.*

Breu. Eccleſ. Vienn. 2. Ianuarij.

## *VITA S. CLARI ABBATIS.*

### *Ex antiquis Breuiariis Eccles. Lugdun. & Viennens.*

VER Clarus matrem orbatam marito habuit, quæ deuotè ad memoriam Sanctorum Martyrum apud Viennam, orandi gratia occurrebat, cum qua Clarus venire solebat. Hanc cum consueta quadam die ad oratio *S. Clari mater Martyrũ memorias frequentare solita.*



orationem Clarus sequeretur: venerunt ad sanctissimum Cœnobium Monachorum vltra Rhodanum, vbi tunc temporis ossa beati Ferreoli Martyris quiescebant. Cumque ibi mulier cum Claro puero suo in compunctione posita longiores horas protraxisset; iam vesperè ad hospitium reuerti cupiens, Rhodanus agitantibus ventis, in vndas periculosissimè assurgere cœpit. Iam mater cum Claro puero nauim intrauerat, desperatis nautis, penè vndis subuersa naui, Clarus puer extensis manibus contra Ecclesiam beati Ferreoli Martyris, lacrymis suffusus exclamasse dicitur: Deus pro cuius nomine Martyr Ferreolus mortem suscepit, subueni nobis in periculo positis. Mox Rhodanus blandior redditus, nauim breui impulsu ad littora sua transposuit. De periculo crepti, mirantes pueri fidem, Deo gratias reddiderunt. *Clari adhuc pueri miraculum.*

Erat tunc temporis vir strenuus, & Deo placitus Viennensis Pontifex Cadoldus, Monasteria tam virorum quàm Sanctimonialium, sub sancta professione viuentium, pia districtione, tam in ciuitate, quàm extra muros ciuitatis regens, hæc præcipua erant, quæ regebat. Grinianensiũ cœnobia à sanctis Pontificibus vrbis fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli Martyris condita venerabantur. Sanctimonialium beatissimæ virginis Columbæ, triginta Monachas habens. Nam Grinianensium loca quadringentos Monachos alebant. Porrò Sancti Petri Monasterium ad Australem partem vrbis situm quingentos penè Monachos continebat. Sanctorum Prothasij & Geruasij venerabilis memoria quinquaginta. Similiter S. Ioannis Baptistæ Monasterium quinquaginta. Similiter S. Vincentij Martyris quinquaginta. S. quoque Marcelli cœnobium triginta. S. Blandinæ viduarum sanctimonialium locus vigintiquinque. S. Andreæ infra mœnia vrbis centum. Iterum aliud S. Andreæ centum. S. Nicetij eiusdem vrbis gloriosissimi Episcopi quadraginta. S. Martini Cœnobium centum quinquaginta Monachos sub districtione regulari viuentes, adunatos tenebat. Porrò in domo maiori sanctorum Martyrum Apostolicam vitam tenentes, in vnumque viuentes plurimi Clerici erant: ita vt turmis dispositis officiorum ministeria peragerent. Apud Sanctum Seuerum quoque cœtus Clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia sanctorum in vnum conuersantium habitacula, penè ad sexaginta, sub cura Pontificis degentia, in Viennensi Diœcesi satis ordinabiliter sita erant. Sic tunc temporis ad gloriam omnipotentis Dei Viennensium Ecclesia florebat. *Cœnobia à sanctis Pontificibus fundata.*

Clarus autem puer in Monasterio nutritus ab sancto Pontifice vrbis, Abbas in Monasterio S. Marcelli effectus est. Clarus nomine, clarus virtutibus, obsequio strenuus, curam sibi impositam solicitè administrabat. Quidam frater in infirmitate graui depressus, à patre Claro, oleo sancto perunctus, sanitati restitutus est. Factum est dum quadam die ad villam cum Monachis iret, vt quidam misellus, vlceribus plenus, ei obuius fieret. Tunc Clarus imperauit cuidam Monacho dicens: Vade frater, misellum istum laua in fluuio. Ille obediens vt illum aqua tinxit, sanus effectus est. Ingrandinata vinea, Clarus cum fratribus aduenit. Vocato custode quęsiuit si racemi ad vsum vini aliqui remansissent. Sed cum vix pauci essent inuenti, prostratus humi, noctem ibi fecit, & in crastinum (quod vix credi potest) ita dependens vinea racemis suis onusta apparuit, vt nullo modo quod grandine percussa fuerit indicium dari posset. Ite- *Breu. Eccl. Lugd. Abbas constituitur S. Clarus.* *Oleo sancto sanat infirmũ fratrem.* *Monachus ex obediẽtia lauans ægrotũ, ipsum statim sanat.* *Vinea grandine percussa, oratione viri, racemis onusta apparet.*

rum quodam tempore cum piscatum fratres issent, & ipse prope ripam staret, quidam incautius retia amouens, in aquam ruit: Clarus verò plenus fide vt signum Crucis fecit, mox à periculo ereptus est. Læti omnes misericordias Domini decantare cœperunt. Sed vt lætiores fierent, ingentem piscem, ad littus tractum, habere ad sui subsidium meruerunt. *Signo Crucis quendam à submersione seruat.*

Erat illi consuetudo, nocte orationis gratia deambulare per castrum, vbi cœnobium S. Blandinæ situm erat. Diabolus stupendæ altitudinis, flammantibus oculis ei se obuiam tulit. Clarus perfectus in fide, impauidus stetit, & quis idem esset quæsiuit. Qui ait, Diabolus sum, missus vt ab isto loco te expellam. Nam in potestate nostra locus iste esset, nisi tu obstitisses. Cui beatus Clarus. Vade Sathana, obsistit tibi Christus, cuius est terra, & plenitudo eius. Cum grandi igitur sono, ita vt totum castrum videretur concussum, diabolus recessit. Arreptamque vnam famularum, quæ pro foribus Monasterij deseruiebat, cruciabat. At vbi Clarus accurrit, iniectisque digitis in ore eius, spiritum malignum fugauit. Multa sunt quæ per illum Christus in Ecclesia Viennensi operatus est. Et cum iam instaret tempus dormitionis eius, tertio die antequam clara eius anima corpus desereret, in laudibus Dei perseuerans, vidit circa crepusculum diei aperiri cælum, & immensum exercitum niuei coloris supra cellam vbi iacebat, descendere. Quod cum Clarus irreuerberatis oculis inspiceret: virgo beatissima Blandina adcognita est, quæ eum consolari cœpit, & vt tantum exercitum sequeretur ab illa hortatur. Cumque ille voto annueret, ab illa auditum. Tertia die Sanctus Marcellus, & ego, ad te veniemus, & ne hostis tibi nocere possit, totus iste Dei exercitus te ad fælicia regna deducet. Lætificatus igitur Dei famulus, quamdiu superuixit, à Dei laudibus non cessauit cum fratribus. Qui finitis psalmis, vt dixerunt; Omnis spiritus laudet Dominum, cum luce, odor ineffabilis totam cellam vbi sanctus Clarus iacebat, repleuit: sicque beata anima à carne soluta, recessit. Sepultus autem est in Ecclesia beatæ Martyris Blandinæ ante altare, vbi miraculis clarus enituit. *Apparet ipsi Diabolus in forma stupendæ altitudinis.* *Humili responso fugat diabolum.* *Apponens digitos in os famine, fugat ab ea dæmonium.* *Circa mortẽ in oratione perseuerat. & Videt sanctorum exercitũ ad se venientem.* *Consolatur à Sancta Blandina.* *Breuiarium. Eccles. Vienn.* *Migrat in cælum, & eius cella incredibili odore perfunditur.*

*NOTÆ.*

Clarus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 2. Ianuarij. Agunt præterea de ipso Trithem. lib. 3. de viris Illust. Ord. S. Bened. c. 246. Haræus, & Vvionius.*

Pontifex Cadoldus.] *De isto, aliisque Viennensium Archiepiscopis plura collegit Ioannes noster à Bosco, circa finem Bibliothecæ Floriacensis.*

Breuiar. Eccles. Senon. 1. Martij.

## *VITA S. SIVIARDI ABBATIS.*

### *Ex Breuiario Ecclesiæ Senonensis.*

NATVS est in pago Cœnomanico, & in Parochia Deablutica, nobilibus, Christianis, & Deum timentibus parentibus, à genitore scilicet Dei famulo Sigiranno, necnon venerabili ac Deum timente fœmina genitrice ipsius, quæ vocabatur Adda. Ab his namque nobilibus, atque fælicibus genitoribus procreatus, processit in mundum hic optimus Christi miles Siuiardus. Non enim fuit leuis, sed magis grauitate fundatus; nam illum quem iuuenilis ætas litterariæ disciplinæ solet fugere laborem; ipse è contra totis viribus ad scientiam capessendam insudabat. *Genus S. Siuiardi & patria.* *Est discendi studiosiss.*

Adolescens factus, mortuis parentibus, omnia quæ habebat vendidit, & sibi comparauit Christum pretiosam margaritam. Factus deinde Clericus, cum ad perfectiorem vitam anhelaret, decreuit mundum relinquere, & inter Monachorum cateruas solitarius Deo intendere. In Anisolensi igitur Monasterio sanctæ conuersationis habitum assumens, erat cunctis fratribus speculum virtutum. Erat enim aspectu grauis, moribus temperatus, animo deuotissimus, castitate & pudicitia ab infantia semper mundissimus. Quibus virtutibus incitati fratres ex Anisolensi Monasterio elegerunt sibi præesse optimum pastorem. Qui non solum terreno, sed multo magis cælesti & spiritali cibo eos sæpius reficiebat, & ipsam Dei domum, vt vir prudens, tam in structura, quàm in spiritali rigore pulcherrimè ædificauit,& ibi fælicẽ cursum vitæ suæ miro modo consummauit. Similem penè vt Apostolus Ioannes, ipse habuit vocationis suæ finem. Neque etenim audiuit aliquis plangere eũ, aut contristari ante obitum suum.Et in eius sanctæ animæ egressu, vni tunc ex fratribus ostensa est visio, vt ostenderetur cunctis palam, quanto ipse vir Dei esset culmine sanctitatis præcipuus. Nam visum est illi, vt dixit, lumen summæ claritatis,idque sibi vicinius appropinquare. Et dum hanc admirabilem visionem consideraret, adstiterunt ei beatissimi Apostoli Petrus & Paulus, & in medio eorum anima illa sancta Domini Siuiardi nimio fulgore candebat. Qui vtrique Apostoli vtramque eius manum tenere videbantur. Et fertur ad eum ille dixisse: Frater, ego Christo ago gratias, qui me dignatus est nunc in requie sua suscipere. Vado ecce cum Dominis meis præsentibus: vos verò eulogias, quas ego paraui, ferte germanæ meæ, & eius sororibus. Obiit autem vir sanctus octauo anno regni Domini Theodorici Regis,Calendis Martij.

*Complectitur vitam Monasticam.* *Creatur Abbas Anisolẽsis.* *Admodũ placidè & suauiter decedit.* *Visio offertur fratri cuidã de eius gloria.*

## NOTÆ.

Siuiardus. ] *Eius vita protensiori stylo habetur in Breuiario Ecclesiæ Senonensis, quam nos contraximus, sed nihil omisimus quod ad historiam pertineat. Agunt de eodem Mart. Rom. cum Baronio* 1. *Martij, Surius tom.2.& Vuionius in Martyr.Monastico.*

Eulogias quas paraui. ] *Vocantur hic Eulogiæ cibaria benedictionis gratia transmissa. Post Missas alicui eas dare vel transmittere, erat signum communionis & charitatis. Greg. Turon.lib.5.Hist. Franc.cap.14. Post Missas autem petiit, vt ei Eulogias dare deberemus. In multis partibus hodie consuetudo est, cum aliquis obiit,& parentes annuale pro ipso celebrare faciunt:consueuerunt etiam sacerdoti panem & vinum in offertorio offerre,quæ quidem oblatio rectè Eulogia dici potest.*

## VITA S. SYRIÆ VIRGINIS, *Ex Breuiario Ecclesiæ Antisiodorensis.*

*Breu. Eccles. Antisidor.13. Augusti.*

BEATA virgo Syria à longinqua regione ad partes Gallicanas, specialiter ad locum à decem milliaribus à ciuitate Trecensi distantem deuenit. Ibi deuotiones feruentissimas, angustias acerbissimas, ac paupertates sustinendo adimpleuit.

*S. Syria apud Gallias peregrinatur.*

Igitur Dominus post multos à passione gloriosissimi martyris Sauiniani annos,beatũ ipsum martyrẽ populo suo reuelare voluit,vt inde præsumeret spem misericordiæ, vbi videret misericordiam & gratiam Domini redundare. Eius denique sepulturæ locus ob nimiam persecutionem Christianorum minimè frequentabatur. Verumtamen Dei nutu fama ipsius gloriosi martyris Sauiniani longè latéque volitante, virgo venerabilis Syria venit ad locum prædictæ sepulturæ, oculos quidem habens,officium tamen oculorum iam multo tempore perdiderat. Illa itaque animo non hæsitanti veniens, meruit quem amiserat recuperare visum, & quem desiderabat occultum inuenire thesaurũ. Præfata autem virgo quodam ducente,cimeterium ingressa, tumulum viri Dei vbinam quæreret prorsus ignara, tandem lacrymis Christum inuocat, sanctum Dei martyrem precibus exorat. Nondum oratio complebatur, & ecce deuotissima virgo exauditur. Oculi ipsius reparantur ad visum,pupillæ reseruantur ad vsum. Diuulgato igitur hoc facto, accurritur vndique, Deo laudes resonant, omnes de sancti martyris inuentione gaudent: Ecclesia decenter construitur, qua diligenter ædificata beata virgo Syria tanti beneficij non immemor, Deo se ibi, ac beato Sauiniano seruire deuouit: ibi se continuis affligens ieiuniis, orationibus vacans & vigiliis, hostiam viuam se Domino immolauit.

*S. Sauiniani martyris corpus diuinitus reuelatur.*

Nec prætereundum est fratres charissimi,cuius originis fuerit præfata virgo, filia enim fuit beatæ Margaretæ Reginæ Scotiæ, quæ beata Margareta decimotertio ætatis suæ anno accepit sibi Dauidem in sponsum, Hungariæ nationis:ambo Deum diligentes, & timorem ipsius præ oculis habentes. Peperit igitur beata Margareta anno ætatis vigesimo Fiacrium & Syriam. Obiit autem præfatus Dauid anno millesimo ab Incarnatione Domini. Post verò obitum nobilissimi Regis Dauidis, supradicta beata Margareta accepit sibi sponsum nomine Edmundum: genueruntque Edmundus & prædicta Margareta, quinque liberos,videlicet Leuicum, Florentinum, Furseum, Mansuetum & Triduanam,Deum timentes,& omnia propter eum relinquentes. Post obitum verò supradictæ Margaretæ, eius corpus cum hymnis & canticis ad Formiliense Monasterium reuerenter est delatum. Deinde sepultum est corpus beatæ Syriæ virginis in parte Occidentali in ipsa cellula quam ipsa ædificauerat,super corpus martyris Sauiniani, & exinde anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo die 13.mensis Augusti, aperta fuit capsa dictæ sanctæ Syriæ virginis, in qua quidem reperta fuerunt caput & ossa virginis,ad laudem & honorem totius diuinæ maiestatis.

*Genus S. Syriæ.* *S. Margaretæ Reginæ Scotiæ proles, sancti.*

## VITA S. LAVRIANI EPISCOPI & Martyris. *Ex Breuiario Ecclesiæ Bituricensis.*

*Breu. Eccles. Bituric.4.Iulij.*

LAVRIANVS Episcopus Hispalensis Ecclesiæ,quæ est Hispaniæ Metropolis,cum per 17. annos suam Ecclesiam rexisset, admonitus est ab Angelo propter populi peccata à ciuitate discedere: quod in eius absentia, pluribus malis & aduersitatibus,scilicet, fame & peste affligeretur: careretque pluuia cæli septem annis, donec Sancti Lauriani decoraretur reliquiis, & à suis resipisceret sceleribus. Qui statim consurgens, peracto Liturgiæ officio, susceptoque corpore Christi, & ad plebẽ de fide Catholica concione habita, sub vesperam clam fugiens,Totilæ legatos, qui eũ ad Hispalim reducerent, quærebant,postquam clusorem portarum transisset, & velociter Latium contenderet,in itinere cuidam cæco visum oculorum,cum mentis lumine, quo in Dominum crederet, restituit, & portum Massiliæ appellens, Romam profectus est.

*S. Laurianus monetur ab Angelo Ecclesiam suam relinquere.* *Nota septem annorum sterilitatem in Hispalẽsi prouincia.* *Venit Romã S.Laurianus.*

Aliquantisper verò Romæ moratus, ab Angelo monetur adire Biturigas ad locum qui dicitur Vastinus, vbi à sicariis Totilæ capite truncatus fuit. Mira res. Beatus Pontifex idem caput suum amputatum manibus tollens,post sicarios clamabat:Nolite fugere,sed caput meum Hispalim deportate,vt tota regio quæ septem annis æstu solis exusta est, inundatione vberioris pluuiæ humescat. Quod intelligens Totila,compunctus corde conuertitur ad Deum,& honorem sancto in eius reliquiis detulit. Sanctum verò corpus, à Sancto Eusebio Arelatensi Episcopo iuxta diuinum oraculum apud Vastinum requisitum, honorabili sepulturæ in Ecclesia tradidit.

*Monetur ab Angelo adire Biturigas ad locum qui dicitur Vastinus, & ibidẽ à sicariis Totilæ capite truncatur. Caput suum abscissum portat.* *Totila Rex S. viri reliquias honorat.* *Eusebius Arel. Episc. sancti viri corpus sepulturæ tradit.*

## NOTÆ.

Laurianus. ] *De quo Mart. Rom. cum Baronio* 4. *Iulij. Plura de eodem in Annalibus Hispaniæ. Agunt præterea de eo Iacobus Mosander tomo 7.Surij, & Thomas de Trugillo tom.2. Thesauri Concionatorum.*

Ad locum qui dicitur Vastinus. ] *Erat hic locus Eremiticæ vitæ ducendæ aptissimus,vbi S.Iterius Niuernensis Episcopus,& alij sanctitate celeberrimi viri solitariam vitam duxerunt.*

## VITA S. ENREMVNDI EREMITÆ. *Ex Breuiario Ecclesiæ Bellouacensis.*

*Breuiar. Eccles.Bellouac. 10.Iunij.* *S.Enremundi patria.* *Educatur in aula Chilperici Regis.*

REGNANTE in Galliis Chilperico Rege, Enremundus apud Baiocassinum vrbem clarissimis natalibus ortus,& in aula præfati regis educatus, tantam gratiam à Domino adeptus est, vt per eximiæ pietatis officia, magnum in palatio locum absque contubernalium inuidia sit assecutus.Licet præter rei vxoriæ curas,variis palatij solicitudinibus inuolueretur, amator tamen sapientiæ sedulus, numquam à sacrarum literarum lectione destitit,vt apis instar, inde suæ saluti profuturum excerperet.

*Degẽs in palatio sæpius sacrorum librorũ lectioni incumbit.*

Cum itaque sanctum legeretur Euangelium,audiuit inter cætera illam Domini sententiam, qua dixit: Qui amat patrem aut matrem, aut sororem plusquam me,non est me dignus.Rursus illam:Qui vult venire post me,abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Mox Enremundus tantæ exhortationis sententiæ non surdus auditor, omnia quæ possidere videbatur, pauperibus distribuit:quin & vxorem propriam,eodem spiritu afflatam,sub sanctimoniali habitu Domino seruituram reliquit:nihil omnino sibi quod ad vsum huius sæculi labentis attineret,retinuit.

*Valedicens mundo omnia sua pauperibus distribuit.* *Eius vxor sanctimonialium habitũ assumit.*

Vt autem liberius Deo seruiret,vastissimam Eremum petiit, in qua Angelico ductu amœnissimos fontes reperit, circa quos claustra paruula sibi virgultis & frondibus circumtexit. Nec multis post diebus, penè innumeri comperta eius fama sanctitatis,ad eum confluxerunt: vt eius ducatu Christo militarent.Quin & vniuersus populus ad eum concurrebat,quia eius precibus,cæcis visus, surdis auditus, mutis loquela, ægrotis sanitas reddebatur. Demum post innumera huiusmodi miracula, virtutibus & sanctitate plenus,animam Deo reddidit. Cuius corpus Lotharius Sagiensis Ecclesiæ Episcopus,in basilica quam sanctus idem construxerat, honorifice sepeliri curauit. Eius autem festiuitas 10.Iunij celebratur.

*Angelo duce S.Eremundus proficiscitur in Eremum.* *Claret miraculis.* *Moritur.* *A Lothario Sagiensi Episcopo,eius corpus honorifice sepelitur.*



## VITA SS. VIRGINVM ET MARtyrum Brigittæ & Mauræ. Ex Breuiario Ecclesiæ Bellouacensis.

*Breuiar. Eccles. Bellou. 13.Iulij.*

ANNO ab incarnatione Domini septingentesimo tricesimo primo, imperante Constantio Leonis filio, Theodorico quoque Francorum regnum strenue gubernante,duæ gloriosissimæ gemmæ, Brigitta & Maura Scotorum regis filiæ,vno & eodem die natæ sunt. In quarum ortu,fames & pestilentia quæ ferè totam illam Scotiæ terram longo tempore vexauerat,finem accepisse dicitur.

*Brigitta & Maura vno & eodem die natæ.* *In earũ natiuitate cessat pestilentia & fames quæ totam Scotiam deuastabat.*

Rex autem (matre earum præ angustia pariendi defuncta) duabus nutricibus educandas mandauit. Exacta itaque infantia cœperunt se omnino diuino seruitio mancipare. Maura ieiuniis & orationibus vacans, Ecclesiæ frequentabat limina, sorore Brigitta misericordiæ operibus, & eleemosynis iugiter intenta. Cum autem ad nubiles annos peruenissent,volens Rex regno suo consulere, Principibus & magnatis eas matrimonio iungere constituit:nec ab eis obtinere valuit. Reluctabãtur enim dicentes, se iam antea virginitatem Deo vouisse. Pertractans pater anxius, quomodo posset earum animos à tali proposito reuocare, diuino consilio sic disponente, defunctus est.

*Vouẽt virginitatem.*

Temporalis igitur regni hæredes effectæ,ne forte in regiis honoribus commorantes, refrigescente proposito tepescerent: coassumpto Hyspadio fratre, impotenti quidem corpore,nec regno idoneo, relictis omnibus peregrinari volentes, Romam profectæ sunt. Visitatis igitur sanctorum liminibus, Vrsinum hospitem à sæuo dæmone liberarunt, quem postea peregrinationis socium & famulum fidelem habuerunt.Transeuntes igitur Bellouacense territorium,in loco qui Ballignyacus dicitur, quietis gratia consederunt:in quo à quatuor prædonibus inuentæ, ab eisdem multis iniuriis pro Christo & castitatis conseruatione affectæ, vna cum fratre Hyspadio, gladiis eorum trucidatæ sunt. Quas in eodem loco prædictus Vrsinus pro virili honorifice sepeliuit.

*Assumpto fratre peregrinantur.* *Vrsinũ quendam à dæmone vexatum liberant.* *Tandem à prædonibus pro Christo, & castitate seruãda trucidantur.*

Inde labentibus multis annis, crebescente earum fama, cum regina Bathildis earum corpora ad Monasterium ab ea conditum, quod Calla dicitur, transferre vellet,plaustra in loco qui & nunc crux Sanctæ Mauræ dicitur, ita immobilia permansere: vt à deuota regina diuinitus admonita, & procerum qui tum reginæ aderant consilio, in proxima Ecclesia,quæ Nongenti ad virgines dicitur, collocari iussa sint. Earum verò festiuitas 13. Iulij celebratur.

*Bathildis Regina earum corpora trãsfert.*

## VITA S. EBRVLPHI CONFESsoris. Ex Breuiario Ecclesiæ Bellouacensis.

*Breuiar. Eccles. Bellou. 12.Feb.* *S. Ebrulphi patria.*

VIR Dei Ebrulphus genere Francorum nobili exortus,ciuis Bellouacensis extitisse memoratur. Huius genitrix dum sterilis esset, & loca sanctorum frequentaret, ieiuniis & orationibus diuinum implorans auxilium ne infœcunda permaneret, ab Angelo responsum accepit, quod filium esset paritura,qui tali nomine diceretur, cuius vita multis clarescerret miraculis. Natus autem secundum diuinum promissum, erat ætate & moribus proficiens.Etiamnum puer & adolescens semel ad

*Ex infœcũda matre Angelico promisso nascitur.* *Etiamnum puer semel ad vesperam cibum sumit.*

ad vesperã cibũ sumebat,diuinis scripturis intẽtus.

*Fit Monachus.* Post aliquantum tempus, Monasticæ conuersationis habitum suscepit, constructoque sibi oratorio in eo loco, qui postmodum à posteris oratorij appellatione dignatus est,eo quod plures orationis domos haberet:sine intermissione ibi Domino famulabatur. Cumque eius sanctitatis fama crebresceret, à Bellouacensi Episcopo accersitus, ad Diaconij gradum prouectus est. Fiebat denique ad eũ religiosorum concursus, & ægritudine laborantiũ, quibus inuocato Christi nomine salutis remedium conferebat. Nam mulierem cæcam illuminauit, alios etiam leprosos, & à dæmonibus vexatos curauit. Euocatus denuo à Præsule, Presbyter ordinatus est.

*Summo in honore habet eum Regina Fredegondis.* Quadam nocte dum in stratu suo quiesceret,ecce apparuit ei quasi grex ouium desolatus, qui pastorem non habebat, huc illucque dispersus, dictumque est ei. Homo Dei, cur gregem istum errare pateris? Continuo expergefactus, paulo post didicit quid visio ista portenderet. Nam suasu Fredegondis reginæ, quæ illum maximè venerabatur, & palatij proceres, hunc Dei famulum Monachis patre suo destitutis, Abbatem præficere decreuerãt in suburbanis vrbis Ambianensis, vbi Fuscianus & Victoricus certauerunt martyrio. Missis itaque qui eum exhiberent, violenter potius quàm sua sponte ad id loci deductus, pastoralem cepit curam: maximo affectus tædio, quod locum fuisset coactus deserere, vbi solitarius & quietus vixerat multo tempore. Ordinatus igitur in cœnobio adeò se in humilitate prostrauit, vt omnium se minorem gereret, & ministeria infimis personis deputata læto vultu subiret.

*Sanat dæmoniacum.* Aliquando cum fratribus deambulans,pro consuetudine sua quædam de scripturis tractabat:cum ecce vir nomine Clarius à dæmone vexatus occurrit,quem liberauit & illuminauit. Præterea quidam latrocinia exercens, putauit in eius cella reperiri multam pecuniam, & nocte silenter ingressus tulit omnia quæ reperit. Orto manè cum hoc fratres cognouissent,Dei famulo nunciauerunt: quod ille audiens consolatus est eos, Dominicam obiiciens sententiam, qua præcepit orandum pro inimicis. Post aliqua momenta, à dæmonio inuasus retulit quod asportarat. Sed vir Domini iniuriæ immemor Deo gratias egit, & dæmonium ab eo expulit.Post hæc cum obitum suum imminere sentiret, plenus dierum conuocatis fratribus, eos ad virtutum exercitia, & regulæ obseruantiam, & charitatem fraternam adhortatus est.Igitur cum per aliquot dies vocationem suam solicitus expectasset, vltima die discipulos assistentes confortans, gaudens in Domino inter verba orationis carne solutus est.

*Item & aliũ.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Ebrulphus.] *Fuit & alius S.Ebrulphus Abbas Oximensis, cuius vitam supra in lib. 2. descripsimus, vulgò dicitur* S. Eurou.

Suasu Fredegondis Reginæ.] *Quamuis Regina ista Galliæ fuerit crudelissima, & omnino pessima: attamen honorabat valde Ecclesiasticos viros, eisque beneficiebat, multaque fundauit & dotauit Monasteria, vt videre est apud Nicolaum Ægidium, in Annalibus Franciæ.*

*Breuiar. Monaster. S. Ioãnis in Vineis 1. Octobris.*

## VITA S. VVLGISI EREMITÆ.

*Ex Breuiario Cœnobÿ S. Ioannis in Vineis Sueßionensis, Ordinis S. Augustini.*

*S. Remigio Episcopo baptizatur S. Vulgisus.* VVLGISVS, in prouincia Rhemensi nobili familia ortus, à Sancto Remigio Christi fidem edoctus, & in sacro baptismatis fonte ablutus est. Adolescens cum venusto esset corpore, dedit operam, vt speciosam quoque animam in conspectu Dei compararet. Quapropter mores suos tam præclarè composuerat, vt ab omnibus vnicè amaretur, tum præcipuè à B. Remigio, qui illum & sacerdotem ordinauit, & socium in laboribus adhibuit: vt qui esset eloquio facundus, actione gratus, longanimitate spectatissimus.

*Ab eodẽ Sacerdos ordinatur.*

*Secedit in solitudinem.* Sed cùm solitariam vitam appeteret, benedictione accepta à magistro, secessit in solitudinem nemoris Rhetij, eumque inhabitauit locum,quem nunc Troynas vocant: vbi oratorio constructo, ieiuniis & orationibus vacabat. Cumque suæ mortis præscius, aliisque miraculis clarus, ex hac vita emigrasset: ibidem in cœmeterio S. Petri sepelitur. Cuius loci dignitas & gloria, dictu mirum quàm latè percrebuerit, cùm ad eum, propter miraculorum frequentiam, ex omni circum regione ingens fidelium multitudo confluerit: adcóque iam multi essent, qui de asportando in suas Ecclesias Vulgisi corpore deliberarent. Sed cùm hoc resciuisset Milo (qui tum ibi erat potentissimus) gloriam suam alteri nolens dare, corpus sancti viri transferendum curauit in castrum suum apud firmitatem Milonis, collocandum in Ecclesia S. Sebastiani, quam Ecclesiam honestissimè dotatam reliquit. Quamuis autem dubitetur à quibusdam num 4. Idus Nouemb. translationis,an verò Natalis eius dies sit: tamen festiuitas primo die Octobris potissimum celebratur.

*Prædicit suũ obitum.*

*Propter miraculorũ frequentiam, multi ad eius sepulchrum confluunt.*

*Transfertur sacrum eius corpus.*

### NOTÆ.

Vulgisus.] *Agunt de eodem Molanus in addit. ad Vsuard. Heribertus Rosweidus Societ. Iesu in Fastis Sanctorum 1. die Octobris. Flodoardus Presbyter,in hist. Rhemensi. Arnoldus Vvionius in martyr. Monastico 4. Februarij agit de quodam alio Vulgiso Episcopo, quem dicit floruisse circa annum Domini* 740.

*Breu. Eccles. Lingon. 26. Nouemb.*

## VITA S. BASSOLI EREMITÆ.

*Ex Breuiario Ecclesiæ Lingonensis. Partim etiam ex Petro de Natalib. lib. 9. cap. 69.*

*Patria S. Bassoli.* BEATISSIMVS Bassolus in Aquitania prouincia inclyto parentum genere exortus, in territorio vrbis Lemouicæ natus,& genere fuit nobilissimus. Qui fælici auspicio metas infantiæ supergressus: cùm tempora adolescentiæ sacri tyrocinij incremento contigissent, ad diuinæ seruitutis opus totum se conuertit. Qui licet in seculo aliquandiu conuersatus: non tamen sacram adolescentiam vitiis subdiderat, quibus illa ætas implicari solet. Ecclesiis Dei, aut Monasteriis animo peruigilans in adolescẽtia meditabatur,quod postmodum altius impleret. Circa pauperes tanta ei liberalitas erat, vt quod concessæ facultatis fuerat, id totum præter quotidianum victum, stipendiis infunderet miserorum.

*Catalogus virtutũ eius.* Erat autem omnibus affabilis, gratus alloquio, honestus in domo, tardus in publico. Cumque omnes honorum gradus pertransiret florida beati Bassoli iuuenta, Dei præuentus dono, accenditur eius animus, vt iam plenius renunciare debuisset mundo, sua omnia desereret, de finibus suis exiret: ac regnum Franciæ penetraret; Rhemensem vr bem



vrbem specialiter expeteret,ac B.Remigij, de cuius actibus sanctis mira iam olim cognouisset, tumulum corporaliter inuiseret, ibique sacris vigiliis & orationibus aliquandiu excubaret.

*In nemorosi montis cacumine habitat.* Volens præterea humanam per omnia vitare conuersationem,& vitam ingredi solitariam:in nemorosi montis cacumine locum sibi elegit. In quo cellulam cum oratorio construxit, vbi per quadraginta annos habitans,quantos sudores,quantas pro Christo, subierit passiones decernendum relinquimus fidelium existimationi, quando deficit linguæ nostræ copia. Cum autem ibi aquæ penuria vir sanctus nimium laboraret,quadam die in illa montis celsitudine, visus est de terræ visceribus ad suos vsus aquam educere. Qui cum ad fodiendam terram accederet, & aquam sibi deesse anxius cerneret, Dominum inuocat. Subito igitur fons cœpit abundantissimè fluere: de quo si quis quacumque infirmitate detentus, desiderium potandi, vel corpus ex eo habuerit abluendi, virtute sancti confisus, adeptione speratæ salutis non erit vllo modo diuina pietate frustratus.

*Precibus à Deo obtinet fontem.*

*Aper insequẽtus à venatoribus fugit ad Cellã viri Dei.* Attila quidam dives & potens, dum circa montem illum venaretur,& aprum cum canibus sequeretur:aper cum esset nimiæ magnitudinis, deposita omni feritate ad cellam viri Dei veniens, & quasi liberari ab eo se petens, pedibus illius aduolutus iacebat. Quem dum canes & equites sequerentur; diuina virtute effecti immobiles, vltra viri Dei limites, nec accedere, nec retrocedere valebant. Quod cernens Attila, de præsumptione pœnituit, & se sancti orationibus commendans aprum dimisit: eidemque viro Dei prædia sua ibidem posita grataníter concessit. Cum quidam pro crimine damnatus esset suspendio,& iam laqueo astrictus suffocaretur, sanctum tamen Bassolum mente inuocans, quia iam voce non poterat;laqueo rupto liberatus euasit. Deo igitur probatus ac perfectus inuentus, onus deponens corporis, cœlum ingreditur die sexto Calendarum Decembrium. Cuius venerabile festum colitur Idibus Octobris, quando translatio corporis eius facta est.

*Damnatus ad mortẽ, inuocans virtũ Dei liberatur.*

### NOTÆ.

Bassolus.] *De eodem Molanus in addit. ad Vsuard. 26. Nouemb. Res eius gestas referunt Vincent. in Speculo lib. 21. c. 116. Petrus in Cat. lib. 9. c. 69. Trithem. de viris Illust. Ord. S. B. lib. 3. c. 45. Meminit eiusdem Vion. tom. 2. Ligni Vitæ, die 26. Nouemb. qui dicit eum vixisse sub Childerico Rege anno Domini* 560. *Eius præterea Vitam scripsit Flodoardus in sua Hist. Ecclesiæ Rhem. Multa præclara & notatu digna referuntur de eo in Breuiario Ecclesiæ Rhemensis, quæ hic inserere libet. Bassolus Lemouicus, genere nobilis, parentes habuit verissimos pietatis Christianæ cultores, ac diligentissimos diuinæ legis obseruatores, &c. Et paulo infrà. Itaque relictis parentibus & patria, Angelo duce Rhemos, beati Rhemigij (cuius sanctitatis fama vniuersam Galliam peruaserat) sepulcrum visendi desiderio captus, perrexit. Vbi à beato Ægidio quarto post Rhemigium, Rhemensi Archiepiscopo, benignè susceptus est. Præsul autem Ægidius, cognito sancti viri proposito, locum ad radicem montis Rhemensis, Bassolo secretioris conuersationis habitaculum postulanti concessit, sexto ab vrbe milliari, iuxta saltum Rietum, vbi tunc erat cœnobium sancto Columbano sacratum. A Monachis perhumanè susceptus, sacris literis sic imbuitur: vt breui tempore non solum coætaneos, sed etiam maiores eruditione præcelleret. Hic tandem hominum consuetudinem relinquens, vt in solitudine degeret, cacumen montis conscendit: vbi cellulam cum oratorio construxit, in qua annis quadraginta lectionibus & orationibus vacans, sic ieiuniis carnem domuit, vt eius spiritus prorsus Deo militaret. Dum vir sanctus in ea solitudine aquæ penuria laboraret, supplici ad Deum precatione, fontem vberrimum de saxo scaturientem produxit. Tandem hic studiosissimus eremi cultor, suæ resolutionis diem præuidens, Balsemium nepotem suum diuino nutu ad se vocatum, sibi in eadem cellula successorem delegit. Quibus peractis, moritur in Domino Bassolus, & ibidem sepelitur. Diruto autem postmodum bellorum iniuria beati Columbani Monasterio, aliud in Dei honorem, ac beatorum Martini & Bassoli quod nunc extat, in eodem montis cacumine construitur. In quod Hincmarus Rhemorum Archipræsul, almi Bassoli corpus solemni Clericorum frequentia transtulit Idibus Octobris, quo die Ecclesiam dedicauit. Plura de eodem in Breuiariis Ecclesiarum Tullensis, & Cathalaunensis.*

## VITA S. HERNEI ABBATIS.

*Ex Breuiario Ecclesiæ B. Mariæ de Belna.*

*Patria & clari natales S. Hernei.* IVIT Sanctus Herneus vir vitæ venerabilis, Aquitaniæ prouinciæ,nobili ex progenie ortus,& ab infantia sacris literis eruditus, ac regularibus disciplinis plenè imbutus,moribus temperatus,sacris orationibus ac lectionibus assiduè deditus,pauperibus vltrò ministrans,& ipse pro Christo pauper ac peregrinus effectus, aspectu venerabilis, forma speciosus,habitu laudabilis, & virtutum donis præclarus.

*Catalogus virtutũ eius.*

Hic autem propriam patriam & parentes, domos & possessiones multas relinquens, adimpleuit sententiam Domini, qui ait. Quicumque reliquerit patrem aut matrem, fratres & sorores, domos & agros, & reliqua quæ saluator annumerat,& sequutus me fuerit; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Audiens autem famam sancti Innocentis Cœnomanicæ vrbis Episcopi, vna cum sociis suis venit ad eum. Qui comperta eius sanctitate,diu eum secum retinuit, & ordinauit eum primò Diaconum,& non multo post Presbyterum ordinauit. Hoc pacto dedit illi vicum suum nomine Celsiacum, vt fratres qui ibidem communem ab Apostolis traditam vitam sanctè ducebant,regulariter doceret, & sub eius ditione sanctè regeret, vt plures Christo lucraretur.

*Relictis omnibus, venit ad sanctum Innocentem Cœnomens. Episcopum, à quo Diaconus & Presbyter ordinatur.*

Qui susceptam obedientiam pro viribus adimplere curauit,atque iuxta prædictum vicum, adiuuante & ordinante præfato Episcopo, Ecclesiam in honorẽ S.Martini construxit, vna cum clausiro regulariter sub eius ditione composito. Qui Monachos non minus quàm triginta congregare curauit,& sub sancta regula viuere perdocuit.Tempore namque illo quo hæc agebantur, Clotharius Francorum Rex persequendo filium suum nomine Chrannum illuc aduenit, & à iam dicto Sancto Herneo cum psalterio, (vt Regem decet) nobiliter susceptus est: atque de pauco vino quod ibidem habebat, Domino illud augmentante, illum suósque pauit abundè.

*Construit Ecclesiã ad honorẽ S. Martini.*

*Honorificè excipit Regẽ Clotharium.*

*Vinum eius precibus multiplicatum.*

Tunc memoratus Sanctus ab ipso Rege & muneribus ditatus est & rebus. Dedit autem ei prædictus Rex aliqua prædia & munera, vnde cœptum opus perficeret. Siquidem amabat Dei seruos, & cultum sanctæ Dei Ecclesiæ dilatare cupiebat. Et ideo eius ac fratris sui Childerici temporibus multa Monasteria & Xenodochia sunt constructa:vnde & gratiam Dei,ac vitam (vt credendum est) adepti sunt sempiternam.

*Conferuntur ipsi à Rege multa prædia.*

*Catalogus virtutum S. Hernei.*

Erat enim memoratus Sanctus Herneus parcus admodum in cibo & potu, vigiliis, orationibus & ieiuniis deditus: atque necessitatem patientibus ex his quæ sibi subtrahebat, & reliqua necessaria ministrabat. Reliqua autem signorum & virtutum eius nonnulla quæ Dominus tam eo viuente, quàm post eius obitum suis meritis ministrare dignatus est, prolixitatem vitantes, hic inferere distulimus. Obiit autem S. Herneus quinto Idus Augusti, & condignè sepultus est in memorato vico, in Ecclesia S. Georgij martyris, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui regnat in secula seculorum. Amen.

*Claret miraculis.*

*Moritur.*

## NOTÆ.

Herneus.] *Eius festiuitas 9. Augusti in Breuiario Ecclesiæ B. Mariæ de Belna reponitur, vulgò* de Beaune, *diœcesis Eduensis, aliàs Augustodunensis, vulgò* d'Autun. *Cauendum est ne confundatur cum S. Herueo, cuius vitam etiam descripsimus.*

*Breu. Ordin. S. Antonij Vienn. 23. Ianuarij.*

## VITA S. BARNARDI EPISCOPI.

*Partim ex Breuiario Ordinis S. Antonij Viennensis, partim ex Breuiario Ecclesiæ Diensis.*

*Patria & parentes S. Barnardi.*

BARNARDVS patria Lugdunensis, Barnardo, & Hedirda parentibus illustribus, & antiqua nobilitatis serie clarissimis, à teneris annis C studiis liberalibus eruditus, sic se totum Deo vouit, vt sæcularibus curis posthabitis, nihil prius & antiquius habuerit, quàm Dei Ecclesiam & Ecclesiasticos vitos colere. Fratribus porrò tandem maioribus vita functis, veritus pater ne cùm solus esset superstes familiæ Barnardus totus Deo addictus, tantis paternis opibus hæres deesset, illum à sanctissimo vitæ proposito, matre etiam hortatrice acerrima, auertere conatus est. Vtque facilius animo destinata perageret, adolescentem iam toto pectore sacra religione imbutum, ad ca-

*Militat sub Carolo magno Imperatore.*

stra Caroli magni Imperatoris stipendia facturum destinauit, vt illic castrensium more virorum militarium, nec fidem, nec pietatem sequentium, pri- D ma iuuenilis ardoris tyrocinia expleret; sicque celebre clarumque nomen, & famam per populos facinoribus bellicis adipisceretur. Qui quidem ad maiora, id est, cælestia potius reseruatus, insignis pietate adolescens, paternis iussis, magis moris gerendi gratia, quàm sua sponte tale militiæ munus obiit. Quod tamen sic exercuit, vt nec segnis, nec alba inglorius palma appareret.

Tandem verò vtroque orbatus parente, non mediocris substantiæ vnicus hæres, suæque spontis factus, & militiæ exauctoratus, cœpit animo perpendere, qualiter tanta bona sibi hæreditate parta, ex præcepto Euangelico dispensaret, seque ab his, vtpote malorum irritamentis abstraheret, E vt tanquam bonus dispensator iniqui mammonæ Domini voce laudaretur, quod de re iniqua iustitiam sibi compararet. Circumspecto itaque certo loco solitario, procúlque à turbis ciuilibus remoto, cui nomen erat Ambroniacum, permutatione hæreditatis paternæ sui iuris effecit. Quo in loco

*Apud Ambroniacũ restaurat Ecclesiã ad honorem B. Dei genitricis Virginis Mariæ.*

ædem sacram olim beatæ Virgini parenti dicatam, sed à perfidis gentibus dirutam, instaurauit, illicque restituto, vt quondam fuerat, Monasterio, se pariter vitæ Monasticæ addixit; vbi diuino zelo magis ac magis succensus, vniuersis ibi fratribus degentibus sanctissimæ vitæ documenta præstabat. Ex quo ab omnibus charus haberi, honorari, intimisque affectibus diligi cœpit. Quo factum est, vt Abbas illius collegij, votis omnium atque suffragiis, illo maximè renitente, in demortui locum suffectus sit, sub quo sanctissimo pastore dici non potest, quàm prosperè cuncta illius Monasterij diuinitus mirisque modis successere.

*Fit Abbas.*

Cùm verò tanti Præsulis celebre nomen vndique personaret, ne talis luminis splendor vno in loco, eoque recondito, & tanquam sub modio abstruso lateret, metropoli Viennensi Ecclesia pastoris morte viduata, dum de successore deligendo habentur comitia, decennem puerum acclamasse ferunt, virum sanctum nomine Barnardum, Ambroniaci Abbatem, Viennensi Ecclesiæ à Deo electum B Pontificem. Qua quidem voce tanquam cælitus lapsa, & à cunctis comprobata, vir sanctus, accedente etiam Romani Pontificis consensu, ad cuius aures hominis sanctimonia peruenerat, eligitur & consecratur Episcopus, miro totius populi desiderio, atque applausu. Tali itaque suscepta prouincia, animus qui antea tantummodo diuina sectando, otiari consueuerat, omnium curam gerere coactus est, & terrena tractando, diuinorum tamen se rigidum fortèque præstabat satellitem, vsque adeo, vt ne tantillum quidem de vigiliarum rigore, ieiuniorum austeritate, & orationum perseuerantia detraheret. Verumtamen pristinæ vitæ memor, & optimè vixisse reputans, qui procul à ciuilibus negotiis abesset, quo purius cælestia contemplaretur, locum quendam solitarium ad fluuium Isaram sibi delegit, quem spinis, syluarumque asperitate repurgatum, templum & Monasterium in honorem Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum cõstruxit: nomenque de Romanis ab eo penes quem ius loci spectabat, indidit, vbi reliquum vitæ tempus sanctissimè peregit. Talibus demum præclarè gestis, ac diuinis virtutibus, ac miraculis ornatus, ingrauescente morbo, sumpto sacrosancto Eucharistiæ viatico, obdormiuit in Domino, annum agens sexagesimumquartum, Episcopatus munere functus annos duos & triginta. Sepultus est autem in æde sacra quam in eodem loco de Romanis construxerat, donisque præclaris ornauerat.

*Pueri voce eligitur Episcopus Viennensis.*

*Nihil sibi blanditur ob adeptum honorem.*

*Cõstruit Monasterium, vbi relicto Episcopatu reliquũ vitæ solitarius cõsumit.*

*Extra solitarius cõsumit.*

*Sumpto Eucharistiæ Sacramento moritur.*

## NOTÆ.

Barnardus.] *De quo plura in Breuiariis Ecclesiarum Diensis & Viennensis 23. Ianuarij. Meminit eiusdem Ioannes à Bosco in antiquit. Viennens. Successit Vltraiæ in Episcopatu, qui fuit 48. Arch. Vienn. Barnardus verò 50. qui (vt scribit à Bosco) fuit vir solers, ingenuus, & eruditus, cuius frequẽter meminit Lugdun. Archiep. libros ei dedicans, Agobardus. Hæc ille. Et infra subiungit. Ad hunc scripsit S. Agobardus Lugdun. librum de priuilegio, & iure Sacerdotij. Ad ipsum Paschalis Papa Primus scripsit Epistolam, necnon etiam Eugenius II. quas reponit idem à Bosco in prædictis antiquitatibus. Notandum etiam à quibusdam vocari Bernardum, sed mendosè, nam in Breuiariis Ecclesiarum Diensis, & Vienn. & apud Ioannem à Bosco, semper scribitur Barnardus. Corrigendum ergo Breuiarium Ordinis S. Antonij Vienn. Porrò in Breuiario Ecclesiæ Diensis sit mentio de sacri ipsius corporis inuentione, vt colligitur ex Responsorio 8. quod sic est. Dum thesaurus occultus quæritur, almi patris sepulchrum frangitur, inde mirus odor egreditur, Sancti Spiritus virtus suppressa panditur. Vers. Membris ægrotis salus redditur, Barnardi laus longè diffunditur. Ex prædicto etiam Breuiario colligitur ipsum fuisse matrimonio adstrictum. In coniugio enim (ita scribitur in 8. lectione) tanquam sine coniuge cælebs viuebat,*



*viuebat, & inter filios, tanquam sine filiis, Dei, non* A *quæ mundi erant, cogitabat. Ibidem etiam extat Hymnus proprius ad Completorium, quem hic inferere non superfluum puto.*

*Gaude præsens Ecclesia,*
*Lætam agens memoriam;*
*Barnardi nunc præconia*
*Resultans, atque gloriam.*
*Carnis liber ergastulo,*
*Cæli potitur gloria:*
*Pro meritorum cumulo,*
*Magnus in cæli curia.*
*Vox desursum, fragrantia mira,*
*Cum cæli lumine;*
*Dant isti testimonia*
*De sanctitatis culmine.*
*Trino Deo laus debita,*
*Reddatur atque gloria:*
*Qui nos per huius merita,*
*Ducat ad cæli gaudia. Amen.*

*De eodem etiam plura notatu digna reperi in Breuiario Ecclesiæ Gratianopolitanæ, quæ hic in lectoris gratiam reponere libet, quamuis ibidem non Barnardus, sed Bernardus nominetur. Sub Carolo Imperatore qui primus ex gente Francorum Romanum sumpsit Imperium, beatus Bernardus Viennensem Ecclesiam Deo fauente suscepit regendam, &c. Cum autem Leidradus Lugdunensem, & Bernardus (vt præfertur) Viennensem regerent Ecclesias, idem Leidradus præsul pompas sæculi* C *abiiciens (erat enim vir seculari dignitati intentissimus, & honori reipublicæ vtilis) in quodam quod ipse ædificauerat se contulit Monasterium cum consilio S. Bernardi, electo in sede Agobardo Coëpiscopo iussione Regis, & consentiẽtibus aliquantis Episcopis: reddito ei annulo & pallio. Quamobrem grande cunctis Galliarum pontificibus aduersus Sanctum Bernardum odium exoritur, obiicientibus ei immane crimẽ de ordinatione Agobardi, ac dicentibus, quoniã contra canones Apostolorum feciſſet, & non debere duos simul in vno Episcopatu Episcopos inesse. Cuius sententiam irrefragabilem cernentes, Domno Apostolico indicare studeant. Quorum seditiones cum nec Epistolis, nec missis sedari valuissent, Arelatem deuenit,* D *& ad Concilium vniuersos Episcopos conuocari præcepit. In quo conuentu multa de statu sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad vtilitatem fidelium pertinentia definita, resque præcipuè pro qua venerant, declaratur. Vbi non aliter se excusasse S. Bernardus dicitur, nisi quod canones tantum, & capitulum in quo erat descriptum tradidit: Quicquid Archiepiscopus suo Coëpiscopo in Ecclesia sua agere præceperit, liceat perficere. Quod cum nullus interdicere posset, ne sub hac occasione alius error suboriretur, statuunt vt Leidrado ad suam Ecclesiam reuerso, Agobardo in suo quem dudum habuerat gradu permanente, nihil amplius pro benedictione Episcopali nuper percepta agere liceret. Sed & hoc censuerunt, vt in cunctis Galliarum Episcopatibus, illis qui præsenti tempore aderant defunctis, nullus deinceps alius constitueretur Coëpiscopus.* E *Quod edictum vsque in hodiernum permanet tempus. Multa quidem secundum seculi dignitatem & actualem vitam pertinentia legimus, quæ Sanctus Bernardus gessit, quæ ne fastidium lectori facerent prætermisimus. Fuit enim dilectus Pipino Regi Francorum, filioque eius Carolo magno Augusto, sicut iam dictum est, ac Ludouico filio Caroli illustrissimo Augusto, & affinitate coniunctus. Hic nobilitatem quam duxit ex prosapia, diuina fauente nobilitauit gratia. Tricesimo secundo sui anno, Pontificalem adeptus cathedram, gregem sibi cælitus commissum sancta solicitudine, monitis & exemplis iugiter refouebat. Eratque (vt in eius Epitaphio reperitur) inclytus nobilitate, ac morum probitate. Hæc ibidem.*

Patria Lugdun.] *Consentit supradictum Breuiariũ Diense, vbi in prima lectione sic scribitur. Beatus Barnardus, Patronus Viennensium, qui filius boni odoris interpretatur, in Lugdunensi Diœcesi, ex illustri valde prosapia oriundus fuit.*

Ad castra Caroli magni Imperat.] *In Breuiario Diensi. A scholis extractum militiæ exercitus in castris Caroli deputarunt.*

Cui nomen erat Ambroniacum.] *Vulgò dicitur* Amburnay.

Permutatione hæreditatis paternæ.] *Breuiarium Eccl. Diensis in 5. lectione: Considerata igitur cuiusdam loci aptitudine, cui vocabulum erat Ambroniacus, acquisiuit illum ab Abbate Luxouiensi, permutatione hæreditatis paternæ.* B

Ædem sacram, olim B. Virgini parenti dicatam.] *Consentit Breuiarium Eccl. Diensis.*

Ad fluuium Isaram.] *Vulgò* Lisere. *Est autem Isara fluuius Allobrogum, non procul à Cemeno monte in Rhodanum influens. Vide Plinium lib. 3. c. 4.*

Templum & Monasterium in honorem Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum.] *Ioannes à Bosco sic ait. Cum boni pastoris more, curam sui gregis agens, prouinciam suam lustraret, quendam locum in margine Episcopatus sui super fluuium Isaram reperit, qui cuiusdam matrisfamilias diuitis prædium perhibetur fuisse. Videns verò quod amœnus esset, & propter quasdam adiacentes causas ad construendum aptius Monasterium,* C *ab eadem anu locum petiit emendum. Quæ Pontificis precibus annuens, gratis dare voluit. Verum sancto non consentiente, æstimatum pretium tradidit, atque in hunc modum iuri suo locum adscribi præcepit. De quo vepribus, & quibusdam arbustis, quibus occupatus erat, abscisis: templum admirandi operis in ipso loco condere iussit. Et paulò infra. Templum autem decenter compositum cum octo suis Suffraganeis, in honorẽ duodecim Apostolorum, siue trium Sanctorum Martyrum, Seuerini, Exuperij, & Feliciani, sexto Nonas Octobris dedicauit, &c.*

Nomenque de Romanis, ab eo penes quem ius loci spectabat indidit.] *A Bosco scribit. Cui ob sublimitatem ædificij, de Romanis nomen indidit.*

*Iulianus Apostata primò Subdiaconus.*

## VITA S. LIBARIÆ VIRGINIS & Martyris. Ex Breuiario Ecclesiæ Tullensis.

IVLIANVS apostata apicibus sacri eloquij à pueritia diuinis instructus, ad Subdiaconij insuper accedens honorem, cultor Domini nostri Iesu Christi extitit infidelissimus. Nam omnium proculdubio miserrimus mortaliũ, Christum cunctorum fidelium saluatorem dereliquit, & diabolum suis exigentibus meritis, humani generis deceptorem incurrit. Impiissimus namque Cæsar effectus, crudelem dedit crudeliter legem, vt omnes vbicumque Christiani essent, cunctis cederent facultatibus suis. Crudelissimus igitur Tyrannus, quantas Christicolarum strages per totum orbem dedit, nec lingua enarrare humana, nec vllus calamus scriptoris exarare potest. Post non paruum tempus tyrannus teterrimus Italiam relinquens, innotuit se adire Gallicas partes, ea intentione, vt idola erigeret, templa dæmonibus ædificaret, vastaret Ecclesias, ad dæmoniorum culturam, vel præmiis inuitaret Christianos, vel si aliorum consilio illum cum suis donis contemnerent, exquisitis studiosè pœnis interficeret.

*Promulgat legem contra Christianos, vt omnibus cedant facultatibus.*

*Relicta Italia venit in Galliam.*

Ad maximam igitur longitudine & latitudine accessit vrbem, turribus & muris tunc temporis munitissimam nomine Grandem. Ad cuius aduentum, per superbiam eriguntur Pagani, per odium & inuidiam armantur Iudæi: vtrique ad persequendos Christianos adstipulati, & incredibili conspiratione fiunt vniti. Cum igitur æua crudelissimæ tempestas persecutionis in Galliis vbique Ecclesiam Christi vastaret: vir secundũ seculi dignitatem gloriosus, & quod maioris est laudis, fidelissimus Christianus Eliphius nomine, in vrbe fulsit Tullensi, & magna firmitate ferunt, qui eius progeniem non ignorant, quod dictus vir Deo plenus, quatuor habuit germanos in omni sanctitatis perfectione per cuncta sibi simillimos. Sanctissimum scilicet Episcopum nomine Eucharium, qui cum palma martyrij susceptus est in cælum, cuius corpus sacratissimum in castro Luberduni est conditum. Castissimas etiam tres sorores per omnia Christo deuotas, quarum nomina lectioni placet nobis inseri. Menna dicitur prima sacra virgo, & Monacha, quæ ad portum Suauem est condita. Secunda vocatur Libaria Monacha & Martyr, quæ in ciuitate Grandis est sepulta. Tertia Monacha & Martyr similiter, nomine Susanna, in Campania tumulata.

*S. Eucharius Martyr Episcopus Tullensis.*

*Menna, Libaria, & Susanna sorores sanctæ.*

*Parentes S. Libariæ Virginis.*

De Libaria ergo filia Baccij & Lientrudis sanctorum, quomodo, & qualiter se habuit in ciuitate Grandis audientibus præsentemus, in qua ciuitate illo tempore pauci habitabant Christiani. Pater verò Baccius, & Lientrudis mater eius docuerant eam literalem scientiam, & legem Domini, veterem & nouam ab adolescentia. Quomodo Iesus in sacratissimã Virginẽ descendit, & virginaliter natus est, secundum dicta prophetarum circumcisus, vt legem impleret, oblationes accipiens, oblatus, fugiens in Ægyptum, miracula faciens, infirmos sanando, cæcos illuminando, famelicos pascendo, & satiando, euangelizando, mortuos suscitando, curuos erigendo, dæmones effugando, & multa mirabiliter opera demonstrando. Nouissimè patiens sub Pontio Pilato Præside, quem milites despoliauerunt, & pupugerunt lancea, & quomodo quidam posuerunt in sepulchro. Quem Deus suscitauit à mortuis, quem ascendentem in cælum sui adorauerunt.

*Educatur in Christi fide à parentibus S. Libaria.*

*Sanctarũ Virginum velamen & habitum suscipit, & virginitatem suã Christo dedicat.*

Quæ omnia hæc in armariolo sui pectoris recondebat, deinde Spiritu sancto afflata, Monachalem habitum induit, & virginitatem suam Christo copulauit, dicebat enim in corde suo, postquam Libaria nominor, meipsam liberè Domino meo Iesu Christo tradere debeo, qui seipsum in sacrificium pro me, & omni populo tradidit. Orabatque in die centies, & in lege delectabatur, & operabatur nendo, & oues suas custodiendo.

*Centies in die orare cõsueuerat S. Libaria.*

*Pascit oues S. Libaria.*

*Iulianus Apostata Christianos trucidat, & Ecclesias subuertit apud ciuitatem Grandem.*

In diebus illis Iulianus Cæsar malignus introiuit ciuitatem Grandis nobilem, & quos Christianos ibi inuenit, trucidauit, Ecclesias subuertit, Deos suos erexit, & adorare compulit, dæmones de intus dabant responsa, & valde venerabantur à Paganis, qui sacrificabant thus, animalia, pecudes, & pecora, auesque. Hi dãdo infirmitatem, tacto simulacro auferebant, & præco clamabat iussu Regis: Venite, adorate Deos excelsos, quos adorant Imperatores sublimes & glorioſi. Hoc audiens Libaria, quæ oues suas prope ciuitatem custodiebat, derisit idola, quod nunciatum est Imperatori. Qui mittens nuncios suos ad B. Virginem, iussit vt ante conspectum suum veniret, & Deos suos adoraret. Qui ad eam mandatum Imperatoris retulerunt. Quo audito, Libaria derisit, & respondit. Sacrificium Deo

*S. Libaria spernit impiũ edictum Imperatoris.*

*Sapienter simul & prudenter respõdet nunciis Imperatoris.*

spiritus contribulatus, quem adoro in cælo. Vos dicitis Deos, ego dæmonia, quia Deus cælos fecit, & firmauit terram super aquas, & quotidie facit vniuersa bona, quem adoro & colo Iesum Christum, qui venit saluare nos, regem regum & Dominum dominantium, gubernatorem totius orbis, & oues meas custodio. Occidit enim fratrem meum Eliphium, qui idola sua vana, & muta nolebat adorare, nec ego adorabo plusquam stercora. Qui nunciauerunt hæc Iuliano dicentes. Vidimus puellam elegantem, facie decoram nimis, atque formosam, candidam sicut lilium, rubicundam per genas sicut rosa. Hæc in conualle stat, dicens Deos tuos dæmonia, & non adorabit eos plusquam stercora, quæ superat omnes mulieres pulchritudine. Occidisti enim fratrem suum Eliphium in hoc littore. Quo audito, Iulianus venit in conuallem Grandis, inuenienſque puellam custodientem oues suas, quæ confixerat fusos suos in terra, & colum, quæ orabat flexis genibus, & cantabat dicens: Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra, adorate eum omnes Angeli eius, adorate eum in aula sancta eius. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis: quia Deus cælos fecit.

*S. Eliphius Martyr, frater S. Libariæ.*

*Nota egregia pulchritudine S. Libariæ.*

Postquam verò Iulianus aspexit pulchritudinem eius, concupiuit formam illius: anima enim eius numquam viderat pulchriorem, quam alloquebatur, dicens. O superba puella, & stulta, cur non obedis imperio meo, & noluisti adorare Deos meos excelsos, quos adorauerunt Imperatores Romanorum? veni & adora citò, & sacrifica Diis. Cui virgo respondit. Etsi fatui Imperatores adorauerunt errando dæmonia, quæ Deos dicis esse, ego non animam meam consiliis eorum trado: sed adoro Deum meum Iesum Christum, qui natus est de Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, qui iudicabit viuos & mortuos, & misit Spiritum sanctum in corda discipulorum suorum, mittens eos in mundum prædicare, & testificari, quod qui crederit & baptizatus fuerit, saluus erit; ipsum adoro, & alium Deum nescio.

*Monetur ab Imperatore, vt relicto Christo, adoret Idola.*

Ad quam Tyrannus. Tu Christiana Monachali habitu (vt video) ornata es. Tu crede consiliis meis, & Deos adora meos, & eris secunda post me propter pulchritudinem tuam, daboque tibi argentum & aurum quantum volueris, & impetrabis. Quæ respondit: Corona tua sit tua Iuliane, quia Rex æternus dabit mihi coronam vitæ, quæ non deficiet, quem dilexi, quem desideraui, quem amaui, cui desponsata sum, quem diligit anima mea super aurum, & topazion, & quicquid in orbe charius. Ad quam tyrannus: Si credideris verbis meis, demonstrabo tibi thesauros meos magnos, super quos dominaberis, & diligam te super omnes mulieres: quia species tua placuit mihi. Quæ respondit. Si species mea tibi placuit, crede mihi, & adora Deum cæli & terræ, qui dabit tibi thesaurum optimum, & videbis thesaurum meum, qui est in cælo, & non descendes in infernum, nec damnaberis sicut antecessores tui damnati sunt. Et si non vis, affer Deos tuos, & videbis mirabilia eorum.

*Spernit munita & promissa Imperatoris.*

*Fruſtra conatur eam Imperator ad se attrahere.*

Et iussit Iulianus afferri statuam Apollinis auream ante virginem, & splendebat valdè. Quæ dixit: Sunt hi Dij vestri in quibus confiditis? Obsecrate Deos vestros, vt miracula faciant, & credam eis, vel demonstrabo qualiter Deus meus potest facere mirabilia, & adorate eum: & dixerunt, demonstra.

Quæ



Quæ respexit ad Orientem flexo genu, & adorauit dicens: Domine Deus qui mirabiliter operaris, & non est Deus præter te Domine, & non est secundum opera tua, intende mihi & exaudi me, da mihi gratiam vt possim confringere simulacrum istud, & vt fusi mei, & colus germinent, & producant folia, & assistentes cognoscant te Deum verum, & filium tuum vnigenitum, quem misisti in terram; & post hæc in manus tuas commendo spiritum meum, quia inimicum istum valde timeo. Desidero enim mori pro te, & sacrifico meipsam tibi. Et ecce Angelus Domini dicens ei: Festina, veni, quia expectamus te. Quæ audita voce Angeli gauisa est valde.

*Oratio S. Virginis.*

*Apparet ei Angelus.*

Dixitque Angelo: Domine deprecor te, vt ores Dominum meum Iesum Christum, vt in Ecclesiam meã non intret pecus, nec nascatur fœtus, & si quis postulauerit remissionem peccatorum, dimittantur illi. Et dixit Angelus. Festina virgo, omne hoc datum est tibi: & surrexit, & tenebat colum suam in manu sua, & percussit statuam auream, quæ contrita est minutim. Et post hæc fixit colum in terra, & germinauit folia, & fusos, & nescierunt cuius arboris sint, hæc dicens. Dominus regnauit in æternum, & in sectum seculi, peribitis gentes de terra illius, ipse confregit capita inimicorum suorum: conuertentur in profundum maris. Hæc videntes populi, plusquam quadringenti conuersi sunt ad Dominum, & facti sunt Christiani.

*Impetrat omnibus inuocantibus se remissionem peccatorum.*

*Colo percutit statuã Apollinis, quæ statim conmiuitur.*

*Eius colus fixa in terra, crescit in arborẽ folia & fusos proferentem.*

*Multi infideles ad fidem cõuertuntur.*

Quos videns Iulianus apostata, iracundia motus, eos decollari fecit, & postea dixit carnifici suo, interfice eam. Hoc enim nunciauerat diabolus in aure eius. Si hæc euaserit, perdidisti omne opus tuum, ad quod venisti.

*Iussu Iuliani capite truncantur.*

Et dixit Iulianus: Manebis adhuc in errore tuo, & non adhærebis mihi? Et illa. Ego in amore dilecti mei maneo, & nullus potest me segregare ab amore dilecti mei. Melius est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Tunc Iulianus iracundia commotus, iussit amputari caput eius, ipsa verò accepit caput suum, & introiuit in ciuitatem Grandis, & lauit illud in fonte qui erat in medio ciuitatis, & obdormiuit in Domino. Et sepelierunt eam cautè quidam fideles, & terra tremuit, ceciderunt muri ciuitatis, & turres. Et qui viderunt omnia hæc, dixerunt: Verè magnus est Dominus Libariæ, qui talia operatur: verè amica eius erat hæc. Et conuersi sunt ad Dominum Iesum Christum multi populi. Et surrexit fons sub basilica eius, & si quis infirmorum tetigerit, saluus factus est. In octauo Idus Octobris hoc factum est, regnante Domino nostro Iesu Christo: cui est honor in secula seculorum. Amen.

*Etiam sanctæ Virginis caput abscinditur.*

*Defert abscissum suum caput.*

*Fons erumpit in eius Ecclesia medelã & sanitatem ægrotis affe-rens.*

## NOTÆ.

Ad Subdiaconij insuper accedens honorem.] *Vincentius in Speculo lib. 14. c. 26. dicit ipsum fuisse tantum lectorem Nicomediæ, quod etiam colligitur ex historia Tripartita lib. 6. Baronius tom. 3. Annalium, ad annum 345. nullum ei gradum attribuens, ipsum Clericatu initiatum dicit.*

Et diabolum suis exigentibus meritis, &c. incurrit.] *Quia fuit magus & Idololatra, & dæmonum ministerio vtebatur.*

Relinquens Italiam, &c. ] *De eius aduentu in Galliam, & de rebus ibi ab eo gestis, vide Baronium loco supra citato.*

Ad maximam igitur longitudine, &c. accessit Grandem. ] *Hæc ciuitas Grandis, etiam appellata est Leuche, nunc verò Tullum vocatur, vulgò* Toul. *Vnde in Breuiario Ecclesiæ Tullensis S. Eucharius Leuchorum Episcopus appellatur. Et in Breuiario Eccl. Cabilonensis de Sancto Lupo Trecensi Episcopo legitur, quod in vrbe Leuchorum, quæ nunc deriuato vocabulo Tullum dicitur, extiterit oriundus.*

Eliphus nomine.] *Fuit frater S. Libariæ, cuius festum in Breuiario Tull. 16. Octob. reponitur.*

De Libaria ergo. ] *Hæc fuit soror Sanctorum Martyrum Eucharij Tull. Episc. & Eliphij, necnon Sanctarum Virginum Mennæ & Susannæ, de quibus plura in Breuiario prædicto Ecclesiæ. Fuit etiam stirpis Regiæ, quod colligitur ex prædicto Breuiario in vita S. Eucharij, vbi hæc de eo leguntur. Ex generosis parentibus stirpis Regiæ oriundus fuit. Huius autem sanctissimi viri pater Baccius appellabatur, mater verò Lientrudis, qui sanctissimam sobolem in vtroque sexu in suo coniugio Domino genuerunt, magnum videlicet Eucharium, & strenuum athletam Christi Eliphium. Genuerunt etiam tres sorores, sanctissimas virgines in sanctimoniali habitu & voto cum perseuerantia Domino famulantes, Mennam videlicet Portusani sepultam, Susannam in Campania tumulatam, & Libariam pro confessione fidei decollatam. Porro S. Eucharij festum 27. Octob. celebratur.*

## VITA S. GRATI EPISCOPI. EX Breuiario Ecclesiæ Cabilonensis.

*Breu. Eccles. Cabil. 8. Octob.*

C VB temporis illius spatio quo bonæ memoriæ Pontifex Cabilonensis Gebderinus nomine ex mundo decesserat, plebs & Clerus eiusdem ciuitatis ad Ecclesiam conueniens, quendam virum mundanæ nobilitatis titulo præclarum, gratia & nomine Gratum, ad Pontificalis culmen regiminis elegerunt: atque Præsulibus quibus consecratio debebat, sanctificandum, secundum Canonum sanctiones obtulerunt.

*Gebderinus Episcopus Cabil.*

*S. Gratus totius Cleri & populi cõsensu creatur Episc. Cabil.*

Quem à primate Diœcesis Lugdunensis, eiusque Suffraganeis, secundum sui nominis dignitatem gratis consecratum Ecclesiæ suæ Episcopatus cathedra sublimatum, cum totius Cleri gaudio & plebis, restituerunt. Nondum enim tunc temporis prædecessores illius in vrbe manendi locum pressura gentilitatis habuerant. Sed interposito Araris amne in ripa Sequanorum quoddam municipium Græco vocabulo Mathon vocatum reperierant: vbi post labores & ærumnas ab impia gente sibi sæpius illatas, requiescere consueuerant. Iuxta hunc locum erat Ecclesia nouiter constructa in honorem Leuitæ Christi & martyris Laurentij, in qua quotidiani consuetudo celebrabatur officij.

*Consecratur ab Archiepiscopo Lugd. eiusque Suffraganeis.*

Hic tamen intimo spiritualium amore filiorum morem sibi imposuit, vt vnaquaque Dominica dier per Sagone pontem transeundo, ad maiorem Ecclesiam veniret, ibique Missas peragens, adstanti populo prædicationis officium exhiberet. Accidit autem quadam die prædicta quod iter eundo ad Ecclesiam (vt plerumque solet) curæ plus solito impeditent seculares. Quibus viriliter expeditis sanctæ consuetudinis non immemor, dum ad pontis medium peruenit, in spirituali auditu cælestis officij, Ite, Missa est, dicentem audiuit Angelum. Hoc cælesti perterritus oraculo, dum in pontis moraretur medio, quò tenderet, & quid ageret ignorans, tardioris officij negligentiæ sibi maculas inculcans, ex digito annulum excutiens, & in aquã proiiciens, his verbis se obligauit dicens: Nisi annulum recuperauero, officij pastoralis minister, nec dici veraciter, nec esse vlterius potero.

*Eo occupato Angelus eius vices gerit.*

*Ob paruã negligentiam abdicat Episcopatum.*

*Degit Inclusus in cellâ.*

Post hæc ad prædicti martyris basilicam rediēs, iuxta muros illius reclusionis cellam præcepit fieri, in qua per continuos & eo amplius septem annos Deo militans in vigiliis & orationibus pernoctauit. Huic cellulæ contiguum fabricari iussit tugurium, in quo mater eius nomine Celsa mulier religiosa corpus domuit & exterminauit. Quibus ita viuentibus,& Deo per omnia militantibus,adductus est quidam Clericus seruiens deforis, atque deferens quæ necessaria videbantur. Ad hūc quippe locum innumerabiles circumquaque veniebant populi, patrem videre desiderantes, & eius dulcifluis saturari verbis.

*Celsa mater S. Grati etiā viuit Inclusa.*

## NOTÆ.

Gratus.] *Habuit (vt vult Petrus à S. Iuliano,in antiquit.Ciuit. Cabil.)parentes generis nobilitate cōspicuos, floruitque sub Clodoueo II. qui incœpit regnare anno Domini 646. Tunc conuocata fuit Synodus Cabilonensis, cui subscripserunt S. iste Gratus Episcop. Cabil. & Deodatus Episcop. Matiscensis,& alij multi. In ipso Concilio 19. Canones siue statuta fuerunt decreta, quæ habentur in tom.2. Conciliorum,tunc temporis sedem Romanā tenente Eugenio I. Multis & viuus & mortuus claruit miraculis S. Gratus, cuius corpus Lambertus Comes Cabilonensis, consentiente Hugone Episcopo, transtulit ad Monasterium Monialium Paracliti. Tempore verò persecutionis hæreticorum, fuit ab ipsis Caluinistis hæreticis igne concrematum. Iuxta eundem Petrum à S. Iuliano fuit 14. Cabilon. Episcopus, quem Ioannes 8. Pontifex maximus in Sanctos retulit circa annum Domini 879. tempore Ludouici Balbi. Vulgò dicitur* Sainct Grat. *Fuit & alius S.Gratus Episcopus Augustensis, de quo in tabulis Ecclesiæ Tharantasiensis.*

*Breu. Eccl. Sues.2. Aug.*

## VITA S. BANDARINI EPISCOPI. Ex Breuiario Ecclesiæ Suession.

*S. Bādaridus succedit Lupo Suess. Episcopo.*

TEMPORE Clotarij nobilissimi Francorum Regis, & defuncto beatæ memoriæ Lupo venerabili Suessionensi Episcopo, Bandaridus vir industrius, & virtutibus egregius, diuina inspirante gratia, ab omni plebe Suessionica, vnanimi voto, & communi desiderio, Rege assensum benignè concedente, Episcopus eligitur & ordinatur. Qui cœpit populum sibi commissum regere, & monitis salutaribus instruere, viamque iustitiæ illi aperire. Ille quod docebat verbis, prius in suis ostendebat factis. Erat enim in orationibus strenuus, in ieiuniis assiduus,in eleemosynis largus, in vigiliis continuus, in omni sancta & casta conuersatione prouidus & castus. Patientiam & humilitatem custodiebat in mente : puritatem mentis, & castitatem cordis & corporis seruabat in omni sua actione & honestate.

*Catalogus virtutum eius.*

*Omnem ferè substantiam suam in alēdis pauperibus cōsumit.*

Intantum enim erat intentus sanctarum virtutum operibus, ministrando scilicet pauperum & inopum necessitatibus, vt egens ipse, egenorum inopiam pro viribus sustentaret, & ex omnibus stipendiis suis nihil omnino reseruaret, nisi quantum ad quotidianum victum vix sufficere posset. Propterea vir Dei fidelis, ac prouidus dispensator substantiæ domus Dei, infamia stultitiæ denotatus, & tanquam prodigus extirpator possessionis suæ,& fratrum conturbator, ab inuidis & malignis apud Regem accusatus, ab Episcopatu eliminatus est, & sine synodali conuentu, absque vllo prouinciali concilio, & Episcopali iudicio, per laicorum tyrannidem pulsus est, & in exilium missus. Patientiæ tamen & humilitatis propositum semper seruabat in mente. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.

*A suis ciuibus prostulto habetur.*

*Iniustè à Rege & ciuibus pellitur in exilium.*

Postquam verò transmarina perlustrauit loca (Deo sibi propitio) deuenit in quoddam Monachorum cœnobium & Xenodochium, in Anglia situm : vbi militauit sub Abbatis imperio, occupatus per septennium tantummodo hortulani officio. Quotquot erant ibi genera herbarum, tot pellebantur per manum viri Dei valetudines morborum. Expleto fermè septennio suæ peregrinationis, in pago Suessionico intantum desæuiit diuina vltio tunc temporis, & ita inter se confligebant terræ sterilitas, & inæqualitas aëris : vt fame, & aëris corruptione, millia hominum derepente morte superueniente dissoluerentur. Quare omnes vrbici & suburbani, etiam Rex ipse, compulsi sunt pium pastorem perquirere & reuocare: ad cuius introitum facta est ciuibus Suessionicis recuperatio sanitatis. Quicumque ægrotus benedictionem ab eo expetebat pro munere, edito signo Crucis super eum, mox sanitati restituebatur. Meritò languidos curabat, quia Crucem Christi (cui deuoto famulabatur obsequio) de cruciando semper gerebat in animo.

*Per spatium septem annorū in quodam Monasterio hortulani officio fugitur.*

*Fame & peste affligūtur Suessionenses ob iniuriam S. viro illatam.*

*Tandem Rex & ciues pastorem suum vbiq; requirere cogūtur.*

*Ad sancti viri aduentum cessat vltio diuina.*

Confirmato in suo Patriarchio beato Bandaridо, sancti funeris beati Medardi Viromandensis Episcopi exequiis interfuit. Quibus expletis, paucis diebus euolutis acri febre corripitur : atque sancta illius anima carne soluta, Angelicis manibus ad alta translata est,Calendis Augusti:vbi cum Christo ouans fæliciter regnat. Corpus verò eius honorificè sepultum est in dextera parte altaris Sanctæ Mariæ, in cœnobio in honorem sanctorum Christi martyrum Crispini & Crispiniani constructo : vbi post mortem multis virtutum miraculis coruscat.

*Interest exequiis S. Medardi Viromandensis Episcopi.*

*Etiā migrat in cœlum S. Bandaridus.*

## NOTÆ.

Bandaridus.] *In antiquis exemplaribus legitur Baudaridus,sed mendosè. Eius festiuitas in Breuiario Suess. reformato, 2. Augusti reponitur. Ipsum Democharес in Cat. Episc.Suession. prætermisit.*

## VITA S. ANTONINI EREMITÆ, & Martyris. Ex Breuiario Ordinis Eremitarum S.Augustini.

*S. Antoninus filius Regis Apameæ.*

ANTONINVS Fredelasij Apameæ Regis filius, parentibus in infidelitate defunctis, spreta generis nobilitate, fidei Christianæ rudimentis imbutus, baptizatur. Perfectionis verò attingendæ desiderio incensus, paterno regno, bonisque omnibus ad Christum sequendum relictis, iisque fratribus ordinis Eremitarum B. Augustini traditis, vt iuxta consilia Euangelica vitam viueret, eorum suscepit habitum. Quapropter excitata seditione, vt furorem populi vitaret, perrexit in Italiam, & ad Salernum secedens vna cum fratribus ac multis orientalibus, decem & octo annis Eremiticam vitam duxit. Quo tempore cum magnos in virtute & sacris literis fructus feciſſet, ad Diaconatum euectus,quod prędicationi esset aptissimus,Dei honorem & proximorum salutem sitiēs, ad disseminandum Christi Euangelium mittitur. Quod munus summa animi deuotione, & alacritate exorsus, Deo variis eius prædicationem miraculis comprobante, innumeram ferè hominum multitudinem ab Idolorum cultu reuocatam, ad fidem Christi conuertit.

*Baptismum suscipit.*

*Habitū Eremitarū Ordinis S. Augustini suscipit.*

*In Italia vitam Eremiticam ducit.*

*Fit Diaconus.*

*Prædicat infidelibus verbum Dei, & multos conuertit.*

Et verò aliquando Mosaici zeli imitator Antoninus, non absimili valde miraculo, è terra, virga percussa, non siti modò leuandæ, sed nobis etiam curandis,vberrimum fontem eduxit. Cuius sanctitatis fama cum Romam peruenisset, eo aduocatur, & à summo Pontifice honorifice exceptus, Presbyter ordinatur,qui paulo post cum sancto Othueno Episcopo,in Galliam pergens, solito Euangelij disseminandi desiderio exæstuans, Burgundimensibus primùm ciuibus, deinde Nouioduni miraculis semper clarus fructuosissimè prædicauit. Tandem verò vallem nobilem pergens, Principem Festum nomine, aliosque quamplurimos ex infidelibus, B orationi & verbo Dei instans,Christianos fecit.

*Oratione fratribus impetrat fontem.*

*It Romam, & à summo Pontifice honorifice excipitur, atque Presbyter ordinatur.*

*Prædicat in Gallia, & multos conuertit.*

Tunc autem regnabat Tholozæ Theodoricus Antonini auunculus, qui audita nepotis sanctitate, eū ad se vocauit, & primùm summo amore & gaudio complexum, deinde quod oblatam diui Saturnini prælaturam recusasset,& ab inuidis falso accusatus fuisset,in teterrimum carcerem catenis onustum, breui inedia conficiendum detrusit. Is etiam Almachium senatoris cuiusdam filium in carcere baptizatum, & magistro suo Antonino omni ope subuenientem, ex alto præcipitem dari iussit : qui magistri precibus ab Angelo è præcipitio ereptus, Theodorico ad bellum proficiscenti occurrens Petragoræ,certissimum ob iniurias magistro suo illatas,interitum prædixit. Cui succedens Galeatius, Antoninum blanditiis & minis tentatum, quod idola semper detestaretur, cum his omnibus quos Domino lucrifecerat,in vincula coniecit.

*Venit Tholozā ad Theodoricum Regem auunculum suum, à quo primò benignè excipitur, sed postmodum in teterrimū carcerem conijcitur.*

*Almachius S. viri precibus à præcipitio liberatur.*

*Prædicit Almachius Theodorico certissimum interitum.*

*S. Antoninus iterum conijcitur in carcerem.*

*In ollam feruentis plumbi & sulphuris coniicitur.*

Verum cum postea resciuisset horum omnium vincula ab Angelo dissoluta, & custodes ipsos suscepta fide salutaribus vndis immersos fuisse : fremens,omnes capite plecti imperat. Antoninum verò in olla feruentis plumbi & sulphuris tandiu versari donec spiritum efflaret. Sed diuino munere cum biduo inde illæsus extractus verba salutis enūciasset, mortuumque in lucem reuocasset, & sacro liquore concurrentem vndique multitudinem baptizasset : in furorem versus Tyrannus, Antoninum D in certamen de fide cum principe Sacerdotum falsorum Deorum descendere coëgit. Quo à Christi athleta superato,humique prostrato,populo admirante,Deumque Antonini verum acclamante,cum nihil proficeret, sanctum de ponte in Garumnam fluuium mola collo appensa præcipitari iubet : vbi lapide quasi nauicula vectus, triduo numerosissimam multitudinem vndequaque ad spectaculum concurrentem, per Euangelium Christo genuit. Vnde prænunciato Martyrij loco, ab Angelo deductus in patriam,ibi à Sanctis Ioanne Presbytero, & Almachio diuinitus admonitis inuisitur, qui in Eremo orantes à Metropij satellitibus inuenti,ante Tyrannum adducti,& verberibus ad necem cæsi,illic capite truncantur. Antoninus verò capitis & brachij dextri abscisione ad ripam fluminis Aregiæ 4. nonas Septembris Martyrium consummauit.

*Disputat de fide cum Sacerdote Idolorum.*

*Proiectus in flumen, inde illæsus egreditur.*

*Ab Angelo in patriam reducitur.*

*A Ioanne & Almachio inuisitur, qui pro fide Martyrium subeunt.*

*Necnon etiā S. Antoninus Martyrio coronatur.*

## NOTÆ.

Antoninus.] *Floruit circa annum Domini 449. tempore Merouei Gallorum Regis.*

Regnabat Tholozæ Theodoricus.] *Hic fuit Rex Visigothorum, qui periit in bello, cum Regi Hunnorum Attila in Campania Galliæ opem ferret contra Merouеum Francorum Regem, qui eundem interfecit. Vide Paulum Æmilium in Merouco,folio 3. & 4.*



## VITA S. PAVLI EPISCOPI. EX Breuiario Ecclesiæ Tricastrensis.

*Patria S. Pauli.*

PAVLVS Rhemis Franciæ ciuitate metropoli oriundus fuit, honestisque parentibus,multis ad salutem profuturus,natus esse dignoscitur : bonæque indolis puer, simpliciter domi vt Patriarcha Iacob nutritus,nobilitate morum decentissimè adornatus fuit. Delectabatur enim in ipsa puericia,humilitate,innocentia,& puritate, & prout ætas admittebat, vel facultas suppeditabat, misericordiæ operibus insistebat, superabat coætaneos sapientia & moribus, ita B vt non iam puer,sed senex maturitate, non temporis ab omnibus putaretur.

*Catalogus virtutū eius.*

Decursis itaque puerilibus annis, vbi robur iuuentutis succedere cœpit, Dominica & Apostolica fultus auctoritate,non libidinis superatus voluptate,refertur vxorem duxisse,qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Sub ipsis quoque temporibus crudelissima gens Vuandalorum, per totas penè Gallias debacchando, innumeras permittente Deo Christianorum strages dabat. Quorum declinans persecutionem, vna cum matre sua Paulus natiuo relicto solo pauenda Rhodani fluenta transiens: Prouinciam ingressus est. Diuina verò disponente C gratia & clementia,suo iam finem donans itineri, prope sedit montem Cerium in Episcopatu Auennice, vbi nomine ipsius basilica constructa, vsque hodie habetur, & virga quæ(sicut inferius plenius dicturi sumus)in electionis pertinacia floruit,monstratur.Ibi igitur vigiliis,ieiuniis, aliisque spiritualibus exercitiis insistens, carnem spiritui subiiciebat.Igitur cum beatus Torquatus Tricastrinæ ciuitatis Episcopus, corporeis resolutis compagibus, migrasset ad Dominum : prædictus famulus Dei Paulus,prouidentia diuina electus, loco illius subrogatur. Fertur namque diuinitus reuelatum fuisse, quendam inquiri debere nomine Paulum,vt in prædicta ciuitate summo Sacerdotio fungeretur. D Cum verò fuisset circumquaque quæsitus, tandem prouidente sibi eum vas electionis futurum diuina clementia, inuentus est. Postquam fuit repertus, continuo interrogatur,quo nomine vocaretur. Ipse autem de se nihil suspicans, altum nomen suum simpliciter fatetur, inquiens, Paulus vocor. Tunc missi læti subito effecti, benedicentes Dominū dixerunt ad eum:ô Paule te plebs cuncta Tricastinorum deuotè sibi elegit esse pastorem. Ille autem excellenti mysterio,cum se indignum iudicans excusaret, dignior esse iudicatur. Cum igitur qui missi fuerant instarent quatenus diuinæ & humanæ electioni assentiretur,eosque sequeretur,in pontificali Cathedra sublimādus, beatus Paulus, prout homo E ira commotus,virgam quam manu gestabat, terræ infigens dixit:Quando virga hæc,ex se ramos producens,florigero ritu gēmis potuerit vernare, tunc & ego ordinabor Episcopus : aliter sanè nequaquam. O omnipotentia Creatoris! Statim sub oculis videntium,lignum aridum frondescens,virorem & vigorem recepit. Tunc Paulus intelligens erga se Dei bonitatem, & metuens vlterius eius contra se prouocare seueritatem, continuo colla submittens,omnipotentis Domini clementiam,qui alta à longè cognoscens,excelsus super omnes humilia respicit, qui de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus,& solium gloriæ teneat, & cui in se talia placuit operari;humiliter deprecatus est

*Ducit vxorē.*

*Fugit Vuandalorum persecutionem.*

*Iuxta montē Ceriū vacat diuinis.*

*Diuinitus in Episcopū eligitur.*

*S. viri humilitas.*

*Virga arida frondescit.*

*Tandem consentit electioni.*

est dicens: Deus immensæ clementiæ & inæstimabilis potentiæ, qui solus cuncta ordinas & disponis suauiter, dona mihi sapientiæ scintillam, vt meipsum, & quem mihi commisisti populum, ad laudem & gloriam tui sanctissimi nominis, possim docere, regere & gubernare. Postquam vir Dei compleuit orationem, ea quæ agebantur domi retulit sponsæ, quam, (sicut illa petierat) congregationi sanctimonialium in Arelatensi ciuitate cōiunxit: ipse verò ordinationi Dei se ex toto committens, pontificali ductus est sublimari Cathedra.

*Peccatorum suorū remissionem à Deo accepisse, ab Angelo sibi apparēte audit.*

Transacta die cum peruigil in orationibus noctem insumeret cum lacrymis & fletibus, remissionem peccatorum suorum recepisse, Angelo sibi apparente audiuit. Iam verò sumpto Episcopatu, qualē se quantumue exhibuerit, non est nostræ facultatis euoluere, sed de iis ex toto silere. Verbū itaque Dei fœliciter annuntians, seipsum bonorum operum exemplum præbebat. Erat autem piissimus, mitissimus, atque misericors, ita vt ab omnibus vnice amaretur.

*Suscitat mortuum.*

Inter multa miracula quæ fecit, mortuum suscitasse legitur. Demum cum diu sapienter rexisset suam Ecclesiam, suorum remunerationem laborum à Deo percepturus migrauit è vita. Non est nostrum dicere quanta suspiria & gemitus Tricastrenses ciues in morte tanti pastoris

*Moritur.*

emiserint. Sepultus fuit honorificè, ad cuius tumulum multa Deus operari dignatus est miracula. Eius solemnitas 2. Februarij celebratur.

### N O T Æ.

Paulus.] *Eius res gestas compendiosè retuli ex Breuiario Ecclesiæ Tricastrinæ. Multa enim superflua & incondita silentio præterire malui quàm ea describere. Extat hymnus qui in festo eius & octauis canitur ad Vesp. vbi quædam eius res gestæ describuntur. Est autem huiusmodi.*

*Iste confessor, Domini professor*
*Paulus vocatus, moribus ornatus,*
*Vita completa, meruit secreta*
*Scandere cæli.*
*Hic — natus Tricastini datus*
*Post virgæ florem, raptus ad honorem*
*Pontificatus, domuit ditatus*
*Corporis artus.*
*Ad sacram vocem cuius ac velocem*
*Statim compunctus loquitur defunctus,*
*Morbo grauati, plene sanitati*
*Restituuntur, &c.*

*Ab initio matrimonio iunctus fuisse legitur, sed consensu vxoris, secessit in Eremum, vbi posset rebus diuinis & cælestibus vacare. Raptus ad Episcopatum, vxorem in Monasterio sanctimonialium inclusit. Vnde non satis mirari potest tanti viri sanctitas, qui in mediis concupiscentiæ flammis incombustus & intactus remansit & exiuit, in matrimonio virginitatem & castitatem conseruando. Meminit eiusdem Flodoardus in Hist. Rhem.*

*Breu. Eccles. Cœnom. 4. Augusti.*

## VITA SANCTORVM PEREGRINI, Machorati, & Viuentiani Monachorum. Ex Breuiario Ecclesiæ Cœnomanensis.

*Clodoueus Rex in Hispania bellū mouet aduersus Regem Gothorum.*

*Peregrinus, Machoratus, & Viuentianus S. Monachi.*

TEMPORIBVS Clodouei inclyti Regis, dum ipse cum exercitu suo, scilicet Francorum, & aliorum, in partibus Hispaniæ, aduersus Regem Gothorum properaret: in eadem prouincia tres germani nobiles, scilicet Peregrinus, Machoratus, & Viuentianus Christiano apice decorati, & in Monasterio sub sancta Regula constituti, ordinem Monasticum, & religiosam vitam erant agentes.

*Flaminea eorum soror abducitur captiua in Franciam.*

Habebant etiam sororem germanam specie decoram valde, & in omni sancta Religione Deo deuotam, nomine Flamineam. Euenit itaque, vt dum ipsi exercitus ad deprædandum terram illam essent diuisi, eamque delerent: eandem Deo sacratam Flamineam cum aliis pluribus in Franciam perduxerint.

*Perquiritur à prædictis fratribus suis.*

Tunc fratres sui Peregrinus, Machoratus, & Viuentianus, multum dolentes de perditione germanæ, venerunt in Franciam, perquirentes circumquaque vbi eam inuenire valerent. Tandem inuenerunt eā cum vno deprædatore, qui eam rapuerat, asserentes eam eorū esse germanam. Ille è contrario negans & dicens eos esse raptores, & exploratores, tandem ipsos temeraria crudelitate peremit, & sic ad Dominum migrauerunt, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

*Inuentā cum reducere vellent, ab eius raptore crudeliter perimuntur.*

*Breu. Eccles. Cœnom. 24. Octob.*

## VITA S. MARTINI ABBATIS. Ex Breuiario Ecclesiæ Cœnomanensis.

*Patria, & clari natales S. Martini.*

INSIGNIS Martinus Vertanensis Abbas, in vita sua sapientiæ virtutisque fulsit honore splendidus. Hic ciuis Nannetensis, alto parentum claruit sanguine, sed clarior diuinæ floruit sanctitatis virtute.

*Peregrinatur ad diuersa sanctorū loca.*

Hic Martinus vniuersam Europam in peregrinationis mercede conscendit.

*Habitat in montibus.*

Hic in montibus latitans, gelu frigoreque carnem sui corporis domans, eam subiiciendo spiritui, labia pallida gestans, fontes etiam splendidi eius

*Oratione fōtes impetrat.*

per orationem de aruis, in sola baculi eius fixione viuacissimè manarunt. Sanè hic plurimas sanitates contulit semper ægrotis.

*Cōstruit Monasteriū Vertanense.*

Tandem in honorem B. Ioannis Baptistæ Monasterium instituit, quod Vertanum dicitur, in quo turmam Religiosorum aggregans, ipse quoque eum eis Regulæ se subdidit reuerenter.

### N O T Æ.

Martinus.] *De quo Martyr. Rom. cum Baronio in notis 24. Octob. Agit præterea de eodem Vvionius in Mart. Monastico. Fallitur verò Baronius cum dicit D. Gregorium Turon. eius vitam scripsisse. Nam illius Martini vita quam scribit in libro de vita Patrum, non est huius, sed alterius, quia omnino est diuersa ab ista. Plura de eodem iam scripsimus in vita S. Gregor. Eremitæ, quondam Nicopolitani Archiepiscopi.*

*Breu. Eccles. Tull. 23. Oct.*

## VITA S. AMONIS EPISCOPI, & Eremitæ. Ex Breuiario Ecclesiæ Tullensis.

FOELIX Pontifex Amon fœlicem fœliciter imitatus est agnum. Qui cum in forma Dei esset, & Pontifex futurorum bonorum, proposito tamen sibi gaudio, sustinuit Crucem, & pro Redemptione generis humani (cum esset Dei filius) humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. *Philip. 2.*

*S. Amon Episcopus Tullēsis præcipuè humilitati studet.*

Hoc igitur tam insolito humilitatis exemplo, mente roboratus B. Amon, cum esset in Tullensi vrbe pastorali Cathedra sublimatus, omni tamen diligētia studuit semetipsum in omnibus humiliare: vt per hæc iuxta scripturæ promissum, posset coram Deo gratiam vberius inuenire. Propter quod tota animi intentione declinauit mundanum fauorem,



*Spernit seculi vanitates.*

fauorem, & fallacem sæculi vanitatem, quæ suos amatores damnabiliter deiicit, & ad infima barathri loca, cum apostaticis spiritibus miserabiliter deducit.

*Relicto Episcopatu secedit in Eremū.*

Hinc est quod beatissimus Amon suæ sedis ciuitate relicta, perrexit ad Eremi loca secreta, vt sic facilius seculi vanitatem declinaret, diuinorumque meditationi liberius vacaret: ac pro se, & grege sibi commisso Dominum ibidem quietius exoraret. In syluis enim & locis nemorosis Sanctesij territorij, siue Sanctesis prouinciæ, multis temporum curriculis seu diebus quamplurimis legitur habitasse, & quantum sibi licuit, ibidem Eremiticam vitam duxisse. Vnde & locus ille suæ mansionis Eremiticæ vsque hodie dicitur sylua, siue nemus Amonis.

*Construit Ecclesiam ad honorē S. Dei genitricis.*

Ibidem etiam ad honorem almæ Dei genitricis, quæ fructum protulit nostræ salutis, quæ vera spes est omnium saluandorum, & pia reconciliatrix peccatorum, deuotam basilicam construxit, & ad deuotionem & honorem Virginis gloriosæ verbo pariter & opere efficaciter induxit. Quæ quidem basilica à suo constructore sumpsit nomen, & Amonis Ecclesia dicitur vsque in hodiernum diem.

*Mansuetus Tullensis Episcopus.*

Cum autem in Domino obdormisset homo sine querela, prudensque paterfamilias vrbis Leuche, venerabilis scilicet Mansuetus, qui primò bonum semen fidei Catholicæ seminauit in agro suo, id est, in populo Tullensi sibi commisso: præclarus successor eius Amon, fugiens (vt dictum est) seculi vanitatem, Christo duce perrexit ad secretum Eremi silentium & quietum. Et cum dormirent homines suæ forsan salutis immemores, vel in semine bono fidei custodiendo negligentes, tamquam nouiter conuersi, & adhuc debiles & infirmi, venit humani generis inimicus, Angelus scilicet sathanæ, nostræ salutis crudelis aduersarius, bonis omnibus inuidens, qui non dormit, neque dormitat: sed tanquam leo rugiens, quem dentibus suæ malitiæ deuoret, quærens omni tempore vigilat: venit (in-

*Ciuitas Tullensis ab hæreticis deprauatur.*

quam) & in medio tritici Tullensis Ecclesiæ, siue gregis Dominici, per satellites suos, prophanos scilicet hæreticos, superseminauit zizania, id est, hæreticæ prauitatis, & pestiferæ nouitatis veneficia. Sicque gregem Dominicum totaliter infecit, & suæ nequitiæ fermento, quasi totam massam vrbis Leuche corrupit, & maculauit.

Quod cernens beatissimus Amon, oues videlicet sui gregis sic infectas, quarum cura sibi ex officio incumbebat, tactus dolore cordis intrinsecus, tanquam pius pastor suo gregi compatiens, ingemuit præ dolore, & cum omni diligentiæ vigilantia spiritu fortis & feruidus, studuit prædictis nefandis dogmatibus celeriter obuiare.

*Precibus & prædicationibus S. Amonis ad fidem Catholicam reducitur.*

Et quod Deo inspirante proposuit, ipso cooperante perfecit. Nam per deuotarum precum suffragia, & lacrymarum irrigua, necnon & per valida veritatis euangelicæ dogmata, errores impiæ nouitatis damnauit, tenebras suæ pestiferæ suasionis effugauit, lumen catholicæ veritatis mentibus induxit: sicque gregem morbidum curauit, & fidem Catholicam in sua Diœcesi cum Dei adiutorio quasi nouiter reformauit.

*Catalogus virtutum S. Amonis.*

Quantis verò virtutum odoribus Amon beatissimus mundo suauiter fragrauerit, quantisque curarum & solicitudinū bonis laboribus pro tuendis Dominici gregis ouibus insudauerit, quàm alacer in exhortando negligentes, quàm benignus in exhortando & consolando pœnitentes fuerit, non facilè potest explicari. Hæc & his similia suæ præclaræ sanctitatis insignia non est proculdubio nostræ facultatis pleniter explicare, nec vt expediret sufficienter enarrare. . . . . . . . .

### N O T Æ.

Amon.] *Meminit eiusdem Demochares de sacrificio Missæ c. 33. Successit S. Mansueto Episcopo. Eius verò gesta omnia in hymno proprio continentur in Breuiario Tullensis Ecclesiæ, quem hic apponere libet.*

*Arcum cæli præfulgidum*
*Inter nebulas gloriæ,*
*Dic Amonem prænitidum,*
*Lumen huius Ecclesiæ.*
*Hic Mansueto Præsuli*
*Successit in officio:*
*Quem in secreto tumuli*
*Digno clauserat studio.*
*Prædecessoris gloriam*
*Præsuccessor non minuit:*
*Qui sectando iustitiam,*
*Deuotè Deum coluit.*
*Hic coërcet à gregibus*
*Lupum rapacem strenuè,*
*Sacris orationibus*
*Deo vacans assiduè.*
*Pastor suum pabulo*
*Gregem pascebat iugiter:*
*Dum prædicabat populo*
*Verbum Dei fideliter.*
*Ortam labem hæreticam*
*Exclusit à Tullensibus:*
*Atque fidem Catholicam*
*Reformauit in omnibus.*
*Dum adest sancti transitus,*
*Lapso vitæ curriculo:*
*Ad votum est reconditus*
*In Mansueti tumulo.*
*Dehinc alumnum gratiæ*
*Præsul Hermannus transtulit,*
*Ac matrici Ecclesiæ*
*Hunc venerandum contulit.*
*Fælicis vitæ terminum*
*Commendant beneficia:*
*Data filiis hominum,*
*Per ipsius suffragia.*
*Sanant lepræ contagia*
*Sancti merita Præsulis,*
*Ac febrium incendia,*
*Dum pulsatur à populis.*
*Cæcis visum restituit,*
*Corda curans & corpora:*
*Se benignum exhibuit*
*Cunctis per longa tempora.*
*Hunc Reges cum principibus*
*Coluerunt mirificè:*
*Magnis locum muneribus*
*Ditantes honorificè.*
*Patri, nato, Paraclito,*
*Decus, honor, imperium,*
*Amonis sancti merito,*
*Nobis accrescat gaudium.*

*Breu. Eccles. Gratianop. 1. Decemb.*

## VITA S. APRI EREMITÆ. EX Breuiario Ecclesiæ Gratianopolitanæ.

SANCTA & indiuidua Trinitas beatum & religiosum Sacerdotem Aprum nomine, sua sibi præsciuit & præordinauit clementia sacer

sacerdotem & confessorem parrochiæ Gratianopolitanæ, & territorij Augurianensis.

*Patria Sancti Aprì.*

Fuit itaque beatissimus Aper oriundus Regni Francorum ex Senonica vrbe, qui amore Dei Euangelicam auctoritatem sequutus est, quæ dicit, qui nó reliquerit omnia quæ possidet, non potest meus esse discipulus, & nemo Propheta acceptus est sine honore nisi in patria sua.

*Relictis omnibus venit Gratianopolim.*

Hæc & his similia beatus Sacerdos obseruabat, & cuncta quæ possidebat relinquens, Gratianopolitanam vrbem expetens, primitus cum beatissimo viro, sanctæ Religioni dedito Leporio, vrbis Maurigennensis Episcopo, conuersatus est, cuius sacrum corpus in ipsa sede collocatum esse creditur, & veneratur. Dũ enim esset in villa sua quæ Milniacus B vocatur, beatissimus Aper ad ipsum veniens, & mutuam collocutionem habens, petiit vt de suo territorio aliquid daret, vbi cellam construeret, & receptacula pauperum ibi fierent. Quem B. vir Sãctus Leporius audiens, petitionem eius impleuit, & testamentum conscriptionis ei fecit, & ibidem Ecclesiam in honorem S. Nazarij & sociorum eius primitus ædificauit.

*Opera S. Leporij cellam, & receptacula pauperum construit.*

Sed cum finitimi religionem eius cognouissent, multi declinantes ad eius cellulam de rebus propriis eum ditauerunt. Quotidie verò in orationibus & vigiliis seruus Dei deseruiens, pauperes & peregrinos recipiebat cum magna lætitia, & ex suis alimoniis quas habebat pauperes pascebat, & eis C ministrabat, pedésque lauabat, in eius amorem qui dixit: Si ego Dominus & magister laui vobis pedes, quantò magis vos debetis alter alterius lauare pedes? Et ipse dixit ad Petrum: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Ideo dilectissimi, qui ad festum præclari viri conuenistis, intenta hoc mente audite, iuxta vires vestras pauperibus & peregrinis pedes lauate, & ex vestra paupertate victualia ministrate, & si hoc feceritis, cum isto sancto viro partem habebitis.

*Vacat operibus misericordiæ S. Aper.*

Et cum ista & cætera quæ cultui Dei conueniũt seruus Dei quotidie adimpleret, nihilominus charitas in eo larga manebat. Tunc insidias ei tetendit antiquus hostis, qui primum parentem nostrum D Adam, & eius sociam Euam suadendo de paradisi fælicitate in qua manebant sine mœrore & dolore subtraxit; quorundam enim hominum infidelium corda decepit, dicentium quod seruus Dei Aper non veraciter Domino ministraret, sed per hyprocrisin. Et ipsa fama ad Hysicheum Episcopum Gratianopolis peruenit, quod nocturnas cœnas ac prandia anticipasset, & horas canonicas effregisset. Quam causam Episcopus audiens, misit legatos qui ad cellam viri Dei pergerent, & hospitium mutuo postularent, & vitam sacerdotis Dei præuiderent. Sed cum legati ita fecissent: inuenerunt virum Dei operibus sanctis pollentem.

*Patitur quosdam inuidos & obtrectatores.*

*Hysicheus Episc. Gratian.*

∴ ∴ ∴ ∴

E

### NOTÆ.

Aper.] *In quodam antiquo MS. Codice Bibliothecæ Monasterij nostri Gentil. fit honorabilis mentio de S. Apro & de eius charitate. Fuit etiam alius S. Aper Tullensis Episcopus, de quo in Breuiario illius Eccl. 15. Septemb.*

Leporius.] *De quo plura in Breuiar. Eccl. Gratianop.*

*Breuiar. Monast. 12. Nouemb.*

## VITA S. ÆMILIANI EREMITÆ. *Partim ex S. Braulio Episcopo Cæsaraugustano: partim ex Breuiario Monastico.*

*Patria S. Æmiliani.*

EMILIANVS honestis parentibus natus Vergegij, quod oppidum est ad radices montis Distertij, in Castello veteri, apud Hispaniam, cùm à prima ætate pastor ouium esset: postmodum à Deo constitutus est pastor hominum. Exercebat autem se plurimum in Christianis & sanctis operibus: neminique iniuriam aliquam, vel contumeliam inferebat. Cùm autem cæteri pastores occuparentur in suis variis modulationibus, & inanibus cantilenis: ipse se in sanctis meditationibus, atque assidua oratione exercebat. Videns autem hoc pastorale officium ei impedimento esse, quominùs posset diuinis vacare obsequiis, eo relicto, in solitudinem abdere seipsum decreuit.

*Fit pastor ouium.*

*Petit Eremũ.*

Cum autem vigesimum attigisset annum, Spiritu sancto eum inspirante, & dirigente, ad quendam Eremitam sanctissimum, in Castello Bilinensi degentem, nomine Fœlicem, adiit: vt ab ipso spiritualis vitæ documenta reciperet. Quod cum fœliciter esset consecutus: ad locum, qui nunc eius Oratorium dicitur, remeauit. Sed cum videret impedimento sibi fore iam ad se concurrentium multitudinem, celsiora atque remotiora secreta dicti montis expetiit. Ibi autem per quadraginta circiter annos habitauit, nullo hominum consortio vtens, sed solum fruens consolationibus Angelorum. Frequenter autem dæmonum tam visibiles quàm inuisibiles pugnas perpessus est: necnon ventorum impetus, inclementias imbrium, algores niuium, & plures id genus labores, non solum amore Christi tolerabiliter, sed etiam libenter, desideranterque suscipiebat. Inde rediit ad locum sui Oratorij, vbi assiduis vigiliis, ieiuniis, & orationibus vacans, varias corporis ægritudines in se patientissimè ferens, in aliis verò omnes promptissimè sanans cælestem vitam agebat, & ob notam suam sanctitatem, à Dydimo eius Episcopo Tirasonensi, Vergegij Ecclesiæ præficitur. Cum verò bona sua pauperibus distribueret, de iactura illi proueniente, à suis Clericis coram Episcopo accusatur, & ab iniuncto ministerio repellitur. Tunc lætanter ad solitudinem rediit: vbi postmodum cum aliis pluribus, sub Regula Sancti Patris nostri Benedicti professus est. Cúmque curam gereret Abbatialem, clarus omnigenis miraculis, & prophetiæ spiritu, primus omnium Benedictinam Religionem plantauit in Hispania.

*Venit ad Fœlicem Eremitam.*

*Multa patitur incommoda.*

*Ipse infirmus aliorũ infirmitates sanat.*

*A Dydimo Episcopo Vergegij Ecclesiæ præficitur.*

*Primus omnium Benedictinã Regulam plantat in Hispania.*

Cum verò ad centesimum vsque annum peruenisset ætatis, & mortem suam ante annum præscuisset: tandem migrauit ad Dominum, anno Domini quingentesimo septuagesimo quarto: Antonio, & Martino, vita atque miraculis, per omnia similis. Post eius mortem, quia non semel visus est in Hispaniæ defensionem, magnis prodigiis de cælo descendere, & cum Mauris pugnare, ex il- *S. Æmilianus cum B. Iacobo Apostolo, Hispaniæ patronus & defensor dictus est.*
lisque vna sola vice mactare octoginta millia: ideo E cognomen Patroni, simul cum Apostolo Iacobo maiori, meritissimè adeptus est, ipsamet ex tunc, cum annuæ oblationis voto, se gratam ostendente.

*Moritur.*

Postea anno Domini millesimo quinquagesimo tertio, volens Garsia primus Rex Nauarræ, eiusdem sancti corpus ad Nasaram transportare, ipso Rege præsente, & aliquibus Episcopis, maximoque fidelium concursu. Et cùm ad ima vallis fuisset delatum, ita fortiter humi defixum est, in solam Monachorum, qui tanti Patris ablationem inconsolabiliter lamentabantur: vt nulla arte, nullisque viribus potuerit amoueri. Quod intuens Rex, eo loco cœnobium

*Garsia Rex Nauarræ cùm vellet corpus S. viri transferre, nullis viribus potest amoueri.*



*Garsia Rex Nauarræ, insigne Monasterium ad honorem S. Æmiliani construit.*

nobium illud tota Hispania sanctitate, & amplitudine celeberrimum eiusdem Sancti Æmiliani nomine insignitum ædificari præcepit: vbi sancti viri corpus, cum aliis pluribus, in arca aurea, plurimis & pretiosis gemmis ornata, decentissimè asseruatur, & continuis miraculis coruscat.

### NOTÆ.

Æmilianus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 12. Nouemb. necnon Vsuardus & Vvionius. Agunt præterea de eodem Vasæus in Chronico, ad annum 555. Lucius Marineus Siculus de Rebus Hispaniæ lib. 5. Ioannes Maldonatus. Thomas de Trugillo tom. 2. Thesauri Concionatorum. Obiit autem vir sanctus anno Domini 574. regnante in Hispania Atanagildo Rege.*

*Breuiar. Monast. 26. Nouemb. Patria S. Sylvestris.*

## VITA S. SYLVESTRI ABBATIS. *Ex Breuiario Monastico.*

SYLVESTER Auximi in Piceno nobili genere ortus, statim puerilem ætatem, litteris, ac bonis moribus mirifice exornauit. Adolescens Bononiam ad studia Iurisprudentiæ missus à patre, cum sacris litteris à Deo monitus dedisset operam, parentis incurrit indignationem: quam æquo animo toto decennio pertulit. Ob egregiam eius virtutem à Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Auximianæ, socius honoris electus est, in quo munere populo orationibus, exemplo, & concionibus opem tulit. Inter funus nobilis cuiusdam defuncti in aperto tumulo formosi viri, suique propinqui, deforme cadauer conspiciens: Ego (inquit) sum, quod hic fuit, quod hic est, ego ero, & mox peracto funere illa sibi occurrente Domini sententia: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; in solitudinem maioris perfectionis studio secessit: ibique vigiliis, orationibus, ieiuniisque deditus, crudas tantum herbas in cibum sæpius adhibuit.

*Sacris litteris dat operam.*

*Notabilis sententia.*

*Degit in solitudine.*

Vt autem magis lateret homines, varias mutauit sedes: ac demum peruenit ad montem Fanum, locum quamuis prope Fabrianum, eo tamen tempore D desertum, ibique in honorem sanctissimi patris nostri Benedicti, templum erexit, Congregationí sque Sylueſtrinorum fundamenta iecit, sub Regula & habitu sibi ab eodem sancto ostensis. At inuidens Sathanas variis terroribus illius Monachos turbare nitebatur, noctu Monasterij ianuas hostiliter inuadens. Sed vir Dei hostis impetum ita repressit: vt Monachi in sancto institutio magis confirmarentur, ac patris sanctitatem agnoscerent.

*Instituit Ordinem Sylueſtrinorum.*

*Claret spiritu prophetico.*

Spiritu prophetiæ, aliisque donis enituit, quæ vt semper profunda humilitate conseruauit: ita contra se dæmonis inuidiam concitauit. A quo præceps actus, à beata Virgine desperatam accepit salutem, quod beneficium perpetua & singulari in E illam pietate commendauit ad vltimum vsque vitæ spiritum, quem ferè nonagenarius, sanctitate & miraculis clarus, Deo reddidit, anno salutis millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, sexto Calend. Decembris.

*Migrat in cælum.*

### NOTÆ.

Sylueſter.] *Agit de eo Arnoldus Vuionius tom. 2. ligni Vitæ in Tractatu de Institutoribus Ordinum sub Regula S. Benedicti militantium, vbi hæc scribit. Circa annũ Dominicæ Incarnationis 1232. exorta est venerabilis Congregatio Monachorum Sylueſtrinorum, sub Regula S. Patris nostri Benedicti, & ordinationibus habituque Monachorum Vallis vmbrosæ. Sumpsit autem initiũ apud montem Fanum prope Fabrianum, tertio ab vrbe lapide, per domnum Sylueſtrum Gozolinum, Auximensem ciuem, & Canonicum religiosissimum, qui spiritu diuino tactus, prædictum Vallis membrosæ Ordinem iam quasi deformatũ, in melius reformare studuit, ibique religionis primordia Christo Domino sacrauit, quæ per Vmbriam & Picenum notissima est, & anno Domini circiter 1258. ab Apostolica sede fuit comprobata, & priuilegiis decorata. Hæc Vvionius.*

## VITA S. GVILLELMI ABBATIS *Fundatoris Ordinis Montis Virginis. Ex Breuiario Monastico.*

*Breu. Monast. 25. Iunij.*

GVILLELMVS nobilibus parentibus Vercellis in Insubria natus, vix quartumdecimum ætatis suę annum expleuerat, cum miro quodam pietatis ardore flagrans peregrinationem aggressus est ad celeberrimum illud templum S. Iacobi in extrema Hispania, quò ex vniuerso orbe Christiano, voti persoluendi causa, frequentissimi homines conueniunt. Quod iter nudis pedibus, vnica tantum amictus tunica, ac duplici ferreo cingulo præcinctus, prosequtus est, innumeraque in eo, & immania famis, sitis, frigoris, & æstus, summo C cum vitæ discrimine, est perpessus incommoda.

*Patria S. Guillelmi.*

*Peregrinatur ad S. Iacobũ.*

Reuersus in Italiam, nouam peregrinationem ad sanctum Domini sepulchrum, quod Hierosolymis colitur, molitur: sed quominùs propositum exequatur, varia, atque grauissima intercedunt impedimenta, diuino numine ad altiora, & sanctiora, religiosam iuuenis indolem retrahente. Porrò dum in Soliculo monte biennio commoratur, interimque inedia, vigiliis, chaumeniis, atque assiduis orationibus maceratur: diuina subnixus ope, cæco lumen restituit. Quo edito miraculo fama percrebescente iam Guillelmus latere non poterat: quare iterum Hierosolymam adire cogitat, & alacris se itineri committit.

*Solitarius degit in Soliculo monte.*

*Cæco lumen restituit.*

Dei autem monitu, qui eidem apparuit, à proposito reuocatur vtilior, ac fructuosior apud Italos, quàm apud exteras nationes futurus. Tum Mona- *Cõstruit Monasterium Montis Virginis.*
sterium in Virgiliani montis cacumine, quod deinde virginis est appellatum, loco aspero, & inaccesso, miranda exædificat celeritate. Socios dein viros Religiosos adsciscit, eosque sacris legibus ad certam viuendi normam, non modo Euangelicis præceptis, & consiliis, summopere accommodatam: sed ex institutis B. Benedicti, magna ex parte desumptam, reuocat, verboque ac sanctissimæ vitæ exemplo, summa cum omnium admiratione & profectu confirmat.

Aliis inde Monasteriis erectis, clarior in dies *Multos sanat ægrotos.*
Guillelmi sanctitas multos ad eum vndique viros perducit, sanctæ vitæ odore, ac miraculorum fama allectos. Nam muti loquelam, surdi auditum, aridi vigorẽ, varioque & immedicabili morbo laborantes, sanitatem ipsius intercessione receperunt. Aquam in vinum conuertit, aliaque complura mirabilia patrauit: inter quæ illud non silendum, quod cùm muliercula, ad eius castitatem tentandã à Rogerio Neapolis Rege missa, lectulum, in quo oblectarentur, à sancto viro exposceret, hic ardentibus prunis humi lectum strauit: vbi illæsum se volutans, ad alium quàm veneris ardorem impudicam inuitauit. Tunc illa miranda rei nouitate exterrita, Regi rem gestam refert; inde in summam

*Aquam in vinum conuertit.*

*Nota insigne castitatis exemplum.*

viri Dei venerationem Rex adducitur. Demum tẽpore sui obitus, Regi, aliisque prænunciato, innumeris virtutibus & miraculis clarus, obdormiuit in Domino, anno salutis millesimo centesimo quadragesimo secundo.

*Moritur.*

## NOTÆ.

Guillelmus.] *De quo Mart. Romanum 25. Iunij. Eius res gestas scripsit Fœlix Renda Prior Monasterij Montis Virginis. Meminit eiusdem Vuionius in Mart. Monastico, & in Tractatu de Institutor. Ordinum sub Regula S. Patris Benedicti militantium, vbi hæc notatu digna scribit. Tactus desiderio terram sanctam inuisendi, post multa in itinere perpetrata miracula, ab eo diuinitus reuocatur, & Religioni nouæ fundandæ se præparare iubetur. Sic iussus, ad Virgiliani montis radices pedem fixit (hunc Virgilius, vt fertur, quondam inhabitarat, & ex suo, nomen monti dederat) & Monasterium sacratissimæ Mariæ Virgini constituit, vnde postea quibusdam literis immutatis, Mons Virginis appellatus est, optimisque legibus atque institutis informauit. Quæ cum Monachis suis, quos scientia inflarat, difficiles nimium & asperæ viderentur, ab eisdem multa dura sustinuit, quorum furori cedendum ratus, Alberto viro sancto in sui locum substituto, quinque tantum Monachis comitatus discessit, & in montem Lacenum primum, vbi multis diuinis reuelationibus & visionibus recreatus est, Salernum exinde commigrauit, & ordinis sui fundamenta, sua sanctitate pluribus in locis mirabiliter dilatauit. Tandem mortem sibi propinquam sentiens, ad Monasterium Sanctimonialium S. Saluatoris de Gulieto accessit: ibique vigiliis & orationibus vacans, quam deuotus peregrinus vitam inceperat, & in ea vt intrepidus perseuerarat miles sanctissimus Monachus & Eremita, finiit anno Domini 1142. die septimo Iulij circa horam noctis mediam. Corporis reliquiæ in eodem Monasterio, quod nunc nominis eius vocabulum tenet, sepultæ sunt.*

## VITA S. FREMVNDI EREMITÆ & Martyris. *Incerto Auctore.*

*Ex ant. MS. Cód.*

INter cæteros Christi athletas, qui Angliam illustrarunt, beatus Fremundus de præcipuis habetur. Ipse enim aduersus mundum, carnem & dæmonem fortiter dimicauit, & in odorem altissimi currens, copiosam vtriusque sexus Christi fidelium multitudinem ita suis meritis & exemplis post se traxit, vt merito tanquam rutilum sydus in Ecclesiæ firmamento reluceat. Siquidem Offæ Merciorum in Anglia Regis filius, vt primum ex infantia excessit, eundem pater magistris doctis & piis tradidit erudiendum: ne malis moribus ac deprauatis opinionibus, (vt illa ætas assolet) deprauaretur. Cum autem bonæ esset indolis, magnos progressus fecit: quamobrem ineunte iam adolescentia, cum ad benè beatéque viuendum satis instructus esset, omnia huius perituri mundi blandimenta despiciebat, & in dies de virtute in virtutem progrediebatur, & quamuis esset filius Regis, nihilominus tamen neminem despiciebat. Cognoscens verò omnia huius mundi caduca esse & vana, cælestis patriæ desiderio tactus, regno terreno posthabito, vt cæleste adipisceretur, Monasticam vitæ rationem suscepit. Monachus itaque cum esset, reiectis mundanis curis omnem vitæ cursum in virtute perfecit. Sed cùm semper ad perfectiora tenderet, vt solus soli Deo vacare posset, in vastam secedens solitudinem, proximam Angelis vitam duxit. Comedebat herbas & radices arborum, sitim aqua sedabat, pernoctabat in orationibus, qui antea in aula regia deliciis affluebat, principumque & nobilium stipatus erat caterua.

*Parentes & patria S. Fremundi.*

*Relicta aula Regia & regno paterno, fit Monachus.*

*Secedit in solitudinem, & viuit austerissimè.*

Interea cum Fremundus in desertis habitans, sanctam duceret vitam, patrem eius Offam nomine contigit mori. Qui relicto in regno Egfredo filio, beati Fremundi fratre, cum pessime se gereret in regni administratione, timeretque ne Fremundus frater in desertis habitans à populo quæreretur, & coronaretur in regem: misit seruos suos & milites, vt eum per montes & valles & cauernas quærerent, eumque occiderent. Quem cum diu quæsitum tandem inuenissent, innocens sublatus & capite truncatus, per martyrij gloriam cælum penetrare meruit, die 11. Maij. Floruit autem beatus vir circa annum Domini 780.

*Crudelissimè à fratre occidi iubetur.*

## NOTÆ.

Fremundus.] *Eius res gestæ summatim descriptæ reperiuntur in Trophæo Anglicanæ Ecclesiæ typis æneis Romæ excuso, & in Chorographia Britanniæ fol. 46. Agit & de eo Vuionius in Mart. Monastico in tractatu de filiis Regum Monachis factis. Plura de eodem in Chronico Chronicorum.*

## VITA SANCTORVM EREMITArum Decumani Martyris, & Benigni Confessoris. *Incertis Auctoribus.*

*Ex antiq. Cod.*

CVM gens Anglorum ad fidem Christi per beatum Augustinum fuisset adducta; multi vtriusque sexus, nobiles atque ignobiles, spretis huius mundi vanitatibus, vel ad Monasteria, vel ad deserta confugiebant, vt facilius peccata diluero, Deoque adhærere possent. Inter quos Sanctus Decumanus, natione Anglus, dum relicto sæculo, vastæ solitudinis Eremum incoleret, hominibusque esset incognitus: à furentibus Gentilibns inter vepres inuentus est. Qui ab eis interrogatus quis esset: respondit, se esse peccatorem Christianum. Illi autem audito Christi nomine eis exoso, cum ei persuaderent vt illud negaret, & ille facere renueret, quinimmo Iesum Christũ verum esse Deum & hominem prædicaret; sanctum eius absciderunt caput.

*S. Decumanus trucidatur à latronibus pro fide.*

Postquam autem recesserunt Gentiles, accipiens vir sanctus caput suum, ad fontem vsque, vbi id lauare consueuerat, deportauit.

*Abscissum caput portat.*

In eodem etiam regno floruit B. Benignus Eremita, qui virtute miraculorum omnes ad sui admirationem, & præcipuè Monachos, adducebat. Qui cum per multorum spatia annorum in desertis vixisset locis, tandem migrauit ad Christum. Floruit autem circa annum Domini 760.

*B. Benignus claret miraculis.*

## NOTÆ.

Decumanus.] *Fit mentio de eius Martyrio in Trophæis Ecclesiæ Anglicanæ, Agit & de eo Vuionius in Appendice ad suum Martyrologium Monasticum.*

Benignus.] *Meminit eiusdem Guillelmus Malmesburiensis in Annalib. Episcop. Angl. lib. 2. in gestis Episcoporum Vuellensium.*

## VITA S. CLARI EREMITÆ, ET *Martyris. Incerto Auctore.*

*Ex antiquis Codicibus.*

TEmpore Regis Anglorum Eadmundi, fuit quidam Eduardus nomine, in ciuitate quæ tunc Orcestria dicebatur oriundus, qui vir-

*Patria Sãcti Clari & parentes.*

ginem



ginem quandam matrimonio sibi copulauit, non causa libidinis explendæ (vt multi assolent) sed causa prolis habendæ, & diuino cultui educandæ. Erant enim Deo deuotissimi, diuinis seruitiis intenti: singulis diebus Dominum flagitantes, quatenus vnum filium eis tribueret. Deus qui voluntatem timentium se facere consueuit, exaudiens eorum preces filium eis tradidit, quem Clarum vocauerunt. Erat autem puer forma decorus, Clarus re, Clarus nomine: qui postquam septem annos attigit, litteras didicit, & diuina prouidentia coætaneos suos in breui superauit.

Factus adolescens, considerans huius mundi vanitatem, eundem deserere statuit, vt perfectius Deo seruiret. Ne autem natalis amor patriæ, ipsum à Dei seruitio retardaret, vtrumque parentem & patriam reliquit: veniensque ad littora Ponti, conscensa naui, in Neustriam primò apud Cæsariburgum peruenit. Nec multa mora, vastam ingrediens solitudinem, Anachoreticam vitam cum aliis duobus multis annis duxit, in austeritate magna viuens. Verum quoniam ciuitas supra montem posita abscondi non potest, sic nec etiam beatus Clarus latere potuit; multi enim ægroti audita sanctitatis eius fama ad eum confluere cœperunt, quibus manus imponens à quacumque detinerentur infirmitate liberabantur. Quendam enim sanauit qui per medium corpus vulneratus erat. Cum habitaret vir iuxta quendam fluuium, omnes nedum vicini, sed & extranei confluentes, à quacumque infirmitate detinerentur, tangentes eius vestimentum curabantur. Quadam die cum puer mortuus ei adductus fuisset, extendens se super corpus pueri, sicut legimus Elisæum fecisse, eundem suscitauit.

*Fit Eremita.*

*Claret miraculis.*

*Suscitat defunctum puerum.*

His & eiusmodi aliis fulgens miraculis, inuidus & osor hominum diabolus circuiens semper quærens quem deuoret, suscitauit maledictam mulierem quandam, nobilem quidem genere, formaque decoram, temporalibusque diuitiis locupletem, quæ cum sæpius ad virum Dei veniret, oculosque in eum iniiceret, cernens eximia pulchritudine decoratum, carnali amore accensa, eum vt ei consentiret multipliciter infestabat. Quod cernens vir Dei, timens perdere quod tanto labore custodierat, latenter aufugit, multasque Neustriæ & Galliæ partes cum magna penuria perlustrauit, & tandem vsque ad Eptam Spiritu sancto ducente peruenit: vbi Eremitorium construxit; ibique multas necessitates pro Christi amore patiens, solis herbarum radicibus plerumque viuebat, Eliæ Prophetæ & S. Ioannis Baptistæ vitam sequens.

*Impudicè amatur à quadam fœmina.*

*Viuit in magna austeritate.*

Igitur cum fugisset beatus Clarus (vt supra diximus) mulier superius memorata, carnali excæcata concupiscentia, seruos suos misit, vt vbicumque Clarum inuenirent, morti eum traderent. Respicite quæso quàm maledicta rabies, quàm furiosus ignis carnalis amoris excæcatiuus est. Vera est illa doctorum sententia, cæcitatem mentis primam luxuriæ filiam esse. Serui itaque prædicti Clarum inuenientes fodientem, & corpus suum fatigantem iuxta suam cellulam, iussum detestabilem suæ Dominæ perfecerunt. Et sic Domino Martyr consecratus, & Martyrij aureolam cum virginitatis corona suscepit. Magis enim timebat virginitatem perdere, quàm temporalem vitam, illud dictum Saluatoris intelligens: Qui amat animam suam; id est, vitam animalem, perdet eam, & qui odit animam suam, id est, animalem vitam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Cum igitur decollatus fuisset, propriis manibus caput suum accepit, & à loco illo in quo decollatus est, vsque ad cœnobium suum detulit. Populi autem qui ad eum confluere solebant, cum inuenissent mortuum, nimio dolore affecti, sanctum corpus ab eis honorificè sepultum fuit, & exinde deuotè celebrari consueuit eius festiuitas, & à plerisque cum magna deuotione & veneratione frequentari suæ sepulturæ locus.

*Ob virginitatem seruãdam truci datur.*

*Ioan. 12.*

*Propriis manibus caput abscissum accipit.*

Tribus ab eius passione elapsis annis, contigit, quendam effodere vbi sepultum iacebat corpus eius. Eadem verò die quidam à natiuitate cæcus, prope locum transiens, ex diuina voluntate iuxta tumulum eius dormiens, audiuit Angelum Domini dicentem sibi corpus beati Clari ibidem sepultum. Qui surgens ex terra illa oculis locum tetigit, & illico visum recepit. Item quendam à dæmonio obsessum in Abbatia Malidumi liberauit. Ecce quomodo Dominus sanctum suum honorare voluit. Hunc igitur & nos veneremur: quatenus eius meritis gratiam illam à Domino consequamur, quã sibi dignè ministrare in hac mortali vita, & à patre cælesti tandem in gloria honorificari mereamur. Amen.

*Miracula ad eius tumulũ.*

*Cæcus ad eius tumulũ lumẽ recipit.*

## NOTÆ.

Tempore Regis Angl. Eadmundi.] *Duos eiusdem nominis ponit Petrus sanctos & Martyres lib. 10. c. 89. & 90. Primum à Danis occisum, alterum à quodam latrone qui regnare cœperat anno 3. Othonis Imperatoris primi, circa annum Domini 100.*

Clarus.] *In eius laudem Sermonem composuit Nicolaus Deniise Ordinis S. Francisci, qui quædam quæ attulimus refert. Plura de eo in Breuiario Ecclesiæ Constant. Eius caput in quodam Pago Diœcesis Parisiensis, de eius nomine dicto* Sainct Clair, *honorificè asseruatur.*

## VITA S. GVNTHERI EREMITÆ *Incerto Auctore.*

*Auctor vitæ S. Gothardi Episcopi apud Mosandrũ tomo 7. Surij.*

FVIT in Turingia vir quidam nobilis, dignitate & meritis illustris, Guntherus nomine, qui dolens ob peccata in iuuentute perpetrata, & diligenter vitæ suæ anteactæ statum considerans, faciem iustissimi iudicis in confessione præuenire voluit. Sed propriæ tum animi, tum corporis imbecillitati diffidens, quod fortassis ferre non posset omnimodam rerum suarum abdicationem, multiuarias res & facultates suas quas à maioribus acceperat, hæredum suorum accedente consensu, S. Vvigberto firma traditione delegauit, sed ea tamen pactione coram testibus testamento adhibita, vt factus Monachus, victus & vestitus causa Monasterium Gellingense ipse obtineret, atque inde tam sibi quàm fratribus illic Christo cum ipso seruituris res necessarias colligeret.

*S. Vvigbertus claret.*

*Monasterium Gellingense.*

At Abbas prudenti consilio apud se perpendens, homini recens conuerso eiusmodi pactionem in via mandatorum Dei magna allaturam discrimina, & in dies non mediocrem animæ perniciem conciliatura ea quæ sibi per hanc paraturus videbatur corporis subsidia, prudenter interim eum distulit, & remoratus est, & adhuc laico vtentem habitu, secum ad Altahense Monasterium adduxit. Vbi ille animo valde compunctus petiit ab Abbate, vt ante professionem pro transactæ vitæ expiatione, & nouæ susceptione ipsi Romam petere, & Apostolorum Christi, aliorumque sanctorum intercessionem, cum ipsius bona venia petere liceret. Non abnuen

*Petit Romam S. Guntherus.*

*Fit Monachus.*

abnuente Abbate, itque reditque, ac tandem coram altari beatissimæ Mariæ Virginis deponit militare cingulum, raditur caput atque barbam, & pro more preces offerens, vt à fratribus in eorum sodalitatem admitteretur, recipitur, & aliquandiu ex Regulæ præscripto probatus Monasticum induit habitum. Verum etiam post professionis votum, non immemor eius, quam diximus pactionis, adit Abbatem, petit sibi fieri potestatem ad patriam reuertendi,& in loco quem elegerat,commorandi. Consentit ei pius pater, nolens eum obstinata contradictione à proposito quamuis iniusto repellere, vt animũ eius illicita cupientem paulatim posset ratione à sententia deducere. Postquam igitur ad locum optatum peruenit, & res necessarias procurauit illic degentibus, ex occultis infesti dæmonis insidiis, & machinationibus, Deo, (vt credimus) quemadmodum olim in beato Iob, permittente, multa & varia ei incommoda acciderunt: inter quæ ille, vtpote paupertatis & laboris insolens, ad Abbatem sæpe confugere, eiusque opem & consilium anxiè petere solebat. Abbas verò animi eius fluctuationem alta mente considerãs, valdéque pertimescens ne à proposito deficeret, blanda interdum consolationum fomenta ei adhibebat, & humanissimis admonitionibus mœstitiã eius abstergere nitebatur. Sed tamen cum hac ratione sæpe inter se certarent, & alter alteri molestiam exhiberet, tandem aliquando rursus querelas suas ad Abbatem deferente, vir Dei iustitiæ zelo permotus, magna seueritate ait ad eum. Vide vt aut in ea, quam Deo pollicitus es obedientiæ stabilitate ei religiosius seruias, aut abiecto Monachi habitu, ad pristinas mundi vanitates diaboli laqueis implicatus te recipias. Quibus ille verbis perterrefactus, crassumque nimis errorem suum tandem perhorrescens, ingemuit, & omni supradicta passione prorsus ab animo exclusa,cunctisque de illata quacumque molestia querimoniis longum valere iussis, ad Altahense Monasterium, vbi tum sub illius patris cura, quod pace omnium dictum velim, singulare diuini cultus studium feruebat, se contulit, atque illic fratribus humillimè se subiiciens, cum ex superna illustratione breui tempore de Monasticæ disciplinæ rigore vberius instructus esset, ea supra quàm Monasticus exigat canon, ipsis quoque superioribus admirantibus corpus suum castigauit & afflixit.

*Vide quàm periculosum sit Monacho aliquid ex mundo retinere.*

*Salubriter ab Abbate arguitur.*

*Seuerè corpus castigat.*

Tertio enim conuersionis suæ anno in saltu Boëmico vitam egit solitariam, permansitque illic annos septem & triginta, in sanctæ Religionis studio, & in summa voluntariæ paupertatis seueritate,cum quibusdam aliis sociis suis perseuerans. Victus eorum sane varius erat, vario studio à Rege Hungariæ, atque è Boëmia & Polonia, aliisque diuersis prouinciis vna cum vestitu conquisitus. Potus quidem, quod omnibus notum est, non nisi aqua sola fuit, quæ etsi hospitibus apponebatur abundè,à fratribus tamen non nisi ad certam mensuram. Literas ille prorsus ignorauit, psalmis exceptis, & tamen erat mira præditus Euangelij, legis, & Prophetarum intelligentia, nec historiarum rudis fuit:quam ille intelligentiam consecutus fuit tum ex crebra fratrum relatione,tum ex auida verbi Dei auscultatione: adeoque sæpissimè ille mysticos & arcanos sensus interdum iocando, interdum verò adhortando non sine audientium stupore proferebat. Quod nos sanè, qui eum familiarius nouimus, crebro audiuimus, præcipuè autem in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, quem sibi specialem patronum elegerat, cuiusque natalitium diem maximè solemnem habebat: quo die nos illi affuimus, cum in capitulari, vt vocant,collatione fratres suos admoneret, & Sancti Ioannis vitam, mores,victum,vestitum, & actus commemorando, ad tolerandam magno animo penuriam eos incitaret. Vbi reuera, quod possum Deo teste pro certo affirmare, omnes penè, qui illic aderant,& hos eius sermones audiebant, adeò compuncti sunt,vt magnos lacrymarum imbres profunderent. Aderat ibi venerabilis Abbas Altahensis cum multis sui cœnobij fratribus,nec paucis aliis hospitibus:præter nos, quibus non licebat, Monastico canone prohibẽte,in canonico habitu illuc ingredi,qui tamen fratrum familiaritate & maximè Abbatum permissu circumquaque, concionatore ignorante, clanculum ad fenestras collocati fuimus. Erat profecto vir ille,vt de Sancto Benedicto scribit beatus Gregorius,quem post Dominum Iesum vita & moribus præcipuè imitabatur, & scienter nescius, & sapienter indoctus.

*Habet scientiã infusam.*

*Specialẽ habet Patronũ S. Ioannem Baptistam.*

*Viuit solitarius in sylua Boëmia.*

Postquam igitur beatus Guntherus triginta septem in solitudine annos consumpsisset: tandem Deo dispensante, à Bizetislao Duce Bohemiæ visitatus,atque à Seuero Episcopo,à quo sacratissimam Eucharistiam accepit 7. Idus Octobris, sanctitate celebris, migrauit ad Dominum: percepturus ab ipso sibi paratam coronam iustitiæ anno Domini 1045. sepultusque est ab ipso Duce in Monasterio Breunonienſi, quod à ciuitate Pragensi distat viginti stadiis, illustratus à Deo multis miraculis.

*Sũpto Euch. Sacramento paulo post moritur.*

## NOTÆ.

Guntherus.] *Res eius gestas fuisse ab eius familiaritate notissimo conscriptas scribit Baronius tom.* 11. *Annalium. Eas verò nunc primum fuisse ab Henrico Canisio conscriptas testatur idem,sed nondum videre cõtigit. Meminit eiusdem Hermanus Contractus in Chronico. Plura autem de eo in vita S. Stephani Regis Hungariæ,vbi hæc leguntur. Deinceps per seipsum, & alios, præcipuè tamen Christi seruos & familiares, nempe Clericos & Monachos, cælitus sibi datas facultates pauperibus impertiit,&c. Eius rei permulti sunt testes, atque in iis beatus Guntherus, ex seculari nobilitate conuersus, & Eremita, atque Monachus effectus, cum illo nunc, scilicet B. Stephano vitæ beatæ particeps. Is humanissimi Regis tanta liberalitate illectus, è Boëmiæ regione crebrò ad illum venire solebat. Quoties autem sua præsentia eius aulam illustraret, curam regni ei demandabat Rex. Tum ille rebus, quas in aula inueniſſet, in peregrinos egenos, viduas, pupillos, cœnobia,& Ecclesias erogatis,breui illam exinaniebat. Ad eius quoque nutum Rex Deo deuotus, Monasterium quod Beel vocant, inchoauit, &c. Hæc Chartuitius Episcopus in vita S. Stephani Regis Hungar. apud Surium tom.* 40. *Augusti.*

## *VITA ET CONVERSIO TREBELlij Regis Bulgarorum, & Eremitæ.*

*Ex antiquis Codicibus.*

### *Incerto Auctore.*

CVM ferè per vniuersum mundum Christiana fides recepta fuisset, & longè posita regna eam amplecterentur, sola Bulgarorum gens ferocissima & bellicosissima non solum omnino recusabat, verumetiam Christianis multa tormenta infligebat. Verumtamen circa annum Domini septingesimũ septuagesimũ septimũ, anno 2. Imperij Leonis IV. Imperatoris, Bulgarorum Rex Telericus qui aduersus Constantinum Coproninũ Imp. sæpe pugnauerat, à Spiritu sancto inspiratus & attractus, cum videret certatim omnes Reges Christi fidem recipere, Christianæ religionis amore suos deserens,contulit se Constantinopolim, vt sacrum baptisma susciperet, Regnum relinquens terrenum, vt cælestis regni particeps esse posset, (sciebat enim quod si sacrum baptisma in regno susciperet,omnis populus aduersus eũ consurgeret, & occideret.) Cum igitur veniſſet Constantinopolim, & à Leone Imperatore benignè exceptus, sacrum baptisma suscepisset: prædictus Imperator eum fecit Patricium, iungens illi vxoris suæ Irenæ consobrinam, & deinceps eum magnificè honorauit, pariter & amauit. Fuerunt istæ primitiæ Bulgaricæ gentis ad Christianam religionem accedentis.

*Telericus primus Bulgariæ Rex Christianus.*

His ita constitutis cum prædicta in impietate & idolorum cultu perseueraret, circa annum Domini octingentesimum quadragesimum quintum,imperante Lothario, cum ingens fames Bulgarorum regionem occupasset,omnique destitueretur auxilio, Bogaris prædictæ gentis Princeps, Christianorum Deum,vt sibi opem ferret,inuocauit: idque facere omnem sibi subiectam nationem iussit, impetratoque remedio,& fame liberati,ad veram religionem se conferunt,& Princeps noua lauacri regeneratione donatur, de nomine Imperatoris Romanorum Michaël appellatus ab Episcopo, qui ad eum missus fuerat, eique diuinum lauacrum impertitus est. Aliud quoque accidit quod Principem ipsum in veræ fidei cultu magis confirmauit. Insatiabiliter iste venationi deditus erat, qua oblectabatur plurimum, non modò cum venatum se conferret, sed etiam quando otiosus erat domi, idque per animalium pictas figuras. Constructa noua domo, Methodium quendam Monachum arte pictorem iussit domum illam picturis ornare. Verum quasi diuina quadam prouidentia ductus, non præscripsit quænam & qualia pingeret animalia, sed quæcumque ipse vellet, iussit pingere, terribilia tamen essent quæ pingerentur, vt spectantibus terrorem & metum incuterent. Ille autem nihil aliud terribilius noscens secundo Christi aduentu: hunc ibi descripsit. Cumque iam finita esset illa pictura, conspicatus Princeps ex altera parte iustorum cœtum coronari,ex altera verò impios puniri, & à pictore percepta picturæ mente,statim propriam eiurat religionem. Imbutusque, (vt diximus) à Sancto Episcopo diuinis mysteriis, intempesta nocte sacrum percepit baptisma.

*Bogaris Bulgariæ Rex,ob sedatam diuinitus famẽ fit Christianus.*

*Nihil terribilius secundo Christi aduentu.*

Cum autem cognouissent nationis præfecti, communem mutatum nationis religionis cultum, in Principem conspirant, eumque de Imperio deiicere studeant: quos ille parua quam secum habebat manu fudit, fugauitque, præeunte Crucis signo,& inopinata re perculsos, Christianos effecit. Fuerunt ista Bulgarorum ad fidem Christi venientium veluti præludia quædam, cum non omnis gens illa,sed ex ipsa aliquot Christiana sunt imbuti religione. Integra verò messis reseruata fuit Nicolao Romano Pontifici, & Trebellio Bulgarorum regi,de quo nunc Deo fauente agere disponimus.

*Trebellius fit Christianus.*

Igitur Bogare defuncto, populus statim ad Idolorum culturam conuolauit: perdurauitque in errore vsque ad tempora Trebellij Regis, qui floruit circa annum Domini 866. Licet autem à teneris in Gẽtilium errore instructus fuisset, tamen factus adolescens Spiritu sancto operante cum cognosceret fallaciam suæ religionis,& iam defuncto patre, A matrimonio coniunctus esset,soluſque in vniuerso regno dominaretur, fecit edictum vt omnes qui suæ ditioni subiacebant, Christi fidem amplecterentur. Mittens igitur quamprimum legatos suos ad Nicolaum Papam,rogat quatenus ei mittere dignetur Presbyteros, & verbi Dei prædicatores, vt totum regnum Idololatriæ deditum,ad Christi fidem reuocarent.

*Mittit legatos ad Nicolaum Papã.*

Cum summus Pontifex Bulgarorum Regis magno cum honore excepisset legatos, didicisſetque eius,totiusque populi ad Christum conuersionem, quis est qui dicere possit,quanto gaudio, vel quanta exultatione fuerit repletus, cum salubrem huius populi conuersionem cognouit, doctrinamque B. Petri Apostoli & Sedis eius expetere comperit? Totis igitur viribus gratias agens Deo, statim manum operi admouens, misit Regi Sacerdotes & Prædicatores idoneos vita & sanctitate celebres. Qui cum in Bulgariam vna cum legatis veniſſent, & à Rege honorificè (vt par erat) & grataner excepti fuiſſent:cœperunt munus ad quod missi fuerant diligenter exercere, catechizantes populum, eique omnia ad Christianã fidem pertinentia insinuantes. Cum verò viderent prædicti verbi Dei seminatores quodammodo dictis attendere populum, libenterque velle fieri Christianum, eum sacrosancto Baptismi sacramento cœperunt abluere. Quin etiam Trebellius Rex in fide feruentior, vt C cæteris imitandi exemplum præberet, primus baptizari voluit, & cæteros ad suscipiendum sacris exhortationibus prouocabat.

*Mittit Nicolaus Papa Sacerdotes,& Prædicatores in Bulgariã.*

*Baptizatur Trebellius.*

Cum igitur per totum regnum perseueraret diuina prædicatio, & omnes tam in Regia ciuitate, quàm in ea quæ circumcirca sita est,regione,ad rectam & veram fidem essent traducti, altaria & simulachra euersa, & in Christi nomine templa in toto regno erigerentur,& fides multiplicaretur:inuidus & hominum inimicus diabolus se magnam feciſſe iacturam conspiciens, totis viribus conabatur populum paulo ante eum adorantem, eique sacrificantem,à vera fide auertere, & ad se attrahere. Nam postquam omnes baptizati fuerunt, & D Christiano more viuere cœperunt, dura eis visa est & ardua Christianorum vita, quapropter vno consensu & vnanimiter,cum magna ferocitate insurrexerunt contra Regem Trebellium dicentes: non bonam illum eis legem tradidiſſe, volentes etiam eum occidere,& Regem alium constituere. Ille videns vim sibi inferri, cum verbis exhortatoriis furorem illorum mitigare non posset, colligens paruam hominum multitudinem, diuina cooperante gratia & potentia,aduersus eos præparatus, à maximo vsque ad modicum superauit, & manibus detentos habuit, omnesque primates eorum atque maiores cum omni prole sua gladiis interfecit: mediocres verò seu minores liberos abire permisit,ea conditione vt semper Christiani essent,nihilque mali pertulerunt. Et hoc modo seditiosis illis E de medio sublatis, Christiana fides in vniuerso regno indies florebat & augebatur: Ecclesiæ ædificabantur,Deus in eis laudabatur,& plurima miracula ad confirmationem fidei fiebant, & Episcopi ad pascendum populum ordinabantur.

*Populus consurgit aduersus Trebellium.*

*Seditiosi trucidantur.*

Rex igitur Trebellius videns populum suum ab idolorum cultura ad veri Dei cognitionem venisse,valde gaudebat: quinetiam Nicolaus Papa qui ad eos miserat Sacerdotes & Prædicatores,pro eorum in fide perseuerantia Dominum continuè exorabat, eosque per litteras consolabatur, & vt stabiles permanerent hortabatur. Qui beatus Pontifex

*Nicolaus Papa per literas Bulgaros ad perseuerantiã hortatur.*

tifex primus fuit illis auctor, vt qui hactenus in bello pro insigni essent vsi equina cauda, iidem sanctæ Crucis vexillo, vt olim Constantinus, pro insigni in exercitu vterentur. Sed & docuit quomodo se ad bellum pararēt: cum enim soliti essent, quando ad bellum progrediebantur, dies & horas obseruare, & incantationes & ioca, & carmina, & nonnulla auguria exercere: prædictus Pontifex hęc fieri prohibuit amplius: sed potius ad Ecclesias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, Missarum solemniis interesse, oblationes offerre, confessionem delictorum sacerdotibus facere, reconciliationem & communionem percipere, carceres aperire, vincula dissoluere, seruos, & præcipuè contractos & debiles atque captiuos libertate donare, ac indigentibus eleemosynas erogare persuasit. Florebat igitur totum regnum sub sacris institutionibus: populus autem per Spiritum sanctum de tenebris & vmbra mortis, ad veram lucem adductus, lætabatur gaudio ineffabili.

*Docet Nicolaus Papa quomodo se Bulgari ad belli præparare debeant.*

Interea Trebellius Rex, omnium quæ in mundo sunt oblitus, solo omnipotentis Dei flagrabat amore. Vigilabat precibus, assiduus erat ieiuniis, diligentem nauabat operam sacris lectionibus & meditationibus. Per diem regalibus indutus vestimentis procedebat: sed nocte asperrimo amictus cilicio in Ecclesiis orando pernoctabat. Cùm autē propter impedimenta & occupationes varias non posset totus Deo intendere, regnum suū relinquere disposuit, & vitam Monachi in summa paupertate ducere. Quare conuocans omnes Principes, & vrbani populi non paucos, sedensque pro tribunali, ait in audientia omnium: Ecce sicut videtis, populus Domini & hæreditas sancta, quos redemit Christus pretioso sanguine suo, & de antiquo errore & seruitute eripuit. Ipsi nostis conuersationem meam, quomodo exquo Christum cognoui, & seruus eius esse merui, omnia habens odio, ipsum concupiui solum, & istud mihi erat desiderabile, vt à strepitu vitæ, & vana conturbatione subtrahendo me, solus illi vacarem, & in silentio & quiete animi seruirem Deo meo. Iam ergo tempus est, vt de cætero compleam quod facere disposui. Iam perfecti estis in voluntate Domini, & nihil vos latet præceptorum eius. In istis ambulate, non declinantes ad dexteram, vel ad sinistram, & Deus pacis erit vobiscum.

*Assiduitas Trebellij in orationibus.*

Hæc vt audiuit populus ille, & virorum congregatio, planctus, & vox maxima fit, flentibus omnibus, & lamentantibus suam desolationem: Talia lamentantes obtestabantur, se non eum dimissuros aliquatenus. At ille in proposito persistens dicebat: Cur frustra laboratis? Non enim vltrà me Regem habere valetis. Hæc audientes, & intentionis eius firmitatem scientes, quoniam à proposito suo non valerent eum prohibere, mœrebant, & lamentabantur desolationem suam. Tunc Trebellius, aduocans primogenitum filium suum, & apprehendens, dixit: Fratres, hunc ego vobis ordino Regem. Quo dicto diadema capiti eius imposuit, & orauit pro eo. Oratione facta, cœpit filium admonere vt semper in fide perseueraret, iustitiam omnibus exhiberet, neque extolleretur propter temporalem gloriam. Et conuersus osculatus est eum. Quibus peractis cum populum fuisset cōsolatus, sese de medio proripiens, aufugit, & indutus cilicio, ascēdit ad vnum montē ad Monasterium virorum qui exercebātur, & cum se in exigua clausisset cellula, nihil eorū quæ sunt mundi possidebat. Pauco pane & aqua viuebat, & oleribus viridibus: non ad aliquid habens mentem erectam, nisi ad soli Deo vacandum.

*Primogenitū filiū ordinat in Regē, Rex Trebellius.*

*Secedit in desertum Trebellius Rex.*

*Austeritas victus eius.*

Cum sic se exerceret in hac solitudine, & omnibus mundanis rebus valefeciſſet: filius interim quem constituerat Regem, totus vitiis & voluptatibus deditus, nullam iustitiam in vniuerso regno exercebat, opprimebat pauperes, & quod deterius est, abnegata Christi fide, tanquam canis ad vomitum, ad gentilem ritum & idolorum culturam rediit, (& quod sine lacrymis dici non potest) populum sibi subiectum id facere minis, tormentis & præmiis compellebat. Quod cùm pater eius resciuisset qui solitariam in desertis ducebat vitam, nimio dolore affectus, decreuit filio Epistolam scribere, rogans eum & monens, vt à tantis vitiis temperaret, & fidem Christianam quam paulo ante susceperat cum feruore magno, nullo modo desereret: sed & neque populum ad gentilem ritum amplius prouocaret.

*Filius quem Regem constituerat, relicta Christi fide ad idolorum cultum reuertitur.*

Verum ille paruipendens monita patris, vitia vitiis addebat, & feruentius quàm antea fecerat, populum ad idololatriam cogebat. Interim Trebellius in sua solitudine perseuerans, indeficienter pro conuersione filij sui & populi, Dominum exorabat.

Filio in nefandis his execrandisque criminibus perseuerante, quidam pij viri ad Trebellium venientes, ei renuntiarunt quemadmodum paulatim & indies, filio cogente, multi ad idololatriam redirent. Ille his auditis, zelo Dei accensus, desiderabilem sibi solitudinem deserens, militiæ cingulum reassumpsit; collectaque hominum piorum multitudine, bellum aduersus filium commissurus, processit. Cōmissum est ergo durum bellum, & ex vtraque parte multi vulnerati ceciderunt. Verum enim verò postquam diu multumque prœliatum est, tandem Deus Iudex iustus, fortis & patiens, serui sui Trebellij non despiciens preces, abominandum hunc apostatam in manus Christianorum seruorum suorum, qui pro eius honore prœliabantur, tradidit. Captus igitur filius cum suis, adductus est ad patrem. Quem cum grauissimè obiurgasset, & peccatorum suorum enormitatem proposuisset, misericordia motus noluit eum occidere, sed cum ei oculos eruisset, perpetuis carceribus mulctauit. Omnes autem hæc videntes, glorificabant Deum omnipotentem, qui seruo suo Trebellio victoriam tribuerat, liberaueratque populum à seruitute Ægyptiaca & idolorum cultura. B. verò Trebellius postquam in regno omnia sicut prius erant, restituisset, & vniuersum populum vt perseueraret in fide adhortatus fuisset: coram omnibus filium suum minorem Regem constituens, eandem pœnam, quam fratri intulerat, ei comminatus est illaturum, ni optimè sese gereret, & in Christi fide permaneret. Valedicens igitur omnibus, & gratias omnipotenti Deo agens, qui populum è diaboli seruitute liberauerat, cingulum militare omnibus videntibus & lugentibus, eumque retinere volentibus, deposuit, sanctæque conuersationis habitum resumēs, noctu latenter aufugit, & ad dilectam solitudinem rediit, vitam ibi agens Angelicam. Denique cum diu sic se exercuisset, sic etiam è vita excessit, & ad Christum migrauit, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

*Filio erut oculos, eumdemque perpetuis carceribus mulctat.*

*Iuniorem filiū constituit Regem, deinde redit in solitudinem.*

*Moritur.*

## NOTÆ.

Bulgariæ Regnū.] *Est Bulgaria Europæ regio supra Thraciam, inter Danubiū & Pontū Euxinum sita, Daciæ & Mœsiæ contermina. Hinc Bulgari dicti, qui eā incolūt.* Trebellius.]



Trebellius.] *Alio nomine Terbellis Bulgarorum Rex, vt quidam dicunt, vndecimus fuit. Eius nomen & gesta Regino Abbas in Chronico primus descripsit, & ex eo cæteri multi, vt Franciscus Belforestius in magnis Annalib. Franc. tom. 2. lib. 6. cap. 62. in Carolo Caluo, qui dicit eum sacrum Baptisma suscepisse cum omni populo suo anno Dom. 868. Arnoldus Vvionius in tomo 2. Ligni Vitæ lib. 4. dicit ipsum floruisse circa annum Domini 727. Contraria est Arnoldi opinio sententiæ multorum grauissimorum historicorum, quare reiicienda est. Certum est enim floruisse, & ad Christi fidem cum toto regno suo perductum fuisse circa annum Domini 866. vt constat ex Baronio tomo 9. Annalium. Scribit præterea de Trebellio Ioannes Trithemius in Chronico Hirsaugiæ. In Theatro etiā conuersionis gentium, sicut prædictus Arnoldus citat, huius beati Regis gesta describuntur.*

## VITA S. ALBANI EREMITÆ & Martyris. Auctore incerto.

*Ex antiquis Codic.*

EVIT in partibus Aquilonis quidam potentissimus Rex Christiana religione imbutus, qui ex legitima vxore vnicā filiā habuit, tanta pulchritudine decoratam, vt ad sui admirationem intuentes alliceret. Quæ cum ad nubiles peruenisset annos, multi Principes eam in matrimoniū à patre petierunt. Pater verò quoniam eam potius carnali, quàm paterno amore diligebat, nuptui dare petentibus recusabat. Vnde successu temporis factum est, vt miser pater propter amorem in filiam propriam deperiret, & ægrotaret. Quadam autem die, accersita filia, cœpit perditus pater ei exponere amoris dolorem, eam modo blanditiis & promissionibus, modo minis flectere nitens. Sed illa grauitatem peccati sibi ob oculos proponens, tantum nefas totis visceribus detestata, patris petitioni assentire omnino recusauit.

*Miser pater filiam illicito & perdito amore diligit.*

Interea multi effluxerunt dies, cum Regina eius mater, grauissimis affecta doloribus & infirmitatibus, viam vniuersæ carnis ingressa est: eique secundum morem magnorū qui sunt in terra, solemnes exequiæ exhibitæ fuerunt. Rex autem paucis elapsis diebus, vim amoris ferre non valens, iterum atque iterum cum multis lacrymis & gemitibus filiam de peccato rogare cœpit. Quæ patris vicem miserata, & postposito omni Dei timore, tandem abominandum atque execrandum facinus (quod natura refugit) committere non dubitauit. Sed miseri peccatum peccato addere nō dubitarunt. Nam cum misera puella ex patre concepisset, & filium peperisset, (qui postmodum Albanus vocatus est) ad tegendam infamiam, ex consensu Regis, filium in capsella positum & sericis pannis inuolutum, quibusdam domesticis & fidelissimis seruis in syluis Hungariæ exponendum mandauit, vt à bestiis deuoraretur. Serui mandatis obsequentes, sicut illa præceperat ad desertissimam quandam syluam puerum detulerunt, & non sine lacrymis eundem subtus paruum tabernaculum ex virgultis compositum, vna cum conopeo serico, deposuerunt, & ita ad regem redierunt.

*Tandem misera filia cum patre incestuosè peccat.*

*S. Albanus ex incestu genitus à propria matre bestiis deuorandus exponitur.*

Verum misericors & miserator Dominus, qui seruum suum Moysen in cunabulis existentem, ab aquis liberauit, effecitque vt à filia Pharaonis adoptaretur in filium: sic non passus est seruum suum & testem Albanum à bestiis deuorari. Et quemadmodum Moyses in filium adoptatus est à filia Pharaonis: sic iste à Rege Hungariæ. Quomodo autem dicendum est. Prædictus Rex (vt iam diximus) valde venatione delectabatur. Quadam autem die cum per syluam aprum insequeretur, insperatè videns tabernaculum ex foliis compositum, vt curiositas fert hominum, voluit videre quidnam esset. Amotis igitur foliis, & aperto conopeo, videt elegantem puerum in capsella positum, & admirans concito gradu ad suos rediit, deinde signo dato, cum omnes collegisset, festinanter ad palatium repedauit, vxori visionem nunciaturus. Erat autem regina sterilis, vnde non solum ipsa, sed etiam rex magno afficiebantur dolore.

*Repertus à Rege Hungariæ, ab eodem adoptatur in filium.*

Postquam igitur rex visionem exposuisset, dixit ei. Scis charissima coniux quia nunquam filios generare potuimus, neque modo possumus, simula te prægnantem, & elegantem puerum quem reperi adoptabimus in filium, vt sit hæres regni nostri. Hoc consilium placuit vxori, statimque se prægnantem fingens, vnà cum rege misit fidissimos seruos qui irent ad locum vbi erat puer, vt eum occultè tollerent, & ruri nutrirent. Paucis elapsis diebus, regina fingens se doloribus partus vrgeri, voces lamentabiles emittebat. Puer natus fingitur, & à Rege adoptatur, & tanquam naturalis tractatur, & suppositus puer ab omnibus Principibus, & ciuibus filius Regis verè putatur: tam ipsis, quàm puero, prædictorum ignaris.

Factus iuuenis, omnibus gratus & strenuus apparebat, & quod maius est, deuotissimè Ecclesias frequentabat, pauperibus compatiens, misericorditer eis eleemosynam dare præcipiebat. His atque aliis pollens virtutibus, paulatim ad nubiles annos proximabat. Quare rex eiusdem pater putatiuus, (qui eum plusquam credi potest diligebat) de eius matrimonio cum filia Regis Aquilonis, quæ erat propria mater eius, tractare cœpit. Pater verò puellæ libenter annuens, filiam suam Albano tradidit, verè existimans filiam tradere filio vero Regis. Postquam verò per aliquot annos simul manserunt, omnibus bonis affluentes, contigit patrem putatiuum Albani iam senem prouectæque ætatis in grauem morbum incidere: desperatusque à medicis, cum ad extrema venisset, filio adoptiuo regnum commisit, eo quod alium non haberet. Cum autem diu eum hortatus fuisset vt se sapienter & prudenter gereret: tandem ei seriem facti reuelare cœpit, & qualiter eius naturalis filius non esset, & quomodo in capsella positum in sylua reperisset. In cuius rei fidem, pallium in quo ipsum inuolutum ex nemore susceperat (quod ad hanc vsque horam diligentissimè seruauerat) Albano tradidit. Hæc audiens Albanus magno affectus dolore, pene exanimis in terram corruit. Sed ad se rediens, Regi gratias maximas egit quod eum à bestiarum faucibus eruisset, & tam sollicitè enutrisset, & exaltasset. Verùm internum animi dolorem celare non valens, consternatus & mœrens ad vxorem ingreditur. Quæ causam tristitiæ interrogans, sæpius rogatus pandere noluit, quia ex hoc se contemnendum ab vxore putabat. Verùm casu accidit, vt pallium quo syluæ expositus inuolutus fuerat, quod tunc eidem à rege traditum fuerat, de sinu eius caderet. Quod vt mater vidit, statim agnouit, & exclamans dicebat: O me miseram quid feci? Quomodo cælum & terra execrabile tuum peccatum sustinere possunt? Hæc & alia multa cum lacrymis & gemitibus dicebat. Dum igitur ambo tristes essent, suæque tristitiæ causam ignorarēt: tandem mutua collocutione habita, repertum est Albanum incestu genitum, matrem incestuoso connubio cognouisse. Mater enim quam vxorem existimabat, figillatim omnia ei narrauit: quemadmodum cum patre peccans

*Propriā matrem ducit in vxorem Albanus.*

*Tandem cognoscit mater proprium filium in matrimonium duxisse.*

cans eum peperisset, & ad ignominiam tegendam, eundem hoc pallio inuolutum, in sylua exposuisset bestiis deuorandum. Tunc lacrymæ, gemitus & suspiria, tunc lamentabiles voces, tunc vlulatus ab eis in aëra mittuntur. Verumtamen consilio inter eos habito, tristitiam ex morte Regis simulantes, mortuum Hungariæ Regem iuxta condecentiam regiam sepelierunt.

Defuncto, vt diximus, & sepulto Hungariæ Rege Albani putatiuo patre: ad vtriusque patrem properarunt, vt eidem facti seriem exponerent, qui cũ solemnitate magna, & lætitia excepti sunt. Sequenti verò die peracta lætitia mutuæ visionis: Regem solum Albanus & mater in cameram vocantes, eidẽ seriosius quæ transacta fuerant explicare cœperũt. Rex his auditis, vltra quàm credi potest attonitus, & corde compunctus, erupit in lacrymas.

Sed confortatus ab Albano, & admonitus vt per pœnitentiã diuinam prouocaret misericordiã, paulum continens lacrymas, consiliũ fuit, vt ciuitatis Episcopum adirẽt, atque reatũ suum confitẽtes, absolutionis bẽneficiũ perciperent. Quod & fecerunt. Episcopus verò eorum miseratus infortuniũ, cœpit eos ad pœnitentiam adhortari, & rogare ne de Dei misericordia vnquam desperarent.

*Episcopo confitentur reatum suum.*

Erat tunc tẽporis sanctus quidã Anachoreta, qui in Eremo vicina ciuitatis habitãs, seipsũ exercebat. Hic miraculorũ gloria & spiritu prophetico prẽfulgens, in illis regionibus celebris habebatur. Episcopus igitur, huius Eremitę sanctitatẽ sibi in memoriã reuocans, eosdem pro pœnitentia accipienda ad eũ misit. Verumenimuero antequã proficiscerẽtur, ne regni negotia sine gubernatore & moderatore relinquerẽtur, Episcopũ regni administratorẽ constituerunt, & sic ad Eremitã perrexerunt. Qui cũ eorũ aduentum prænouisset, benignè & clemẽter eos excepit. Deinde cũ eos ad pœnitentiã fuisset adhortatus, multaq; de Dei bonitate & misericordia disseruisset: pœnitẽtiam eis septennẽ peregrinãdi ad diuersa SS. loca imposuit, secundum quod ei fuerat reuelatum. Peregrinari igitur cœperunt per diuersas prouincias & regiones, multa incómoda tolerãtes. Peracto septennio pœnitentiæ, cũ ad Eremitã redirent, per syluã aberrare contigit. Superueniẽte verò nocte cũ amplius ambulare nó possent, substiterũt. Tunc Albanus colligens per Eremũ herbas & folia, lectum parentibus cóposuit ad quiescendũ: ipse verò in arbore excubabat, ne feræ eisdẽ aliquam molestiam inferrent. Sed ô fragilitatẽ humanæ naturę! Qui iam per pœnitentiã ad salutis portũ peruenerant: iterũ per peccatum, naufragiũ faciunt. Miseri enim illi, instigante diabolo, ad vomitũ redeuntes, iterũ incestuosè peccant. Quod Albanus sentiens, turbatus, & iracũdia magna excandescẽs, ex arbore præceps ruit, & parentes, ô nefas! ô scelus! qui eum genuerant, zelo & iracundia exardescens, baculo peremit. Nondũ animam efflauerant miseri, cũ ipse conscientiæ stimulo agitatus, penè in desperationis barathrũ cecidisset, nisi Dei misericordia eũ præuenisset. Postquã ergo, ô rem deplorandam! parentum corpora cũ multis lacrymis & gemitibus, vtcũque, & quomodo poterat, sepelisset: surgente aurora, ad Anachoretã perrexit, qui iã omnia per spiritũ prægnita, quæ contigerant eo adueniente narrauit, eumque grauissimè redarguens propter execrandũ scelus, à se repellebat: sed videṡ eius lacrymas & cor contritũ, iterato septennẽ ei peregrinationẽ iniunxit, & sic eum in Domino abire præcepit, ita tamen vt peracta pœnitentia ad eum reuerteretur. Patiẽtissimè igitur & corde cõtrito longã pœnitentiã sanctus iuuenis exercebat, diuersa Sanctorũ limina visitando: quatenus eorũ suffragiis & precibus adiutus à peccatorũ suorũ nexibus solueretur. Expleta pœnitentia, secundum Anachoretæ præceptũ ad eũ reuersus est. Quem grauanter excipiens, postquã per aliquot dies eum apud se retinuisset, quadam die eũ aduocãs dixit: Gaude frater Albane, Deus vidit pœnitentiam tuam & lacrymas tuas, securè igitur ad propria redire poteris. Ille verò nullo modo ad sæculum redire volens, rogauit Eremitam vt ei sanctæ conuersationis habitũ traderet, & secũ manere permitteret. Anachoreta votis eius benignè annuẽs sãctæ conuersationis habitũ ei tradidit: eũque docuit perfectionis viam. Cum per aliquot menses cum eo solitariã vitam ducens permansisset, satisque instructus esset: per totam vitã peregrinari decreuit. Consulto super hac re magistro, propositũ approbauit, quinetiam eum futurum Christi martyrẽ prædixit. Quod cũ B. Albanus resciuisset, ne eius vita posteris remaneret incognita, eius precibus ab Anachoreta literis mandata est. Quã in pixide locatã, ad collum suũ alligauit, & abiit: sicque relicto regno factus est Anachoreta & peregrinus. Qui cũ diuersas Europæ peragrasset regiones, Maguntiã veniens, multa ibi SS. corpora visitauit. Ætatẽ igitur & vires deficere sentiens, tandem Maguntiæ substitit, & in nemore prope ciuitatẽ sibi rugurioluũ construens aliquot annis habitauit, in magna paupertate, abstinentia, & nuditate rerũ omniũ viuens. Eo sic in sanctis operibus perseuerãte, tandem sui magistri prædictio ad effectũ venit. Nam quadã die dum in tugurioło suo, Deo intentus esset, superuenientes latrones pagani, eũ interrogarunt quis esset. At ille Christianum se esse professus est. Illi audito Christiano nomine, eũ arripientes, minis & blanditiis suadebãt vt negaret Christum. Cumque ille se nunquã Christum Dominum verum Deum & hominẽ, negaturum diceret; quin potius eosdẽ hortaretur ad conuersionẽ, multis plagis & verberibus affectus, tandem eum iugularunt, & corpus sanctum in flumen proiecerunt. Quod cum cursu fluminis ad molendinum fuisset delatum; dum cuiusdam militis filia leprosa se in flumine balnearet, repẽtè à lepra mundata est. Quod admirans, cùm celeri cursu venisset in vrbẽ, & miraculum narrasset: multi leprosi veniẽtes, & se in amne tingentes, mundabantur. Et mirantibus cunctis vnde talem aqua virtutẽ haberet: perquirentes, corpus martyris inuenerunt, & reperta pixide, vitaque ipsius perspecta, Deo gratias agentes, cum honore corpus asportantes, venerabiliter condiderunt, Calend. Decemb. vbi & quiescit miraculis clarens.

*Anachoreta miraculis claret.*

*Pœnitentiam eisdẽ imponit Anachoreta.*

*Eremitico habitu induitur S. Albanus.*

*Præditit ei Eremita eum fore martyrẽ.*

*Habitat in nemore prope Moguntiam.*

*Iugulatur à latronibus S. Albanus.*

*Leprosi sanãtur.*

*S. Albanus patrẽ & matrem ad incestuosum vomitũ redeuntes trucidat.*

*Ob cõmissum parricidium septennẽ peregrinationis pœnitentiam accipit.*

NOTÆ.

Albanus.] *De quo agunt Petrus de Nat. lib. 1. c. 16. Petrus Cratepolius de Episc. Germaniæ, in Annal. Episc. Mogunt. vbi vitã eius, & parricidiũ summatim describit, Albanus Regiæ stirpis, &c. Marcus Marulus lib. 4. c. 10. vbi sic scribit. Albanum furore percitũ, patri necem intulisse constat, &c. Tempus quo martyrium subiit, prodit Petrus Cratep. vbi supra. Fuit & alius Albanus martyr qui etiam Moguntiæ passus est, de quo Mart. Rom. 21. Iuny.*

Maguntiæ substitit.] *Maguntia, siue Moguntia, est vrbs celebris Galliæ Belgicæ, quæ vulgò dicitur* Maience.

## *VITA SS. EREMITARVM PELAGII, Arsenij, & Syluani. Incerto Auctore.*

*Ex ant. Cod. Bibl. Monast. nostri Lugd.*

REgnante in Legionis regno Ordoneo tertio, suscitauit Deus quendã virũ in armis strenuum Ferdinandũ Gundisaluũ Comitẽ, cuius filia Viraca nomine,



nomine, supradicti Ordonei Regis vxor erat. Comes ergo Ferdinandus Gundisaluus, desiderio seruiendi Deo, bella durissima aduersus Sarracenos aggressus est. Primò autem congressu deuictis Sarracenis obtinuit Castrum quoddam quod dicitur de Tharaco, in cuiusdam rupis altitudine collocatum: vnde Sarracenis euenit tribulatio magna.

*Comitis Ferdinandi Gundisalui magnanimitas.*

Tunc Almanzor Sarracenorum potentissimus Rex, cùm audiuisset quod Ferdinandus Gundisaluus ceperat prædictum Castrum, iratus valdè congregauit magnam Regum Sarracenorum potestatem, aliarumque gentium, quorum numerus duodecim legionum militum erat. Vna autem legio in sex millibus sexcentis sexaginta sex consistit. Cum verò prædictus Comes Ferdinandus cognouisset quod Almanzor veniret contra eum in multitudine tam graui, statim legatos suos per totam Castellam misit, vt ad eius auxilium venire minime differrent. Collecto igitur magno exercitu, ad eum venerunt, habitoque cum eis consilio, hortatus est vt bono animo essent, & viriliter aduersus Christianorum inimicum decertarent. His ita constitutis, Ferdinandus Gundisaluus tædio affectus, vt paululum à curis animum reuocaret, cum seruis suis vt venationi operam daret, abiit (valdè enim venatione delectabatur.) Cùm autem miræ magnitudinis aprum insequeretur, contigit, vt à seruis suis separatus, per montem oberrans, veniret in quandam speluncam, quærens aprum, sed cùm non inuenisset, & huc illucque aberraret, tandem ingressus est quandam Ecclesiam paruam. Ecclesia autem illa tota erat exteriùs cooperta quadam herba quæ dicitur hedera, ita quod nullo modo videbatur, erantque in cellulis circumcirca constructis tres Anachoretæ, qui soli Deo in hoc deserto seruiebant. Quorum nomina sunt Pelagius, Arsenius, & Syluanus. Cùm igitur prædictus Comes, ingressus Ecclesiam, accessisset ad altare, aprum iacentem in terra reperit, eumque propter loci reuerentiam occidere noluit, sed flexis genibus orationem suam fudit ad Dominum. Cùm autem orationi suæ finem imposuisset, statim venit ad eum vnus trium illorum Anachoretarum, qui dicebatur Pelagius, & interrogauit eum quis esset, & quid peteret. Comes verò ei nihil celauit, dixitque quod segregauerat se à gente sua, & intrauerat ibidem vt quæreret aprum. Tunc Eremita dixit ei. Rogo te propter Deum, & propter tuam bonitatem, quod sis ista nocte meus hospes, dabo tibi panem hordei vt comedas, quia de tritico non habeo, & dabo tibi de aliis quæ potero habere. Quod Comes cùm audisset, lubenti animo mansit apud eum illa nocte.

*Almanzor Rex Sarracenorum.*

*Legio quid.*

*Tres reperit Anachoretas Ferdinandus.*

*Pelagij Eremitæ benignitas.*

Die autem sequenti, cum summo manè Eremita Pelagius ad Comitem venisset, omnia quæ euentura erant prædixit ei dicens: Certissimè credas quod diriget Deus negotia tua, & deuinces omnem potestatem illius Almanzor, prælium magnum habebis cum eis, sed & certissimè vinces eos, & tot ex eis occides, quod non erit numerus. Item scias certissimè quod recuperabis vnam magnam partem terræ, & effundes sanguinem regum & magnatum, & fœlicitas tua tam magna erit, quod per totum mundum sonus exibit militiæ tuæ. Sed & ante tertium diem eris in magnis angustiis positus, quia videbis totam gentem tuam vltra modum pauore percussam propter vnum teterrimum signum quod videbunt, nec erit ibi aliquis tam fortis quod non langueſcat timore. Sed tu statim confortа eos melioribus verbis quibus poteris, exponendo signum, & ipsi statim perdent timorem, & ex nunc vade fœliciter, inueniesque omnes tuos tristes planctus & luctus propter te facientes, & cogitantes quod sis captus vel mortuus. Sed rogo te & peto istud, quod postquam deuiceris, recorderis huius pauperculæ societatis, & tam pauperrimi loci, quia nos tres Monachi sumus soli, facientes pauperrimam vitam, & nisi Deus nobis esset adiutor, deuorarent nos crudelissimæ bestiæ huius montis.

*Pelagius prædicit Comiti euentura.*

Comes igitur valefaciens, ad propria reuersus est, narrauitque omnia quæ sibi acciderant cum Pelagio Eremita. Paruo autem elapso tempore, cum præcepisset moueri exercitum suũ, venit ad locum vbi se mutuo videbant Christiani & Sarraceni, tantaque erat Sarracenorum multitudo, quod montes & valles cooperti videbantur, veniebántque sonantibus tubis, & tumultum magnum excitantes. Tunc autem accidit signum quod prædixerat Pelagius Eremita: vnus enim militum Comitis Gundisalui cum ascendisset equum pulcrum & velocem, vrgeretque eum calcaribus, aperta fuit terra, & deglutiuit eum eum equo suo. Tunc fuerunt omnes milites Comitis percussi timore magno dicentes: Propter peccata nostra istud accidit nobis, & bene apparet quod Deus derelinquet nos. Sed virtuosus ille Comes cum eos bono animo esse iussisset, & vt sperarent in Domino admonuisset, commissum est durum bellum, & milites Christiani intantum accensi fuerunt, quod vicerunt potestatem Sarracenorum, & fugit Almanzor cum paucis. Victi ergo Sarraceni fugerunt: sed Comes Ferdinandus persequens eos cum paucis de suis, occidit plures eorum, & in tentoriis aurum, argentum & vasa pretiosa & arma reperiens, militibus diuisit spolia. Exinde Comes prædictus venit cum omnibus suis ad supradictum Eremitorium S. Petri, deditque ibi multa donaria, reuersusque est in ciuitatem suam in gloria cum omnibus suis: vbi aliquot diebus stetit propter vulnera sananda illorum qui in bello fuerant vulnerati. Hac igitur die Deus manifeste ostendit suam potestatem, in hoc quod trecenti milites Christiani, tantã Sarracenorum multitudinem, & tam potentem virum sicut erat Almanzor, superarunt.

*Aperta terra vnus militũ Comitis deglutitur.*

*Fugiunt Sarraceni.*

Interea Sarracenorum Rex Almanzor valde dolens de euentu belli, transiuit vltra mare in Affricam, præcepitque prædicari per totam Sarracenorum terram, quod venirent ad eius auxilium contra Ferdinandum Gundisaluum. Cum hoc Sarraceni audiuissent, venerũ ad eum sine numero, sicut qui veniunt ad indulgẽtiam cruciatæ, quam nos Christiani fideliter accipimus, cum sedes Apostolica debitis circunstantiis pensatis, illam concedit. Vltra autem prædictas Sarracenorum gentes, congregauit etiam totam Andaluziæ potestatem, & sic cum exercitu quasi innumerabili venit contra Castellam, vt destrueret eam, & vt prædictum Comitem caperet & occideret, si posset. Quæ omnia cum cognouisset prædictus Comes, congregauit similiter omnes Castellanos, venitque ad locum qui dicitur Predranita, Sarraceni verò erant in Vacinas.

*Victus Almanzor copiosiorem colligit exercitum.*

Comes igitur relicto exercitu suo, solus cum duobus militibus velociter perrexit, vt videret Pelagium Eremitam, qui ei altera vice prædixerat victoriam de Rege Almanzore reportaturum. *gij.*

*Obitus Pelagij.*

Cum verò peruenisset ad eius cellam, dictum est ei ab aliis duobus Eremitis, quod iam ex hac vita migrasset. Vnde non parum dolens de morte eius, orationis gratia Ecclesiam ingressus est, flexisque genibus ante altare rogabat vt Deus sui misereretur, & omnem Sarracenorũ destrueret potestatem. Cùm orationem prolongaret, subitò captus est quodam dulci somno, dormiuitque ante altare. Apparuit autem ei per visum sanctus ille Monachus Pelagius, candidis indutus vestibus, & dixit ei: Dormis Ferdinande Gundisalue? Surge & vade ad gentem tuam, quia Deus concessit tibi quicquid postulasti, & scias certitudinaliter quod vinces Sarracenum Almanzor, & omnem eius potestatem, & perdes in prælio multos de gente tua. Sed & quia seruis Deo toto corde, mittet tibi Apostolũ suum Iacobum & me, cum multitudine Angelorum, ad adiutoriũ tui, & apparebimus omnes in bello cum armis albis, & quilibet nostrum ducet crucem in suo vexillo, & cum Sarraceni viderint nos, vincentur, & dimittent tibi campum. Euigilans ergo Comes, & cogitans in illa visione, orando, audiuit vocem sibi dicentem & præcipientem vt citò pergeret ad committendum prælium.

*Apparet Comiti Pelagius, & victoriam de Sarracenis promittit.*

Reuersus ergo ad suos Comes Ferdinandus, cum eis narrasset visionem, & eos bono animo esse iussisset, asserens quod die tertia debellarent & fugarent exercitum Sarracenorum, ordinauit acies suas, præcepitque omnibus, quod si prima die Sarracenos vincere non possent, cum audierint buccinam suam, quod retraherent se à prælio, & omnes congregarentur sub vexillo suo. Postquam ergo omnes sic ordinauit, venerunt omnes in tentoria sua, & veniente nocte viderunt per aëra rabidum quendam serpentem venire sanguine cruentatum, & quasi vulneratum, emittentem tam fortes sibilos, quod nullus ibi fuit tam audax qui non timeret: tam magnos autem & horribiles ex ore emittebat ignes, quod omnes de exercitu seipsos inuicem viderent. Cernens autem Comes populum suum pauore percussum, quia ex illa visione conceperant quod vincendi erant à Sarracenis: eos his verbis consolatus est, dicens: Amici, isti Sarraceni incantatores sunt & nigromantici, & suis inuocationibus appellant diabolum, qui pro eis multa ludicra operatur. Aliquis autem Sarracenus qui ista scit facere, fecit illum apparere per aëra, vt nos tali arte terreret. Cùm ergo vos sitis homines intelligibiles, optimè debetis scire, quod diabolus nihil vobis nocere potest, cùm Dominus noster Iesus Christus ei abstulerit potestatem. Commendemus nos ergo Deo, quia omnipotens est, & liberabit nos de inimicis nostris.

*Præstigiosus Draco in exercitu Comitis apparet.*

*Sarraceni incantatores & nigromãtici.*

*Confortat suos milites Comes Gundisaluus.*

Talibus verbis Comitis confortati milites, cum in galli cantu surrexissent, & Missam audiuissent orauerunt: ac de peccatis sui contriti & confessi, rogauerunt Deum, vt adiuuaret eos contra Sarracenos. Post hæc parauerunt acies suas, & Sarraceni similiter suas, & commissum est prælium magnum, mortuique sunt multi ex vtraque parte, nec alteri partium concessa est victoria eodem die. Verumtamen expulerunt Christiani Sarracenos à tentoriis suis, & manserunt illa nocte in iisdem, in quibus inuenerunt omnia necessaria, steteruntque armati per totam noctem. Altera autem die ordinatæ sunt acies in campo ex vtraque parte, & venerunt Sarraceni aduersus Christianos magnis vocibus acclamantes: Christiani similiter audita Missa, exeuntes aduersus eos, inceperunt prælium, duravitque per totam diem, nec tamen vna pars alteram superare potuit. Fuerũt & in hoc secundo bello etiam multi mortui ex vtraque parte, & plurimi vulnerati, & reuersi sunt Christiani superueniente nocte in tẽtoria sua tristes & vulnerati. Tertia verò die illucescente, iterum commissum est durissimum bellum inter vtrosque, & Christiani ducebãt ante se signum Crucis Domini nostri Iesu Christi, orantes toto corde vt Deus vellet eos iuuare contra inimicos. Interim ex vtraque parte multi ceciderunt, & præcipuè ex Christianis, vnde cogitabat Comes, se non amplius Castellam visurum.

*Sarraceni à Christianis de suis tentoriis expelluntur.*

Cum ergo esset in maxima pressura, incepit mente orare Deum, & ecce vidit Apostolum Iacobũ & Pelagium cum multitudine militum, & militaribus splendentibus armis, Crucis signo insignitis, qui omnes ibant potentissimè percutere Sarracenos aciebus suis ordinatis. Quos cum viderũt Sarraceni, timore magno percussi sunt nescientes quid facerent: mirabantur etiam multũ vnde venerant illæ gentes armatæ, & insignitæ omnes vno signo. Cùm autem Christiani qui iam erant quasi victi, vidissent Apostolum Iacobum, resumptis viribus irruerũt in Sarracenos, & multitudinem magnam occiderunt: alij verò terga dare coacti sunt, illisque fugientibus persecutus est eos Comes duobus diebus & duabus noctibus, pluresque eorum occidit, plures autem captiuauit. Quarta autem die reuersus est cum suis ad locum prædicti belli de Bacinas, & quæsierunt Christianos mortuos inter Sarracenos mortuos, & hortatu Comitis asportauerunt ad Eremitorium prædictũ cadauera, sepelieruntque ibi. Dicitur nunc locus ille sanctus Petrus de Arlancha, vbi fuerat sanctus ille Eremita Pelagius, & reuersi sunt vnusquisque in locum suum cum gaudio magno.

*S. Iacobus Apostolo, & Pelagio fugantur Sarraceni.*

*S. Petri Monast.*

### NOTÆ.

Pelagius.] *Tam de Pelagio quàm de sociis agunt Vasæus in Chronico, Mariana lib. 8. c. 6. Vvionius in Addit. ad Mart. Monasticũ. Obiisse dicitur Pelagius anno Domini 950 Videtur Baronius de victoria Gundisalui Ferdinandi dubitare. Sed non est quod timeat, nam hæc celebris ab omnibus Hispanicarum rerum scriptoribus admittitur victoria. Atque præter eos, etiam doctissimus Bozius tom. 1. de signis Ecclesiæ, de insigni illa victoria Comitis Ferdinandi pluribus mentionem facit. Præterea tam de Pelagio, quàm de sociis plura in Chronico S. Bezed. tom. 1. vbi hæc verba habẽtur. Historia trium istorum Sanctorum valde authentica est, & approbata, quia fundatur supra sanctitatem vitæ ipsorum, & miraculorũ, sicut ex multis monumentis dictæ Abbatiæ, (scil. S. Æmiliani) colligi potest, & ex traditione omnium Monachorum, qui eosdem tanquam sanctos honorarunt. Et nunc quoque eorum corpora in tribus thecis reposita, videntur eleuata supra altare quod vocant Sanctorũ Martyrum.*

## VITA S. VENTILÆ EREMITÆ. *Incerto Auctore.*

*Patria S. Ventilæ.*

BEATVS Ventila, parentibus in Hispania ortus est non infimis. Qui ab eis in Dei timore educatus, scholisque traditus, cum esset bonæ indolis, multos fecit progressus. Erat autẽ misericordia in pauperes præcipuus, & castitate honestus. Qui cum ad adolescentiæ florem peruenisset, vitia, carnisque voluptates, quæ illam ætatem sequuntur, fugiebat, & crescens corpore, crescebat & virtute. Valde autem cœpit ad vitam solitariam anhelare. Quare opportunitate nacta, parẽtes latenter deserens, Monachus factus est, & paulo post, Eremiticam vitam quam tantopere concupierat, amplexus est, apud Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Pugin non longè ab Orensi ciuitate.

*Amplectitur vitam Eremiticam.*

Ibidem degens, ieiuniis & vigiliis corpus atterebat, multasque à dæmonibus ei illatas molestias, ope omnipotentis Dei viriliter superauit: quinetiam multis miraculis claruit; nam cæcis visum, surdis auditum, aliisque ægrotis sanitatem restituit. Sicque in sanctis operibus perseuerans, tandem migrauit à sæculo Era 928. qui est annus Domini 890. ibique cum sequenti Epitaphio sepultus est.

*Migrat ex hoc sæculo.*

Hic requiescit famulus Dei Ventila, qui obiit die 10. Calend. Ianuar. Era DCCCCXXVIII.

### NOTÆ.

Ventila.] *Agit de eo Morales in Hist. Hispan. lib. 15. c. 22. Meminit eiusdẽ Illust. Card. Baron. tom. 8. Annal. & Vvion. in Mart. Monastico 23. Decemb.*

## VITA S. VENANTII EREMITÆ & Martyris. *Incerto Auctore.*

*Illustris prosapia S. Venantij.*

SANCTVS Venantius ex illustri prosapia Comitum Hannoniæ ortus, fuit filius Sanctæ Amelbergæ, & frater Sanctæ Pharaildis. Hic à teneris annis iam demonstrabat ex grauitate morum se à Deo electum esse. Nam vitia quæ separant à Deo abhorrebat, & ad virtutes acquirendas totus sedulo operam nauabat: ita vt ab omnibus vnicè amaretur. Sed considerans quàm difficile sit posse Deo placere & hominibus, valedicere mundo disposuit.

Itaque factus adolescens, mundum, parentes, diuitias atque honores contemnens, secedit in Eremum, locũque suæ habitationis in opaco quodam saltu non longè ab Area ciuitate sibi deligens, tuguriolum sicut potuit propriis manibus construxit, ibique cœpit Dei laudibus insistere atque macerationi corporis; ita vt noctes quandoque insomnes transigeret, & corpusculo vigiliis & ieiuniis continuè attrito, vix ad illius sustentationem cibum præberet. Tunc temporis Pipinus inclytus Francorum Rex in sui regni sedem elegerat Aream ciuitatem, eo quod in amœnissimo loco constituta esset. Igitur prædictus Rex habebat filiam nomine Itisbergam, eximia omnino corporis pulchritudine decoratam: sed quæ maiori animæ pulchritudine excellebat. Virginitatem enim suam sponso suo deouerat Christo. Quæ cum audisset famam Sancti Eremitæ Venantij, sæpius ad eum visitandũ pergebat, & ab eodem vitæ cælestis pabulum percipiebat. Contigit verò vt virgo prædicta ob eximiam pulchritudinem à multis Regibus & principibus in matrimonium quæreretur. Sed cũ omnes respueret propter amorem virginitatis quam Deo vouerat; tandem blanditiis & minis à patre sollicitata, coacta fuit assensum præbere vt cum Portugalliæ Rege matrimonio iungeretur. Paucis autem diebus ante prædicti Regis aduentum, cum pro nuptiarum solemnitate omnia præpararentur; virgo sancta virginitatem suam omnibus horis & momentis Deo commendabat. Quadam verò die plus solito diuini amoris igne succensa, cœpit rogare Deum, quatenus ei placeret vultum suum scabie & pustulis deformare: vt hoc pacto sponsus suus carnalis ab eius amore auocaretur.

*Secedit in Eremum.*

*Durè macerat corpus suum.*

*S. Itisberga filia Pipini Regis virum Dei sæpe visitat.*

Omnipotens & misericors Dominus, qui volun-



tatem timentium & diligentium se, facere consueuit; ita sponsæ suæ vultum scabie & pustulis cooperuit, vt cernentibus horrorem & timorem incuteret. Vnde prædictus Rex qui eam prius ardentissimo amore dilexerat, postmodum eam contemnere cœpit, & sibi aliam sponsam quærere. Beata autem Itisberga in proposito virginitatis perseuerans, beatum Eremitam Venantium sæpius adibat regio stipata comitatu, à quo in spirituali vita dirigebatur. Sed quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Quidam latrones videntes virum sanctum sæpius à filia Regis visitari, suspicati sunt multum auri & argenti pondus apud eum se esse inuenturos. Nacta igitur occasione, nocte quadam venerunt ad cellam viri Dei, quam cum effregissent, virum Dei crudeliter occiderunt, sanctumque corpus in vicinum flumen proiecerunt.

*Impetrat à Deo S. Itisberga vultus deformationem.*

*S. Venantius trucidatur à latronibus.*

Quadam igitur die cum beata Itisberga de more profecta fuisset ad cellam viri Dei, & eum non reperisset, multum dolere cœpit. Nocte verò sequenti eidem reuelatum fuit quod si desideraret sanitatem recipere, de primo pisce qui in fluuio caperetur deberet comedere. Cùm autem misissent piscatores ad fluuium, multo tempore frustra laborauerunt, ita vt recedere disponerent. Verumtamen diuina voluntate factum est, vt corpus mortuum tangerent, quod ex aqua traxerunt, circa quod etiam anguillam inuolutam ceperunt, quam continuò Itisbergæ miserunt. Quæ statim atque comedit de pisce sibi asportato, sanitatem pristinam & pulchritudinem etiam ampliorem recepit. Sed audiens cum pisce corpus mortuum fuisse captum, ad locum properauit vt illud videret. Et cernens quod esset corpus beati Venantij patris sui & directoris spiritualis, prorumpens in lacrymas, super illud prostrata cecidit, sæpius deosculans, & lacrymis suis irrigans. Postea verò illud honorificentissimè sepeliri fecit; multaque ad eius sepulchrum facta sunt miracula. Beata etiam Itisberga cum multos annos in sanctitate vitæ perseueraſſet, migrauit ad sponsum circa annum Domini 800. multisque miraculis tam in vita quàm in morte claruit. Cuius corpus successu temporis à Sancto Vvinoco Bincham translatum fuit anno Domini 1221. Porrò festum Sancti Venantij 10. Octobris celebratur.

*B. Itisbergæ manducãs de pisce qui tegerat corpus S. Venantij, pristinæ sanitati restituitur.*

*Sancto fine quieuit B. Itisberga.*

### NOTÆ.

Venantius.] *De eodem agunt Vvionius in Martyrologio Monastico 10. Octobris, & Gazetus tom. 1. de vitis Sanctorum in vita Sanctæ Itisbergæ. Obiit vir sanctus anno Domini 690. Agitur infra de alio eius nominis Venantio Bellouacensi.*

Ab Area.] *Est Area ciuitas Galliæ, quæ vulgò dicitur la Haire.*

Filiam nomine Itisbergam.] *Vocatur alio nomine hæc sancta virgo Isberga.*

## VITA S. LEVFREDI ABBATIS. *Incerto Auctore.*

*Patria Sancti Leufredi.*

BEATVS vir Leufredus intra Gallias, in pago Ebroicensi exortus est, sanguinis nobilitate conspicuus, parentibus Christianissimis natus. Hic ab adolescentia sua, cùm in vana huius mundi gloria excrescere posset, mox adhuc puerulus, diuino spiritu tactus, æstuabat animo, assiduè parentes deprecans, vt accessum posset habere ad aliquem locum, vbi exer-

*Puerulus valde aspirat ad studia literarum.*

citia litterarum in ſcholis inuenirentur. Ad hæc cum pater nullo modo aſſentiret, & filij diceret ſe non poſſe abſentiam ſuſtinere, puer ille deuotus occaſionem inuenit, qua id quod deſiderabat, perficeret. Petiuit ergo à patre vt liceret ſibi cognatos & affines ſuos viſitare, qui in Caſtro Ebroicenſi morabantur: cúmque viſionis mutuæ, & allocutionis eis impendiſſet officium, continuò ad propria reuerteretur. Poſtquam itaque obtinuit quod poſcebat, ad ſuburbium præfatæ ciuitatis tetendit: vbi venerandus confeſſor Chriſti Taurinus, Præſul quondam loci eiuſdem requieſcit. Venienſque ad locum, & Ædituum domus Dei allocutus, ei voluntatis ſuæ reſeravit arcanum. At ille libenter eum audiens, quia mente ſyncerus, & corpore pulcher eſſet, fraterna dilectione ei miniſtrare curauit. Vt autem magiſtrum reperit, qui ſibi operam in litterarum eruditione impenderet: cum documento linguæ, morum probitate cœpit alios anteire.

*Conatur eum pater impedire.*

*Subtili aſtutia propoſitū ſuum perficit.*

*Tandem magnos progreſſus facit tam in litteris, quàm in bonis moribus.*

Interea cùm ibidem diutiùs moraretur, parentes quos reliquerat, abſentiam eius grauiter ferentes, in exteris regionibus, ad aliquam Eremi vaſtitatem profugiſſe credentes, mox cœperunt circuire loca diuerſa, ſi forſitan eum alicubi reperire poſſent. Et cùm dies & noctes in quærendo agerent, in memorato loco inuentus eſt. Cumque ei vehementius inſtarent, vt parentum dolorem reuerſione ſua releuaret, reſpondit: Poſtquàm me Dominus meus Ieſus Chriſtus ad ſibi ſeruiendum aſſumere dignatus eſt: indecens omnino eſt, ſi ab eius nunc militia, ad carnis & ſanguinis tranſeam amicitias. Tanto ponderi verborum cum parentes reſiſtere non poſſent: in propoſito eum manere paſſi ſunt. Illiſque abſcedentibus, cœpto operi magis ac magis inſiſtere cœpit: quouſque omnibus ſodalibus tranſcenſis magiſtrum quoque ſuum æquiparare videretur.

*A parentibus vndique perquiritur.*

*Inuentus ab eis, deinceps ad ſeculū redire recuſat.*

Cúmque omnia epotaſſet in quibus idonei doctores erant quos in eodem vico inuenerat, ad aliū vicum, cui Condatus vocabulum eſt, feſtinus migrauit. Sed cùm nec ibi virum inueniret, qui ſibi ſatisfaceret ad omnia quæ quærebat, quam citiſſimè loco ceſſit, & ad vrbem Carnotenſem conuolauit: vbi diuerſorum ſtudiorum doctrinam abundare cognouerat. Quo cum perueniſſet, iuuante Dei gratia, ita ad plenum eruditus eſt, vt omnes cum attentione diſcipulum mirarentur factum eſſe magiſtrum.

*Gallicè Cōdé.*

*Carnoti dat operā litteris.*

Cúmque ſodalium contra ſe inuidiam graſſari conſpiceret, inde digreſſus, ad propriam poſſeſſionem remeauit. Cùm autem fama reuerſionis eius ad vicinos perueniſſet: cognoſcentes in eo diuinarum litterarum ſapientiam coruſcare, filios ſuos ab eo educandos offerebant. Quos ille & litterarum peritia imbuebat, & religionis modeſtia informabat: necnon neceſſaria indigentibus, viduis ac pupillis, & orphanis procurabat. Oratorium ſtatuit, quod etiam reliquiis diuerſorum ſanctorū exornauit: vbi nullus introitus neque acceſſus fæminis dabatur. Et quamuis adhuc in habitu laico detineretur: opus tamen veri Monachi aſſiduè Domino perſoluebat, pernox in vigiliis & oratione perſeuerans.

*Sodalium inuidia diſcedere cogitur.*

*Conſtruit Oratorium.*

*Adhuc laicus vitā Monachi agit.*

Poſt hæc maiora & perfectiora ſemper animo inquirens, cœpit cogitare vt omnibus mundanæ dignitatis affectibus funditus deſpectis, Monaſticū ſubitò conuolaret ad habitum. Igitur parentibus relictis intra noctis tenebras, de domo aufugit. Cui iter facienti pauper quidam nudus obuiam venit. At ille pallio quo erat amictus, eum protinus veſtiuit. Indéque paululum progrediens, alterum pauperem nudum obuium habuit. Quem ſimiliter veſtimentis ſuis circumtexit: peruenitque ad Monaſteriolum, quod vocatur vulgò Varenna. Cúmque illic habitantes aliquandiu eum detinere vellent, nullo modo acquieuit: quia fœminarum habitaculum illud erat. Egreſſus itaque petiuit locum qui dicitur Calliatus: vbi Dei hominem Bertrannum inuenit, cuius in rebus diuinis indefeſſa mentis agilitas ferebatur. Qui dum ſermone mutuo inuicem de ſpiritualibus agerent: viſum eſt eis vt aſpectibus hominum ſe ſubducerent, & quaſi catena colligati, intra clauſtra domus vſque ad finem vitæ in hymnis, & precibus permanerent. Sed vir Domini Bertrannus, relictis omnibus quæ habebat, peregrè profectus eſt. Deuotus verò miles Domini Leufredus in cœptis perſiſtens, ibidem ſe velut in ſpecu retruſit. Ibi die noctuque orationibus & vigiliis intentus, fonte lacrymarum ora ſuffuſus, pietati omnipotentis Dei ſeipſum commendabat.

*Exuit ſe vt veſtiat pauperē.*

*Vulgò Cailly.*

*Bertrannus relictis omnibus peregrinatur.*

Euoluto autem tempore cùm iam diſpenſatio diuina per eum plures lucrandos decerneret, audita fama beati Sidonij, Rhotomagenſem vrbem protinus aduenit, à quo ſanctæ conuerſationis habitum, & tonſuram accepit, & ſub ipſo patre voto ſe conſtrinxit.

*Accipit habitū Monaſticum à S. Sidonio Abbate.*

In diebus illis domnus Anſbertus in Rhotomagenſi vrbe Pontificatum gerebat. Hic frequenter virum egregium Sidonium, & Sanctum Leufredum, ad familiare colloquium inuitans, de acquirendis Deo animabus cum eis tractabat. Factum eſt interea, vt hortatu præſulis, & beati Sidonij, ad natale ſolum vir Domini reuerteretur: vt in patria ſua homines in via erroris ambulantes, ad lumen veritatis reduceret. Habitauit ergo in cella non multum longè à ciuitate. Per idem verò tempus Pontificatum Ebroicenſis Eccleſiæ Deſiderius agebat, à qua non longè, duabus ſcilicet leucis, eius cella diſtabat. Qui cum opinionem viri Dei audiſſet, & quia plures ab ipſo, lumine veritatis accenſi, vitam Apoſtolicam ſequerentur: zelo inuidiæ ſuperatus, quod in Diœceſi ſua talia agere præſumpſiſſet, quadam die conſcenſo equo, aſſumptiſque officialibus ſuis, ad cellam viri Dei perrexit. Ventum eſt ad locum, & ſubitò virum Dei iniuria verborum exacerbauit. Sed cùm ad hæc vir ſanctus immobilis permaneret, magis ac magis Epiſcopus exagitatus furore, imperat ſuis, vt eum in equum leuarent, cum ipſe vir Domini iam decreuiſſet nunquam equum aſcendere. Cúmque pariter ambularent, & eum Epiſcopus ad ciuitatem perducere conaretur, vt ibi in eum quæcumque vellet libentius exerceret: necdum milliarium à cella hominis Dei compleuerant cùm ſubito equus cui vir Dei inſidebat, in terram concidit, & diruptа ſunt omnia viſcera eius. Mirantibus cunctis, Epiſcopus nimio terrore conſternatus eſt, atque leuitatem ſuam admodum reprehendit, quòd virum Dei lædere præſumpſerit. Sicque ad genua eius prouolutus, indulgentiam poſtulauit. Cui vir Domini placidè omnem iniuriam remiſit. Pontifex autem cum ſumma veneratione, & obſequio, eum ad cellam ſuam redire fecit. Vbi poſtea diuino adiutorio comitatus, per multa annorum curricula, & verbo fidei claruit, & miraculis coruſcauit.

*Deſiderius Ebroicēſis Epiſcopus eum inuidet ſanctitati.*

*Nota miraculum.*

*Tandem reſipiſcit Epiſcopus.*

Denique die quadam, vnus Monachorum nomine Giſlehardus, tanta antiqui hoſtis malitia perculſus



culſus eſt, vt ſubitò animam exhalare ſe crederet. Currenſque ad hominem Dei, voce lacrymabili aiebat, ſuccurre pater, ſuccurre modo, ab hac luce diſceſſurus ſum. At vir Domini ad familiaria ſibi arma recurrit, hortatuſque eſt ſuos vt precibus obnixè inſtarent, vt verus & æternus paſtor Ieſus vnam ouem ſibi creditam, à iugo diaboli eripere dignaretur. Cùm autem ab oratione ſurrexiſſet, benedixit ei: dans præceptum vt in ieiuniis deuotus eſſet. Poſt hæc tradidit ei baculum, quem ipſe manibus geſtabat, & dixit ei. Conſtans eſto fili: non morieris modo. Viriliter age, & in operibus bonis meditare iugiter. Et ſanatus eſt frater ille: nec vlterius tale aliquid paſſus eſt.

*Monachus obſeſſus à dæmone, ſancti viri precibus liberatur.*

Alio itidem tempore, noctu flamma ignis cum caſu validiſſimè per omnia Monaſterij habitacula cremando peruolaret, repentè vir Dei manus ad cælum leuauit, omnipotentem inuocans, vt ipſe flammarum vires conſtringeret, qui fornacem Nabuchodonoſor nihil valere fecit, vt tres pueri liberarentur illæſi: deinde oratione completa, tanto imperio impetum ignis coërcuit, vt nihil vlterius contingere poſſet: ſed tota violentia ventorum in vnum conglobata, quaſi inundatione imbrium in ſemetipſa emarcuit. Vbi euidens miſericordia Dei, & interceſſio ſancti viri apparuit. Nam cum domus hæreret domui, omnia citiſſimè deperiſſent, ſi non ſerui ſui Dominus precibus placatus fuiſſet.

*Daniel. 3.*

*Oratione impletum ignis coërcet.*

Alio quoque tempore certamen antiqui hoſtis quendam hominem inſtigauit, vt contra virum Dei inique ageret, & de rebus cellulæ ipſius diminutionem facere tentaret. Pro qua re vir Domini zelo domus Dei permotus ad iudicem feſtinauit. Cúmque ſanctus Dei famulus querelam ſuam exponeret: homo ille turpibus ſermonibus ei cœpit exprobrare, atque falſidicum appellare. Cui vir Domini concitato ſpiritu ait. Deus ipſe iudicet inter me, & te. Et in hoc apparebit quis noſtrum iuſtitiam impugnet, ſi modo dentes ei radicitus omnes ab ore ceciderint. Et ſit hoc ſignum ſuper omnem illius progeniem. Vix verba compleuit, & pondus condignæ vltionis ipſum, & ſemen eius percuſſit: ita vt omnes de illius progenie nati, hac maledictione deturpati ſint vſque in hodiernum diem.

*Vltio diuina in furem, virum Dei iniuriis laſceſſentem.*

Aliud ſimile miraculum geſſit per eum ſpiritus Domini. Nam cum quondam in Auctura fluuio piſcando laboraret: ex aduerſo reſpexit eum quædam fœmina, & quaſi ſubſannans, in corde ſuo dixit; verè iſte caluus omnem hunc fluuium piſcando exhauriens euacuabit, nec quicquam poſt ſe aliis capiendum relinquet. Sic autem hoc ipſum intra labia ſe ſubmurmuraſſe putauit, vt nullo modo ad aures viri Dei pertingeret. Vir autem Deo familiaris conuerſus ad eam ait. O mulier quid inuides? aut cur moleſta es ſuper bono, quod mihi cum cæteris hominibus commune eſt? Fiat tibi retrò, & omni ſemini tuo, quod mihi à fronte accidiſſe vides: vt ſicut frons iſta capillis nudata eſt: ita tuum caput, & ſeminis tui retrò decaluetur. Quæ verba viri Dei mox impleta ſunt: ſicut vſque hodie rei veritas teſtatur. Nec mirum, quia omnipotens Deus, nec ea quæ à fidelibus famulis vel leuiter proferuntur, otioſa & vacua patitur præterire.

*Item & in mulierem temerariam.*

Alio quoque tempore, cum orandi gratia vrbem Turonicam petereт, limina ſancti Martini viſitare cupiens, tranſibat per pagum Vindocinenſem. Cumque iam veſpere ingreſſus eſſet quandam villam Solemniacum nomine, & fatigatus ex itinere, aquam ad bibendum poſtulaſſet: reſpondit hoſpes. O homo Dei penuria aquæ patria noſtra laborat: non eſt nobis puteus, non eſt fons. His auditis, vir Dei ait ad fratres qui ſe comitabantur: Perennem fontem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fratres deprecemur, vt de venis terræ huius fontem indeficientem manare faciat. Illico ab oratione ſurgens, virga quam manu tenebat decies terram percuſſit, & continuò fons viuus effluxit, qui permanet vſque hodie. Perrexit aliquando pro quibuſdam neceſſariis negotiis ad nobiliſſimum Principem Carolum Martellum, Maiorem domus, qui eo tempore quo Dagobertus Rex, Childeberti gloriſſimi & æquiſſimi Regis filius, Regnum Francorum tenebat, curam Reipublicæ nobiliter adminiſtrabat. A quo honorificè ſuſceptus eſt, & humanè tractatus, & quæcumque ſuggeſſit conſecutus eſt. Cùm autem filius eius Gripho ægrotaret, vir Dei rogatus à Carolo, aquam ſanctificauit, & membra pueri ex ea ſuperfundens, & ſigno crucis eum muniens, puer cœpit melius habere. Sequenti verò die Miſſarum ſolemnia celebrans, puero corporis Dominici ſacramentum tradidit. Poſt hæc optimè conualuit puer.

*Precibus à Deo impetrat fontem.*

*Vulgò Maire du Palais.*

*Honorificè excipitur à Carolo Martello*

*Eſt Dagoberti ſecundus Childeberti filius.*

*Eius filium moribundum ſanat.*

Quodam verò tempore, cùm à reclamatoribus rerum Eccleſiaſticarum, quas apud iudices ſeculares diſpoſuerat reuerteretur, hoſpitium cuiuſdam propinqui ſui ingreſſus eſt. Vbi cùm feruenti ſole muſcarum inſolentiam pateretur, & miniſter iam laſſaretur, non prævalens abigere muſcas, vir Domini manus conferens ſuper oculos, Deum exorauit vt requieſcerent iam membra hac fatigatione laſſata. Tunc ſubito omnis illa inquietudo muſcarum ceſſauit: nec vltra viſa eſt muſca in eodem loco.

*Domum ab infeſtatione muſcarū oratione liberat.*

Dæmonum quoque phantaſmata potenter euaneſcere faciebat. Aliquando namque cum intempeſta nocte aliqui è fratribus ardentioris deſiderij ante tempus vigiliarum ſurrexiſſent, vt ſecretius orationi vacarent, adeſt immundus ſpiritus, ſedens in loco vbi vir Dei ſedere conſueuerat, aſſumpta eius effigie. Nec mirum, cum ipſe Sathanas transfiguret ſe in Angelum lucis. Cumque à tranſeuntibus veneraretur, quia æſtimabant ſecundum morem virum Dei illic conſediſſe, vnus eorum non oblitus, vbi virum Dei dimiſiſſet, citiùs venit ad eum dicens. Similis tibi (ô Pater) homo ſedet in baſilica vbi ſedere conſueuiſti; & modo illudit fratribus, qui per errorem illi reuerentiam exhibent. Audiens hæc vir Deo dilectus præſtigium diaboli mox recognouit: & eadem hora ſurgens, oſtia, & feneſtras Eccleſiæ, vexillo crucis depinxit: ac impetum in eum fecit, & flagellis vexare cœpit. Ille verò per diuerſa fugiens, non inueniebat aditum quo exiret. Tandem autē vnum inuenit locum, vbi vir Dei ſignum crucis non direxerat, foramen ſcilicet cameræ, vbi funis dependebat, per quem ſignum per horas canonicas pulſabatur. Et velociter funiculo illi innixus, faſtigium templi conſcendit. Sed illo aſcendente, chorda poſt eum quaſi ab igne combuſta eſt. Adhuc autem lædere ſe poſſe ſanctum virum arbitratus, ſignum illud à templo aſportauit non longè à Monaſterio, & in defoſſo terræ aggere abſcondit. Quod poſtea vir Domini releuari fecit. Non enim latebat eum vbi repoſitum eſſet. Cognoſcentes equidem immundi ſpiritus dolos ſuos, & phantaſmatum figmenta, coram eo nihil valere, ceſſerunt loco, meritorum eius ſanctitate fugati.

*Diabolus in aſſumpta viri Dei figura, ſedet in cathedra ipſius in Eccleſia.*

*Turpiter fugatur à viro Dei.*

*Signum hic pro campana ponitur.*

Denique etiam per idem tempus puella quædam Guntharij Comitis, maligno ſpiritu infeſtabatur, intantum vt & linguæ officium amitteret.

Cumque

Cumque in præsentia viri Dei adducta fuisset: ille aqua benedicta eam aspersit, & crucis sanctificatione signauit. Deinde digitos suos in os mulieris imponens, expuensque in faciem eius, in nomine Domini nostri Iesu Christi, immundum ab ea spiritum expulit, & continuo solutum est vinculum linguæ eius, & ad imperium viri Dei mox rectè loqui cœpit. *Puellam obsessam & mutam sanat.*

Alio tempore dum ipse venerabilis pater cum fratribus in labore manuum occupatus esset quadam die, cùm iuxta ripam fluminis Aucturæ, quæ ipsi Monasterio à plaga meridiana adiacet, dumos & spinas toto adnisu succiderent: cuidam fratri excussum de manubrio ferrum à manu cecidit, & in interiora fluminis demersum est. Illud autem ferramentum vocant rustici bidubium: quod à quibusdam falcastrum vocatur, eo quòd in falcis similitudinem curuum sit. Cùm autem ad notitiam viri Dei hoc peruenisset, ipse ad fluuium accessit, & cœpit perquirere ab operantibus locum vbi ferramentum cecidisset. Et agnoscens locum, sterit è regione, & baculum quem manu ferebat in flumen porrexit, statimque sicut piscis ad hamum, sic ferrum illud natauit, & baculo illi inhæsit. Quod vir Dei reddidit operario suo, cohortans eum lenibus verbis, vt fidem disceret habere in Deum, per quem talia fieri cerneret. Illud etiam adiiciendum est quod vir Dei gessit in vicino Monasterij sui loco. Nam cum idem vir Dei quodam die Dominico post cõpleta tanti diei sacramentorum solemnia, deambularet per loca vicina, inuenit quosdam rusticos terram arantes. At ille videns tantum facinus grauiter ingemuit, & ait: Heu miseri quid hoc fecistis? Quare tam grande nefas tentastis? Et conuersus ad Dominum, cum lacrymis imprecatus est dicens: Fiat Domine terra ista sterilis, & nullus fructus ex ea proueniat in æternum. Quod ita factum oculis comprobamus: ita vt vsque hodie locus ille plenus sit sentibus & infructuosis arbusculis, neque nucem, neque fructum aliquem vtilem proferentibus. *Ferrum in aquâ lapsum natat.* *Imprecatione terram sterilem & infructuosam reddit.*

Aliquandiu ergo cella parua iuxta basilicam vsus est, vbi cum appropinquare iam cerneret finem vitæ suæ, diebus & noctibus in ieiuniis, in vigiliis & orationibus Domino indefessè vacabat. Interea contigit vnũ ex Monachis è seculo migrare. Cumque fratres, qui corpus eius tractabant, inter vestimenta eius tres nummos absconditos reperissent: continuo patri reuerendissimo retulerunt. At ille vehementer ad hæc infremuit, & eum à societate fratrum excommunicandum esse decreuit, dixitque fratribus. Ite, & eiicite eum in aliquem locum seorsum, & non in cœmeterio fratrum. Et accipientes nummos, proiicite super eum clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui abeuntes omnia sicut iusserat executi sunt. Factum est autem post circulum quadraginta dierum, eum deprecaretur vir Dei faciem Domini, & se in lacrymis & vigiliis, ieiuniisque nimis pro noxa fratris illius affligeret, reuelatione didicit absolutum esse fratrem, & ad preces eius peccati indulgentiam collatam. Statimque conuocatis fratribus ait. Fratres tempus est, vt misereamur fratri, quem iudicio excommunicationis extra sortem vestram fieri censuimus, Dominus Deus noster precibus vestris placatus, veniam ei contulit. Ideoque & vos communicantes ei, corpus eius ad Polyandrum vestrum reuocate. Sicque factum est. *Sub mortem viuit inclusus in cella.* *Monachum proprietariũ sepultura sãcta priuat.* *Habet reuelationem de salute fratris.*

Tempus me deficiet, si velim omnia gesta illius comprehendere, licet plurima sint, quæ homines ipse latere voluit. Vnum est quod obliti sumus, & necessarium duximus illud cõmemorare, quod inter cetera pietatis opera gessit. Præuidens enim tempora erga religionem refrigeranda, Xenodochium Monasterij sui ad tuscipiendos pauperes rebus sufficientibus ad huiuscemodi elcemosynam ditauit. Et vt opus misericordiæ semper inuiolatum permaneat, testamento corroborare decreuit. *Xenochium construit.*

Postquam igitur per multa curricula annorum, cœtum Monachorum diuina pace rexit, appropinquauit tempus vocationis eius de seculo. Febre itaque correptus deficientibus quotidie membris, congregari fecit ad se filios suos, quos in Christo genuerat, & exhortatus est eos multis sermonibus. Deinde missis eulogiis ad vicina & remota loca sanctorum, seipsum fidelium precibus commendauit. Tandem persoluta nocturna synaxi, & eadem nocte dicto integro psalterio, manè sequenti inter verba orationis spiritum Deo reddidit. Sepultus verò est in Ecclesia, quam ipse in honorem B. Pauli Apostoli fundauerat. Indeque translatus est à Ioanne venerabili Episcopo Dolensis Ecclesiæ, & Abbate loci illius, in seniorem basilicam, quæ ædificata est in honorem viuificæ crucis. & S. Audoëni præcipui confessoris Christi. Militauit autem vir Domini Leufredus bonam militiam sub Principibus Francorum, Childeberto, Dagoberto, & Chilperico, iunioribus scilicet Regibus. Quo tempore Grimoaldus, & Carolus senior, per successiones Maiores domus Palatij, curam regni administrabant. Præfuit huic Monasterio per annos circiter quadraginta & octo, & requieuit in pace vndecimo Calendarum Iuliarum. *Migrat in cælum vir sanctus.* *Corpus trãsfertur à Ioãne Dolensi Episcopo.*

## NOTÆ.

Leufredus.] *De quo Martyrol. Rom. cum Baronio 21. Iunij. Agunt de eodem Petrus in Cat. lib. 5. c. 136. Vvionius in Martyr. Monastico, & quidam recentiores. Plura de eodem in Breuiario Ecclesiæ Parisiensis. Varia est eius nominis descriptio. Nam quidam Leufredum, alij Luifredum, cæteri Leufredum scribunt. Sed hæc diuersitas parum obest. Sacrum eius corpus nunc Lutetiæ, in Ecclesia S. Germani à Fratis requiescit, vt constat ex Breuiario Parisiens. Ecclesiæ. Scribit Vinc. Baralius in Chronol. SS. Insulæ Lerinensis, multa eius miracula post mortem edita. Claruit (vt vult Petrus) tempore Iustiniani Imperatoris secundi. Fuit Abbas Monasterij quod ad Aucturam fluuium beatus Audoënus Episc. Rhotom. diuina reuelatione in honorem S. Crucis fundauerat.*

Pago Ebroicensi.] *Vulgò dicitur* Eureux.

Ad vrbem Carnotensem.] *Hæc Gallicè dicitur* Chartres.

Ædituum domus Dei allocutus.] *Aliàs Æditimus, custos ædis, à sacris ædibus quas tuetur, Gallicè*, Secretain, garde du Temple.

Vnus Monachorum nomine Gislehardus.] *In Breuiario Parisiensi Gislenandus vocatur. Gislenandum Monachum à Diabolo vexatum liberauit, eique baculum suum pro ipsius tutela tradidit. Petrus legit Gistenandum, sed mendosè, melius Gislenandus.*

Iuxta ripam fluminis Aucturæ.] *Vulgò dicitur* la Riuiere d'Vne.

Ad Polyandrum vestrum reuocate.] *Melius Polyandrium. Est autem Polyandrium locus vbi sunt multa sepulchra publica.* πολύανδρον *enim Græcè significat populosum.*

Xenodochium.] *Est Xenodochium locus publicus quo hospites & peregrini excipiuntur, vulgò* Hospital.

VITA



## VITA S. FRVCTVOSI EPISCOPI ex Anachoreta. Incerto Auctore.

FRvctvosvs Hispanus, ex Gothorum regali prosapia ortus, Patrem habuit Principem & Ducem militiæ quorundam Regum, qui multas habebat possessiones atque diuitias. Ab ineunte ætate beatus Fructuosus iam ostendebat ex dictis & factis, se velle mundum eiusque vanitates fugere, & perfectam atque securam Monachorum vitam sequi. Qui postquam Monasticum suscepit habitum, in spirituali atque Monastica vita instructus fuit à Tonantio Palenciæ Episcopo. In qua cum multum profecisset, non solum Monachi vndequaque ad eum concurrebant, vt ab eo instruerentur: sed & Rex Recensuindus, qui admirans, simul & venerans Sancti Fructuosi sanctitatem, Monasterium quod ille ex reditibus suis construxerat Compluti magnificè dotauit, & locupletauit. *Illustris S. Fructuosi prosapia.* *Instruitur in Monastica vita à Tonãtio Palencia Episcopo.* *Creatur Abbas.*

Abbas constitutus cum in tranquillitate & solitudine degeret, omnium bonorum inuidus diabolus, machinas aduersus sanctum moliri nõ destitit, commouens fratrem eius vt repeteret quædam bona quæ ipse Fructuosus dederat Monasterio. Cũ ab initio vellet eum Fructuosus verbis lenibus, & suauissimis demulcere, nihilque se proficere conspicere, ad Deum confugit: qui preces serui sui audiens prædicto fratri grauissimum immisit morbum ex quo obiit, & sic Fructuosus cum suis Monachis in pace & quiete permansit. *Molestatur à fratre.*

Cum vir sanctus propter miracula à multis visitaretur, nec posset in quiete & silentio permanere: sæpius profunda deserti penetrabat, vbi per multos dies manens à suis diu quæsitus, & inuentus, coturnicum aliarumque auium ope, sæpius ad Monasterium reducebatur. Multa ædificauit tũ Monachorum, tum Virginum Monasteria. Inter præcipuas Virgines quæ ad eum confugerunt, fuit quædam Benedicta nomine nobilis genere, quæ cum vni ex primis Regiæ curiæ in coniugium fuisset promissa, latenter ex paterna domo fugiens, venit ad virum Dei, qui ei sanctæ conuersationis habitum tradidit, & breui in virtute & sanctitate excelluit. Multa Deus per seruum suum operari dignatus est miracula. Nam cum cerua insequuta à canibus, ad viri Dei tuguriolum, tãquam ad securũ portum confugisset, nihil omnino mali passa est. *Multa construit Monasteria.* *Cerua fugiẽs ad eius cellã nihil mali patitur.*

Tanti beneficij non immemor bestia, numquam deinceps virum Dei derelinquere potuit, nec ab eo diuelli. Et si quando occurrebat dies in qua vel propter viri Dei absentiam, vel propter negotia, ipsum videre non posset, incessanter gemebat, vsquequo aduenisset, & tunc ad pedes eius prostrata, saltibus & gestibus lætitiam quam de eius aduentu habebat, demonstrabat; quæ etiam ferè semper ad viri Dei pedes accubata permanebat. Beatus verò Fructuosus videns huius bestiæ suauitatem, eam valde diligebat, eique potum & cibum præbebat manu propria, gratiasque Deo agebat, quod tam suauem naturam huic bestiæ tradidisset: vnde ex hoc in magnam bonitatis & potentiæ rapiebatur admirationem. *En quomodo etiam bestiæ abhorrent ingratitudinẽ.*

Cum quidam peruersus iuuenis talia de bestia erga virum Dei audisset, inuidia percitus, veniens ad cellam viri Dei, bestiam miserè occidit. Vnde primò doluit vir Dei. Sed omnipotens Deus qui iniurias seruis suis illatas vlcisci consueuit, prædictum iuuenem graui infirmitate percussit. Deueniensque ad extrema, tandem reatum cognouit, & accersiri faciens virum Dei, humiliter veniam postulauit. Sanctus autem, secundum Domini sui præceptum, eundem visitare non est dedignatus, volensque reddere bonum pro malo, eum à morbo corporis & animæ liberauit, eique offensam libentissimè remisit. *Iuuenis quidam per inuidiam occidit Ceruam, sed à Deo castigatur.* *Viri Dei erga inimicum mansuetudo.*

Quando vir sanctus in deserto morabatur, laceris & resutis vestibus indutus erat, ob amorem paupertatis. Vnde quadam die cum per desertum ambularet, rusticum in itinere offendit, qui ex habitu vili, eum fugitiuum & seruum existimans, virum Dei grauissimis iniuriis & conuiciis, necnon & verberibus affecit. Patientissimè hæc verbera tolerabat pro Christi amore, humiliterque percutienti respondebat, se non esse seruum, sed pauperem Monachum, qui pœnitentiam de peccatis suis in deserto hoc faciebat. Verumtamen peruersus & crudelis rusticus paruipendens viri Dei verba, indesinenter verberabat & percutiebat: quousque Deus vlciscens hoc scelus, permisit rusticum à diabolo vehementer torqueri. Cuius vicem misertus vir Dei, Deum pro eo rogauit, & statim præcepit dæmoni, qui sine mora de corpore rustici exiens eundem in pace dimisit. *Grauissimè à rustico verberatur.* *Diabolus inuadit percussorem.* *Liberatur precibus viri Dei.*

Nocte quadam eo existente in nauicula supra flumen Segouiæ, cum nautæ dormirent, ita supra aquas nauicula ferebatur quasi omnes in remigãdo fuissent occupati. Alia vice sancto viro in Insulam Cadiæ transmigrante, sæua tempestas ita vehementer concussit nauim, vt omnes iam in profundum se rapi sperarent. Verumtamen cum beatus Fructuosus omnes qui erant in naui benignè fuisset consolatus, orauit ad Dominum, & ecce subito tranquillitas magna facta est, & læti omnes ad portum incolumes peruenerunt. *Nauis nat sine remige.* *Sedat tempestatem.*

Propter tanta miracula, & vitæ integritatem, tum etiam propter multorum Monasteriorum constructionem, in quibus multi sanctitate florentes ad Episcopalem dignitatem trahebantur, toti Hispaniæ innotuit. Vnde & ipse, quamuis inuitus & renitens Dumiensis Episcopus factus est. Postmodum verò cum Synodo Braccarensi interesset: eiusdem ciuitatis Episcopus in peccatum carnis lapsus, factique pœnitens, à patribus absolutionem ab officio obtinuit: in cuius locum suffectus est beatus Fructuosus. Et ita simul Archiepiscopus Braccarensis, & Episcopus Dumiensis constitutus est. Neque propter tantos honores sibi blanditus est: quinimo numquam pristinũ vitæ rigorem in silentio, in ieiuniis & vigiliis, & humilitate remisit; sed potius auxit: semper noua ædificans Monasteria, omnesque facultates suas in vsus pauperum & Ecclesiarum quæ sub eo erant, nempe Braccarensis & Dumiensis, aliisque pietatis & misericordiæ operibus distribuens: inter quas vnum construi curauit Monasterium vbi sepulturæ suæ locum delegit. *Creatur Episcopus Dumiẽsis, postea Archiepiscopus Braccarensis.* *Notent hoc Episcopi huius temporis.*

Sentiens vir sanctus adesse mortem, ad eam totis viribus se præparabat quotidie. Sed & Christus quem tantopere dilexerat, pro cuius honore tantos sustinuerat labores, ei obitus sui diem & horam reuelauit. Vocatisque ad se Monachis & Presbyteris suis, eisdem tanti pastoris absentiam lugentibus, obitus sui horam quam à Deo didicerat, patefecit, & non multo post grauissima febre laborare cœpit. Qua indies crescente, die præfinita deferri se ad Ecclesiam iussit, vbi receptis deuotissimè Ecclesiasticis sacramentis, noluit amplius do- *Christus ei diem obitus sui reuelat.*

*Receptis Ecclesiasticis sacramentis, migrat in cælum.*

mum reuerti,sed attollens in cælum oculos,absque magno dolore & anguſtia glorioſum ſpiritum tradidit creatori decimoſexto Aprilis, quo die eius ſolemnitas celebratur. Sepultus fuit in ſupradicto Monaſterio, quod de nomine eius S. Fructuoſus hodie vocatur, vbi degunt fratres Recollecti, Ordinis S. Franciſci. Ibi eius ſepulchrum monſtratur, & os corporis eius cum parua particula pallij ſui Archiepiſcopalis, cum quo ſepultus fuerat, nam

*Reliquiæ eius ad S. Iacobũ in Gallicia tranſlatæ.*

ſacrum corpus tranſlatum fuit quingentis aut circiter annis ab eius obitu, ad S. Iacobum in Gallicia, tempore Iacobi primi eius Eccleſiæ Archiepiſcopi. Ibi igitur ſacrum Fructuoſi corpus integrum in capella, ad latus Epiſtolæ, in capſa antiqua, auro, gemmiſque eleganter elaborata & ornata, cum B ſumma reuerentia aſſeruatur.

*NOTÆ.*

Fructuoſus.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio 16. Aprilis. Plura de eodem in Breuiario Toletano 5. Idus Apr. Hunc S. Synodus Toletana decima dicta, tranſtulit à ſede Dumienſi in Bracharenſem, vt metropolin Galliciæ gubernaret, vt conſtat ex dicto Concilio, in decreto de Potamio. De eo item plura in Flore SS. Hiſpaniæ, & in Theſauro Concionat. tom. 2. & apud Vvionium tom. 2. Ligni Vitæ.*

## VITA ALTERIVS S. FRVCTVOSI C Eremitæ. Incerto Auctore.

*Patria S. Fructuoſi.*

BEATVS Fructuoſus inſigni Hiſpaniæ oppido Sigonia ortus eſt. Moribus valde inculpatus vixit, plenus columbina ſimplicitate. Et quidem cum eſſet dicti oppidi ditiſſimus ciuis, omnia caduca & vana eſſe conſpiciens, ſimulque valde anhelans ad vitam ſolitariam, omnes diuitias & theſauros ſuos pauperibus diſtribuit, & vnica tantum contentus tunica, in altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulit: vbi vſque ad

*Petit Eremũ.*

finem vitæ in ieiuniis, vigiliis, & corporis afflictionibus permanſit. Multaſque paſſus eſt dæmonũ tam viſibiles, quàm inuiſibiles pugnas, ventorum impetus, inclementias imbrium, algores niuium, & D plures id genus labores, non ſolum amore Chriſti tolerabiliter, ſed etiam libenter, deſiderantérque ſuſcipiebat.

*Illæſus degit in medio ferarum.*

Veniebant autem ad eum feræ ſylueſtres, à quibus nihil mali patiebatur, ſed è contra ad pedes eius recũbebant cum magna manſuetudine, eiſque quaſi rationabilibus imperabat: cuius voci continuò obediebant. Poſtquam igitur per multos annos ab omni hominũ tumultu ſegregatus vixiſſet, tandem

*Moritur.*

præſcius mortis ſuæ, ad illã ſe præparauit, obiitque in ſpelunca ſua, cuius animam Angeli cùm hymnis & canticis ad cœlos euexerunt. Cuius corpus Segouienſis Eccleſia poſſidet, & feſtum eius ſolemniter quotannis celebrat, eumque tanquam Eccle- E ſiæ & ciuitatis patronum veneratur.

*NOTÆ.*

Fructuoſus.] *Fuere quidam qui nullam inter hunc de quo agimus Fructuoſum, & alium Epiſcopum de quo ſupra egimus, diſtinctionem facere voluerunt. Sed falluntur omnino, nam & temporis ratio hoc declarat, & celebres hiſtorici conſentiunt. Lucius Marineus Siculus, quem tamen vocat S. Fructum, & alij multi antiqui ſcriptores rerum Hiſpanicarũ, inter quos quidam anonymus, habeturque in Bibliotheca Monaſterij noſtri Lugd. Thomas etiam de Trugillo profeſſione Dominicanus in Theſauro Concionatorum, Baronius in Not. Martyr. ad S. Fructuoſum Epiſcopum eius meminere. Plura de eodem in Breuiario Segonienſi, & aliis Hiſpaniarum Breuiariis.*

## VITA S. GODONIS EREMITÆ. Incerto Auctore.

*Patria S. Godonis.*

BEATVS Godo nobilibus parentibus & Catholicis in territorio Virdunenſi ortus, patruum habuit Sanctum Vvandregeſilum Abbatem, qui beatus Vvandregeſilus per ſpatium decem annorum Deum continuè pro prædicto ne-

*Orationibus S. Vvandegeſili vitâ Monaſticâ amplectitur.*

pote ſuo exorauit: qui tandem valedicens mundo & pompis eius, venit ad ipſum, eiuſque aduentus fuit ipſi diuinitus reuelatus.

Poſtquã verò Fontanellę Monaſteriũ conſtruxit cũ quatuor Eccleſiis, B. Vvandregeſilus, vt ipſas celebriores redderet, Godonem neporem miſit Romam, vt aliquas à ſummo Pontifice poſſet habere Reliquias. Igitur à Vitaliano Papa honorificè ſuſceptus, ab eo multas accepit Reliquias, quas Vvã-

*It Romam, & à Vitaliano Papa honorificè excipitur.*

dregeſilo patruo afferens, poſtmodum à S. Audoëno Rhotomagenſi Archiepiſcopo, in prædictis baſilicis ſolemniter collocatæ fuerunt.

Sed cum beatus Godo valde ad vitam ſolitariam anhelaret, petita & obtenta à patruele in deſertum commigrandi licentia: tandem in partibus

*Solitariã vitam amplectitur.*

Lotharingiæ ſibi ſedem in quodam ſolitario loco delegit: vbi ex deuotorum eleemoſynis extructa modica Eccleſia, & vili cellula, in vigiliis, ieiuniis, & contemplationibus rerum cæleſtium, ad

*Moritur.*

extremum vſque ſpiritum, quem creatori reddidit 26. Maij, permanſit. Succeſſu verò temporis cum quidam Aſtaënus vir potens, idolorum cultui

*Aſtaënus incurſiones facit in Gallia.*

deditus, incurſiones magnas faceret in Gallia, etiã beati viri deſtruxit Eccleſiam. Sed quædam Comitiſſa nomine Eua, meritis & precibus beati viri

*Eua Comitiſſa deſtructam Eccleſiam S. Godonis reparat.*

pridem ab incurabili morbo ſanata, eam reædificauit, & pulchriorem effecit. Nec hac liberalitate contenta, etiam Monaſterium conſtruxit, & de ſuis redditibus ampliauit. Corpus verò beati viri poſtmodum retro maius altare collocatum fuit. Ad cuius tranſlationem multa patrata ſunt miracula.

*Nota eius quam reuerentia conſeruari debeãt Sanctorum Reliquiæ.*

Quoniam verò prædictæ Reliquiæ non honeſtè (vt par erat) conſeruabantur: magna & dira peſtis populo immiſſa eſt, vt vix inuenirentur homines qui poſſent mortuorum multitudinem ſepelire. Incolæ igitur omni humano auxilio deſtituti, ad diuinum confugerunt. Mittenteſque qui rogarent Monachos, quatenus eis ſancti patroni corpus concedere vellent: innumera populi multitudo ad hanc tranſlationem conuenit, ſtatimque peſtis ceſſauit, ſerenitaſque magna aëris fuit, ita vt per vnius anni ſpatium nullus de tota Prouincia (vno excepto, qui ad hanc ſupplicationem & tranſlationem E venire contempſerat) mortuus fuerit.

*NOTÆ.*

Godo.] *Aliàs Godonus dicttur. De quo in tabulis Breuiarij Eccleſiæ Meldenſis. Eius vita Gallicè conſcripta extat apud Renatum Benedictum tom. 3. de vitis Sanctorum, vulgò dicitur* S. Gond.

Vvandregeſili Abbatis.] *Cuius vitam affert Sur. tom. 4. noſque eam ſupra deſcripſimus. Pater eius Vvaltchiſus nomine conſobrinus fuit Pipini excellentiſſimi Francorum Regis.*

Finis Liber Quarti.

DE



# DE VITIS PATRVM OCCIDENTIS.

## LIBER QVINTVS.

### Ex B. Petro Damiano Card. & Epiſcopo Oſtienſ. & aliis collectus.

## VITA S. ROMVALDI EREMITÆ. Ex B. Petro Damiano.

*S. Romualdi patria.*

ROMVALDVS Rauennæ ciuitatis oriundus ex illuſtriſſima Ducum fuit ſtirpe progenitus. Qui cùm iam in adoleſcentiam peruenisſet, cœpit in peccato carnis procliuis exiſtere, quo videlicet vitio illa ætas impugnare homines, præſertim diuites, vehementius ſolet. Mente tamen Deo deuotus, frequenter ſe tentabat erigere, facturumque ſe magnum aliquid proponebat. Nam ſi aliquando ſe ad ſtudium venationis accingeret, vbicumque per ſyluas amœnũ locum reperire po- B terat, mox ſe ad Eremi deſiderium eius animus accendebat, dicens intra ſe: O quàm bene poterant Eremitæ in his nemorum receſſibus habitare: quàm congruè poſſent hic ab omni ſecularis ſtrepitus perturbatione quieſcere. Et ita mens eius cælitus inſpirata, iam diuinabat in auctore, quod impleturus erat poſtmodum opere.

*Pater eius.*

Huic pater erat nomine Sergius, mundo vehementer intentus, & omnino ſecularibus negotiis implicatus, qui dum aduerſus quendam propinquum ſuum exortis ſimultatibus pro poſſeſſione partis inimicitias exerceret, videns filium Romualdum in contentione molleſcere, crimenque fratricidij medullitus formidare, minari cœpit exhere- C dem facere, ſi in eadem diutius ſententia permaneret. Quid plura? Tandem vtræque inimicantium partes ex vtbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum comitiale committunt, & dum cominùs hinc inde pugnatur, repentè manu Sergij inimicus & affinis occiditur. Romualdus autem, licet nullum peremptо vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit: mox-

*Romualdi pœnitentia.*

que ad Claſſenſe Monaſterium beati Apollinaris, more homicidarum, diebus quadraginta permanſurus in luctibus, properauit. Illic autem diſtricta ſe pœnitentia iugiter macerans, cœpit cum quodam Conuerſo quotidianum habere colloquium, à quo etiam iuxta mediocritatẽ ſenſus bonæ exhortatio- D nis audiebat ſæpe conſilium. Quem cùm Cõuerſus frequenter admoneret, ſecularem vitam omnino poſtponere, & ad ſanctæ conuerſationis ordinem feſtinare, ſed ad hoc mentem eius nullatenus humiliare poſſet, aliquando inter cætera velut gratulabundus intulit dicens: Si tibi ego beatum Apollinarem corporali ſpecie, ita vt eum manifeſtè videre poſſis, oſtendero, quid à te præmij reportabo? Ad hæc Romualdus: Firma, inquit, & inuiolabili me A obligatione conſtringo, quia mox vt beatum Martyrem videro, apud ſeculum vlteriùs non manebo. Hortatur ergo Conuerſus vt ipſa nocte Romualdus dormire poſtponeret, & vna ſecum in Eccleſia in orationibus vigilaret. Cumque nocturno ſilentio longanimiter ambo in oratione perſiſterent: ecce circa gallicinium noctis beatus Apollinaris, his duobus manifeſtè videntibus, exiit de ſub altari, quod in medio Eccleſiæ ad honorem beatæ Mariæ Virginis cernitur eſſe conſtructum. Viſus eſt autem exire ab orientali parte, illinc videlicet vbi marmor porphyreticum iacet. Confeſtim verò tantus ſplendor totam repleuit Eccleſiam, ac ſi ſol fulgoris ſui radios intra ipſos parietes cohiberet.

*Nota antiquum vſum altaria thuriſicandi.*

Tunc beatiſſimus Martyr ſacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta Eccleſiæ incenſauit altaria, & hoc facto ſtatim vnde exierat, rediit: moxque omnis ille ſplendor proſequens apparere ceſſauit.

*Semel & iterum vidit S. Apollinarem Romualdus.*

Cœpit itaque Conuerſus Romualdo durus nimirum exactor vehementer inſiſtere, & vt adimpleret quod vltro promiſerat, anxiè poſtulare. Cumque Romualdus adhuc reſiſteret, & eandem viſionem denuò cernere flagitaret, alia nocte ſimiliter in oratione perſiſtunt, & beatum Martyrem per omnia, ſicut prius adſpiciunt. Vnde etiam poſtmodum ſi de corpore prædicti Martyris aliquando C queſtio oriretur, Romualdus penitus affirmabat, in ipſa Eccleſia eſſe reconditum, & quandiu vir ſanctus vixit, hoc proferre teſtimonium non ceſſauit. Habebat quoque Romualdus conſuetudinem ante præcipuum altare Eccleſiæ orationi frequenter incumbere, ibique poſtquam fratres abſceſſerant, multis Deum ſatagebat gemitibus exorare. Dumque hoc quadam die poſt viſionem attentius faceret: tanto mox diuini amoris igne mentem illius Spiritus ſanctus accendit, vt in fletum repentè prorumperet, vberes lacrymarum riuos reſtringere non valeret, Monachorum ſe pedibus proſtratus aduolueret, tradique ſibi Monachorum habitum inenarrabili deſiderio flagitaret. Monachi verò D dum patris eius duritiam metuunt, conuerſioni illius aditum pandere non præſumunt. Honeſtus autem qui tunc Rauennæ Archiepiſcopalem cathedram obtinebat, olim Claſſenſis cœnobij Abbas extiterat. Hunc ergo Romualdus impiger adiit, eique ſui cordis deſiderium patefecit. Qui alacer factus, caſtæ concupiſcentiæ exhortationis ſtimulos addidit, fratribuſque vt eum ſuo collegio incunctanter aſciſcerent, imperauit. Huius itaque patrocinio cœnobitæ ſuffulti, Romualdum intrepidæ

*Induit habitum Monasticum.*

securitate suscipiunt, eique sanctæ conuersationis habitum tradunt.

In eo igitur Monasterio triennium ferè transegit. Sed cùm ibi cerneret nonnullos per lata gradientes, remissius viuere, sibi autem arduam perfectionis semitam, quam mens dictabat, arripere non licere, quid sibi agendum esset solicitè in semetipso cœpit inquirere, multisque cogebatur cogitationum fluctibus æstuare. Præsumebat autem leuiter cõuersantium vitam durè corripere, & sæpe ad eorum confusionem præcepta Regulæ in testimonium conuocare. Cúmque redarguendis eorum vitiis vehementer insisteret, illi autem iunioris & nouitij verba pro nihilo deputarent, tandem hoc opprobrium non ferentes, dum propriam emendare vitam despiciunt, de corripientis morte tractare cœperunt. Solebat porrò Romualdus per noctem cæteris fratribus maturius surgere, & si oratorij ianua adhuc clausa esset, intra ipsum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more solarij alte ædificatum. Hoc itaque inuenerunt filij Cain, diabolo dictante, consilium, vt dum Romualdus ante alios solito more consurgeret, ipsi eum per solarij speculam, verso deorsum capite, in terram præcipitarent. Quæ res postquàm Romualdo per conscium conspirationis innotuit: ille iam de cætero intra cordis cubiculum, clauso oris ostio, orans patrem suum, imminens periculum deuitauit. Quo quidem modo dum sibi cauit præcipitium corporis, fratribus ne in animarum mortem corruerent, barathrum clausit iniquitatis.

*Improbi Monachi ei necẽ moliuntur.*

Cumque in eiusdem animo perfectionis amor magis ac magis in dies cresceret, nullamque mens eius requiem inueniret: audiuit quia in Venetiarum partibus quidam spiritalis vir esset Marinus nomine, qui Eremiticam duceret vitam. Consensu itaque ab Abbate & fratribus nimirum facillimè impetrato, ad præfatum venerabilem virum nauigio discurrente peruenit, & sub illius regimine degere humillima deuotione mentis instituit. Erat autem Marinus inter cæteras virtutes, vir simplicis animi, & synceriſſimæ admodũ puritatis, qui nullo quidem magisterio Eremiticæ conuersationis edoctus, sed ad hanc solummodo bonæ voluntatis impulsu fuerat incitatus. Porrò autem hanc viuendi morem habebat, vt per continuum anni circulum tribus hebdomadæ feriis mediam panis buccellam, & pugillum fabæ gustaret: tribus verò vinum & pulmentum discreta sobrietate perciperet. Psalterium quidem per tres dies singulos totum canebat. Sed nimirum rudis, & nullatenus vitæ singularis instructus, sicut ipse postmodũ beatus Romualdus hilariter referebat, plerumque de cella exiens, vna cum discipulo passim per latitudinem Eremi psallendo spatiabatur: nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos, vel quadragenos concinens psalmos. Romualdus autem, qui seculum idiota reliquerat, aperto psalterio vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat, & hæc oculorum in ima deflexio, intolerabilem sibi importunitatem accidiæ generabat. Marinus verò virgam in dextera gerens, Romualdo è diuerso sedenti, sinistram capitis partem sæpissime verberabat. Post multa autem Romualdus graui admodum necessitate compulsus, humiliter ait: Magister, si placet, à dextro me deinceps tempore percute, quia iam læuæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam eius patientiam admiratus, indiscretæ seueritatis temperat disciplinam.

*Degit apud Marinum Eremitam.*

*Marini Eremitæ abstinẽtia, & preces.*

*Nota miram S. Romualdi patientiã & humilitatẽ.*

Eodem verò tempore Petrus, cognomine Vrseolus, Dalmatici Ducatus gubernabat habenas. Qui videlicet ad huius fastigium dignitatis idcircò peruenerat, quia decessoris sui, Vitalis scilicet Candiani peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille à suis extinctus sit, non abs re esse arbitror, si seruato compendio breuitatis exponam. In coniugium germanam Hugonis magni illius Marchionis acceperat, & æmulatione leuni suadente multos ex Longobardiæ & Thusciarum partibus milites profligatis pecuniarum stipendiis acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes, clam iniere consilium, vt repentino impetu in Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo sua in ore gladij absque vllla retractatione necarent. Huius verò conuenticulæ coniuratione comperta, Vitalis Dux nocturnis diurnisque vallatus excubiis, hostiles insidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc & illa tentantibus, sed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus: tandem visum est, vt domum Petri, quæ Ducis palatio adiacebat contigua, priùs incenderent, istoque modo & Ducem caperent, & vniuersa eius domestica concremarent. Istius verò rei experiendæ consensum à Petro qui eorum consilij particeps fuerat, flagitantes, ita inter se pacti sunt, vt pro vna eius domo, quam igne consumerent, totam illius ditioni Venetiam subderent, & deiecto illo, quem exosum habebant, Ducem hunc loco eius protinus subrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus est principatum, qui postmodum ambitionis suæ voluptate potitus, respectu diuinæ gratiæ demum corde compunctus est.

*Petrus Vrseolus Dux, vel Rex Dalmatiæ.*

Quidam venerabilis Abbas Guarinus nomine, ex vlterioris Galliæ finibus orationis gratia per diuersas mundi regiones peregrinari solitus erat. Hic igitur ad Ducem veniens, ab eo protinus, vt sibi ad euadendum tanti reatus periculum consilium præberet, rogatus est. Itaque accersitis Marino & Romualdo, hoc sibi communi iubetur sententia, vt seculum simul cum ipso, quem per nefas inuaserat, Ducatu relinqueret: quia alienæ potestatis dominium subiugauerat. Ille homo nimirum in potestate positus, quia conuersionem suam manifestè facere ausus non est, tantùm putauit hoc vtendum esse consilio. Imminente igitur festiuitate cuiusdam martyris, cuius vocabulo basilicam in propria possessione adhuc priuatus habuerat, illuc pridie vxorem suam præmisit, ipse quasi mox secuturus, hoc ei præcipiens, vt & ornatum Ecclesiæ accuratissimum prouideret, & secum venientibus sumptuosas epularum delicias in crastinum præpararet. Ipse autem post coniugem remanens, iis de suis thesauris, quæ sibi videbantur, ablatis, cum quodam suo familiari, Ioanne scilicet Gradenico, qui prædictæ coniurationis conscius fuerat, & cum tribus illis beatis viris, quos præmisimus, nauem ascendit; deinde in Galliam ad Monasterium Abbatis Guarini magnus conuersus aufugit.

*Guarinus Abbas peruersas mundi partes peregrinatur.*

*Petrus Dux fit Monachus.*

Petro igitur & Ioanne Monachis in Sancti Michaëlis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longè à Monasterio degentes, ad singularem vitam, cui assueti fuerãt, reuerteruntur. Quibus etiam ipsi iam dicti fratres, peracto vix annuo spatio, ad perferendam eiusdem solitudinis districtionem aggregati sunt. Interea Romualdus accenso mẽtis desiderio, cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter crescere, vt inter reliquos fratres siue de spiritualibus,

*Mox Eremita.*



libus, siue etiam de corporalibus ipse deceneret, cunctis volentibus, eius omnino sententia præualeret. Ipse quoque Marinus gaudebat Romualdo esse deuotus, cui fuerat paulo antè prælatus. Per continuum itaque annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, nisi tantùm per singulos dies vnum pugillum elixi ciceris. Tribus verò annis ipse & Ioannes Gradenicus, farculis terram frangentes, & triticum seminantes ex manuum suarum labore vixerunt. Qui nimirum dum agriculturam exercebant pondus ieiunij duplicabant. Impugnabat tamen diabolus Romualdum multis & variis tentationum immissionibus, maximè initio conuersionis, mentemque eius per multa vitiorum incentiua raptabat, modo illi in memoriam reuocans, quæ & quanta, vt puta vir strenuus, in seculo acquirere potuit, modo quæ ingratis propinquis necdum post se concupiscibiliter hæreditanda reliquit, modo parua nimis, & nullius meriti esse, quæ faceret, accusabat: modo tanti laboris horrorem incutiens, longæ vitæ spatium promittebat. O quàm sæpe cellulam eius percutiens, eum cum adhuc vix obdormisceret, excitauit, & quasi iamiam imminente crepusculo, totam noctem vigilando perduxit. Per continuum fermè quinquennium super pedes eius & crura diabolus nocturno tempore iacuit, & ne huc illucque se facile verteret typo phantastici ponderis aggrauauit. Quis explicare valeat, quantùm frementes vitiorum bestias pertulit? quàm sæpe præsentes iniquos spiritus durissimis increpationibus effugauit? Vnde etiam si fratrum aliquis silentij tempore cellam eius quauis necessitate compulsus adiret, statim miles Christi paratus ad prælium, solito more ipsum esse existimans diabolum, claris vocibus increpabat dicens. Quò tendis modo turpissime? quid tibi in eremo de cœlo deiecte? Recede canis immunde: euanesce coluber veternose. His igitur & huiusmodi verbis declarabat se cum malignis spiritibus in acie semper assistere, & fidei se armis accinctum, prouocantibus hostibus in campum protinus obuiare. Contigit autem vt aliquando librum de vita Patrum legens, in illum locũ incideret, vbi cõtinetur, quod quidam fratres per continuã hebdomadam singulariter ieiunantes, Sabbathorum die pariter conuenirent, ipsoque & Dominico die ieiunij rigorem interponerent, & remissiùs victitarent. Quem viuendi ordinem statim Romualdus arripuit, & in eo quindecim ferè annis, vel eo amplius, continua austeritate permansit. Petrus autem Dux quia multis educari deliciis solitus fuerat, iamiam sub districti ieiunij pondere succumbebat. Vnde se ad pedes beati Romualdi humiliter stranit. Iussus verò vt surgeret, necessitatem suam cum verecũdia coactus aperuit. Pater, inquit, quia magnum corpus habeo, pro peccatis meis ex hac paximatij medietate sustentare me non possum. Romualdus igitur fragilitati piè compatiens, consuetæ mensuræ quadram paximatij superaddidit, & sic labenti iam fratri, ne omnino deficeret, misericordiæ manum tetendit, & ad peragendum benè viuendi iter, quod cœperat, confirmauit. Hunc filius eius sibi æquiuocus, vir valde secundum seculum prudens, aliquando visitauit. Cui pater, nescio vtrum prophetiæ spiritu, seu reuelatione aliqua, quæcumque sibi essent euentura, prædixit. Noui, inquit, fili mi, proculdubio quia te Ducem constituent, & prosperaberis. Tu tantummodo satage, vt & Ecclesiis Christi sua iura conserues, & erga subditos alicuius amore vel odio à iustitia non declines.

*Magna Romualdi abstinentia.*

*Tentatur à dæmone.*

*Vide dæmonis improbitatẽ.*

*Auctoritas libri de vita Patrum.*

*Visitatur à filio Petrus Eremita quõdam Dux Dalmatiæ. Prædicit filio euentura.*

Post hæc autem Romualdus legens, quia sanctus Syluester vrbis Romæ Episcopus, Sabbathorum diem ieiunandum esse, vt reuera sancti Paschatis vigilias, instituerit, mox remissionem Sabbathi in quintam feriam commutauit, & sic infirmorum imbecillitati consulens, longum ieiunium discretione habita facilius reddidit, hanc nimirum viuendi regulam cunctis sectatoribus singularis vitæ præfigens, vt tunc se vnusquisque Eremiticæ vitæ ieiunium tenere cognoscat, si per hebdomadam triduanas aut biduanas ieiunando, quinta feria, & Dominicis diebus oleta, vel quodcumque liquamen cum gratiarum actione percipiat, exceptis videlicet duabus anni quadragesimis: in quibus non solum ipse, sed & plerique eius discipuli, totius hebdomadæ soliti erant continuare ieiunium. Et certè satis congruum erat, vt qui Deum in choro semper laudare studebat & tympano, præcipuas modulationis harmonicæ consonantias, diapason videlicet, & diapente, atque diatesseron, iugiter in aures incircumscripti luminis personarer. Ieiunare autem omnino, hoc est diem sine vllo cibo transigere, licet id ipse sæpissime fecerit, aliis omnino prohibebat. Itaque semper esuriit, quarenus hoc modo caro per consuetudinem leuigarerur, quod graue nouitiis initio conuersionis apparet. Paruipendebat autem si quis ad tempus magnum quid inciperet, si non etiam in eo longanimiter perseueraret.

*Canon ieiuniorum à S. Romualdo præfixus.*

Vigilias verò temperatè, & cum magna discretione faciendas maximè suadebat, ne cui fortasse contingeret, vt sopori, paratis nocturnis officiis, consentiret. Sanè huiusmodi somnum vir sanctus intantum habebat exosum, vt si quis ei confiteretur, post duodecim psalmorum vigilias, vel maximè circa diluculum obdormisse, nequaquam posset eo die cum eius licentia sacra Missarum solemnia celebrare. Dicebat enim melius esse, si possibile sit, vnum psalmum ex corde, & cum compunctione cantare, quàm centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfectè data non esset, hortabatur tamen, nequaquam vel ab ipsa corporali exercitatione tepescere, donec ipse, qui voluntatem dederat, tribueret etiam aliquando facultatem. Tantummodo orationis incensum mentis intentio in Deum semel fixa custodiat, quem exteriùs veniens cogitationum aura perturbat. Vbi enim est intentio recta, contra voluntatem cogitatio veniens non est nimium formidanda.

*Vigilia nocturna.*

*Præstat vnũ Psalmũ cum attentione cãtare, quàm centum cum mentis fabulatione.*

Quodam verò tempore, dum adhuc in Galliæ finibus moraretur, familiarem sibi quendam habebat agricolam, qui sibi & vtensilia, quibus in cella opus est, aliquando faciebat, & si quid ei opportunum esset, ditior charitate, quàm rebus, de suæ paupertatis inopia hilariter ministrabat. Huius vaccam Comes quidam superbus & tumidus, missis parasitis, impetu barbarico rapuit, eiusque carnes sibi ad prandium cum magna gulæ auiditate præparari præcepit. Ecce autem rusticus cellam Romualdi festinus aggreditur, iacturæ suæ casum clamosis vlulatibus vociferatur, spem suam, & suæ domus ablatam esse conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eundem Comitem concito gradu nuncium dirigit, & vt pauperi animal suum reddat humillima supplicatione deposcit. Cuius preces lubricus Comes proteruo spiritu respuit, & quem saporem crassi vaccæ lumbi potuissent habere, se ipso die gustaturum esse asseruit. Aduenientе autem hora prandij, apposita mensa, vaccæ carnes allatæ sunt.

Sed & diuinæ vltionis iam imminente sententia, in ipso edendi initio, Comes frustum bouini lumbi abscindés, sibi in os misit. Quod repentè in illius gutture tam immobiliter hæsit, vt nec ad interiora descendere, nec foras eiici vllis conatibus posset. Sicque inter suorum manus, intercluso spiraminis aditu, terribili morte necatus est, & vnde contra Dei seruum concupiscentiam carnis explere ad saturitatem voluit: inde iusto Dei iudicio carnalem vitam adhuc ieiunus amisit.

*Horrenda mors crudelis Comitis.*

Alius quidam Comes Olibanus nomine, in eisdem Galliarum partibus erat, sub cuius iure Monasterium prædicti Guarini Abbatis fuerat positū. Qui sublimi quidem culmine terrenæ potestatis erectus, sed multis erat peccatorum molibus aggrauatus. Hic aliquando Romualdum gratia visitationis adiit, & cæteris extra cellulam manentibus, solus cum solo gestorum suorum seriem narrare quasi per confessionem cœpit. Cui vir venerabilis, his quæ ab eo referebantur auditis, respondit, aliter eum saluari minimè posse, nisi mundum relinquens, ad Monasterium conuolaret. Comes autem mox mente turbatus ait, quia sui spirituales viri, qui eius acta cognoscerent, nequaquam ita sentirent, neque tam intolerabilem rem sibi aliquando suaderent. Ascitis itaque Episcopis & Abbatibus, qui secum venerant, cœpit in commune perquirere, si ita res, sicut Dei seruus testabatur, se haberet. Illi autem beati Romualdi sententiam omnes vna voce confirmant, se verò id Comiti eatenus non dixisse, terrore constrictos excusant. Tunc Comes semotis omnibus, hoc cum B. Romualdo secreto valde cōsilio pepigit, vt ad Cassinum montem sub prætextu orationis pergeret, & in Monasterio S. Benedicti diuino se seruitio irreuocabiliter manciparet.

*Olibanus Comes.*

Interea Sergius pater Romualdi Monachus efficitur, sed aliquanto post, suadente diabolo, factæ conuersionis pœnitens, in Ægyptum redire conatur. Quod protinus Monachi cœnobij Sancti Seueri, quod non longè ab vrbe Rauenna est positum, vbi corpore, non corde Sergius habitabat, beato Romualdo indicare per nuncium studuere. Hac ille sinistra relatione perculsus, necessarium esse decreuit, vt Guarinus Abbas, & Ioannes Gradenicus vna cum Comite ad eius conuersionem pergerent, ipse verò pereunti patri quantocyùs subueniret. Petrus autem Dux extremum iam diem fæliciter clauserat. His itaque duobus Comitem in eorum fide commisit, vtrique quidem, sed Ioanni præcipuè, qui ei subditus erat, per obedientiam specialiter mandans, vt etiamsi Guarinus abscederet, ipse se nunquam à Comite separaret. Audientes autem illius regionis incolæ, quia Romualdus abire disponeret, nimio mœrore turbati sunt. Et tractantes intra se, qualiter illum ab hac intentione reprimerent, hoc illis tandem potissimum visum est, vt eum missis interfectoribus impia pietate perimerent, quatenus quia ipsum non poterant retinere viuentem, haberent pro patrocinio terræ vel cadauer exanime. His verò cognitis, Romualdus caput suum vndique decaluauit, & huius rei executoribus ad cellam eius iam appropinquantibus, primo ferè diluculo comedere quasi per auiditatem cœpit. Illi autem hoc videntes, dementiam credidere, & arbitrantes mentem delæsam esse, corpus lædere dedignati sunt. Sic videlicet, sic prudens spiritalis Dauid insania stultam carnaliter sapientium superauit astutiam. Nam & volentes peccare cohibuit, & ad meritorum suorum cumulum sine mortis formidine, mortis periculum declinauit.

*Sergius pater S. Romualdi fit Monachus.*

*Impia quorundam pietas.*

*Stultitiam simulans S. Romualdus, mortem euadit.*

1. Reg. 21.

Deinde iam libera vti facultate permissus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, sed solum in manu ferens baculum, nudis plantis, ex intimis Galliarum finibus, Rauennam vsque peruenit: ibique patrem ad seculum reuerti volentem reperiens, in ligno pedes eius fortiter strinxit, clauis duris affixit, & tandiu corpus eius pia seueritate perdomuit, donec eius mentem ad salutis statum, Deo medente, reduxit. Sergius igitur tandem sanæ mentis recepto consilio, quicquid priùs retrograda voluntate deliquit, multipliciter postmodū rectis sanctæ conuersationis gressibus emendauit. Habebat denique inter cætera consuetudinem, ante quandam Saluatoris imaginem frequenter assistere, ibique peculiarius orans vberibus lacrymis, & multa se cordis contritione macerare. Quadam igitur die dum ibi attentius in oratione persisteret (noua res, & nostris temporibus inaudita) repentè sibi nescio qua specie Spiritus sanctus apparuit. Qui protinus à Sergio interrogatus, manifestè quia ipse esset Spiritus sanctus asseruit, & subitò quasi pertransiens, ab oculis se aspicientis euasit. Statim ille in ecstasim raptus, atque eius quem viderat, igne succensus, cœpit per claustrum Monasterij post eum velociter currere, fratresque qui illic aderant, magno feruoris impetu, quò Spiritus sanctus abiisset, interrogare. Illis autem in insaniam eum cecidisse putantibus, atque illum durè corripientibus, asserebat Sergius se Spiritum sanctum absque vlla dubietate vidisse, & ante suum conspectum visibiliter transisse. Qui statim languore correptus, lecto decubuit, & intra paucos dies fælici consummatione vitam finiuit. Hinc sanè probatur, quod diuina voce ad Moysem dicitur: Non enim videbit me homo, & viuet. Hinc Daniel cùm non Deum, sed visionem Dei conspexisse diceret, addidit: Et elangui, & ægrotaui per dies plurimos. Rectè igitur Sergius, postquàm æternam vitam quæ Deus est, cernere meruit, à temporali mox vita defecit.

*Patrem suū feueritate in Monasterio retinet.*

*Sergio apparet Spiritus sanctus.*

*Exod. 33.*

*Daniel. 8.*

Olibanus autem Comes sua relinquens filio, cum multa diuitiarum copia, quindecim scilicet onustis thesauro sagmariis, comitantibus eum Guarino & Ioanne, atque etiam Marino, ad beati Benedicti se Monasterium contulit, & valedicens his, qui secum venerant, nihil tale de eo vsque tunc suspicantes, multis gemitibus, & amaris se fletibus affligentes, ad propria remeare coëgit. Marinus autem paulo pòst Apuliam versus abiit, ibique postmodum in solitudine habitans, ab Agarenis est latrunculis interfectus. Breui post tempore Guarinus, orationis causa discurrere solitus, Ioannes verò fratris exemplo ad idem religionis officium prouocatus, Hierosolymam commeare pari consilio decreuere. Hoc igitur Olibanus cognito, tristis & flens, obsecrare deuotissimè cœpit, ne se violata fide desereret, sed sicut beatus Romualdus præceperat, in Dei illius seruitio custodirent, addens etiam: Memento tu saltem Ioannes, quia magister tuus in tua me propensius fide commisit, & titulum tibi inobedientiæ, si discedis, opposuit. Illi autem obstinata intentione in proposito persistentes, relicto tandem Olibano, peregrinationis iter arripiunt. Cùm autem descendentes de monte, iam in campestria declinassent, fingentes se loco, necessarium aliquid inter se tractare cœperunt. Inter agendum verò, subito Guarini equus furioso rotatus impetu, in aliam partem inuito

*Olibanus Comes fit Monachus in monte Cassino.*

*Marinus Eremita ab Agarenis interficitur.*



inuito sessore diuertit, & Ioannis tibiam ferrato calce percutiens fregit. Qui ilicò ad terram nimio dolore prostratus, iam serò memor, magistri præcepta ad mentem reuocat, & se perfidum, se inobedientiæ reum, verbis publicæ confessionis accusat. In fracto namque crure didicit, quia fidem frangere, peccatum fuit. Et quia ipse rationis capax, magistro inobediens extitit: ad incolumitatis suæ custodiam irrationale animal sessori obedire nesciuit. Deinde illuc, vnde venire cœperat, rediens, cellam sibi ædificari prope Monasterium petiit, ibique per triginta ferè annos, quandiu vixit, in sancta conuersatione permansit. Multa in eo charitas, mira humilitas, abstinentia verò districta nimis & cauta, ita vt nec infra claustrum Monasterij quisquam sciret, qualiter vir sanctus ieiunaret. Inter reliqua autem virtutum dona, ita exosum habebat detractionis vitium, vt mox, cùm quis ad detrahendum os aperiret, velut sagitta rigore lapidis percussa, in dirigentem protinus redundat: ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur. Post verò eius obitum nonnulla per eum miracula diuinitùs facta sunt.

*Pœna inobedientiæ.*

*Ioannis Gradenici Eremitæ virtutes.*

*Miraculis post mortem claruit.*

Romualdus autem post patris correctionem, in palude Classensi cellulam figens, in loco qui Pons Petri dicitur, habitauit: postmodum verò non corporis ægritudinem metuens, non fœtoris nauseam perhorrescens. Sed ne imbecillitatis occasione vel parum quid ab abstinentiæ rigore remitteret, ad Classem prædium, vbi est Ecclesia beati Martini, quæ dicitur, in Sylua, migrauit. Ibi verò quadam die dum Completorium caneret, quia antiquum illic cœmeterium fuerat, subito illi (vt sæpe fit) ex improuiso quædam cogitatio incidit, moxque eius animum magnus phantasticæ illusionis horror inuasit. Cumque hoc crebrius in mente reuolueret: ecce maligni spiritus repentino impetu cellam eius ingressi, protinus illum in terram sternunt, immani eum cæde conficiunt, & exhaustis longo ieiunio membris, durissimos ictus illidunt. Tandem Romualdus inter ipsa percussionum verbera, respectu diuinæ gratiæ visitatus, in hanc vocem erupit: Chare Iesu, dilecte Iesu, quare me dereliquisti? Numquid omnino me inimicorum manibus tradidisti? Ad hæc omnes iniqui spiritus diuina virtute fugati sunt, & continuo tanta diuini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, vt totum cor eius in lacrymas quasi cera liquesceret, & de tot illusionibus sanctum corpus nihil sentiret. Mox sanus & validus de terra surrexit, & licet impediente adhuc sanguine, ad eundem psalmi versum, quem reliquerat, rediit. In ingressu quoque dæmonum fenestra cellulæ in frontem illius impegit: in qua manifesta postmodum cicatrix occaluit, quæ eiusdem vulneris indicium, quandiu vir sanctus vixit, ostendit.

*Crudeliter à dæmonibus verberatur S. Romualdus.*

*Diuinitus curātur eius vulnera.*

Iam igitur miles Christi assuetus bello, robustiorque effectus, studebat quotidie ad maiora proficere, de virtutibus in virtutes crescere, & semper semetipso fortior, nullas iam poterat eneruati hostis insidias formidare. Sæpe enim sibi in cella residenti velut teterrimi corui & vultures iniqui spiritus videbantur assistere, & quasi ad custoditum animalis cadauer, quia non audebant accedere, cogebantur eminus adspectare. Sæpe se in figuris Æthiopum, sæpe per diuersorum animalium species ostendebant. Quibus clarus Christi triumphator insultabat dicens: Ecce paratus sum: venite, & si qua in vobis est virtus ostendite. Numquid iam omnino deficitis? Numquid iam victi estis, & aliquas contra Dei seruulum certandi machinas non habetis? His denique & huiusmodi verbis confundens iniquos spiritus, confestim eos velut missis totidem iaculis effugabat. Videns ergo diabolus quia per semetipsum contra Dei seruum prævalere non posset, ad callida argumenta conuersus, quocumque vir sanctus ibat, discipulorum eius animos aduersus eum in malitiam excitabat: vt quia retentari eum ab accenso sui feruoris impetu impossibile fuerat, saltem alienæ salutis cura compesceret, & quia ipse ab hoste superari minimè posset, vel ex aliis victoriam non negaret.

*Dæmones eū terrere nituntur.*

Aliquando namque ad locum qui Balneum dicitur, in Saxenati videlicet territorio constitutum transiuit. Vbi etiam non pauco tempore commorans, Monasterium ad beati Archangeli Michaëlis honorem construxit, à quo non longè cellam, in ea habitaturus, ædificauit. Illuc autem Hugo Marchio septem sibi pro necessitate misit numismatum libras. Quas ille, vt bene prodigus misericordiæ dispensaret, accepit. Audito itaque quod Monasterium Palatioli fuisset igne cōsumptum, sexaginta solidos de prædicta pecunia fratribus in adiutorium direxit: reliqua autem, vt in simile opus expenderet, reseruauit. Cognito hoc, Monachi sancti Michaëlis belluino contra eum furore commoti sunt: tum quia prauis eorum moribus contrarius iam ex multis annis exiterat: tum quia, quæ illi deferebantur, non eis omnia, sed quædam aliis impendebat. Facta igitur conspiratione vnanimiter in cellam eius cum fudibus & phalāgis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus, turpiter dehonestatum, de finibus suis expellunt. Cum itaque sic eliminatus abiret, & nimia tristitiæ vis in mentis eius iam interiora descenderet: hoc apud semetipsum diliberat, vt iam de cætero sua contentus, alienæ salutis curam omnino postponat. Post hanc verò cogitationem tantus animum eius terror inuasit, vt si in eo, quod mente conceperat, obstinatè persisteret, periturum se damnandumque diuino iudicio nullatenus dubitaret. Monachi autem compotes diu desideratæ vltionis effecti, & quasi proiecto graui onere leuigati, hoc quod in Dei famulum egerant, multis inter se laudibus efferunt, & in immoderatum ludum, atque cachinnum se lætitia lenocinante resoluunt: deinde etiam, vt tanti gaudij solemnitatem quodammodo iucundissimam faciant, sumptuosas deliciarum copias sibi ad conuiuium parant. Erat verò tunc hyems, quæ non solum vicissitudini temporum, sed frigidis quoque eorum mentibus aptissimè congruebat. Vnus autem ex eis, qui in beatissimum Christi famulum sæuior fuerat, mel acquirere, vnde mulsum epulantibus faceret, satagebat. Cumque Sapin fluuium hoc studio transmearet, offendentibus in plancas pedibus, subitò de ponte deiicitur, & fluuiali voragine funditus absorbente raptatus extinguitur, iusto videlicet Dei iudicio, vt turbida illum aqua satiaret ad mortem, qui in eo quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte verò dum omnes ex more quiescerent, descendente crebra niuium multitudine, repentè tota communis ædificij super eos fabrica corruit, & alteri caput, alij brachia, alij crura, vel quælibet alia membra contriuit. Vnde etiam eorum oculus euulsus est, & merito diuisionem corporeæ lucis pertulit, qui diuisus à proximo, etiamsi alterum haberet, geminæ charitatis vnum lumen amisit.

*Cōstruit Monasterium.*

*Monachi eū expellunt.*

*Diuinitus puniūtur Monachi illi.*

Aliquando autem vir sanctus non longè mansit

à Caria.

à Caria. Cúmque ibi aliquandiu moraretur, manifestè sibi beatus Apollinaris apparuit, & quatenus ad suum Monasterium pergeret, ibique potius habitaret, ex magna auctoritate præcepit. Quod vir sanctus nequaquam negligendum ducens, locum in quo morabatur, sine cúctatione deseruit, & quo missus fuerat impiger festinauit. Inclusus est etiam quodam tempore vir venerabilis in palude Commiaclensi, quæ dicitur Origarium: vnde postmodum præ nimio paluſtris cœni fœtore, & corrupto aëre, ita totus tumefactus, & depilatus exiit, vt nequaquam eadem quæ inclusa fuerat, species videretur. Nam & caro eius tota eatenus erat viridis, vt tanquam stellio discolor appareret. Alio quoque tempore, in Insula quæ Peretum dicitur, habitauit, quæ videlicet Insula à Rauenna vrbe duodecim ferè millibus distat. Ibi verò dum in cella cum quodam venerabili viro, suo nimirum discipulo, Guillelmo nomine, moraretur, angusti parietes habitaculi repente flamma corripuit, deinde ad alta conscendens, dominari per tecta liberis iam viribus cœpit. Protinus vir sanctus ad solitæ defensionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant posita, foras extrahere, non vt mos est, tecti scindulas dissipare, non aquarum abundantiam spargere, non vllis impulsus est ad extinguendos ignes nisibus anhelare, sed solummodo orationem fudit, & confestim ignium globos diuina virtus extinxit.

*Ex paluſtri loco valde affligitur.*

*Precibus domat flãmas.*

Eodem verò tempore iunior Ottho Imperator Classensem Abbatiam ordinare desiderans, optionem fratribus dedit, vt quem ipsi vellent, indubitanter deligerent. At illi cõtinuo vnanimiter expetunt Romualdum. Imperator autem diffidens beatum virum ad regiam aulam euocari posse per nuncium, ire ad eum per semetipsum voluit, & ad cellam eius sole iam occidente peruenit. Cui Romualdus, quia magnum hospitem in parua domo susceperat, lectulum suum ad quiescendum dare dignatus est. Coopertorium tamen Rex noluit, quia asperrimum iudicauit. Manè autem facto, Rex eum secum ad palatium duxit, tandémque ei instare, vt Abbatiam susciperet, multis precibus cœpit. Qui cùm reluctaretur, & regiæ petitioni assensum penitus denegaret, Rex autem è contrario excommunicationem & anathema ab omnibus Episcopis, Archiepiscopis, & toto synodali concilio, minaretur, tandem imminente necessitate succubuit, & animarum regimen coactus accepit. Referebat tamen hoc sibi nequaquam videri nouum, sed ante quinquennium sibi fuisse diuinitus reuelatum. Regebat itaque Monachos sub districta regulæ disciplina, neque alicui ab ea declinare licebat: non denique nobilis, non litteris eruditus per actus illicitos in dextram læuámque partem deflectere, vel à rectæ conuersationis audebat rectitudine deuiare. Vir namque sanctus cordis oculos in cælum figens, vt Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus displicere.

*Ottho Imperator eum inuisit.*

*Classensi Abbatiæ inuitus præficitur.*

Hoc autem fratres ferò considerantes, semetipsos prius accusant, quia hunc sibi præesse popposcerant: deinde multis eum detractionum susurrationibus lacerant, & duris scandalorum aculeis vexant. Romualdus itaque videns, & suam perfectionem aliquatenus minui, & illorum mores proclíuius in deteriora conuerti, Regem impiger adiit, & eo non leuiter reluctante vna cum Archiepiscopo Rauennate, in vtriusque conspectu virgam proiecit, & Monasterium dimisit. Porrò autem Rex Tyburtinam tunc ciuitatem obsidebat. Ciues enim inclytum eius ducem, Matholinum nomine, interfecerant, ipsum quoque Regem correptis armis, à suis mœnibus exturbauerant. Vnde non dubium est beatum Romualdum illuc ex diuina prouidentia missum, qui imminens tot animarum periculum sequestra pace deleuit. Hoc etenim inter eos pactus est, vt Tyburtes ad honorem Regis, murorum partem diruerent, ac obsidem darent: Ducis verò interfectorem ad eius matrem catenatum dirigerent. Quæ sancti viri fusis ad eam precibus mitigata, crudeli homicidæ crimen indulsit, & incolumem ad propria redire permisit.

*Ea cura se abdicat.*

Fecit quoque venerabilis vir apud Tybur alium boni operis fructum, quem silentio prætereundum esse non arbitror. Quidam namque beatus, Venerius nomine, habitare primitus in Monasterio cœpit cum tanta humilitate & simplicitate, vt omnes illum fratres subsannando despicerent, & delirum eum, atque dementem esse putarent. Alij enim sæpe colaphizare, alij sordida, qua leberes lauabantur, aqua perfundere, alij diuersis eum solebant conuiciorum iurgiis lacerare. Cúmque ille se perpenderet inter tot aduersa tranquillam suæ mentis statum seruare non posse, consortium deserens, in solitudinem properauit. Vbi per sex annos absque vino, omnique pulmento sub nimiæ districtionis ariditate permansit. Qui Romualdo interroganti, sub cuius regimine obedientiam exhiberet, respondit se alieno solutum imperio, hoc sequi, quod sibi vtilius videretur. Cui Romualdus ait: Si Crucem Christi portas, superest vt Christi obedientiam non relinquas. Vade igitur, & consensu à proprio Abbate suscepto, reuertere, ac sub eius dominio humiliter viue: quatenus sancti operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigat, atque obedientiæ virtus extollat. Hæc & multa alia ædificationis monita proferens, docuit eum qualiter cogitationibus suis resistere, qualiter pos[illegible] iniquorũ spirituũ infestationibus repugnare, & ita confirmatum & instructum, in multa cum alacritate reliquit. Ille igitur sancti viri documenta grauiter amplectens, Abbatem suum protinus adiit, consensum accepit, & ad dilectam solitudinem quantocyùs remeauit. Volens autem in possessione sui Monasterij habitare, ascendit in quoddã saxum, nullis hominum vestigiis peruium, & ab humana penitus cõuersatione remotum: ibique per quatuor annos, omni humano solatio destitutus, singulariter habitãs, exceptis tribus buccellis, quas de Monasterio secũ detulerat, non panem comedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omnino gustauit, sed solis arborum pomis, & herbarum radicibus vixit. Erat autem in eodem saxo quædam concauitas, vbi colligebatur aqua in hyeme, ex qua vir sanctus tota bibebat æstate. Tandem cognito quod ibi seruus Dei moraretur, cœpere ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, & quæcumque sibi quasi necessaria ministrare. Quorum ille nullius indigens, cuncta pastoribus pecorum, & aliis indigentibus exhibebat. Exhortante autem loci Episcopo, basilicam ibi fieri, & consecrari permisit. In qua ipse aliquanto post tempore defunctus est, & à quibusdam se quærentibus est inuentus accliuis ante altare, quasi causa orationis in cubitis & genibus iacens. Vbi nonnulla per eum Dominus miraculorum signa operari dignatus est. Sic denique, sic bona terra vberes fructus reddidit, quæ verbi semen ex ore Romualdi multiplicandum susceperat.

*B. Venerij Eremita Vita.*

*Nota de obedientia.*

*Venerij Eremitæ vita abstinentia.*

*Miraculis post mortem claruit.*

Apud prædictam quoque ciuitatem conuertit beatissimus vir Thammum quendam Theutonicũ, qui



qui, sicut dicebatur, intantum Regi familiaris & charus extiterat, vt vtriusque vestes vtrumque contegerent, & amborum manus vna paropsis communi sæpe conuiuio sociaret. Crescentius namque Senator Romanus indignationem Regis incurrens, in montem, qui dicitur S. Angeli, confugium petiit, & quia munitio inexpugnabilis est, obsidente Rege, ad defendendum se fiducialiter præparauit. Ei verò Thammus ex præcepto Regis iusiurandum securitatis præstitit, & ita ille deceptus, adnitente Papa, qui sibi inimicus erat, quasi reus maiestatis, capitalem sententiam subiit. Cuius vxorem postea Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Thammus, & fraudis conscius, & periurio tenebatur obnoxius: idcirco à beato Romualdo iussus est relinquere seculum. Qui mox à Rege licentiam expetens, non modò facilem reperit: sed nimis etiam alacrem fecit. Erat autem prædictus Imperator Monastico Ordini valde benеolus, & nimia circa Dei famulos affectione deuotus.

*Crescentius Senator capite plectitur.*

Ipse quoque ex eodem crimine beato viro confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana vrbe egrediens, sic vsque in Garganum montem ad Sancti Michaëlis perrexit Ecclesiam. Per totam etiam Quadragesimam, in Classensi Monasterio beati Apollinaris, paucis sibi adhærentibus mansit. Vbi ieiunio & psalmodiæ, prout valebat intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus palliis strato, & ipse in storea de papyriis confecta, tenera delicati corporis membra ferebat. Promisit denique beato Romualdo, quod Imperium relinquens, Monachicum susciperet habitum, & cui innumeri mortales erant obnoxij, iam ipse pauperculo fratri cœpit esse subiectus.

*Nota de Imperatoris pœnitentia.*

Romualdus autem cum eo de quo iam diximus, Thammo, & cum Bonifacio viro clarissimo, quem nunc fœliciſſimum Martyrem se habere Russiana gloriatur Ecclesia, & cum aliis conuersis Theutonibus, à Tyburis oppido ad Monasterium S. Benedicti, quod in Cassino constitutum est monte, deuenit. Ibi verò grauiter infirmatus est: sed citò ex diuina misericordia cõualuit. Habebat autem equum satis egregium, quem sibi Busclauinus, Sclauonici Regis filius, dono dederat factus ab eo Monachus. Hunc vir sanctus humilitatis studio permutauit, & pro eo asinum, laudabilis negotiator accepit. Nimio quippe redemptoris nostri desiderio, qui asellæ tergo confederat, vir venerabilis hoc ipsum animal libentiùs equitabat. Cum his igitur omnibus superiùs nominatis, Romualdus ad Pereum, vbi dudum habitauerat, rediit, ibique his & aliis multis fratribus aggregatis, & per cellas singulas constitutis, tãto feruore Eremiticæ conuersationis rigorem & in se, & in aliis tenuit: vt illorum vita omnibus, ad quos fama eorumdem peruenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret? Quis non immutationem diuinæ dexteræ prædicaret, cùm vidisset prius homines sericis, immo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis constipatos, omnium deliciarum affluentiis assuetos, nunc vno birro contentos, inclusos, discalceatos, incultos, & tanta abstinentiæ ariditate contusos? Faciebant autem omnes opera manuum, alij scilicet coclearia, alij nebant, alij retia nectebant. Quorum tamen omnium vitam beati Bonifacij conuersatio longius transcendebat.

*Buſclauinus Rex fit Monachus.*

*Matt. 11.*

*Socij beati viri quamuis nobiles in Eremo austeriſſimè viuunt.*

Dum beatus Romualdus adhuc moraretur in Pereo, Imperator Ottho Monasterium ibi ad ho-

*Imperator Ottho Monasterium ibi construxit, cui contigua Classensis cœnobij prædia contulit, & ea sibi ex fiscali possessione in Firmensis Monarchiæ partibus recompensauit.*

*Monasterium construxit suggerente B. Romualdo.*

Abbate quoque illic ex Romualdi discipulis constituto, & fratribus congregatis, cœpit eos sub magna Romualdus tenere custodia, & docebat eos sub regulari viuere disciplina. Præcepit etiam Abbati, vt in Eremum secedens, per totam hebdomadam in cella consisteret, diebus verò Dominicis fratres ad Monasterium veniens visitaret. Qui sancti viri iussa contemnens, cœpit seculariter viuere, & pede operis semel exorbitante à rectitudinis tramite, iam longius declinare. Videns ergo Romualdus, quod secundum suæ voluntatis ardorem ibi laborare non posset, Regem protinus adiit, & acceptæ promissionis exactor, vt Rex Monachus fieret, insistere vehementiùs cœpit. At ille facturum se quidem quod exigebatur, asseruit, si tamen prius Romam, quæ sibi rebellabat, impeteret, & ea deuicta, Rauennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: Si Romam, inquit, ieris, Rauennam vlterius non videbis, & apertissimè illi mortem propinquam esse denuncians, quia eum reuocare non potuit, proculdubio de eius certus interitu, ab eo recessit. Dum verò Rex Romam properat, Romualdus nauim ascendens, ad ciuitatem Parentium transfretat. Rex itaque secundum beati viri prophetiam vix à Roma reuerti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus est.

*Prædicit Othoni Imper. mortẽ S. Romualdus.*

Romualdus autem tribus annis in Parentinæ ciuitatis finibus habitans in vno Monasterium construxit: in duobus verò inclusus mansit. Ibi nempe ad tam magnæ perfectionis cumulum pietas illum diuina prouexit: vt sancto afflatus Spiritu, & nonnulla ventura prospiceret, & multa veteris ac noui testamenti occulta mysteria radiis intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquando in lacrymas erumpere, sed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum est ergo quodam die, dum in cellula psalleret, vt in hunc Psalmi versiculum incideret: Intellectum tibi dabo, & instruam te; in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Repentè igitur tanta sibi lacrymarum effusio orta est, & ita mens eius ad intelligendas diuinæ scripturæ sententias illustrata: vt ex eodem die, quamdiu vixit, vberes sibi lacrymæ, quãdocumque voluisset, facillimè fluerent. Frequenter etiam tanta illum diuinitatis contemplatio rapiebat, vt quasi totus in lacrymas resolutus, æstuante inenarrabili diuini amoris ardore clamaret: Chare Iesu, chare, mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo sanctorum, suauitas Angelorum, & cætera huiusmodi quæ ille sancto Spiritu dictante in iubilum proferebat: nos humano sensu exprimere talia non valemus. Sicut enim Apostolus dicit: Nos sicut oportet orare nescimus, sed ipse Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et ideo Romualdus Missam celebrare coram pluribus nunquam volebat, quia se à lacrymarum inundantia continere non poterat. Vnde etiam postmodum præ nimia iam consuetudine vir simplicis animi putans gratiam sibi diuinitus prærogatam, omnibus esse concessam, dicebat plerumque discipulis: Cauete ne multas lactymas effundatis, quia & visum minuunt, & verticem lædunt. Vbicumque autem vir sanctus habitare disponeret, oratorium cum altari primitus intra cellulam faciens, deinde se recludens, aditum damnabat.

*Psal. 31.*

*Gratia lacrymarum in S. Romualdo.*

Miserunt aliquando ad illum fratres, qui mora-

bantur in solitudine, quæ Bifurcum dicitur, consilium flagitantes, qualiter conseruari in Eremo deberent, qualiter diabolicis impugnationibus resistere possent. Quorum nuncij cùm ad Monasterium à quo Romualdi cella longius aberat, peruenissent, ilicò venerabilis vir per spiritum eorum cognouit aduentum, præcepitque Abbati Ausoni, *Pe spiritum cognoscit fratrum aduentum.* qui sibi tunc assistebat, dicens: Vade, & pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis partibus aduenere. Qui continuo cœpit eum deridere, & dicere, quia verè falsus propheta esset. Postremò tamen, velut coactus ad Monasterium veniens, eos quos vir sanctus prædixerat, orantes iam in Ecclesia reperit. Quos videlicet Romualdus multo salutaris doctrinæ sale condiuit, multis denique contra antiqui hostis insidias virtutum armis instruxit, & postquàm eos de omnibus subtiliter vtiliterque docuit, cum multa eos ad Eremum alacritate remisit.

Alio quoque tempore rursus prædicti fratres ad eum nuncios dirigunt, & de eadem re consilium maiori adhuc anxietate requirunt. Quibus vir venerabilis ait. Ego nunc libellum de pugna dæmonum scribo, quem vobis cùm redieritis dabo, vel certè vobiscum fortasse veniam. Hoc illi audientes, protinus in faciem se prosternunt, vt cum illis ire dignaretur, importuna admodum supplicatione deposcunt. Altera verò die iturum secum incunctanter asseruit, & vt nauim requirerent iussit. Au- C *Parèntinus Episcopus S. Romualdi discessum impedire nititur.* diens hoc Parentinus Episcopus, nimio mœrore perculsus est. Inueniens quoque Monachos propter nauigium discurrentes, multis contumeliarum eos dehonestauit iniuriis. Hoc etiam cunctis iuxta portum manentibus promulgauit edictum, vt quicumque Romualdo nauim dare præsumeret, ipse quoque vna cum ipso irreuocabili profectione demigrans, Parentium vlterius non rediret. Festinè igitur nuncius ad Polensem Episcopum mittitur, vt beato viro nauigium mittere non moretur. Sæpe namque præfatus Episcopus adhortatus illum fuerat, vt nequaquam de cætero in tam obscuro recessu inclusus lateret, sed illuc potiùs se conferret, vbi animarum lucrum copiosius facere po- D tuisset, ne videlicet sicut carbo soli sibimet arderet, sed magis vt reuera lucerna super candelabrũ posita, omnibus qui in domo Dei sunt, radios suæ lucis infunderet. Dum igitur nuncius, qui missus est expectatur, Romualdus his qui secum erant, fratribus ait. Noueritis proculdubio, quia frater ille tardius veniet: vnde in alia naui nos ire prius, quàm ille reuertatur, oportet. Adueniente autem sancto die Dominico, in ipso primæ lucis crepusculo, dixit assistenti sibi cuidam fratri, nomine Ingelberto, qui postea Archiepiscopus factus est; Respice, inquiens, procul in pelagus, & vide duas naues longinquis adhuc spatiis pari aduersum nos velocitate tendentes: earum nos definitè debet E vna suscipere. Qui curiosius intendens, & expansis oculorum radiis solicitè cuncta perlustrãs, aliquod nauigij signum omnino videre non potuit. At cùm dies iãiãque claresceret, ecce extremo videt intuitu duas naues eminus aduẽtantes, & præ nimia adhuc longinquitate quasi totidem volucres apparentes. Quibus tandem subeuntibus portum, interrogati remiges vtrum Romualdus cum suis in propria vellent naue suscipere, noua mox repleti lætitia, & se & sua omnia in eius potestate cõstituunt, & beatos se fore tam pretiosæ margaritæ pondere profi- *En quanti fit sanctus vir.* tentur. Verum illo die minas aëris formidantes, ire nolebant. Romualdus autem exhortatus est eos, vt A statim in spe diuinæ gratiæ iter caperent, spondens eis, quia nullum omnino periculum sustinerent. Illi tamen tota die ibidem commorantes, nocte nauigare cœperunt.

Circa diluculum autem subitò venti sæuiunt, tempestas oritur, mare ab imo fundo versatur. Iamque furentes vndique procellæ, ipsos quoque remiges prosternunt, & nauim hinc inde concutientes, totas penè tabulas laxant. Videres itaque homines, alios quidem se ad natãdum exuere, alios verò diuersis se funibus religare, quosdam autem, vt supernatare fluctibus possent, remos, aut lignum aliquod strictũ tenere. Cumque in tanto discrimine *Orationem. ris tempestatem sedat.* iamiam haud dubium desperatis omnibus naufragium immineret, ilicò Romualdus ad solita orationis armamenta cucurrit, & reclinato paululum capitio, capite deuexo in gremium, preces in silentio ad Dominum fudit: deinde Ausoni Abbati, qui cominus assistebat, securè præcepit dicens: Denuncia nautis, vt nequaquam timeant, sed omnes se incolumes euasuros absque vlla penitus ambiguitate cognoscant. Vix modicum post hæc tempus transierat, & ecce vltra omnium spem absque vllo humano studio ipsa se nauis dirigit, & mox in portum Capreolæ ciuitatis delapsa, celeriter subintrauit. Tunc omnes liberatori Deo dignas referre gratias, & manifestè se de faucibus mortis ereptos, Romualdi meritis profitentur.

Veniens itaque Romualdus Bifurcum, visis omnium fratrum cellis, quia superstitione quadam ambitiosæ videbantur, in nulla earum hospitium habere voluit, nisi in illa solummodo, in qua Petrus venerabilis eius discipulus habitabat. Vir siquidem erat admirabilis abstinentiæ, multæque admodum extremitatis, qui cellulam sibi ad Sancti Hilarionis exemplum vix vnquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat. Referebat autem post idem venerabilis vir, quia dum beatus Ro- *Mirabilis affluentia lacrymarum.* mualdus cum ipso maneret, & psalmos vterque in se vicariis versibus alternaret, tricies in nocte, vel eo amplius se Romualdus ad requisita naturæ ire simulabat, quoniam affluentiam lacrymarum inundantiam, atque singultus cohibere non poterat. Cúmque ibi Romualdus aliquandiu moraretur, & fratres non solùm de spirituali certamine, verum etiam vt sibi Abbatem præferrent, admoneret, illi, quia suum habebat vnusquisque sustentatorem, & prout cuique libuerat proprij sequebatur arbitrij libertatem, Romualdi præcepta susciperẽ non magnopere curarunt.

Romualdus ergo sterilitatis impatiens, anxia cœpit auiditate perquirere, vbi terram posset ad proferendos animarum fructus idoneam inuenire. Misit itaque nuncios ad Camerinæ prouinciæ Comites. Qui audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cũcta suæ ditionis obtulere prædia, non modò syluarum & mõtium, sed si sibi placeret etiam agrorum. Postremò repertus est in eorum possessione locus Eremiticæ conuersationi satis congruus, montibus vndique vallatus, & syluis. In medio verò ampla quædam planities, non solum proferendis frugibus apta, sed perspicuis etiã fontibus irrigua. Hic itaque locus, Vallis de castro antiquitus vocabatur, vbi iam parua erat Ecclesia, in qua quarumdam conuersarum mulierum videbatur esse conuentus. His itaque loco cedentibus, constructis cellulis, illic habitare cum suis discipulis vir venerabilis cœpit. *Ingens animarum fructus.*

Ibi autem quantos animarum fructus per illum Dominus acquisiuerit, quis valeat vel atramento descri



describere, vel lingua proferre? Cœpere namque A homines ad pœnitentiam hinc inde confluere, & sua pauperibus misericorditer erogare: alij seculum omnino relinquere, & ad sanctæ conuersationis ordinem spiritu feruido festinare. Erat enim vir beatissimus quasi vnus de Seraphin, quia & ipse flamma diuini amoris incomparabiliter æstuabat, & alios quocumque pergeret, sanctæ prædicationis facibus accendebat. Sæpe namque dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lacrymas excitabat, vt subito interruptum sermonem relinquens, aliquorsum repentino impetu velut amens aufugeret. Et si quando cum fratribus equitabat, longè post alios veniens, semperque psallens, nihilominus ac si in cella resideret, iugiter lacrymas effundere non cessabat. B

*Simoniacos seuerè castigat.* Inter cæteros autem præcipuè seculares Clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, durissima seueritate corripiebat, & eos nisi ordinem sponte desererent, omnino damnabiles & hæreticos asserebat. Qui nouam rem audientes, occidere illum moliti sunt. Per totam namque illam Monarchiam vsque ad Romualdi tempora, vulgata consuetudine vix quisquam nouerat, simoniacam hæresim esse peccatum. Qui dixit eis: Canonum mihi libros afferte, & vtrum vera sint, quæ dico, vestris attestantibus paginis comprobate. Illis igitur diligenter inspectis, & crimen agnoscunt, & errata deplangunt. Constituit autem vir sanctus plures Ca- C nonicos & Clericos, qui laicorum more seculariter habitabant, præpositis obedire, & communiter in congregatione viuere docens. Nonnulli quoque Episcopi, qui per simoniacam hæresim sacras sedes inuaserant, ad eum causa pœnitentiæ concurrebãt. Qui etiam venerabili viro se committentes, & Episcopatum termino statuto deserere, & ad sanctæ conuersationis se promittebant ordinem festinare. Ex quibus tamen vir sanctus, quandiu vixit, nescio si vel vnum conuertere potuit. Est enim venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali ordine, tã dura & ad conuertendũ rigida, semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurũ procrastinans, vt facilius possit Iudæus ad fidẽ conuerti, quàm hæreticus plenè ad pœnitentiã prouocari. D

*Cõstruit Monasterium puellarum.* In eisdem quoque partibus sanctus vir Monasterium condidit puellarum. Solemni autem quadam die, dum vir venerabilis illic cum fratribus in capitulo resideret, & eos salutaris doctrinæ dapibus satiaret, repentè ipsum interrumpens sermonem, anxia quadam voce exclamare cœpit, & dicere. Agite, agite, quantocyùs properate, quia iam fratris Gregorij cellam fur frangit (hic autem Gregorius Archiepiscopus in gentibus postmodũ consecratus est.) Qui protinus exilientes, ad cellam perniciter currunt, & furem iam parietes infringentem inueniunt. Quem corripientes, ad magistrum pertrahunt, & quid de tam sacrilego raptore faciendum esset, inquirunt. Quibus vir sanctus cœpit hilariter dicere. Et ego, fratres, ignoro quid de tam malo homine possimus facere. Eruimus illi oculos? Sed postea non videbit. Incidimus ei manus? Sed amplius non laborabit, & per hoc forsitan fame peribit. Quod si pedem truncamus, ambulare non poterit. Sed intrò eum ducite, & cibum prius illi apponite, vt quid de eo faciendum sit, interim pertractemus. Ita vir sanctus exultans in Domino, postquam cibari latronem fecit, illum modestè correptum, & dulcibus verbis admonitum, redire ad propria in pace permisit.

*Furè absens prodit.*

*Eius incũda in furem humanitas.*

Postremò dimissis in Valle de castro nonnullis de suis discipulis, ad regionem se Vrbis veteris contulit, & in possessione Pharulphi Comitis, Monasterium, multis quidem suffragantibus, sed eo maximè expensas præbente, construxit. Tantus namque in sancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, vt effectis nunquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeò vt putaretur totum mundum in Eremum velle conuertere, & Monachico ordini omnem populi multitudinem sociare. Multos denique illic de se- *Valde propagat Monachismum.* culo abstulit, quos per plura sacra loca diuisit. Nonnulli quoque nobilium filij, contemptis parentibus, ad virum beatissimum fugiebant. Ex quibus etiam filius Guidonis Comitis fuit, qui in ipsa pueritia non longo tempore, postquam Monachus factus est, ad mortem veniens, vidit duos iniquos spiritus quasi nigerrimos vultures, terribiles in se oculos figentes. Cumque hoc assistenti sibi beato Romualdo puer ediceret, protinus addidit. Ecce, inquiens, magister, tanti nunc Æthiopes intrant, vt iam totum ædificium repleant. Exhortatus autem, vt confiteretur quid deliquisset, hoc solummodò crimen fælix ille peccator cum magno terrore confessus est, quia iussus fuerat à Priore nescio quot scopas accipere, & illas nondum acceperat. Romualdo igitur ei tanti facinoris veniam indulgente, in pace defunctus est. Postero verò die cæcus quidam, præbendarius videlicet patris eius, ad sepulchrum illius venit, & altiori voce clamans: Heu Domine mi, inquit, si cum Deo es, sicut credo, preces pro me ad eum funde, & oculorum mihi lumen restitue. Quo dicto, statim illumina- *Cæcus videt ad sepulchrũ Guidonis Comitis & Monachi.* tus est. Nonnulli quoque ægroti ad eius tumulum venientes, redditi sunt sanitati. Cuius sepulchrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Ita ille à Deo meruit honorari post mortem, qui pro eius amore, dum viueret carnalium spreuit hæreditatem.

Interea Romualdus audiens quia beatissimus vir Bonifacius martyrium suscepisset, nimio desiderij igne succensus, vt pro Christo sanguinem funderet, in Hungariam mox ire disposuit. Interim tamen dum in ipsa intentione persisteret, breui tempore tria constituit Monasteria, vnum videlicet in Valle de castro, vbi nunc sanctissimum eius corpus reconditum est: aliud prope Isinum fluuium, tertium iuxta oppidum condidit Esculanum. Deinde licentia ab Apostolica sede suscepta, & duobus è suis discipulis in Archiepiscopos consecratis, cum vigintiquatuor fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro proximo in omnibus æstuabat, quod vir sanctus ad tale negotium cum paucis ire difficile poterat. Euntes ergo cùm iam ipsis *Vult Hungaris prædicare Christum, sed diuinitus retardatur.* Pannoniarum finibus interessent, repentè Romualdus languore correptus, vlterius ire non potuit. Cumque diutius pateretur, si quando redire dispo- E neret, protinus ex ægritudine conualescebat. Sin autem ire vltra tentaret, tota eius facies protinus intumescebat, cibos quoque iam retinere stomacho langueſcente non poterat.

Aduocatis itaque fratribus ait: Perpendo nequaquam diuinæ voluntatis esse iudicium, vt vltra progrediar. Verumtamen quia intentionis vestræ desiderium non ignoro, neminem vestrum redire compello. Multi nempe etiam ante nos totis nisibus studuerunt ad martyrij culmen pertingere, sed quia diuina prudentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum esse non ambigam, qui tamen ire, qui mecum redire voluerit, vniuscuiusque

relinquatur arbitrio. Quindecim igitur in Hũgariã prodeuntibus, duobus aliò iam dimissis, vix septem cum magistro discipuli remanserunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur plures, ac seruitutem pro Domino subeunt: ad martyrium tamen sicut vir sanctus prædixerat, non pertingunt.

Romualdus autem, conuerso quodam nobilissimo viro, Aldeberani Ducis consanguineo, qui postea Monachus factus, in sancta vsque ad mortem conuersatione permansit, aliisque Theutonicis, ad Monasterium, quod in Vrbis veteris regione constructum erat, rediit. Notandum itaque est, quia sanctus vir nequaquam velut leuitate vsus falli inaniter potuit, qui secundum intentionem quidem suam martyrium subiit, iuxta diuinum verò consilium pro salute eorum missus est, quos conuertit. In prædicto igitur Monasterio multa persecutionis scandala passus est. Volebat enim Abbatem, vt reuera Monachum, extremitatem diligere, secularia ex desiderio non tractare, res Monasterij pro vana gloria non expendere, fratrum vsibus necessaria ministrare. Quæ omnia dum ille surda aure contemnit, Romualdus locum cum suis discipulis deserens, non longè à castro prædij ditionis Raynerij, qui postmodum Thusiræ Marchio factus est, habitauit. Hic autem Raynerius coniugem suam occasione propinquitatis abiecerat, & consanguinei sui vxorem, quem ipse insequentem quodammodo inuitus occiderat, in coniugem copularat. Ob hoc itaque Romualdus, ne criminis eius particeps fieret, gratis manere in eius possessione noluit, sed vnum ei aureum pro aqua, alterum verò pro lignis appendit. Quos cum ille omnino respueret, malens videlicet sua dare, quàm à sancto viro quicquam recipere, postremò tamen victus assensit potius, quàm Romualdus abiret. Dicebat autem ei Raynerius, cùm Monarchiam obtineret, quia non Imperator, non aliquis omnino mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret aspectus. Ante eius quippe vultum neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeam, vllas excusationes inuenio. Habebat reuera vir sanctus hanc ex diuino munere gratiam, vt quicumque peccatores, præsertim potentes seculi, in eius præsentiam deuenissent, mox velut ante maiestatem Dei tremefactis visceribus formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori eius inhabitator inerat, hunc terrorem iniustis diuinitus intendebat.

*Multas patitur persecutiones.*

*Raynerius Marchio virum sanctum admodũ veretur.*

*Nota.*

Illis verò temporibus vir venerabilis Monasterium non longè à Massiliano castro constituit. Audiens autem aliquando, quia Venetus quidam Classensem Abbatiam per coëmptionem simoniacæ hæreseos inuaserat, insuper quoque in corpus suum iniquè peccabat, illuc protinus ire miles Christi impiger studuit, diuersisque modis ipsum Monasterium purgare tentauit. Vir autem reprobus dum Abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempesta siquidem nocte, dum Romualdus in lecto securè quiesceret, ille eum latenter aggressus, impiis cœpit digitis guttur eius adstringere, nitens eum crudeliter suffocare. Sed dum vir sanctus necdum prorsus intercepto spiramine, anhelitu vix eluctante, rauciret, Ingelbertus ilicò magistri singultibus excitatus, torrem mox ex sopito igne corripuit, & ministrum diaboli ab incepto nefandissimo crimine exturbauit.

*Quidam improbus virum Dei præfocare nititur.*

Post hæc Romualdus denuo Parentium nauigauit, sed Apostolicæ sedis Antistes, & Romani ciues, vt Romam rediret, legationem dirigunt. Quò si reuerteretur, facturos se omnia eius præcepta promittunt, sin autem, excommunicationis sententiam comminantur. Hoc itaque modo suum Romualdum Italia recuperare promerut. Eo tempore in faucibus Callentium montium aliquandiu mansit, deinde in Petranum montem, non longè videlicet à Monasterio S. Vincentij, quod iuxta Candilianum constitutum est fluuium, commigrauit. Quocumque autem vir sanctus ibat, semper fructificans, semper animarum lucrum magis ac magis accumulans, & homines de seculo abstrahens, velut totus in ignem conuersus, ad cæleste desiderium animos hominum accendebat.

*Multos conuertit.*

Volens autem tunc locum ad Eremum faciendam idoneum inuenire, præcepit cuidam Presbytero, vt ad domum propriam rediens, sibi & his, qui eum comitabantur, alimenta deferret. Deinde mõtem indagine studiosa perlustrans, postremo quendam Monachum iuxta paruam basilicam habitantem reperit, à quo mox vt secum pergeret, & locum ostenderet, vbi aqua inueniretur, exegit. Qui nimirum denegauit se domũ sine custode posse relinquere, quia latronum insidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus recompensaturum se, si tale aliquid accidisset, cuncta spopondit. Sicque iam alienæ iniuriæ debitor factus, Monachum secum duxit. Illis itaque locum quærentibus, ecce Presbyter, vt iussus fuerat, prandium deferens, furé iam domum infringentem reperit, repertum cepit, captũ vsque ad Romualdi reditum custodiuit. Quẽ Romualdus intuens, prius illum pia studuit verborum austeritate corripere, deinde dulciter admonens, incolumem permisit ad propria remeare. Sic nimirum, sic diuina prouidentia seruauit illæsum, quod in absentis Romualdi fuerat custodia derelictum.

Rursus dum in eisdem partibus cellas construeret (erat autem sarcina procul ab eis sub quodam saxo reposita) tunc vir venerabilis quendam fratrem illuc quasi cum quodam impetu protulit, præcipiens ei, vt nimis anxiè festinaret. Qui mox furibus superueniens, illos quidem iam eam rapere tentantes reperit, sed nihil adhuc ex his quæ reposita fuerant, deesse cognouit. Qua ex re rectè colligitur, & beatum virum non sine diuinæ reuelationis instinctu fratrẽ cum tanta solicitudine destinasse, ipso videlicet puncto, quo fures ad rem non custoditam contigit peruenisse. Post hæc Romualdus ad Monasterium Vallis de castro reuertitur, móxque Abbatem sic alios regere, vt semetipsum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat insuper, vt cellam qua vsus fuerat, occasione regiminis non omnino desereret: sed in ea sibimet spiritáliter viuens, præcipuis tantùm festiuitatibus fratres admonitionis gratia visitaret. Erat enim beato viro tam odiosa ista quam cernimus Abbatum conuersatio, vt non minus gauderet, si de manu cuiuspiam Abbatiam potuisset euellere, quàm si ei datum fuisset potentissimum quemlibet secularium ad sanctæ conuersationis ordinem conuocare. Sed sicut per Salomonem dicitur: Velut acetum in nitro, ita qui cantat carmina cordi peruerso: ille prędicatione venerabilis viri de malo deterior factus, Comitissas loci dominas protinus adiit, & vt ligna, quibus Romualdi cellæ debebant construi, minutatim incidi præciperent sacrilega machinatione suggessit. Eo itaque modo alta paradisi cedrus de terrenorũ hominũ syluis eiecta est.

*Fures in spiritũ diffit & impedit.*

*Prouerb. 25.*

Inde



Indę verò progrediens, non longè ab Apennino monte, in loco, qui dicitur Aquabella, manere constituit. Illic igitur dum seculares quidam cum discipulis, eius habitationum tecta construerent, Romualdus autem, quia iam præ senectute laborare non poterat, solus opificium custodiret, Presbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus sentiens, opus ædificij inuitus reliquit, & postulata à fratribus licentia, redire domum miserabiliter eiulans cœpit. Cùm verò Romualdus transitum reuersionis haberet, interrogatus ab eo Presbyter cur abscederet, mox casum suæ passionis aperuit. Tunc Romualdus hianti locum vbi patiebatur, digito tetigit dicens: Ignitam subulam, ne labrum lædat, in calamum mitte, & hic pone: sicque dolor aufugiet. Vix Presbyter vnius iugeris spatio vltra progressus est, & confestim omni dolore deposito, ad opus quod reliquerat, sanus & incolumis repedauit, claris nimirum vocibus exclamans & dicens: Gratias tibi agimus omnipotens Deus, qui regionem nostram splendore tanti sideris illustrare dignatus es. Verè Angelus Dei, verè propheta sanctus, & lux magna occulta mundo, in finibus nostris apparuit. Hæc & alia multa in Dei laudem vociferans, vix à beati viri discipulis tacere compulsus est. Nam si talia verba ad beati viri Romualdi aures qualibet occasione peruenissent, grauissima cor eius indignatione cómouissent.

*Pellit dolorẽ dentiũ digiti sui contactu.*

Alio verò tempore magnam quandam fagum, quæ prope cellam eius adstabat, incidi præcepit. Erat autem fagus ita cellæ accliuis & imminens, vt iuxta humanam opinionem, si cecidisset, totum mox ædificium indubitanter obrueret. Cúmque operarij vellent iussa perficere, sed ruinam arboris formidarent, ille vt nequaquam timeretur instabat. Itaque cum impactis circumquaque securibus, in ipsa iam arboris viscera veniretur, arbor autem super beatum virum non dubiè iam impetum minaretur, cœpere omnes rogare, & vocibus clamosis vehementer insistere, vt si cellam postponeret, semetipsum exiens conseruaret. Ille autem nequaquam eorum clamoribus acquiescens, vt cœptum citò perficerent, diffinitè præcepit. Postremò fagus grauissimo sonitu corruens, ita aliorsum est diuina virtute proiecta, vt cunctis mirantibus, cella omnino manserit illæsa.

*Ruentem arborem aliò auertit.*

Aliquando ipse cum operariis manens, nimiæ magnitudinis ilicem in monte Petrano faciebat incidi. Quæ videlicet arbor in prærupto montis decliuo pendens, in ima vergebat. Rusticus autem quidam paulò inferius stabat. Cùm igitur præcisa arbor grauiter corruens, per deuexum montis volueretur in præceps, mox repertum rusticum repentino impetu cœpit ad inferiora rotare. Cuncti protinus dolentes exclamant, & non solum esse hominem mortuum, sed totum dilaceratum eius corpus existimant. Sed ô diuinam virtutem, ita mox sanus & incolumis repertus est, ac si super eum non arbor, sed arboris folium cecidisset. Hinc iure perpenditur sancti viri meritum quantum apud Deum pondus habuerit, in cuius conspectu grauissima arboris moles pondus habere nesciuit.

Postmodum verò Romualdus cum Apenninum deseruit, montem Sytriæ habitaturus ascendit. Cauendum autem summopere est, ne quis cum audierit, quia vir sanctus tot loca mutauerit, pij operis pondus vitio leuitatis adscribat. Hæc namque mutationum eius causa proculdubio fuit, quia ad venerabilem virum, vbicumque degeret, turba hominum penè innumerabilis concurrebat. Ratio ergo poscebat, vt cum vnius loci spatium plenum habitatoribus cerneret: illic Priore constituto, ad replendũ mox aliud festinaret. In Syria verò quot contumelias, quot scandala, a suis discipulis passus sit, non est nostræ facultatis euoluere. Ex quibus videlicet vnum hic ponentes, cætera breuitatis studio prætermimus.

*Cur sæpe loca mutarit.*

Habebat quendam discipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, sed omnino degener actione. Hunc itaque vir sanctus cũ pro suæ carnis immũditia nõ modo verbis argueret, sed sæpe etiã verberibus grauissimis coërceret, ausus est diabolicus vir titulum illi eiusdem reatus opponere, & impudenter contra sancti Spiritus templum sacrilego ore latrare, dicens videlicet sanctum virum vna secum ex eadem contagione peccasse. Mox itaque discipuli omnes aduersus eũ irati, omnes infesti, alij clamant senem impium laqueo debere suspendi, alij dignum iudicant, vt cum ipsa cella ignibus concremetur. Quod vtique valde fuit mirabile, præsertim spirituales viros ex decrepito sene, & vltra quàm centenario, tam nefarium scelus credere potuisse, cui etiam si voluntas adesset, natura tamen, & frigidus sanguis, ariditasque attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum est proculdubio, ad augendum sancti viri meritũ, hoc sibi tam grauis aduersitatis cælitus accidisse flagellũ. Nam & ipse asserebat, hoc in Eremo, vnde nuper abscesserat, veraciter agnouisse, & ad hoc dehonestatis improperium subeundum alacriter aduenisse. Ille autem Sarabaita reprobus, qui sancto viro crimen intenderat, Episcopatum postmodum Nucerinum per simoniacam hæresim acquisiuit, & per biennium illum occupans, in primo anno ædem incensam cum libris & tintinabulis, ac cæteris sacris ornamentis, exigentibus suis meritis, vidit: in secundo autem dignitatem cum vita, diuina illum feriente sententia, perdidit.

*Calũniatur eum eius discipulus.*

Imposuere itaque discipuli sancto viro quasi de commisso crimine pœnitentiam, & celebrandi sacra mysteria penitus abstulere licentiam. Quod ille præiudicium libenter amplectens, & pœnitentiam velut reuera obnoxius crimini obseruauit, & ad sacrosanctum altare per sex ferè menses accedere non præsumpsit. Tandẽ verò, sicut ipse postmodum eisdem suis discipulis retulit, diuinitus sibi iussum est, vt si diuinam timeret gratiam perdere, indiscretam simplicitatem postponeret, & sacra Missarum solemnia fiducialiter celebraret. Postera igitur die sacrificare incipiens, cùm ad secunda Missæ secreta peruentum esset, in ecstasim raptus, tam longo temporis spatio siluit, vt omnes qui aderant, mirarentur. Interrogatus autem postmodum cur in offerendo sacrificium, tantas moras præter solitum habuisset. Raptus, inquit, in cælum, oblatus sum ante Deum, & continuò mihi diuina voce præceptum est, vt secundum hunc intellectum, quem mihi Deus immisit, psalmos exponerem, & pro modulo mei sensus chartulis per ordinem commendarem. Ego autem nimio & inenarrabili terrore constrictus, respondere nihil aliud potui, nisi tantummodo, Fiat, fiat. Vnde postea vir sanctus totum psalterium, & nonnulla propherarum cantica luculenter exposuit, & licet corrupta Grãmaticæ regula, sanum tamen sensum vbique seruauit.

*Agit pœnitẽtiam non admissi criminis.*

*Diuinitus iubetur interpositum Missæ sacrificiũ repetere.*

*Totũ psalterium & nonnulla Prophetarum cãtica luculenter exponit.*

Interrogauere eum aliquando discipuli, dicentes: Magister, cuius esse ætatis anima cernitur, vel in qua figura ad iudicium præsentatur? Respondit, scio hominem in Christo, cuius anima delata est ante

ante Deum splendida velut nix, humana quidem effigie, statura verò perfectæ ætatis. Inquisitus iterum, quis ille esset, indignans, & confundens eos noluit dicere. Mox discipuli rem, vt veraciter erat, inter se inuicem retulere, & ipsum fuisse hominem certa manifestatione cognoscunt. In Syria denique vir venerabilis per septem annos inclusus mānsit, & silentium continuum inuiolabiliter tenuit. Verumtamen tacente lingua, & prædicante vita, vix vsquam tantum laborare aliquando potuit, vel in conuertendis hominibus, siue ad pœnitentiam concludendis. Viuebat autem, vergente iam senectute, nimis districtè, videlicet cùm iam & ipsi perfecti viri solent remissius viuere, & aliquid sibi de sui proposito rigore laxare. Nam per vnius Quadragesimæ spatium, nihil aliud neque in cibo, neque in potu, penitus habuit, nisi de modica farina, & paucis herbis sorbitiunculam, ex qua ad imitationē Hilarionis vixit. Quinque verò hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum se infusi ciceris adstrinxit. Et ita Romualdus per multa alia viuendi genera quid sua virtus posset, per hæc & illa se iugiter exercendo tentabat. Studebat quippe discretus Christi miles ad nouum se certamen semper accingere, & cum iamiam cadere videretur, adhibita mox misericordia, vacillans corpusculum releuare. Duo autem, vel etiam tria quandoque habebat cilicia propter nascentem corporis importunitatem, quæ lauari nullatenus permittebat, sed ea potius ad imbrem proiiciens, post triginta dies mutare consueuerat. Nouaculam autem numquam in suum caput patiebatur ascendere, sed ipse sibi perrarò solebat excremēta capillorum & barbæ forficibus attondere. Siquando verò eum ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accuratè illum præparari præcipiens, ori & naribus apponebat, & solum captans odorem, dicebat: O gula, gula, quàm dulcis, quàm suauis modo tibi saperet iste cibus: sed væ tibi, ex eo nunquam gustabis, & sic intactum ad cellarium remittebat.

*Septem annis degit solus in silentio.*

*Gulam vt castigarit.*

Sed quanquam vir sanctus tantam erga se seruaret austeritatem, semper tamen hilarem vultum, semper serenam faciem ostendebat. Nam frater quidam Gregorius nomine, grauissimum capitis dolorem se perpeti aliquando conquestus est. Qui cùm ad beati viri cellulam, vbi alij fratres tunc erant, cum nimia lamentatione venisset: mox vt eum vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inæqualitati, sed insidiis antiqui hostis indubitanter adscripsit, & mox quasi deridens eum, vt erat semper alacri vultu, per fenestram cellulæ insufflauit in eius fontem, & vt cæteri omnes qui aderant, similiter facerent, innuit. Hoc autem facto, ita sanatus est, vt nullum penitus sentiret in suo capite doloris remansisse vestigium. Arbitror, quòd idcirco vir sanctus hoc facere voluit, quia per Spiritum sanctum, qui in eius pectore præsidebat, effugandum esse iniquum hostem, doloris immissorem credidit. Ad euitandum verò propriam laudem, & ludum finxit, & socios quæsiuit. Vir quidam capitis patiebatur insaniam, ita vt sensu rationis amisso, vel quid ageret, vel quid diceret, funditus ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, nisi quod solummodo osculum præbuit, & protinus illum ad incolumitatem pristinam reuocauit. Sicque cum inquieto homine dum pacem fecit, ad mentis eum suæ pacem reduxit. Referebat autem postmodum ille, qui sanatus fuerat, dicens: Quia cùm sacra beati viri labia tangere merui, statim prodire ex eius ore quasi vehementis auræ spiritum sensi, qui totam faciem meam, & ipsum denique synciput perflans, omnem cerebri æstuantis ardorem protinus effugauit.

*Ieiunij sancti senis in Quadragesima.*

*Solo flatu pellit dolorē capitis à fratre.*

*Osculo sanat amentem.*

Quidam eius discipulus in alia procul Eremo morabatur. Qui propinquorum necessitati aliquādo condescendens, pro eorum vtilitate tandem velut inuitus Romam ire quadragesimali tempore acquieuit. Quod mox vir sanctus per spiritum recognoscens, velut indignans, dixit adstanti cuidam fratri, quòd videlicet ille bonus vir pro huiusmodi negotio Romam ire præsumpsit. Ille autem admirans, vnde hoc magister cognosceret, cum quo videlicet nemo aliunde veniens colloquium habuisset, rem solicitè perquisiuit, & ita esse, sicut vir venerabilis dixerat, comprobauit. Pergit ille ad alium suum condiscipulum, videlicet Ingelbertum, qui inclusus manebat, & magistrum hæc dixisse, & sine dubio prophetiæ spiritum habere, prorsus affirmat. Ille autem hoc detestans & penitus denegans, fratrem corripuit, & quia hoc falsum esset, imprecationis se vinculis obligauit, dicens: Si Romualdus hoc per prophetiæ spiritum, & non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc recluforio perseuerare permittat. Dictum factumque est. Nam vix paucis diebus transactis, Ingelbertus, fracto recluforio, sine magistri licentia abiit, & eum in hac vita (sicut dicitur) amplius non vidit.

*Pœna temerarij discipuli.*

Alius frater Gaudentius nomine, Abbatis videlicet huius Monasterij Sancti Vincentij pater, cum magno feruore conuersus, ardentiori postmodum spiritu in Dei est seruitio conuersatus. Hic aliquando à beato Romualdo licentiam petiit, quia iam vellet cuncta pulmenta relinquere, & pane cum aqua contentus, pomis quoque siue crudis oleribus victitare. Hoc igitur impetrato, cùm in eodem proposito infatigabiliter permaneret, Tedaldus quidam alius frater infirmitati illius indiscretè cōpatiens, adire magistrum studuit, & quasi frater ille tam graue pondus portare non posset, hanc eius obstinationem frangi omnino debere suggessit. Romualdus autem vt puta vir simplicis animi, Tedaldi verbis assensum dedit, & Gaudentio talis vitæ licentiam abstulit. Ille verò indignè ferens, nequaquam ampliùs cum Tedaldo in Eremo, in qua eos Romualdus posuerat, passus est habitare, sed Ingelberto, qui à Romualdo disiunctus fuerat, se subdidit, & ab eo consensum præfatæ conuersationis obtinuit. Hic itaque Gaudentius non multo pòst tempore defunctus est, & in cœmeterio B. Vincentij iuxta corpus Berardi venerabilis viri, qui æquè Romualdi discipulus fuerat, est sepultus. Romualdus autem, quia ille in præuaricatione obedientiæ vitam finierat, orationem pro eo penitus fieri interdixit. Aliquāto autem post tempore Monachus quidam prædicti cœnobij, dum matutinam synaxim cum reliquis fratribus celebraret, repentè tam acrem dolorem sentire in dentibus cœpit, vt iam in choro ad psallendum stare omnino nó posset. Qui protinus exiens, super sepulchrum Berardi atque Gaudentij lamentando iacuit, dúmque ibi aliquandiu iacens oraret, mox eum somnus oppressit. Ilicò sanè videt Berardum sacerdotalibus ornamentis splendidissimè ornatum, & tenentem in manibus librum aureis literis scriptum, ante altare scilicet stare, & Missarum solemnia celebrare. At cernit Gaudentium mœrentem, demisso vultu post tergum Berardi procul manere, & velut excommu-

*Nō vult orari pro fratre inobediente.*



communicatum, sacris appropinquare mysteriis non audere. Qui mox locutus est ei dicens: Vides frater, illum Berardi librum mirabiliter deauratum? Ego quoque talem per omnia nunc haberem, nisi illum mihi heu, heu, Tedaldus Monachus abstulisset. Statimque frater euigilans sanus & incolumis, fugato omni dolore, surrexit. Deinde lætus visionem suam fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens, ilicò præcepit fratribus, vt iam Gaudentio fraternam charitatem impenderent, atque pro eo enixius orarent. Aliquando vir venerabilis cuiusdam causa necessitatis in viam ire disponens, vni discipulorum cellam commisit, & vsque in suum reditum in ea illum manere præcepit. Ille verò temerarius, dum debiti honoris reuerentiam magistro non seruat, audacter in eius strato iacere non dubitat. Ecce autem in illa nocte maligni spiritus super eum immaniter irruunt, grauissimis eum verberibus atterunt, & proiectum de lecto, pene seminecem derelinquunt. Similiter postmodum venerabilis vir iter acturus, alium in eadem cella discipulum dereliquit. Cui cum discipulus diceret: Magister ego in lecto tuo non iacebo, quia quod alij contigit, mihi etiam consequenter euenire formido, ille respondit: Fili mi, iace, & dormi securus. Ille enim in eo recubans, idcirco in manus inimicorum incidit, quia paruitatis meæ licentiam non accepit. Tu autem accepto consensu, in Deo spem pone, & sine pauore quiesce. Qui videlicet in eo sicut iussus fuerat iacuit, & nullum omnino casum aduersitatis incurrit.

*Tandē iubet vt orent fratres pro anima illius.*

*Quidam frater iacens in lecto sancti viri irreuerenter, verberatur à dæmonibus.*

*Alius frater obtenta licentia securè in eodem strato quieſcit.*

Secularis quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo se ad suscipiendum sanctæ conuersationis habitum tradidit: deinde domum, vt sua quæque disponeret, remeauit. Cumque eum vxor sua venientem vidisset, fœmineo nimirum furore succensa, exclamauit aduersus eum, dicens: Sic bone vir ab hæretico illo & antiquo seductore nunc venis, & me miseram & destitutam omni humano solatio derelinquis? Quæ hoc dicto, protinus in amentiam vertitur, & ita furere & conquassari cœpit, ac si patenter à dæmonio vexaretur. Habebat autem vir sanctus huiusmodi consuetudinem, vt si quando fratres in viam dirigeret, benedictum illis siue panem, siue pomum, seu quodcumque aliud daret. Vnde discipuli, vt experti multoties fuerant, certum tenebant, quod si ex benedictione magistri cuiliber ægroto porrigerent ad salutem, illum incolumem redderent. Nam & ex aqua, vnde manus eius abluebantur, plures languidi sæpe restituti sunt sanitati. Quod tamen cautissimè oportebat fieri, ne si vir sanctus hoc aliquatenus comprehenderet, in grauissimam tristitiam deueniret. Cùm igitur diu fœmina miserabiliter vexaretur, quidam fratres, qui aderant, de benedictione panis, quam à magistro susceperant, ei particulam tradiderunt. Quam cum mulier comedisset, mox mente sedata, ab omni redditur insaniæ furore liberrima. Itaque protinus omnipotenti Deo, & Romualdo famulo eius recuperatæ sanitatis gratias retulit, & viro suo conuersionis licentiam vlteriùs non negauit.

*Vltio diuina in fœminam sanctum virum criminantem.*

*Nota vim benedicti panis.*

Alio quoque tempore puer quidam dæmoniacus ad beatum virum delatus est, cui ille nihil aliud fecit, nisi quod pro benedictione illi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus confestim à dæmonio liberatus est. Iure quippe postquam benedictio Romualdi malè possessum corpus intrauit, inde confestim maledictus spiritus cauteriatus exiuit. Nunquam tamen diabolus à sancti viri poterat impugnatione quiescere. Et quia occulta iam aduersus eum fraude nihil poterat, non cessabat virus suæ malitiæ visibiliter demonstrare. Aliquando namque dum vir venerabilis in cella consisteret, ecce malignus spiritus, vt est reuera terrimus, hispidus, horribilis, immensum cœpit sancto viro terrorem incutere, & cum nimio furore, ac impetu, mortem ei minitans intentare. Cumque Romualdus auxilium de cœlo imperterritus quæreret, & vt sibi Christus succurreret, fiducialiter exclamaret, mox antiquus hostis aufugiens, ipsum cellæ parietem tanto iracundiæ felle percussit, vt grauem fagi tabulam vnius cubiti spatio, vel eo amplius fiderit. Aliquando etiam dum venerabilis vir cum suis discipulis equitaret, ecce malignus spiritus rubei canis effigiem simulans, cum magno impetu obuiam irruit, & equum, cui insidebat, vt penè vir sanctus excuteretur, exterruit. Interrogantibus discipulis, si eum vidisset, exhorrescentem quidem equum conspexisse se asseruit, sed nihil tale ei apparuisse testatus est, dicens: Miser ille, qui olim præclarus Angelus fuisse cognoscitur, nunc se immundi specie canis ostendere non veretur.

*Malignum dæmonem ipsi mortem intentantem profligat.*

Rursus alio tempore, cùm Monasterium ancillarum Dei, quod est in Valle bona, construere decreuisset, discordia mox inter sancti viri discipulos oritur: quia videlicet alij nolunt, alij verò, vt fieret, vehementer insistunt. Cumque ante venerabilem virum vtræque partes dissidentium, diuersa vtentes allegatione, contenderent: cœpit diabolus ante portellam cellæ quasi malleo sine cessatione percutere, & per reboantem syluam crebris audiebatur tunsionum ictibus insonare. Deinde cum iam omnes Monasterium fieri vnanimiter concordassent: ecce malignus spiritus cunctis audientibus vlulare, plorare, & flebiles non cessabat voces emittere. Postremò autem cùm iam diuisi ad suum quisque reuerteretur hospitium, prosequebatur eos antiquus hostis cum tanta tempestate & turbine, vt quasi omnia ventorum genera commouens, totam syluam radicitus euellere putaretur. Quidam verò fratrum increpans eum, dixit: Præcipio tibi in nomine Trinitatis, immunde spiritus, vt desinas venire post nos. Et ita fugatus est.

*Indignissimè fert diabolus fœminarum cœnobium construi.*

Taliter autem tunc in Syria viuebat, ac si ex similitudine non solùm nominis, sed etiam operis altera denuo Nytria videretur. Omnes siquidem nudis pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti erant. Nonnulli verò obseratis ianuis clausi, ita mortui videbantur mundo, velut in sepulcro iam positi. Vinum nemo ibi nouerat, nec si etiam grauissimam quis ægritudinem pateretur. Sed cur ergo de Monachis loquor, cùm & ipsi Monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum ieiunarent, silentium tenerent, disciplinas inter se inuicem facerent, & de quibuslibet verbis otiosis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi seculum! quod etsi tormenta persecutorum non nouerat: spontaneo tamen martyrio non carebat. Aureum, inquam, seculum, quod inter montium & syluarum feras, tot cælestis Hierusalem ciues alebat. Cum verò ibi fratres iam tanti essent, vt illic in vnum habitare vix possent: tunc Romualdus Monasterio ibi constructo, & Abbate præposito, inuiolatum seruans silentium, Bifurcum secessit ad habitandum. Illic etiam volens Abbatem spiritualiter viuere, & rectitudinis iter tenere: multam ab eo passus est persecu-

*Vita asperrima S. Romualdi, & discipulorum eius.*

persecutionis iniuriã. Interea Imperator Henricus de vltramontanis partibus in Italiam veniens, misit beato viro deprecatoriam legationem, vt ad eum venire dignaretur, promittens se facturum quæcumque præciperet, si suum ei colloquium non negaret. Cúmque vir venerabilis prorsus abnueret silentium frangere, cœpere vnanimiter discipuli eius omnes eum obsecrare, dicentes: Magister, vide quia nos, qui te sequimur, tanti iam sumus, quòd hic congruenter habitare non possumus: quapropter si placet, ab Imperatore magnum aliquod Monasterium quære, & multitudinem te sequentium ibi constitue. Quibus vir sanctus, nescio si accepta reuelatione, aut subita Dei inspiratione fidenter scripsit: Scitote quia montis Amiati Monasterium ex dono Regis habebitis: considerate tantummodo, quem illic Abbatem constituere debeatis. Igitur inuiolato silentio perrexit ad Regem. Cui Rex protinus assurgens, ex magno cordis affectu, in hanc vocem erupit dicens: O vtinam anima mea esset in corpore tuo. Quem mox vt loqueretur, suppliciter obsecrans, ipso die hoc impetrare non potuit.

*Venit ad Hẽricum Imperatorem.*

Postera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Theutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita salutantes humiliter flectunt, villos quoque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxiè decerpentes, pro sacris reliquiis in patriam portaturi, studiosè recondunt. Quæ videlicet res venerabilem virum tanto mœrore affecit, vt nisi discipulis obstantibus acquieuisset, ad cellam protinus repedasset. Ingressus igitur ad Regem, non pauca ei loquutus est de restituendo iure Ecclesiarum, de violentia potentum, de oppressione pauperum. Et post multa vnum sibi pro suis discipulis Monasterium petiit. Cui postmodum Rex montis Amiati Monasterium tradidit, & Abbatem, qui multis erat malis obnoxius, foras eiecit. Vbi vir sanctus quanta aduersa perpessus sit non solùm ab eo qui eiectus fuerat, sed etiam ab illo quem ipse ex suis discipulis Abbatem constituerat, ille quidem perferre patientissimè potuit, nos referre etiãsi adesset facundia, non valemus. Sed qualiter illum Deus in cunctis adiuuerit, vno exemplo monstrare sufficiat, vt prudenti cuilibet, quid etiam in reliquis euenerit, innotescat.

*Vestes Sancti viri pellicea.*

Monachus quidam vesano aduersus eum furore succensus, pilum latenter exacuit, & id reponens, vt beatum virum interficeret, expectare congrui occasionem temporis cœpit. Nocte verò dum depressus sopore quiesceret, ecce videt malignũ spiritum in se immaniter irruentem, qui retortam cordã in collum eius mittens, tanta ferocitate conabatur guttur eius adstringere: vt iam ille cogeretur funditus expirare. Tunc Monachus in extremo iam spiritu positus, Romualdum, vt sibi succurreret, obsecrauit: Qui (vt Monacho videbatur) protinus aduolans, de manibus eum iniqui hostis eripuit. Hic igitur mox experrectus, ad pedes venerabilis viri prostratus aduoluitur: vt allisionem ceruicis aspiciat, deprecatur. Confitèri etiam crimen suæ malitiæ non veretur. Postremò conseruatæ vitæ sibi gratias retulit, & pœnitentiam tanti reatus accepit. Et ita qui Romualdo vitam insidiabatur eripere, iam per eundem sanctissimum virum & suam meruit conseruare, & cui inferre mortem studuit, per eum suæ periculum mortis euasit.

*Liberat Monachũ ipsum occidere volentem.*

Habebat autem vir sanctus consuetudinem, cùm Monasterium teneret, vt nisi cùm ieiunaret, ad communem mensam cum fratribus quotidie veniens, vnum quidem pulmentum comederet: postmodum verò lectioni, vel quid etiam apud vnumquemque ageretur intentus, de reliquis non gustaret. Quadragesimali autem tempore, nisi necessitate ineuitabili cogeretur, in cellula ingiter morabatur. Dum igitur prædictum cœnobium vir beatissimus regeret, quadragesimali iam appropinquante ieiunio, quærebat cum discipulis per vicina montium loca, vbi Eremum facere potuisset. Dumque longas in quærendo moras protraheret, repente aquis vndique circumfluentibus ita concluſi sunt, vt nec ipsi iam redire, nec de Monasterio quisquam ad eos posset aliquatenus transuadare. Viuebant autem ex aliquantis castaneis, quas secum detulerant. Cumque dies Dominicus aduenisset, & alia cibi spes nulla iam superesset, fratres pauculas, quæ remanserant castaneas, deglubere, iam quodammodo credentes vltimum ex eis conuiuium præparare. Romualdus autem, vt erat semper alacri vultu, fidenter ait, quia nisi Deus sibi panem per aliquem mitteret, ipso die nullatenus manducaret. Discipuli verò mirantes inter se, in qua spe hoc ille præsumeret, certi tamen quia magister incautè aliquid vouere non posset: cibum iam tantæ solemnitati congruum cœpere fiducialiter expectare. Sexta igitur dici hora iam appropinquante, ecce tres viri onusti pane & vino, & aliis cibis, aduenerunt, qui se de longinquis partibus cum multo labore ad eos peruenisse dicunt. Tunc itaque spiritali omnes repleti gaudio, benedicentes Deum, pariter cibum sumunt, & beatum virum per reuelationem hoc penitus agnouisse indubitanter agnoscunt.

*Diuinitus ipsi & sciũt afferuntur cibaria.*

Quodam tempore venit vir venerabilis Sytriã. Qui cùm adhuc ieiunus esset, & fratres, vtpote in arduis montibus, piscem quem ei ad comedendum apponerent, non haberent, cœpere inter se quodammodo confusi erubescere, & quid pro tam venerabili hospite parare potuissent, anxiè cogitare. Tunc frater quidam, puto diuinitus inspiratus, ad siccum penè riuum, qui iuxta præterfluebat, cum festinatione cucurrit, vbi nimirum & aquæ exiguum erat, & piscis illic visus nunquam penitus fuerat. Cœpit itaque frater Deum deuotè deposcere, vt qui Israëlitico populo aquam potuit ex arida petra producere, ipse sibi dignaretur piscem in arenti riuulo demonstrare. Confestim igitur missa manu, in exigua aqua piscem reperit, qui beato viro ad refectionem abundanter sufficere potuit, Deo scilicet seruo suo prouidente conuiuium. Inuentum quippe est in saxeo & arido monte, velut in piscosa valle viuarium. Sed quia de vita beati viri hæc, quæ nimirum pauca de multis dicta sunt, sufficere credimus, iam ad transitum veniamus. Vir denique sanctus per multa alia habitauit loca, & multa alia, præcipuè à suis discipulis, perpessus est mala, plura quoque per eum sunt facta miracula, quæ nos describere ideò prætermittimus, quia lõgioris styli prolixitatem vitamus. Post cuncta igitur habitationum suarũ loca, cùm iam finem suum imminere conspiceret, tandem ad Monasterium, quod in Valle de Castro construxerat, rediit, ibique appropinquantem obitum indubitanter expectans, cellam sibi cum oratorio ædificari, in qua recluderetur, & silentium vsque ad mortem seruaret, mandauit. Sanè viginti annis, antequàm vitam finiret, discipulis suis manifestè prædixerat, quia in præfato Monasterio oporteret eum quiescere, nulloque adstante, vel funeris exequias procurante expediret eum spiritum exhalare. Facto itaque

*Exod. 17. Num. 20. Pisces miraculosè capiuntur ad suffragationem viri sancti.*

*Suum obitum longè antè prænouit.*



itaque recluſorio cùm mens eius in eo esset, vt mox includi deberet, cœpit corpus eius magis magisque molestiis ingraueſcere, & deorsum iam velut non tam languore, quàm decrepiti longæuitate senij declinare. Nam à medio ferè anno, nimia sibi phlegmatis abundantia cum ipso læsi pulmonis marcore defluxerat, & graui eum tussis anhelatione vexabat. Non tamen propter hoc vir sanctus vel lecto decumbere, vel inquantum possibile erat, soliti rigorem ieiunij acquieuerat relaxare.

Quadam igitur die cœpit paulatim corporis virtute destitui, & ingruente molestia grauius fatigari. Sole itaque iam ad occasum vergente, præcepit duobus fratribus, qui adstabant, vt foras exirent, & cellulæ post se ianuam clauderent: celebraturi verò sibi matutinos hymnos, ad eum diluculo remearent. Cumque illi de eius fine soliciti velut inuiti exirent, non statim ad quieſcendum properant, sed magistrum ne obire contingeret, anxij pretiosi thesauri talentum prope cellulam latentes obseruant. Aliquandiu igitur commorantes, cùm deinceps curiosis auribus attentius auscultarent, & neque motum corporis, neque sonum vocis audirent, iam quod euenerat, veraciter opinantes, impulsa ianua velociter irruunt, lumen accendunt, & beata anima in cælum rapta, supinum iacere sanctum cadauer inueniunt. Iacebat itaque velut neglecta cælestis margarita, in summi postmodum Regis ærarium honorificè reponenda. Nimirum qui sic obit, vt prædixit, illuc transiuit, quò sperauit.

*Felicissimè obdormit in Domino.*

*Grandis eius ætas.*

Vixit autem vir beatissimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in seculo, tres duxit in Monasterio, nonaginta septem in Eremitico transegit proposito. Post sacratissimum autem viri venerabilis obitum, quanta miraculorum signa per eum Dominus ostenderit, quis quærat transacta legere, cùm frequenter valeat & noua videre? Quia igitur ea, quæ apud sepulcrum eius fiunt, miracula tanta sunt, vt melius putemus cuncta silentio præterire, quàm pauca narrare, duo solummodo, quæ per eundem beatissimum confessorem alibi facta sunt, sufficiat vobis exponere.

*Miracula ad eius sepulcrũ innumera.*

Frater quidam, qui sancti viri discipulus fuerat, paruam basilicam pro anima sua Monasterio dederat, ad quam videlicet basilicam, extremitatem manicæ præcisam ex beati viri cilicio misit, & sub altari honorificè recondi præcepit. Quam tamen gerulus sub altari, sicut iussus fuerat, collocare neglexit; sed missam in rima parietis incautè dereliquit. Factum est postea, vt dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur Ecclesiam. Cumque adstans in medio, huc illucque rotans caput, cuncta vndique circunspiceret, tandem toruos oculos in ipsum parietem terribiliter cœpit infigere, & intentus illuc vbi sancti cilicij iacebat particula, crebris non cessabat vocibus exclamare: Ille me eiicit, ille me eiicit: & ita clamans, protinus ab eo expulsus est. Hinc ergo iurè perpenditur, quid per semetipsum apud diuinam clementiam impetrare non possit, ante cuius breuissimam vestimenti particulam dæmon stare non potuit; & qui talia absens exhibet, quid per corporis præsentiam non exercet?

*Nota miraculũ ex sancti viri cilicio.*

Alio quoque tempore Castaldius quidam pauperculæ mulieri vaccam violenter abstulit, & eam vociferantem, multisque precibus obsecrantem audire contempsit. Illa protinus accurrens, duos gallinarum pullos ad Ecclesiam, quam supra memorauimus, detulit, & eos ante altare proiiciens, huiusmodi verbis clamare flebiliter cœpit: Eho sancte Romualde, exaudi miseram, ne despicias desolatam, & redde mihi gubernatricem meam iniustè sublatam. Mira res: vix adhuc villicus cum ipsa rapina, per emissæ sagittæ spatium à domo mulieris abierat, quod continuo percussus, vaccam in eodem loco dimisit: deinde domum perueniens protinus expirauit.

*En quid possint sancti inuocati.*

Post quinquennium verò à sancti viri obitu, data Monachis ab Apostolica sede licentia, vt supra venerabile corpus eius, altare construerent, Atho quidam frater syluam petiit, quatenus modicam capsam faceret, quæ sancti Confessoris ossa, & puluerem tantummodo capere potuisset. Nocte igitur insecuta, dormienti cuidam fratri venerabilis quidam senex apparuit, quem protinus interrogans, ait: vbi est huius Monasterij Prior? Quod cum ille se scire negaret, ilico senex addidit: Pro fabricanda capsa ire in syluam studuit, sed beati viri corpus in tam exiguum vasculum non intrabit. Postera igitur die Prior, composita capsa, reuertitur, & mox à fratre, qui visionem viderat, quæ illum causa ad syluam inuitasset, inquiritur. Quod cum ille velut labore defessus dicere noluisset, ilico frater & sui causam itineris retulit, & quod ipse viderat, exponendo per ordinem non celauit. Defosso igitur tumulo, ita propemodum totum sancti viri corpus sanum illibatumque reperiunt, velut tunc fuerat, cum sepulturæ illud primitus tradiderunt, excepto quod tenuis quædam mucoris lanugo in quibusdam eius membris excreuisse videbatur. Reiecta igitur modica capsa, quæ facta fuerat, ilicò vas aptum ad mensuram beati corporis præparant, & in eo sanctarum reliquiarum patrocinia recondentes, desuper altare solemniter consecrant. Obiit autem vir beatissimus decimo tertio Calendarum Iuliarum, regnante Domino nostro Iesu Christo cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

*Corpus sancti viri integrũ post quinquẽnium ab eius obitu.*

## NOTÆ.

Romualdus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 19. Iunij, Molanus in Addit. ad Vsuard. Galesinus, Maurol. Felici. Tabulæ Camaldulenses. Agunt præterea de eodem Petrus in Cat. lib. 5. c. 128. S. Antoninus part. 2. hist. tit. 15. §. 15. Vvion. in Mart. Monastico, Augustinus Florent. in Hist. Camald. Obiit anno 1027. ætatis suæ 120. Fuitque institutor Ordinis Camaldulensis. Quare verò sic vocatus, Petrus Damianus non scribit: refert verò Vvionius lib. 1. Ligni Vitæ de Instit. Ordinum sub regula S. Benedicti militantium. In agro Aretino consedit anno 1008. ac cuiusdam Casam Maldi in Eremo incoluit, qui, vt fatebatur, per quietem visus est sibi cernere scalas in cælum surrectas, in quibus innumeri mortales candido amictu cælum scanderent: qua imagine non minus quàm diuino quodam oraculo motus Romualdus, locum ab hospite & petiit, & impetrauit anno 1009. Oratorium condidit: candidam cucullam iis qui initiandi essent, in argumentum nocturnæ illius imaginis, ferendam dedit (cum antea Monachi nigro amicirentur colore,) insuper & Camaldulensium nomen, vocabulo ab hospitis Maldi casu sumpto, eos ferre præcepit anno Domini 1012. Porro in Breuiario Monastico eius festiuitas 7. Februarij celebratur, qui die sacrum eius corpus Fabrianũ translatum fuit. Hæc autem celebrata est anno Domini 1481.*

Rauennæ ciuitatis oriundus.] *Est Rauenna vrbs in octaua regione Italiæ, Sabinorum Colonia teste Plinio lib. 3. c. 15. in ora litoris Adriatici* CII. M. *distans ab Aenone, olim tota ligneis compacta ædificiis, aquis diffusa, pontibusque ac lembis peragrata. Hanc quidam à Thessalis conditam perhibent, alij post excisam Troiam, alij post confusas hominum linguas in Babylone, constructam.*

*fabulantur. Hinc ortus est Cassiodorus Senator qui multa eruditissimè scripsit. Esse autem vrbem vetustam, res ab Ostrogothis gestæ commemorant, qui ibi Regiam posuere. Liuius Auctor est ab Augusto muris cinctam fuisse, quos Valentinianus Imperator postea ampliauit, eiusque Archiepiscopo duodecim ciuitatum Episcopos subiecit, Arimini, Cæsennæ, Fori Liuij, Fori Cornelij, Fauentiæ, Brintij, Bononiæ, Mutinæ, Regij, Parmæ, & Placentiæ. Hodie cum aliis plerisque eiusdem tractus vrbibus, Venetis paret, à quibus tam egregiè est munita, tam splendidè instaurata, vt cum amplissimis munitissimisque Italiæ vrbibus iure possit conferri. Hæc habuit B. Apollinarem primum Episcopum, fuitque patria Sanctorum Vitalis, & Gerualsij, & Prothasij. Hinc ortus est Petrus ille Rauennas illustris Fori Cornelij Episcopus, qui multa in Theologia diligenter scripsit.*

Beatus Apollinaris. ] *Fuit, vt supra dictum est, primus Rauen. Episcopus, qui cum Principe Apostolorum Antiochia Romam venit, à quo Rauennam missus, illic glorioſum martyrium subiit. Cuius festiuitas 23. Iulij celebratur.*

Per solarij speculam. ] *Solarium est vaporarium quoddam in aprico loco situm, ad calorem solis excipiendum. Specula verò, est locus editus, & eminens, vnde aliquid eminus prospici possit, siue turris, siue fenestra.*

Pugillum elixi ciceris. ] *Cicer est genus leguminis, de quo Plinius lib.* 18. *Gallicè*, Poix chiche.

Librum de Vita Patrum legens. ] *Hic satis vulgaris est, & magnæ vtilitatis: in cuius lectione multi sancti profecerunt. Nouissimè ab Heriberto Rosweido Societatis Iesu, auctus, & correctus, atque egregiis Annotationibus exornatus est.*

Diapason. ] *Est Musicæ mensuræ genus, constans ex diapente, & diatessaron, hoc ex quinque tonis, & duobus semitonis minoribus.*

Diapente. ] *Musicæ mensuræ genus, tribus constans tonis, & semitonio minore.*

Diatessaron. ] *Auctore Macrobio, Musicæ mensura est constans duobus tonis, & semitonio minore.*

Missis parasitis. ] *Est Parasitus qui aliorum mensas & cibaria sequitur, quique eius in cuius contubernio est, omnia facta simul ac dicta laudat, nihil repugnat, nihil ventris causa facere recusat, in quo summum bonum constituit. Vnde nomen accepit quod* παρὰ τὸ σῖτος, *hoc est, à cibo totus pendeat.*

De paucis herbis sorbitiuncula. ] *Sumitur sorbitiuncula pro potiuncula, vel cibo liquido, qui facilè sorbetur.*

Onustis thesauro sagmariis. ] *Hic sagmarij pro equis & mulis accipiuntur. Nam Σάγμα Græcè, est sella, quam vulgus Bastum appellat, super quo componuntur sarcinæ. Sed & pro sarcina quandoque ponitur.*

Storea de papyriis. ] *Gallicè storea dicitur* vne Nate, ou couuerture qu'on estend sur la terre. *Papyrius verò, siue Papyrus, à nostris dicitur iuncus, vel scirpus.*

*Habetur intexta in vita S. Romualdi, sed ad maiorem lectoris commoditatẽ eã seperatim hic ponere libuit.*

*S. Bonifactus Oth. Imp. consanguineus.*

## *VITA S. BONIFACII ARCHIEPISCOPI ex Anachoreta. Ex B. Petro Damiano.*

BONIFACIVS consanguineus Othonis III. Imperatoris fuit, & ita charus, vt Rex illum alio nomine non vocaret, nisi Anima mea. Erat autem apprimè liberalium artium doctrinis institutus, maximéque in modulationis musicæ studiis approbatus. Is itaque cùm in capella Regia moraretur, videns Ecclesiam antiqui martyris Bonifacij, mox exemplo sui æquiuoci ad martyrij desiderium prouocatus, ait: Et ego Bonifacius vocor: Cur ergo etiam ipse martyr esse non debeo? Post hæc igitur Monachus factus, sub disciplina S. Romualdi tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit, vt sæpius Dominicis diebus tantùm, & quinta feria, per hebdomadam manducaret. Nonnumquam verò si vrticarũ, vel etiam veprium cerneret densitatem, illuc se proiiciens volutabat. Ex quo cùm quidam frater eum corriperet dicens: Hypocrita quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? Nihil aliud respondit quàm, tui sunt confessores, mei sint martyres.

*Factus Monachus, vitæ austerissimæ.*

Cùm verò post diuturnam Eremiticæ conuersationis vitam ad prædicandum iam ire disponeret, Romam primùm pergere studuit, & ab Apostolica sede consecrationem Archiepiscopatus accepit. Retulit autem mihi quidam senex Monachus, qui eum illuc de Rauennæ finibus comitatus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis, cum omnibus quidem qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse iugiter psallens, & cæteros longè præcedens, nudis semper pedibus incedebat.

*Accipit licentiam à sede Apostolica prædicãdi Euãgelium, & consecratur Archiepiscopus.*

*Nudis pedibus incedit.*

Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, sed per singulos dies de medio pane & aqua viuens, in diebus festis, ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma quælibet, vel herbarum radices, addebat. Postquam autem consecratus est, quotidie obseruabat & Monasticum pariter, & canonicum in celebrandis horarum officiis ordinem. Cùm verò iam vltramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur; sed venerabilis Pontifex nudis cruribus semper & plantis, adeò intolerabilem frigiditissimæ regionis sufferebat algorem, vt volens descendere, non pedem à subhærente ferro disiungeret, nisi aqua calida subueniret. Ad Gentiles autem postremò peruenies, cum tanta cœpit feruidi pectoris constantia prædicare, vt iam nullus ambigeret, quin vir sanctus martyrium flagitaret. Illi autem timentes ne sicut post martyrium beati Adelberti, coruscantibus miraculorum signis, Sclauonicæ gentis plerique conuersi sunt, ipsis quoque similiter eueniret; longo tempore à beato viro manus artificiosa malitia reprimunt, & cupidissimo mori, nolentes occidere, crudeliter parcunt.

*Valde ambitat ad martyrium.*

Cúmque ad Regem Russorum vir venerabilis peruenisset, & constanti animo prædicationi vehementer insisteret, videns eum Rex squalidis vestimentis indutum ac nudis pedibus incedentem, opinatus est quia vir sanctus talia non Religionis causa perferret, sed idcircò potius vt pecunias congregaret. Promisit igitur ei, quia si ab eiusmodi vanitate recederet, ipse paupertatem eius largissima diuitiarum liberalitate ditaret.

*Venit ad Regem Russorũ.*

Verùm Bonifacius mox ad hospitium sine mora reuertitur, & pretiosissimis Pontificalibus ornamentis decenter induitur, & sic ad Regis palatium denuò præsentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus ornatum, ait: Nunc scimus quia te ad vanam doctrinam, non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi, quæ asseris, erigantur duæ excelsæ lignorum cataſtæ, breuissimo à se interstitio separatæ, & igne suppositio, cùm vaporatæ fuerint, ita vt vtriusque struis vnus ignis esse videatur, tu transi per medium. Quòd si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus. Sin autem (quod credi non potest) sanus euaseris, omnes nos Deo tuo absque difficultate credemus.

*Pontificalibus indutus vestimentis se iterum Regis conspectibus repræsentat.*



demus. Cumque hoc fœdus non solum Bonifacio, sed & cunctis qui aderant Gentilibus placuisset, Bonifacius ita vestitus vt Missarum solemnia celebraturus, priùs cum sanctificata aqua, & incenso thure vndique perlustrans ignem, dein stridentes flammarum globos ingressus, ita exiuit illæsus, vt nec minimus capitis eius capillus videretur exustus. Tunc Rex & cæteri qui spectaculo interfuerant, cateruatim se ad beati viri pedes proiiciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, & baptizari se intentissima supplicatione deposcunt.

*Illæsus ignem ingreditur.*

*Baptizantur Rex & alij infideles.*

Cœpit itaque tanta gentium multitudo ad baptismum confluere, vt vir sanctus ad spatiosum locum quendam pergeret, & in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decreuit autem Rex vt Regnum relinquens filio, ipse quandiu viueret à Bonifacio nullatenus separaretur. Frater autem Regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso Rege peremptus est. Alius verò frater qui iam erat à regni cohabitatione diuisus, cùm ad eum vir venerabilis veniſſet, audire verbum eius noluit: sed de fratris conuersione, nimia aduersus eum ira succensus, continuo comprehendit: deinde timens ne si viuum teneret, Rex eum de nauibus eius eriperet, in sua præsentia circunstante non parua hominum multitudine decollari præcepit. Statim verò & ipse cæcatus est, & tantus eum cum omnibus qui adstabant stupor oppressit, vt nec loqui, nec audire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus possent. Rex autem hoc audiens, nimio dolore percussus, non solum deliberat fratrem occidere, sed & cunctos qui sibi tanti reatus fautores extiterant, gladiis trucidare. Sed cum illuc protinus aduenisset, & corpore Martyris adhuc in medio posito, fratrem simul cum reliquis hominibus sine sensu & motu, stupefactos adstare conspiceret: hoc sibi cum suis omnibus placuit, vt prius pro eis oratio fieret, si forsitan illis diuina misericordia sensum, quem amiserant, reformaret: deinde si acquiescerent credere, indulto crimine viuerent: sin autem, omnes gladiis interirent. Cum igitur & ab ipso Rege, & à cæteris Christianis diutiùs fuisset oratum: non solum prior sensus stupefactis hominibus redditur, sed insuper consilium flagitandæ veræ salutis immittitur. Nam continuo pœnitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi sacramentum cum magna alacritate suscipiunt: super corpus quoque beatissimi Martyris Ecclesiam construunt. Verum ego si huius mirabilis viri cuncta quæ dici veraciter possunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forsitan lingua, non deficiente materia.

*Martyrio coronatur S. Bonifacius.*

*Vltio diuina in interfectores S. viri.*

*Tandẽ & ipsi baptismi gratiã recipiunt.*

*Ioannes & Benedictus S. Romualdi discipuli pergũt ad Busclauũ Regem.*

*Discunt linguam Sclauonicam.*

### *NOTÆ.*

Bonifacius. ] *De eo Martyr. Rom. cum Baronio 19. Iunij. Fuit Bosnensis Archiepiscopus, & consanguineus Othonis Imperatoris circa annum Domini* 100. *Meminit eiusdem Petrus in Cat. lib. 5. c. 28.*

Duæ excelsæ lignorum cataſtæ. ] *Hoc loco cataſta sumitur pro machina lignea, seu congerie lignorum apta ad comburendum.*

*Habetur intexta simul cum Vita S. Romualdi.*

*Busclauus Rex Sclauoniæ petit sibi mitti viros, pro sua regnique conuersione.*

## *VITA SANCTORVM EREMITARUM Ioannis & Benedicti. Ex B. Petro Damiano.*

BEATO Romualdo in Pereo habitante, Busclauus Rex preces Imperatori direxit, vt sibi spirituales viros mitteret, qui regni sui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum Imperator aggreditur, & concedi sibi de suis Monachis qui illuc destinari vtiliter valeant, deprecatur. Ille verò nulli suorum hoc præcipere velut ex prælationis auctoritate voluit, sed in eorum voto ponens, siue manendi, siue abeundi eis optionem dedit. Ignorabat enim ex tam metuendo negotio voluntatem Dei, & ideo non illud suo, sed fratrum potius arbitrio committebat. Instante igitur Imperatore, & humiliter obsecrante, tandem duo solummodo inuenti sunt ex omnibus, qui se vltro ad eundum promptos obtulerunt. Quorum vnus Ioannes, Benedictus alter vocabatur. Hi itaque ad Busclauum euntes, in Eremo priùs, eo sustentante manere cœperũt, & vt prædicare postmodum possent, Sclauonicam linguam laboriosè discere studuerunt. Septimo verò anno, cum iam loquelam terræ plenè cognoscerẽt, vnum ad Romanam vrbem Monachum mittunt, & per eum à summæ sedis Antistite prædicandi licentiam petunt. Iniungunt etiam, vt nuncius aliquos secum de beati Romualdi fratribus duceret, qui Eremiticam conuersationem edocti, cum eis simul in Sclauorum partibus habitarent.

Busclauus autem, volens coronam sui regni ex Romana auctoritate suscipere, prædictos venerabiles fratres obnixa cœpit supplicatione deposcere, vt ipsi plurima eius dona Papæ deferrent, & coronam sibi à sede Apostolica reportarent. Qui regiæ petitioni assensum penitus denegantes, dixerunt: Nos in sacro ordine positi sumus, tractare nobis secularia negotia minimè licet. Et ita relinquentes Regem, ad cellam reuersi sunt. Quidam verò Regis familiares agnoscentes ipsius desiderium, sed quid sancti viri respondissent, ignorantes, copiosum auri pondus, quod mittendum Papæ fuerat, secum eos detulisse ad cellulam falso opinati sunt. Deinde intra se conditione pacta condicunt, vt noctu Eremum latenter ingressi, & Monachos interficerent, & pecuniam asportarent. Quos cum beati viri tentantes irrumpere persensissent, aduentus eorum causam protinus agnoscentes, confessionem inter se facere, & sanctæ crucis se cœpere vexillo communire. Erant autem ibi duo pueri, eorum obsequio ex aula regia deputati, qui prout vires dabant, stare pro sanctis, & furibus resistere nixi sunt. Fures verò reperto tandem aditu irruentes, extractis gladiis omnes pariter occidere. Tunc thesaurum anxiè perquirentes, sed euersis omnibus nihil inuenientes, vt tanti reatus crimen obtegerent, & humana suspicio non armis, sed flammis potius, quod fuerat deputaret, cellam incendere, & ipsa Martyrum conati sunt cadauera conflagrare. Sed admoti ignes, amissis naturæ viribus, nihil omnino consumere vllis hominum studiis potuere. Ita enim eos ipsa etiam parietum materies repellebat, ac si pro lignis durissimi silices essent. Fruſtrati itaque fures, in fugam se conferre nituntur: sed & hoc illis ex diuina prouidentia denegatur. Tota siquidem nocte per fruteta nemorum, per latitudinem saltuum, per opaca syluarum, viam anxiati sunt quærere, quam nullatenus valuere errabundis vestigiis inuenire. Sed neque pugiones in vaginas recondere, arefactis brachiis, potuerunt. Vbi verò sanctorum iacebant corpora, copiosum lumen vsque in diem splendescere, & dulcissima Angelicæ cantilenæ non desiit suauitas resonare.

*Notent hanc egregiã sententiam Monachi.*

*Sancti viri ab impijs iugulantur.*

*Ignis nullo modo sanctorum corpora lædere potest.*

*Diuinitùs detinẽtur eorum interfectores.*

Adueniente autem die, quod factum fuerat, Regem latere non potuit. Qui ilicò ad Eremum cum numerosa populi multitudine festinauit, & ne fures euaderent, facta corona hominum, totam syl-

uam vndique circumcinxit. Qui tandem reperti A
sunt manifesti criminis rei, & ad gladios suos vl-
tione diuina ligati. Rex autem quid de eis faceret,
habita consideratione deliberans, hoc postremò
decreuit, vt nequaquam eos, sicut merebantur, oc-
cidi præciperet, sed ferreis catenis vinctos, ad se-
pulchra martyrum destinaret, quatenus aut ibi vs-
que ad obitum in vinculis miserabiliter viuerent,
aut si sanctis martyribus aliter videretur, ipsi eos
sua misericordia liberarent. Qui cùm ad sanctorum
*O ineffabilē Dei erga peccatores misericordiam.* tumulum fuissent ex præcepto Regis attracti, mox
ineffabili diuinitatis omnipotentia fractis sunt ne-
xibus absoluti. Deinde facta super corpora sancto-
*Miracula ad corpora sanctorum.* rum basilica, innumerabilia non solum tunc, sed
& nunc ibi fiunt ex diuina virtute prodigia.

Imperator autem Henricus Busclaui consilium
non ignorans, vndique vias custodiri præceperat,
vt si Busclauus Romam nuncios mitteret, in eius
ilicò manus deuenirent. Monachus igitur, qui
*Quidam Monachus dudū à sanctis Romam missus, detentus in carcere ab Angelo visitatur & liberatur.* nuper missus à sanctis martyribus fuerat, demum
captus est, & carcerali custodiæ mancipatus. Nocte
verò illum Angelus Domini in carcere visitauit, &
consummatos eos esse, quorum legatione funge-
batur, admonuit: statimque aperto diuinitus car-
cere præparatum sibi esse naugigium in fluuio, quem
transiturus erat, asseruit. Quò festinans Mona-
chus, Angelicæ promissionis fidem veram esse
probauit.

## NOTÆ.

Ioannes & Benedictus.] *De quibus agunt Petrus in Cat. lib. 5. cap. 129. Surius tom. 3. in Vita S. Romualdi. Baronius tom. 10. Annalium. Ioannes Herburtus, & denique Polonicarum rerum scriptores. Bozius de signis Ecclesiæ tom. 1. lib. 5. cap. 1. vbi hæc scribit. Nunc quod Petrus Damiani in vita Romualdi proximus huic ætati, & Hagecus tradunt, Dugloſſus verò & Cromerus aiunt accidisse anno millesimo octauo, referamus. Boleslaus Miescæ filius, duos è Romualdi Monachis, qui Christianam in iis locis doctrinam propagarent, impetrauit. Alteri horum Ioanni, alteri Benedicto nomen erat: ij locum in solitudine optarunt, in qua cum degerent, nonnulli suspicati sunt magnam apud eos vim pecuniæ se nacturos. Quocirca irrumpentes in eorum casas, cum nihil inuenissent, mali dæmonis impulsu, & ipsos, & qui cum illis erant, occiderunt, &c.*

## VITA B. RODVLPHI EPISCOPI & Eremitæ. Ex Epistola B. Petri Damiani ad Alexandrum Papam.

*Apud Surium tom. 3.*

DOMINO Alexandro beatissimo Papæ, Petrus peccator & Monachus seruitutem. A vobis nuper egressus cum Florentiæ vrbis mœnia subij, nuncius mihi mox repentinus occurrit, qui mihi diem medium in tenebras vertit, om- E
niumque meorum viscerum venas amarissimæ le-
gationis felle compleuit, Episcopum scilicet Eugu-
*En ad quid seruiat commemoratio exemplorum.* binum esse defunctum: cuius vtique conuersatio
si recolitur, non mediocriter ædificare poterit au-
dientes. Valet enim & ad exprimendam rectè viuendi formam, & ad exhibendam corrigendis moribus disciplinam. Ante septennium ferè ille cum
matre, & duobus se paulisper ætate præcedenti-
*S. Rodulphus se suaque offert Monasticæ religioni.* bus, seruis libertate donatis, Castrum suum inex-
pugnabili munitione vallatum, cum omnibus
quæ sui iuris erant, prædiis mihi contulit, at-
que ad Eremum veniens, habitum Monasticæ
professionis accepit. Monasterium autem planè
in eorum possessione construximus, de cuius
nunc sancto conuentu regulariter victitante, sa-
tis in Domino gratulamur. Vbi cum matre &
fratre constitutus iste Rodulphus, non multo
post ad Episcopatus culmen euectus est, simul-
que quod in Eremo didicerat, in Ecclesia quoque
strenuè tenuit. Eisdem quippe terebat membra ci-
liciis, eisdem semper contentus erat peregrinis ac
despicabilibus indumentis. Quin & dum iuueni-
lis ætatis ingruente natura, grauissimam sæpe pa-
teretur accediam, laquearibus cellulæ funiculos in-
nectebat, sicque vlnis insertis psalmodiæ studio
pendulus insistebat.

Numquam adipe, numquam ouis vel caseo ve-
scebatur. In eisdem verò quæ apponebantur edu- B
liis continens quoque cum frugalitas cruciabat, vt
discumbens, non tam se reficeret quàm decertaret,
& intestinum potius esset gulæ bellum, quod ex-
trinsecus videbatur esse conuiuium. Sæpe pugna- *Etiam factus Episcopus gestat cilicium.*
ui, vt saltem in hyemalis inclementia frigoris, aut
papyrinæ sibi storeæ stramenta supponeret, aut ve-
stitus saltem nocte dormiret. At ille in nuda li- *Dormit in nuda tabula.*
gni tabula nudus, sola contentus interula, cubita-
bat. Ecclesiam porrò deputabat hospitium, & soli-
tudinis cellulam habitaculum decernebat. Incon-
diti siquidem mores populi, & indisciplinatæ ceruices, leue iugum Domini nequaquam sibi patie-
bantur imponi, sed muneribus terrenis intenti, nō
C ex ore Pontificis, Dei verbo, sed tamquam de ma-
nibus Præsidis commodis inhiabant. Ideoque me
vim ingerente, coactus Ecclesiam quam voto di-
miserat, retinebat officio, in Eremo tamen perse-
uerantiùs habitans. Sed & quandocumque impetra- *Nota mirum studium abstinentiæ.*
re poterat, vt suo modo panis fieret, edebat pa-
nem, non fratrum, non puerorum, sed eum, qui ex
puro fieret hordeo, vel ex cantabro potius, quod
proiiciendum canibus de puerorum panibus remā-
sisset. Et licet præter celebriores dies, hoc esset
quotidie panè contentus, mensuram tamen adhuc,
etiam æquatis lancibus, attentius appendebat.

Vnde mecum quandoque conquestus est, quia
si sibi sine mensura concederetur, hunc eundem
D panem prurienti gulæ largius indulgeret. Tanta
quippe iuuenculum hominem castigabat inedia, vt
vndenam solatium alimenti perciperet, vacuo ven-
tre stomachus non curaret. Aliquando verò etiam
diebus Dominicis pulmentum nescius, pomis
tantum, & pane cum aqua viuebat. Ferreo autem *Cingit se circa pectus ferreo circulo.*
circa pectus circulo iugiter cingebatur, quem ta-
men circulum sub ventre dimersum, dum coram
fratribus ad disciplinam nudaretur, diligentius oc-
cultabat. Nunquam scilicet capitulo confessor
intererat, in quo non acciperet disciplinam, & tūc
festinus exultabat, si non ab vno tantum, sed à duo-
bus fratribus flagellari iuberetur. Sæpe pœniten-
tiam centum annorum suscipiebat, quam per vi-
E ginti dies allisione scoparum, cæterisque pœnitentiæ remediis persoluebat. Psalterium quoque quotidie, cum bis non posset, semel saltem non negligebat implere. Quod & cum esset in cellula con- *Quotidie dicit vt minimum vnum Psalterii integrum.*
stitutus, armata scopis vtraque manu, totum cum
disciplina recitare consueuerat. Porrò autem cum
in expeditione esset aliqua constitutus, quantalibet
intempestæ noctis profunditate consurgeret, nudis
semper cruribus & pedibus, vsque dum diluceſce-
ret, psallere non cessabat: quam consuetudinem,
dum in cella consisteret, diebus ac noctibus sine
cessatione seruabat, & quantumlibet grauis bruma
rigesceret, simplicibus tantùm soccis muniebat pe-
des.

Sæpe



*Rogat vt nihil sibi parcatur in disciplina monastica propter gradum suū Episcopalem.* Sæpe me per clementiam Christi terribiliter ad- A
iurabat, vt si quādo fortassis excederet, nequaquam
me ab eius correptione subducerem, sed omnem in
eo disciplinæ modum, qui Monachis debebatur,
implerem. Ita plane & regulam Monachi, & auc-
toritatem Episcopi, sub alterna vicissitudine laudabi-
liter obseruabat. Opportunè siquidē & importunè
verbo prædicationis instabat, & quicquid surripere
valebat expensis, bene prodigus in pauperes dispersebat. Congregans autem annualiter Synodū, nul-
lum assuetæ oblationis vel xeniorum Canonem à
Clericis exigi permittebat, sed nec ipse ab iis etiam
commodum aliquod præter solam pœnitētiam, re-
quirebat, atque absit, inquiebat, vt Synodum ven-
dam, quin lapsos potius erigam, quàm vt ex eorum B
cadaueribus, coruino more, pinguis fiam. At tædet
vlterius scribendo procedere, & velut paternās à
pictura manus dolor videtur Icarius cohibere. Et
sanè his, & huiusmodi virtutum floribus adorna-
tum, quasi candens lilium, immaturæ mortis pruina decoxit, ita vt cum vix 30. plus videretur annorum ad veræ lucis auctorem, ex hac infælici luce
migrarit. Consummatus in breui, sicut scriptura lo-
quitur, expleuit tempora multa, & raptus est, ne
malitia mutaret intellectum illius.

*Rapitur in ætatum.*

*Sap. 4.*

## NOTÆ.

Rodulphus.] *De eodem agunt Surius tomo 3. Arnoldus Vvionius in Mart. Monastico, & Haræus 26. Iunij.* C

Ex cantabro.] *Est cantabrum purgamentum farinæ vel tritici, vel est cibus caninus. Est autem differentia inter cantabrum & Cantaber. Nam Cantaber populus est Hispaniæ.*

## VITA S. DOMINICI LORICATI Eremitæ. Ex ea quæ est per Beatum Petrum Damian.

*Apud Surium tomo 5.*

VIR Dei Dominicus, pater & Dominus
meus ante annum defunctus, cùm esset in
seculo Clericus, quia tunc simoniaca vige-
*Nota de simonia.* bat hæresis, quæ & nunc vtinam prorsus esse extin- D
cta, vt Presbyter fieret, à parentibus eius data est
Episcopo hircinæ pellis aluta. Sed quia, sicut ait
*Rom. 8.* Apostolus, diligentibus Deum omnia cooperantur
in bonum, hæc vna beati viri culpa, multorum post
bonorum probatur extitisse materia. Nam hoc pa-
uore perterritus, contempsit seculum, induit Mo-
nachum, arduumque mox Eremiticæ vitæ, tanquam
bellator intrepidus arripuit institutum, ita tamen
*Vir Dei quia ordinatus simoniacè, nunquā præsumpsit ministerii altaris vsurpare.* vt, quia malè promotus fuit, donec vixit, sacrosanc-
ti altaris vsurpare ministerium non præsumpserit.
Virgo vsque ad obitum fuit, vitam Eremiticam
non omisit: vbi sub magisterio sancti viri Ioannis,
*Viuit in Eremo arctissimè.* qui dicebatur de monte Ferreti, per plurimos vixit
annos. In alia igitur Eremo, quæ scilicet erat in re- E
gione quæ dicitur Luceoli, constituta, decem &
octo videbantur cellulæ ad habitandum fratribus
deputatæ, vbi sub hac regula viuebatur, vt nun-
quam vinum biberent, nunquam adipe alimenta
condirent, vnum in Dominica die, & quinta feria
pulmentum sumerent, quinque per hebdomadam
diebus in pane & aqua ieiunium celebrarent, solis
autem orationibus vacantes, vel manuum operibus
insistentes, non agriculturam exercebant, non præ-
dia, vel aliquam substantiam præter vnum saginarium possidebant, cum quo asello vel equo vnus
erat minister, qui vel ad acquirendas, vel ad teren-
das fruges indeficiens discurrebat, Ioannes scilicet,

qui postmodum loci Abbas factus sub honesta re-
xit administratione conuentum.

Tenebant autem per totam hebdomadam di- *Seruat vna cum aliis sēper silentium integrarum hebdomadarum.*
stricta censura silentium: quod vtique Dominica
die post vesperam cibumque soluentes, habebant
loquendi inuicem, vsque ad Completionis Offi-
cium, libertatem. Nudis præterea pedibus, & cruri-
bus iugiter in cellulis morabantur. Dixit autem mi-
hi, quia cùm cohabitaret Ausoni, religioso videli-
cet viro, quem & ipse vidi, quotidie per omnes ho-
ras canonicas, disciplinam sibimet inuicem scopa-
rum ictibus ingerebant. Atque hic est vir Dei Do-
minicus, qui longè post magistro præbente consen-
sum, mihi misero dignatus est, & quem ipse susci-
pere dignaretur indigno, mira se prorsus humilita-
te committere, & sicut Abbati Monachum subiu-
gare. De cuius dictis vel factis, quia etiam per di-
uersa dictatus nostri iam opuscula sparsimus, non
videtur absurdum, si eadem quoque hîc, eo ipso
stylo quo scripta sunt, apponamus. In epistola ita-
que ad Dominum Teozenem Inclusum missa, hoc
me scripsisse reperio: Sed cur ego sanctos comme-
morando viros diuersa passim loca perlustro? *S. Dominicus licet rusticus, tamen insigniter prædicat sua sanctissima vita, nimirū semper cinctus ad carnem lorica ferrea.*
quandoquidem intra limen, & præ manibus teneo,
ad cuius dignè efferenda præconia impar viribus
non assurgo. Certè cellulis altrinsecus constitutis,
solo basilicæ mediantis interstitio ego illeque diui-
dimur. Cuius si virtutibus enumerandis inuigilo,
ante dies elabitur, quàm scribendi materia deficere C
posse videatur. Dominicum dico, Doctorem & Do-
minum meum: cuius quidem lingua rustica est, sed
vita artificiosa & lepida.

Quæ sanè vita satis vtiliùs ad ædificationem vi-
uis operibus prædicat, quàm sterilis quorumdam
lingua, quæ accurata phaleratæ vrbanitatis verba
inaniter trutinat. Longo iam annorum elabente
curriculo, ferrea ad carnem lorica præcinctus, in-
fœderabilem pugnam cum iniquis spiritibus con-
serit, semperque paratus ad prælium, non solum
corde, sed & corpore præmunito, aduersus hostiles
acies feruidus bellator incedit. Hanc autem conti- *Acerrimus est in seipso disciplinādo.*
nuæ vitæ consuetudinem indifferenter habet, vt
vix dies vlla prætereat, quin duo psalteria modu- D
lando, vtraque manu scopis armata, nudum corpus
allidat. Et hoc remissiori quidem tempore. Nam
quadragesimalibus circulis, siue eum pœnitentiam
peragendam habet (crebro enim centum annorum
pœnitentiam suscipit) tunc per dies singulos, dum
se scoparum tunsionibus afficit, vt minus tria Psal-
teria meditando persoluit. Centum autem anno- *Nota diligēter, & fortè melius intelliges quid sit tot, vel tot dierum in Ecclesia indulgentia.*
rum pœnitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic
impletur. Cum tria scoparum millia vnum pœni-
tentiæ annum apud nos regulariter expleant, de-
cem autem Psalmorum modulatio, vt sæpe proba-
tum est, mille scopas admittat, dum centum quin-
quaginta Psalmis constare Psalterium non ambigi- E
tur, quinque annorum pœnitentia in vnius Psalte-
rij disciplina rectè supputantibus inuenitur. Porrò
siue quinque vicies, siue vigintiquinquies, centum
faciunt. Consequitur igitur, vt qui viginti Psalteria
cum disciplina decantat, centum annorum pœni-
tentiam se peregisse confidat. Quamquam & in
hoc omnem modum Dominicus superet, quia cum
nonnulli vnam manum in disciplinis agendis exer-
ceant, iste, vt reuera Benjamin filius, contra rebel-
les carnis illecebras vtraque manu infatigabiliter
pugnat.

In regula quoque Eremitica ita inseruisse me
recolo. Dicam: Sed quis scit vtrum fides assertioni
fidelissimæ præbeatur? At paruipendendum est, si

humana temeritas arguat, quem summa veritas falsitatis excusat. Est inter nos qui nonnumquā vno die continuato cum nocte nouem psalteria meditando decurrat, & interim penè semper vtraque manu scopis armata, nudum corpus afficiat. Notādum autem quia dū hæc peragere satagit, nocte vel die dormire non vacat, sed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, sic nudo repentè somnus obrepit, eóque solo contentus est. In epistola quoque quam Blancæ Comitissæ direximus, hæc nos indidisse videmur: Vtinam daretur tibi nunc Dominum meum videre Dominicum, qui quod imperitæ linguæ conamur officio, ipse te efficaciori luculentissimæ vitæ doceret & informaret exemplo. Hic denique à tribus circiter annorum lustris lorica ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur. Scripsi super hoc & in aliis fortasse opusculis, quæ vel ad præsens desunt, vel facilè memoriæ non occurrunt. Itaque ob eorum replicationē quæ scripta sunt, ad noua iam articulus referatur. Enimuerò quasi quidam diuinus ignis in eius pectore iugiter æstuabat, qui nunquam permittebat eum à spirituali exercitij labore quiescere.

*Nonnumquā inter diem & noctem percurrit nouem psalteria.*

*Prater loricā ferreā adhibet præterea corpori circulos quosdam ferreos.*

Aliquantis ante obitum annis, quasi nouum supplicij genus inueniens, virgatum scopas in corrigiarū scuticias vertit: semelque gustato quia duriores sunt, in his verberandi consuetudinem posuit. Hoc flagellum, si quando egrederetur ad seculum, portabat in sinu: vt, vbicumque eum iacere contingeret, à verberibus non vacaret. Circulis quoque ferreis quatuor, quia sibi præ longa consuetudine iam viluerant, quatuor item superaddidit, vt duobus in coxis, duobus consequenter in cruribus stringeretur. Loricam verò, & quibus vtebatur tanquam ciliciis, vel lanea quælibet indumenta, post menses, siue post spatium prolixius, abluebat, tantùm vt rubiginem deponerent, & aridis ingerendam membris vredinem non haberent. Porrò autem cùm omnes qui in cellis habitamus, hoc laboremus, vt pro muniendis à frigore pedibus, vestimenta vsque ad imum defluant pauimentum, hoc etiam nobis in eo intolerabile videbatur, quia cùm in Eremo & ocreas nesciret & calceos, vestes tamen eius ad tibias vix medias descendebant. Hoc autem mihi sæpe dicebat: In hoc psalmodia prouenit citò psallenti, si corde verba teneat, si quæ lingua loquitur, mens veraciter comprehendat: alioquin, si cor vagetur, psalmorum cursus ad finem, lingua nunc fallente, nunc tepescente perducitur. Aiebat etiam quia somnum somnus adescat, & vigilias vigiliæ pariunt. Nam corpus humanum in quo paulatim prius enutritur, in hoc per incrementa postmodum roboratur. Obiit vir beatus pridie Idus Octobris.

*Pro virgarū scopis vtitur scuticis corrigiarum.*

*Semper nudis incedit pedibus.*

*Quiescit in Domino.*

### NOTÆ.

Dominicus.] *De eodem Mart. Rom. cum Baron. 14. Octob. Molanus etiam in addit. ad Vsuardum hac die. Vitam eius scripsit S. Petrus Damianus Cardinalis, ad Alexandrum Papam II. quam adfert Sur. tom. 5. Floruit anno Domini 1050. Plura de eo scribit Baron. tom. 11. Annalium.*

Aluta.] *Est pellis mollior, & ad calceos & catera opera facienda concinnata.*

Saginarium.] *Hoc loco saginarius sumitur pro equo seu asella.*

Scoparum ictibus.] *Scopæ sunt virgæ ad plectēdum aptæ, seu ad verrendum domum.*

Scuticas.] *Scutica est genus verberis è loris facti; vulgò* Escorgées. *Dicitur autem scutica, à scuta, quod est forma rotunda, sic autem dicitur propter rotunditatem corrigiarum.*

## VITA B. DOMINICI CVLCIAtensis. Ex Thoma de Trugillo Dominicano.

*Habetur tom. 2. Thesauri Concionat.*

BEATVS Dominicus natione Italus, natus est in quodam oppido nuncupato Villoria. Hic iam à pueritia Dei seruitio deditus, seipsum in virtutis studio exercuit. Cùm autem iam per ætatem posset liberè administrare patrimonium sibi à parentibus relictum, vendidit bona sua omnia, eaque pauperibus distribuit, vt liberius diuino vacare posset seruitio. Neque hac de re duntaxat contentus fuit: verùm etiam exiuit de domo sua & cognatione, & in Hispaniam migrauit, vbi petiuit sibi dari habitum B. Benedicti in Monasterio vulgò nuncupato de Balbanera; Dei autem permissione factum est, quod ei habitus datus non fuerit, allegantes, quod non studuisset, & quod alienæ esset nationis. Idem etiam sibi contigit in quodam Monasterio Sancti Æmiliani.

*Vendit patrimonium, & pauperibus distribuit.*

*Venit in Hispaniam.*

Prædicabat autem tunc temporis per Hispaniā Sanctus ille Gregorius Hostiensis Episcopus missus à summo Pontifice. Cum hoc igitur glorioso Episcopo vir sanctus consuetudinem & familiaritatem iniuit: cum quo iuit donec vita defunctus fuit. Post mortem autem Gregorij, dubitauit beatus Dominicus quid potissimum faceret, aut cui se rei & instituto applicaret. Decreuit autem ibidem habitare, in eodem videlicet oppido, quod nunc eius nomen sortitum est, quod tunc erat opacissima sylua, ibique erant periculosa quædam loca & receptacula latronum, qui impedimento esse solebant, & spoliare eos qui se conferebant ad D. Iacobum Compostellanum. Ædificauit ergo in eodem loco domunculam, tum etiam de nomine Virginis sacellum. Deinceps cœpit arbores secare & comburere, strauitque viā ibi lapideam & commodissimam transeuntibus, propter quod opus insigne non solùm ipse nomen inde sumpsit, vt vocaretur Sanctus Dominicus de la Calçada: verùm etiam dedit nomen succedenti populo, & Ecclesiæ cathedrali, quæ ibi postea constructa fuit. Hospitale præterea construxit, in quo reciperentur peregrini proficiscentes ad Diuum Iacobum. Multi autem charitate commoti & incensi, iuuabant virum sanctum in tam insignibus ædificandis & construendis ædificiis. Visitauit autem eum ibidem quidam alius Sanctus Dominicus de Silos nuncupatus, qui contemporaneus illius erat, seque mutuis amplexibus deosculati sunt præ amore & charitate. Commendauit autem plurimum qui venerat Dominicus ad visitandum eum, opera omnia illa præclara quæ ædificabat. In his autem exercitiis occupabatur sanctus vir, atque in ieiuniis & pœnitentia, & ita tandem gloriosè vitam suam cum morte commutauit. Fuit autem ibidem sepultus: vbi postea insigne quoddam templum de eius nomine constructum est, & ciuitas etiam quædam ibi ædificata fuit, quæ eius nomen accepit. Claruit multis miraculis in vita & post mortem, quæ contigit 12. Maij, anno Domini 1060.

*S. Gregorius Hostiēsis Epūs. scopus claret.*

*Habitat in sylua opacissima.*

*Construit hospitale.*

*Inuisitur à S. Dominico Silēnsi.*

*Migrat ex hoc mundo.*

VITA



## VITA B. PETRI DAMIANI CARdinalis, & Episcopi Ostiensis. Ex Hieronymo Rubeo.

*Habetur in sius Hist. Rauennat. lib. 5.*

PETRVS Damianus Rauennæ satis obscuro loco, sed ingenuo natus est. Sunt qui ex nobili honestorum familia ortum putant, sed falluntur, cum id Petro peccatori conueniat. Eius postquam mater diem suum obiit, frater natu maior duxit vxorem. Qui coniuges cùm gerere curam pueri velle simularent, tam dura illum acrique premebant seruitute, vt is non modò pane, cibisque ac vino vitiosis & corruptis aleretur, sed perpetuo nudatis pedibus pannosus incederet, & multis verberibus vapularet, pauloque grandior factus, alendis suibus præficeretur. Redit verò interea alius eius frater, cui nomen erat Damiano, Rauennaque aliquot annos abfuerat. Qui fratris ærumnas miseratus, cum eum in fidem & clientelam accepisset, amanter ac paternè fouit, litterisque instruendum curauit. Quod cum Rauennæ aliquandiu fecisset, optima pueri cognita indole, Fauentiam primò misit; mox Parmam, vt ibi doctos viros audiret: quod & Petrus suis literis testatur. Vbi breui liberales artes omnes adeptus est, vt summa vtilitate, atque auditorum frequentia, eas cæteris deinde explicaret, & facile primus in omni Italia haberetur. Verùm cum in dies fauoribus, gratia Principum, diuitiis & auctoritate cresceret, seipsum increpans; Nunquid, dicebat, his perpetuò caducis, atque interituris bonis inhæserim? An non potius hic valedicens, cælestia consecter? Quæ cùm repeteret sæpius, tandem paulatim cœpit diuinis studiis & obsequiis nauare operam.

*B. Petri genus.*

*Puer adhibetur alendis porcis.*

*Adhibitus tandem litteris, mirificè in eis profecit.*

Itaque sub pretiosa veste induit cilicium, inediæque & vigiliis, ac diuinis hymnis frequens studiū exhibebat, & cum libidinis æstu pro ætatis natura iactaretur, remediis quoque noctibus è cubili surgens, aquis se immergebat, dum totus frigesceret: indeque egressus, in lectum minimè regredi, sed Psalmis atque hymnis Deum venerari consuescebat. Sed & mirum etiam fuerit dictu, quam præstiterit egentibus liberalitatem & munificentiam, quamque benignè & piè prandio illos acceperit. Sed in dies magis etiam accensus, cùm omnino his rebus abduci monachusque fieri decreuisset, nec tamen in patriis finibus ob affines, aliquotque alia impedimenta id facere vellet; fortè conueniunt à solitudine S. Crucis fontis Auellanæ, quæ est in Eugubina Diœcesi, Monachi duo, quorum colloquiis etiam maius adhuc caducarum rerum fastidium incurrit. Et quidem post Monachorum discessum, vt vsu tractando cognosceret, vtrum eius vitæ laborem esset laturus, coniecit se in cellulam satis arctam: vbi per quadraginta dies vitam iuxta leges Eremitarum S. Crucis traduxit. Nec mora: eo genere viuendi plurimum roboratus, nihilque iam difficultates & durum illius vitæ modum timens, suis omnibus insciis, clam ad eam montis Catriæ solitudinem profectus est. Excipit autem eum libenter Abbas: cuculloque indutum, mox vni ex Monachis in custodiam ac disciplinam, tyronum more, tradidit. Qui quantum profecerit, haud facilè dici potest. Maiori nimirum in dies abstinentia, ac vigiliis, ad sanctitatem & ad summum bonum adipiscendum, totus incumbebat.

*Paulatim tentat valedicere mūdo.*

*Immergit se in aqua, vt carnis tentationes & rebelliones vincat.*

*Eius insignis liberalitas in egenos.*

*Ex colloquio duorum Monachorū, etiā magis fastidit sæculum.*

*Fit Monachus.*

Sanè per id temporis Monachi illi quatuor diebus hebdomadæ pane & aqua traductis, tertia & quinta feriis parum leguminis, singuli suis seorsum cubiculis cocti, sumebant. Adhæc: diebus sacræ inediæ panis non quantum quisque veller, sed certa quantitate ac mensura præbebatur. Vinum rei tantum diuinæ faciendæ & ægrotis notum, nulli præterea. Vbi cū is esset in vigiliis mos, vt signo dato, matutinis precibus expletis, omnes hymnos Dauidis recitarent, præueniens hoc commune signum Petrus, quidquid erat noctis reliquum, continentibus excubiis ducebat: vnde & in eum incidit morbum, vt dies noctesque insomnes ageret: à quo morbo tamen mox temperatior factus conualuit. Qui cùm breui in summam sanctitatis famam creuisset, summis precibus Guidone Strambiato Rauennate, Abbate Pomposiano, id ab S. Crucis Præfecto tandem impetrante Pomposiam mittitur, vt Monachos illos præceptis diuinis sacrisque literis instrueret. Ibi verò transegit biennium: quo elapso, ab S. Crucis Præfecto, qui cum illuc miserat, à suisque Monachis reuocatur: ibique etiam Præfecto paulo post demortuo, renuens ac diligenter recusans, cœnobio præficitur. Quod cum instituisset, in Camertibus primum, mox quoque ad montem Regium, qui est in Perusino, vbi cellam reperit, quam D. Romualdum incoluisse ferebant; deinde & in Fauentino, tum ad Aceretum, tum ad Ganiunium (nunc Cauinam appellant) postea & in Ariminensi quoque ad Murcianum cœnobia excitauit.

*Incidit in grauem morbum.*

*Mittitur ad Monasterium Pomposianū.*

*Variis in locis excitat cœnobio.*

In quorum Ganiuniano sanè cum esset, iubet die quadam Monachum, qui sibi ministrare consueuerat, potum sibi afferre ex fonte. Et quidem fecit imperata minister: sed aqua in vinum mutata, alius denuo ab assidentibus Monachis mittitur, qui aquam adferat: qua itidem in vinum conuersa, mandauit Petrus, id ne cuiquam patefacerent. Sed nimis longum esset in ejusmodi narrandis hærere. Adeò verò in dies doctrinæ ac sanctitatis eius fama increbuit, vt à Stephano nono Pontifice maximo ad Galerum non tam vocaretur quàm traheretur. Neque hoc tamen Stephanus adhuc pro hominis probitate ac doctrina satis esse putauit, quin etiam Episcopatum Hostiensem addidit, atque insuper sacri quoque Cardinalium collegij Principem (Decanum appellāt) eum fecit. Plurimas autem legationes summa fide & diligentia obiuit. Quo tempore quia sacrati viri publicè scortis & omni libidinum generi indulgebant, dici vix potest quàm acriter, quamque intrepidè semper illos reprehenderit, atque ad rectè sancteque viuendum omni studio fuerit adhortatus. Verùm, vt magis se Deo totum traderet, & in rerum diuinarum meditatione dies noctesque consumeret, tandem sacro Galero & Episcopatu se abdicauit. Qua occasione, cùm Nicolao Pontifice ad eas iterum dignitates & honorum insignia assumenda cogeretur, ipseque constanter, & aliquanto fortasse quàm res ipsa & Pontificis maiestas ferret, pertinacius renueret, Pontifex quidem assensit eius perseuerantiæ, sed tamen pœnam in eum centenariam constituit: qua pœna tenebatur ad recitandum per centum annos quotidie centies, verberibus adiunctis, Psalmum quinquagesimum.

*Creatur Cardinalis.*

*Abdicat se Cardinalatu.*

Subiuit autem hanc pœnam libenter Petrus, tantusque fuit in eo ardor pœnitendi, vt eam annuo spatio exhauserit. Itaque pœna persoluta elegantes ad Nicolaum Pontificem, & officij ac pietatis religionisque plenas literas dedit, quibus & purgauit se diligenter, & non minus rationibus, quàm virorum sanctorum exemplo id fecisse testa-

*Aqua illi conuertitur in vinum.*

*Nota mirum quoddam.*

*Nota austerissimam rationē victus.*

tus

tus est. Quæ literæ quoniam extant, non est cur à nobis explicentur. Abdidit autem se in Catrianam solitudinem optatissimam, vbi nec tamen semper otiosus vixit: nam in primis Mediolanensem Ecclesiam malè sentientem, & à Romana abductam ac discrepantem, simoniacaque labe, & Nicolaitatum hæresi infectam, Nicolao iubente, cum Romana conciliauit, & in rectam sententiam deduxit. Idem etiam in Rauennati Ecclesia nixus est, Gibertumque Archiepiscopum sæpius fuit hortatus vt meliora sentiret. Sed & Gregorio deinde septimo hortante, per omnem Italiam sacram indiam & ciborum ieiunitatem die Veneris in honorem Crucis instituit, ac potius antiquitus institutam, & iam ferè obliteratam reuocauit: quod & de horatiis precibus, quibus quotidie B. Mariæ Virgini Deiparæ debitus cultus exhibetur, factum est. Cæterùm quo tempore Episcopatum tenuit, quicquid supererat, in egentes affluenter effundebat, & ex illis duodecim pedes perpetuò abluebat, epulumque præbebat, simulquque tota vrbe pupillos ac viduas perquirebat & iuuabat.

*Pugnat cõtra simoniam.*

*Restituit per Italiam ieiunium feria sexta.*

*Item & beata Virginis officium.*

*Per quot dies nihil sumit igni coctum.*

Sic & in cœnobio per 40. quandoque dies nihil comedebat quod esset igni coctum, sed tantum pomis crudis absque vllo potu vescebatur. Denique Rauenna tandem discedens, ad Pontificem aditurus, ne iter illud esset inane, Monachos inuisit, quos Fauentiæ constituerat extra vrbis portam in æde D. Mariæ, quam nunc intra vrbem adC ductam conspicimus. Atque hic scilicet est fœlix eius obitus. Ibi enim febre correptus, octauo post- quàm ægrotare cœperat die ex hac vita migrauit, ea nocte quæ diem octauum Calendarum Martiarum anteceſſit, anno ab ortu Christi millesimo octuagesimo, Gregorio VII. adhuc Pontifice. Corpus autem sanctum in sepulchro ex candidissimo marmore repositum fuit, omnibus hymnos ac psalmos concinentibus, Deumque laudantibus.

*Inuisit suos Fauentiæ, vbi & moritur.*

*Summa erga eum defunctũ omnium deuotio.*

### NOTÆ.

Petrus Damianus.] *De quo Mart. Rom. 22. Febr. Eius vitam adfert Mosander tom. 7. Surij. Meminit eiusdem Haræus. Plura de eodem Baronius tom. 11. Annalium. Agunt præterea de ipso Leo Ostiens. in Chron. D Cass. lib. 2. c. 102. Trithem. de viris Illust. Ord. S. Ben. lib. 2. cap. 93. Vvionius in Martyrol. Monastico 22. Febr. & plures alij. Floruit circa annum Domini 1080. Multa doctissimè scripsit quæ hodie extant impressa. Hic est ille Petrus Damianus, qui Mediolanensem Ecclesiam hæretica labe infectam, & à multis annis à Romana abductam, reconciliauit, & ad sanam fidem reduxit. Historiam autem refert Vvionius tom. 2. Ligni Vitæ, in hunc modum. Nicolaus Papa II. Rempublicam compositurus quæ maximis perturbata calamitatibus, plurimum quatiebatur, anno 1059. Petrum Damianum Mediolanum misit, vt Ecclesiam malè sentientem, & iam à ducentis annis à Romana abductam, & discrepantem, simoniacaque labe, & Nicolaitarum hæresi infectã, cum Romana conciliaret, & in rectam sententiam deduceret. Petrus conuocato in templum populo, ita prudenter, & leniter eorum animos tractauit, vt tandem in eius sententiam discesserint, Apostolicæque sedi parere nequaquam abnuerint. Primus solemnibus verbis Vvido Episcopus id professus est, simoniacamque, & Nicolaitarum hæresim detestatus, deinde Clerici omnes. Archiepiscopus in terram proiectus, centum annorum pœnitentiam accepit, &c. Hæc ille.*

*Extat apud Iacobum Mosandrum in epist. Surij.*

## VITA S. BENNONIS EPISCOPI.

*Ex ea quam scripsit Hieronymus Emser.*

INTER claras Saxoniæ ciuitates ea, quæ nunc vulgò Hyldesheym, olim Bennopolis dicta est, a Bennone quodam (vt aiunt) conditore Phrisio: hinc Diuo Bennoni nostro nomen, hinc Bennopolitano regno nomen est. In ea enim vrbe à tenera annis educatus, & sacra veste indutus, in eum creuit virum qualem Deo propitio describere sumus. Pater ipsius fuit Comes Saxoniæ, non longè à Goslaria habitans: mater verò Bezela, quasi bene zelans, seu bonus zelus dicta est. Hi ambo cum in lege Dei sui fideles persisterent, duos illis Dominus dedit filios, Christophorum, qui patri in Comitatu postea successit, & Bennonem.

*Patris & parentes S. Bennonis.*

Editus in hanc lucem Benno humanæ salutis anno M. X. cum annum ætatis ageret quintum, puerulus traditus est in obsequium Sancti Bernuardi Bennopolitani Episcopi, qui etiam ipse ex illustri Comitum sanguine procreatus, Bennonis consanguineus fuit & affinis. Dedit autem ei præceptorem Vvigerum præpositum Monasterij sui S. Michaëlis: sub cuius disciplina breui tantum profecit, vt in versificaturæ arte, & poësi, clarus euaserit. Sanctus verò Episcopus Bernuuardus cum grauissimis febribus correptus, ad Dominum migrasset, Sanctus Benno Epitaphium super eius sepulchrum condidit. Eodem autem tempore mortuus est & pater eius, statimque facillimè impetrauit à piissima matre, vt Monachus fieret.

*Traditur eruditendus Bernuardo Episcopo.*

*S. Benno fit poëta clarus.*

Igitur duodeuigesimo ætatis suæ anno sacrum susceþit habitum, moxque professus in Monasterio Hyldesheymensi, cœpit se totum dare euoluendis sacrorum librorum commentariis. Ferunt nonnulli priusquam religionem ingressus sit, in Francia Theologiæ studio dedisse operam, atque in ea facultate doctoralibus insigniis fuisse decoratum. Cùm factus fuisset Diaconus, & postmodum sacerdos iussu Abbatis sui Adelberti, in altari totus ardebat, nec vmquam siccis rem diuinam oculis perficere potuit. Defuncto autem Abbate, à fratribus in eius locum surrogatus, multis lacrymis eos rogare cœpit vt hoc onus alteri digniori imponerent. Verumtamen precibus eorũ acquiescens regimen susceþit, sed tribus tantum mensibus in eo stetit. Nam extractus de suo Monasterio authoritate summi Pontificis Leonis IX. & Imperatoris Henrici III. factus est Goslariensis Ecclesiæ magister & Canonicus, in qua cum decem & septem annos conuersatus fuisset: communi omnium consensu ad regendam Misnensem Ecclesiam accitus est, & consecratus à Vvernhero Magdeburgensi Episcopo, anno M. LVI. Quam sanctè se gesserit vir sanctus in tanto fastigio constitutus, non facilè dici potest. Imprimis enim Ecclesiasticarum rerum & diuini cultus solicita illi cura fuit. Vnde cùm antiquorum more irregulatus adhuc esset cantus in Ecclesia Misnensi, eunE dem ipse reformauit. Erat etiam ceremoniarum omnium doctissimus, & circa rem diuinam ab infantia versatus. Visitabat etiam per singulos annos, omnes suæ Diœcesis Ecclesias, cum magna patientia, & fatigatione.

*Siccis oculis Missam celebrare non potest.*

*Creatur Abbas.*

*Deinde Goslar. Eccles. Canonicus.*

*Postmodum Episc. Misn.*

*Reformat cantum.*

Cùm Henricus Imperator III. Sclauorum gentem tributariam fecisset, & ad suscipiendam Christi fidem magna ex patre compulisset, plurimi tamen relicta fide antiquis se erroribus denuò inuoluerunt. Ingemiscens autem pientissimus pater, miserum populum dæmonum prædigiis ita rapi præcipitem, cœpit eum sua prædicatione ad veritatis lucem perducere, multosque conuertit & baptizauit. Sed diabolus molestè ferens hominum salutem,

*Hericus Imp. Sclauos subiugat.*

*Multos infideles conuertit S. Episcop.*



salutem, tantis eum impulit tempestatibus, vt relicta Sclauorum cura, coactus sit vela ventis committere. Nam cum ortum esset bellum Saxonicum contra Henricum IV. & ipse Benno ex primario Saxonum sanguine ortus, qui Imperatori penitus inuisus erat, innocentissimus Præsul nullo suo delicto, capitur & in exilium mittitur, cum aliis Principibus Saxoniæ. Sed & cum eiusdem Henrici IV. cum Gregorio VII. calamitosa orta esset seditio, ipse Benno cum paucis Alemanniæ Episcopis, partes Ecclesiæ Romanæ defendit. At Imperator videns Principum animos sub religionis prætextu ab eo deficere, dissimulato ad præsens odio, quod contra Saxones alebat, captiuos eius gentis, (inter quos & Benno erat) B deditione absoluit, & ad sua impunè redire permisit. Et tunc beatus Benno ad suam Ecclesiam regressus honorificè à suis Canonicis susceptus est.

*Mittitur in exilium ab Henrico IV. Imperat.*

*Discordia Hẽrici IV. cũ Gregor. VII.*

*Tãdem redit ad suam Ecclesiam.*

Anno autem Christi M. LXXVI. Papa Hildebrandus Concilium Romæ indixit, Regemque per legatos suos vocauit, vt de criminibus quæ illi obiicerentur causam diceret, alioqui sciret se de corpore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Apostolico resecandum gladio. Sed Rex seductus suggestione Episcoporum Germaniæ & Galliæ, noluit acquiescere, sed indixit & prohibuit ne aliquis ad illud pergeret, sub grauissimis pœnis: propterea propter contumaciam suam cum omnibus sequaC cibus graui anathemate percussus est. Cùm igitur beatus Benno tam Pontificis quam Imperatoris edicto vrgeretur, & ab vtroque sub diris comminationibus vocaretur, excusso omni pauore, iter arripiens Romam versus, ad indictum Concilium, diuinitus deuitatis insidiis, cum magno labore peruenit, & à summo Pontifice honorificè exceptus, laudatusque est, quod vnus ex omnibus Germaniæ Episcopis, ausus fuisset plus Deo, quàm hominibus obedire. Ferunt eum abeuntem claues Ecclesiæ Misnensis duobus commisisse Canonicis, vt si Rege excõmunicato, hi qui suarum partium essent, ab ingressu Ecclesiæ non temperarent, obseratis ianuis, eas in Albin fluuium deiicerent. Quod & D factum est.

*Excommunicatur Henricus Imperat.*

*It S. Benno ad Cõcilium indictum ab Hildebrando Papa.*

Beatus ergo Benno expeditis apud Pontificem Ecclesiæ suæ negotiis, cumque subscripsisset Concilio Romano, relicta tandem Roma, rediit ad suam Ecclesiam. Et ne ipsius aduentu ciuitas commoueretur, eumque honorificè & pomposè exciperet, sub peregrini specie ad publicum hospitium diuertit. Dum autem hospes ingentem piscem ex Albi flumine exenterare cœpisset, sub brãcis, siue sub pennis ipsius, claues Ecclesiæ reperit. Cuius rei fama tota ciuitate commota, Canonici & laici, cum magno gaudio, & applausu eum ad Ecclesiam conduxerunt. Manè verò illicò pastorale faciens officium, inter sacrificandum pro E concione populo Apostolicam nunciauit benedictionem: omnesque qui anathemate subiacuerant absoluit, & Ecclesiæ reconciliauit. Tunc deinceps cœpit totum se dare prædicationi, & conuersioni Sclauorum; quos tandem diuina adiuuante gratia conuertit. Quadam die cum prædicaret in quadam valle, & populus feruentissimo solis æstu laboraret, baculo pastorali terram feriit, ex qua fons scaturiens, refrigerium sitienti populo præstitit. Cum adhuc esset in Monasterio, & quadam die ad operarios in prato exiisset, illis siti ac labore fatigatis, signo Crucis edito aquam in vinum commutauit. Quod cum puer

*Subscribit Romano Cõcilio, deinde redit ad suã Ecclesiam.*

*Claues Ecclesiæ in vẽtre piscis repertæ.*

*Sola baculi percussione fontẽ scaturire facit.*

*Aquam in vinum conuertit.*

suus adnimaduertisset, allata aqua dixit: En faciam sicut Dominus meus. Qui interrogatus quidnam fecisset: Crucem, respondit, desuper edidit. Cumque puer idem faceret, meritis beati viri & simplicitate pueri, aqua vini saporem mox induit. Cum autem iam dies ad occasum tenderet, & vir Dei via recta per pontem ad ciuitatem non posset peruenire, ad proxima Albis fluenta deflexit, & Cruce se muniens fluuium sicco pede transiuit. Quod videns rusticus quidam, qui cum plaustro fœni sequebatur, protinus per aquam insecutus est, & incolumis transuexit. Benno eius audaciam vehementer increpans, prohibuit ne id amplius faceret, néve hoc cuiquam reuelaret. Solebat autem vir Dei nonnumquam orando meditandoque agros circuire: ibi cum venisset iuxta paludem, & ranarum vocibus impediretur, iussit eis vt silerent. Quod & fecerunt. Sed paulum transgrediens, venit ei in mentem illud Danielis: Benedicite & omnia quæ mouentur in aquis Domino; benedicite omnes bestiæ & pecora Domino. Timens igitur ne fortè gratior esset *Aues ei obediunt.* Deo illarum cantus quàm sua oratio, eis iterum mandauit, quatenus consueta voce Deum laudarent: quæ mox campos & aëra stridore suo garrulo repleuerunt.

*Transit fluuium sicco vestigio.*

Proditus his atque aliis miraculis vehementer erubuit: timensque ne celebrior fieret apud homines, idcirco rebus ad suam Ecclesiam accuratè compositis, ipse Occidentem versus ad extremos Diœceseos suæ fines, villam scilicet Naumborg, paucis admodum viæ suæ consciis secessit: ibique ædiculam in honorem diuæ Parthenices, & omnium Sanctorum consecrans pretiosissimis eam donauit reliquiis & indulgentiis. Iuxta ædem verò cellam vnam humilem pro se & sacerdote, eo ædificauit animo vt deinceps nusquam ab ea discederet. Notandum est quod in locis vicinis vbi ambulauit vir sanctus orando & meditando, adhuc hodie frumentum citius matureſcit. Sed & non est omittendum quod frequenter post sacramentorum tractationem, ex oculis sacerdotis sui subitò euanescebat, & agilitatis munere in Ecclesiam suam rapiebatur: indéque omnibus negotiis peractis, ad consuetam prandij horam, cum sacerdote in sua cella & solitudine aderat. Ibi habuit multas reuelationes, multaque futura prædixit. Inter quæ Ordinem *Prædicit Ordinẽ Cisterc. debere cõsurgere.* Cistercienſem consurgere debere. Sentiens verò propinquare transitus sui diem, conuocatis Canonicis suis, cum eos hortatus fuisset ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, singulis deosculatis, acceptoque Ecclesiastico commeatu, gloriosum emisit spiritum. Obiit autem decimo sexto Calend. Iulij, anno salutis M. CVI. ætatis XCVI. Epi- *Migrat.* scopatus verò XL. multaque ad eius sepulchrum F facta sunt miracula. Quibus permotus Adrianus Papa VI. eum Sanctorum catalogo ascripsit.

*In solitario loco construit Ecclesiam in honorem Dei genitricis, & iuxta eã, cellam ad manendum.*

### NOTÆ.

Benno.] *De quo Martylog. Roman. cum Baronio decimosexto Iunij. Extat eius vita prolixius scripta apud Mosandrum tom. 7. Surij. Meminit eiusdem Vvionius in Mart. Monastico.*

Henrici IV. cum Gregorio VII. calamitosa orta esset seditio.] *Hæc discordia prouenit, quia Henricus sibi arrogabat potentiam electionis & confirmationis summi Pontificis.*

# VITA S. IOANNIS GVALBERTI
## Fundatoris Ordinis Vallis Vmbrosæ. Ex Blasio Melanesio.

*Apud Surium tomo 4.*

*S. Ioannis Gualbert. patria & parentes.*

ANno salutis millesimo quadragesimo, claruit B. Ioannes Gualbertus, fundator Ordinis Vallis Vmbrosæ. Patria eius Florentia fuit. Parentes habuit nobiles. Pater Gualbertus dictus est, vir militaris. Hic cum adhuc iuuenis degeret in seculo, & pater eius, quem diximus, Gualbertus, capitalis esset hostis cuiusdam, qui eius cognatum iniustè peremerat, eaque causa non Gualbertus modò, sed etiam Ioannes, filius eius, vltionem expeteret, accidit quodam die ipsum Ioannem cum armigero suo Florentiam proficisci, in ipso autem itinere venire ei obuiam ab insperato iam dictum illum eius hostem, idque loco tam angusto, vt neuter posset à via deflectere. Tum verò hostis ille, quod inermis esset, nihil nisi mortem præsentem expectans, subito quadam concepta fiducia de clementia Ioannis, ab equo desiliit, humique prostratus, pro Crucifixi amore veniam sibi dari humiliter postulauit, cùm ecce compunctus Ioannes, audito nomine Crucifixi, pacem obtulit, fecitque ei copiam quò vellet recedendi. Porro ipse vltra progressus, in quandam Ecclesiam Monachorum, quæ erat in itinere, se contulit. Vbi cum coram imagine Crucifixi genua flecteret (ô rem mirandam!) vidit Christi à Cruce pendentis caput ad se inclinari, tanquam ipsi gratulantis, quod pro eius reuerentia hosti capitali peperciſſet. In cuius tanti miraculi testimonium, hodieque crux illa in Ecclesia S. Miniatis, in monte prope Florentiam, cum magna veneratione & cura seruatur. Ioannes autem, ea Christi vocatione attractus, mox constituit seculo nequam valefacere. Itaque ad istud S. Miniatis Monasterium profectus, petiit sibi sanctæ religionis habitum donari, atque adeò comparat se totum ad capienda vitæ religiosæ experimenta. Quod audiens pater eius, filium videlicet suum Monachum futurum, mox ad Monasterium abit, filium ad se mitti postulans. Qua de re Ioannes ab Abbate interrogatus cum non assentiret, timens ne quid à patre, homine seuero & aspero, periculi sibi crearetur: Abbas iniquum censebat illum compellere. Tum verò furore percitus pater, multas ei Monasterio minas intentat, si ausi essent filium eius in suam sodalitatem admittere. Et quidem multum anxij Monachi minas eius formidabant. Verùm cum nullus auderet veste Monastica eum induere, ipse Ioannes feruore spiritus inflammatus, cucullum fratris cuiusdam apprehendit, eumque super altare in Ecclesia reponens hilariter sibi induit. Etsi autem pater eius, vt illum vidit ea veste indutum, initio acerbè tulerit, attamen ab Abbate tandem, & ab ipso filio confirmatus, sese colligens, consolationem accepit. Atque ita scilicet Ioannes Monachus effectus, cœpit iciuniis vigiliisque domare corpus, in preces & pias meditationes religiosè incumbere, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, cunctarumque virtutum de se exempla præbere. Sed & non diu post Abbate ex hac luce migrante, fratres congregati, Ioannem in Abbatem vnanimiter eligunt, qui tamen humiliter id munus recusauit.

*Ignoscit propter Christum capitali suo hosti.*

*Annuit ipsi imago Crucifixi.*

*Feruore spiritus inflammatus veste Monachi se ipsum induit.*

Erat tunc in eodem Monasterio frater quidam, qui praua cupiditate inflammatus, Abbatiæ illius administrationem, numerata Florentino Episcopo pecunia, ad se tandem adduxit. Quod vbi vir Dei comperit, veniens Florentiam, adit quendam magni nominis senem, Theuzo is dicebatur, & apud Beatæ Mariæ Ecclesiam se incluserat, valde autem simoniæ labem detestabatur, qua tunc multi in Dei Ecclesia contaminari erant. Scisitatur num sub Abbate simoniaco intra suum Monasterium Christo militare deberet, vel quid sibi faciendum esset. Vt breuiter dicamus, consuluit ille, vt cum socio palam in foro ciuitatis coram omnibus proclamaret Episcopum, & Abbatem simoniæ teneri obnoxios, ac deinde loco cederent. Quod consilium per omnia simpliciter Ioannes secutus est, ita vt ex tumultu extractus clanculum, vix euaserit manus eorum qui Episcopo fauebant. Perquirere itaque statim cœpit locum ad seruiendum Deo maximè accommodatum. Habebat tum apud se socius eius panem vnum, quem pro necessaria ipsorum refectione reseruauerat. Eum vir Dei nihilominus pauperi obuiam venienti, stipemque petenti, dari iussit, iactans cogitatum suum in Dominum: vnde nec sua fiducia frustratus est. Etenim cùm ad castrum quoddam applicuissent, à multis abundè res necessariæ suppeditatæ sunt. Sed & cum ad Eremum Camaldulensem peruenere, non breuem illic fecere moram, illic degentium mores contemplantes & vitam. A cuius loci habitatoribus cùm inuitarentur, vt se ipsis professione coniungerent, beatus Ioannes magis appetens vitam cœnobiticam, quippe tutiorem quàm sit solitaria, inde recessit ea animi sententia, vt alibi nouam quandam congregationem institueret, Sancti Benedicti regulam secuturam. Veniens igitur ad Vallem Vmbrosam, à duobus Monachis qui illic famulabantur Domino, deuotè susceptus est, atque adeò cum locus ei arrideret, constituit illic sedem figere, constructo quodam vili ex lignis domicilio. Sed non diu passus est Dominus lucernam sub modio latere. Fama siquidè sanctitatis eius per loca viciniora sensim sese effundente, permulti & Clerici & laici, gratia conuersionis ad Ordinem confluere cœperunt. Inter quos fuerant Herizo, Albertus, Theuzo, Rodulphus, Petrus, qui postea fuit Cardinalis Albanensis Episcopus, & multi alij.

*Ex feruore spiritus publicè in foro clamat suum Abbatem simoniacum.*

*Venit ad Camaldulenses.*

*Inde ad Vallem Vmbrosam.*

Abbatissa autem quædam S. Hilarij in partibus illis ad cuius Monasterium spectabat ius & dominium dicti loci: auditis virtutibus beati Ioannis & sociorum, ex deuotione concepta, ad eos misit aliquod subsidium, & librorum, & victualium, & post modicum cum consensu Capituli sui donauit ei locum per publicam scripturam, cum multis possessionibus & bonis. Cum autem iam satis & merito & numero excreuissent illic Monachi, placuit omnibus, vt ipsum beatum Ioannem sibi in Abbatem præficerent. Inuitus & renitens tantum onus suscipere coactus, cœpit sensum Regulæ beati Benedicti, quam professi erant, diligenter inspicere, & ad eius obseruantiam totis viribus operam dare. Prohibuit Monachos claustri limites vnquam exire, nisi pro necessitatibus Monasterij cum licentia debita. In nocte statuens nunquam lumen in dormitorio deesse, non minus quam in oratorio. Ad vilitatem vestium & paucitatem inducens, ac etiam ad cilicia ferenda exhortans, de suarum ouium varia lana iussit pannum promiscuum fieri ad vestes ex eo formandas. Quod autem alios docebat, ipse primus & perfectius implere satagebat. Erat enim in oratione assiduus, charitate diffusus, humilitate lenis, patientia constans, ad increpanda vitia rigidus, erga pœnitentes benignus, & in cunctis

*Inuitus Abbas constituitur.*

*Catalogus virtutum eius.*



cunctis morum grauitate maturus. Commissos & Conuersos complures recepit, quos ad opera exteriora mittebat: vt Monachi inde minus haberent occasionem discurrendi & magis orationi vacandi.

In illo tempore Rex Henricus Florentiam veniens, cum multa virtutum insignia de beato Ioanne audisset, affectione concepta ad eum hortatu Teuzonis prædicti misit Episcopum Catholicum ad Monasterium Vallis Vmbrosæ, ad maius altare consecrandum. Et post annos aliquot Hubertus S. Rom. Eccles. Cardinalis totam Ecclesiam consecrauit, cum duobus aliis altaribus. Per id tempus plures nobiles obtulerunt loca ad alia cœnobia construenda, odore sanctitatis eorum attracti. Alij rogabant eum Monasteria dissoluta sub suo regimine sumere, & in normam prædictam reformare. Tunc Monasterium S. Saluij nouiter construxit. In Mosceta alterum, alterum in Razulo, quartum in monte Scalario. Monasterium quoque iam vetustum Passigniani reformandum accepit: & aliud sanctæ Reparatæ in Romandiola. Horum singulis præpositos fecit: ipsaque sæpe visitabat corrigens quæ expediebant.

*Multa construit & reformat Monasteria.*

*Præcipuè paupertatem sectatur.*

Verus hic erat paupertatis amator, in omnibus ipsam ostentans & docens. Vnde cum Monasterium Mosceranum visitaret, cernens domos grandiores & pulchriores quàm paupertati eorum congruere videbatur, Domino Rùdolpho eiusdem loci Abbati vultu sereno dixit. Tu in hoc loco magnis expensis, quibus pauperes plurimi refoueri potuissent, ex propria voluntate palatia fabricasti. Et conuersus ad quendam riuulum paruulum prope manantem dixit: Deus omnipotens qui de minimis magna facere consueuisti, videam per huius riuuli paruitatem ipsius enormis ædificij cito vindictam. His dictis absque mora discessit locum quasi abominatus. Confestim autem vt sanctus discessit, riuulus crescere cœpit, & congerens aquarum fluenta largissima, relicto proprio alueo, præceps de monte ruit petrarum, scopulos & arbores secum trahens, prædictas domos funditus subuertit: vnde Abbas dicti loci cum fratribus perturbatus, cœnobium de illo loco mutare disposuit. Quos pius pater benignè est consolatus dicens: Nolite timere, nec locum mutate, quoniam riuulus vltra non vobis nocebit. Quod vtique vaticinium eius verum firmumque hucusque permansit.

*Præcipit riuulo vt subuertat magna molis Monasteriũ.*

Altera vice cum audisset quendam virum venientem ad conuersionem, totum suum patrimonium scripsisse in charta, successoribus hæreditate priuatis, & secum ad Monasteriũ detulisse, mox & ad cœnobium illud accessit, & Abbati qui chartam acceperat, imperauit vt sine mora eam sibi deferret. Quam cum accepisset, eam minutatim discerpens in terram frusta eius proiecit. Iustius quidem sibi videbatur cum exiguis viuere, quàm multiplicatis opibus superbire. Deinde valde commotus ex zelo sanctæ paupertatis, Deum & Apostolum eius inuocat, vt vlciscantur ipsum de illo cœnobio. Et confestim iratus abscessit. Quo non longè digresso, repentinus ibi accensus est ignis, qui Monasterium illud magna ex parte combussit. Quod incendium socius eius dum cerneret eique nunciaret, nec retro respexit, nec ad locum rediit: sed ad Vallem Vmbrosam locum suum prosecutus est iter.

*Is est S. Paulus Apost. quẽ ipse mirificè coluit.*

Quidam plenus insania cum mitteretur Passinianum vt cura sibi adhiberetur, transiens flumen Arnum per nauiculam, cum aliis, cogente vesania in medium fluminis se proiecit: sed virtute Dei & sancti meritis ad ripam fluminis incolumis peruenit.

*Quidam insanus sancti viri meritis præseruatur à naufragio.*

Item quidam nobilis & diues familiarissimus seruo Dei, Vbaldus nomine, cum infirmatus esset ad mortem, vxor eius misit ei ad insinuandum viri sui exitum instantem. Manebat tunc vir Dei in monte Scalario qui versis ad Orientem luminibus, facta pro infirmo oratione remisit nuncium, dicens ei quod Dominum suum reperiret sanum & incolumem, in quo facto, & sanauit infirmum, & manifestauit occultum.

Cùm resideret aliquando vir beatus in Monasterio Vallis Vmbrosæ, Stephanus Romanus Pontifex, cùm per vicina loca iter haberet, audita celebri fama eius, nuncios ad eum misit, viros honoratos, rogans vt ipsius conspectui se præsentare non grauaretur. Sed cum aduersa valetudo non sineret eum ad sanctitatem illius proficisci, Pontifex denuo legatos misit, existimans quod propter humilitatem nollet venire, vel cuperet latere, iussitque, vt si aliter venire non posset, in lectica se adduci pateretur. Cernens igitur vir Dei mentem Pontificis, in Ecclesiam ingreditur, rogans Dominum vt citra scandalum & inobedientiam, aliqua ratione id efficiat, ne cogatur ipse sese summo Pontifici præsentem exhibere. Deinde surgens è lecto, coram nunciis Pontificis, Conuersos aliquot ad se accersiti iubet, qui ipsum ad Pontificem perferant. Sed cum paululum à Monasterio discessissent, mox ingens extitit aëris tempestas, & ventis sæuientibus, & immenso imbre è cœlo ruente. Quod legati cernentes, & non sine miraculo fieri credentes, illum in Monasterium reduci mandant, Beatissimo Pontifici rem, vt gesta fuerat, referentes. Qui deinceps noluit eum ad se acciri, vt in sua quiete permanens, pro fœlici statu Ecclesiæ Dominum exoraret. Sanè vir beatus cùm nimiæ esset austeritatis & abstinentiæ, facto stomacho in eum morbum incidit, quem syncopen vocant, ita vt nisi crebro fratrum opera cibus ei oblatus esset, animam actutus videretur. Quæ molestia eum ad supremum vsque diem laborasse norunt, qui eum nouerunt. Sed ille suis illam peccatis imputans, patientissimè tolerabat. Putabatur autem fortassis, diuina dispensatione eam illi euenisse, vt suæ infirmitatis experientia disceret, quemadmodum ipsum oporteret aliorum misereri. Cum enim initio pauci essent qui propter austeritatem eius, possent instituta seruare, eo morbo correptus, tanta moderatione, discretione, & misericordia erga omnes imbutus est: vt nemo illo humanior videretur.

*Stephanus Papa desiderat videre sanctum virum.*

*En quantum latere voluerit vir sanctus.*

*Incidit in grauem morbum vir Dei.*

Nec defuit ei gratia discretionis spirituum, neque donum prophetiæ, quo occulta hominum, soli Deo cognita, diuina reuelatione edoctus, enunciauit. Si quis ad Monasterium veniret, Monasticum habitum petiturus, ex eius aspectu cognoscebat, num Dei spiritu moueretur. Cum quidam frater confessus fuisset ad eum, & parua solum peccata diceret, & non quod adulterium commisisset, & esset in voluntate adhuc committendi hoc peccatum, ad partem eum vocauit, eique aperuit omnia. His ille auditis, cum agnosceret peccatum suum, nec dubitaret diuinitus beato reuelatum fuisse, quod sciret esse occultum, prostratus ad pedes eius, cum lacrymis veniam petiit, egitque pœnitentiam.

*Habet gratiã discretionis spirituũ, necnon & prophetiæ spiritum.*

Manente viro Dei in Monasterio Passiniano, Leo Papa illac transiens cum curia sua, volebat illic cibum capere. Quæsiuit ergo vir sanctus ex

*Leo Papa venit ad eum.*

œconomo suo, num pisces haberet Pontifici maximo offerendos, cúmque didicisset nullos eum habere, conuersos quosdam mittit piscatum in fluuiolo siue lacu vicino, cunctis affirmantibus illic pisces non inueniri. Perstat in sententia dicens vt irent, & Domini auxilium sibi affuturum minimè dubitarent. Itum est ergo, & duo magni Lucij capti sunt. Eos cum omnium admiratione apportatos, ipse vir beatus Pontifici obtulit, gratissimo animo illos accipienti. Viscera pietatis & misericordiæ magna erant in illo. Cùm aliquando esset in Vmbrosiano Monasterio, memor inopiæ qua multi premebantur, ipsemet triticum fratribus suis vsui aptum, grata liberalitate pauperibus aduentantibus elargitus est: mansitque horreum æquè vt antea plenum.

*Pisces iussu viri Dei miraculosè capiuntur.*

*Distribuens triticũ pauperibus nihilominus horreum plenum remanet.*

Cum etiam famis inopia vehementius instaret, beatus pater ante fores Monasterij de Razulo stãs, & videns gregem vaccarum Monasterij in iugo montis depascere, & quod pauperibus alimoniam petentibus largiretur non haberet: orauit dicens, O Sancte Paule, si vnam pro pauperibus ex vaccis concederes! statim de iis vna corruens deorsum mortua est, & carnes eius iussit pauperibus dari. Qua distributa, orauit simul sibi dari secundam, tertiam & quartam, quas omnes pauperibus distribuit: quamobrem pastores tristes effecti de morte illarum duxerunt gregem ex alio latere montis. Sed vir Dei petitioni pauperum subuenire desiderans, & vnde non habens, orauit cum lacrymis dicens: Sancte Paule, isti locum mutando fugere te quærunt; sed te qui huius loci patronus es, fugere non possunt. Tu qui misericordiam prædicasti & eleemosynas largiendas, concede mihi vnde pauperes sustentare valeam. Et subitò quinque ex vaccis corruerunt, & mortuas iussit pater pauperibus elargiri. At pastores hoc videntes cœperunt dure conqueri contra ipsum propter huiusmodi damnum: dicentes melius esse eum reuerti ad suum Monasterium Vallis vmbrosæ, quàm ibi manere cum tanto eorum dispendio. Quibus placidè respondit. Video vos tristes effectos super ea re, sed ne timueritis, quia nulla earum amplius peribit, quod & factum est. Altera vice cum non haberet panes ad dandum, lac totum animalium pauperibus iussit erogari. Pluuiales etiam Abbatiæ Vallis vmbrosæ oblatos necessitatis tempore vendidit, & pretium pauperibus distribuit.

*Summa deuotione afficitur erga S. Pauliũ Apostolum.*

*Magna S. viri misericordia erga pauperes.*

Quodam tempore cum fratres nimia egestate premerentur, beatus pater præcepit cibos diuidi, & cuilibet frustum dari, & nihilominus considerans quia necessitas non habet legem, ordinauit cum cellario vnum arietem occidi, & coctum fratribus dari: Hodie (inquiens) egemus, sed cras abundabimus. In prandio igitur sedentes ad mensam, quilibet paruum frustum panis ante se positum comedit. Carnes verò omnes horruerunt, nec contingere voluerunt propter Regulam. Sequenti autem die iuxta eius prophetiam, venerunt quidam ad Monasterium S. Saluij cum animalibus pluribus frumento & farina onustis, asserentes se directos à nobilibus personis, sed qui illi fuerint inueniri non potuit. Idem accidit altera vice. Cum enim deficientibus panibus, carnes bubalas coctas mandasset apponi, & fratres non audentes contingere, orante sancto, quidam ad ianuam Monasterij pulsauit, ad quem cellarius pergens inuenit illũ afferentem panes multos in tobaliis, quos assumptos portauit ad mensam fratribus, gratias Deo agentibus qui dat escam tẽpore opportuno. Et cum cellarius reuersus esset ad latorem, vt nomen mittentis inquireret, non est amplius inuentus. Ille enim pistor miserat qui panem de cælo præstitit Hebræis ad manducandum in deserto.

*Nota Monachorum zelũ in sancta Regulæ obseruatione.*

*Diuinitus Monachis mittuntur ciboria.*

Cum in Monasterio Vallisvmbrosano quidam frater ægrotasset, vir Dei medicinam ei ordinatam manu sua tradidit, quo facto ex causa alia emergente ad alium locum festinus accessit. Sed infirmus, non se cautè custodiens aggrauatus, post dies paucos expirauit. Pro cuius memoria per totã congregationem (sicut mos est agi pro defunctis) eius obitum Supprior per apices intimauit. Interea vir Dei rediens ad locum, audito fratris transitu, inquirens scire voluit causam mortis suæ. Cumque sibi expolita fuisset, mandauit per totam congregationem deleri memoriam eius propter inobedientiam suam, non cautè se custodiendo. Quod cum obseruaretur, nullo pro ipso orante, euoluto dierum spatio apparuit clara die defunctus alteri fratri, & ipsi declarauit se esse illum fratrem qui migrauerat, interrogatus de statu suo respondit. Excommunicatus sum, & propter patrem Ioannẽ, à fidelium consortio segregatus. Et ille. Quomodo te frater iuuare valemus? Qui ait, Si S. Ioannes me reconciliauerit. Eo disparente, frater ille cui apparuerat, Sanctum Ioannem adiit, & quod viderat, & audierat, narrauit. At pius pater seueritatem misericordia temperans, iussit in Monasterio & per congregationem officium & eleemosynas fieri.

*Seueritas S. viri in Monachum inobedientem.*

*Quoad suffragium intelligendum.*

Quidam alius Florentius nomine decumbens in lecto mortis, per amicos à sancto viro habitum sui Ordinis postulauit. Cui sine multa dilatione habitum probationis concessit. Quo suscepto dum iam conualuisset, clausträque Monasterij baculo sustentante lustrarer, infirmitas pristina eum repetiit, vt morti propinquus videretur. Quod cum vir sanctus audisset, ad lectum infirmi cum fratribus accessit, eum qui in proximo moriturus erat Domino commendans. Infirmus autem cœpit vultum suum pallio quo opertus erat tegere. Et cum causam huius quæreret sanctus, respondit timens & tremẽs: Quia cerno diabolum prope adstare, ex cuius ore miræ magnitudinis flamma, & ex naribus sulphureus fumus egreditur. Et sanctus ait: Vbi est? in qua parte? Et cum locum infirmus designasset, beatus Ioannes ablata cruce de manu infirmi, fortiter diabolum ea percussit. Qui statim vt fumus euanuit, vnde clamans ægrotus ait. Gratias Deo, ecce fugit, ecce recessit. Et ecce B. Maria, & Sanctus Petrus, & Sanctus Benedictus. Quibus dictis spiritum exhalauit.

*Fugat dæmonem vir Dei.*

Cum hæc agerentur, cœpit Episcopus Florentinus, nomine Petrus de Papia oriundus, persecutionem maximam contra B. Ioannem, eiusque Monachos concitare, eo quod dixissent eum esse simoniacum, & hæreticum, ideoque ab eius sacramentis abstinendum. Hinc oritur contentio præualida in Clero & populo Florentino, aliis Episcopũ defendentibus, cæteris Monachos cõmendantibus. Et quia hinc inde seditio inter homines sæpe super ea re fiebat, existimauit Petrus iniquus à se repellere talem notam contra se ortam, si Monachos illos necari faceret: vt exemplo eorum cæteri sibi contrarij terrerentur. Missa igitur nocturno tempore peditum & equitum multitudine armata ad Monasterium S. Saluij, vbi credebant beatum Ioannem residere, qui tamen die præcedenti inde recesserat ad Vallem vmbrosam, ingrediuntur violenter locum ministri tenebrarum, & Monachos aggrediuntur, quos reperiũt, eos crudeliter vulneran

*Petrus de Papia Ep. Florent. Simoniacus persequitur Ioannem.*



vulnerantes, in agnos insilientes vt lupi, nec murmur resonat, non querimonia à Monachis, sed patienter ferunt illatas iniurias gratias agentes Deo, qui eos dignos fecerat pro eo pati, qui veritas est infallibilis. Nec his contenti satellites Episcopi, Monasterium spoliantes ignem supposuerunt. Sed vnde inimicus victoriam & exaltationem sui acquirere credidit: inde detrimentum & confusionem inuenit. Nam multi qui prius erant fautores Episcopi ad eum defendendum, tantam videntes impietatem, Monachorum facti sunt adiutores.

*Grauiter vulnerantur Monachi, & Monasterium incenditur à simoniacis.*

Sequenti igitur die diuulgato illorum maleficio multi accesserunt ad locum, & videntes desolationem loci, multipliciter Monachis prouiderunt. Beatus quoque Ioannes post relationem huius sibi factam, & ipse aduenit: videnſque suos fratres flagellatos, nudos, & cæsos, inquit. Nunc verè Monachi estis: sed cur sine me hæc perferre voluistis? Valde enim doleo quia coronæ vestræ particeps fieri non merui. Pergentes igitur Romam Monachi cum amicis eorum, & constanter Petrum Florentinum Antistitem publicè hæreticum & simoniacum proclamantes, offerunt ad hoc scelus probandum se ignem intraturos. Sed & Alexander Papa tunc præsidens in cathedra Petri, nec accusatum deponere voluit, nec probationem per ignem à Monachis sumere: pars enim maxima Episcoporum qui ad Synodum generale conuenerant Episcopo fauebat, & Monachis aduersabatur. Hildebrandus tamen Archidiaconus & postea Papa Gregorius VII. partibus Ioannis fauebat, & defensor extabat. Dux autem Gotthifredus partes iuuabat Episcopi, adeo vt Monachis mortem minaretur. Indeque hac controuersia durante, & qui Ioanni adhærebant tam laici quàm Clerici multas iniurias ab aduersariis patiebantur. Demum Monachi se offerunt zelantibus pro Episcopo suo se per ignẽ transituros, & si illæsi euadent prout confidunt, idẽ cum eis sentiant de simonia Episcopi. Sin autem, ipsi cum aliis venerabuntur Episcopum, & immunem simonia profitebuntur. Sermo omnibus placuit. Statuitur locus & dies, quo hæc fieri debeant: vt qui volent aspicere valeant. Et locus determinatus ad huiusmodi probationem fuit Monasterium Septimi: quod tunc erat dicti Ordinis, nunc autem Cistercienſium. Dies præfixa est quarta feria primæ Dominicæ quadragesimæ. Modus autem probationis fuit, vt ibi in publico loco duæ strues lignorum altrinsecus iuxta se ponantur, quarum longitudo sit decem pedum, latitudo quinque, altitudo quatuor & dimidij: & inter vtrasque lignorum pyras semita remaneat vnius brachij strata prunis ardentibus, per quam vnus ex Monachis transire debeat. Aduenientе igitur die & hora statuta, inuitatur Episcopus à suis vt accedat ad videndum experientiam tantæ rei, ne tandiu ciuitas laboret tanta altercatione. Quod ille omnino renuit: immo qui illum diligerent illuc proficiſci prohibuit.

*Accusatur Petrus Episc. Florent. apud summũ Pontificem.*

*Proponitur qualiter decidatur sitne Episc. ille simoniacus.*

Populus autem omnis, & sexus vterque procedunt ad locum & pars maxima Cleri. Spondent adhærentes Episcopo si sequatur effectus probationis, vt transiens per ignem quis eorum euadat, illæsus, cum Monachis tenere, & Episcopum relinquere. Fiunt letaniæ à Monachis, & aliæ orationes, cantatur Missa solemniter ab vno ex eis Abbate, coadiuuantibus Clericis & Monachis. Ad Agnus Dei in Missa cùm peruenitur, defert vnus ex Monachis aquam benedictam ad aspergendum, alter thuribulum ad incensandum, tertius faculas ad ligna incendenda, quartus imaginem Crucifixi. Inuocatur Dominus Iesus Christus, & mater eius, à cunctis pleno ore, vt veritatem facti ostendat. Expleta igitur Missa, & deposita casula, crucem Christi portat in manu Sacerdos qui celebrauerat Abbas vocatus Petrus. Letaniis dictis eligitur vnus ex Abbatibus qui voce sonora populo cuncto exponat conditionem petitionis & promissionis.

His expletis, ipse præfatus Petrus Monachus cum Cruce in manu orante sancto Ioanne, ibique adstante, ingreditur per medios ignium globos, flamma ascendente in sublime, calcans ardentes prunas in via inter strues lignorum incensas. Ante tamen ingressum hanc orationem fecit audientibus cunctis. Domine Iesu Christe lux omnium vera in te credentium, misericordiã tuam peto, tuam clementiam exoro, si Petrus Papiensis qui Episcopus dicitur Florentinus, interuentu pecuniæ Florentinam arripuit sedem: nunc tu fili æterni patris salus mea, in hoc tremendo iudicio ad adiuuandum me festinã: & me illæsum sine aliqua combustionis macula conserua, sicut olim tres pueros in camino ignis ardentis Babylonico saluasti illæsos. Transiens igitur sine aliquo signo combustionis corporis & vestium, cum ad extremum ignis ardentis peruenisset, & vellet per eandem viam repedare, capitur à populo ne reuertatur, vt pote apertè edocto de virtute propositа, nec satiari poterant præsentia eius: aliis manus, aliis pedes, reliquis vestes osculantibus, beatum se arbitrabatur qui vel fimbriam vestimenti eius tangere posset. Sicque Simon Petrus magnis laudibus sublimatur, Simon verò Magus vt stercus ab omnibus conculcatur. Et Petrus non Apostolus, sed Episcopus simoniacus ab omnibus prædicatur, & vt hæreticus euitatur. Per literas solemnes Communitas totam seriem facti summo Pontifici Alexandro significat. Qui statim ad scandalum tollendum, iustitia exigente, prouidit de altero Episcopo ipsi ciuitati Florentinæ. Post hæc beatus pater senio confectus, infirmatus est ad mortẽ, & Dauidica illa verba persæpe repetebat: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, &c. Iamque morti proximus, conuocatos discipulos ad fraternam concordiam cohortatur, & in Breuiculo cum quo sepeliri voluit iussit hæc scribi: Ego Ioannes credo & confiteor fidem quam S. Apostoli prædicauerunt, & sancti patres in quatuor Conciliis confirmarunt. Tandem triduano Angelorũ dignatus obsequio 78. annum agẽs, apud Passinianũ migrauit anno salutis millesimo septuagesimo tertio, 4. Idus Iulij. Quem Cælestinus III. in numeris miraculis clarum in SS. numerum retulit.

*Pro causa S. viri quidam illæsus ingreditur ignem.*

*Oratio Petri Abbatis ante ingressum in ignem.*

*Magno in honore Monachi habentur: Episcopus verò tanquã hæreticus euitatur.*

*Moritur vir sanctus.*

### NOTÆ.

Ioannes Gualb.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 12. Iulij. Vitam eius fusius descriptam affert Sur. tom. 4. B. Petrus Damianus in suis Epistolis fusius disserit de eius causa cum Episcopo Florentino, necnon & Baron. in Annal. Meminit eiusdem Vvion in Mart. Monastico. Piura de eodem in Breuiario Monastico. In Breuiario etiam Romano fit de eo Commemoratio in officio, & in Missa.*

Simoniæ labem detestabatur.] *Simonia dicitur à Simone Mago, quam Latini ambitum vocant, cum quis Ecclesiasticas functiones, quæ mera Dei dona sunt, pecunia nundinatur.*

Abbas vocatus Petrus.] *Hic quia ex igne illæsus exiuit, semper postea cognominatus est Petrus Igneus, qui custos pecoris ab initio inter Monachos Vallis Vmbrosæ fuerat, & ex vilissimo officio Monachus illius Ordinis factus est, deinde Abbas Ficelensis, & denique ad Cardinalatum vsque prouectus est, & sancto fine quieuit, vt videre est apud Vvionium in Mart. Monastico.*

## VITA S. DOMINICI EREMITÆ, cognomento de Silos. Ex Thoma de Trugillo Ordin. Prædicat.

*Habetur to. 2. Thesauri Concion.*

*Patria S. Dominici Silensis.*

VIXIT hic gloriosus sanctus, secundùm Breuiaria aliqua Hispaniæ antiqua, & auctores sanctoralium, ex oppido Cannos nuncupato. A prima autem ætate tanquam alter Dauid exercitatus fuit in pastorali officio, custodiens gregem patris sui. Deinceps verò desiderans se totum diuino obsequio tradere & consecrare, relicto huiusmodi officio, secessit in solitudinem quandam, vt diuinæ contemplationi vacaret. Hinc verò habitum sumpsit Sancti Benedicti in quodam Monasterio S. Æmiliani eiusmodi ordinis, vbi etiam didicit sacras literas, & breui quidem tempore multos in eis consecutus est progressus.

*Fit pastor ouium. Secedit in solitudinem.*

*Suscipit habitum S. Benedicti.*

Postquam autem sacerdos ordinatus fuit, commissa ei fuit animarum cura in populo suo. Quod munus cum prudentissimè administrasset, electus fuit Prior sui Monasterij, in quo habitū sumpserat, patrum omnium vnanimi consensu. Cæterùm cùm Dominus quidam temporalis iniustum quoddam tributum exigeret ab ipso Monasterio, restitit ei magno quidem animo & constantia beatus Dominicus, proptereaque fuit ex Monasterio in exilium missus simul cum duobus Monachis. Contulit se igitur beatus Dominicus ad Ferdinandum Aragonum & Castellæ Regem eius nominis primum, à quo cognitus, fuit honorificè exceptus. Dedit insuper ei Monasterium quoddam à silicibus vocatū Silos, quod esset in maxima quadam solitudine & asperitate, atque in mediis silicibus positum. Conuenerunt multi vndique ad eum audita eius fama, & eius habitum sumpserunt, atque à Diœcesano ipso Abbas creatur beatus hic Dominicus. Hic igitur non modo sanctissimè vixit, & subditorum animos variis virtutibus informauit, atque ipsum Monasterium multis opibus locupletauit, verum etiam multis miraculis claruit, reddens cæcis visum, surdis auditum, & varios denique sanans languores & morbos.

*Constituitur Prior sui Monasterij.*

*Mittitur in exilium.*

*Confert se ad Ferdinãdum Aragonum Regem.*

*Claret miraculis.*

Tandem adueniente mortis hora, conuocauit fratres suos, & eosdem ad virtutis studium & Religionis obseruantiã vehementer hortatus est: prædixitque eis multa quæ futura erant; quæ postea cùm vidissent impleta, agnoscebant sanctitatem eius & spiritum propheticum. Receptis ergo deuotissimè sacramentis omnibus, glorioſum Deo reddidit spiritum. Viderunt autem pueri quidam, ad significandum simplicitatem & animum verè humilem prædicti sancti, eius animam in cœlum ascendentem, tribus coronis ornatam. Eius autem sanctissimum corpus sepultũ fuit in prædicto Monasterio, à quo postèa vir sanctus nomen sumpsit. Celebratur verò festum eius in quibusdam Ecclesiis Hispaniæ die 20. Decembris, quo die mortuus est circa annum Domini iuxta Parapham 1074. quamuis alij centum annos vlterius addant, sed prima opinio magis consona videtur cum mentione illa quæ fit in eius vita de prædicto Rege Ferdinando.

*Monachis prædicit euẽtura.*

*Sũptis sacramentis paulo post moritur.*

*A pueris videtur eius anima ad cælos ascendere.*

### NOTÆ.

Dominicus.] *De eodem Molanus in Add. ad Vsuard. 20. Decemb. Vitam eius adfert Alphonsus Villegas in flore SS. Hispaniæ. Meminit eiusdem Baronius in Annotat. ad Mart. tractans de S. Dominico Brixiensi Episcopo. Agunt & de eodem Vvion. in Mart. Monastico, & Ribadeneira. Fit mẽtio de eo in vita S. Dominici Institutoris F. Prædicat. Qui postmodum in honorem S. Dominici de Silos Monasterium construxit. Nam parentes eius cum liberos habere non possent, ad Sancti Dominici sepulchrum sæpius orantes, intercessione eius, puerum genuerunt, quem de nomine eius Dominicum vocauerunt. Est Toleti egregium Monasterium Virginum Prænostrat. S. Dominico de Silos dicatum.*

## VITA SANCTORVM EREMITARUM Gerlaci, Eleſmis, & Inachi. Ex variis Auctoribus.

BEATVS Gerlacus fuit militum magister. Hic cùm prope Iuliacum properaret cum suis ad ludos, qui Torneamenta dicuntur, coniugem suam obiisse intellexit. Cuius morte compũctus, mox ad Papam Hadrianum accessit, pœnitentiam pro peccatis petens. Vnde septem annis Hierosolymæ, pauperibus & peregrinis deseruiuit. Quibus transactis, vsque ad mortem Eremiticam vitam professus est cum admiranda corporis afflictione.

*S. Gerlaus audita vxoris morte, statim compungitur.*

*Eremiticam vitam amplectitur.*

Vidit autem B. Hildegardis singulare solium in cælestibus præparatum, eique reuelatum fuit ad beatum Gerlacum recipiendum esse. Quiescit in Diœcesi Reremundensi, in pago ab eo nominato, in Monasterio Virginum Præmonstratentium, vbi ad nostra vsque tempora miraculis claret. Obiit circa annum Domini millesimum centesimum septuagesimumquintum. Commemoratio eius fit in Vigilia Epiphaniæ.

*Visionẽ videt B. Hildegardis de gloria sancti viri.*

Fuit Eleſmes natione Gallus, vt ex antiquis Hispaniæ Breuiariis colligitur. Huius autem viri sanctitas nota fuit Regi Alphonso VI. atque ita eius precibus venit in Hispaniam. Cumque ciuitas Brugarum ei maximopere placeret, & videretur sibi maximum esse Dei seruitium peregrinos benignè ibi recipere transeuntes ad D. Iacobum, ibi sibi habitationem elegit, in quodam Eremitorio beati Ioannis Euangelistæ, atque adiutus & fautus vehementer à Rege Alphonso, qui de omnibus necessariis ei prouidebat, recipiebat peregrinos, atque sepeliebat mortuos, & in aliis denique id genus operibus sanctis se exercebat: neque interim dimittebat pœnitentias suas & ieiunia, atque orationes, quibus magnam noctis partem impendebat. Dormiebat autem parum, & humi cubabat, & cum sacerdos esset, quotidie Missam celebrabat.

*S. Eleſmes ex Gallia, à Rege Alphonso rogatus, venit in Hiſpaniam.*

*Viuit in Eremitorio.*

*Vacat operibus charitatis & misericordiæ.*

*Dormit in nuda humo.*

In quibus sanctis operibus perseuerans, vitam hanc temporalem & caducam in immortalem & sempiternam commutauit, 30. die mensis Ianuarij. Fuit autem sepultus in prædicto Eremitorio B. Ioannis: vbi postea sumptuosissimum quoddam templum constructum est.

*Moritur.*

Cum regnabat in Castella Xanthus, Xanthi comitis gener ac hæres, Christi dogma latè per Cantabriã diffundi cœptum est. Quippe Rex pius deuictis ac fugatis Saracenis, ditionis suæ fines latissimè producendo, ad Pyrenæos vsque saltus orthodoxã fidem supplantauit. Et inter alia pietatis opera Ognense cœnobium, quod Xanthus socer substruxerat, reformandum, reficiendum curauit. Nam & fœminis inde parum pudicis expulsis, Monachos verè pios induxit, quibus Garsiam quendam præfecit Abbatem. Garsia tamen vita functo, haud mediocris Xanthum cura incessit, quemnam Monachis potissimum præficeret,

*Ognense cœnobium reformatur.*

Erat



Erat per id tempus in Aragonia vir pius Inachus nomine, qui vt mundi fugeret illecebras, Deóque totus intenderet, inuia inaccessaque montium solus habitabat. Huius celebri fama comperta, quæ longè latéque currebat, nuntium Rex destinauit ad eum, cupiens Ognense Monasterium tali viro committere. Cæterùm aliis & aliis nihil proficientibus nuntiis ac literis, Rex tandem iuit ad eum. Adductus igitur Inachus abs Rege inuitus, Ogniẽsque cœnobio Abbas constitutus, dictu non facile est, quantum in augenda re familiari, reformandisque Monachorum institutis, ac moribus profecerit.

*Degebat in montibus S. Inachus.*

*Constituitur Abbas.*

Iam miraculis tantis inclaruit, vt incerti quæ nunc potissimum referamus, omnia consulto prætermittamus, ad gestorum eius volumina lectorem cupidum relegantes. Illud nunc retulisse iuuabit, quod post multos annos, quibus bonum Abbatem, sanctumque pastorem egit, cum ægrotaret propediem moriturus, & à vico proximo in Monasterium deferretur, pueri vestibus albis coruscantes visi sunt ei lampades ardentes manibus præ se ferre, quibus vt subueniretur, cùm clamaret, (putabat enim mole lampadarum prægrauari) Monachi nihil tale cernentes, delirare eum primò ex febre crediderunt; mox verò cognita re Deum mirabilem in sancto suo prædicauerunt. Ita ingressus Inachus Monasterium, & sacramenta percepit, & animam Deo reddidit.

*Miracula multa edit.*

*Nota mirum quoddam.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Gerlacus.] *De quo Molanus in Addit. ad Vsuardum, ex quo omnia supradicta collegimus. Meminit eiusdem Petrus Cratepol. de Episcopis Germaniæ.*

Torneamenta dicuntur.] *Torneamen, seu Torniamen, vel Torniamentum, ludus erat qui Troya dicebatur, quasi pro Troyano agmine dicatur Torniamen. Vide Iacobum Episcopum Genuensem. Vulgò hi ludi vocantur* Iouſtes, ou Tournois, *in quibus sæpissimè multa adueniunt mala.*

Eleſmes.] *Meminit eiusdem Molanus in Addit. ad Vsuardum. Agunt præterea de eodem Maldonatus Hisp. Thomas de Trugillo tomo 2. Conc. & Franc. Haræus circa finem.*

Inachus.] *De quo agunt Maldonat. de Trugillo, & Haræus vbi suprà.*

## VITA S. IVTTÆ INCLVSÆ. Ex Trithemio Abbate.

*Habetur lib. 3. de Viris Illust. Ord. S. Bened. c. 331.*

BEATA Iutta sanctimonialis in monte S. Disibodi, pro Christi amore inclusa, vigintiquatuor annis vitam in arcta pœnitentia ibidem continuauit. Hæc fuit soror Domini Meginhardi Comitis de Spanhem, & magistra beatæ Hildegardis Abbatissæ S. Ruperti, apud oppidum Bingense. Erat autem virgo sanctæ conuersationis, & diuini amoris igne succensa ab adolescentia sua, vnde contempto seculo, ad Christi seruitutem toto desiderio conuolauit. De qua fertur quod siccis pedibus sæpius calcauerit vndas fluuij Nahæ, iuxta montem iam dictum præterfluẽtis. Nam si quando imbribus auctus intumuisset fluuius, ipsa super fluctus ambulans, ad officia diuina sine impedimento, Angelorum suffragiis adiuta, peruenire consueuit.

*Siccis pedibus vndas fluuij Nahæ calcat.*

Qualis autem fuerit hæc virgo beata, quàm humilis, quam charitatiua, quàm continua in oratione, nec præsentis operis est dicere, nec meæ facultatis. Nunquam à diuino seruitio tepuit, nunquam cessauit; sed erat in oratione continua, in sermone prouida, in cogitatione munda, in operatione præcipua. Post multa autem exercitia pietatis, Domino Iesu vocante eam ad nuptias æternæ fœlicitatis, deuicta morte, transiuit, vndecimo Calend. Ianuarij anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto, Indictione 14. anno conuersionis suæ 24.

*Catalogus virtutũ eius.*

*Migrat ad sponsum.*

### NOTÆ.

Iutta.] *Meminit eiusdem Dodechinus Abbas in Appendice ad Marianum ad annum 1136. Dissentiunt scriptores de die eius festiuitatis, Bugianus enim festiuitatem 11. Calend. Februarij ponit, Vvionius verò in Mart. Monastico 22. Decembris, verumtamen Trithemij opinio certior est.*

## VITA S. BRVNONIS, ORDINIS Carthusianorum Institutoris eximij. Ex ea quæ est apud Surium.

*Habetur tomo 5.*

BEATISSIMVS Bruno sacri Cathusiani instituti primus auctor, natione Germanus, in insigni Colonia Agrippina parentes habuit & genere & virtute claros. Hic missus Lutetiam Parisiorum, vt illic literis & disciplinis liberalibus eruditetur, tantum profecit præ cæteris coætaneis suis, vt inter primos Philosophos numeraretur. Ad sacræ quoque Theologiæ studia se conferens, in Theologia doctissimus & celeberrimus habitus est, vti possunt testimonium perhibere scripta eius quæ extant: fuit verò etiam Rhemensis Ecclesiæ Canonicus. Verumenimuero per id tempus circa annum salutis millesimum octogesimum secundum, Parisiis literarum studia florebant, & erat illic tunc magna turba studiosorum, tum non pauci doctores insignes. Accidit autem tunc vt in ea vrbe sanè horrendum & seculis omnibus memorandum spectaculum, quod & Carthusianæ scilicet vitæ instituendæ occasionem præbuit. Quidam enim valdè celebris Doctor præ cæteris multa doctrina & eximia morum honestate instructus (quantum quidem homines, qui externa sola intuentur, existimare possent) diem clausit extremum, more Christiano Ecclesiasticis nequicquam munitus Sacramentis. Et ô iudicia Dei verè tremenda!

*S. Brunonis clari natales.*

*Claret multa eruditione.*

*Nota pie lector, & aduerte quæso diligenter.*

Viris Ecclesiasticis preces illas, quas vigilias defunctorum vocant, recitantibus, vbi ventum est ad eam lectionem, cuius initium est, Responde mihi, is qui erat vita functus in ipso feretro exerit se, & paululum eleuato capite, cunctis videntibus & audientibus, & ad tantam rei nouitatem non immeritò stupentibus, alta & horrenda voce dixit: Iusto Dei iudicio accusatus sum. Et his dictis, rursum in feretro deposuit caput. Differtur itaque sepultura in diem crastinum: repetitisque exequiis, iterum lectio suprà dicta est recitata, cum ecce rursum ille ingenti voce clamat. Iusto Dei iudicio iudicatus sum. Tum verò corripiuntur adstantes omnes summa & incredibili admiratione, horrendumque spectaculum stupore afficit vniuersos. Sed quia tamen necdum ea, quæ hactenus dixerat, se iusto Dei iudicio & accusatum & iudicatum, apertam habebant damnationis eius significationem, cùm possent etiam in bonam accipi partem, cunctis visum est etiam in tertium diem eius protrahere sepulturam. Quo illucescente, tota ferè ciuitas accurrit, tam inusitatum & terribile iudicium Dei nosse cupiens. Vbi cum eodem modò iterarentur exequiarum ritus,

*En Vigilia defunctorum.*

*Defunctus quidam, qui putabatur valde pius, præbet omnibus horrendũ spectaculum.*

ritus, & ad Lectionem quam diximus peruentum esset:

*Tandem disertè clamat se esse damnatum.*

*Tum rursum exanimus feretro caput extulit alto,*
*Atque infœlicem se contemplando, locutus,*
*Sic ait immenso luctu, grandique boatu:*
*Parcite funeribus, mihi nihil prodesse valetis.*
*Heu infœlicem cur me genuere parentes?*
*Ah miser æternos vado damnatus ad ignes,*
*Indéque conticuit semper, iacuitque supinus.*

Et quis ad eam vocem non totus à se discedat? Damnatum ille se iusto Dei iudicio clamabat, qui sic inter homines vixisse visus erat, vt ab omnibus sanctus putaretur. Et ille quidem, vt omni Ecclesiæ suffragio, & ipsa quoque Ecclesiastica sepultura indignus, in loco prophano, in sterquilino deinde sepultus est. Fuit verò sanè permultis efficax incitamentum ad vitam, animumque corrigendum, tam inauditum miraculum. Nam & ipse venerabilis Bruno, cùm præsens adesset, territus, & salubriter compunctus, mox accersiuit ad se nonnullos ex magis familiaribus sociis, & discipulis, magistrum videlicet Landuinum, qui post eum fuit primus Carthusiæ Præfectus siue Prior, duos Stephanos, Burgensem & Diensem, ambos Canonicos Sancti Rufi, Hugonem, quem dicebant Capellanum, quòd solus inter eos sacerdotio initiatus esset, duos Laicos Andream, & Guarinum, qui & ipsi huic spectaculo interfuerant. Et quis, inquit, amici mei, tam saxeo sit pectore, quem tale exemplum ad agendam pœnitentiam non impellat? Vnicum tantum superest remedium, vera pœnitentia, cùm ipse Saluator dicat: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.

*Intereſt Sanctus Bruno iã dicto ſpectaculo.*

*Luca 13.*

Itaque in mentem eis venit vir tunc sanctissimus beatus Hugo, Episcopus Gratianopolitanus: cogitant in eius Diœcesi montes illos altissimos & loca deserta, atque ea causa pœnitentiæ agendæ maximè opportuna esse, denique ad eum se conferunt. Porrò per idem tempus vidit Sanctus Hugo Episcopus in somnis Deum in ea Eremo quæ Carthusia dicebatur, suæ maiestati domum exædificantem, septem quoque stellas colore rutilo in orbem dispositas: cùm ecce paulo post Bruno cum sex sociis aduenit, locum Eremiticæ vitæ cõgruum humiliter ab eo petens. Et ille quidem beatus Antistes, postquàm abundè probasset eorum constantiam, eis dedit Eremum Carthusiæ, extruens quoque eis ibi Ecclesiam, & parua domicilia vel cellulas. At verò illic in iis cellulis singulis bini fratres degebant, silentio, orationi, lectioni, cordis puritati, & rerum diuinarum contemplationi sedulo vacantes, certis etiam horis operis manuum, præsertim conscribendis libris incumbentes. Atque adeò ipse quoque beatissimus Hugo in tantum Eremum cum iis incolebat, vt eum magister Bruno nonnumquam exire compelleret, Ite, dicens, ite ad oues vestras, eisque quod debetis exsoluite. Atque hæc quidem sunt fundamenta Carthusianæ Religionis. At verò beatus ille Bruno olim in mũdo celebris, etsi iam omni mundi huius calcata gloria, in Eremo latitare, solique Deo inhærere summoperè studeret, non potuit tamen vsquequaque voto potiri suo.

*Venit ipſe cũ ſex ſociis ad S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum.*

*Datur eis Eremus dicta Carthuſia.*

Etenim cum non totos sex annos in illa exigua quidem, sed sancta sodalitate exegisset; Pontifex Vrbanus II. qui olim beati viri discipulus fuerat, non immemor egregiæ virtutis & illustris doctrinæ eius sui præceptoris, acciuit eum per literas ad sanctæ Ecclesiæ præstanda officia, grauiter præcipiens, ne venire ad vrbem cunctaretur. Itaque Romam profectus est. Vbi cum diutius hærere cogeretur, præfecit suis Priorem Landuinum, crebrò interim ad eos scribens, hortansque vt in via Domini constanter perseuerarent. Electus verò est deinde quoque vir sanctissimus, annuente eodem Pontifice, Rhegiensis Ecclesiæ, quæ est prima totius Calabriæ Metropolis, Archiepiscopus: multusque in eo erat Vrbanus Pontifex, vt cum in ea dignitate confirmaret, sed nequaquam ille præbuit assensum, quin potiùs tandem cum benedictione Pontificis à curia discedens, Calabriæ loca deserta expetiit, adiunctis sibi aliquot eiusdem propositi viris, quos iam vitæ eius odor bonus, & feruentes exhortationes ad mundi contemptum adduxerant. Didicerant enim in Calabriæ regione multas esse solitudines, agendæ pœnitentiæ, & vitæ solitariæ consectandæ aptissimas.

*Cogitat Sanctus Bruno præſtare operam ſuã Romano Pontifici,*

*Reſpuit Epiſcopatũ Rhegienſem.*

Et maluisset ille quidem, quod etiam crebrò apud se constituerat, redire in Carthusiam ad fratres charissimos. Sed quia summus Pontifex cum sua Curia proficiscebatur in Galliam, in cuius finibus Carthusia sita est, verebatur, si ipse quoque eò se conferret, ne aut curiam declinare non posset, aut illam non reliquisse, sed sequi videretur. Potius igitur visum est Calabriam petere, nihil interim mutata voluntate suos in Carthusia reuisendi compositis sedatisque rebus, sicut & declarant literæ quas ex Calabriæ solitudine fratribus in Carthusia degentibus scripsit, in quarum calce sic habet: De me autem, inquit, fratres, scitote quoniam vnicum mihi post Deum desiderium est veniendi ad vos, & vos videndi, & quando potero, opere adimplebo, Deo adiuuante. Cæterum in ipsa Calabria venit ad Eremum quandam, cui Turris nomen est, in Diœcesi Squillacensi, ibique non cellas alicuius pretij, quòd sumptus non suppeterent, sed casas humiles, ex vili quidem materia, sed in Christo pretiosa ædificarunt, donec Rogerius Comes Calabriæ dedit eis Ecclesiam S. Mariæ, & B. Stephani de Eremo, addens etiam res vitæ degendæ necessarias. Sanè quem se ibi præstiterit, Deo opitulante, beatus Bruno, idem Comes literis suis testatum reliquit in hæc verba.

*Nota ſtudium humilitatis.*

*Pars Epiſtolæ eius ad ſuos in Carthuſia.*

*Incolit quidam Eremũ in Calabria.*

*Epiſtola quædam Comitis Calabriæ de S. Brunone.*

Ego, inquit, Rogerius diuina misericordia Comes Calabriæ & Siciliæ, nota esse volo omnibus fidelibus Christianis beneficia quæ mihi peccatori concessit Deus, orationibus Reuerendi mei fratris Brunonis piissimi patris, fratrum, &c. Nox proditionis aduenit; Princeps Capuæ, eiusque exercitus iuxta promissum est paratus ad arma. Dúmque me sopori dedissem, interiecto aliquanto noctis spatio adstitit cubili meo quidam senex, reuerendi vultus, vestibus scissis, non valens lacrymas continere. Cui cùm in visu dicerem, quæ causa ploratus esset, visus est mihi durius lacrymari. Iterato quærenti mihi quis esset ploratus, sic ait: fleo animas Christianorum, teque cum illis simul. Exurge quãprimum, sume arma. Hic mihi per totum videbatur velut si esset per omnia venerabilis pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi pro visione paueſcens. Illicò sumpsi arma, clamans militibus vt armati equos conscenderent, visionem si vera esset satagens comprobare. Ad quem strepitum & clangorem fugientes, impius Sergius eiusque sequaces subsequti sunt Principem Capuæ, sperantes se in dictam ciuitatem confugium habuisse. Sed ceperunt milites inter vulneratos & sanos centum sexaginta duos, à quibus visionem fore veram comprobauimus. Atque hæc quidem Comes ille: quæ vel sola

*Apparet in viſu S. Bruno dicto Comiti.*





sola pro sanctitate beatissimi Brunonis sufficient. Obiit verò vir præstantissimus pridie Nonas Octobris, anno Christi millesimo centesimo primo, sepultus ibi in Calabria in Monasterio suo S. Stephani. Cuius festum vt in singulis Monasteriis totius Ordinis Carthusiensis, & eorum Ecclesiis siue sacellis annis singulis die 6. Octobris solemniter celebretur, Leo Decimus auctoritate Apostolica voluit.

*Migrat ad Chriſtum.*

## NOTÆ.

Bruno.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 6. Octob. Eius res gestæ à pluribus inueniuntur scriptæ, vt à Francisco de Puteo Lugdun. Petro Blom. Petro Sutore de vita Carth. lib. 2. c. 7. Plura de eodem Ranulphus in Vita S. Hugonis Episcopi. Reperitur præterea vita istius beatissimi viri à quodam Carthusiano prolixiori stylo protensa in fine operum eius: eandem autem Zacharias Benedictus item Carth. heroico carmine complexus est, quæ ibidem inuenitur. Est autem initium. Aggredimur pauidi, &c. Mortuo autem B. Brunone, ad eius sepulchrum sequens fuit appositum Epitaphium.*

*Primus in hac Christi fundator ouilis Eremo*
*Promerui fieri, qui tegor hoc tumulo.*
*Bruno mihi nomen: genitrix Germania: meque*
*Transtulit ad Calabros grata quies nemoris.*
*Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe,*
*Desuper illud erat gratia, non meritum.*
*Carnis vincla dies Octobris sexta resoluit:*
*Spiritui requiem, qui legis ista, pete.*

*Extat & aliud, quod hic apponere libet. Sic autem se habet.*

*Laudandus Bruno fuit in multis, sed in vno*
*Quod fuit æqualis vitæ, vir in hoc specialis.*
*Semper erat festo vultu, sermone modesto:*
*Cum terrore patris, monstrauit viscera matris:*
*Nullus eum magnum, sed mitem sensit vt Agnum;*
*Prorsus in hac vita verus fuit Israëlita.*
*Hunc Deus à pœnis rape: sedibus infer amœnis.*

*Non solum beatus Bruno in Theologia doctus fuit, verum etiam versificatoriæ artis non imperitum testatur sequens Epigramma, diuite quidem vena, sed ne luxuriet, religionis habena retenta, ab eo compositum. Est autem Paræneticum ad cœlestia capessenda.*

*Mortales Dominus cunctos in luce creauit:*
*Vt capiant meritis gaudia summa poli.*
*Fœlix ille quidem, qui mentem iugiter illuc*
*Dirigit: atque vigil noxia quæque cauet.*
*Nec tamen infœlix sceleris quem pœnitet acti:*
*Quique suum facinus plangere sæpe solet.*
*Sed viuunt homines tanquam mors nulla sequatur,*
*Et velut infernus fabula vana foret.*
*Cum doceat sensus viuentes morte resolui,*
*Atque Erebi pœnas pagina sacra probet,*
*Quas qui non metuit, infœlix prorsus & amens*
*Viuit: & extinctus sentiet ille rogum.*
*Sic igitur cuncti mortales viuere certent,*
*Vt nihil inferni sit metuenda domus.*

*Vita functus est B. Bruno anno Domini 1101. relatusque est inter Sanctos à Leone X. R. Pont. Habes apud Surium tomo 5. eius vitam conscriptam à dicto Petro Blomeuenne Priore Carthusiæ Colon. vbi & descripta habentur præclara de S. Brunone elogia. Eius festiuitas 6. Octobris celebratur. Fuerunt & alij multi eius nominis magnæ sanctitatis viri, Bruno Episcop. Herbipol. Bruno Episcopus Siguinus, Bruno Episcopus Ruthenorum, & alij multi. Multa egregia scripsit B. Bruno quæ hodie extant.*

## VITA S. MARIÆ OEGNIACENSIS. Ex ea quæ est per Iacobum de Vitriaco Cardinalem.

*Apud Surium tomo 4.*

EVIT in Episcopatu Leodiensi in oppido quod Niuella dicitur, puella quædam vita & nomine præclara Maria, quæ mediocribus orta parentibus, licet diuitiis & multis rebus temporariis abundaret, numquam tamen ab incunte ætate eius animus talium rerum amore illectus est. Quod parentes eius videntes, & puellam deridentis, cum esset annorum quatuordecim, iuueni cuidam eam nubere voluerunt. Itaque illa iuncta viro est. Sed hac occasione separata à parentum conuictu, tanto etiam maiori feruore inflammata est, atque ita corpus suum castigauit, & in seruitutem redegit, vt non raro, cum iam magnam noctis partem laboribus manuum impendisset, deinde in preces admodum prolixas incumberet, quod porro reliquum erat noctis spatium, id quoties liceret, in asseres, quos clam in extrema lectuli parte absconderat, se deponens exiguo somno transmitteret. Quo pacto cum aliquandiu cum marito suo Ioanne in matrimonio vixisset, respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, ita vt hactenus quam vxorem habuerat Ioannes, eam deinde ex instinctu diuino cœperit habere Mariam commendatam. Eam siquidem ex diuina visitatione gratiam Ioannes adeptus est, vt non solum deinceps continentem & plane Angelicam duxerit vitam, sed sociam etiam suam in sancto proposito & religione imitatus sit, omnia sua pro Christi amore & sese penitus vna abiiciens, leprosis etiam quisdam apud Niuellam eo in loco quem Vuillebroke dicunt, aliquandiu cum ipsa inseruiuit.

*S. Virginis natalis.*

*In matrimonio viuit sãctissimè.*

*Vnà cum marito dat se totam fouendis pauperibus & leprosis.*

Videbant verò hæc dæmones & inuidebant: videbant sæculares & cognati, & frendebant dentibus in eos, & quos antea erant venerati diuites, iam Christi causa pauperes sua sponte effectos irridebant & aspernabantur. Sed non timuit ancilla Christi, proposito sibi gaudio, ad crucis contumelias cum Christo suo vltro accedere. Certè tantam compunctionis gratiam in torculari crucis percepit, vt per dies & noctes perpetuos aquarum exitus deducerent oculi eius: vnde & lacrymæ eius ne hærerent in maxillis, vel etiam in Ecclesiæ pauimento pulueri mixtæ sordes efficerent, panno lineo, quo caput suum tegebat excipiebantur, multisque eiusmodi pannis seu velaminibus vtebatur, cum humectata lacrymis sicca flagitarent. Adhæc etiam tanta ieiunandi gratia Christi ancilla prædita fuit, vt diebus illis quibus illam ad cœnam perinde atque ad medicinam accedere oportebat, semel idque modicè in æstate quidem ad vesperam, hyeme verò prima noctis hora ederet: sed neque vinum bibebat, neque carnibus vescebatur, piscibus autem raro, & non nisi minimis. Fructibus verò arborum, herbis & leguminibus, vtcumque sustentabatur, panem nigerrimum atque asperrimum multo tempore comedens, cuius nimia duritia & asperitate fauces eius adeo lacerabantur, vt sanguis eius inde manaret. Triennio perpetuo à festo S. Crucis vsque ad Pascha solo pane & aqua vsa est, nec tamen vllum inde vel valetudinis, vel laboris manualis accepit detrimentum.

*Triennio ieiunat in pane & aqua.*

Huic etiam beatæ sæpius Angeli apparebant, eamque diuinis colloquiis refouebant: præcipuè autem eius Angelus ad sui custodiam datus, ei quasi

*Eſt familiaris Angelo ſuo cuſtodi.*

quotidie assistebat: cui Dei ancilla quasi suo Abbati in omnibus obediens erat. Aliquando etiam à S. Ioanne Euangelista existens in mensa, cælestibus dapibus refecta est. Aliquando 35. diebus sine cibo in silentio perduranit, & reuelationibus cælestibus crebro consolabatur.

Solebat autem peregrinationis siue orationis causa quotannis visitare Ecclesiam beatissimæ Mariæ Oegniacensem siue de Oegnies, vbi magnam obtinebat à matre Domini consolationem. Ea autem Ecclesia ab eo loco in quo ipsa morabatur, ad duo milliaria aberat, & nihilominus etiamsi acrius horrebat gelida hyems, nudis pedibus, sine vlla sui læsione, ad Ecclesiam illam vsque ingrediebatur: Angelique duo ipsam à dextris & à sinistris in ipsa via continuè dirigebant: eamque ab omni periculo, calore, & pluuia protegebant. Plerumque enim imbre cadente vestibus omnino siccis incedebat. Porrò vim & efficaciam precū eius sæpe experti sunt non solum homines in subsidiū, sed etiam dæmones ad tormentum, quos adeo exagitabat & perurgebat, & quasi quibusdam vinculis implicatos ad se pertrahebat, vt precum eius flammis & incendio ad ipsam venire compellerentur. Frequenter puer Iesus dum sacra leuaretur hostia in manibus sacerdotis ei apparuit. Plerumque etiam gloriosa virgo eidem se reuelauit, etiam & S. Ioannes Euangelista, qui aliquando in specie aquilæ, alis collum complexans, & rostrum in pectore figens inundantia lacrymarum ipsam repentè repleuit.

*Potentissima est cōtra dæmones.*

*Sæpius ei Christus, & sacratissima eius mater apparent.*

Denique cum frequentiam hominum ad se confluentium fugere vellet, ex Niuella discessit, & reuelatione diuina locum Sancti Nicolai de Oegnies sibi ostensum, ad solitudinis quietem elegit: vbi sanctus confessor loci patronus sibi apparuit: ipsamque noctu clausis ianuis in Ecclesiam intromisit: ibique sanctitate repleta, & virtutum operibus insigniter glorioſa vsque ad finem vitæ permānsit. Obitum autem suum per sex annos ante præscivit, & aliquibus prædixit, & in qua parte post obitum esset humanda Cardinali de Vitriaco secretè ostendit. Denique diebus 53. ante sui exitum communione sacra sola refecta, sine alio cibo perduranit. In cuius longa & vltima ægritudine consuetam semper vitam & abstinentiam seruauit, & numquam à sole, vtpotè filia lucis oculos auertit; multas quoque in ipsa infirmitate reuelationes diuinas habuit, ex quibus aliqua reuelauit. Cui languenti Angeli assistebant, & eam diuinis allocutionibus confortabant.

*Degit in quodam loco solitario.*

*Prædicit suū obitum.*

*Cōsolatur ab Angelis in infirmitate.*

Verùm cum extremam reciperet vnctionem, Christus cum Apostolis eidem apparuit, & Crucem ad eius pedes affixit: Petrus quoque claues cælestis regni reserandi eidem ostendit. Quam cum ad extrema tendentem Tholozanus Episcopus visitasset: vidit illam in aëre à Dei genitrice leuari, & ab Angelis obuiantibus comitari. Sicque sanctitate clara Christo Domino ei in extremis apparente, eiusque animam assumente, die Dominico, in vigilia S. Ioannis Baptistæ hora diei nona, obdormiuit in pace, anno circiter 36. ætatis suæ, & gratiæ millesimo ducentesimo decimotertio, 9. Calend. Iulij, sepultaque iacet in Oegnies in Ecclesia S. Nicolai, miraculis coruscans.

*Migrat in cælum.*

## NOTÆ.

Maria.] *Eius vitam prolixius scriptam habet Surius tom. 4. Eam compendiosè refert Haræus. Agunt de ea Cratepol. de Episcopis Germaniæ, & Trithem. in Chronic.*

In Episcopatu Leodiensi.] *Est Leodium Ducatus Iuliacensis vrbs Episcopalis, vulgo* Luttich.

## VITA S. FRANCISCI ORDINIS Minorum Institutoris eximij. Partim ex D. Bonauentura Card. & Episcopo Alban. partim ex Chronico Ordinis ipsius collecta.

VIR erat in ciuitate Assisij Franciscus nomine, cuius memoria in benedictione est, qui quidem post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercationum deputatur negotiis: quamuis verò hæc negotia exerceret, semper tamen misericordia & liberalitate propensus erat erga pauperes; adeò vt interdum se vestibus propè omnibus nudaret, vt eas pauperibus largiretur. Cùm aliquando pauperem quendam petentem eleemosynam, præter morem, vacuum repulisset, ita statim ad eor reuersus est, vt & cucurrerit post ipsum, eleemosyna illi clementer impensa, & promiserit insuper Deo, quòd numquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini, se negaret. Ad hæc & cùm obuium aliquando habuisset militem quendam generosum quidē, sed pauperem, & malè vestitum, etiam se exuto, illum vestiuit. Quæ res in tantum diuinæ clementiæ complacuit, vt mox nocte sequenti, palatium speciosum & magnum cum militaribus armis, Crucis signaculo insignitis, sibi suisque militibus præparatum Francisco ostenderetur. Quin etiam addidit adhuc Christi clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Videlicet cùm die quadam in Ecclesia S. Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, orando lacrymosis oculis intenderet in Dominicam Crucem, vocem de Cruce delapsam etiam corporeis auribus audiuit ter dicentem, Francisce vade & repara domum meam, quæ, vt cernis, tota destruitur.

*S. Franciscus prius mercator.*

*Se exuit vt vestiat pauperem.*

*Iubet ei Christus vt vadat & reparet domum suam.*

Et Franciscus quidem ad obediendum se parans, pannis venalibus venditis, equoque cui insederat, mox ad Ecclesiā illam pecuniā defert, ibique cum sacerdote morā facit. Quod cum intellexisset pater ipsius, perturbatus animo, primò verbis, deinde verberibus & vinculis eum angit: tandem etiam ducit coram Episcopo ciuitatis, vt in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis. Tum verè Franciscus, continuò depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inuentus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Atque adeo ex admirando feruore spiritus ebrius, reiectis etiam femoralibus, totus denudatus, sic dicit ad patrem: Vsque nunc vocaui te patrem in terris, à modo securè dicere possum: Pater noster qui es in cælis. Porrò iam vir Dei agebat, vt vel saltem mendicando, debileque corpus oneribus lapidum supponendo, de Ecclesia reparanda, voci diuinæ pareret. Nec mora: deuotione ciuium adsistente, refecta est primo Ecclesia illa S. Damiani, deinde etiam altera S. Petri, ac postremò tertia de Portiuncula, ab antiquo S. Maria de Angelis vocitata. Vbi cum pedem fixisset vir sanctus, propter reuerentiam Angelorum & matris Christi, audiens die quodam illud Euangelium, ne videlicet possiderent aurum vel argētum, nec duas tunicas, nec calceamenta: audiens & intelligens, mox

*Vendit equū & merces, vt faciat quod erat iussus.*

*Latus resgnat omnia patri terreno, vt possit vocare patrem in cælis.*

*Adsistēte deuotione plurū personarū reparat tres Ecclesias.*

*Ad se rapit id quod casu legitur in Ecclesia, & auspicatur vitā Apostolorum.*



mox soluit calceamenta de pedibus, peram & pecuniam execratur, vna contentus tunicula, reiecta corrigia, pro cingulo funem sumit.

Cœpit autem ex hoc diuino instinctu Euangelicæ perfectionis æmulator existere, & ad pœnitentiam quoque cæteros inuitare. Cuius doctrinæ simplicis, vitæque veritate paulatim apud multos innotescente, cœperunt etiam non multo post, ipsius exemplo, quidam ad pœnitentiam animari, & eidem reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi, quorum primus extitit vir venerabilis Bernardus, & tertius sanctus pater Ægidius. Iam paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem, & desiderabat vniuersitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta Christo parturire. Tunc nimirum & ipse, sciens se aliis datum exemplum, vt prius faceret quàm doceret, cum vno sociorum versus vnam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum Crucis tribus aliis mundi partibus deputatis. Sed modico elapso tempore, cum benignus pater charæ prolis exoptaret præsentiam, absque humana vocatione rursum omnes ex insperato pariter conuenerunt, quibus diebus, quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreuerunt. Denique cernens Christi famulus paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi & fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ: tum etiam desiderans per summum Pontificem approbari quæ scripserat, disposuit cum illo simplicium cœtu, Apostolicæ sedis adire præsentiam.

*Iunguntur ipsi socij.*

*Nota miraculum.*

*Scribit sibi & suis Regulā.*

Et quidem Christi Vicarius in palatio Lateranensi deambulans, altis occupatus meditationibus, primò Christi famulum, tanquam ignotum repulit indignanter. At verò reuelatione edoctus, de qua paulo post, mane sequenti mox mandauit eum per vrbem quæri. Et sanè videbatur aliquibus de Cardinalibus nouum aliquid, & supra vires humanas, quod Christi postulabat pauperculus. Sed non est, ait Franciscus, formidandum quod fame pereant æterni Regis filij, etiamsi de paupere matre. Quod cum audisset Christi Vicarius, tum etiam cum illum ipsum esse cognosceret, quem Lateranensem basilicam proximam ruinæ, dorso sustentantem in somnis prius vidisset: approbauit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis fratribus omnibus, qui seruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent. Post quæ, pusilli gregis Pastor Franciscus ad sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrum numerum superna gratia præeunte deduxit: vt vbi meritis matris Domini, Minorum sumpserat ordo initium, ipsius etiam illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus præco, ciuitates circuibat & castra, ita vt multi perfectionis desiderio inflammati omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequerentur, atque adeò quotidianis succrescentes profectibus, vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenirent.

*Approbatur eius Regula.*

*Vir S. plures lucratur Christo.*

Sed & processu temporis multiplicatis iam fratribus, cœpit eos pastor solicitus in loco Sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale Capitulum conuocare, vt in funiculo distributionis diuinæ, in terra paupertatis eorum vnicuique tribueret obedientiæ portionem. Vbi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo vltra quinque millia conueniret aliquando: diuina tamen opitulante gratia, & victus sufficientia suberat, & spiritualis iucunditas affluebat. Sanè cum cerneret vir Dei, suo exemplo ad Crucem Christi baiulandam feruenti spiritu plurimos animari, animabatur & ipse, ac proinde tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, vt vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat, necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parere. Propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, & raro: admissa verò, aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ vt plurimum reddebat insipidum: ita tamen, vt egrediens exterius, propter verbum Euangelij, conformaret se in qualitate ciborum suscipientibus ipsum. Nuda humus vt frequentius lectus erat lassato corpusculo, & sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput posito dormiebat, vnica paupere contectus tunicula. Sed & mulierum familiaritates, colloquia & aspectus solicitius euitari iubebat, asserens per huiusmodi debilem frangi, & fortem sæpe infirmari; atque adeo (sicut aliquando socio dixit,) ipse nullam cognoscebat in facie.

*Nota iam tum fratre vsque ad quinque millia.*

*Sanus coctis cibariis non vtitur.*

*Mulierū familiaritates solicitè vitari iubet.*

Qui vt totum præsens tempus conflaret in meritum, Generalis cedens officio, etiam Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia subiaceret. Tam enim vberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, vt eis qui iugo ipsius colla submitterent nihil temporis sine lucro transiret. Vnde & fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueuerat & seruare. Quin etiam rogatus aliquando vir sanctus, quid de seipso sentiret: videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cum diceretur ex aduerso, quod hoc non posset sana conscentia dicere, subiunxit: Immo verò, nam quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, quanta me, arbitror sanè quod multo quàm ego gratior esset. Quadam die dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine animæ recogitans deploraret, sancti Spiritus in eum superueniente lætitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, quæ circa se & circa filios futura erant luculenter aspexit. Cum ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset grauissimam, suadente sibi medico, quod abstineret à lacrymis, si corporei visus cæcitatem vellet effugere, vir sanctus respondit: Non est frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum, quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit.

*Dicit se maximum peccatorum.*

*Habet gratiā lacrymarum.*

Alio tempore cum ex multarum infirmitatum concursu aggrauato corpore, ad iucunditatem spiritus excitandam alicuius audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum, affuit Angelorum obsequium, ad viri sancti placitum adimplendum. Nocte enim quadam vigilante ipso, & meditante de Domino, repentè insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & suauissimæ melodiæ. Non videbatur aliquis, sed transitum & reditum citharœdi ipsa hinc inde auditus volubilitas declarabat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcissimo carmine sua-

*Cithara ei pulsatur diuinitus.*

uitate perfruitus, vt aliud se putaret seculum commutasse.

Cum aliquando hostis humani generis, beato Francisco grauem carnis tentationem immisisset, cœpit vir beatus grauissimè carnem suam castigare dicens sibi ipsi. Eia frater asine, sic te decet manere, subire flagellum. Verùm cum tentatio minimè discederet, aperta cella foras exiuit in hortum, & in magnam demergens niuem corpusculum iam nudatum, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas: quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc maior vxor tua est: quatuor isti duo filij & duæ filiæ: reliquæ duæ seruus & ancilla, quas ad seruiendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si verò eorum solicitudo multiplex molestat, vni Domino solicitè serui. Quibus dictis ilico tentator recessit, & vir sanctus cum victoria & triumpho ad cellam rediit.

*Carnis tentationem miro modo repellit.*

Quodam tempore deueniens beatus Franciscus, ciuitatis Episcopum adiit, humiliterque poposcit, vt cum ipsius beneplacito possit populum ad prædicationem vocare. Cui Episcopus durè respondens: Sufficit, inquit, frater, quod ego prædicem populo meo. Inclinauit caput verus humilis, & foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo cum Episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde quàm voce respondit: Domine si pater filium vno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus Episcopus alacri vultu eum amplexus est dicens: Tu & omnes fratres tui de cætero in Episcopatu meo generali mea licentia prædicetis: quia illud humilitas sancta promeruit.

*Nota humillimum simul & egregium S. viri dictū.*

Cum aliquando nocte quadam proficisceretur in quandam regionem prædicandi causa, & difficilia ac periculosa essent sibi cum socio suo transmittenda loca, rogauit eum socius vt Dominū oraret qui sua benignitate in locis tam obscurissimis ac difficillimis vellet eos dirigere. Quod cum vir sanctus fecisset: illico splendidissima claritas circumfulsit eos, qua non mediocriter vterque consolatus est. Accidit semel vt infirmitate grauatus rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis vtcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium, non est, inquit, conueniens vt populus abstinentem me credat, & ego econtrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit itaque sancto humilitatis spiritu inflammatus, & in platea ciuitatis Assisij populo conuocato solemniter cum fratribus multis quos secum adduxerat, maius templum introiuit, funeque ad collum ligato nudum cum femoralibus suis solis, in oculis omnium se trahi præcepit vsque ad lapidem in quo malefactores puniendi consueuerant collocari. Super quem conscendens, licet quartanarius esset & debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicauit: asseruitque audientibus cunctis, se non tanquam spiritualem esse honorandum, quinimo tanquam carnalem & helluonem ab omnibus contemnendum. Vnde qui conuenerant tam ingenti viso spectaculo admirati sunt, & quia ipsius austeritatem iam nouerant, deuotione compuncti huiusmodi humilitatem magis admirabilem quàm imitabilem prædicabant. Sæpe cum beatificaretur à pluribus, verbum huiusmodi proferebat: filios & filias adhuc habere possum, nolite laudare vt securum. Nemo laudandus cuius incertus est exitus. Ista quidem laudantibus dicebat: ad se autem sic loquebatur. Latroni si tanta contulisset altissimus, gratior te foret Francisce.

*In locis obscurissimis & periculosissimis lucis beneficio à periculis liberatur.*

*Nota mirandum humilitatis & sui ipsius contemptum.*

*Humanas laudes æquo animo sufferre non potest.*

Quodam tempore vir Dei ad quandam Eremum transferre se volens, vt ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cuiusdam viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus æstiuis famulum Christi sequendo vir ille montana conscenderet, asperioris & longioris viæ itinere fatigatus, nimioque solis ardore deficiens, instanter cœpit clamare post sanctum: En morior, inquit, siti, nisi poculi alicuius beneficio refociller. Absque mora vir Dei prosiliuit de asino, & fixis in terra genibus, palmas tetendit in cœlum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita; Festina, inquit viro, ad petram, & illic aquam viuam inuenies, quam tibi hac hora misericorditer Christus bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio quæ seruis suis tam facile se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de petra, & poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem ante non fuit, nec est, vt diligenter quæsitum, deinceps potuit inueniri.

*Sitienti impetrat aquā diuinitus.*

Aliquando vt commodius diuinæ meditationi vacaret, cùm ad solitudinem quandam iter faceret, & laudes Domino lingua Francorum vir Dei decantaret cum iubilo, occurrerunt ei latrones, qui percontati sunt quisnam esset: ipse verò respondit: Præco sum magni Regis. Quod cum audissent latrones, arbitrantes eum dicere de terreno Rege, indignè virum sanctum tractarunt, multisque iniuriis & ictibus affecerunt. Alias cum ad solitudinem proficisceretur, tres mulieres pulcherrimas facie & habitu per omnia similes obuias habuit, quæ eum taliter salutauerunt: Bene veniat domina paupertas. Et continuo disparuerunt, & vltra visæ non sunt. Paupertatem in se & in aliis adeo diligebat, vt paupertatem dominam suam semper vocaret. Nam & die quadam cum pauperculum quendam obuium habuisset, ait socio suo. Magnam verecundiam intulit nobis huius inopia, & nostram paupertatem plurimum reprehendit. Nam pro meis diuitiis meam dominam paupertatem elegi, & ecce amplius relucet in isto. Quadam alia vice dum pauper coram eo transiret, & vir Dei intima fuisset compassione compunctus, dixit ei socius. Etsi hic sit pauper, sed forsitan in tota prouincia non est eo ditior voluntate. Cui vir Dei dixit: Cito tunicam tuam exue, & pauperi tribue, & ad eius pedes prostratus culpabilem te clama. Cui ille protinus obediuit.

*Verberatur à latronibus.*

*Paupertatis amator S. Franciscus.*

Ceterùm non modo homines viro sancto obediebant, verùm etiam feræ & immanes bestiæ & volucres viro sancto obtemperabant. Nam eo apud Portiunculam manente, iuxta eius cellam cicada in ficu residens frequenter canebat. Quam vir Dei manum extendens vocauit dicens: Soror mea cicada veni ad me. Quæ statim obediens super eius manum ascendit. Cui ille: Canta soror mea cicada, & Dominum tuum lauda. Quæ protinus canens, non nisi licentiata recessit. Legebat sæpius vermiculos de via, ne transeuntium pedibus conculcarentur. Et apibus ne inedia perirent in hyeme, mel & optima vina iubebat apponi; fraterno nomine animalia cuncta vocabat. Miro & ineffabili gaudio replebatur ob creatoris amorem, cum Solem,

*Parent ipsius innocentiæ bruta animantia.*



lem, & Lunā, & stellas intuebatur, & eas ad Creatoris amorem inuitabat. Hospitio quadam vice seruo Dei apud Monasterium S. Verecundi de Episcopatu Eugubij, excepto, ouicula quædam agnum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima quæ vitæ innocenti non parcens, rapaci eum morsu necauit. Hoc audito pius pater, mira compassione commotus, & agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus dicens: Heu me frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repræsentans, maledicta sit impia quæ te interfecit, nullusque de ea comedat homo vel bestia. Mirabile dictu. Statim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exoluens, vltricem tandem pertulit necem. Proiecta autem in vallum Monasterij, ibique longo tempore iacens, in modum tabulæ desiccata, nulli fuit esca famelico.

*Maledicit sui, & statim moritur.*

Iter aliquando faciens iuxta ciuitatem Senensem, inuenit in pascuis magnum ouium gregem. Quas cùm benigne, (vt erat solitus) salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, leuantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, vt & pastores mirarentur, & fratres, cernentes circa ipsum tam ouium agnos, quàm ipsos arietes, sic mirabiliter exultātes. Cùm oblatus ei fuisset piscis magnus, & viuus, quem more solito, fraterno nomine vocans, in aquam reposuit iuxta nauem. Piscis verò coram viro Dei ludebat in aqua, & quasi amore illius allectus, nullatenus recessit à naui, nisi prius ab eodē cum benedictione licentia sibi data. Quodam tempore per paludes Venetiarum ambulans, inuenit maximam auium multitudinem cantantiū in palude. Dixitque ad socium. Sorores aues laudant creatorem suum. Eamus, & in earum medio horas canonicas Domino decantemus. Quibus intrantibus aues motæ non sunt. Sed quia ob nimiū garritum se inuicem audire non poterant, ait: Sorores aues à cātu cessate, donec laudes debitas Domino persoluamus. Quibus statim tacentibus, finitis laudibus, licentiam cantandi dedit, & statim cantum suum more solito resumpserunt.

*Etiam bestiæ sanctitati viri Dei congratulantur.*

Alia vice cùm quandam auium multitudinem reperisset, & eas velut rationis participes salutasset, dixit: fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum qui plumis vos induit, pēnas ad volandum tribuit, aëris puritatem concessit, & sine vestra solicitudine vos gubernat. Aues autem cœperunt versus eum extendere colla, protendere alas, aperire rostra, & in illum attentè respicere. Ille verò per medium earum transiens, tunica easdem tangebat, nec tamen aliqua de loco est mota, donec licentia data omnes simul auolarunt. Transeunte aliquando viro Dei per Apuliam vnam bursam magnam reperit in via denariis tumescentem. Quam socius videns accipere voluit vt pauperibus erogaret: sed ille nullatenus permisit dicens: Non licet fili alienum auferre. Sed cùm ille vehementer instaret, Franciscus paululū orans, iubet vt bursam tollat. Quod cùm fecisset frater ille, bursam manibus apprehendit, & inde magnus serpens protinus exiliit. Et ait sanctus: Pecunia seruis Dei nihil aliud est quàm diabolus & coluber venenosus.

*Notent hoc Religiosi.*

Apud Eremum Sancti Vrbani seruo Dei ægritudine validissima laborante, cùm ipse defectum naturæ sentiens, vini poculum postulasset, nullumque adesset, allatam sibi aquam signo Crucis edito benedixit, & mox in optimum vinum conuersa est. Ad cuius gustum conualuit.

*Aquam in vinum conuertit.*

Moram eo faciente tempore quodam in Eremitorio Græcij, loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur. Nam & luporum rapaciū multitudo non solum bruta, sed & homines consumebat, & grando annua tempestate blada & vineas deuastabat. Dum igitur sic afflictis præco Sancti Euangelij prædicaret, hortatus est vt pœnitentiam agerent, & pestilentia hæc omnis cessaret. Ab illa igitur hora pœnitentiam agentibus illis, cessauerunt clades, periere pericula, nec molestiæ quicquam lupi intulere, vel grandines.

Cùm in Reatina prouincia grauissimus quidam morbus ita pecora occupasset, vt innumerabilia morerentur, decreuerunt incolæ illius loci magnā aquæ copiam ex ea qua beatus Franciscus manus suas & pedes abluerat, colligere. Quam aquam cum respersissent per ipsa pecora, mox morbus ab vniuerso pecore penitus discessit.

*Aqua vnde vir sanctus manus vel pedes abluerat, grauissimo pecudum morbo medetur.*

Vir autem Dei solitarius remanens & pacatus, nemora replebat gemitibus, secretarium nactus cō-fabulabatur cum Domino suo. Ibi quoque fratribus ipsum piè obseruantibus, aliquoties auditus est clamosis vocibus & gemitibus, apud diuinā pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam Dominicā passionem. Ibi visus est nocte orans, manibus ad modum Crucis protensis, toto corpore subleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circundatus. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi & occulta diuinæ sapientiæ pandebantur. Legebat quādoque in libris sacris, & quod animo semel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ. Quamuis autem apud humanos magistros & scholas non multum didicisset, ita tamen sacras literas à diuino magistro Christo didicit, vt viros etiam doctissimos sua eruditione & scripturarum intelligentia superaret.

*Eius exercitia in locis desertis.*

*Singularis eius affectus erga Christi passionem.*

*Habet scientiā infusam.*

Dono præterea prophetiæ insignitus fuit, ita vt futura multa longè ante prædiceret, quin etiam multorum cogitationes notas haberet. Nam cum quadam die fatigatus in itinere Dei seruus, dum asinum equitaret, socius eius frater Leonardus similiter fatigatus intra se cœpit cogitare & dicere: Non de pari ludebant huius parentes, & mei. Continuò igitur vir Dei descendens de asino dixit fratri suo: Non conuenit me equitare, & te peditem venire, quia nobilior me fuisti. Stupefactus frater, ad pedes patris procidit, & veniam postulauit.

*Dono prophetia fuit insignitus.*

*Cogitationes cordis ipsi innotescunt.*

Tempore quo Damiatam Christianorum exercitus obsidebat, aderat vir Dei non armis, sed fide munitus. Cùm igitur die belli Christiani parārentur ad pugnam, hoc audito Christi seruus vehementer ingemuit, dixitque socio suo: Si belli fuerit attentatus ingressus, ostendit mihi Dominus nō prosperè cedere Christianis. Verùm si hoc dixero fatuus reputabor: si tacuero, conscientiā non euadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius dicens: Frater pro minimo sit tibi vt ab hominibus iudiceris, quia non modò incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam, & Deum magis time quàm homines. Quo audito exiliens Christi seruus, salutaribus monitis Christianos aggreditur, prohibet bellum, denunciat casum. Fit veritas in fabulam, indurauerunt cor suum, totaque in fugam vertitur militia Christiana, finem belli opprobrium referēs non triumphum. Tanta verò strage Christianorum imminutus est numerus: vt circiter sex millia fuerint inter mortuos & captiuos. Rigidus in disci-

*Damiatæ obsidetur à Christianis.*

*Christiani caduntur apud Damiatam.*

plina, ſuper cuſtodiam ſtabat ſemper beatus Franciſcus, curam permaximam gerens de vtriuſque hominis puritate ſeruanda. Quapropter circa conuerſionis ſuæ primordia tempore hyemali in foueam glacie plenam ſeipſum plerumque mergebat, vt & domeſticum ſibi hoſtem perfectè ſubigeret,& candidum veſtimentum pudoris, à voluptatis incendio præſeruaret. Tolerabilius verò ſpirituali fore incomparabiliter aſſerebat, magnum ſuſtinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis libidinis vel modicum ſentire in mente. Cùm autem apud Eremum de Sarthiano, nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocauit eum hoſtis antiquus tertiò, dicens: Franciſce, Franciſce, Franciſce. Cui cùm quid quæreret reſpõdiſſet, fallaciter ille ſubiungit: Nullus eſt in mundo peccator, cui, ſi conuerſus fuerit, nõ indulgeat Deus; ſed quicumque ſemetipſum pœnitentia dura necauerit, miſericordiam non inueniet in æternum. Statim vir Dei per reuelationẽ cognouit hoſtis fallaciam, quomodo niſus fuerit eum ad tepida reuocare.

*Fallacia dæmonis.*

Cum aliquando ægrotaret, conſenſit vt ſibi per remedium ſubueniretur cocturæ. Vocatus itaque venit chirurgus, inſtrumentum ferreum igni ſummittens ad faciendam cocturam. At Chriſti ſeruus corpus iam horrore concuſſum confortans, ſicut amicum, cœpit ignem alloqui dicens: Mi frater ignis, præ cæteris rebus æmulandi decoris, virtuoſum, pulchrum, & vtilem te creauit altiſſimus: eſto mihi hac hora propitius, eſto curialis. Precor magnum Dominum qui te creauit, vt tuum mihi calorem temperet, quo ſuauiter vrentem valeam ſuſtinere. Oratione finita, contra igne candeſcens ferreum inſtrumentum ſignum Crucis edidit, ac deinceps intrepidus perſiſtebat. Profundatum eſt crepitans ferrum in tenera carne, & ab aure vſque ad ſupercilium coctura protracta. Quantum irrogauerit ignis ille dolorem, vir ipſe ſanctus expreſſit. Laudate, inquit ad fratres, altiſſimum: quia verè dico vobis, nec ignis ardorem ſenſi, nec carnis vllum dolorem. Et conuerſus ad medicum: Si non eſt, inquit, caro benè decocta, imprime iterum. Expertus medicus in inualida carne virtutem ſpiritus tam potentem miratus eſt, & diuinum hoc miraculum extulit dicens: Dico vobis fratres, vidi mirabilia hodie.

*Candẽtis ferri nullũ ſentit ardorem.*

Tempore quo infirmus iacebat in Eremitorio prope Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Chriſti pauper impotens eſſet ad rependendam mercedem labori cõdignam, liberaliſſimus Deus, ne ipſum ſine præſenti remuneratione dimitteret, pium eius obſequium hoc nouo beneficio vice pauperis compenſauit. Huius enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro ſuo de nouo conſtruxerat, parietum patula ſciſſione, è ſummo vſque deorſum, adeò de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur, per humanæ artis induſtriam poſſibile, ipſius caſui obuiare. Ipſe verò de ſancti viri meritis plenè confidens, cum magnæ fidei deuotione petiuit à ſociis eius aliquid ſibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectaſſet. Cum igitur modicum de capillis ipſius multa precum obtentum inſtantia, poſuiſſet de ſero intra muri ſciſſurã, mane conſurgens, tanta inuenit aperturam illam ſoliditate concluſã, vt nec reliquias ibi poſitas poſſet extrahere, nec ſciſſuræ prioris veſtigium aliquod inuenire. Factũque eſt, vt qui ruinoſo corpuſculo ſerui Dei ſedulè miniſtrarat, ruituræ domus propriæ periculum præcaueret.

*Pauci capilli eius, rem efficiunt admirandam.*

Quo tempore vir Dei apud S. Mariam de Portiuncula morabatur, quædam viro Dei fuit ouis oblata, quam propter innocentiæ & ſimplicitatis amorem, quas ouis natura prætendit, gratanter ſuſcepit. Monebat pius vir ouiculam, vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrum offenſa caueret. Ouis autem quaſi viri Dei pietatem aduerteret, informationem ipſius ſolicitè obſeruabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipſa Eccleſiam ingrediens, ſine alicuius informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis Matris Agni, ac ſi eam ſalutare geſtiret. Inſuper & cùm eleuaretur ſacratiſſimum Chriſti corpus inter Miſſarum ſolemnia, flexis curuabatur poplitibus, tanquam ſi reuerens pecus, de irreuerentia indeuotos argueret, Chriſtoque deuotos, ad ſacramenti reuerentiam inuitaret. Tẽpore quodam agniculum in Vrbe ſecum habuerat ob reuerentiam illius mitiſſimi Agni, quem nobili matronæ, Dominæ ſcilicet Iacobæ de Septem ſoliis, in ſuo receſſu conſeruandum commiſit. Agnus verò quaſi in ſpiritualibus eruditus à ſancto, Dominæ ad Eccleſiam eunti, ſtatim & reuertenti, ſocietate inſeparabili cohærebat. Si matutinali hora Domina tardaret exurgere, agnus conſurgens impellebat eam cornulis, balatibus excitabat, geſtibus adhortans & nutibus, vt ad Eccleſiam properaret.

*O, diſcãt hæretici vel à pecude venerari Matrem Chriſti, & Euchariſtiã adorare.*

*Ecce vermiram, eruditus piger.*

Alio quoque tempore apud Græcium viuus viro Dei oblatus fuit lepuſculus, qui liber in terra poſitus, cum poſſet quò vellet, effugere, vocante ſe patre benigno, in ſinum illius propero curſu ſaltauit. Quem ipſe pio cordis affectu circumfouens, videbatur eidem compati quaſi mater, dulcique admonitione commonitum, ne ſe iterum capi permitteret, liberum abire permiſit. Cúmque pluries in terra poſitus vt abſcederet, ſemper in ſinum patris rediret, tanquam ſi ſenſu quodam occulto cordis ipſius perciperet pietatem, tandem iuſſu patris à fratribus delatus eſt ad loca ſolitudinis tutiora. Modo quoque conſimili in inſula lacus Peruſini cuniculus quidã captus, & viro Dei oblatus, cum cæteros fugeret, manibus eius & ſinu ſe domeſtica ſecuritate commiſit. Per lacum Reatinũ eidem ad Eremum de Græcio properanti, piſcator vnam ex deuotione fluuialem obtulit auem. Quam cum libenter ſuſceptam apertis inuitaret manibus ad receſſum, nec illa vellet abire, erectis in cælum oculis, diu in oratione permanſit, & quaſi aliunde poſt longam horam ad ſe reuerſus, dulciter iterato mandauit auiculæ, vt Dominum laudatura recederet. Suſcepta itaque cum benedictione licentia, geſtu corporis quoddam prætendens gaudium, auolauit.

*Etiam miſericordiã exercet in bruta animantia.*

Eidem Senis infirmo Phaſianus quidam de nouo captus, à nobili quodam tranſmiſſus eſt viuus. Qui continuò vt virum ſanctum audiuit & vidit, tanta ei amicabilitate cohæſit, vt nullo modo pateretur ab ipſo ſeiungi. Nam pluribus vicibus extra locellum fratrum in vinea poſitus, vt abiret, ſi vellet, rapido ſemper curſu redibat ad patrem, tanquam ſi ab eodem omni fuiſſet tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro qui ex deuotione virum Dei viſitare ſolebat, velut ſibi moleſtum foret à pij patris abſentari cõſpectu, eſcam recuſauit omnino. Reportatus tandem ad famulũ Dei, ſtatim vt conſpexit eundem, quibuſdam hilaritatis prætenſis geſtibus, auidè manducauit.

*Nota de Phaſiano.*

Cum ad Eremum perueniſſet Aluernæ propter quadrageſimam celebrandam in honorem Archangeli



geli Michaëlis, diuerſi generis aues circa ipſius cellam volitantes concentu ſonoro & lætitiæ geſtibus, quaſi de eius aduentu gaudentes patrem pium inuitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viſo dixit ad ſocium: Cerno, frater, voluntatis eſſe diuinæ, quod hic aliquandiu commoremur: tantum ſorores auiculæ de noſtra videntur præſentia conſolari. Cum igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans, magno ſe illi amicitiæ fœdere copulauit. Nam ſemper horam nocturno tempore in qua vir ſanctus ad diuina officia ſurgere ſolitus erat, cantu ſuo præueniebat & ſono. Quod famulo Dei gratiſſimum erat, eo quod tanta ſolicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipſo torporem deſidiæ excuteret. Cum verò ſeruus Chriſti infirmitate plus ſolito grauaretur, parcebat falco, nec tam tempeſtiuas indicebat vigilias. Suſpendebatur multoties tanto contemplationis exceſſu, vt ſupra ſemetipſum raptus, & vltra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid ageretur circa ſe exterius ignoraret. Tranſiens namque ſemel per Burgum ſancti ſepulcri, caſtrum vtique populoſum, pro debilitate corporis ſubuectus aſello, obuias habuit turbas, in eum præ deuotione ruentes. Tractus autem & detentus ab eis, compreſſus quoque, ac multipliciter attrectatus, inſenſibilis videbatur ad omnia, & velut exanime corpus de iis, quæ fiebant circa ipſum nihil penitus aduertebat. Vnde cum iam diu tranſito caſtro, turbiſque relictis, perueniſſet ad quoddam domiciliũ leproſorum, quaſi aliunde rediens cæleſtium contemplator, ſolicitè requiſiuit, quando propinquarent ad Burgum. Mens quidem ipſius cæleſtibus fixa ſplendoribus, varietates non ſenſerat locorum, nec temporum, nec occurrentium perſonarum. Quod ipſi accidiſſe frequentius, ſociorum eius experientia multiplex comprobauit. Et quia in oratione perceperat ſancti Spiritus deſideratam præſentiam tanto familiarius ſe offerre precantibus, quanto plus inuenit elongatos à ſtrepitu mundanorum, ideo loca ſolitaria quærens, ad ſolitudines & Eccleſias derelictas oraturus nocte pergebat. Vbi dæmonum pugnas horribiles frequenter ſuſtinuit, qui ſecum ſenſibiliter confligentes, nitebantur ipſum ab orationis ſtudio perturbare. Ipſe verò armis munitus cæleſtibus, quanto vehementius impetebatur ab hoſtibus, tanto fortior in virtute, & feruentior reddebatur in opere, fidenter dicens ad Chriſtum: ſub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt. Ad dæmones autem: Facite in me quicquid valetis, maligni ſpiritus & fallaces. Non enim poteſtis, niſi quantum vos manus ſuperna relaxat: & ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreuerit, cum omni iucunditate paratus aſſiſto. Quam mentis conſtantiam ſuperbi dæmones non ferentes, abſcedebant confuſi. Oranti autem viro Dei in loco de Portiuncula, contigit Aſſiſſinatem Epiſcopum venire ad eum, vt erat ſolitus, viſitandum. Qui mox vt locum fuit ingreſſus, ad cellam in qua vir ſanctus orabat, plus debito fidenter acceſſit. Pulſoque oſtiolo, intraturum ſe ingerens, dum caput immiſit, ſanctumque orantem conſpexit, repentino timore concuſſus, obrigeſcentibus membris, etiam loquelam amiſit. Subitoque voluntate diuina per vim foras propulſus, retrogrado pede procul abductus eſt. Stupefactus Epiſcopus ad fratres feſtinauit, vt potuit, Deoque ſibi reſtituente linguam, primo verbo confeſſus eſt culpam.

*Item de Falcone.*

*In mediis turbis nihil ſentit extra ſe raptus.*

*Multas patitur dæmonũ infeſtationes.*

*Eos egregiè confundit.*

*Vide quid patitur Epiſcopus, dum interturbat orantem.*

Solitus erat vir ſanctus horas canonicas non minus timoratè Deo perſoluere, quàm deuotè. Nam licet oculorum, ſtomachi, ſplenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro, vel parieti inhærere, dum pſalleret: ſed horas ſemper erectus, & ſine caputio, non gyrouagis oculis, nec cum aliqua ſyncopa perſoluebat. Sed quando eſſet in itinere conſtitutus, figebat tunc temporis greſſum, huiuſmodi conſuetudinem reuerentem, & ſacram propter pluuiarum inundantiam non amittens. Dicebat enim. Si quietè comedit corpus cibum ſuum, futurum cum ipſo vermium eſca, cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Grauiter etiam ſe putabat offendere, ſi quando orationi deditus, variis phantaſmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confeſſioni, quin illud protinus expiaret. Hoc ſtudium ſic in vſum conuerterat, vt rariſſimè muſcas huiuſmodi pateretur. Fecerat in Quadrageſima quadam vaſculum vnum, vt minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti tertiam in memoriam veniens, paululum ipſius animum diſtraxiſſet, motus feruore ſpiritus vaſculum igne conſumpſit dicens: Sacrificabo illud Domino cuius ſacrificium impediuit.

*Nota vt perſoluerit horas canonicas.*

*Memorabilis ſententia.*

Chriſtus Ieſus crucifixus intra ſuæ mentis vbera vt myrrhæ faſciculus, iugiter morabatur, in quem optabat per exceſſiui amoris incendium totaliter transformari. Nam prærogatiua peculiaris deuotionis ad ipſum, ab Epiphaniæ feſto, vſque ad continuos quadraginta dies, eo ſcilicet tempore, quo Chriſtus latuit in deſerto, ad ſolitudinis loca declinans, cellaque recluſus, quanta poterat arctitudine cibi & potus, ieiuniis & orationibus, & laudibus Dei ſine intermiſſione vacabat. Flagrabat erga ſacramentum Dominici corporis feruore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam chariſſimam dignationem, & dignantiſſimam charitatem. Sæpe communicabat, & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret, dum ad immaculati agni deguſtationem ſuauem, quaſi ſpiritu ebrius, in mentis vt plurimum rapiebatur exceſſum. Matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum maieſtatis fratrem nobis effecerit, & per eam ſimus miſericordiam conſequuti. In ipſa poſt Chriſtum præcipuè fidẽs, eam ſui, ac ſuorum aduocatam conſtituit, & ad honorem ipſius à feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, vſque ad feſtum Aſſumptionis, deuotiſſimè ieiunabat. Angelicis ſpiritibus ardentibus igne mirifico inſeparabilis erat amoris vinculo copulatus, & ob deuotionem ipſorum, ab Aſſumptione Virginis glorioſæ quadraginta diebus ieiunans, orationi iugiter inſiſtebat. Beato autem Michaëli Archangelo, eo quod animarum repræſentandarum haberet officium, ſpirituali erat amore deuotior, propter feruidum zelum quem habebat ad ſalutem omnium ſaluandorum. Ex recordatione ſanctorum omnium tanquam lapidum ignitorum, in deificum recalefcebat incendium, Apoſtolos omnes, & præcipuè Petrum & Paulum, propter feruidam charitatem, quam habuerunt ad Chriſtum, ſumma deuotione complexans, ob quorum reuerentiam & amorem, Quadrageſimæ ſpecialis ieiunium Domino dedicabat.

*Erga Euchariſtiam eius amor ingens.*

*Item erga Chriſti matrem.*

*Atquè etiam erga Angelos ſanctos.*

*Denique ſanctos omnes.*

Feruenti quoque charitatis incendio glorioſum ſanctorum martyrum æmulabatur triumphũ. Sexto namque conuerſionis ſuæ anno, deſiderio Martyrij flagrans, ad prædicandam fidem Chriſtianam & pœnitentiam Sarracenis, & aliis infidelibus, ad partes Syriæ transfretare diſpoſuit. Cumque nauem

*Vult ire ad Sarracenos, ſed reſtant venti.*

uem quandam, vt illuc tenderet, conscendisset, ventis contrariis flantibus, compulsus est in Sclauoniæ partibus applicare. Cùm igitur moram aliquandiu contraxisset ibidem, nec inuenire posset nauem tunc temporis transfretantem, fraudatum à suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, vt amore Dei eum secum ducerent exorauit. Verùm illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de Dei bonitate confisus, nauem cum socio latenter conscendit. Affuit quidam à Deo, vt creditur, pro paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quendam timentem Deum de naui ad se vocatum, sic allocutus est. Hæc pro pauperibus fratribus in naui latitantibus conserua fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. Sicque factum est, vt nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, & sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna supereſſet. Quæ cùm esset modica, tantum diuina virtute suscepit augmentum, vt diebus plurimis in mari propter tempestatem continuâ contrahentibus moram, vsque ad portum Anconæ omnium necessitatibus plenariè subueniret. Videntes itaque nautæ per seruum Dei multa se mortis euasisse discrimina, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis seruis se mirabilem & amabilem ostendit.

*Diuinitus augetur cibus.*

Cùm autem relicto mari, terram perambulare cœpisset, iactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos. Verùm quia Martyrij fructus adeò cor eius allexerat, vt pretiosam pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium iter arripuit, vt Miramolino & genti eius Christi Euangelium prædicaret, si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere. Tanto namque desiderio ferebatur, vt quamuis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem, & ad exequendum propositum festinus, & tanquam spiritu ebrius aduolaret. Sed cùm iam vsque in Hispaniam perrexisset, diuina dispositione, quæ ipsum reseruabat ad alia, grauissima ei superuenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequiuit. Sentiens igitur vir Dei, quòd necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamuis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum oues, suæ solicitudini commendatas.

*Morbo impeditus non potest ire ad infideles.*

Verùm charitatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis, effusione sui sanguinis dilatanda, versus infideles proficisci tentauit. Tertiodecimo namque suæ conuersionis anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, vt Sulthani Babyloniæ posset adire præsentiam. Inter Christianos enim ac Sarracenos tunc bellum tam implacabile erat, exercituum castris hinc inde in campo cominus ex aduerso locatis, vt via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat siquidem à Sulthano edictum crudele, vt quicumque caput alicuius Christiani afferret, Byzantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus, sperans in proximo suum adipisci posse propositum, diffinijt iter arripere, mortis pauore non territus, sed desiderio prouocatus. Oratione namque præmissa confortatus à Domino, confidenter illud propheticum decantabat: Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es,

*Psalm. 22.*

A Assumpto igitur socio fratre, Illuminato nomine, viro vtique luminis & virtutis, cum iter cepisset, obuias habuit ouiculas duas, quibus visis exhilaratus vir sanctus, dixit ad socium: Confide frater in Domino, nam in nobis Euangelicum illud impletur: Ecce ego mitto vos in medio luporum. Cùm autem processissent vlterius, occurrerunt eis satellites Sarraceni, qui tanquam lupi celerius accurrentes ad oues, seruos Dei feraliter comprehensos, crudeliter & contemptibiliter pertractarunt, afficientes conuiciis, affligentes verberibus, & vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter, & attritos, ad Sulthanum diuina disponente prouidentia, iuxta viri desiderium perduxerunt. Cùm B igitur princeps ille perquireret à quibus, & ad quid, & qualiter missi essent, intrepido corde respondit Christi seruus Franciscus: Non ab homine, sed à Deo altissimo se fuisse transmissum, vt ei & populo suo viam salutis ostenderet, & annunciaret Euangelium veritatis.

*Matth. 10. Capitur cum socio à Sarracenis, & male tractatur.*

Tanta verò mentis constantia, tanta virtute animi, tantoque feruore spiritus prædicto Sulthano prædicauit Deum trinum & vnum, & Saluatorem omnium Iesum Christum, vt Euangelicum illud in ipso clarescceret veraciter esse completum. Ego dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Nam & Sulthanus admirandum in viro Dei feruorem C spiritus conspiciens, & virtutem, libenter ipsum audiebat, & ad moram contrahendam cum eo instantius inuitabat. Christi verò seruus, superno illustratus oraculo; Si vis, inquit, conuerti tu cum populo tuo ad Christum, ob illius amorem libenter vobiscum commorabor. Quòd si hæsitas propter fidem Christi legem Mahometi dimittere: iube ignem accendi permaximum, & ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, vt vel sic cognoscas quæ fides certior & sanctior non immeritò tenenda sit. Ad quem Sulthanus. Non credo quòd aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti. Viderat enim statim quendam de Presbyteris suis virum authenticum & longæuum, hoc audito verbo, de suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus: Si mihi velis promittere pro te & populo tuo, quòd ad Christi cultum, si ignem illæsus exiero, veniatis, ignem solus introibo, & si combustus fuero, imputetur peccatis meis, si autem diuina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem & sapientiam, verũ Deum, & Dominum Saluatorem omnium agnoscatis. Sulthanus autem optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit autem ei multa munera pretiosa, quæ vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum auidus, spreuit omnia quasi lutum. Sulthanus autem videns virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, maiorem erga ipsum deuotionem concepit. Et quamuis ad fidem Christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogauit tamen deuotè famulum Christi, vt prædicta susciperet, pro salute ipsius Christianis pauperibus, vel Ecclesiis eroganda. Ipse verò quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Sulthani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit. Videns etiam se non proficere in conuersione gentis illius, nec suum assequi posse propositum: ad partes fidelium, diuinâ reuelatione præmonitus, remeauit.

*Libenter auditur à Sulthano.*

*Contemnit munera Sulthani.*

Quodam tempore cùm post reuersionem ipsius de



de vltramare, Celanũ prædicaturus accederet; miles quidam supplici eum deuotione cum instantia magna inuitauit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitũ exultauit in ingressu. Ante verò quàm cibum sumerent, iuxta solitum morem, vir mente deuotus, offerens Deo preces & laudes, oculis stabat eleuatis in cælum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter aduocatum in partem, sic allocutus est: Ecce frater hospes, tuis victus precibus, vt manducarem, domum tuam intraui. Meis nunc citò monitis acquiesce, quia non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quicquam, quod veridica confessione non pandas. Redder tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta deuotione suos pauperes suscepisti. Acquieuit continuò vir ille sermonibus sancti, socioque ipsius vniuersa peccata in confessione detegens, disposuit domum suam, & ad mortem suscipiendam se, quantùm valuit, præparauit. Intrauerunt tandem mensam, & incipientibus aliis manducare, hospes subitò spiritum exhalauit, iuxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus.

*Prædicit hospiti mortem subitaneam.*

Tempore quo beatus vir Reate iacebat infirmus, Præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus & mundanus, infirmitate graui correptus, lectulo decubans, cùm ad eum fuisset delatus, lacrymosè rogabat cum simul adstantibus, vt ab ipso Crucis C signaculo signaretur. Ad quem ille. Cùm vixiris olim secundum desideria carnis, non veritus iudicia Dei, quomodo te Cruce signabo? Verùm propter deuotas intercedentium preces, signo te Crucis signabo in nomine Domini. Tu tamen scito te grauiora passurum, si ad vomitũ redieris liberatus. Propter enim peccatum ingratitudinis, semper peiora peioribus inferuntur. Signo itaque Crucis super eum facto, statim qui contractus iacuerat, surrexit sanus, & in laudem Dei prorumpens: Ego, inquit, sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renum eius audiẽtibus cunctis, veluti cum manu ligna sicca franguntur. Paucis autẽ interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cúmque D sero quodam cœnasset in domo cuiusdam Canonici, noctéque illa dormiret ibidẽ, subitò super omnes corruit tectum domus. Cæteris autem euadentibus mortẽ, solus ille miser interceptus atque interemptus est. Iusto igitur Dei iudicio facta sunt nouissima hominis illius peiora prioribus propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum. Alio quoque tempore mulier quædam nobilis Deo deuota, venit ad sanctum, vt suum ei explicaret doloré, ac remedium postularet. Habebat quidem virũ valde crudelem, quem aduersariũ patiebatur in seruitio Christi. Et ideo petebat à sancto, quatenus oraret pro illo, vt sua cor ipsius dignaretur emollire clementia. Ipse verò hoc audiens, ait illi: Vade cum pace, indu- E bitanter expectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam. Et adiecit: Dices ei ex parte Dei, & mea, quod nunc est tempus clementiæ, postdum æquitatis. Benedictione accepta, reuertitur mulier, inuenit virum, denunciat verbum. Cecidit super eum Spiritus sanctus, & nouum factum de veteri, sic facit cum omni mansuetudine respondere. Domina, seruiamus Domino, & saluemus animas nostras. Suadente igitur sancta vxore, pluribus annis cælibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migrauerunt.

*Pœna in peccata relabentis.*

*Vir crudelis repentè mutatur.*

Contigit duos fratres ad Eremitoriũ Græcij de remotis venire, vt virum Dei cernerent, & benedi-

A ctionem multo desideratã iam tempore reportarẽt. Venientes autem & non inueniẽtes, quia de publico iam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cùm de ipsorum aduentu vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset: præter solitum morem egressus è cella, clamauit post eos, & iuxta quod optauerant, signo Crucis facto, in Christi nomine benedixit.

*Absentium fratrũ nouit desideria.*

Duo fratres venerant aliquãdo de terra Laboris, quorũ antiquior nonnulla intulit scandala iuniori. Cùm autem peruenissent ad patrem, quæsiuit ille à iuniori, qualiter erga ipsum se frater socius habuisset in via. Quo respondente, vtique satis bene, subiunxit: Caue frater, ne sub humilitatis specie men- *Item facta.*
B tiaris, scio enim, scio: sed expecta modicum, & videbis. Miratus est perplurimum frater, quomodo tam absentia per spiritum cognouisset. Igitur non post multos dies, contempta Religione foras egreditur. Qualiter autem absentibus diuina virtute se præsentem exhibuit, patet ex hoc quod se Arelatẽsi capitulo in Crucis effigie præsentauit, & absens aliquando in curru igneo transfiguratus apparuit fratribus.

Accidit quoddã mirabile, & celebri memoria dignum apud ciuitatẽ Eugubij. Nã cum adhuc viueret B. Franciscus, erat in territorio ciuitatis eiusdem *S. Franciscus crudelissimi lupi rabiem compescit.*
quidam lupus terribilis magnitudine corporis, & ferocissimus rabie famis: qui non solum animalia, C sed homines & fœminas deuorabat, ita quod omnes ciues in tanto terrore tenebat, quod omnes ibãt muniti cum egrediebantur terrã, ac si deberent ad bella funesta procedere; nec tamen sic armati valebant dicti lupi mordaces dentes ac truculentã rabiẽ euadere, quando eidem per infortunium obuiabãt. Vnde tantus terror cũctos inuasit, quod vix aliquis extra portam ciuitatis audebat securus exire. Volẽs autem Deus notificare sanctitatem B. Francisci ci- *Nota totam istam mirandam historiã.*
uibus supradictis, cum ipse B. pater tunc temporis esset ibidem, compatiens illis, disposuit exire obuiã dicto lupo, cui ciues dicebant: Caue pater Frãcisce ne portam exeas: quia lupus qui iam multos deuorauit penitus te occidet. Sanctus autem Franciscus D sperans in Domino Iesu Christo, qui vniuersæ carnis spiritibus dominatur, non clypeo protectus vel galea, sed signo sanctæ Crucis se muniẽs, exiuit portam cum socio suo, totam fiduciam suã iactans in Domino. Et sic fidelissimus P. Franciscus intrepidus exiuit ad lupum, & ecce multis cernẽtibus de locis in quibus ad spectandum ascenderant, lupus ille terribilis contra S. Franciscum & sociũ aperto ore cucurrit, contra quem S. Pater opposuit signum *Signo Crucis os lupi cõcludit.*
Crucis, & tam à se, quam à socio virtute diuina lupum compescuit, & cursum retinuit, & os truculẽter apertum conclusit, & demum aduocans eũ ait. Veni ad me frater lupe, & ex parte Christi tibi præcipio, quod nec mihi, nec alteri noceas. Mirabile dictu: Statim facta Cruce, cõclusit os illud terribile, & E facto mandato statim se ad pedes sancti, iam factus agnus ex lupo, capite inclinato prostrauit. Sic autẽ prostrato ante se, dixit S. Franciscus. Frater lupe tu facis multa damna in partibus istis, & horrẽda maleficia perpetrasti, creaturas Dei sine misericordia destruendo, non solum autem irrationalia animalia destruis, sed quod detestationis audaciæ est, occidis & deuoras homines ad imaginẽ Dei factos: vnde tu es dignus horrenda morte mutilari tanquã præda, & pessimus homicida, propter quod omnes cõtra te iustè clamant & murmurant, & tota ciuitas ista est inimica. Sed frater lupe, ego volo inter te & istos facere pacẽ, ita quod à te ipsi non lædãtur amplius,

& ipsi tibi omnem offensam præteritam dimittentes,nec homines , nec canes,te amplius persequentur. Et lupus gestibus corporis , & caudæ , & aurium,ac capitis inclinatione monstrabat illa quæ S. dicebat omnimodè acceptare. Et ait iterum S.Franciscus. Frater lupe ex quo tibi placet facere pacem istam : ego promitto tibi,quod faciam tibi dare expensas quotidie donec vixeris per homines istius ciuitatis , ita quod numquam famem amplius patieris : quia ego scio quod quicquid malefacis, propter rabiem famis facis. Sed frater mi lupe ex quo acquiram tibi hanc gratiam,volo quod tu promittas mihi quod numquam aliquod animal , vel hominem lædas : promittas mihi ista. Et lupus signum euidens inclinato capite fecit,quod promittebat facere illa quæ sibi imponebantur à sancto. Et S. Franciscus ait. Frater lupe ego volo quod tu des mihi fidem , vt possim euidenter credere quod promittis.Et cum extendisset S. Franciscus manum pro recipienda fide: lupus etiam leuauit pedem anteriorem dextrum , & blandè & leniter posuit super manum S. Franciscí , signo quo poterat fidem dando. Tunc S.Franciscus ait.Frater lupe,præcipio tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi , quod venias amodo mecum nihil dubitans in ciuitatem, ad faciendam pacem istam.Et lupus obediens , statim cœpit iter cum S.Francisco, tanquam mansuetissimus agnus:quod videntes illi de ciuitate , cœperunt vehementer mirari , & nouitas hæc statim per totam ciuitatem insonuit,ita quod omnes, tam viri quàm mulieres , magni & parui , ad plateam simul conuenerunt , quia S.Franciscus ibi erat cum lupo. Congregata igitur populi maxima multitudine , surgens S. Franciscus , fecit illis mirabilem prædicationem,dicens inter alia,quomodo propter peccata tales pestilentiæ permittuntur , & quanto periculosior sit vorax flamma gehennæ, quæ habet deuorare in æternum damnatos, quàm rabies lupi, qui non potest occidere nisi corpus,& quàm sit pauendum in barathrum infernale demergi , quando tantam multitudinem vnum paruum animal in tanto pauore & periculo detinebat. Renertimini igitur charissimi ad Dominum , & facite pœnitentiam dignam , à lupo liberabit vos Deus à præsenti,& in futuro ab ignis barathro deuorantis,& his dictis ait. Audite charissimi , frater lupus, qui hic coram vobis adstat,promisit mihi, & de promissione fidem exhibuit facere pacem vobiscum,& numquam vos in aliquo lædere: si tamen vos promittitis sibi quotidie expensas dare,& ego pro fratre lupo fideiubeo , quod pactum pacis firmiter seruabit. Tunc omnes ibi congregati , cum clamore valido promiserunt lupum nutrire continuè. Et S. Franciscus coram omnibus, dixit lupo : Et tu frater lupe,promittis seruare pactum istis,scilicet,quod nec animal alicuius , vel personam lædas ? Et lupus se ingeniculans,cum inclinatione capitis , & gestibus corporis & caudæ,& aurium blandimentis , se seruaturum pacta promissa omnibus euidenter monstrauit. Et sanctus Franciscus ait. Frater lupe ego volo quod sicut de hoc dedisti mihi fidem cum essemus extra portam : ita & hoc coram toto populo isto des mihi fidem quod ista obseruabis, & in fideiussione pro te facta minimè delinques. Tunc lupus leuato pede dextro dedit fidem in manu S. Franciscí fideiussoris sui coram cunctis adstantibus , & facta est tanta admiratio & gaudium omnium,tam pro deuotione sancti, quàm pro nouitate miraculi, quàm insuper pro pace lupi & populi: vt omnes clamarent ad sydera laudantes & benedicentes Dominum Iesum Christum,qui eos meritis illius sancti,de ore feræ pessimæ liberauit , & de tam horrenda peste in pace posuit & quiete.Ex illo igitur die lupus populo, & populus lupo pacta per S.Franciscum ordinata seruauit , & lupus per duos annos viuens , & per ciuitatem ostiatim victitans, neminem lædens,nec ipse læsus ab aliquo, fuit curialiter nutritus. Et mirum est valde quod numquam latrabat canis aliquis contra eum. Tandem lupus seniens , mortuus est : de cuius morte ciues plurimum doluerunt:quia dicti lupi pacifica & benigna patientia quandocumque per ciuitatem pergebat,miram S. Franciscí virtutem , & sanctitatem mirificam in memoriam reuocabat.

Beatus Franciscus non solum erat castissimus,sed in omnibus actibus suis pudicitiam demonstrabat: quare præcipuè desiderabat esse in fratribus suis mundiciam castitatis & honestatis. Vnde volens docere fratres habere oculos pudicos , solebat tali ænigmate confingere oculos impudicos. Rex pius & potens misit ad Reginam duos nuncios successiuè.Reuertitur primus , & verbis tantum verba reportat,& nihil loquitur de Regina , siquidem oculos suos tenuerat in capite sapienter,nec aliqualiter profiluerant in Reginam. Redit alius , & post pauca verba , longam de Reginæ pulchritudine texit historiam.Verè, (inquit) Domine, vidi pulcherrimam mulierem : fælix qui fruitur illa. Et Rex ad illum. Tu serue nequam in sponsam meam iniecisti oculos impudicos, patet quod prospectam subtiliter emere voluisti.Iubet ergo reuocare primum.Et ait illi.Quid tibi de Regina videtur? Optimè , (inquit) mihi videtur, quia libenter & patienter audiuit.Ipsa respondit sagaciter. Et ait illi Rex. Nunquid formositas quidem inest ei? Respondit ille; Domine mi tuum sit hoc inspicere : meum autem fuit verba proferre. Fertur à Rege sententia. Tu(inquit)habens oculos castos esto in camera mea corpore castior, & fruere deliciis meis:hic verò impudicus exeat domum, ne polluat thalamum.Dicebat ergo : quis non deberet timere respicere sponsam Christi,&c.

Legitur de humillimo & pauperrimo S.Francisco quod ferè semper in syluis, & cauernis,aliisque solitariis locis morabatur,præcipue quãdo quadragenas suas celebrabat : quia ibi commodius diuinæ contemplationi vacabat.Referebat autem eius discipulus beatus Leo,qui familiarius ad eum accedebat,eique ministrabat, quod erat aliquando in tanta extasi mentis in illis deserris , quod per noctem & diem loqui non poterat : ita erat absorptus in Deum Aliquando etiam inueniebat eum extra cellam eleuatum in aëre , per tantum spacium , quod poterat tangere pedes eius:aliquando verò inueniebat eum vsque ad medias fagos eleuatum à terra. Erant autem in deserto vbi manebat de dictis arboribus proceræ altitudinis valde.Aliquando etiam inueniebat eum in tanta altitudine aëris eleuatum à terra,quod vix eum videre valebat.

Cum aliquando sederet verè ille beatus cum quibusdam suis discipulis ad pedem cuiusdam quercus, multitudo diuersarum auium confluit ad eum cum hilaritate , & cantibus & alarum ioco, aliquæ ponebant se super caput eius , aliquæ super scapulas , aliquæ super genua , aliquæ in manibus sancti patris. Quod mirabile nouum cernens sanctus Franciscus,dixit sociis suis : Credo charisimi fratres mei,quod Domino nostro Iesu Christo placeat , vt locum in hoc monte solitario capiamus, vbi tantam de aduentu nostro protendunt lætitiam

*Nota miram S. viri mansuetudinẽ erga ferocissimum lupum.*

*Pestilentiæ & clades propter peccata immittũtur.*

*Populum Eugubinensem portatur ad pœnitentiam.*

*Lupus quasi agnus obedit viro Dei.*

*Liberantur Eugubini ciues à lupi ferocissimi rabie meritis S. Francisci.*

*Egregio exemplo fratres ad pudicitiam & castitatem hortabatur.*

*S. Franciscus ferè semper degit in deserto.*

*Mirabilis eius extasis.*

*Aues ad eum mansuetæ aduolant.*



tiam sorores nostræ auiculæ. Et prouiso solitario loco , vbi ab aliis sequestratus oraret , fecit inibi pauperculam cellam in latere dicti montis.

Cum peruenissetSanctus Franciscus verus paupertatis amator cum fratre Massæo , ad quasdam habitationes , vbi pro necessitate corporis , prout Regula dicit, eos mendicare oportebat, Franciscus quia erat homo despectus & paruus , & propterea inter ignotos despiciebatur quasi ab omnibus : quosdam bolos vilis panis & frusta paruula conquisiuit. Sed fratri Massæo qui erat pulcher homo, & magnus in persona dati ei fuerunt plures & pulchriores.Cum autem ambo simul in quodam loco conuenissent,& inuenissent ibi vnum fontem, in cuius margine erat lapis latus & pulcher,de quo valde gauisi sunt ; super lapidem illum acquisita panis fragmentula posuerunt. Et cum vidisset S.Franciscus quod frustula panis frattis Massæi essent plura & pulchriora quàm sua:exultans in spiritu præ desiderio paupertatis ait:O frater Massæe, nos non sumus digni de tam magno thesauro, & hoc gradatim eleuando vocem pluries replicauit. Respondit frater Massæus. Pater charissime , quomodo potest dici thesaurus , vbi est tanta penuria, quod non est ibi tabella,neque cultellus,neq; scutella, nec seruus,nec ancilla , nec domus,nec mensa:Respondit S.Franciscus. Et hoc reputo magnum thesaurum , vbi nihil est de his quæ præparat humana industria ,sed quicquid aliquid est totum à prouidentia diuina ministratur,sicut manifestè apparet in pane acquisito, in lapide tam pulchro , in fonte tam limpido. Vnde volo vt rogemus Deum qui thesaurum sanctæ paupertatis tam nobilem dedit , faciat nos toto corde diligere. Et de frustulis panis, & fonte, cibo & potu gaudenter cum hymnis diuinis sumpto, surrexerunt vt versus Franciã pergerent.Et cum peruenissent ad quandam Ecclesiam intrantes in eam, S. Franciscus , abscondit se post altare ad orandum,& ibi recepit diuinæ visionis tam excessiuum feruorem,animam eius paupertatis concupiscentia totaliter inflammantem, quod videbatur ex facie & oris hiatu quasi flãmas amoris emittere.Et egrediens ad socium sic ignitus ore vehementer dicebat.A,a,a, frate Messæ præbe mihi teipsum, & hoc fecit ter.Frater Massæus stupens de tam vehementi feruore,cum tertia vice S.Franciscus dixisset , præbe mihi teipsum:immisit se totum in brachia sancti patris. Tunc Sanctus Franciscus cum hiatu magno & Spiritus sancti feruore,& clamore valido reboando, A , a, a, leuauit fratrem Massæum cum ipso flatu in aëre , & impulit illum ante se, quantum posset esse vnius longæ lanceæ mensura. Quod videns frater Massæus, stupuit valde de tam mirando S. patris feruore, & retulit postea sociis, quod illo S. patris impulsu tantam dulcedinem & Spiritus sancti consolationem persensit, quod numquam in vita sua consolationem tam magnam meminerat se habuisse. Post dixit S.Franciscus fratri Massæo:Charissime eamus Romam ad S.Petrum Apostolum,& ad S.Paulum, & rogemus eos vt doceant nos,& adiuuent possidere thesaurũ inenarrabilem sanctissimæ paupertatis. Et addidit S. Franciscus dicens.Charissime & dilectissime frater mi, thesaurus beatificæ paupertatis est tam dignissimus, & tam diuinus, quod nos digni non sumus illam in vasis nostris tam vilissimus possidere: cum paupertas sit illa virtus cælestis,per quam cũcta terrena,& transitoria cuncta calcantur,per quã omnes obices tolluntur è medio,vt liberè Domino Deo æterno mens humana iungatur.

Cum Sanctus Franciscus grauiter pateretur in oculis, & venisset ad S.Damianum , prima nocte tã grauiter infirmatus est in oculis , quod lucem aliquam videre non poterat. Cum ergo stetisset in cella quinquaginta diebus in tanto dolore oculorũ & vexatione multiplici à diabolo excitata,quod die noctuque quiescere non valebat, tunc S.pater, hoc esse flagellum Domini recognoscens , cœpit Deo gratias agere,& illum toto corde & ore laudare, & ex intimis præcordiis clamare, quod illis & multo maioribus angustiis dignus esset.Et cum hoc rogabat Dominum dicens:Domine Iesu Christe pastor bone,concede mihi ouiculæ tuæ gratiã & virtutẽ, vt in nulla tribulatione angustia,vel dolore à te recedam.Et cum hoc dixisset, facta est ad eum vox de cælo dicens. Franciscе respondе mihi:Si tota terra esset aurum,& mare,& flumina & fõtes essent balsamum,& omnes montes & colles,& lapides,essent lapides pretiosi , & tu inuenires alium thesaurum tanto nobiliorem his , quanto nobilius est aurum quàm terra,& balsamum quã aqua, & lapides prætiosi quàm saxa, & esset tibi datus pro infirmitate tua ille thesaurus tam charus,non deberes multum gaudere? Respondit S.Franciscus:Domine non sum dignus tam pretioso thesauro. Et Dominus ad eum ait. Gaude nunc frater Franciscе , quia ille est thesaurus vitæ æternæ, quem tibi reposui. Et ex nunc te inuestio, & ista infirmitas & afflictio tua,est arra illius beati thesauri. Tunc Sanctus Franciscus est valde lætus effectus.

Quodam tempore paulo post conuersionẽ suam beatus Franciscus , cùm ambularet solus per viam non multum longè ab Ecclesia Sanctæ Mariæ de Portiuncula , ibat alta voce plangendo. Quidam autem spiritualis homo obuiauit illi , & timens ne haberet aliquem dolorem infirmitatis , dixit ei. Quid habes frater ? At ille respondit. Ita deberem ire per totum mundum sine verecundia plangendo passionem Domini mei. Tunc ille simul cum eo cæpit flere,& fortiter lacrymari.

Beatus Rufinus , socius Sancti Franciscí, quodam tempore viuente B. Francisco , grauiter à dæmone de prædestinatione vexabatur in anima.Nã suggerebat cordi eius hostis antiquus , quod ipse non erat de prædestinatis ad vitam , & perderet quicquid in Religionis seruitio faceret. Propter hanc vexationem per multos dies durantem , totus erat melancholicus , & tristis effectus,& suam pugnam beato Francisco dicere verecundabatur, nihilominus tamen orationes consuetas minimè dimittebat. Sed hostis antiquus , volens sibi tristitiam addere , quæ grauiter vulnerat seruos Dei: ad pugnam interiorem , addidit etiam exterius impugnare. Vnde apparens sibi in specie Crucifixi dixit. O frater Rufine , quare in orationibus, & in pœnitentia te affligis , cum tu non sis de prædestinatis ad vitam ? Et hoc credas mihi , quia ego scio quos elegerim , & non credas filiõ Bernardonis , si contrarium tibi dixerit : nec etiam ipsum interroges de ista materia ; quia ipse vel alius hoc ignorat : sed ego qui sum Dei filius bene scio: ideo credas mihi pro certo , quod tu es de numero damnatorum. Et ipse frater Franciscus , tu, & pater eius es damnatus,& quicumque sequitur eum decipitur. Frater autem Rufinus erat ita obtenebratus à principe tenebrarum:quod iam fidem & amorem in Sancto Francisco perdiderat,& hoc sibi dicere non curabat. Sed quod sancto patri frater Rufinus non dixit:spiritus Domini reuelauit. Vnde

*Oculorũ magnam patitur infirmitatem.*

*Eius patientia & resignatio in infirmitatibus.*

*Singularis S. Francisci affectus erga passionẽ Christi.*

*B. Rufinus. S. Francisci discipulus grauiter à dæmone de prædestinatione vexatur.*

*Apparet Rufino diabolus in forma Crucifixi.*

*Fuit is Bernardo Pater S. Francisci.*

*Nota insigne miraculum.*

*Paupertatis laudes.*

*Reuelatur tentatio Rufini S. Franciſco.*

ipſe pius pater, videns in ſpiritu tantum dicti fratris Rufini periculum, miſit fratrem Maſſæum pro ipſo vt ad eum omnino veniret. Nam frater Rufinus, & ſanctus Franciſcus ſtabant in loco montis Subaſij prope Aſſiſium. Frater autem Rufinus reſpondit fratri Maſſæo. Quid habeo ego facere cum fratre Franciſco? Et tunc frater Maſſæus, homo totus Spiritu ſancto repletus, clarè cognoſcens maligni ſpiritus fallaciam, ait. O frater Rufine, neſcis tu quod ſanctus Franciſcus eſt ſicut Angelus Domini, tot animas illuminauit in mundo, & à quo etiam nos tot diuinæ gratiæ recipimus dona? Vnde ego volo omnino quod tu venias ad eum: quia ego clarè video à diabolo te deceptum. Statim autem frater Rufinus venit ad S. Franciſcum, & cum ſanctus Franciſcus vidit eum, à longè cœpit clamare. O frater Rufine catinelle, cui credidiſti? Et dixit totam ſibi per ordinem tentationem quam habuerat intus & extra, & docuit eum quod ille qui prædicta ſuggeſſerat erat diabolus, & non Chriſtus: ideo nullo modo eius ſuggeſtionibus aſſentiret.

*Diabolus eſt contemnēdus & irridēdus.*

Sed quando dicet tibi, tu es damnatus, tu ſecurè reſpondeas. Aperi os tuum, & ibi ponam ſtercus, & ſit tibi ſignum quod ipſe eſt diabolus, quod dicto & pronunciato verbo hoc, ſtatim fugiet.

*Propriū diaboli eſt cor indurare.*

Adhuc recognoſcere debes ipſum fuiſſe diabolum, quia cor tuum indurauerat ad omne bonum: quod proprium eius officium eſt. Sed Chriſtus benedictus numquam cor hominis fidelis indurat, immo dicit: Auferam tibi cor lapideum, & dabo tibi cor carneum. Frater verò Rufinus videns quod ſanctus Franciſcus dicebat ita totam per ordinem ſeriem tentationis, quatenus intus & extra vexatus fuerat,

*Tandem ad ſe redit Rufinus.*

cœpit fortiſſimè lacrymari, & adorans ſanctum, ac culpam humiliter recognoſcens de hoc quod ipſi celauerat, ac totus confortatus eſt in Domino, & per monita patris totus mutatus in melius, dixit ei S. Franciſcus. Vade fili, confitearis, & orationis conſuetum ſtudium non dimittas, & ſcias pro certo quod tentatio iſta erit tibi ad magnam vtilitatem & conſolationem, ſicut experieris in breui. Frater autem Rufinus rediit ad cellam ſuam ad orandum in ſyluam. Et dum ſtaret cum multis lacrymis ad orandum: ecce venit hoſtis antiquus in perſona Chriſti dicens: Frater Rufine, nonne dixi tibi, quod tu filio Petri Bernaridonis non crederes, & quia es damnatus, & in orationibus & lacrymis non labores? Quid enim prodeſt tibi, ſi dum viuis affligeris, & cum morieris es damnatus? Cui ſtatim dixit frater Rufinus. Aperi os tuum, & ibi ponam ſtercus.

*Diabolus valde confuſus recedit à S. Rufino.*

Tunc diabolus indignatus receſſit, cum tanta tempeſtate & commotione lapidum montis Subaſij, vt per magnū ſpatium fluxerit lapidum multitudo, vbi adhuc apparet lapidum horrenda ruina. Nam per vallem etiam dicti montis ſaxa ſe inuicem collidendo, ignem plurimum emittebant: vnde ad tam terribilem ſtrepitum lapidum S. Franciſcus, & ſocij admirantes extra dictum locum, vt nouitatem illam adſpicerent, exierunt. Et tunc frater Rufinus manifeſtè aduertit, quod ipſum hoſtis antiquus deceperat. Vnde ſecundò ad S. Franciſcum rediit, & proſternens ſe in terram, iterum culpam dixit: qui confortatus à ſancto, totus pacificus remanſit.

*Apparet Chriſtus B. Rufino.*

Et cum poſt hæc ſtaret cum multis lacrymis orans, ecce Chriſtus benedictus ſibi apparuit, & totam animam ſuam diuino liquefecit amore, dicens: Bene feciſti fili, qui credidiſti fratri Franciſco, quia ille qui te contriſtauerat fuit diabolus. Ego autem ſum Ieſus Chriſtus magiſter tuus, & vt de hoc te reddam certiſſimum, hoc ſit tibi verum ſignum, quia donec in iſto mundo eris, numquam de cætero eris triſtis.

*Accipit à Chriſto gratiā perpetuæ ſpiritualis lætitiæ.*

Et benedixit Chriſtus fratrem Rufinum, & dimiſit eū in tanto gaudio & dulcedine ſpiritus, & eleuatione mētis, quod die noctuque erat abſorptus in Domino. Et cōfirmatus ex eſt tūc in tanta gratia, & benedictione, & ſecuritate ſalutis æternæ, quod totus in virum alterū renouatus eſt. Ad tantam eleuationem mentis, & perſeuerantiam orationis confirmatus eſt infra paruulum temporis circulū, vt die noctuque cōtemplari diuina poſſet, ſi eum aliquis non impediſſet,

*Nota egregiū S. Franciſci de Rufini ſāctitate teſtimonium.*

vnde dicebat S. Franciſcus de eo, quod frater Rufinus erat canonizatus in cælo dum adhuc viueret, à Domino Ieſu Chriſto, & quod ipſe non dubitaret in abſentia ſua dicere, ſanctum Rufinum adhuc exiſtentem in terra, eſſe canonizatum in cælo. Prædictus autem frater Rufinus, propter magnam cordis attentionem ad Deum, & Angelicam mentis quietem, quandocumque ab aliquo vocabatur, cū tanta grauitate, & dulcedine, & vocis modeſtia, moroſitate ipſum inuocātibus reſpondebat, quod videbatur de alio mundo redire: vnde ſemel vocatus à ſociis vt iret pro pane: ille ſicut verè diuinus reſpondit: Frater mi multum libenter. Cum verò apud Aſſiſium panem quæreret, ecce ducebatur vnus dæmoniacus fortiter ligatus, & multis hominibus ſociatus, qui ducebatur ad S. Franciſcum, vt eum à dæmonio liberaret.

*Diabolus non poteſt ſuſtinere conſpectum B. Rufini.*

Qui à longè cum vidiſſet fratrem Rufinum, ſtatim cœpit clamare, & furere fortiter, & confractis omnibus vinculis, de manibus omnium exiliuit. Illi autem de tanta nouitate mirantes, coniurauerunt eum vt diceret, cur modo plus ſolito torqueretur. Qui reſpondit. Quia frater ille pauperculus, obediens, & humilis, eſt ſanctus frater Rufinus, qui ſuis ſanctis virtutibus, & humilibus orationibus me incendit & cruciat: propterea non poſſum plus ſuſtinere in iſto homine commorari.

*Dæmoniacus ſola præſentia viri Deſtcuratur.*

Et his dictis ſtatim dæmon exiuit. Homines autem præſentes cum infirmo ſanato, illi magnam reuerentiam exhibebant: ipſe verò ſtatim dedit laudem Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, & hortatus eſt illos vt in his omnibus glorificarent Deum & ſaluatorem noſtrum, qui eſt benedictus in ſæcula.

*Concionatur ad Pōtificē & Cardinales.*

Cum ſemel prædicaturus coram Papa & Cardinalibus, ad ſuggeſtionem Domini Hoſtienſis, ſermonem quendam ſtudioſè compoſitum memoriæ commendaſſet, ſtetiſſetque in medio, vt ædificationis verba proponeret, ſic obliuioni tradidit omnia, vt effari aliquid omnino neſciret. Verùm cum hoc veridica humilitate narraſſet, conferens ſe ad Spiritus ſancti gratiam inuocandam, tam efficacibus ſubito verbis cœpit affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum ſublimium ad compunctionem inflectere: vt apertè clareret quod non ipſe, ſed ſpiritus Domini loquebatur.

*Publico ſpectaculo exhibet natiuitatem Chriſti.*

Denique anno tertio ante obitum ſuum, cum memoriam natiuitatis pueri Ieſu, ad quanto maiorem deuotionem apud fideles excitare vellet, apud caſtrum Græcij, à ſummo Pontifice etiam petita ad hoc & obtenta licentia, fecit præparari præſepium, apportari fœnum, bouem & aſinū ad locum adduci. Aduocantur fratres, adueniunt populi, perſonat ſylua voces, & venerabilis illa nox luminibus copioſis & claris ſplendens efficitur ſolemnis. Stat vir Dei corā præſepio pietate repletus, reſperſus lacrymis, & gaudio ſuperfuſus. Celebrantur Miſſarum ſolemnia ſuper præſepe, Leuita Chriſti Franciſco ſacrum Euangelium decantante.

*En ſanctum virum Leuitam.*

Et ecce miles quidam virtuoſus Dominus Ioannes de Græcio, vidit pueru-



puerulum quendam valdè formoſum in illo præſepio dormientem. Sed & fœnum præſepij reſeruatum à populo, mirabiliter ſanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulſiuum peſtium diuerſarum.

Biennio itaque antequam ſpiritum redderet cælo, diuina prouidentia duce, perductus eſt in locum excelſum ſeorſum, qui dicitur mons Aluerniæ. Cum igitur quodam mane circa feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, oraret in latere montis, vidit Seraphin vnum ſex alas habentē tam ignitas, quàm ſplendidas de cœlorum ſublimitate deſcendere. Cumque volatu celerrimo perueniſſet in aëris locum viro Dei propinquum,

*Apparet illi Chriſtus crucifixus.*

apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus & pedes extenſos habentis, & cruci affixos. Duæ alæ ſuper caput ipſius eleuabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ verò totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obſtupuit. Diſparens igitur viſio mirabilem in corde ipſius reliquit ardorem: ſed & in carne non minus mirabilem ſignorum impreſſit effigiem.

*Imprimuntur ei quinque vulnera.*

Statim namque in manibus eius & pedibus apparere cœperunt ſigna clauorum, quemàdmodum paulo ànte in effigie illa viri crucifixi conſpexerat. Manus enim & pedes in ipſo medio clauis confixæ videbantur, clauorum capitibus in interiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex aduerſo. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra, ipſa verò acumina oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipſa carne ſurgentia, carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus quaſi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens, tunicam & femoralia reſpergebat.

Verùm quia Dei eſt, ad gloriam ſuam magna reuelare, quæ facit: Dominus ipſe, qui ſignacula illa ſecretè impreſſerat, miracula quædam apertè per ipſa mōnſtrauit, vt illorum occulta & mira vis ſtigmatum, manifeſta pateret claritate ſignorum. Nam circa præfatum montem Aluerniæ, antequam vir ſanctus ibi contraheret moram, nube ex ipſo monte ſurgente grandinis violentia tempeſtas fructus terræ conſuetudinariè deuaſtabat.

*Inſigne miraculum.*

Sed poſt illam apparitionem fælicem, non ſine incolarum admiratione grando ceſſauit, vt cæleſtis illius viſionis excellentiam, & ſtigmatum ibidem impreſſorum virtutem, ſerenati præter morem ipſa cæli facies declararet. Contigit quoque eum tempore hyemali propter debilitatem corporis, & aſperitatem viarum, hominis vnius pauperis ſubuectum aſello, ſub rupis cuiuſdam prominentis pernoctare crepidine, vt niuis & noctis ſuperuenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus ad hoſpitij locum non valuerat peruenire. Cùm autem vir ſanctus hominem illum querulofis ſubmurmurantem gemitibus hinc inde ſeipſum iactare ſenſiſſet, tanquàm qui tenui operimento contectus, quieſcere præ frigoris acerbitate nequibat, diuini amoris feruore ſuccenſus, manu illum protenſa palpauit.

*Cōtactu manus ſuæ pellit frigus ab homine.*

Mirabile certè. Repentè ad illius ſacræ manus contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intus & extra calor aduenit, ac ſi quædam in eum vis flammea ex fornacis ſpiraculo proceſſiſſet. Nam illicò, & mente & corpore confortatus, ſuauius inter ſaxa & niues vſque manè obdormiuit, quàm vnquam in proprio lecto pauſauerat, ſicut ipſe poſtmodum aſſerebat.

Vt autem viro Dei cumulus meritorum accreſceret, quæ omnia verè in patientia conſummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauiter, vt vix in eo membrum aliquod remaneret abſque ingenti paſſionis dolore. Ad hoc tandem per varias & diuturnas ac continuas ægritudines deductus eſt, vt conſumptis iam carnibus, quaſi ſola cutis oſſibus cohæreret. Ipſe autem obitum ſuum longè antè præſciuit: dieque tranſitus imminente, dixit fratribus, ſui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum fuerat reuelatum à Chriſto.

*Variis exercetur infirmitatibus.*

Cùm itaque per biennium ab impreſſione ſacrorum ſtigmatum, anno videlicet à ſua conuerſione viceſimo, multis fuiſſet anguſtiantium infirmitatum probatiuis tunſionibus conquadratus, tanquam lapis in ſupernæ Hieruſalem ædificio collocandus, ad ſanctam Mariam de Portiuncula ſe portari popoſcit, quatenus vbi acceperat ſpiritum gratiæ, ibi redderet ſpiritum vitæ. Quò cum fuiſſet perductus, vt veritatis exemplo monſtraret quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam graui, quæ omnem languorem concluſit, ſuper nudam humum ſe totum nudatum in ſpiritus feruore proſtrauit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo. Decumbens ſic in terra, ſaccina veſte depoſita, faciē ſolito more leuauit in cælum, & manu ſiniſtra dextri lateris vulnus, ne videretur obtexit. Et ait ad fratres: Ego quod meum eſt, feci: quod veſtrum eſt Chriſtus edoceat. Illacrymantibus autem ſociis ſancti, qui miro fuerant compaſſionis telo percuſſi, vnus ex eis quem vir Dei Guardianum ſuum eſſe dicebat, votum ipſius diuina inſpiratione cognoſcens, feſtinus ſurrexit, & acceptam cum chordula & femoralibus tunicam, pauperculo Chriſti obtulit dicens: Hæc tibi tanquam pauperi commodo, & tu illa ſuſcipias obedientiæ ſanctæ mandato.

*Nota ſancti viri eximiū paupertatis amorem.*

Gaudet ex hoc vir ſanctus, & iubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuiſſe dominæ paupertati vſque in finem ſe vidit.

Hora denique ſui tranſitus propinquante, fecit fratres omnes exiſtentes in loco ad ſe vocari, & eos conſolatoriis verbis pro ſua morte demulcens, paterno affectu ad diuinum eſt hortatus amorem.

*Sancta Romana Eccleſia fidem cōmendat.*

De patientia & paupertate, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fide ſeruandis ſermonem protraxit, cæteris inſtitutis ſanctum Euangelium anteponens. Circumſedentibus verò omnibus fratribus, extendit ſuper eos manus in modum crucis brachiis cancellatis, pro eo quod hoc ſignum ſemper amabat, & omnibus fratribus tam præſentibus, quàm abſentibus, in Crucifixi virtute ac nomine benedixit. Inſuper & adiecit: Valete filij omnes in timore Domini, & permanete in eo ſemper. Et quoniam futura tentatio, & tribulatio appropinquat, fælices qui perſeuerabunt in his, quæ cœperunt. Ego verò ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo. Suaui huiuſmodi admonitione completa, iuſſit Deo vir chariſſimus Euangeliorum ſibi codicem apportari, & Euangelium ſecundū Ioannem, quod incipit ab eo loco, ante diem feſtum Paſchæ, ſibi legi popoſcit. *Ioan. 13.* Ipſe verò prout potuit, in huius Pſalmi vocem erupit: *Pſal. 141.* Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum, & in eo verſiculo; Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

*Fælicissimus ſancti viri obitus.*

Tranſiit ex huius mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimoſexto 4. Nonas Octobris.

*Visio cuiusdã fratris.*

Vnus autem ex fratribus, & discipulis eius, vidit animam illam beatam sub specie stellæ candidæ à candida subuectam nubecula, super aquas multas in cælum recto tramite sursum ferri, tamquam sublimis sanctitatis candore prænitidam, & cælestis sapientiæ simul & gratiæ vbertate repletam, quibus vir sanctus promeruit locum introire lucis & pacis, vbi cum Christo sine fine quiescit. Alaudæ aues lucis amicæ, & crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti viri, cùm iam esset noctis sequuturæ crepusculum, venerunt in multudine magna super tectum domus, & diu cum insolita quadam iubilatione rotantes gloriæ sancti, qui eas ad diuinas laudes inuitare solitus erat, tam iucundum, quàm euidens testimonium perhibebant.

*Aues apparẽt supra domum, in hora transitus sãcti viri.*

*Eius exequiæ Angelicæ.*

Fratres autem & filij, qui vocati fuerant ad transitum patris, cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua almus Christi confessor decessit, sic diuinis laudibus dedicarunt: vt non defunctorum exequiæ, sed Angelorum excubiæ viderentur. Manè autem facto turbæ quæ conuenerant, acceptis arborum ramis, & cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis & canticis sacrum corpus ad ciuitatem Assisij detulerunt. Transeuntes verò per Ecclesiam S. Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc glorioſa in cælis, tunc inclusa cum Virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus margaritis cæ- C lestibus insignitum, videndum, & osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Peruenientes denique ad ciuitatem cum iubilo, pretiosum thesaurum quem portabant, in Ecclesia S. Georgij cum omni reuerentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus literas didicit, ibique postmodum prædicauit, postremò ibidem locum primum quietis accepit. Transiit autem venerabilis pater ex huius mundi naufragio, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris, die Sabbathi in sero, sepultus in die Dominico. Cœpit autem vir beatus continuo diuinæ faciei super irradiante respectu, magnis & multis coruscare miraculis. Quibus per- D

*In numero Sanctorum reponuntur.*

motus Gregorius IX. venit personaliter ad ciuitatem Assisij cum Cardinalibus & Episcopis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octauo, decimo septimo Calendas Augusti, die Dominico, & cum maximis quæ longum foret enarrare, solemniis, beatum patrem catalogo sanctorum adscripsit. Anno verò Domini millesimo ducentesimo trigesimo, conuenientibus fratribus ad Capitulum generale Assisij celebratum,

*Transfertur sanctissimum corpus eius.*

ad basilicam in honore ipsius constructam corpus illud Domino dedicatum, octauo Calendas Iunij translatum est.

## NOTÆ.

Franciscus.] *De quo Martyr. Rom. cum Baronio in Notis 4. Octobris. Eius vitam prolixius descripsit S. Bonauentura, quæ extat apud Surium tom. 5. Multa præterea de Francisco scripserunt eius socij & discipuli, Leo, Rufinus & Angelus. Plura etiam collegit S. Antoninus 3. p. tit. 22. cap. 10. Omnia denique eius gesta in Chronico Ordinis ipsius, comprehensa habentur. Extant eius Testamentum, & quædam alia eius opuscula in Bibliotheca Sanctorum Patrum.*

In ciuitate Assisij.] *Est Assisium Vmbriæ vrbs, quã Ptolemæus Æsisium vocat. Est autem Vmbria regio Italiæ, quam Plinius in sexta regione collocat, ἀπὸ τ῀ ὄμβρου, hoc est ab imbre, quod Vmbri, à Græcis, quasi Vm-* A *brij dicantur: & omnium Italiæ populorum antiquissimi inundatione terrarum imbribus superfuisse credantur. Vel dicta est Vmbria ab vmbra, quod ea regio propter altitudinem montium & vicinitatem Apennini Vmbrosa sit. In ea sunt Spoletum, Narsia, Reate, Ameria, Tiphernum, Fulgineum, Nuceria, Assisium, Narnia, Tudertum, &c.*

Insonuit Cithara.] *Est Cithara instrumentum musicum, alio nomine Lyra, vulgò,* vne Harpe. *Hanc Hieronymus scribit effici in modũ Δ litteræ, cum chordis 24. & per digitos variis vocibus, tinnulisque ictibus in diuersis modis concitari.*

Transiens per Apuliam.] *Est Apulia Regio Italiæ, mari Adriatico contermina, quæ vulgò dicitur* la B Poüille.

Sulthani Babyloniæ adire præsentiam.] *Sulthanus idem est quod Rex.*

Tempore quo Damiatam, &c.] *Hæc secundum alios Heliopolis dicta est, quam expugnauit & cepit S. Ludouicus Rex Galliæ anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono.*

## VITA S. ANTONII PADVANI Ordinis S. Francisci. Ex illa prolixa quæ est apud Surium.

*Habetur to. 3. 13. Iunij.*

EST in Lusitaniæ regno ad plagam Occidentalem in extremis orbis finibus, vrbs quædã, quam incolæ Vlysbonam vocant, quòd ab Vlysse, vt aiunt, benè sit condita. In ea templum miræ magnitudinis extructum est in honorem matris Dei, & perpetuæ virginis Mariæ, in quo B. Vincentij martyris sacrum corpus honorificè asseruatur. Ad eius templi partem occiduam, fælices beati Antonij parentes honestum habuere domicilium ipsis templi foribus valde propinquum. Ex illis in ipso iuuentutis flore procreatus beatus Antonius, cùm sacri baptismatis salutaribus expiaretur vndis Fernandi nomen accepit. Deinde ab ipsis propè incunabilis multa fuit morum probitate, & integritate, Ecclesiarum & Monasteriorum terens crebrò limina, manusque suas libenter extendens ad pauperes. Pater eius vir nobilis fuit, miles Alphonsi Regis, Martinus nomine, mater eius Maria.

*Patria S. Antonij.*

*In baptismo Fernandus appellatur.*

*Parẽtes eius.*

Cùm autem accedentibus annis sentiret improbos corporis motus de carnis corruptione nascentes nequaquam cessit petulantis ancillæ cupiditatibus, sed strinxit habenas, corpusque in seruitutem spiritus redigere nitebatur. Est autem extra vrbis Vlysbonæ muros Monasterium Augustinianorum quos Canonicos Regulares vocant. Ad quos vir Dei cùm spretis mundi oblectamentis, tandem se contulisset: illorum habitum induit humiliter, & deuotè. Sed cùm biennium ibi mansisset, eo quod amicorum crebra visitatione, quæ solet piis mentibus non parum importuna videri, nimium interpellaretur, impetrata, licet ægrè, recedendi copia à Superiori, non vitæ institutum, sed locum mutans, ad Monasterium S. Crucis de Conymbria cõmigrauit: quo in loco egregiè scrutabatur profunda sermonum Dei, & contra errorum foueas diuinæ Scripturæ sententiis intellectum communiebat: simul etiam Sanctorum Patrum monumenta sedula lectione euoluebat.

*Fit Canonicus Regularis.*

*Aliud Monasterium petit.*

Sed neque hoc ei fuit ad virtutem satis. Nã cùm reliquias Sanctorum martyrum quinque fratrum, Ordinis S. Francisci, Dominus Petrus Infans Lusitaniæ Regis filius Marochio adduxisset, & se illorum

*Accessus meritis quinque Martyrum Franciscanorũ, transit ad Ord. Minorũ.*



rum meritis à magnis periculis liberatum per omnes Hispaniæ prouincias diuulgasset: Christi seruus Fernandus, audiens mira quæ per illos fiebant, multo cœpit flagrare desiderio, instar illorum, pro Christo hauriendi martyrij calicem, atque adeò etiam hac spe non multo post per fratres Franciscanos loci, qui S. Antonius dicitur, Abbatis sui facultate vix extorta, habitum illius professionis accepit: vbi & se Antonium dici voluit. Tunc quidam ex Canonicis Monasterij eius discessum acerbo animo ferens, dixit ad eum: Eas, eas, forsitan sanctus eris. Ad quem ille conuersus, humili voce dixit. Cùm me in sanctos relatum audieris, profecto Deum laudabis. Paulatim autem crescebat quoque in eo sitis martyrij, & zelus fidei magis ac magis eum extimulabat, nec illum quiescere patiebatur. Itaque quemadmodum se facturos receperant fratres Franciscani, fecerunt ei copiam ad Sarracenos proficiscendi, cum ille nullas sibi moras nectendas putans, celeriter abiit. Sed præpotens Deus hac in re illius propositum planè retardauit, totius hyemis spatio graui eum morbo affligens. Qua re compulsus ille, ad natale solum ob corporis curandam valetudinem se recepit, vbi tamen cùm nauigando ad Hispaniæ littora nautas appulsuros speraret, ad Siciliam ventorum impulsu delatum se sensit.

*Parat proficisci ad Sarracenos, sed diuinitus impeditur.*

*Ex Sicilia venit Assisiũ ad Capitulũ generale.*

Non longè tum aberat dies in quem indictus erat fratrum conuentus apud Assisium, quem Capitulum generale vocant. Quod vbi Messanæ ex fratribus vir Dei resciuit, seipsum confirmans, eo licet debilis & affecta valetudine profectus est. Quo conuentu soluto, cùm ille quem Ministrum vocant, commissos ipsi fratres, ad sua loca remitteret, solus Antonius à nemine expetebatur, quippe qui vt ignotus, ita parum vtilis aut idoneus existimaretur: atque ita solus in Ministri generalis manibus relictus est, donec fratrem Gratianum, qui tum in Æmilia siue Romandiola, fratrum Minister erat, secretò rogauit seruus Dei, vt à Ministro generali ipsum acceptum, in Æmiliam perduceret, disciplinis regularibus illic erudiendum. Ita ergo frater Gratianus eum secum in Æmiliam abduxit: vbi & venia impetrata, ad Eremum Montis Pauli

*Negligitur ab omnibus tanquam parum vtilis, donec tãdem adductus est in Æmiliam.*

*Degit in loco solitario.*

secessit, quietem animi, & conscientiæ captare volens. Cùm autem in ea Eremo aliquandiu moraretur, frater quidam cellulam precationi aptam in quadam crypta sibi condidit, vt illic liberius Deo vacaret. Eam vt vidit vir beatus, à fratre illo sibi eius fieri copiam precibus contendit. Non negauit ille, & vir Dei persoluto quotidie nocturnarum precum officio, ad eam cellam secedebat, sumptaque secum exigua panis particula, & in vase aqua, cogebat carnem parere spiritui, solitariamque illic, quantum licuit, vitam ducens, sanctis cogitationibus, & meditationibus spiritum aduersus tentationes communiebat, & diuino amore se confirmabat. Perstabat illic solus nocturnis horis in precibus, totumque se diuinæ moderationi permittens, & commendans, in cælestibus spei suæ ancoram solidissimè defigebat. Nec deerant illi crebræ infestationes dæmonum, volentium eum in sanctæ orationis studio perturbare. Tanta autem se inedia macerauit, vt quemadmodum testantur ij, qui id viderunt, hora refectionis ad fratres rediturus, nutante præ nimia imbecillitate gressu, seipsum interdum sustentare non posset. Sic igitur vir ille plenus sapientia, non breui tempore simplex vixit apud simplices, & omnem arrogantiam humili corde deuitans, sub indocti persona gratiæ lumen abscondit. Sed non est passus Deus latere eum semper. Multum iam temporis fluxerat, cum fratres pro sacris accipiendis Ordinibus, ad Forum Liuij, quæ est Æmilij ciuitas, confluerent, inter quos etiam adfuit Antonius. Vbi cum fratribus ex more congregatis, minister loci ad Antonium se conuertens, iuberet vt apud fratres dicat quicquid suggeret spiritus ipse, (quippe qui peritior apud fratres habebatur) abluendorum culinæ vtensilium, potiùs quam Scripturæ sacræ explicandæ licentiam petit. Mundabat ergo quotidie humili ac deuoto corde culinæ res, & fratrum domicilia, eximiæ cuiusdam humilitatis & contemptus sui de se exempla præbens. Verum enimverò, licet totis viribus in id incumberet, vt à Ministro impositum munus liceret subterfugere: non potuit tamen voto potiri suo. Tandem ergo cedens tum illius voluntati, tum omnium precibus, cum timore Domini primò orsus est ad eos simpliciter dicere. Sed cùm vellet Dominus lucernam, hactenus sub modio positam, in omnium conspectu proferri, in orationis progressu, tanto verborum splendore, tanta mysticarum sententiarum altitudine vsus est: vt omnes in summam admirationem adducerentur, maximè quod præter omnium opinionem id euenire, simul etiam eximia eius charitate non mediocriter ædificarentur, nec affirmare dubitarent, eiusmodi sermonem nunquam se antehac audiuisse. Atque ex eo tempore per Ministrum generalem demandata est illi concionandi prouincia, cultórque Eremi, deinceps missus est ad prædicandum verbum Dei. Qua authoritate fretus, ad proximorum salutem totum se contulit, in concionibus suis adhibens eam iustitiæ æquitatem, vt siue magnis, siue paruis loqueretur, veritatis iaculis omnes feriret. Arguebat incredulos, obsecrabat pios, impios obiurgabat.

*Celat diu scientiam suam.*

*Eius humilitas.*

*Vbi habebatur ab omnibus indoctus, subitò prædicat cũ summa gratia.*

*Arguit omnes siue paruos, siue magnos summa constantia.*

Personas quasdam sublimes, reprehensione dignas, tanta nonnumquam seueritate obiurgauit, vt plerique alij celebres concionatores, illum audientes, ad intrepidam illius constantiam trepidarent, vultusque suos quodam pusillanimitatis rubore perfusi obtegerent. Circuibat per vicos, castra, vrbes, & agros, & vitæ semina vbique largissimè spargebat: inter quæ Ariminij multos quoque hæresi correptos, ad fidei integritatem reduxit, atque ipsum Boniuillum hæresiarcham, quem triginta annis errorum tenebræ obcæcauerant: qui & deinde vsque ad mortem, Ecclesiæ mandatis deuotus stetit. Scilicet hic est ille Antonius quem sublimiter facundo ore scripturæ mysteria depromẽtem, quadã vice Pontifex Maximus singulari quadam prærogatiua Arcam testamenti appellauit, qui & primus fuit Prælector in Ordine suo, consentiente beatissimo patre Francisco institutus Bononiæ, vt præesset suis in Theologica facultate. Idemque etiam in Æmiliæ prouincia permultis annis fratrum Minister cum laude fuit.

*Boniuillum hæresiarchã conuertit.*

*Arca testamẽti vocatur à summo Pontifice.*

Cùm autem in ciuitate Podiensi Guardiani ministerio fungeretur, erat illic Notarius quidam omnino lubricus carni & mundo totus addictus. Eum quoties prætereret vir Dei nudato capite coram illo genu flectebat. Ille verò existimans id in sui derisionem & contumeliam fieri, animo perturbatur, dabatque modis omnibus operam, ne illum vnquam obuium haberet. Sed cum die quodam ab insperato eum transiret vir sanctus, & ita vt diximus, erga illum se gereret, exacerbatus homo, dixit: Nisi timerem Dei iram, gladio te perimerem, quod ita me ridiculum facis. Quid sibi vult istud, quod

*Lubrico homini præstat reuerentiam, tanquã futuro martyri.*

*Magna eius abstinentia.*

quod coram me poplitem flectis? Respondit vir A beatus: Ego me libens Deo martyrem obtulissem, sed illi non placuit. De te autem ille mihi reuelauit, præclarum te martyrem fore. Oro itaque vt vbi ad martyrij agonem perueneris, mei memor esse velis. Hoc ille audiens risit. At non multo post tempore Episcopus Podiensis cum multis aliis profectus est Hierosolymam, vt Sarracenis Christum prædicaret. Et ecce diuinitus permotus Notarius ille venditis suis rebus omnibus, cum illo iter ingressus est. Cùm autem peruenissent ad Sarracenos, & Episcopus sic satis frigidè haberet conciones, semel quidem & iterum & tertio Notarius dissimulauit. At tandem instar Vincentij increpat Antistitem, quod ita frigidè fidem Christi & prædicet, B & propugnet: diuinoque afflatus Spiritu, cum multo feruore cœpit docere Sarracenos, Christum esse verum Deum, & Dei filium, Mahometem autem filium Sathanæ esse & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris eum supplicijs excruciant. Cumque iam ad mortem duceretur, exposuit fratribus Antonium id prædixisse, quod ipse martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reuerentia beatum Antonium prosequendi. In illo generali Capitulo quo beatissimi patris Francisci reliquiæ ad locum in quo nunc asseruantur, translatæ sunt, qui

*Absoluitur ab omni fratrum præfectura.*

fuit annus proximus ante obitum eius, ab omni C fratrum regimine prorsus absolutus est beatus Antonius, factaque est ei generalis potestas verbum Dei, vbicumque vellet, prædicandi. Et quidem sicut eo tempore, quo conciones suas, quas de tempore vocant, conscripsit, Paduæ moratus fuerat: ita & mox primo libertatis suæ cursu ad eos se conferre decreuit. Vbi cum hortante Episcopo Ostiēsi, conciones quoque de sanctis conficere vellet, sacro tamen Quadragesimæ aduentante tempore, illud opus intermisit, totumque se ad docendum pro concione populum eius sermones mirificè sitientem applicuit: illisque quadraginta diebus quotidie concionatus est, ita certatim ad eum confluentibus, vt cum nimiam auditorum frequentiam

*Ob cōcursum populi cogitur concionari in patentibus campis.*

Ecclesiarum ambitus non caperent, compulsus sit D ad patentes sese campos transferre. Confluxit autem eò ex vicinis vrbibus, castris, pagis, innumera prope hominum multitudo. Surgebant intempesta nocte, & alij alios nitebantur anteuertere. Tabernas suas mercatores non volebant patere cuiquam ad emendas merces, nisi prius sancti viri concione absoluta: quin & fœminæ quoque ex deuotione præcidebant forficibus particulas è tunica eius, pro reliquiis eas habituræ. O quot ille tum implacabiles inimicitias ad pacem reuocauit! quàm multos diuturna captiuitate miseros libertati restituit! quot ille res, per vsuras & nephariam vim aliis ereptas, restituendas curauit!

*Plures cōuertit ad meliorem vitam.*

Tantam verò vtriusque sexus multitudinem ad E confitenda peccata sua remisit: vt nec fratres, nec alij Sacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis sufficerent. Cœperunt tum primum homines cateruatim sese verberando, & pia cantica deuotè depromendo procedere: quæ laudabilis consuetudo, à tanto auctore profecta, deinceps suis est aucta incrementis. Quibus egregiis facinoribus, velut virtutum suarum coronide clarus vir sanctus, hæresiarchis passim in publicis disputationibus ab eo palam conuictis, vt Arimini, Tholozæ,

*Multi se palam verberibus afficiunt.*

*Est malleus hæreticorum.*

& Mediolani, ab omnibus indefessus hæreticorum malleus dicebatur. Nec sine fructu fuit labor viri Dei, plerisque hæreticis, cum ipsorum fautoribus ad veritatem & obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ reuertentibus. Quod vt magis perspicuum fiat, præter illum, quem Arimini conuersum diximus, Boniuillum nomine, alium quendam hic commemorabimus hæresiarcham, insigniter perfidiosum, quem vir Dei stupendo miraculo ad sanitatem reduxit. In partibus Tholozanis quandoque incidit in disputationem acerrimam cum perfidissimo quodam hæresis architecto de salutifero Sacramento Eucharistiæ. Iam penè vicerat hominem, parumque aberat, quin ille Catholicæ veritati accederet, cum post multa & varia, per quæ elabi nitebatur argumenta in hæc ille verba prorupit: Missa faciamus verba, & ad res veniamus. Si tu miraculo testatum efficere potueris, in Eucharistia verum haberi B corpus Christi, omni perfidia abiurata, mox ceruices meas Catholicæ fidei iugo submittam. Respondit vir Dei cum multa fiducia: Confido in Christo saluatore, me pro tui & aliorum conuersione, id quod postulas, ab eius misericordia impetraturum. Tunc surgens hæreticus, & manu silentium indicens, ait. Ego iumentum quoddam triduana inedia macerabo: post triduum verò producam illud in populi conspectum, & paratas escas ostendam illi, tuque stabis ex aduerso, cum tuo illo, vt dicis, corpore Domini. Si iumentum posthabito pabulo suo, properauerit ad adorandum Deum suum, Ecclesiasticæ fidei totus accedam. Assensit iis vir Dei absque mora. Iam dies præfixus aderat, & in plateam latissimam vndique fiebat hominum concursus.

Adest etiam vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequentia stipatus: nec abest hæreticus, cum nequissima suorum caterua. Prope aderat sacellum, in quod vir sanctus ingressus, cum multa deuotione obtulit Missæ sacrificium. Eo peracto, egreditur ad populum, cum summa reuerentia gestans corpus Domini. Producitur è conclaui mulus benè famelicus, congruumque illi pabulum offertur. Tum imperato silentio, vir Dei cum multa fiducia bruto illi animali ita dixit. In virtute & nomine creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, re vera teneo, tibi præcipio, vt confestim humiliter huc accedas, & eam quam par est, illi præstes reuerentiam, vt hinc perspicuè intelligat peruersitas hæreticorum, omnem creaturam suo subdi creatori, quem dignitas Sacerdotalis in altari contrectat. Necdum Christi seruus dicendi finem fecerat, & ecce iumentum illud, neglecto pabulo, vsque ad poplites submisso capite accessit, & coram illo viuifico corporis Christi sacramēto genu curuauit. Mox immenso gaudio exultant catholici, hæretici dolore animi contrahuntur. Laudatur & benedicitur præpotens Deus, fides catholica extollitur, hæretica prauitas pudore afficitur, & opprobrio sempiterno. Hæresiarcha autem ille, coram omnibus abiurata perfidia, sanctæ Ecclesiæ mandatis deinceps paruit.

*Insigni miraculo mulus adorat Eucharistiā. Vt tibi hæretic.*

Quodam tempore Romam innumera diuersarum gentium multitudo venerat, condonationes, siue indulgentias Paschales promeritura. Erat tum in vrbe vir Dei Antonius propter negotia quædam, voluitque summus Pontifex, vt ad peregrinos illos haberet concionem. Renouatum illic cernere licebat præclarum illud miraculum, quo olim in Pentecoste Apostolos illustrauit Christus. Nam beati viri linguam ita instruxit gratia Spiritus sancti, vt singuli & apertè audirent, & planè intelligerent idioma regionis suæ, in quo & nati & educati fuerant, quemadmodum ex iis multi postea pro certo affirmarunt.

*Peregrini, prædicāte viro Dei, omnes intelligunt idioma regionis suæ.*

Apud



Apud Lemouicenses cùm in nocte Natiuitatis A Christi in summa æde ei concionandum esset, & eodem tempore nona in nocturno officio lectio apud fratres in suo Monasterio recitanda: cùm vtrumque simul præstare non posset, rogauit Dominum, vt is sua virtute suppleret, quod humana ope fieri nequiret. Et ita eodem tempore, & lectionem illam in fratrum choro visus est legere, & in primario templo concionem habuit.

*Absens nihilominus legit lectionem in choro.*

Cum beatus vir ex Tholozano lectore, & Podiensi Guardiano, factus esset Custos Lemouicensis, & per regnum Franciæ proficiscens concionaretur, tandem ad Bituricensem vrbem peruenit. Vbi cum die quadam prædicaret populo, tam frequens habuit auditorium, vt nullus intra oppidum B locus esset tantæ multitudinis capax. Canonici igitur cum populo instituta processione in agrum latissimum exierunt: eratque æstiuum tempus. Sub ipsa autem concione immanis orta tempestas, fulguribus & tonitruis existentibus, omnes imminentem pluuiam fugere compulit. Sed vir Dei cernens illos fugam meditantes, alta voce dixit: Sitis bono animo, nec vos loco moueatis. Ne guttà quidem pluuiæ quemquam vestrum continget. Tum illi verbis eius fidentes, nihil se mouerunt. Interim

*Grando & pluuia non contingunt auditores cōcionis eius.*

pluuia & grando crassissima præceps è cælo corruens, omnes illos prorsus intactos reliquit, ne locum quidem, in quo stabant, madefaciens, cum tamen eum vndique instar muri ambiuisset. Ad C tam insigne miraculū, omnes gratias egerunt Deo, & virum Dei deinceps in multa reuerentia habuere. Concionante quandoque viro Dei ad sex milliaria extra vrbem Podiensem, absoluto sermone, quidam viri fideles vinum & alia quædam ei miserunt. Quod vinum gustans matrona quædam cum eius palato non sederet, festina domum abiit melius vinum allatura. Qua in re tam fuit solicita, vt vasis epistomium apertum relinqueret, manuque ferens vertibulum, siue partem illam, qua epistomium obturatur, ad hominem Dei properaret. Ad quem vt accessit, vidit in manu sua instrumentum illud, sensitque se non clausisse epistomium, moxque domum reuersa, totum cellarium vidit vino D perfusum. Confidens autem meritis sancti viri, in epistomio reposuit vertibulum; statimque dolium adeo est vino repletum, vt exundarit.

*Vas vacuum redundat vino.*

Alia quædam pia fœmina in Francia, virum Dei pro habenda concione extra vrbem exeuntem sequi desiderans, à marito malè valente non permittebatur. Fuit hoc illi molestissimum, & cum concioni interesse non liceret, ascendit in solarium domus suæ, & ex fenestra ad locum concioni destinatum cupida respexit, vt vel sic nonnihil suo desiderio satisfaceret. Accidit tum res admiratione digna. Cùm enim ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri Dei prædicantis audiuit. Cuius suauitate delectata, hæsit diutius ad fenestram quàm E vir eius ferre posset, qui etiam eo nomine obiurgauit eam, sed illa se respondit patrem Antonium audire concionantem. Quod ille audiens, irrisit eā delirare illam existimans. Illa contra asserente se optimè audire eum, ascendit vir ad fenestram eandem, & etiam ipse viri Dei vocem meritis fidelis coniugis percepit: atque ab eo die numquam ex illius concione abesse voluerunt.

*Auditur vox eius procul per miraculum.*

Quædam alia nobilis matrona virum Dei cum ingenti populi multitudine extra oppidum sequēs, vt in agro concionaturum audiret, in angusta quadam platea in densissimum lutum decidit, nouis iisque non parui pretij vestibus induta. In ipso autem casu se Deo, & sancto vito commendans, ex luto ita surrexit munda, vt omnes in admirationem versi, Deum & fidelem seruum eius mirificè prædicarent.

In vsurarij cuiusdam exequiis vir Dei concionaturus, thematis loco accepit illud ex Euangelio. Vbi est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Sub concione autem inter cætera ait. Mortuus est hic diues, & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum eius, & in illius medio inuenietis cor eius, corpore iam humato. Abierunt hominis parentes, & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum eius inuenerunt.

*Res sanè terribilis & stupenda.*

Quodam solemni die vir sanctus cōcionabatur, & quædam nobilis domina auidè auscultabat. Cernens hoc impurus Satan, vt fructum concionis ab ea excluderet, cursoris speciem præ se ferens, ad eam cum literis venit, aitque filium eius ab hostibus captum & interfectum. Eas maligni hostis versutias spiritu cognoscens vir Dei (nam corporeis auribus nihil huius perceperat) coram omnibus dixit: Nihil timeas domina, filiius tuus & viuit, & rectè valet. Cursor autem iste, diabolus est. Ad quas voces instar fumi ille egregius cursor euanuit.

*Malignitas dæmonis.*

Vidit hoc & inuidit malignus dæmon, & vt virum sanctum à proposito deterreret, nocturnis illusionibus infestus ei fuit. Nam nocte quadam C sacræ Quadragesimæ post occupationes, fessa laboribus membra somni beneficio nonnihil recreare volebat. Ecce autem impurus Satan adest, & hominis Dei guttur tanta vi comprimit, vt nisi diuinitus retardatus esset, haud dubio eum præfocaturus fuerit. At ille beatissimæ matris Dei nomen inuocans & fronti suæ viuificæ Crucis signum imprimens, simulque depromens hymnum illum, O glorioſa Domina, in fugam compulit nequissimum spiritum, & repentè se sensit liberatum. Cúmque fugientem illum videre cuperet, oculos aperiens, totam illam, in qua cubabat, cellulam superni luminis splendoribus perfusam conspexit.

*Dæmonē ipsū prafocare nitentem signo Crucis turpiter fugat.*

Cùm Paduæ degeret vir Dei, Vlyssonæ duo ciues inexpiabili odio se mutuò prosequebantur: è D quibus alter iuxta ædes parentum beati viri manebat, & cum hora vespertina filium hostis sui in platea inuenisset, per summam crudelitatem iugulauit, & intempesta nocte, in horto parentum viri Dei, facta fouea eum sepeliuit.

Cùm autem nobilis esset is, cuius filius cæsus erat, inquisitum est diligenter, & repertum eius filium illac transisse, vbi eius inimicus morabatur. Itaque eius domo & horto lustrato, nihil compertum est. Itum est ad vicinas ædes, & in horto illarum pueri cadauer inuentum est. Itaque pater sancti viri cum tota familia coniectus est in vincula, tanquam reus cædis illius. Id verò vt per spiritum Paduæ cognouit vir Dei, vesperi à Guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non est. Eadem nocte magno miraculo Vlyssonam perductus est, & proxima luce ad Iudicem se contulit, rogans vt insontes è vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante, petiit cadauer perempti pueri ad se afferri. Quo allato, iussit surgere puerum & dicere, num à parentibus ipsius occisus esset. Ille surgens, dixit eius cædis illos prorsus conscios non esse, atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto illo die cum parentibus suis vir beatus, & manè Angelico ministerio Paduam reductus est.

*Nota insigne miraculum.*

*Liberat parentes ab imminenti periculo mortis.*

Paduanus quidam viro Dei confitens peccata

sua, inter alia exposuit ei, quòd matrem suam tanta vi trusisset pede, vt illa compulsa sit cadere. Id audiens vir sanctus, omnis malitiæ hostis capitalis, cum quodam spiritu feruore dixit: Pes quo pater & mater percutitur, meritò quamprimum debet amputari. Quod ille homo simplex perperam accipiens, ilicò domum abit, & pedem amputat. Mox per omnium ora volitat crudele facinus, & ad virum Dei refertur. Qui absque mora adit hominem, & post oblatas Deo preces, Crucis signo expresso, iungit pedem tibiæ, & aliquandiu linit sacris manibus suis. Confestim surgit homo incolumis, ambulans, & exiliens, & laudans Deum, ingentes agens gratias seruo eius fideli Antonio.

*Pedem truncatum restituit.*

*Encelinum Tyrannum durè arguit.*

Tyrannidem apud Veronenses occupante immanissimo illo Encelino Romano, cum didicisset B. Antonius multam eum hominum cædem per summam crudelitatem Veronæ fecisse, intrepidus ad illum accessit, atque his verbis compellauit. Imminet ceruicibus tuis tyranne sæuissime & rabide canis horrenda sententia Dei. Quousque non tẽperabis tibi à fundendo insontium hominum sanguine? pluraque his similia voce liberrima in faciem ei dixit. Qui verò aderant nihil expectabant aliud nisi more suo iussurum vt trucidaretur, sed secus euenit. Nam omni posita feritate, instar ouis, ad collum suspensa zona, coram viro Dei humi prostratus, culpam suam humiliter dixit; omnémque pro illius arbitrio promisit emendationem, C adiecitque: Viri commilitones, non vobis isthuc mirum videatur. Nam reuera diuinum quendam vidi fulgorem ex eius vultu vibrari, qui adeò me perterruit, vt me repentè vt tartarum demersum iri vererer. Ex illo tempore multa erga hominem Dei deuotione fuit, & quoad vixit, à multis malis, quæ alioqui, sicut ipse fatebatur, fecisset, illo retrahente abstinuit.

*Obitum suũ longè ante præsciuit.*

Obitum sum longè ante præsciuit: sed ne fratres dolore afficerentur, illis indicare noluit. Decimoquinto ferè ante mortem suam die, cum è quodam colle contemplaretur amœnam Paduæ planitiem exultans spiritu, situm vrbis eius miris vehebat laudibus. Versus deinde ad fratrẽ itineris D sui comitem multo honore ciuitatem illã breui affectũ iri prædixit, non tamen exprimẽs cuiusmodi ille honor futurus esset. Sed ab illius obitu vsque in

*Padua felix reliquiis sancti viri.*

præsens gratulatur vrbs illa fælici rerum experimento, quando propter viri Dei præclara merita, innumerabilium hominum frequentia visitatur.

Sed cùm iam messis instaret, & vir Dei sciret colligendis frugibus populum occupatum iri, statuit ad tempus concionibus supersedere. Pertæsus verò crebri cum secularibus hominibus congressus, extra oppidum ad locum quendam solitarium, quem Sancti Petri campùm vocant, secessit, Deo, & sibi vacaturus. Nec verò mediocriter eius aduentu exhilaratus Tiso vir nobilis, in cuius ditione erat locus fratrum, multa humanitatis officia propensissimo animo illi præstitit. Habebat is locum quendam nemoribus consitũ, haud procul à domo fratrum: in quo erat arbor procera, ex cuius trunco sex rami emerserant, coronæ speciem referentes. Eam vir Dei conspicatus, cellulam super eam sibi extrui voluit, quod solitudini & quieti opportunus ille locus videretur. Id vbi Tiso ex fratribus cognouit, ipse suis manibus viro Dei, & duobus sociis eius tres cellulas cum multa

*Degit solitarius supra ingentem arborem.*

deuotione fecit. In ea igitur cellula vir Dei vitam degens solitariam, instar apis sedulæ lectioni Scripturæ sacræ, & contemplationi vacabat. Atque hæc inter mortales illius extrema fuit habitatio.

Iam igitur separatus ab hominum turbis, viuebat sibi, sanctis meditationibus & feruentibus precibus intentus, vt spiritum ab omni rerum terrenarum contagione repurgaret, & si qui pulueres ex hominum secularium conuictu & consuetudine, vt assolet, illi aliqua ex parte inhæsissent, eos lacrymis compunctionis, & capillis sanctæ contemplationis abstergeret, cælestis patriæ ciuibus propediem fæliciſſimè coniungendus. Cùm autem die quadam è sua cella prandij hora descendisset, cum fratribus pro more discubuit. Facta verò est illic super eum manus Domini, cœpitque repentè totius corporis viribus destitui. Morbo autem magis ac magis inualescente, fratrum manibus sustentatus, à mensa surrexit: sed cùm fatiscentes artus sustinere non posset, in cuiusdam lectuli stramenta se præceps inclinauit. Sentiens itaque corporis dissolutionem imminere, accito ad se socio suo fratre Rogerio, dixit ei: Si tibi consultum videtur, frater, ob vitandum horum fratrum grauamen, Paduam me conferam, ad B. Mariæ locum. Quod cùm fratri illi placeret, in currum imponitur vir Dei. Monitus autem à fratre quodam qui illum inuisere consueuerat, ne propter ciuium importunitatem in vrbem ingrederetur, ad cellam fratrum iuxta Monasterium pauperum dominarum commorantium se perduci curauit. Paulatim autem ingraueſcente ægritudine ad extrema festinauit. Cúmque nonnihil quieuisset, facta confessione, hymnum illum de beata Maria; O gloriosa Domina, canere cœpit. Deinde sublatis oculis, aliquandiu sursum diligentissimè eos intentos tenuit. Cùm autem interrogaretur, ecquidnam ita aspiceret, respondit: Video Dominum meum. Cernentes igitur fratres qui aderant, fælicem eius exitum adesse è proximo, sacram vnctionem ei impẽdere voluerunt. Vt autem vidit sanctus vir fratrem ex more sacrum oleum apportantem, intuens in eum ait illi: Hanc vnctionem ego habeo intra me, etsi autem necesse non est vt hanc mihi extrinsecus adhibeas, at placet tamen & vtilis est. Susceptit igitur sacram vnctionem, extensisque manibus, & palmis iunctis psalmos quos pœnitentiales vocãt, cum fratribus perlegit. Inde quasi dimidia elapsa hora, inter manus adstantium dormienti similis, leniter expirauit. Corpus planè dormire videbatur, manibus in candorem & colorem pristinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus. Eo autem die quo mortuus est, apparuit Abbati Vercellensi, quem cùm esset in corpore præcipuè charum habuerat, maximè quod in Theologia eum instituisset, & post mutuam salutationẽ ait illi. Ecce Domine Abbas relicto asello apud Paduam, festinus ad patriam proficiscor. Laborabat tum Abbas grauiter ex gutture: sed vir Dei leniter eum attingens, totum illud incommodum repentè depulit, & disparuit. Cùm autem fratres nollent statim eius obitum diuulgare, pueri (nemine sciente de eius morte) cateruatim per vrbem incẽdentes, clamabant: Mortuus est pater sanctus, mortuus est Sanctus Antonius. Mox populus adinstar apum aduolat ad domum fratrum, omnium ibi lamentabiles voces & gemitus audiũtur, certatimque omnes sanctum corpus apud se detinere contendunt, imprimis ciues ad caput pótis habitantes, qui cum armata iuuentute aduenerant. Sed tandem sedatis tumultibus, & seditionibus, Episcopus cum Clero, Magistratus cum militibus, & innumera populi multitudine, institutis vsque

*Viribus repentè destituitur.*

*En quantum fuerit deus. tus B. Virgilii.*

*Videt Dominum Iesum.*

*Suscipit sacri vnctionem.*

*Fœliciter migrat in cœlũ.*

*Apparet Abbati Vercellensi.*

*Pueri mirò modo mortem eius produnt.*

*En quã charus Paduanis fuit vir Dei.*



vsque ad sacri corporis locum processionibus, ad A Ecclesiam beatissimæ matris Dei, sancti viri corpus mira omnium exultatione transtulerunt. Episcopus sacrificium fecit, quo peracto, & exequiis celebratis, quinto ab eius obitu die terræ mandatum est sanctissimum corpus. Innumera autem tunc facta sunt miracula, quibus permotus Gregorius nonus Pontifex maximus, anno Pontificatus sui sexto, Spoleti, ipso sacratissimo Pẽtecostes die, beatum virum in sanctis deinceps numerandum cum ingenti celebritate decreuit, cùm necdum ab eius è vita decessu annus expletus esset.

*Claret miraculis.*

*Refertur in sanctos.*

Eo autem die quo in sanctos relatus est vir Dei, res stupenda accidit Vlysbonæ. Nam & viri & fœminæ extra domos in plateis cantabant & tripu- B diabant, & campanæ omnes totius ciuitatis, nullo eas mouente, concrepabant egregiè: nec poterant homines se cohibere, quin se lætitiæ & tripudiis darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diu post superuenere ex Italia fratres, quorum relatu didicerunt eodem ipso die inusitatæ lætitiæ suæ, virum beatum in sanctorum albo inscriptum fuisse.

*Nota rem mirãn.*

## NOTÆ.

Antonius.] *De quo Mart. Roman. cum Baronio in Notis 13. Iuny. Eius vitam prolixius affert Surius tomo 3. Agunt præterea de eodem Zacharias Lippeolo, Cornelius Grasius, Haræus, Gazetus, Renatus Benedictus, & C omnes denique qui Vitas sanctorum scripserunt. Plura de eodem in Thesauro Concionat. tomo 2. & in Chronico Ordinis S. Francisci. Obiit anno Domini 1231. In sanctos relatus est anno Domini 1232. Vidi & legi eius doctissima opera, quæ duo continent volumina, in celebri Bibliotheca Monasterij nostri S. Trinitatis de Marcoussiaco.*

Vlysbonam vocant.] *Alias Vlyssippo vocatur, vel (vt alij scribunt) Olyssipo, Lusitaniæ metropolis, quæ alio nomine dicitur Lisbona,* Lisbone en Portugal.

## VITA PETRI EREMITÆ. PARTIM ex Guillelmo Archiep. Tyrensi, & aliis collecta.

*Habetur in Hist. Belli sacri.*

*Patria & clari natales P. Eremitæ.*

PETRVS natione Gallus, in ciuitate Ambianensi, nobilibus parentibus ortus, à primæua ætate iam ostendebat animi sui generositatem & magnanimitatem. Qui cum esset docilis, & bonæ indolis puer, curauerunt parentes, vt partim litteris, sed præcipuè in re militari eruditetur. In qua arte ita excelluit, vt vix in tota patria, ne dicam in aliis multis, similis ei reperiretur.

*Secedit in desertum.*

Factus adolescens & grandæuus, cum cerneret omnia quæ in mundo sunt esse vana & caduca, vitamque hominis esse multis periculis obnoxiam; volens suæ saluti consulere, decreuit valedicere E mundo & pompis eius. Nacta igitur occasione fugiendi, insciis parentibus, secessit in quoddam desertum & incognitum solitudinis locum: vbi multis annis hominibus incognitus, Deo autem cognitus, in austeritate magna permansit.

*Terra sancta sub potestate Sarracenorũ.*

In illis diebus terra sancta sub Christianorum potestate erat, sed quidam Turcarum Rex execrandus Christianorum inimicus, à paucis diebus Hierosolymam ceperat, multasque Christianorum stra-

*Asseruntur claues S. Sepulchri ad Philippũ Regem Francorum.*

ges faciebat: vnde Eraclius Patriarcha Hierosolymitanus, cum Priore Hospitalis Rhodiensis, venit ad Regem Francorum Philippum Augustum, deferens ei claues sancti sepulchri & ciuitatis, petésque auxilium. Rex his auditis, magna compassione permotus, decreuerat quidem proficisci Hierosolymam cum valido exercitu, sed à proceribus regni eo quod non haberet hæredem, detentus, prædicari cruciatam iussit: validumque exercitum misit. Sed tota messis seruata fuit Petro Anachoretæ. Qui postquam (vt diximus) diu in eremo versatus fuisset, cum Hierosolymam per id tempus nauigasset, Christi sepulchrũ visurus, ex Simeone Hierosoly- *Petrus Eremita pergit Hierosolymã.*

mitano Patriarcha, & aliis Christiani nominis, qui pauci numero in his locis agebant, edoctus quàm miserabili seruitio ea terra premeretur, vbi olim esset omnium gentium salus quæsita, nullumque esse locum tam sanctum, quem gens impia non cæde, rapinis, stupris prophanasset, tam validè Petri viscera ad compassionem pupugerunt hæc, quod totus in lacrymas resolutus consilium dedit vt scriberetur summo Pontifici, quatenus Christianos Principes ad eis auxilium præstandum posset incitare. Quod cum optimum visum esset, ipse iterum ad sanctum sepulcrum se contulit, Deum pro populo & sancta ciuitate rogaturus. Cum autem ferè *Guillel. Tyr. vbi supra.*

totam noctem in oratione transegisset, & præ lassitudine paululum se quieti dedisset, subito apparuit Angelus Domini in specie egregij adolescentis, qui eum monuit, vt Italiam petens summo Pon- *Eremitæ apparet Angelus, monẽs vt pergat ad sũmum Pontificem, & Principes Christianos pro recuperatione Terræ sanctæ.*

tifici Principibusque Christianis nunciaret, vt terram sanctam ab infidelium potestate liberarent. C Sed cum non ignoraret inimicum generis humani sæpius se in Angelum lucis transformare consueuisse, expergefactus, rogauit quod si esset verus bonus Angelus eidem iterum appareret. Quod & factum est. Sed cum adhuc dubitaret: Christus Dominus & Rex Angelorum ei apparuit, iubens vt Romam peteret, summoque Pontifici insinuaret, placere sibi iubereque eam terram piorum armis à Turcarum impietate vindicari, in qua pro publica *Sabellic. vbi vbi suprà.*

salute & nasci voluisset & pati.

*Proficiscitur Romam ad Vrbanum Papam.*

Hoc instructus oraculo sanctus Eremita, rediens ad Patriarcham narrauit quæ viderat & audierat. Cumque eum consolatus fuisset, acceptis eius litteris, profectus est Romam, summumque Pontifi- D cem Vrbanum conueniens ei Patriarchæ literas dedit, quas sine lacrymis & exclamationibus legere non potuit, præcepitque ei, vt Alpes transgrediens, ad omnes Galliæ Principes, cæterosque duces Christiani nominis deferret oraculum, omnesque ciuitates & Europæ populos ad eam expeditionem hortaretur. Interea summus Pontifex Vrbanus, in Galliam profectus Cloromentem venit, vbi pio- *Concilium Claromont.*

rum Antistitum & Ducum conuentum indixit. Et cum ad diem frequentes conuenissent, huiusmodi dicitur oratione vsus.

*Oratio summi Pontificis ad Antistites & Duces qui erant in Concilio.*

Etsi Romanæ Ecclesiæ causa, quæ reformanda est, vt veterem auctoritatem recipiat, magnam mihi necessitatem imposuit huc veniendi, optimi Antistites, & Duces clarissimi, vera Christiani nominis E lumina, alia tamen multo maior necessitas coëgit me ex Italia peregrè proficisci, quæ quo maior est maiorisque ponderis, eo minus fuit negligenda. Scio enim neminem hic esse qui non aliquando audiuerit quæ non multis ante annis in Syria acciderint, circa eam terram quæ sancta dicitur. Turci Sarracenique, & alia infanda gentium nomina, Christi Regis nostri sepulcrum armis occuparunt, nullum Hierosolymis fuit templum, nulla ara, nullus pietatis locus, quem non sacrilegæ manus aut euerterint, aut in prophanos vsus mutauerint. Cœtus ille piorum hominum qui cum vrbe captus est, partim tormentorum metu fidem abnegare, est

*Sæuitia Barbarorum.*

coactus, partim qui id facere recusarint per supplicia, & cruciatus martyrium tulere. Sanctissimæ mulieres ex tota ferè Europa illuc profectæ, non tam ad insolentis hostis libidinem explendam, quã ad nostrum dedecus monstrosis sunt concubitibus vexatæ. Quod si hæc vobis parum digna videntur viri pientissimi, cur arma ad tam longinquum bellum induenda sint, illud succurrat animis, illa hominum mentem subeat reputatio, quàm longè, latéque hodie Mahometi arma impunè euagétur, quantum terrarum, quæ Romani olim fuerunt imperij, suæ ditionis fecerint. Sed vtinam ea esset nostrarum rerum condito, vt alienas vacaret calamitates flere. Italia nostra memoria impiis Sarracenorum armis direpta & vastata est, nec parua ex parte possessa, arces, vrbes, templa, & in his augustissimas Apostolorum circa vrbem basilicas sacrilegæ manus diripuere, direptas cremauerunt. Sed quid ego hæc refero? quæ quoniam procul hinc gesta sunt, minus fortasse animos subeunt. Quoties Hispania & Aquitania quæ vestra est, eandem iniuriam sensere? vt hæc lacrymis vix benè absterſis, damna illa reformidet, Hiberia magna ex parte lugeat. Gallia, etsi id vulnus non est eius visceribus adactum, vicinitate tamen locorum hæc non solum audiuit, sed videre etiam potuit. Germani & aliæ gẽtes ad Septemtrionem positæ, quas hæc clades nondum attigit, identidem cogitare debebunt, quale incendium sibi ab Ortu & Aquilone oriatur, immo quàm sensim glisccndo iam in proximo luceat. Quod nisi Veneti superi maris oram præsidio tuerentur, quorum occursu sæpe dira gens ex Histriæ & Dalmatiæ litoribus depulsa est, haud dubiè ad hunc diem tempestas illa Germaniæ & Panoniæ limites transcendisset. Constantinopolitani Imperij opes, quæ dum vigebant, ad ortum & Boream Europam texerunt, ita vltra Thracium Bosphorum & Hellespontum hodie accisæ sunt, vt anxiæ sollicitæque sint de Byzantio retinendo.

*Vide egregia apud Paulũ Æmyliũ lib. 4. Hist. Frãc. in Philipp. I.*

Quid quod vrbs ipsa etiam his paucis annis, à Turcis & Sarracenis, Alexij ductu, hostiliter directa est, ac non aliter vexata quàm si iure belli capta esset? quo obice discusso malo vos considerare quàm fando ominari, qualis fortuna sit totius Europæ imposterum futura, horret animus admonitu eorum quæ ventura sint, nisi huic incendio maturè ibitur obuiam, omnia mala quæ ij passi sunt, quorum fortuna tam miserabilis videtur, nostris (vtinam sim falsus vates) capitibus incident. Turpi seruitio adigentur viri promiscuè ac fœminæ, pueri puellæque ad stuprum rapientur, ac quum parum proderunt lacrymæ, tum dolebitis dum licuit non iuisse huic incendio obuiam, non creduntur hæc futura, nec illi qui iam passit sunt, olim credidere. Vtinam non sæpè inanem spem aleremus. Quod si non pietatis studium, non religio, non humanitatis iura ad eam vltionem excitant, excitare saltem poterit & debebit necessitas, cui nemo nisi stultus & demens repugnat. Debet & cæleste oraculum, quod quale sit ex homine vestræ gentis viro insigni pietate discere potuistis. Hortari potest & illud, quod omnia abundè volentibus aderunt, quæ victoriam polliceri possunt, vires, consilium, auxilia, opes, pecuniæ, quæ omnia quia adhuc integra sunt, oportet, & fas est, hanc ignominiam delere, periculum propulsare. Nec rem monemus quæ sit hominum viribus desperanda. Carolus ille Rex vester qui magni nomen tulit, Gallorum decus & splendor, ex Aquitania Hispaniaque Sarracenos eiecit. Carolus Italia expulit. Carolus, quod gloriari soletis, Hierosolymam cum tota terra quam iure sanctam appellatis, armis recepit. Cæterum quo maior illius gloria est, maiusque nomen manauit ad posteros, eo vos illius progenies magis niti decet (Galli duces,) vt recentibus factis vetustam vestræ gentis gloriam non solum tueamini, sed auctam etiam posteris relinquatis, quam non modò non augebitis, sed ne tuebimini quidem si in hac senescitis desidia, si natale Christi solum impiorum planta calcari, sepulchrum, templum, cæteraque sacraria cædibus, stupris, sacrilegio, non sine vestra, Christianique nominis ignominia prophanata iacere sinitis. Quin potius dum licet arma capitis, idque commune dedecus tollitis, Galliæ & vniuersæ Europæ salutem & perpetuum inde otium quæritis. Etenim quanto maiores vobis erunt vires, si in vnum conspiretis, quàm olim Carolo fuerunt, eo certior faciliorque sequetur victoria, præmia adhæc multa & ampla victores manebunt ex tam opulenta gente, tam diuitibus regnis: sed illud cæleſtium bonorum multo quidem maius, quod pro fide & pietate fortiter dimicaturis polliceor.

*Laus Gallorum Regum.*

Et Vrbanus huiusmodi vsus est oratione ad Gallos & cæteros Christiani nominis duces, atque adeo pia res visa, vt ex toto consessu sæpius sit continuò acclamatum, Deus vult, Deus vult. Tunc Pontifex, indicto silentio, Ite ergo viri fortes, & id verbum, inquit, quod ex ore omnium manauit pro tessera vobis in bello sumite, Crucem ex rubenti panno, qui tam piam professuri sunt militiã, & dextro humero sagis assumant. Hic res mira fertur, quæ, nisi cælestc numen piis interesse consiliis credatur, vix referenda, eodem die quo hæc apud Cloromontem acta sunt, famam decreti belli vsque ad extremas terras peruenisse.

*Crucem imponit S. Pontifex.*

*Nota rem miram.*

Tenuit inde aliquot dies consultatio creandi Ducis, cui totius belli summa decerneretur, decretaque est Gothifrido Bolioni. Interea ad trecenta millia armatorum deuota bello affluxisse dicuntur. Platina centum millia fuisse. D. Antoninus sexcenta millia peditum, & centum equitum circa Nicæam sub signis Christianos Duces habuisse author est. Cæterum quantacumque fuit manus illa signatorum, ductores habuit Gothifridum, Eustachium, Balduinum, Boliones, Raimundum Ægidij, & Robertum Flandriæ Comites, Hugonem cognomento magnum, Philippi Gallorum Regis fratrem, Stephanum Valesium Carnoti Comitem, Podiensem Antistitem, & Petrum Eremitam eius expeditionis auctorem. Qui primas belli partes occupaturus, per Germaniam, Pannoniam & Thraciam ingenti armatorum manu, Constantinopolim venit. Sed & Galliæ Rex Philippus Augustus cum forti exercitu ad hanc expeditionem profectus est, vna cum Richardo Angliæ Rege, qui postmodum Regi Galliæ fidem non seruauit, quia potentior & maior illo erat, in totius Christianitatis detrimentum. Fuit enim causa perditionis multorum, & numquam Christianis voluit præbere auxilium. Sed Dei vindicta non diu distulit. Nam cum rediret captus fuit à Duce Limpio Austriæ, qui eum ferè per annum in carcere detinuit, quique coëgit eum soluere Henrico Imperatori II. centum mille Marcas argenti pro redemptione. Philippus autem Galliæ Rex multas ciuitates inimicorum cepit, & strenuè debellauit, aliosque Christianos qui obsessi in ciuitatibus quas ceperant, ab inimicis tenebantur, sua præsentia ita exhilarauit, quod quasi Angelus ab eis exceptus

*Gothifridus Bolionus Dux militiæ sanctæ.*

*Eremita pergit Constantinopolim cũ valido exercitu.*

*Philippus Galliæ Rex Crucem assumit.*

*Vltio diuina in Henricum Regẽ Angliæ ob suam perfidiam.*



ptus est, gloriosusque & triumphans rediit in Galliam. Fridericus etiam Imperator ad hoc bellum profectus est, multasque insignes reportauit victorias: postmodum cum transiret quoddam flumen, casu cecidit, & submersus est. Sed & etiam ex Cisalpina Gallia profecti fuerunt, Magnus Otho Mediolanensium Princeps, & Boëmundus Rogerij Apuliæ Ducis frater, cum duodecim millibus electorum virorum. Vitalis quoque Michaël Venetorum Dux filium suum cum classe subsidiaria misit. Sed & Genuenses magnifici cum 40. triemibus auxilio fuere, qui omnes vno animo summo Pontifici annuere. Ac sic prædicti omnes cum magno labore & ingenti feruore, Regnum Hierosolymitanum, & ipsam quoque Hierosolymitanam ciuitatem è manibus Calyphæ Regis Barbari anno salutis nostræ millesimo nonagesimo nono liberarunt. Cum ipso namque Calypha Rege pro defensione aderant, Volux vir in armis strenuus, qui trãs Iordanem dominabatur, & multi Barbarorum Reges, necnon & Belcet Auxientis filius: qui omnes maximo cum decore, non sine ingenti vtriusque cæde à nostris tandem fusi & fugati sunt. Calyphas verò, (vt breuibus vtar) sub murorum ruina, millibus confossus vulneribus animosissimè interiit.

*Friderici Imperat. mors in terra sancta.*

*Tandem recuperatur S. Ciuitas & Regnum Hierosolymitanũ.*

*Calyphas Rex Hierosol. moritur.*

Raynaldus autem Alemanorum Dux in prædicta expeditione Petro Eremitæ socius factus, cum ingenti multitudine in Syriam primus peruenit, & confestim in agro Nicæno duo magnifica oppida pugnacissima, videlicet Exeregorgon & Ciuitum cepit, & multa ibidem spoliauit. Sed dum incautè loca custodiret, subita Turcorum irruptione Christiani concluſi; Petrus per legationis speciem sine militibus fugit. Raynaldus vero Dux auxilij spe destitutus, abnegata Christi fidei deditionem fecit. Reliqui autem cum siti maximè laborarent, à Turcis turpissimè trucidati fuerunt: quæ res Constantinopolitano Imperatori Alexio gratissima fuit, qui etiam multum nostris aduersatus est.

*Raynaldus Alemannorũ Dux abnegat fidem.*

*Alexius Cõstantinop. Imperator.*

Longum esset enarrare quomodo exercitus ille magnus sub disciplina magna viuebat, more deuotissimorum Monachorum. Tunc temporis cum impressoria non adhuc ars vigeret, Petrus Eremita, B. Mariæ Virgini Dei genitrici valde deuotus, instituit Coronam illius, quam militibus quotidie recitandam dedit. Solebant autem in meridie committere prælium, & inde prouenit causa pulsationis salutationis Angelicæ. Nam qui remanserant audito signo campanæ, flectebant genua, & salutationem Angelicam recitabant pro pugnantibus, quos continuis precibus, ieiuniis, & aliis sanctis operibus adiuuabant. Mirum dictu, cum Christiani continuassent hanc orationem, nostri diuinitus semper victores existebant. Quare recuperatio terræ sanctæ non hominum industriæ & armis, sed sanctæ Dei genitricis misericordiæ & bonitati tribuenda est.

*Vsuardus tomo 2. Ligni vitæ in Tract. de Inuent. rerum. Petrus Eremita Corona B. Mariæ Auctor.*

*Institutio pulsationis Angelicæ salutationis.*

Interea verò postquam capta fuit Hierosolyma, & Rex Christianus in ea constitutus: quidam ad propria redierunt, quidam etiam remanserunt, inter quos fuit Petrus Eremita, qui mansit Constantinopoli, vbi & diem extremum clausisse fertur.

## NOTÆ.

Petrus.] *De Petro Eremita agunt omnes ferè historici cum ad eius tempora peruenerunt, sed præcipuè qui historiam belli sacri conscripserunt, Guillelmus Archiepisc. Thyrens. Paulus Æmylius lib. 4. hist. Franc. in Philippo I. D. Antoninus 2. parte hist. tit. 16. c. 13. Sabellicus tom. 2. lib. 3. Ennead. 9. Vinc. in Speculo lib. 26. c. 92. Philippus Bergom. in Supplem. Chron. lib. 12. ad annum 1095. vbi eum vocat Eremitam, natione Gallum, prudentissimũ religiosissimumq;, atque incomparabilis sanctitatis virum. Agit & de eo Baronius tomo 10. Annalium. Plura de eodem Vsuardus tom. 2. Ligni vitæ in Tract. de Inuent. rerum Ord. S. Benẽd. vbi confutat errorem eorum qui dixerunt eum fuisse Ordinis nostri. Memini me legisse alicubi inuidia quorumdam fuisse veneno sublatum, & Constantinopoli in Basilica B. Dei genitricis Virginis Mariæ in Blachernis sepultum. Fuerunt præterea quidam qui ipsum non fuisse Eremitam, sed sic vocari ex nomine asseruerunt: sed supradictorum & innumerabilium aliorum Historicorum auctoritate, errare conuincunt ur.]*

Partim litteris, sed præcipuè in re militari instrueretur.] *Consentit Paulus Æmylius vbi supra. Petrus (inquit) ex nobilitate Ambianensi, puer literis imbutus, vbi ætas patiens laborum fuit, rei militari deditus.*

Secessit in quoddam desertum.] *Consentit Æmylius scribens in hæc verba: vir effectus, rebus humanis spretis, eremo se dicauit.*

Cum Hierosolymam per id tempus nauigasset.] *Paulus Æmylius. Aliquanto post, impetus eum subiit sacræ peregrinationis suscipiendæ. Paupertate, vilique cultu inter Barbaros tutus, & acri quidem ingenio, sed qui corporis specie indecora, breuique statura, & minus liberali facie contemnendus magis quàm metuendus videretur: omnia circuiuit lustrauitque, ac mores impiorum, animos, vrbes, vires cognouit.*

Ex Simeone Hierosolymitano Patriarcha.] *Paulus Æmylius. Cumque edoceretur à Simone Patriarcha Hierosolymitano viro sancto, quæ illi paucis diebus intolerabilia viderentur, &c.*

Christus Dominus Rex Angelorum ei apparuit.] *Confirmat Paulus Æmylius. Accessit fama, eum in templo quiescentem visum sibi audire vocem Christi iubentis illum cæli legatum redire, nunciareque proceribus Christianis, bellum pro religione susciperent, gererentque. Ita Deum Dominumque velle iubereque.*

Acceptis eius literis.] *Earum tenorem videre poteris apud Paulum Æmylium loco supracitato.*

## VITA S. CHRISTINÆ VIRGINIS MIRABILIS. *Authore F. Thoma Cantipratensi Dominicano.*

*Apud Surium tomo 3.*

VENERABILIS Christi virgo Christina in oppido S. Trudonis in Hasbania honestis parentibus orta est: quibus è vita abeuntibus, illa cum duabus sororibus relicta est, iis natu minor. Porrò sorores illæ vitam suam religiosè & piè instituere cupientes, ita inter se sua munia partitæ sunt, vt maxima natu vacaret precibus, media domus & rei familiaris haberet curam: postremo loco nata Christina, ad pascua eũtia pecora custodiret. Quod illa, tametsi præ cæteris humilius & abiectius videretur, libens suscepit: nec Christus ei suam adhibere consolationem distulit, internæ suauitatis illi suppeditans gratiam. Interim tamen illa mansit incognita omnibus, soli Deo tantò notior, quantò occultior cæteris.

*Patria S. Christinæ.*

*Pascendis ouibus adhibetur.*

Porro autem ab internis illis sanctæ contemplationis exercitiis, vires corporis eius adeo debilitatæ sunt, vt vitam cum morte commutarit. Positum itaque est in medio corpus exanime, amicis, & imprimis sororibus eius acerbè lugentibus: deinde manè ad templum deportatum est: vbi cum pro anima eius Missæ sacrificium offerretur, subito sese cõmouente corpore in feretro, illa surrexit, & mox instar auiculæ sursum scandens, ad templi trabes vsque peruenit. Rei nouitate perterriti omnes, qui illic ade

*Moritur.*

*Missæ sacrificium pro defuncta.*

*Surgit à mortuis, & miranda facit.*

aderant, inde aufugerunt: sola soror natu maxima, non absque formidine, illic permansit. Sedit autem Christina immota, donec peractum est sacrificium. Eo absoluto, Sacerdote eam coniurante, coacta est descendere. Id verò quidam interpretantur, quòd purus & subtilis spiritus ab humanorum corporum odore abhorruerit. Inde cum sororibus domum abiit, ciboque corpus refecit. Venerunt autem ad illam spirituales quidam amici illius, & quidnam vel vidisset, vel passa esset, ab ea percontati sunt.

*Purgatoriũ.*

Tunc illa: Statim, inquit, vt è corpore excessi, animam meam exceperunt lucis ministri, Angeli Dei, deduxeruntque illam in locum quẽdam obscurum & horridum animabus hominum refertũ. Quæ verò tormenta in eo loco conspexi, ea tam immania & acerba fuere, vt nullus sermone possit id explicare. Vidi illic non paucos vita functos, mihi, cùm viuerent, non ignotos. Valdè autem miserata ego animas illas miserabiles, quærebam quis esset ille locus. Suspicabar enim tartarum esse. Responderunt mihi duces mei, locum esse purgatorij, vbi peccatores, quos in vita quidem peccasse pœnituisset, sed non satis, scelerum suorum meritas pœnas darent. Inde perduxerunt me ad inferorum supplicia, in quibus itidem agnoui quosdam, mihi olim in vita notos. Postea verò translata sum in paradisum vsque ad thronum diuinæ maiestatis: vbi cum viderem gratulantem mihi Dominum, vltra omnem modum lætabar, quod arbitrarer illic me deinceps cum Domino in omnem æternitatem permansuram. At ille mox respondens desiderio meo: Reuera, inquit, dulcissima filia, hic mecum eris: sed nunc, vtrum è duobus malis, optionem tibi facio, vel æternum hic nunc apud me permanere, vel redire ad terras, ibique in mortali corpore absque illius detrimento pœnas perferre, iisque omnes illas animas, quas in locis purgatoriis miserabaris, liberare & eripere: efficereque vt homines adhuc in corpore manentes, tuæ pœnitentiæ & vitæ exemplis ad me conuersi, à suis facinoribus abstineant & resipiscant: peractisque omnibus, ad me tandem multis aucta meritorum cumulis reuerti.

*Incredibilis cælestiũ spirituum celeritas.*

Ego verò absque vlla cunctatione, sub conditione mihi proposita, dixi me velle ad corpus redire. Et pius Dominus, gratulans quod me promptam obtulissem, iubet animam corpori suo restitui. Qua in re exequenda admirari licet beatorum spirituum incredibilem celeritatem. Ea enim hora, cum in Missæ sacrificio, quod pro me fiebat, diceretur, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c. anima mea sistebatur coram throno diuinæ maiestatis: cúmque tertio id repeteretur, illi me corpori reddidere. Ita se habet excessus meus è vita, & ad vitam reditio. Propter hominum correctionem & emendationem ad corpus reuocata sum. Itaque deinceps oro ne vos perturbent ea, quæ visuri estis in me: nec talia inter mortales quandoque comperta sunt. His auditis admirati sunt amici eius, & non absque stupore, quæ futura essent præstolabantur.

*Fugit hominum conuictum.*

Cœpit deinde hominum conuictum & conspectum incredibili cum horrore fugere, & ad loca deserta, in arbores, ad turrium & templorum aut aliarum rerum excelsarum fastigia confugere. Id eius amici conspicati, quòd putarent eam à malis dæmonibus occupatam, tãdem multo labore comprehensam, in vincula ferrea coniecerunt. Vbi cum multas molestias, præsertim ex hominum odore, multamque penuriam pateretur, nocte quadam diuinitus adiuta, vinculis & compedibus dissolutis euasit, fugitque in remotam solitudinem, instar auium illic degens in arboribus. Cumque egeret alimento (neque enim quamuis subtilissimum corpus eius cibo carere potuit) dirissimaque fame cruciaretur, nullo pacto ad hominum conuictum redire voluit, sed sola cum Domino manere in desertis locis. Itaque preces Domino offerens, suppliciter eum rogauit, vt ipsius angustias & necessitatem benignissimæ misericordiæ suæ oculis respiceret. Vix precandi finem fecit, cùm ecce ad se oculos reflectens, videt ex aridis mammillis virginei pectoris sui contra ipsa naturæ iura lac distillare. Mira profectò res, & præterquàm in singulari & incomparabili Christi Domini virginea matre, cunctis seculis inaudita. Illum igitur lacteum liquorem alimenti loco sumens, ad nouem hebdomadas suo se lacte sustentauit. Rursus autem à suis quæsita, reperta & capta est, & vt prius, vinculis ferreis constricta, sed frustra.

*Degit instar auium in arboribus.*

*Sustentatur lacte suarum mammillarũ.*

Liberata enim iterum à Domino, venit Leodium: vbi sacrosanctas immaculati Agni Paschalis carnes esuriens, supplex rogauit sancti Christophori Sacerdotem, vt ipsam multis angoribus correptam sacra communione muniret. Promisit ille quidem se id facturum, sed addidit, necdum intra horam expedire se posse. Illa moram non ferens, ad alterius Ecclesiæ Sacerdotem se contulit, petiitque ab illo similiter venerabile corpus Domini Iesu. Is verò absque mora precibus eius se accommodans, illi satisfecit. Et ecce repentè quodam spiritu incitata, extra vrbem aufugit. Miratur presbyter, & vna cum sancti Christophori Sacerdote fugientem insequitur, vsque ad ipsas Mosæ fluminis ripas. Cumque sperarent illam se ad obuias lati fluminis vndas comprehensuros, cum multo stupore cernunt fœminam vero & naturali corpore, haud aliter atque phantastico, profundos penetrare gurgites, & in vlteriorem ripam absque vllo sui detrimento euadere.

*Cõmunicat.*

*Transiit illæsa profundum fluuiũ.*

Tum verò cœpit illa exercere, quorum causa à Domino remissa fuerat. Ingrediebatur in ardentes clibanos, coquendis panibus præparatos, & illis incendiis haud secus, atque aliquis è nobis cruciabatur, ita vt præ angustia & dolore horrendos ederet clamores. Postquam autem inde egressa fuit, vestigium nullum alicuius vstionis in eius corpore visebatur. Quando ad manum non erant huiusmodi furni in hominum ædibus, iactabat se in copiosos ignes, vel pedes tantum aut manus immittebat, tandiu illic tenens, vt nisi diuino seruata esset miraculo, non potuerint non in cineres redigi. Interdum deponebat se in cacabos plenos bullientis aquæ vsque ad mammillas, vel si non essent profundi satis cacabi, vsque ad renes membra illa, quæ in aquam eiusmodi mergere non poterat, aqua feruenti perfundebat. Etsi autem præ dolore instar parturientis clamaret, attamen detrimenti nihil in egredientis corpore apparebat.

*Ingreditur in ardentes clibanos.*

*Cruciat seipsam in aquis bullientibus.*

Sub aquis Mosæ fluminis hyberno tempore, cùm rigerêt omnia gelu, crebro & diu morabatur, sex & eo amplius diebus in eis perdurans. Accedente autem ad fluuium Sacerdote, qui eius gerebat curam, eamque per Christi nomen adiurante, cogebatur inde exire. Solebat etiã hyeme sub molendini rota erecta stare, ita vt aqua, vertente se rota, in medium verticem & totum corpus eius dilaberetur. Interdum in aquis natans, simul cum illis ferebatur in rotam, atque ita horrendum in modum

*Sæpius per spatium sex dierum degit sub aquis gelidis.*



modum circumacta cum ipsa rota, membris omnibus mansit incolumis.

*In monumentis mortuorũ luget hominum peccata.*

In rotis etiam, quibus piratæ plerumque puniri solebant, instar eorum, qui illis excarnificantur, contorquebat brachia & crura sua: nec tamẽ postquam ab illis descendit, vlla in membris eius contritio vel fractura visebatur. Nonnumquam in patibulo inter fures ab illo pendentes se suspendebat ad vnum aut alterum diem; sæpè in monumenta mortuorum ingrediebatur, lugens illic hominum peccata.

*Concitat cõtra se canes, à quibus dirè laceratur.*

*Magna sanguinis copia in eius abundat corpore.*

Surgebat quandoque mediis noctibus, & totius oppidi Trudonensis canes in se concitans, ante illos ipsam insectantes instar feræ cuiusdam cursitabat: sicque per deuia & per densos vepres & spineta agitata, adeo ab illis compungebatur, & lacerabatur, vt nulla corporis eius pars vulneris esset expers, & tamen multo fuso sanguine, nulla plagarum aut vulnerum vestigia conspiciebantur in eius corpore. Alias ipsa se sua sponte spinis & sentibus compungebat, vt toto corpore sanguine perfusa videretur. Multis id non raro cernentibus, magnæ fuit admirationi, vnde tanta sanguinis copia in vno corpore abundaret. Nam præter has sanguinis profusiones, sæpissimè permultum sibi sanguinis venæ sectione detrahebat.

*Corpus sãctæ V. eximiæ subtilitatis & agilitatis.*

*In globi formam corpus eius cõuoluitur.*

Corpus eius tantæ erat subtilitatis, agilitatis & leuitatis, vt in arduis & excelsis ambularet, & instar passeris à tenuissimis arborum ramusculis penderet. Preces Domino oblatura, ad arborum, vel turrium, aut aliarum rerum sublimium fastigia se recipere cogebatur, vt illic ab omnibus semota, spiritus sui requie potiretur. Inter orandum autem, cùm mens eius esset diuinæ contemplationi intenta, instar liquescentis ceræ omnia eius membra in globi cuiusdam formam conuoluebantur, ita vt corpus eius planè sphæricum videretur. Illa autem spiritus ebrietate se remittente, & sensibus suas sedes suáque in membris loca repetentibus, in ericij speciem conglobatum corpus, ad pristinam redibat formam, membraque extendebantur, quæ informis cuiusdam materiæ congeriem præ se paulo ante ferebant. Sæpe quoque visa est in palis sepium erecta stare, & psalmos depromere. Molestissimum enim illi erat, immundam humum contingere.

*Ab omnibus habetur pro obsessa à dæmone.*

At verò sorores & cognati eius miro afficiebantur pudore, quòd propter eiusmodi res inusitatas, homines eam putarent plenam malo dæmone. Itaque non minus improbum, quàm robustum virum pretio conduxere, vt eam persequeretur, & captam ferreis nexibus implicaret. Fecit ille quod iussus erat, persequebatur per deserta loca fugientem, sed cùm eam manibus comprehendere non posset, tandem tibiam eius claua confregit. Ducta est igitur domum, & à sororibus chirurgus accitus, qui tibiam eius curaret. Ea causa missa est Leodium, curru eam vehente. Sed cùm chirurgus non ignoraret, quanta esset vis & robur spiritus eius, eam in cellario quodam omni ex parte murato, vinculis fortiter obligatam, & ad columnam religatam, obseratis ostiis, inclusit. Stringente autem illo tibiam fasciis suis & opportunis remediis fouente, postquam ab ea recessit, illa quicquid ab eo fomentorum adhibitum fuisset, abstrahebat; indignum planè censens, alium suis vulneribus adhibere medicum præter Saluatorem nostrum Iesum Christum. Nec fuit frustrata spes eius. Quadam enim nocte, irruente in illam spiritu Domini, solutis vinculis, quibus constricta erat, curato vulnere tibiæ, obambulabat per cellarium tripudians, laudansque & benedicens illum, cui vni & viuere & mori constituisset. Sentiens autem spiritum suum septis cellarij coarctari, arrepto saxo è cellarij pauimento, multa vi perfregit murum, & quemadmodum arcus quanto fortius tenditur, tanto validius à se vibrat sagittam: ita spiritus eius, plus quàm par erat pressus (vbi enim Domini spiritus, ibi libertas,) cùm ipsa mole corporeæ carnis, perinde vt volucres, per aëra volitasse fertur.

*Diuinitus fracta eius tibia sanatur.*

*Ictu saxi murum frangit.*

*Perinde ac volucres volitat in aëre.*

*Affligitur à cognatis.*

At nec sic tamen sorores & cognati eius ab eius insectatione desistere voluerunt. Vbi enim reuertentem illam comprehendere potuere, iterum vinculis fortiter constrinxerunt, & haud secus atque canem, exiguo pane & aqua eam sustentarunt. Et Christus quidem, vt eximiæ in ea suæ virtutis miracula declararet, ad tempus passus est eam vinciri & affligi. Itaq; duritia ligni illius, ad quod religata erat, nates eius attritæ sunt, & humeri computrescebant: quo factum est vt præ dolore, illum ipsum panem suum edere non posset. Nullo verò eius vicem miserante, mirificè illius misertus est Dominus Iesus, effecitque in ea insigne miraculũ, cunctis superioribus seculis inauditũ. Nam ex virgineis eius vberibus oleum manare cœpit. Quod illa tum pro condimento sicci panis, tum pro vnguento vsurpauit, partim fami remedium adferebat, partim putrescentia vulnera perungebat. Id verò posteaquam eius sorores & consanguinei videre, sibi à lacrymis temperare non potuerunt, nec deinceps ausi diuinæ voluntati in Christinæ miraculis reluctari, eam à vinculis absoluerunt, & cùm, flexis genibus, ob illatas iniurias veniam petiissent, suæ illam libertati permisere.

*Ex S. virginis vberibus oleũ manat.*

*Ad eam visendã multi ex lõginquis regionibus properant.*

Illa igitur hac freta libertate, quantum licuit & libuit pro hominum peccatis à seipsa pœnas reposcebat ita, vt supra iam dictum est. Sed cùm multi desiderio videndi in illa admiranda Dei opera, à propinquis & longinquis regionibus quotidie aduentarent, homines religiosi vtriusque sexus, in S. Trudonis oppido degentes, veriti ne quæ in illa diuinitus fiebant humanæ mentis captum excederent, materiamque præberent carnalibus hominibus opera Dei malignè interpretandi, ea præsertim, quòd hominum conuictum fugiens, instar auis ardua loca peteret, & in aquis piscium more diu maneret: sedulis precibus egerunt apud Dominum, vt miracula potentiæ suæ in Christina ad communem hominum consuetudinem moderaretur. Nec verò spreuit Deus pias preces & lacrymas seruorũ suorum. Quodam enim die, spiritu vehementissimè eam impellente, ad Ecclesiam pagi Vvellensis confugiens, cùm cerneret apertum sacri baptismatis fontem, illi se totam immersit. Inde verò fertur id assecuta, vt eius viuendi ratio deinceps esset temperatior & accommodatior ad hominum consuetudinem, moderatiusque se gereret, posséteque commodius ferre & odores & conuictum aliorum.

*Precibus quorumdã Religiosorũ eius vita fit temperatior.*

*Sæpius communicat.*

Præstantissimum Domini corporis & sanguinis sacramentum crebro, maximéque Dominicis diebus, cum multa deuotione percipiebat, ex eoque, vt ipsa ait, & corporis robur, & ingentem spiritus lætitiam capiebat. Nihil autem eorum, quæ propria illius erant, & Christi causa reliquerat, quæue hæreditario iure ad ipsam deuolui oporteret, vel essent deuoluta, in suos vsus conuertere potuit: sed in cibum sumebat ea, quæ quotidie ostiatim emendicasset, vt eorum peccata portaret, quorum eleemosynis alebatur. Dicebat verò, ea causa diuinitus se compelli ad sceleratorum hominum petendas eleemo

*Sustentatur eleemosynis.*

*Misericordia semper ad bonum finem perducit hominem.*

eleemosynas, vt ij per eas ad peccati horrorem & ad agendam pœnitentiam perducerentur, addens etiam, nulla re magis Deum flecti ad misericordiã erga peccatores, quàm si illi sint benigni & misericordes erga proximos. Nec vnquam sanè misericordia, nunquam benignitas, aliò quàm ad bonum finem & fælicem obitum perducere potuit hominem. Possumus id exempli causa quodam Christinæ experimento vel testimonio confirmare. Die quodam intolerabili siti vexata, Deo eam instigante, ad mensam cuiusdam sceleratissimi hominis splendide apparatam accurrit, potum ab illo petens. Ille præter morem suum insolita humanitate permotus, vinum ei obtulit, vnde illa parum bibit. Ea causa contra omnium opinionem, qui virum nouerant, Christina affirmauit eum in morte ad pœnitentiæ & contritionis gratiam peruenisse.

*Vir sceleratissimus ob misericordiã ad cõtritionis gratiam peruenit.*

Hæc ergo, vt diximus, illi ratio fuit, quamobrem sceleratorum hominum, vti diuinitus cogebatur, eleemosynas emendicaret. Sed cùm aliquid è rebus malè partis acciperet eleemosynæ nomine, eóque vesceretur, videbatur sibi ranarum aut bufonum viscera, aut serpentum intestina glutire. Itaque eiusmodi cibos edens, instar parturientis clamitabat dicens: O pie Iesu, quid ita mecũ agis? Cur adeò me excrucias? tundensque pectus & corpus, aiebat, ô misera anima, quidnam appetis? cur isthæc horrẽda concupiscis? quid his sordibus vesceris? hũc in modum illa torquebatur, cùm cibos sumeret ab illis, qui per vim aut fraudem aliis rapuissent. Nec minus tamen cruciabatur, si ab sceleratis peccatoribus aliquid petiisset, nec impetrasset. Accidit quandoque vt petenti quippiam homo impius donare nollet. At illa vi ab eo tollens, dixit: Etsi impræsentiarum dare non vis, tamen tibi postea ablatum non dolebis, & tunc proderit tibi, quod iam non prodest. Cùm illi deesset manica in veste, vel capitium in pallio, si quis ei veniret obuiam à quo, spiritu eam intus admonente, ea accipere deberet, primò rogat illum, & si daret ille, agebat gratias: sin minus, auferebat etiam recusanti, & ad suas vestes assuebat. Nec erubescebat, si ad vnam tunicam dispares vel diuersi coloris manicas haberet. Vestes autem eius erant tunica alba, & pallium album tegens totum corpus vsque ad talos, non aliis ferè consutum filis nisi arboris tiliæ cortice, aut salicis viminibus, aut ligneis iisque paruis hastulis. Calceis non vtebatur, quibusuis temporibus indiscriminatim nudis pedibus incedens. Epularum loco habebat escas viles & abiectas & scutellarum purgamenta. Aquam appositam bibebat, panemque furfureum nimisque durum, sed aqua maceratum edebat: iisque post biduana, plerumque etiam triduana ieiunia vescebatur.

*Mirè torquetur sumens cibos per vim & fraudem malè partos.*

*Vestes S. Virg. quales.*

*Pedibus nudis incedit.*

*Scutellarum purgamenta habet pro cibo.*

*Valde fugit honores.*

Honores summopere fugiebat & gloriã, dicebátque eorum causa apud inferos & in locis purgatoriis illos grauissimè cruciari, qui veritatis in hac vita à Christo notitiam accepissent. Porrò semper ferè tanquam mœrens & lugens ibat cogitabunda: quippe cui Deus quotidie morientium vel ad salutem, vel ad perditionem merita reuelaret. Si quis intra oppidum vita functus esset, quem illa apud inferos damnatum spiritu cognosceret, fundebat lacrymas, affligebat sese, torquebat cum multo cruciatu brachia sua & digitos, perinde ac si sine ossibus essent flexiles. Erat verò dolor eius intolerabilis cunctis illam cernentibus, vt nulla quamuis adamantina pectora eum absque multa sui contritione & compunctione sustinere possent. Illorum autem nomine, qui ibant ad vitam sempiternam, ineffabili exultatione & tripudio afficiebatur, ita vt sine summa admiratione tanta eius iucunditas videri non posset. Atque illi, qui spiritus eius virtutem nouerant, facilè animaduertere potuere, ex eius tum gaudio, tum mœrore, quis in eo oppido morientibus esset finis adfuturus.

*Cognoscit diuinitus saluationem & damnationẽ hominum.*

*Moribundos ad confessionem & pœnitentiam adhortatur.*

Illa sanè libentissimè atque officiosissimè è vita migraturis aderat, adhortans eos ad faciendam peccatorum confessionem & fructus pœnitentiæ, ad concipiendam spem vitæ beatæ, ad vitandos summo horrore æstuantis gehennæ cruciatus. Neque id Christianis duntaxat, sed etiam Iudæis, quorum erat eo in loco ingens numerus, mirabili commiseratione & solicitudine præstabat.

*Claret spiritu prophetico.*

Spiritu prophetiæ præditam illam fuisse, non vno modo doceri potest. Præmonuit multos, vt suæ saluti consulerent: multos de occultis sceleribus secreto obiurgauit: iisque agendæ pœnitentiæ auctor fuit. Confligente Brabantiæ Duce cum hostibus suis, quæ fuit pugna miserabilis, cæsis permultis, illa haud secus, atque solent parturientes, clamabat dicens: Heu, heu, video aërem gladiis & sanguine plenum. Properate sorores, properate, preces fundite ad Dominum, stillẽt lacrymas oculi vestri, ne contineat Dominus in ira sua misericordias suas. Cuidam etiam sanctimoniali in eodem Monasterio S. Catharinæ dicebat, festina filia, properè te confer ad deprecandum Dominum pro patre tuo, qui in præsentissimo iam salutis suæ periculo versatur.

*Laborat pro reassumptione cuiusdã apostatricis Monialis.*

Erat in illo Monasterio sanctimonialis quædam, quæ fugã meditabatur. De ea igitur ita dixit Christina: O vas inane, huic Monasterio magno dedecori & offendiculo futurum. Non multum inde temporis intercessit, vt Christina dixerat, illa à Monasterio aufugit, Monasterióque sua incõtinentia magno probro & scandalo fuit. Attamen resipuit, & Monasterio se ad agendã pœnitentiam reddere voluit: sed cum ea in re sanctimoniales supra modum difficiles & inexorabiles se præberẽt, Christina eas reprehendit dicens: Tametsi vos non magni penditis perditionem eius, attamen non paruo illius anima Christo constitit, qui eius causa fudit sanguinem suum, & mortem perpessus est. Nec destitit hunc in modum instare apud eas, donec pœnitentem illam rursus in suam sodalitatem admitterent.

*Quidam peregrinus incolumis ad propria precibus S. Virginis reuertitur.*

Vir quidam nobilis ad sepulchrum Christi visitandum peregrè profectus est. Eius vxor orauit & adiurauit Christinam, vt eum suis precibus saluum & incolumem ad suos reduceret. Fuit quidem molesta Christinæ illa nobilis fœminæ obtestatio, attamen multas pro eius marito preces Domino obtulit, multos labores suscepit, effecítque vt ille sanus domum rediret. Dixit autem vxori eius quasi substomachando: Ecce importunitate obtestationis compulsa, sanum tibi restitui maritum tuũ: sed noueris tamen non diu te illius præsentia fruiturã. Dixit illa, & res ipsa vera illam dixisse declarauit, nõ diu post ab hac luce subtracto nobili viro illo, & vxore cum liberis in mœrore multo derelicta.

*Prædicit terram sanctam in Sarracenorum ditionẽ redactam fore.*

Longè etiã ante prædixit terram sanctã & Hierosolymã in impiorum Sarracenorum ditionem redactum iri. Qua autem die à Saladino Ægypti Sulthano capta fuit Hierusalẽ cũ sepulchro & Cruce Christi, illa in castro Loënensi tum constituta, spiritu cognouit rem gestã: cúmque multum exultaret, ab iis, qui aderant rogata vt eius lætitiæ causam exponeret: Iure, inquit, exulto; nã & Christus Dominus



nus cum Angelis suis exultans, occasionem præbuit, qua magna possit hominum copia salua fieri. Illis rursus sciscitantibus quænam esset hæc occasio, respondit: Noueritis terram sanctam hodie venisse in manus hominum impiorum, atque hac re magnam salutis oblatam occasionem. Christus enim pro illata ipsi contumelia dignum censuit, vt terra illa hac ignominia afficiatur, quamuis ipsius passione sanctificata, attamen in fine mundi cum ipso mundo peritura: quando illius recuperandæ causa animæ semper victuræ, eiusque sanguine redemptæ, ab iniquitate ad iustitiæ studium conuertentur, fundentque homines sanguinem suum, & quandam morti Saluatoris vicem cum multa deuotione rependent. His dictis mirabantur omnes, & quidam annotarunt tempus.

*Quare terra sancta in manus Sarracenorũ tradita.*

*Etiam ingentem famem prædicit.*

Famem illam ingentem, quæ incidit in annum à Christo nato millesimum ducentesimum septuagesimum, longè ante futuram prædixit, & permulta talia propheticè nunciauit, quæ iam partim completa sunt, partim complenda credimus. Fuit autem valde familiaris monialibus S. Catharinæ extra oppidum Trudonense: cum quibus aliquando de Christo colloquens, præter expectationem omnium rapiebatur spiritu, corpusque eius instar ludentium puerorum tanta celeritate in orbem crebro vertebatur, vt nulla possent in illo membra discerni. Cúmque id diu durasset, tandem quasi vltra ferre non sustinens eam corporis agitationem, membris omnibus quiescebat, & ecce inter guttur & pectus eius audiebatur melodia quædam admirabilis, quam nemo mortalium vel capere posset, vel vlla industria & arte imitari. Audiebatur quidem musicus concentus, sed verba melodiæ, si tamen verba dici queant, modo quodam incomprehensibili exprimebantur. Nulla enim vel de ore, vel de naribus eius vox aut spiritus proficiscebatur: sed solummodo inter pectus & guttur Angelica melodia resonabat, interim membris omnibus quiescentibus, & ipsis quoque oculorum palpebris clausis, haud secus atque dormientibus. Deinde post aliqua temporis spatia, ad se nonnihil reuersa; quasi ebria, & verè ebria, sed non à vino, exurgens clamabat: Adducite ad me sorores omnes, vt summæ benignitatis Dominum Iesum in eius mirabilibus collaudemus. Mox vndique aduolantibus Sanctimonialibus, (multum enim delectabantur Christinæ consolatione) illa inchoabat, Te Deum laudamus: cæterisque prosequentibus, totum illud canticum absoluebat. Inde iam planè sibi reddita, vt audiuit ex aliis, quid egisset, præ verecundia aufugit, fatuam se simulans.

*Est familiaris Monialibus Monasterij S. Catharinæ.*

*Inter pectus & guttur Virginis admirabilis resonat melodia.*

*Nota sanctæ Virginis humilitatem.*

*Mundi ingratitudo erga Creatorẽ.*

Nonnumquam ad se reuersa ab huiuscemodi mentis ectasi, cum multo cordis dolore dicere solebat. O miserum & miserabilem mundum, non agnoscentem opificem & creatorem suum! Cur illi non seruis, ô miser? Cur longanimitatis eius patientiam vsque adeo paruipendis & negligis? Eius immẽsam bonitatem si perspectam haberes, etiamsi alius quispiam mundus retrahere te vellet, non posses tamen eò adduci, vt illum non amares. Sed ô te miserum, qui te auertisti ab illo, qui oculos clausisti, nec vis videre aut intelligere! Sub his verbis tanquam parturiens contorquebat membra sua, volutabaturque humi, cum ingenti eiulatu identidem repetens, cur miser munde non cognoscis creatorem tuum?

*Degit apud Iueram Inclusam.*

Post hæc è domo & cognatione sua exiens, ad castrum quoddam Germaniæ conterminum, quod Loën vocant, peruenit, ibique apud Inclusam Iueram, eximia pietate conspicuam, nouem mansit annis, quo tempore mira per eam operatus est Dominus. Ex illa autem Inclusa multa ego didici ex iis, quæ de Christina scribenda suscepi: ad quam ego ea causa ex longinquis Galliarum partibus profectus sum.

Eo igitur in loco Christina noctibus intererat precibus nocturnis, quas Matutinas vocant. Cunctis autem ab Ecclesia recedentibus, illa obseratis ianuis per templum ambulans, tantæ suauitatis promebat melodias, vt Angelicæ potius quàm humanæ viderentur. Omnium enim musicorum instrumentorum harmoniam, mortalium omnium voces ille cantus vincebat: tametsi longè impar erat melodiæ longè suauissimæ, quæ illa mente excidente, inter guttur & pectus eius sentiebatur. Erat autem cantus ille Latinus, rhytmis quibusdam tinnulis aut dictionibus inter se pulchrè consonantibus ornatus. Intelligebat autem illa scripturæ diuinæ Latinas dictiones, sensum quoque & mentem illius plenissimè assecuta, licet nunquam didicerit litteras, imò illarum planè rudis esset. Quæstiones etiam sacræ Scripturæ obscurissimas, spiritalibus quibusdam amicis ipsám rogantibus luculenter admodum explicabat: sed id tamen faciebat prorsus inuita, & quidem rarissimè, dicens, scripturas diuinas interpretari Clericorum esse, non suum. Porro Clerum & imprimis Sacerdotes, propter eximium erga Christum amorem, miro studio colebat ac venerabatur, licet è diuerso multas ipsa ab illis iniurias pateretur. Sacerdotes peccantes, itemque alios è Clero, secretius & cum mira reuerentia haud secus atque patres suos comiter admonebat, darent operam, ne sanctum Christi nomen propter ipsorum peccata, in populo contumelia afficeretur.

*Scientiã infusam habet.*

*Sacerdotes summo prosequitur honore.*

Comes Loënsis, multa nobilitate illustris, vbi eius sanctitatem fama vulgante cognouit, ex animo cœpit eam diligere, eiusque colloquiis & consiliis sinceriter sese accommodare. Vbicumque illam vidisset, assurgebat ei, matrẽque appellabat. Si quid autem Comes ille vel contra ius fasque, vel aduersum Christi Ecclesiam, aut eius ministros designasset, eius vicem haud aliter atque mater filij dolebat, eumque in suo Castro accedens materna fiducia obiurgabat, impetrabatque ab illo, quicquid ex iustitiæ præscripto eum satisfactionis loco præstare oporteret. Die quodam illo in Ecclesiæ atrio procumbente, cum esset multo stipatus milite, Christina superueniens, clàm ad eius caput se inclinauit. Illo verò & corpus & oculos sustollente, mira oris gratia dixit. O quàm speciosus es Domine! Id autem milites audientes, dicebant Comiti: Audisne Domine, vt te hæc sancta prædicet? At Comes: Ego verò, inquit, noui, quem laudet illa. Non me, sed cælestem & immortalem Dominum laudat, à quo pulchritudo omnis proficiscitur, quique est omnium pulcherrimus. Tum illa: verum, inquit, dixisti. Tu igitur quare illum non diligis? Idem Comes quandoque æstiuo tempore hora meridiana in castro suo Loënensi, quod iam euersum est, cum Limburgensi Duce & alio quodam Comite colloquebatur. Ad illos igitur intrepida accurrens, Christina magna voce dixit Comiti Ludouico: ô te miserum, cum quibus iam misces colloquia? En amicum se simulat qui hostili animo tui proditionem meditatur. His verbis proditor ille perterrefactus, ad horam conticuit, remque, vt erat, verbis dissimulans, postea vera dixisse Christinam facto declarauit.

*Magno eam in honore habet Comes Loënsis.*

*Proditorem detegit.*

Cum autem idem Comes ageret in extremis, Christinam ad se acciuit, eamque obnixè rogauit, vt apud ipsum donec spiritū redderet, permaneret. Annuente illa, pius Comes, omnes qui in cubiculo erant, iussit secedere, solam Christinam apud se retinens. Postquam omnes exierant, virtute, qua potuit erexit se, & suppliciter ad pedes Christinæ se abiiciens corpore toto, omnia peccata sua, quæ ab anno ætatis vndecimo vsque in diem illum perpetrasset, cum multo lacrymarum imbre recitauit: non quòd ab illa vellet absolutionem petere, quam sciebat illam impendere non posse: sed vt amplius hac re illam ad orandum pro se promoueret. Deinde iussit omnes suos vocari in cubiculum, & ex Christinæ consilio rebus suis dispositis, defunctus est. Vidit autem Christina animam eius in Purgatorium perduci acerrimis pœnis excruciandam.

*Obtinet à Domino, vt animæ in Purgatorio existentiū pœnarum partem in se recipiat.*

At pia fœmina eius vicem non mediocriter miserata, obtinuit à Domino, vt posset illius animæ pœnas partem in se recipere. Apparenti autem illi post obitum suum, vt ab ea opem peteret, Christina dixit: Age, abscede hinc, & ex diuinæ sententiæ præscripto pœnas luito. Ego verò à meo corpore pœnas exactura, dimidiam Purgatorij tui partem recipio. Videre tum licebat Christinam non breui tempore nocturnis horis modò flammarum incendiis, modò frigoris algoribus cruciari, prout Comitis animam id genus tormenta vicissim excipiebant. Loca etiam, in quibus Comes peccare consueuerat, illa lacrymis nullam consolationem admittentibus irrigabat, & vbi ille lætatus fuerat ipsa lugebat.

*Sub finē vita frequētius degit in desertis.*

Extremo vitæ eius anno frequens illi erat habitatio in desertis locis & in solitudine: vnde quidem nonnumquam reuertebatur, sed rarissimè tamen nisi quando ad promouendam hominum salutem aut cibum sumendum diuinitus redire compellebatur. Nec potuit tunc ad deserta properantem vlla monialis retinere: nec reuertentem quisquam salutare, aut quippiam ex ea percontari ausus erat. Nam interdum vesperi rediens per mediam domum ita transibat, vt spiritus potius quàm corpus videretur: nec facilè licebat internosci, an spiritus esset vel corpus, quandoquidem vix terram attingere videbatur. Adeoque illo postremo vitæ suæ anno omni ferè ex parte corpus eius spiritus quasdam proprietates induisse cernebatur, vt humanæ mētes vel oculi corporis eius vmbram vix absque horrore & tremore spiritus intueri possent. Solebat tunc ex solitudine reuertens, apud S. Trudonem in beatæ Catharinæ Monasterio vt plurimum morari.

*Corpus eius sub finē vitæ mirā leuitatis & agilitatis.*

Narrauit mihi quiddam de ea venerabilis Thomas, nunc quidem Abbas S. Trudonis, tum verò parrochus, quod sit annotatione dignissimum. Ad auroram cum socio quodam reuertente illo à precibus quas Matutinas vocant, Christina cùm impetu quodam transies, in Ecclesiam ingrediebatur. At illi clam secuti eam, retro columnam quandam se abdentes, obseruabant quid illa vel faceret, vel precaretur. Ibi tum Christina coram altari haud aliter atque saccum quendam aridis ossibus plenum sese humi abiecit, grauiterque ingemiscens, ac crebro pugnis pectus & corpus verberans, ita

*Agit partes animæ.*

dicebat: O miserum & miserabile corpus, quandiu me miseram cruciabis? quousque tandem me retardabis à Christi conspectu? Quando tandem missam me facies, vt anima possit libera reuerti & euolare ad creatorem suum? Væ tibi corpus miserrimum, & væ mihi, quod coniuncta sum tibi.

*Nemoris & corporis.*

Hæc & id genus alia dicens, tundebat pectus suum. At rursus corporis partes agens, dicebat spiritui: O anima misera, cur adeò me affligis? Et quidnam te retinet intra me, aut quidnam est in me, quod te delectet? Cur non pateris me redire in terram vnde sumptum sum, vt illic quiescam, donec in nouissimo magni iudicij die tibi restituar? Quare non proficisceris ad requiem tuam, vt potioribus fruaris bonis in illis sedibus sempiternis? Hæc dicens ducebat alta suspiria, & anhelo pectore lacrymas fundebat. Deinde paululum quiescens, & cum silentio & sancta meditatione in Deum syncerius incalescens, in dulcissimum risum soluebatur: apprehensosque pedes manibus suis, cum ingenti affectu osculabatur plantas suas, ita dicens: O mihi suauissimum & felicissimum corpus, cur ita te verberaui? cur ego conuiciis te proscidi? An non mihi morigerum te præbuisti ad quæuis recte facta & bona opera, quæ Deo authore facienda suscepi? Tu certè cruciatus, & labores placidissimè ac patientissimè toleraſti quos spiritus à te exigebat, rursusque oscula reperens dicebat: Age, nunc comiter sustine optimum mihi gratissimum corpus meum: aderit propediem finis laboris tui, iam in puluere requiesces, iam dormies paululum: ac demum canente tuba, resurges omnis corruptionis expers, animæ sociaberis, quam in hac vita mœroris & doloris sociam habuisti. Talibus verbis & osculis blanditer demulcēs corpus suum, post horam in illud, quod diximus, admirabile iubilum prorupit, tantaque in homine interiori iucunditate complectebatur, vt corpus eius rumpi videretur. Reuera mirabilis Deus in sanctis, & in Christina sua, vt ita dicam, super omnem admirationem mirabilis.

*Etiā mediis noctibus sugit ad deserta.*

Extremo tempore vitæ suæ cibo admodum raro, & quidem exiguo vtebatur. Cum sanctimonialibus & Religiosis hominibus, vti antea consueuerat, nolebat miscere colloquia: sed parum aliquid cibi capiebat, & somno momentaneo refecta, mediis noctibus ibat ad deserta loca. Per id tempus nemo vnquam ridentem eam vidit, sed perinde affecta cernebatur vt solent illi, qui præ nimio dolore è potestate exierunt, & mente capti sunt. Incedebat orans, plangens & multum mœrens: cuius eam plerique causam cā autumant, quòd de mundi statu & malitia plus solito diuinitus reuelationes ei obtigerint. Illud verò incredibili eiulatu sæpius deplorabat, totum ferè genus humanum corporis pollutione corruptum, eaque causa iram Dei, & animaduersionem vniuerso orbi Christiano imminere.

*Sub vita finē ferè semper incedit vacrens & plangens.*

Aduentante tandem eo tempore, quo morbo conficienda erat, tantam assiduæ contemplationis gratiā adepta est, vt permolestum ei esset aliorsum aciem mentis intendere. Omnibus igitur posthabitis Beatricē Monasterij S. Catharinæ sanctimonialem rogauit, vt lectulum ipsi clam in cubiculo cōponeret, simul indicans morbum sibi imminere. Fecit Beatrix, & quidem libenti animo, quod illa voluit, decubuitque Christina, & morbo ingrauescente exercebatur. Cum iam autem tres hebdomadas ita laborasset sacram corporis Dominici communionem, & extremæ Vnctionis oleum petiit. Iis perceptis Beatrix in genua procumbens, orauit vt priusquam è vita excederet, de quibusdam ipsam efficeret certiorem. Illa verò tacente, Beatrix existimans alibi eam animo occupari, quæstiones suas distulit, atque aliquid factura operis, è cubiculo egressa est, Christina sola relicta.

*Moriturus Sacramentū vnctionis sumpsit.*

Aiunt



Aiunt plerique, sæpius Christinam rogasse Dominum, ne ipsam morientem vllis miraculis cohonestaret, sed instar aliorum sineret migrare ex hac vita: id quod etiam præstitum est illi à Domino. Prius enim quàm Beatrix ad eam esset reuersa,

*Moritur secundò.*

Christo vocante spiritum exhalauit. Celeriter autem reuertens Beatrix cum socia sorore, corpus eius in terra exanime inuenit, ita prostratum, vt solent cadauera defunctorum: sed, vt equidem mihi certo persuadeo, ministerio Angelorum. Ea re conspecta, Beatrix, doloris quibusdam stimulis percita, impatientius sese gerens, ruit super defunctæ corpus, clamans & eiulans non mediocriter. Interim verò identidem scisciabatur ex ea, cur absque illarum bona venia, & sine sororum commendatione ad Dominum abiisset, ac tandem spiritu vehementi concepta fiducia, defixo in defunctæ ora vultu, ita dixit: Semper mihi Christina, dum viueres obediisti. Itaque adiuro te & obtestor per Dominum Iesum Christum, quem in vita ardenti desiderio amasti, vt etiam nunc mihi obedias, reuertarisque in corpus, exponasque mihi, quod à te sub obitum

*Iterum reuixit.*

cupidissimè mihi optabam explicari. Mira res. Simulatque Beatrix hæc ad aures mortuæ inclamauit, Christina reuixit, sed grauiter ingemiscens, anxióque vultu Beatricem reuerberans, dixit: Cur meam, Beatrix, requiem interpellasti? Cur me huc reuocare voluisti? Iam ducebar ad Christi conspectum. At nunc mea soror properè quicquid visum est, proponas, finasque, obsecro, ad diu optata reuerti. Vbi Beatrix, proposuit quod voluit, ab ea responsum est ei. Interim sorores vndique congregantur ad illam: quas postquam crucis signo consignauit,

*Tertiò defuncta est B. virgo Christina.*

tertiò vita functa est, abiitque ad immortalia secula seculorum. Vixit autem ab eo tempore, quo primo reddidit spiritum annis duobus & quadraginta, obiitque anno à Christo millesimo ducentesimo vicesimo quarto, aut circiter. Humata est autem extra S. Trudonis oppidum in monasterio S. Catharinæ, illicque septem annis corpus eius quieuit, ad illud vsque tempus, quo omnem monasterij structuram in locum propinquum magisque opportunum transtulere. Tum enim vniuersis ciuibus congregatis, ad tumulum Reuerendæ Christinæ Clerus cum sanctimonialibus accessit: cúmque amouissent inde operculum, tanta suauitas & omnes & singulos peruasit, vt cuncti pariter vna mente vnoque ore conclamarent, Christinam & in vita fuisse mirabilem, & post obitum nihilo minus gloriosam. Neque verò quisquam ambigit morbis liberatos esse eos, qui cum fide congrua ad eius tumulum adiere: sed eiusmodi prosequi, nobis non est integrum.

*Transfertur sacrum eius corpus.*

*Ex eius corpore suauissimus odor manat.*

## NOTÆ.

Christina virgo.] *De hac admirabili virgine Iacobus de Vitriaco Cardinalis & Episcopus sic scribit in Prologo vitæ S. Mariæ Oegniacensis. Vidi (inquit) aliam, circa quam mirabiliter operatus est Dominus, ita vt cum diu iacuisset exanimis, antequam corpus eius in terra sepeliretur, anima in corpus reuertente, reuixerit, atque à Domino obtinuerit, vt in hoc seculo viuens, Purgatorium pateretur. Itaque multo tempore mirum in modum à Domino afflicta, quandoque se volutabat in igne, nonnunquam hyberno tempore in aqua congelata diu morabatur, interdum in mortuorum sepulchra ingrediebatur. Tandem verò peracta pœnitentia, in tanta pace vixit, tantamque à Domino gratiam adepta est, vt crebro rapta in spiritu, animas defunctorum vsque in Purgatorium absque vlla sui læsione & ad superna regna deduceret. D. Antoninus eiusdem meminit 3. part. Surius vitam eius adfert ex MS. tomo 3. Agit etiam de eā Arnoldus Vvionius in suo Martyrologio Monastico 23. Iunij, qui tamen fallitur cum dicit eam fuisse sanctimonialem in monasterio S. Catharinæ Ord. D. Benedicti iuxta S. Trudonem, nam in vita eius non legitur, eam accepisse habitum religionis, quamuis tamen frequenter & familiariter in prædicto monasterio conuersata sit, & ibidem obierit. Vitam præterea huius beatæ compendiosè narrat Petrus Cratepoleus in Annalib. Episcop. Germaniæ.*

In Albania.] *Prouincia Belgij, non longè à Leodio.*

Mosæ fluminis.] *Mosa est fluuius Germaniæ, de quo Plinius lib. 4. c. 14.*

Arboris Tiliæ.] *Est Tilia arbor, ex cuius interioribus tunicis corrigiæ fiunt & vincula. Vulgò Tilia dicitur* Tillet.

## VITA S. GERARDI EPISCOPI Canadensis & Martyris. Ex ea quæ est apud Surium.

*Apud Surium tomo 3.*

*Fit Monachus S. Gerardus.*

BEATISSIMVS Gerardus, huius lucis lumen per Venetos parentes sortitus, Dei gratia illum præueniente, ab ipsa pueritia cœpit Domino nostro Iesu Christo esse deuotus, & doctrinæ Euangelicæ per omnia parere. Itaque deuotione crescente monasticæ religionis habitum suscepit. Cum igitur syncero animo sanctam vitam duceret, desiderium ei incessit Dominicum sepulchrum inuisendi. Egressus itaque de terra sua & de cognatione sua, tendebat ad Orientem.

*Peregrinationem ad sepulchrū Domini suscipit.*

Peruenit interim in Pannoniæ partes, cuius habenas tunc Christianissimus rex Stephanus moderabatur. Ad quem Regem vir Dei humilis & simplex accessit: causamque sui itineris ei aperiens, maiori studio & amore ab eo exceptus est. Vbi autem animaduertit Rex, eum moribus & doctrina bonum Christi odorem spirare, clam dimissis itineris eius sociis, illum solum apud se retinuit inuitum. Cernens verò seruus Christi se solum illic derelictum, vt populi strepitus euitaret, eius regionis Eremum, quam Beel vocant, petiit, atque illic septennio ieiuniis & precibus vacans, excepto Mauro Monacho, solus habitauit. Interea memoratus Rex Stephanus vt robustissimus Iosue, impietatem gentis profligauit, crudelesque ac barbaros Ethnicorū mores edomuit: ac plurimorum pectora ad suscipienda sanctæ fidei semina præparauit. Videns autem pius rex regnum suum pacis tranquillitatem adeptum, seruum Dei Gerardum ab Eremo reuocauit, Pontificalique infula decoratum, ad prædicandum populo suo destinauit.

*A Stephano Pānoniæ Rege honorificè excipitur.*

*Degit in Eremo.*

*Pietas Stephani Regis.*

*Fit Episcopus S. Gerardus.*

Crescente verò fidelium numero, Ecclesias Deo per singulas vrbes ædificauit: principalem autem Ecclesiam in honorem sancti Georgij Martyris, ad litus Morisij fluminis extruxit, atque inde Morisenam sedem appellauit, quam beatus rex Stephanus doralitiis muneribus nobiliter ditauit. In qua Ecclesia ad honorem beatissimæ matris Domini venerabilem erexit aram: ante quam thuribulum argenteum collocauit, eiusque ministerio duos proiectæ ætatis homines adhibuit, qui iugiter illic vigilarent, atque operam darent, ne vlla vnquam hora thymiama ibi deesset. Porrò laudibus & veneratione eiusdem sacratissimæ Virginis tantæ humilitatis obsequio se subdere nouerat, vt si quis reus, clam à sancti viri familiaribus edoctus, veniam ab ipso peteret per nomen matris Christi, mox audito

*Stephanus Rex sacratissimæ Virgini Mariæ Deiparæ deuotissimus, necnon & S. Gerardus.*

nomine matris misericordiæ, pater sanctus lacrymis perfunderetur, & perinde ac si reus esset, à reo veniam peteret. Ipso auctore, ab Hungarica gente non pronunciatur nomen ipsum matris Dei, sed Dominam eam vocant. Si sit autem pronunciatum illius nomen, statim flexis genibus, & demissis in terram capitibus, sese inclinant. Atque adeò Pannonia à sancto rege suo Stephano familia sanctæ Mariæ appellata est.

*Pannonia B. Mariæ familia appellata.*

*Humilitas S. viri.*

Humilitas eius erat incredibilis. Nocturno enim tempore leprosum in suo reponebat lectulo, & arrepta securi, ad syluam solus pergebat, fasciculósque lignorum pro corporis sui castigatione propriis humeris inde reportans seruorum suorum labores sæpe anteuertebat ac subleuabat. Cum illi proficiscendum esset à loco in locum, non iumento vtebatur, sed vehiculo: in quo sedens, libros quos sancti Spiritus gratia composuerat, relegebat. Vestibus cilicinis & ex arietum pilis confectis sæpe induebatur. Vt autem sanctis hominibus vsu venire solet, aliquando negligentia aurigæ sui, aut qualibet iniuria læsus, leui ira commotus, iussit protinus, hominem reum flagellis cæsum, duris vinculis alligari. Parebant verò illi ministri, sed non ignorantes animi eius clementiam & suauitatem, iuxta viam qua sanctus pater transiturus erat, hominem culpæ obnoxium ad stipitem alligabant, & plagarum vestigia in eius nudo dorso gallinæ aut alterius animantis sanguine exprimebant. Cumque eò perueniisset homo Dei, oblitus seueritatis suæ, illicò è vehiculo exilens, ad vinctum illum properabat, & modo stipitem, brachia, manus, ac vincula & pedes osculabatur, munera pollicebatur, si veniam & misericordiam ab homine consequi mereretur.

*Manſuetudo.*

*Propter Episcopalẽ dignitatem, Eremiticam vitam non deserit.*

Etsi autem Episcopalem functionem & dignatem summa prudentia administraret, attamen Eremum non reliquit: sed apud vrbes, ad quas concionaturus veniebat, cellulas sibi in syluarum secretioribus locis construxit, in quibus pernoctasse, multasque afflictiones, soli Deo cognitas, pertulisse memoratur.

Postquam autem B. Rex Stephanus totã Pannoniã ad veram Christi lucẽ adduxit, eam sub patrocinio sanctissimæ Dei matris, semperque virginis Mariæ contineri voluit, atque in ipso die Assumptionis eius migrans à corpore, ipse quoque ad æternam requiem assumptus est. Successit autẽ ei Petrus Rex: cui cùm omnes Pannoniæ Principes fidem & amorem se conseruaturos iurassent, vnus ex eis, illo exturbato, regiam sibi auctoritatem per vim vsurpauit. Eo autem regnante, sicut propheta ait, sanguis sanguinem tetigit, & peccata peccatis cumulata sunt. Namque ipsis sanctis Quadragesimæ diebus honestissimos sui consilij viros sudibus ac palis perinde vt immunda pecora interficere non dubitauit. Deinde ad Morissenam sedem, nempe ad Gerardi Pontificis locum, Paschalia sacramenta celebraturus aduenit: atque in ipso die Dominicæ resurrectionis, vt pater eiusdem loci regio capiti diadema impositurus aduenire, ab Episcopis & Principibus per honestissimos viros inuitatur. At illo renuente, reliqui pontifices Regi coronam imponunt, magnoque Cleri & populi comitatu Rex ornatus, Ecclesiam ingreditur. At verò plenus Spiritu sancto beatus Episcopus, stola candida indutus pulpitum ascendit: Regemque his verbis per interpretem intrepidus alloquitur.

*In die Assũptionis B. Virginis moritur gloriosus Rex Stephanus.*

*Petrus Regiã dignitatem vsurpat. Osee 4.*

*Prædicit Regi ipsi euentura.*

Obseruatio sanctæ Quadragesimæ peccatoribus pro venia, iustis pro præmio constituta est. Quam tu rex cum cædibus pollueris, mihique nomen patris eripueris, per te filius dulcissimis orbato, nullam hodie veniam meteris. Et quia pro Christo meo hodie mori paratus sum, quæ tibi sunt euentura prænunciabo. Anno tertio regni tui gladius vltionis excitabitur in te, qui tibi regnum improba fraude per vim acquisitũ auferet, & cum illo pariter & vitam. Postquam autem euenere quæ dixerat beatus Episcopus, totius regni incolæ re ipsa didicerunt eum prophetiæ habere spiritum. Prædixerat etiam in illa gente immanem seditionem excitatum iri, atque in ea se mortem oppeturum.

Vno inde lustro euoluto, & altero inchoato, prædicta seditio extitit: in qua cum ad Albam regalẽ vir Dei proficisceretur, apud Ecclesiam S. Sabinę virginis & martyris hospitio vsus est: illicque cœnantibus fratribus ait. Fratres & amici eras ad cœnam agni Dei vocamur. Altera verò illucescente die, pater sanctus Missam celebrauit: mensæque Christi multitudinem sibi adhærentẽ fecit participem, lætusque ad martyrium perrexit. Vbi autem ad Danubium intendit iter, ecce turba populi eum circumsistit, lapidesque in eum in curru sedentem iactat, à quibus tamen, Deo eum protegente, tactus non est. At impij homines tandem equorum retortis collis subuertunt currum, patremque humi abiiciunt, & magno impetu lapidare conantur. Tunc instar Protomartyris Stephani primus Pannoniæ martyr, positis in terra genibus, clamauit voce magna: Domine Iesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum: quia nesciunt quid faciunt. Et cum hoc dixisset in pectore lancea percussus, obdormiuit in Domino. Multis inde elapsis diebus, fidissimus sancti viri procurator Regem Andream adiit, orãs vt peregrini atque hospitis patris corpus restituat: quod etiã impetrauit, ac deinde ad sanctum corpus veniens, tam illud nitidum ac luculentum inuenit, ac si eo die martyrium obiisset. Itaque ad Morissenã sedem illud cum hymnis & canticis translatũ, cum multa teuerentia sepelierũt, vbi multę gratiæ Catholicis collatæ sunt: non tamen adhuc euidenter vsque ad tempora Ladislai regis, & Laurentij Antistitis, qui à beato viro quintus, eius cathedram accepit. Tunc enim à S. Romanæ Ecclesiæ synodo iniunctum est, vt corpora eorum, qui Pannoniam fidei prædicatione irrigassent, summo honore afficerentur. Veniente etiam sedis Apostolicæ legato, & nobilium Pannoniæ coacto conuentu, sacrum huius beati martyris corpus eleuatum est, atque Regis & Principum humeris translatũ, honorificeque depositum eo loco, vbi pro meritis tanti patris superna gratia efficiendis & declarandis miraculis, largius coruscat, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuit & regnat, Amen.

*Præcedit fin obitum.*

*Martyrio coronatur.*

*Orat pro suis interfectoribus.*

*Transfertur sacrũ corpus ad suam Ecclesiam.*

*NOTÆ.*

Gerardus.] *De eo Martyr. Rom. cum Bar. 24. Septem. Vitam eius adfert Surius tom. 5. quam summatim descripsimus. Agunt de eo Petrus in Cat. lib. 8. cap. 145. Trith. de viris Illust. Ord. S. B. lib. 3. c. 239. & lib. 4. c. 234. Naucl. Chrono. lib. 2. gener. 35. circa finem. Bonfinius de rebus Hungar. decad. 2. lib. 1. & 2. & alij multi. Obiit anno Domini* 1042.

Pannoniæ partes.] *Pannonia est regio Europæ, quæ à Græcis vocatur Pæonia, à Latinis verò Hungaria.*

Sudibus ac palis.] *Sudes est palus seu pertica acuta, qua viui olim martyres & rei transfigebantur, & hoc supplicium adhuc in vsu est apud Turcas.*

Pulpitum ascendit.] *Pulpitum hoc loco sumitur pro cathedra, seu pro quocumque loco edito, vnde sermo habeatur ad populum.*

VITA



*Habetur p. 3. Hist. tit. 24. cap. 13.*

## VITA B. IOANNIS BONI EREMITÆ. Ex D. Antonino Archiepiscopo Florentino.

*Patria & parentes S. Ioãnisboni.*

CIRCA annos Domini 1200. tempore Innocentij Papæ III. fuit vir magnæ sanctitatis nomine Ioannesbonus, de Mantua oriundus, cuius pater Ioannes, mater Bona nuncupati sunt. Ex quibus nominibus simul iunctis, vocatus ipse Ioannesbonus, solitariam agens vitam, qui mira abstinentia & insueta claruit, ac miraculis multis. Hic mortuo patre de ciuitate sua recedens, per diuersas mundi regiones ad modum ioculatoris pergens discurrebat. Mater verò eius pro filij salute solicita, cum multis lacrymis ad Deũ preces pro salute eius fundebat. Cuius desiderium Dominus exaudiuit. Nam visitatus à Deo graui infirmitate, cernens seculi huius pericula, votum vouit Domino mundum deserere, & soli ipsi se dicare, si eum sanitati pristinæ restituere dignaretur, quod & obtinuit. Incolumis igitur factus, facta diligenti confessione Episcopo Mantuano, & postea matre defuncta, à Mantua recedens, ad partes Romandiolæ secessit prope Cæsaream ad milliare vnum, vbi in quadam Eremo mirabilem pœnitentiam fecit, concurrentibus ad manendum cum eo aliis Eremitis.

*Viuit in Eremo.*

Vna dierum aduersarius, qui acrioribus pulsat insidiis, quos maximè nouit abstinere à peccatis, vitio luxuriæ eum aggressus est impugnare ad memoriam reducens, quod aliquando viderat mulierem fortè ab eo dilectam. Cùm autem tentatione ipsa incenderetur vehementer doloris incẽdio, carnis extinxit incendium mirando actu, etsi nõ imitando. Nam accipiens arundinem, & in multas partes acutissimas diuidens, quas sub vngulis posuit, eleuansque manus super lapidem taliter percussit, quod ad summitatem vsque digitorum intrarunt, qui ex nimio dolore in terram cecidit semiuiuus, & sic tribus noctibus ac diebus permansit. Non deseruit pius Dominus seruum suum, pro quo ne offenderetur tanto cruciatui se dedit, sed in somnis apparens ei dixit. Quia benè incepisti, benè perseuerabis, & optimè tuam consummabis vitam. Et quia viriliter contra tentationes dimicasti, de cætero tentatus non eris. Qui statim excitatus, sanum se aspexit, gratias referens saluatori.

*Grauissimo tormẽto sedat carnis tentationem.*

Deinceps cœpit vir Dei mirabilem abstinentiam facere: faciebat enim vnoquoque anno tres quadragesimas: ieiunium scilicet Domini nostri Iesu Christi. In cuius principio, vnum panem trium vnciarum accipiens, in multos bolos diuidebat, & singulis diebus vnum bolum sumebat. Hoc autem faciebat vsque ad diem Iouis sanctam: in qua die, quod remanserat suis orationibus tantũ multiplicabatur, quòd omnibus fratribus vsque ad satietatem illa die sufficiebat. Aliam quadragesimã agebat post octauas Paschæ vsque ad Pentecostem, in qua singulis diebus seruus Dei sacratissima hostia pro cibo suo contentabatur. Alio verò tempore singulis diebus deuotè Missam audiebat: in diebus Dominicis & solemnioribus communicabat. Quadam die communionem eo recipiente, frater quidam eum irridebat de huiusmodi sumptione frequenti, qui nullam deuotionem circa Eucharistiã habebat, quinimò de ipso venerabili sacramento impiè sentiebat. Cuius errorem aduertens famulus Dei, ei expressit, cui confessus est, & non negauit incredulitatem suam. Tunc præfatus Ioannesbonus duxit eum secum ad quendam fontem aquæ, & accipiens ex aqua illa cyathum vnum plenum dedit ei bibere. Quam cum bibisset, confessus est se nunquam tam suaue vinum in vita sua gustasse. Et sanctus ad eum. Non vides tu charissime frater mirabile factum? Si igitur per me miserum hominem, aqua virtute diuina conuersa est in vinum tam suaue, quanto magis credere debes per verba sacerdotis, quæ sunt verba Christi, panem & vinum conuerti in substantiã corporis & sanguinis Christi? Et ex tunc cessauit dubietas & error à mente fratris illius. Aliam quadragesimam in hyeme faciebat, in qua de paucis granis fabarum contentabatur. Residuo verò tempore secunda, quarta, & sexta feria in pane & aqua ieiunabat. Nunquam ex quo in Eremo illa steterat, carnes comedit, & tota eius comestio aspera, & insipida erat. Macerabat insuper famulus Dei corpus suum non solum abstinentia cibi & potus, sed frigore & nuditate, & lecti asperitate. Habebat enim in cella sua tres lectos. Vnum, in quo erant ligna acuta, in quo torquebat corpus suum & macerabat. Alium, in quo erat fouea concaua ex parte anteriori: de qua non recedebat, nisi dictis ducentis pater noster. Alter erat super lignum, super quo corpus suum paululum pausabat, & pro puluinari habebat truncum ligneũ. Calceatus nunquam ibat. Sola tunica straminea vtebatur: quæ ratione sanctitatis eius, post obitum suum decem & octo mensibus, sub terra fuit illæsa; quæ per singulos annos, die transitus eius, populo deuotè ostenditur, & febricitans eius tactu sanatus est.

*Singulis annis tres quadragenas facit cũ magna austeritate & abstinentia.*

*Insigni miraculo fratrem de S. Eucharistiæ Sacramento malè sentientem cõuertit.*

*Nota miram austeritatẽ.*

*Vestis sancti viri qualis.*

Fuit sanctus iste deuotissimæ orationis, & intantum Deo grata eius deuotio, quod cum in oratione meditaretur Christi humanitatem: apparebat ei Christus in forma humana, quem amplexabatur, & magna dulcedine reficiebatur. Quando verò passionem Christi meditabatur: apparebat ei in forma Crucifixi, cuius vulnera singula cum fletu deuotissimè osculabatur. Et quia lucerna accensa latere non poterat, plurimi audita fama sanctitatis eius non solùm de propinquo, sed à remotis etiam partibus ad eum accedebant. Quod cernens, & contemplationẽ eius impediri timens, etiam elationem sibi non exurgere ex huiusmodi frequẽtia decreuit secedere. Vnde quodam sero recessit ab Eremitorio illo, & tota nocte itineris manè cùm existimaret se longè esse à loco, se iuxta Eremitorium inuenerat. Ex hoc percipiens, Dei voluntatem esse illic eũ residere, illic permansit: vbi & virtutes magnas ostendit. Quadam die eo orante, aduenerũt fratres, dicẽtes ei, quòd vnus tẽtabatur ad egressum seu recessum suæ cõgregationis. Qui surgens vocauit illum tentatum, eum duxit ad coquinam, & accenso igne corã eo, ipse ingressus est nudis pedibus illæsus, qui nõ nocet iis, qui seruiũt Deo, & perseuerãt, quia nec ignis, nec aliquid potest eos lædere. Quid plura? lignum ardens de camino accepit, & exiens domum sic ignitum plantauit in terra. Quod quidem lignum eadem die pullulauit, floruit, & fructum fecit. Et quoniam de pinu illud lignum fuit, de illius pinis quicumque voluit accepit. Quæ omnia iuuenis considerans, liber à tentatione in proposito sancto permansit.

*Sapius ei apparet Christus.*

*Illæsus exit ab igne.*

Alio tempore cum pluuia magna descenderet è cælo, & murus quem fratres sui ædificabant, ad ruinam inclinare videretur, vocatus ab eis facta oratione cessauit pluuia, & facta est serenitas magna. Quadam die duo iurisperiti accesserunt ad eũ,

*Aliud miraculum.*

& cum ad inuicem disputarẽt super quadam quæ- A
*Scientia infusa.* stione litigiosa, vir Dei literarum humanarũ igna-
rus, dissolutionem quæstionis, & locum in decre-
tis, vbi dicta quæstio soluta erat, insinuauit. Ap-
propinquante autem die vitæ termini, misit Deus
*Iubetur redire in patriã.* Angelum suum, qui dixit ei: Ioannesbone serue
Dei surge, & reuertere ad terram natiuitatis tuæ:
placet enim Deo quòd corpus tuum ibi requie-
scat. Qui vt verus obediens iter assumens, ad Man-
tuam peruenit, à ciuibus exceptus honorificè. Cui
fratres oratorium construxerunt, & post paucos
dies in Domino requieuit. Sed ante terminum vitæ
eius, quædam mulier habens vnicum filiũ viro de-
solata, eo infirmante & decedente priuata fuit: quæ
inconsolabiliter lugẽs, cum eo petebat sepeliri. Re- B
colens autem famam sanctitatis famuli Dei Ioãnis,
sumpta magna fiducia, ad eũ portauit filium defun-
ctum, vt eum vitæ suis orationibus restitueret. Qui
*Suscitat mortuum.* misericordia motus super eam, triduanæ super eo
orationi institit, tertia autem die puer surrexit à
mortuis: quem incolumem reddidit matri suæ, illa
immensas gratias Deo, & fratri Ioãni de beneficio
referente. Infirmatus igitur vir sanctus, receptis de-
uotè Ecclesiasticis sacramentis, & datis fratribus
plurimis documentis, cum hymnis & laudibus
spiritum reddidit creatori.

*Habetur in supplemento Chronic lib. 12. ad annũ 1199.* C

## VITA ALIA EIVSDEM BEATI Ioannisboni. Ex Philippo Bergomensi.

*Ioannesbonus Ordinis Eremitarum S. Augustini instaurator, & reformator.*

IOANNESBONVS Ordinis Eremitarum D. Augustini instaurator & pater, natione Mantuanus, iisdem temporibus, cũ multis annis in Flaminea quàm maximè, & in Vmbria prouincia, vitam religiosissimã atque sanctissimam duxisset, & multa ibidem Monasteria Eremitica erexisset, atque instaurasset, vbi & religionẽ suam labefactatã, & verbo & exemplo plurimum euexisset, Mantuam regressus, ibidem multis miraculorũ signis plurimũ effulsit. De cuius sanctissima vita multa & incredibilia, quasi non credentibus scripta referũtur. Quæ si omnia hoc in loco enarrare vellẽ, & ordinis suscepti, & voluminis modũ profecto excederem. Sed quædam pauca ad multorum ædificationem scripta sufficient.

*Iuuentutem miserè cum histrionibus expendit.* Mortuo igitur eius patre viro nobili, hic Ioannesbonus in ætate florida remansit. Et cum pluribus abundaret diuitiis, & neminem vereretur, per annos multos lubricis iuuenibus, & histrionibus adhæsit. Quod mater quæ Bona dicebatur, animaduertens, preces cum magnis lacrymis indesinenter
*Precibus matris conuertitur.* pro salute eius ad Deum fundebat. Cuius preces ex alto Dominus prospiciens: ipsum filium ad salutem suam graui morbo percussit. Cum vitæ suæ E
*Facultates suas pauperibus distribuit.* discrimen haud parum extimesceret, votum vouit Domino, si pristinæ redderetur sanitati, Deo deinceps in habitu religioso se perpetuo deseruiturum. Qui vbi sanitatem adeptus est, cum diligentem cõfessionem peccatorũ suorũ vrbis Episcopo fecisset, matre iã defuncta, omnes substantiæ ipsius facultates vendidit, & eas pauperibus erogauit. Sicq; prorsus nudus effectus, Christi Iesu fide ac spe armatus, statim in Flaminiam prouinciam, haud procul à
*Degit sub quodam specu* Cesena vrbe, sub quodam specu concessit. Ibique
*Habitũ Eremitarũ Ordinis S. Augustini suscipit.* mirum in modum se affligens, maximũ sibi sanctitatis nomen acquisiuit. Indèque suscepto Religionis Eremitarum D. Augustini habitu, adeo in principio Religionis ingressus, carnalibus incẽdiis pulsatus fuit, vt parum abfuerit, quin à proposito sancto retrocederet. Sed miles Christi manum mittens ad fortia, doloris incendio, carnis extinxit incendium. Nam arundinem accipiens, in multas eam subdiuisit particulas, & eas peracutas, sub vnguibus manuum suarum infixit, & super quendam lapidem manus contulit, quod vsque ad digitorum
*Magno tormento sedat carnis tentationem.* summitatem infigerentur. Quo vehementissimo dolore quasi exanimis effectus in terram decidit: ibidemque tribus diebus & noctibus tanquã mortuus permansit.

*Apparet ei Christus.* Verùm pius Dominus seruum suum non deseruit: sed per visum ei apparens, adhortari eum cœpit dicens: Fili, quia viriliter fecisti, optimè vitam consummabis, non deinceps vllo pulsaberis tentamẽto. Elapsaque visione, hic seruus Dei ab omni
*Diuinitus sanantur eius vulnera.* prorsus dolore alienum se sensit, gratiasque Deo agens immensas, incredibili postmodum abstinentia vsque ad mortem corpus suum afflixit, cuius quidem exemplo per totam Flamineam & Vmbriã, non modo Eremitæ, sed & seculares plurimi ad eum confluxere, ipsumque sibi patrem & doctorem constituere.

*Exemplo S. Guillelmi Eremitæ quondam Ducis Aquitaniæ, mirè Ordinis propagare satagit.* Audiensque vir sanctus celebre nomen B. Guillelmi olim Aquitaniæ Ducis, in Galliis Ordinem Eremitarum D. Augustini labefactatũ, & moribus, & institutis, ac ædificiis plurimum instaurasse, eius exemplo incensus, & ipse innumerabilia penè loca per Flamineam & Vmbriam Ordini suo erexit: quapropter ad eum tanquam ad patrem, omnes Eremitæ certatim concurrere cœperunt. Quod ille cernens, magis exemplo quàm verbo Ordinis instituta instaurata resarcire curauit. Eam ob rem in eisdem prouinciis religione aucta, ex tunc (vt fit) ab
*Fratres Zãbonitæ ab eius nomine, Eremitæ Ordinis S. Augustini olim dicti sunt.* ipso instauratore & reformatore, fratres Zambonitas, non D. Augustini vulgus eos appellare cœpit. Tandem dum vir sanctus annis quinquaginta, & eo amplius in Flaminea prouincia cõmoratus fuisset, diuino nutu in patriam reuersus, plenus dierum & operibus bonis, extra Mantuanam vrbem, in paruo Monasterio, ibidem à suis conciuibus sibi constructo, anno à natali Christiano 1222. migra-
*Migrat.* uit ad Dominum. Cuius sanctissimum corpus pau-
*Transfertur eius sacrum corpus.* lo post intra vrbem ab ordine translatum in Mo- D
*Miracula ad eius tumulũ.* nasterio ordinis sui, sub titulo S. Agnetis fabrefacto, super altare maius, monumento deaurato, summo seruatur honore, ad cuius tumbam magna quotidie & inaudita fiunt miracula.

*S. Francisco B. Ioanniboni quondam discipulus.* Huius autem sanctissimi viri & patris Ioãnisboni inter celebres præstantesque discipulos, Seraphicum Franciscum de Assisio, sanctissimi Ordinis Minorum conditorem fuisse constat, sed ne quis dubitet, qui fortè ignarus rei, execranda plurimum talis videatur scriptura, omissa Vincentij Galli historici testificatione, qui etsi trigesimo ipsius historiarum lib. c. 98. referat, dicens, Franciscum fuisse Eremitam, & cum baculo pedibusque calciatis & corrigia cinctum incessisse, non tamen huius Ioannisboni discipulũ fuisse dixit. Sed hoc in loco hoc vno verissimo probabimus testimonio, quod apud Mantuam, vbi (vt prædictum est) sacratissimum viri extat corpus, & reliquiæ ipsius vestimentorum, etiam inter antiquissimas Monasterij scripturas chirographum aliquando visum est, contestans B. Franciscum de Assisio, professionem Eremiticam sub regula B. Augustini emisisse in manibus fratris Ioannisboni Eremitæ Mantuani.

### NOTÆ.

Ioannesbonus.] *De quo plura in hist. & Chronicis Ordinis Eremitarum D. Augustini, necnon in Speculo Exemplo*



*exemplorum. Eius vitam passim descripsit Iordanus de Saxonia in libro de Vita Fratrum lib. 1.* A

Seraphicum Franciscum fuisse constat.] *Scilicet eius discipulum. Quod ipse Philippus Bergomensis lib. 13. anno 1203. iterum confirmat in hunc modum. Franciscus Seraphicus Italus ex Assisio Vmbrorum ciuitate oriundus, diui Ioannisboni Mantuani Eremitæ discipulus, &c. Hic quippe cum religionis habitum à B. Ioannebono prædicto susciperet, & in manus ipsius professionis votum sub regula diui patris Augustini emisisset, (vt hoc etiam Tabellarij chirographo authentico comprobatur) & aliquandiu pedibus calceatus, & corrigia cinctus incessisset, &c. Et paulo infrà. Sed hoc in loco erunt fortè aliqui qui huiusmodi scripta impatienter sustinebunt, quod diuum Franciscum discipulum beati Ioannisboni Mantuani fuisse dixerim: cùm sanctus Bonauentura doctissimus vir, nullam de huiusmodi re in compositione illius historiæ fecerit mentionem, & omnimodam inuestigationem adhibuerit in inquisitione suæ vitæ. Ad hoc respondeti potest, quod nulla ob hoc sanctissimo viro infertur iniuria, neque omnes possumus omnia, neque sancti Euangelistæ vnum & idem de Christo scripsere, & tamen vera omnes scripsere. Teneat vnusquisque in hoc quod sibi placuerit: nam & ipse me vera dixisse in hoc existimo, cùm non sint de articulis fidei. Hæc ille.*

# DE VITIS PATRVM OCCIDENTIS.

## LIBER SEXTVS.

### Ex Michaële Seruita, & aliis grauissimis Auctoribus collectus.

## VITA BEATORVM EREMITARVM Bonifilij, Amidei, Bonaiunctæ, Manetti, Alexij, Sosthenij, & Vguccionis, Ordinis Seruorum B. Mariæ Virginis. Ex Michaële Seruita.

*Habetur in Chronico Ordinis Seruorũ B. Mariæ. Societas laudantiam B. Mariam.*

ACER Ordo Seruorum B. Mariæ Virginis incepit anno Domini 1233. in Florentia tempore Gregorij Papæ IX. anno 7. eius Pontificatus, in loco vbi turris illa altissima marmorea, ac primæ partes Cathedralis Ecclesiæ sunt B
mirabili artificio constructæ, è societate pientissima Laudantium B. Mariam septem viri mercaturam facientes, à Spiritu sancto inspirãtur dum Virginis officium decantant. Ij paucis post diebus, induti veste nigra in memoriam non solum obitus virginis, sed etiam dolorum eiusdem quos in morte vnigeniti filij sui passa est, montemque altissimum ab vrbe octo milia passuum distantem ascendunt,
*Septem viri ex eadem societate diuinitus monentur se conferre ad montem Senarium.* Senarium nuncupatum, eo quod in medio sex montium positus ab omnibus inspiciatur, vbi in ieiuniis, vigiliis, aliisque spiritualibus exercitiis in solitudine positi vacare cœperunt. Nomina autem horum beatorum sunt hæc. Pater Bonus filius, vt quidam asserunt de Monaldis. P. Amideus. P. Bonaiuncta. P. Manettus ex Antellarum familia. P. Alexius de Falchoneriis, P. Sosthenius, P. Vguccionus, ex Vguccionia gente. Confratres verò sine societas illa ex qua septem viri isti exierunt dicitur societas Laudantium B. Virginem Mariam, quæ initium habuit anno Domini 1233. reformata autem fuit anno Domini 1283. ac ordinatum vt etiam sub titulo sancti Zenobij ciuitatis Florentiæ Episcopi & patroni nominaretur. C

Indolescente igitur septem virorum optima vita, vniuersa Florent. ciuitas, plurimaque oppida circumuicina ad sacrum Senarium montem confluentes eos videre & audire summopere exoptabant: multumque mirabantur, quod qui nuper mercaturam faciebant tam subtiliter de regno Dei, & spirituali vita dissererent. Vnde factum est vt eorum eleemosynis cellulas Eremitarum more sibi deinceps construxerint.

*Manichæorũ hæresis viget apud Florentiam.* Exorta autem & ex inferis reuocata Manichæorum hæresi in ciuitate Florentiæ, Petrus Veronensis, vir doctrina, & pietate conspicuus ab Innocentio quarto Florentiam mittitur, vt huiusmodi hæresis interitum faceret. Quod cum Spiritu sancto
*S. Petrus Veronẽsis habet reuelationes de SS. Eremitis.* suggerente strenuissimè fecisset, eius amore tenebantur præcipuè Serui B. Mariæ quos sæpe inuisebat, & libentissimè apud ipsos commorabatur. Plu- B
ries namque ex quo Florentiam est ingressus, sanctus se in ecstasim ductum affirmabat, montemque altissimum luce clarissima circumdatum; ac omnium florum genere ornatum vidisse testabatur, inter quos flores, septem lilia candidissima, & odore & pulchritudine cæteros vniuersos excedere animaduertebat. Admirationem tamen maiorem addidit, cum ab Angelis in vnum collecta Deiparæ virgini offerri, & hilari vultu susci pi intuetur. Quæ licet in animo cunctis diebus peruoluisset, & à Deo visionis intelligentiam sæpius petiisset: numquam tamen id consequi valuit, nisi cum ad sacrum montem peruenit.

*Caput imaginis B. Mariæ Virginis ab Angelis depictum.* Ædificata verò Ecclesia in loco dicto Caffagio prope Florentiam, statim imago Annunciatæ à patribus depingi curatur. Quapropter accersito pictore ei hoc opus demandatur. Quo suscepto, plurimis diebus in toto pingendo corpore elaborauit, caput in extrema parte conficiendum relinquens, quod tamen aggrediens & sæpius tentans explere, frustra omnes conatus adhibet. Quæ sibi succedere ob propria peccata dubitans confessionem fecit: deinde ad pingendam imaginem accedens, mirabile dictu, opus præter opinionem ab omni parte elaboratum absolutiumque caput sanctissimum Virginis adinuenit, & tanto cum splendore diuino ornatum

ornatum inspicit, quod fælicissimorum spirituum A rentinum prudentia humanarum ac sapientia diuinarum rerum valde exornatum, probitate tamen ac sanctissimis moribus longè insignitum. Postquã & ipse diu Ordinem sapientissimè rexisset, & importunas mundi, carnis ac dæmonis constanter tentationes superauit: tandem vltima hora appropinquante, conuocatis in vnum in sacro monte patribus, coram omnibus Missæ sacrificium tremẽdum celebrauit. Quo peracto sacerdotalibus indutus vestimentis, ad patres statim suum dirigit sermonem, & vt alter Patriarcha Iacob, separationem animæ à corpore prædixit, Religionisque incrementa annunciauit, ad charitatem mutuam admonuit, & sacra passionis mysteria singulis flentibus B deuotissimè narrauit. Dum verò ad locum Crucifixionis enarrando peruenit, ex oculis lacrymarum quasi fons emanare cœpit, tunc suspiria insurgunt, gemitus inualescunt: quapropter expansis brachiis æquè ac si Cruci esset affigendus, spiritum in manus Domini reddidit. Cuius corpus in Ecclesia sacri montis reconditum fuit ann. Domini 1257. Hunc beatum patrem Paulus Florentinus in suo Dialogo asserit in sæculo vocatum fuisse Ioannem. Addit quinetiam venenum à quodam Antonio Florentino sub genere eleemosynæ datum, superasse.

Beatus verò Manettus quartus inter primos ordinis Institutores 3. Generalis electus fuit anno C Domini 1265. iussuque Clementis IV. à Reuerendissimo Rodulpho Albanensi confirmatus est. Hic etiam fæliciter migrauit anno Domini 1268. quotidianis infirmitatibus attritus, in quas inciderat propter diuersas itineris ac laborum fatigationes, pro Religionis necessitate susceptas. Qui tantæ extitit mansuetudinis, pacis, humilitatis, obedientiæ, ac cæterarum virtutum æmulator: vt eius vita irreprehensibilis esset. Legitur in Dialogo Pauli Florentini, quod cum sacrificium celebraret, sanauit claudũ, surdum ac mutum, quódque in sæculo dicebatur Benedictus. Cuius sacrum corpus honorifice in sacro monte repositum fuit.

Beatus etiam Alexius, postquam centum & decem annis vixisset, quorum 70. in ordine castissimè ac sanctissimè transegit: in eius obitu fælicissimo, Angelos in specie cãdidissimarum auium apparuisse asserit qui prima Relig. tempora descripsit simul cum R. P. M. Florentino in suo Dialogo, immò asserunt ambo, Christum in forma pueri coronam super illius simplicissimi viri caput imponentem visum fuisse. Pluries non tantum Prouincialis Præfectus, sed etiam Generalis præsul à patribus electus, renuit ob humilitatem.

Postmodum verò B. Sosthenius Generalis Vicarius Galliæ factus est anno Domini 1271. & eodem tempore B. Vguccionus Vicarius Generalis Germaniæ. Hi duo patres circa annum Domini 1282. veluti duo discipuli euntes in Emaus, colloquentes ad inuicem de iis omnibus quæ acciderant Religioni, & vt sibi vitam æternam Deus concederet dignaretur deprecari cœperunt. Statim audiunt vocem à longè cuiusdam exclamantem: O viri Dei quiescite conqueri, citò quiescetis. Quibus auditis oculos eleuant, vt loquentem videant. Neminem tamen inspicientes obstupescunt, & stupore repleti ad sacrum perueniunt montem, ibique leui quadam infirmitate grauati, eadem die migrarunt, quorum corpora in sacra Eremo recondita fuere. Eorum obitum glorioſum in spiritu vidit B. Philippus, vt in eius vita dicetur.

*Bonaiuncta Generalis Ordinis Seruorũ secundus.*

*Prædicit suã obitũ, & Ordinis incrementum.*

*Explicatis passionis Christi mysteriis cum multis lacrymis, ipse tandem expansis manibus quasi esset Cruci affigendus reddit spiritum.*

*Bonaiuncta venenũ nocere nõ potuit.*

*B. Manettus 3. Generalis.*

*Catalogus virtutũ eius.*

*Claudũ, surdum ac mutum sanat.*

*Lõgæua eius B. Alexij.*

*Angeli in migrante in specie candidissimarum auium apparent.*

*Renuit Generalatum ob humilitatẽ.*

*Obitus etiam gloriosus BB. Sosthenij & Vgutionis.*

NO

*Insignia ordinis Seruorũ B. Mariæ.*

*Bonusfilius in Generalem eligitur.*

*Glorioſa mors B. Bonfilij.*

*Ex eius corpore suauissimus odor manat.*

*Clauuit spiritu prophetico.*

*B. Amideo migrãte tota domus suauissimo repletur odore, nec non ignea flãma sursum videtur ascẽdere.*

*Puerum in aquis submersum ad vitã reuocauit B. Amideus.*

ministerio depictum fuisse affirmauerit. Eo verò acclamante, & sacram imaginem venerante, accurrunt patres, & populus qui ad diuina audienda venerat, & gratias Deo, matrique eius reddiderunt. Tunc Virginis serui diuino numine ducti, in vnum congregari, propter rem tam admirabilem determinant in futurum Religionis insignia lilia candida fore cũ hac syllaba S. coniuncta, videlicet in cãpo cæruleo effingenda, vt Religionis insignia nomini correspõderent, simulque cum simulachro depicto conuenirent, hos enim flores ab Angelo Virgini delatos fuisse ferunt. Sunt qui addunt ob nomen & dignitatem B. Mariæ, hanc literam M. cum corona & liliis intermixtis.

Cum igitur indies augmentum caperet sacer Ordo, & in multis locis Monasteria ædificarentur, conuenientes patres in vnum, Bonumfilium Generalem constituerunt. Qui cum bona piaque mente toto vitæ suæ tempore seruisset B. Mariæ, tandẽ ab ea vt Bonusfilius hæreditatem accepit. Nam quadam nocte in sacro monte, postquam sacra fuerunt absoluta, & nocturnis horis finis fuisset impositus (vt moris erat) omnes simul conueniũt, audiuntque vocem dicentem: Bonefili, quia mei filij vocem audisti, & propter eius amorem omnia reliquisti, centuplum accipies & vitam æternam possidebis. Quibus dictis corpus ilico exangue factum, anima ad Christum migrauit. Cunctis verò expauescentibus, iterũ vox auditur dicens: Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli, animam quæ mihi seruiuit in terris ad cælestia regna deferte: vos autem serui mei amantissimi corpus humate. Quibus absolutis patres, vires penè perditas recuperantes, fælici appropinquant corpori, ex quo immensum odorem emanare sentiunt, atque faciem quasi ridentem, splendoreque nimio fulgentem inspiciunt. Obsequiis igitur celebratis, fælix corpus sepelitur in Ecclesia sacri montis. M. Paulus Florent. in suo Dialogo affirmat hunc sanctum virum nonnullas hæreses destruxisse, ac fidei Catholicæ veritatem concionando acerrimè defendisse: obiitque anno Domini 1261. Hic recepit ad D ordinem, habitumque Religionis dedit S. Philippo, eique prophetico spiritu plenus explicuit mirabilem visionem quam habuerat, de qua in eius vita fusius. Ad cæteros veniamus.

Anno 1266. postquam B. Amideus secundus inter eos qui ordinem instituerant, diu in magnis laboribus vixisset, tandem fælicissimè migrauit. In cuius obitu glorioso tota sacri Senarij domus suauissimo repletur odore, igneamque flammam sursum ascendere vident omnes patres. Qui ineffabilis vir à suæ conuersionis initio, ad horam huius sacræ depositionis tanta sustinuit in corpore, illudque tot afflictionibus depressit, vt eius vita iure continua mors dicenda esse videretur. Religionem E suæ ipsius sapientiæ, antequam confirmaretur, in Dei timore direxit, plurimaque monita salutaria reliquit. Paulus in suo Dialogo scribit, puerũ quendam in aquis demersum eius precibus ad vitam reuocatum fuisse. Huius cineres depositi fuere in sacro monte Senario. Dicitur autem quod in sæculo Bartholomæus vocabatur.

Authoritate concessa à summo Pontifice eligendi Antistitem ex ordine, patres in Cœnobio D. Annunciatæ in vnum conuenerunt, & primum quod vocant Capitulum generale celebrarũt, & in summum pastorem elegerunt ex septem fundatoribus ordinis vnum, scilicet R. P. F. Bonaiunctam Flo-



## NOTÆ.

Bonusfilius, &c.] *Res eorum gestæ fusius legũtur in Dialog. MM. P. Florent. & in Chronico Ord. Seruorum, & inferius in vita S. Philippi.*

Florentiæ ciuitas.] *Est hæc nobilissima ac primariæ Etruriæ ciuitas, ante Christi aduentum 90. ann. à Syllanis militibus condita. Nam cum Sylla militibus suis agrum illum ibi habitandum assignasset, venientesque primas sedes ad Arnum fluuium posuere, & constructo oppido Fluentiam appellauere. De qua Plinius meminisse videtur cum dicit Fluentinos profluenti Arno appositos. Videbis plura apud Philippum Bergom. lib. 6. fol. 74.*

Manichæorum hæresis.] *Manichæi dicti sunt Manantes, phantasmatum somniatores à Manete secundum Hieron. anno 264. regnante Probo Imper. insana* B *Manichæorum hæresis exorta est. Dicit D. Aug. de hær. In Græcia discipuli eius nomen insaniæ, quasi doctiores, & eo ipso mendaciores vitantes geminata nn. Mannichæum quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est, insano, appellauerunt. Manichæi coniugium detestantur. dist. 30. cap. Illud autem. Manichæus vanitate Luciferi seductus, adeo delirauit, vt se Spiritum sanctum à Deo missum assereret. Hic duas naturas introduxit, id est, bonam, & malam. Et Manichæi animas ex Deo, quasi ex aliquo fonte manare asserunt. Dicunt nihil in nobis positum esse. Negant liberum arbitrium, nec posse iuuare ad salutem. Ponunt summum malum, quod est principium omnium malorum, & quod omnia corporalia creata sunt à Deo tenebrarum, & quod Deus est quædam lux corporea, &* C *animam dixerunt partem illius lucis corpori alligatam, & quod dæmones sunt naturaliter mali, & phantasiam esse dicunt, quod dicitur Christum fœmineo posse nasci vtero. Non enim dignum est, inquiunt, quod tanta maiestas per sordes & squalores fœminæ transisse credatur. Alias hæreses vide in tabula Petri de Pergamo circa opera beati Thomæ. Manichæi damnant Ioannem Baptistam, quia in Christum non credidit, eo quod misit duos discipulos cum esset in vinculis. Crediderunt etiam Christum non fuisse verum hominem, sed phantasticum, & damnantur in prima Synodo Bracarensi. Hi miseri valdè multiplicati fuerunt, & S. August. multum fatigauerunt, multique sancti Patres tam antiqui quàm recentiores, aduersus eos scripserunt. Legatur Bernard. Lutzenburg.* D *Ordinis Prædicat. in Cat. hæretic. lit. M.*

Petrus Veronensis.] *Est ille celeberrimus sanctus martyr Ord. Prædicat. qui à Manichæis interfectus fuit anno Domini 1252. Vocaturque Petrus Veronensis de nomine suæ ciuitatis. Extant eius res præclarè gestæ in vitis SS. Ego puto quod nullibi fiat mentio de iis visionibus quas habuit circa Ordinem seruorum, præterquàm in Chronico Ordinis illius, ex quo eas hic reddidimus.*

## VITA S. PHILIPPI ORDINIS Seruorum B. Mariæ Virginis Institutoris eximij. Ex Mithaële Florentino Seruita.

*Habetur in Chronic. Ord. Seruorum B. Mariæ.*

*A septem Eremitis initium sumpsit Ordo B. Mariæ Virginis.*

SANCTISSIMVS Ordo Seruorum B. Mariæ Virginis initium sumpsit apud Florentiam à septem beatissimis viris & eremicolis, quorum nomina sunt hæc, Bonusfilius, Andreas Bonaiuncta, Mannettus, Alexius, Sostenius & Vguccionus. Hi beatissimi viri cum ex sodalitate B. Mariæ essent, & in vigilia sacratissimæ Assumptionis Virginis simul conuenissent ad Ecclesiam laudes sacratissimæ virginis recitaturi, audiunt repentè vocem diuinitus eis præcipientem, vt in montem Senarium proficiscerentur, & illic expectarent quid de eis vellet facere Deus. Illi læti & alacres domũ, parentes, diuitias relinquentes paruerunt voci di-

A uinæ, & ad prædictum montem profecti sunt, vbi die ac nocte indesinenter sacratissimæ Virgini deseruiebant. Viuebant autem hi pauperes Eremitæ in magna abstinentia & rerum omnium nuditate, ita vt multi nobiles sancta eorum conuersatione attracti, & vt Deo eiusque sacratissimæ matri perpetuò deseruire possent, se in eorum sodalitatem asciuerint: & breui ita multiplicatus est opera virginis, sodalium numerus, quod eis oportuerit diuersis in locis diuersas construi mansiones. Quadam die cum quidam ex supradictis septem viris eleemosynã per plateas Florentiæ peterent, lactates infantes in gremiis matrum clamare cœperut; Ecce serui B. Mariæ Virginis, date eis eleemosynã. Quod B nomen semper retinuerunt, & adhuc retinent.

Postquam igitur septem hi veri in monte Senario septem annorum spatium consumpsissent, quadam nocte singulis separatim apparuit B. Virgo Maria, cum ingenti lumine, & Angelorum multitudine stipata, tenens in dextera librum apertum, quem Regulã Sancti Augustini dicebat, & qua vti in posterum deberent, altera pullam tunicam hoc vestimento iubens vti. Sequenti die cum singuli sibi inuicem visionem exposuissent, mirãtes gratias B. Virgini egerunt, & quæcumque præceperat, fideliter adimplerunt, Ordinemque à summo Pontifice Gregorio IX. approbari curauerunt, & demum in seruitio B. Mariæ perseuerantes, & amorem erga illam indies augentes, miraculis & sanctitate vitæ C claruerunt. Et hæc sunt tenera primordia sanctissimi Ordinis sacratissimæ glorioſissimæque Virginis Mariæ, qui postea magnum incrementum sumpsit, propter eximiam sanctitatem B. Philippi, cuius vitam describere, Deo disponente, aggredior.

Fuit igitur hic beatus Philippus ex nobilissima familia Benitia, Florentiæ ortus, patre Iacobo, matre verò Albanede, fuitque medicus peritissimus, ac in omni scientiarum genere disertissimus. Qui B. Philippus in Gymnasio Parisiensi & Patauino literis operam dedit, & insigne doctoratus apud Patauium suscepit. Hic igitur cum summa deuotione afficeretur erga sacratissimam Dei genitricem Mariam, ab eadem præmonitus, mundi vanitates dimisit, & annum trigesimum agens sacrum Seruorum Ordinem ingressus est hoc modo. Visitans vir Dei quotidie, simulque deuotissimè sacra Dei templa, diuino spiritu ductus die octauæ sanctæ iucundissimæ resurrectionis, sacellum Seruorum prope Florentiam olim ædificatum audit, & ad sacrum Virginis simulachrum ab Angelis depictum, vt diuina audiat, diuertit. Dum verò verba illa Epistolæ leguntur, Philippe accede & adiunge te ad currum istum, statim quodam timore ac tremore perterritus expauescit, viscera contremiscunt, corpus quasi exangue apparet, & spiritus in ecstasim raptus, in syluestrem ducitur locum, in quo velut alter An- E thonius singulas vias laqueis, lapidibus, spinis, serpentibus venenosis, luto fœdissimo repletas videt. Inde verò exire minimè valens, exclamat, diuinum implorat auxilium, vocem tamen de cælo eadem verba repentem audit: Philippe accede, & adiunge te ad currum istum. Quibus verbis commotus, sursum eleuat oculos, & ecce videt currum aureum quatuor habentem rotas, ab que candidissima leoneque fortissimo deductum, & circumcirca pulcherrimam Columbam volitantem aspicit. Huic verò currui insidentem maxima cum lætitia intuetur beatissimam Christi parentem, Angelorum ac sanctorum agmine circumseptam, ac magno pallio locum cooperientem.

*Multi se eis adiungunt.*

*Vnde & quando seruis B. Mariæ vocari cœperint.*

*A B. Virgine habitum & Regulam suscipiunt.*

*Patria & parentes S. Philippi.*

*Eruditio magna S. Philippi.*

*Rapitur in ecstasim, & terribilẽ videt visionem.*

Quæ omnia dum verus Deiparæ seruus hilariter contemplatur, sacra absoluuntur diuina, simulque hora appropinquat, in qua Ecclesiæ valuæ sunt claudendæ, quapropter à B. Alexio, qui sacrarum rerum curam gerebat, vocatur, & his excitatur verbis: ô homo Dei surge, iam enim tempus adest vt ad propria reuertaris, diuina namque sunt completa; cui tamen clementer respondens dixit. Tibi Rex cæli & terræ ignoscat, qui me ab ingenti spiritus dulcedine in qua versabar excitasti, & inde egrediens lætus & tristis cuncta in corde conferens, domum reuertitur, orationibusque continuis insistens, iterum circa mediam noctem in excessu mentis rapitur, & eandem Deiparam virginem, eodem modo decoratam inspicit, ac huiusmodi facientem verba audit. Philippe, ad eos celeriter curre fratres, qui serui mei nuncupantur. Quibus dictis statim euanuit. Ipse verò excitatus surgens illicò, postquam dies illuxit, ad sacrum diuertitur locum, & humiliter accersito Præfecto Cœnobij, cui Patri Bonus filius erat nomen; vniuersa ex ordine narrat, quibus auditis summa afficitur lætitia, & spiritu prophetico repletus vt alter Daniel & Ioseph singula visa ei explicans, exponit syluam mundum significare, currum aureum, sacram Seruorum religionem auro charitatis insignitam, & virgini inter omnes creaturas nobiliori, sicut inter omnia metalla aurum, datam significare, quæ quidem gubernatur non solum à quatuor Cardinalibus virtutibus per quatuor rotas designatis, sed etiam à doctrina Christi, à quatuor Euangelistis descripta, regitur.

*A B. Alexio excitatur.*

*Iterum rapitur in excessu mentis, & à B. Virgine iubetur seculũ deserere.*

*Bonus filius ei visionem explicat.*

Cum autem ad ouem & leonem currum trahentes, & ad Columbam circa currum volitantem venit, ouem humilitatem, & mansuetudinem, leonem fortitudinem contra dæmonum tentationem, columbam tandem simplicitatem interpretatus est, quibus virtutibus Religio debet duci, & ad æternam volitare vitam. Sed vt omnia à Philippo visa exponeret, virginem insidentem currui, ac pallium nigrum in manibus deferentem, curam peculiarem, quam habebat B. Mater erga Ordinẽ Seruorũ, constantissimè significare affirmat, prædixitque ei etiã eum Apostolum virginis futurũ. B. Philippus obmutescens, miratur radios diuinitatis ex eius vultu emanare, intelligensque tam altè, tam doctè seruum Mariæ obscuram visionem interpretantem, præ dulcedine lacrymas fudit, genua flectit, Præpositum rogat vt sacro consortio dignetur adscribere, & inter eos potissimum collocare qui sacerdotes non essent, sed qui sacerdotibus ministrarent.

*Prædicit ei eum futurum Apostolum Virginis.*

*Habitũ Seruorum suscipit.*

Votis eius annuens Præfectus, ei sacrum tradit habitum, & Philippum vocat. Cupiens autem vir sanctus seruire patribus qui in monte Senario tota mente Virgini seruiebant, Bonum filium Præfectum Cœnobij D. Annunciatæ suppliciter exorat, vt illuc ire permittat. Quod cum consequutus esset, illicò eo properat; & ingenti omnium admiratione vt Martha illis ministrat, vt Maria autem passionem Iesu Christi doloresque Virginis in quadam cauerna montis, non longè distante ab Ecclesia, deuotissimè contemplatur. Et adeo iis meditationibus insistit, quòd sæpe suipsius corporis obliuisceretur, quod ieiuniis macerat & disciplinis, ingeresque lacrymas pro offensis fudit. Cui ignouisse ostendens Deus, ex quadam petra præter opinionem aquas abundantissimas emanare fecit, necnon cauerna à cunctis inspicitur, modo vernacula lingua ab vniuersis populis fons Sancti Philippi vocatur.

*Inseruit fratribus.*

*Meditationi vacat in spelunca.*

*Durè castigat suũ corpus.*

*Aqua de petra diuinitus manat in signũ cui Deus peccata dimiserat.*

Iam tempus aduenerat in quo thesauri sapientiæ, scientiæ & sanctitatis, qui in castissimo Virginis seruo Philippo absconsi erant, mundo manifesti fierent. Pater Generalis Iacobus nomine, huius viri probitatem inspiciens, Senis eum manere determinat, vt qui ad Ordinem tunc temporis eo in loco erant recepti, viuendi Regulam à Philippo discerent. Dum eo pergit, obuij fiunt duo doctissimi sacerdotes ex Prædicatorum Ordine, à quibus humillimè salutatus, (vtpotè quod in vultu eius nescio quid magnũ colligerent) & interrogatus de quadã quæstione, ita sapientissimè respondit, vt ipsi mirarentur, quare ad altiora venientes, quæstiones altissimas proponũt, quibus omnibus interrogatus respõdendo tam argutè & doctissimè se gessit, quod stupentes eum scientiarum diuinarum arcam nominarint. Ipse verò flexis genibus, magis ac magis clamabat vt tacerent, vt hæc nemini dicerent, quia inter laicos literas nescientes viuebat.

*A duobus Religiosis Ord. Dominicani de altissima quæst. interrogatus doctissimè respõdet beatus Philippus. Cupit latere, sed frustra.*

Iis supplicationibus non annuentes, cum Senas peruenerunt, patribus Seruorum narrant thesaurũ pretiosissimum in agro eorum absconditum, quo nonnullæ animæ erant à diabolica seruitute eripiendæ, & hunc thesaurum Beatum Philippum affirmant, qui inter sacerdotes, non laicos annumerandum concludunt. Quibus auditis patres Cœnobij Senarum humanissimè eum recipiunt, & videbant faciem eius, tanquam faciem Angeli, propterea ipso nesciente summo Pontifici literas mittunt, & vniuersa exponunt. Quæ audiens, præcepit Philippo, vt ad sacra promoueri studeat, atque tandem breui spatio Presbyter est creatus, & apud sacrum montem primam celebrat Missam, dumque sursum eleuat hostiã, voces audiuntur alternatim canentes, Sanctus, Sanctus, Sãctus. Postea verò successu temporis vnus ex Diffinitoribus creatus est, cuius sapientiam & doctrinam omnes mirabantur: deinde etiam Collega Generalis factus est. Tunc temporis instituit B. Philippus simul cum Gerardo Eremita sanctissimo eius socio, (cuius corpus miraculis clarens, modo reconditum est in loco dicto Villa magna, procul à Florentia quatuor millia passuum) societatem, quæ modo Confratria dicitur Sancti Sebastiani, vt laudes coram Virginis imagine decantari possent. Paucis elapsis diebus ob vitæ sanctitatem eligitur Generalis B. Philippus, sed cum propter magnam suam humilitatem electioni assentire nollet, audit vocem dicentem: Philippe Spiritui sancto ne resistas, te enim è mundo vocaui vt populum meum electum regas. Quibus verbis commotus, ingenti cum humilitate supremum locum ascendit.

*Fit Presbyter.*

*Instituit cum Gerardo Eremita Confratriam B. Mariæ Virginis apud Florentiam.*

*Eligitur Generalis.*

*Diuinitus iubetur electioni consentire.*

Tunc temporis, cum deuastati fuissent à Florentino exercitu Aretinorum agri, valida in ciuitate insurgit fames. B. verò Philippus misertus inopiam pauperum patrum, eis diuinitus panes impetrauit. Deinde cum Capitulum Generale apud Pistorium haberetur, egregiam concionem in eo habuit beatus Philippus, doctissimèque explicauit psal. centesimum octauum; Beati immaculati in via, leges & statuta saluberrima in eo constituit: quibus absolutis ad Curiam Viterbij commorantem pergere destinat, vt in manu summi Pontificis Magistratum deponat, & Deo mundius seruire valeat. Nam cum in supradicto Capitulo patres noluissent eum ab officio absoluere, sicut obnixè & humiliter petierat, summi Pontificis authoritate semetipsum deponere proponebat. Sed dum pergit, offendit leprosum in via. Cuius misertus, interius vestimentum exuens, eidem libentissimè donauit. Quam tunicam cum induisset, statim curatus est. In sententia perseuerans, tandem Viterbium venit. Ea autem nocte in qua se ab officio abdicare volebat, in somnis visum vidit, quod ipsemet sibi propriam manum abscindebat. Quæ omnia mane facto Loctaringo socio manifestans, ille addidit hoc significare depositionem. Quamobrem mutato consilio ab incepto destitit.

*Diuinitus panes fratribus impetrat.*

*In manu summi Pontificis Generalatum deponere cogitat.*

*Dat tunicam suam leproso qui statim sanatur.*

*Videt visum, & ab incepto desistit.*



*A quibusdã Cardinalibus Summus Põtifex acclamatur.*

Accidit post aliquot menses, quod cum patres Ecclesiæ de successore Clementis non conuenirent, audita huius viri vita, doctrina irrefragabili, miraculis, à nonnullis Cardinalibus Summus pastor acclamaretur. Quod percipiens vir sanctus, statim cum sociis incognitè in montamieta Senen- B. sium aufugit: vbi orationibus & disciplinis vacans, corpus herbis & aqua nutriens, plurimis diebus permansit; Religionis verò vniuersum onus Loctaringij humeris imposuit, & vbi degeret, nemini dicere præcepit. Ibi cum aquæ deessent: ter baculo petram percussit, & aquæ abundantissimæ emanarunt: quæ modo Balnea Sancti Philippi vocantur. In hac solitudine didicit diuinitus se debere ad exteras nationes Christi & Virginis nomen deferre. Quare conuocato capitulo, postquam totius Ordinis regimen commisisset Loctaringo, eumque quomodo Religionem gubernare deberet docuisset: assumptis secum duobus sociis, venit in regionem inter Bononiam & Mutinam, cumque esset æstus, C offendissetque quosdam homines sub arbore quiescentes, atque blasphemantes nomen Domini, eos clementer & suauiter redarguit. Sed illi cum potius debuissent cessare à blasphemijs, & in bonam partem eius correptionem accipere, è contra multo magis fauces eorum inualescebant in blasphemiis. Deus autem qui nihil impunitum relinquit, eos subito castigauit. Nam ecce tonitrua, coruscationes, grandines, & fulgura ad instar sagittarum pectora eorum transfoderunt, & animas eorum ad inferos præcipitarunt, hanc punitionem propriis oculis vidente B. Philippo.

*Fugit ad mõtes Senẽsium, ibique solitariam vitam ducit in magna austeritate.*

*Baculo percutiens petrã, aquam emanare facit.*

*Vltio diuina in blasphematores.*

Inde vt verus Apostolus Virginis, Paris. Tholosiis, Auenion. Aleman. Cracouiæ, Erfordiæ, Saxo- D niæ sacræ Virginis laudes prædicauit, & à populis honorificè exceptus, ei multa loca tradita sunt. Cum autem Ordo indigeret Religiosis, B. Philippus impetrauit à Virgine, vt multi probi viri Ordinem ingrederentur: inter quos recepit quendam Alemannum de Francofordia, qui vocatus fuit Ioannes, qui etiam miraculis claruit. Duobus annis vltra montes peractis tandem in Italiam reuerti decreuit. Cumque per diuersa syluarum deserta iter faceret, vbi nec panis ad cibum, nec aqua ad potum erat, ipsius comites quasi mortui facti sunt. Ille verò rogauit virginem vt eorum misereretur, finitaque oratione, vident à longè quosdam pastores panem album, multaque ad corporis necessitatem, sibi E deferentes, dicentesque eis: Surgite amici Dei, virginisque serui, ecce prandium quod vobis parauit Dominus. Et his dictis euanuerunt. Illi verò cum gratiarum actione cibum sumentes, cognouerunt dictos pastores fuisse Angelos, & in fortitudine cibi illius ambulauerunt vsque ad montes Penninos. Ingressus Italiam, apud Burgum sancti sepulchri capitulum conuocat: vbi narrauit omnia quæ fecerat, doctissimèque patribus exposuit Psalmum, Eructauit cor meum, &c. Qu) absoluto, rogauit humiliter simul & deuotè patres omnes, vt alterum eligerent: sed ei petita denegantur, & iterum confirmatur.

*Vt vertes Apost. Virg. in multis prouinciis nomẽ eius portat, eiusque laudes prædicat.*

*Obtinet à B. Virgine panes.*

*Capitulum conuocat.*

*Psal. 44.*

Contigit verò tunc temporis Concilium Lugdunense celebrari. Cumque non solum Episcopi & diuersi Relig. prælati Lugd. properarent, etiam beatus Philippus huic Concilio interfuit: cuius precibus eius Ordo comprobatus fuit. Postmodum rediens in Italiam, apud Pistorium sermonem elegantem ad populum habuit, exposuitque Psalmum qui incipit, Super flumina Babylonis, commemorauitque quanta mala gerebantur, quanta animarum pericula, quantæque lacrymæ fundebantur à Seruis beatæ Virginis ob Pistorienſium intestinas dissensiones. Multi ex hoc sermone ita compuncti exiere, quod praua vitia deserere, & de eis pœnitentiam agere coacti fuerint. Cum quidam ex præ- *Quidã princeps Gibellinæ factionis audito sermone B. viri conuertitur, & fit Monachus.*
cipuis Gibellinæ factionis, Bonauentura nomine, audisset beatum Philippum concionantem de pace & concordia, increpantemque grauiter atque vehementer pacis pertubatores, ad virum Dei accessit, petiitque Religionis habitum. Sed vir sanctus noluit eum recipere priusquam omnibus quos offenderat satisfeciſſet. Quod cum feciſſet, habitum ab eo recepit, sanctoque fine quieuit, cuius corpus in in vrbe veteri apud Monasterium Seruorum habetur. Factum est vt qui prius in sanguinis effusione delectatus fuerat: postmodum in lacrymis & afflictionibus corporis amplius delectaretur.

*Pergit ad Conc. Lugdunense pro confirmatione Ordinis sui.*

Defuncto Protectore Ordinis, B. Philippus Romam adiit, & à summo Pontifice Protectorem impetrauit Cardinalem Latinum. Cum aliquando B. Philippus apud Burgum S. Sepulchri prædicaret, & explicaret illa verba, Qui non renunciat omnibus quæ possidet, &c. vir quidam de Burgo spiritu Dei ductus, agros, patrem & matrem, cuncta insuper quæ possidebat, reliquit propter nomen Domini, & in Religione Seruorum B. Mariæ susceptus frater Andreas vocatus fuit, qui & integritate vitæ floruit. Tunc temporis Nicolaus Papa dissensiones quæ inter Guelfos, & Gibellinos Hetruscos ortæ erant, pietatis oculo (vt verum pastorem decet) inspiciens, Cardinalem Latinum suiipsius nepotem *Cardinalis Latinus Tuscie legatus. Multas nobiles familias conciliat beatus Philippus.*
Legatum Tusciæ destinat, vt iis perturbationibus finem imponat. Florentiam igitur veniens, vt hoc D negotium executioni facilius mandare valeat, in collegam sibi assumit beatum Philippum. Quo onere libentissimè susceptο, nonnullas nobilissimas familias conciliauit, præcipue Adinares & Thosingos factionum principes, inter quos quidam postea frater Vbaldus nuncupatus, pœnitentia ductus, mundum deseruit, religionemque ingreditur, ac tandem miraculorum gloria clarus migrauit in cælum. Hæc percipiens legatus gratias agens Deo, Christi pacificum ministrum appellabat Philippum.

*Petit Romã.*

Tempore quo Sosteneus & Vguccio duo ex septem qui Ordinem ingressi fuerant primi, ad Christum gloriosa morte migrarunt, beato Philippo eorum obitus ostensus fuit. Nam eadem nocte duo lilia, è terra præcisa, virgini offerri vidit, ex quibus statim horum fœlicem obitum intellexit, ac fœlicitatem illorum conclusit. Quapropter lucis sydere orto, verba faciens dicit: Gaudete fratres, duo lilia quæ in agro nostro militanti florebant, in agro triumphanti modo plantata florent in conspectu *Diuinitus dicit beatos Sosteneum & Vguccionem migrasse.*
Domini: Sosteneus nempe & Vguccionius patres nostri qui Religionem hanc cum aliis quinque ordinarunt.

Cum B. Philippus apud Florentiam Religionum sacella visitaret, ad cœnobium Fotiliuij peruenit, vbi publicè ad populum concionatus est super Psalmum 98. cuius exordium est, Dominus regna-

uit,iraſcantur populi:quibus verbis cunctos acerrimè reprehendit, eo quod à ſede Apoſtolica exaltati, ſedem Apoſtolicam ſpernentes, derelinquere ac ſummi Pontificis mandata paruipendere fuerant auſi, quod quam iniquè egiſſet explicare proſequutus eſt per authoritatem eiuſdem Dauidici Pſalmi. Sed ſalutaria hæc monita deridentes, virum Dei non tantum è ciuitate diſcedere coëgerunt: ſed etiam virgis cæſum, tanquam leproſum è ciuitate eiecerunt. Ipſe verò qui pro nomine Ieſu contumeliam pati, mortemque ſubire erat paratus, libentiſſimè omnia ſuſtinuit: inter quos vnus tantum fuit qui pœnitentia ductus, veniam ingenti lacrymarum imbre perfuſus petiit, & eum beatus Philippus ad ordinem ſuſcepit. Vocatuſque fuit Peregrinus, qui ita vixit, vt inter beatos annumeretur.

*Virgis caditur propter veritatem & iuſtitiam.*

*Exhortatio viri Dei ad patres in Capitulo.*

Capitulum Generale cum Florentiæ celebraretur, ineffabilis Dei amicus Philippus, quaſi horam extremam præuidens, ſic locutus eſt patribus. Cum iam deliber, tempuſque reſolutionis meæ inſtet, quæ Seruator meus Ieſus Chriſtus inſtituit in nouiſſima cœna, vobis in extremis dierum meorum proponere nõ grauabor. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Deinde cum de pace, de amicitia, de concordia, diſciplina monaſtica habuiſſet ſermonem, propter imbrem lacrymarum perficere ſermonem non potuit, ac benedicens cunctis, in nomine Domini abire præcepit, & alta voce exclamans ter dixit: Diligite, diligite, diligite. Sequenti die Loctaringum in collegam generalem iterum de conſenſu omnium approbauit, & vniuerſæ religionis onus eius humeris imponens, eidem regulam bene viuendi declarauit. Die igitur decimaquinta Iulij è Florentia cum fratre Octauiano diſcedés, & Guidone, Senas perexit, & ad Ordinem recepit nobilem quendam iuuenem Senenſem, cui nomen indidit Franciſcus. Inde diſcedés, Peruſium properat, vbi ſanctiſſimis Honorij Pontificis deoſculatis pedibus, ſibi in fine dierum ſuorum eius benedictionem, Religioni verò priuilegia Apoſtolica impetrauit. Quibus cõſequutis, Tudertum Marchiæ Anconitanæ dirigit greſſus, quo loco humiliſſimo ſe moriturum cognouerat: prope cuius mœnia cum peruenisſet, vniuerſus populus illuc occurrit, & ramis oliuarum ab arbore abreptis canens hymnos ſacros, ſeruum Dei Prophetam maximum venientem in nomine Domini excipit. Quod ægrè ferens bonus Pater qui ſe vermem exiſtimabat, ſoli Deo honorem, laudem & gloriam tribuit: à turbaque copioſa citò diuertit, & per aliud iter Tudertum aduenit: ac inter eundum duæ meretrices ei fiunt obuiæ, quas benignè increpauit, humaniterque ſubminiſtrata eleemoſyna, cum eis fœdus pepigit, vt per tres dies à congreſſu virorum abſtinerẽt. Quod quidem cùm pollicitæ fuiſſent, & id iuramento confirmaſſent, executionique hæc mandare incepiſſent: tantus peccatorum terror illas inuaſit, tantus tremor apprehendit, quod non ſolum per tres dies abſtinere à turpiſſima labe decreuerunt: verum etiam religionem monialium ingreſſæ ſunt. Cum fratres vini inopia laborarent, beatus Philippus ad eorum ſuſtentationem aquam in vinum conuertit.

*Venit Peruſiũ ad ſummum Pontificem, à quo priuilegia Ordini impetrauit.*

*Obuiam ei cũ ramis oliuarum populus venit.*

*Conuertit duas meretrices.*

*Aquam in vinum conuertit.*

Interea B. Pater cum iam inclinata eſſet dies, ciuitatem templumque S. Marci Ordinis Monaſterium ingreditur, vbi in orationibus & diſciplinis, non manducans, neque bibens pernoctat. Orto autem iam lucis ſydere populus eum videre venit. At ille Cathedram aſcendens, populo verba fecit loquens de regno Dei, deque beatitudine ſanctorum diſſeruit. Circa huius diei horam nonam, breui quadam infirmitate cœpit ægrotare: ab oratione tamen non deſtitit. Appropinquante die Aſſumptionis ſacratiſſimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, feruentiſſimè oraſſe dicunt eodem modo quo orauit propheta Dauid, cùm exclamauit, Miſerere mei Deus, ſuper quæ verba ad longum orationem ſuam proſequutus ſe peccatorem maximum confitebatur. Deinde accerſito Sacerdote, flexis genibus confeſſionem fecit. Poſtmodum ingraueſcente morbo, iuſſit ſibi ſacroſanctum Domini corpus afferri, & in hæc prorupit. Tu es Domine mi in quem credidi, quem prædicaui, quem quæſiui, quem dilexi. Vt homo à tuis viis declinaui, ſed peto veniam, miſerere Domine Ieſu Chriſte. Sumpto deuotiſſimè Dominico corpore, aliquantulum quieſcens, iterum hilaris incepit orare, & multa futura propheticè dixit: ſinguliſque adſtantibus pacem dedit. Manè denique facto, die Aſſumptionis, pſallentibus fratribus, admirantibus hominibus, lætantibus Angelis, omnes voces audiunt dicentes: Euge ſerue bene & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui, & ita obdormiuit in Domino. Sanctum eius corpus propter multitudinem populorum aduentantium, triduo in Eccleſia manſit, multaque Deus ob ſancti viri merita declaranda operatus eſt miracula, quæ nimis longum eſſet hic inſerere. Eius veſtimenta apud Tudertum honorificè aſſeruantur, quæ morbis variis oppreſſos ea tangentes perfectè ſanant. Eius etiam cilicium quod eſt apud Florentiam in templo Diuæ Annunciatæ, habet proprietatem extinguendi ignem. Eius ſacrum corpus anno Domini 1317. magno cum honore tranſlatum fuit, multaque dum transferretur facta ſunt miracula. Eius ſanctitatem cum audiuiſſet Leo decimus Pontifex maximus, conceſſit quod Ordo Seruorum poſſet feſtum eius celebrare.

*Sub finẽ vitæ in orationibus pernoctat, & auſteritati vacat.*

*Confitetur.*

*Sumit ſacroſanctum Dominici corpus.*

*Gloriosè in Domino obdormit.*

*Solo tactu veſtimentorũ eius morbi curantur, & ignis extinguitur.*

## NOTÆ.

Philippus.] *Præter Chronic. Seruor. agunt de eodem R. P. M. Paulus Florentinus, & D. Nicolaus Borg. in Dialog. & Anth. Sabellicus Enneade 9. lib. 7. Philippus (inquit) Tuſcus genere, Florentiæ ortus, nouæ fuit ſectæ auctor, inſtitutorque familiæ, quam Deiparæ vocant Virginis, qui primò initiati, Serui nuncupari cœperunt, tenetque hodie ea appellatio. Fuit Philippus medicæ artis profeſſor, Anachoreticam inde vitam ſecutus oraculo monitus nouum Religionis adiecit dogma, paululum ab Eremitano diuerſum, nigræ tunicæ ac ſuccinctæ, nigrum ſuperiniiciunt palliũ, circa humeros in rugas complicatum, ſcapulari amictu ab humeris reiecto, indifferens calceatus: nec res magno admodum eſt fauore à principio recepta, cæterum cum nouum inſtitutum ſua ſponte gliſceret, augereturque indies initiatorum numerus, Benedictus vndecimus, ſeptemque deinde Pontifices ſecuti, non modo ad pium inſtitutum conniuere viſi ſunt, ſed probarunt etiam ſuo aſſenſu, probatum ceremonia & priuilegio excoluere. Datum præterea vt ſacculum geſtarent, mendicandi facultate conceſſa. Viri in familia ſanctitate & eruditione clari, tres & viginti in beatorum numerum relati, muliebris ſexus nouem, nam & in his quoque eſt tertius quidam Ordo. Scitè plerique viri ex his & vtiliter multa in diuinis ſcripſere. Sunt horum Conuentus hodie in Italia duodequinquaginta, & in his mille quingenti & amplius initiati, &c. Meminerunt eiuſdem etiam Barthol. Caſſan. 4. part. Catalogi*



*logi gloriæ mundi folio 70. Philippus Bergomenſis in Supplemento Chronicorum, qui honorabilem de eo facit mentionem, necnon Aphonſus A Carabuſios in Cõp. Priuileg. Fratrum Minorum in initio. Lælius Zecchius de Republ. Eccleſiaſtica, & alij plures & antiqui hiſtorici. Vnde etiam & Gaguinus in Annalibus Franc. Eius ſolemnitas in Mart. Roman. reponitur 23. Aug. tituloque Fũdatoris ſui Ordinis honoratur. Baron. Card. in Annotat. ibidem hæc de eo ſcribit. Huius acta aſſeruantur penes Religioſos Fratres eius Ordinis; quibus tũ præclaræ illius virtutes, tum etiam egregia miracula enarrantur, omniaque fide digniſſima. Cæterum non hoc vno tantum nobiliſſima ciuitas Florentia exornatur, ſed & altero eiuſdem nominis, inſtitutore ac Patre noſtro, noſtræque Congregationis Oratorij in Vrbe Fundatore B. Philippo cognomento Nerio, ſanctitate & puritate vitæ, atque eximia in Deum & proximum charitate clariſſimo, quem SS. conſortio in cælis perfrui, miracula crebra teſtantur. hactenus Baronius. Nouiſſimè fuit iſte Philippus Nerius à Gregorio XV. in ſanctorum numero adſcriptus.*

Viterbium.] *Eſt Ethruriæ oppidum, ſumpſitque hoc nomen à Cæleſtino III. Summo Pontifice, cuius Eccleſiã cum cathedralem conſtituiſſet, Tuſcanenſi ac Centumcellenſi Eccleſiis præeſſe voluit. Philippus Berg. in Supplem. ann. 1193.*

Gibellinæ factionis.] *Guelphorum & Gibellinorum diabolica & perniciosiſſima nomina ad totius Italiæ interitum circa annum Domini 1238. à duobus Alemannis fratribus, tumultuantibus adinuicem Romano Pontifice, & Federico Imperat. ab ipſo Cæſare & perditiſſimo homine Piſis hoc modo inuenta eſſe conſtat. Cum enim Imperator Gregoriũ Pontificem 9. hoſtili animo inſequeretur, & omnes Italiæ ciuitates propter hoc eſſent diuiſæ: ſcire volens Imp. qui ſecũ, qui cum Pontifice ſentirent, non modo ciuitates, verum etiam caſtella & familias, tum primum in duas diuiſit partes, & hæc quidem nomina apud Piſtorienſes primum audita ſunt. Cumque alteri factioni quidam nomine Guelph, alteri Gibel, Theutonici fratres faucrent: Guelph enim Eccleſiæ fauebat, & Gibel Imperio: ab ipſis duobus deinceps huius perniciei nomina indita ſunt. Philipp. Berg. Sabellicus Enneade 9. lib. 6.*

Cardinalem Latinum.] *Fuit celeberrimus iſte vita & doctrina Ord. Prædicat. cuius meminit D. Anton. meruitque primus inter Cardinales ſui temporis, primam vocem ſuam dare in electione S. Patris noſtri Petri Cæleſt. cui omnes conſenſerunt.*

*Habetur in Chronico Ordinis Seruorũ B. Mariæ.*

## *VITA B. IOACHINI ORDINIS Seruorum B. Mariæ Virginis. Ex Michaële Seruita.*

*Patria & proſapia viri Dei.*

GLORIOSVS Virginis ſacratiſſimæ ſeruus Ioachinus Senenſis, ex Pelachanorum nobiliſſima proſapia ortus, ab ineunte ætate

*Deuotio eius in pueritia.*

quotidie Eccleſiam ter viſitare, ac ter imaginem Chriſti in Cruce pendentis, ſimulque Virginis effigiem ab Angelo Nunciatæ, ſalutare ſtudebat, mediaque nocte ſurgebat. Puer etiamnum bis in Sabbatho in pane & aqua ieiunabat, & ob reuerentiã ſacratiſſimæ Virginis Mariæ in die Mercurij & Sabbathi tanta charitate exarſit, quod quicquid ex parentum fortunis comparare poterat, Chriſti pauperibus elargiebatur.

*Monitus à B. Virgine, Ordinem Seruorum ingreditur.*

Ad ætatem adultam peruentus, ab immaculata Virgine præmonitus cuncta quæ poſſidebat dereliquit, & Ordinem Seruorum ingreſſus, B. Philippi vitam & mores imitari ſtuduit, in facie honeſta, in aſpectu iucundo, in cunctis corporis geſtibus, & denique eleemoſynam oſtiatim petere pro fratribus gratiſſimum arbitrabatur, & alia humilia exercere, in oratione primus & vltimus eſſe. Erat quædam ſpelunca in monte, vbi modo Cœnobium Senenſe Seruorum B. Mariæ conſtructum intuetur. In ea igitur habitabat, eratque ei iucundiſſimus thalamus, laborabat manibus, hyemis tempore in locum nimbus plenum, & tempore æſtiuali ſpinis repletum ſe immergere ſolebat. Paſſionem Chriſti ita in corde & memoria habebat impreſſam, vt ſemper eam meditaretur. Multum dilectus fuit à ſacratiſſima & immaculata Dei genitrice Maria, quæ ſæpiſſimè antequam ad ordinem reciperetur, & poſt quater ei apparuit Angelorum choro ſtipata. Quadam die dum in templi angulo oraret, linguæ ardentes ignis ſuper eum deſcenderunt.

*Degit in ſpelunca, & durè cruciat corpus ſuum.*

*Multoties ei apparuit B. Virgo Maria mater Dei.*

Poſtquam igitur vir ſanctus triginta tres annos in Religione Seruorum tranſegiſſet: dum die Veneris magni decantarentur in Eccleſia verba illa Euangelica, & inclinato capite tradidit ſpiritum, confeſtim ſuum didicit obitum appropinquare, & ſpiritum ſuum in manus Domini commendare cœpit, repentéque in templo immenſus apparet ſplendor, citóque euaneſcit, & paulo poſt tradidit ſpiritum. Cuius corpus reconditum eſt ſub ara maiori Eccleſiæ Seruorum de Senis, vbi adhuc miraculis fulget. Feſtum verò eius cum ingenti lætitia Senenſis populus celebrat. In Maſſa oppido maritimo, quidam contra ius accuſatus, & adiudicatus morti cauſam ſuam in manus B. Ioachini poſuit. Cumque votum emiſiſſet, cuſtodes carceris ſomno oppreſſi, beatus pater, ruptis catenis apertoque carcere, eum libertate donauit. At ille votum perſoluere volens, nudis pedibus per mediam ciuitatem iter habens, ad ſepulchrum liberatoris ſui Deo, & Sancto gratias egit. Puerum in aquis ſuffocatum vitæ reſtituit. Cum Nicolaus Seruita eius virtutes & res geſtas populo prædicaret, quædam dæmoniaca multum torqueri cœpit, & diabolus clamauit ſe eas multum ſcire, vnde valde torquebatur, & egredi cogebatur. Quod & fecit. Cum quidam per campos proficiſcens ab imbre grandinoſa percuſſus & grauiter vulneratus eſſet, à beato viro ſanatus fuit. Hoc miraculo diuulgato, quamplurimi ad eius ſepulchrum venerunt, vt laudes Deo, & Sancto gratias referrent. Nondum perfecerant orationem, ex ecce præ nimia odoris fragrantia ex ſacro corpore redundante, omnes obdormierunt. Apparuitque eis beatus vir, & dixit ſe eos, & denique omnes qui eius implorarent auxilium, & ad eius ſepulchrum orarent, in ſua ſpeciali habere protectione. Cum quidam nollet eius feſtum celebrare, & racemos colligeret, propterea eius vinum fœtidum factum fuit. Quidam etiam à venenoſo percuſſus ſerpente, meritis viri ſancti à mortis periculo liberatus fuit. Multaque alia fecit miracula quæ longum eſſet recenſere. Obiit anno Domini 1305.

*Quidam iudicatus ad mortem, viro ſancto inuocato liberatur.*

*Dæmoniaca liberatur.*

*Odor ſuauiſſimus ex ſepulchro viri Dei manat.*

*Vltio in nolentẽ celebrare eius feſtũ.*

## NOTÆ.

Ioachinus.] *Eius res geſtas fuſius proſecuti ſunt R. P. M. Paulus Florentinus, & D. Nicolaus Borgenſis. De eo præterea plura in Chronico Seruor. necnon in antiquis Monumentis Monaſterij Seruorum B. Mariæ Senenſium.*

Bis in Sabbato.] *Id eſt, in hebdomada. Vnde Publicanus Lucæ 18. dicebat ſe ieiunare bis in Sabbato. Nam Iudæi omnes dies ſuos à Sabbato computabant, hoc modo:*

*Prima Sabbati, secunda Sabbati: sicque reliqui à Sabbato dies nuncupabantur vsque Sabbatum: sicut & nos primum & secundam feriam dicere constat. Non incongruè hoc loco nomine Sabbati tota hebdomada intelligitur, quæ Sabbato clauditur. Bis ergo in Sabbato, id est, duobus diebus in hebdomada ieiunasse se perhibet Pharisæus. Hæc Ericus in Luc.*

# VITA S. PATRIS NOSTRI Petri Cælestini Papæ V. ex Anachoreta. Partim ex Petro ab Alliaco Card. & Episcopo Camerac. partim etiam ex Dionysio Fabro Monacho Cælestino, aliisque antiquis Monumentis collecta.

## *De Patria & Natalibus S. Petri Cælestini.*

### CAPVT I.

*Patria S. P. Cælestini.*

PETRVS Cælestinus ab illa solidissima petra (qui Christus est) solidatus, & in Ecclesiæ columnam præordinatus, ex Æsernia colonia regionis Aprutij terræ Laboris originem duxit, animi quàm corporis, virtutis quàm generis nobilitate præstantior. Pater

*Parentes.*

eius nomine Angelerius, ex Maria vxore sua vndecim filios (instar patriarchæ Iacob) sustulit: quorum Cælestinus vndecimus fuit, quemadmodum & Ioseph inter fratres suos. Qui ex materna aluo

*Ex materno vtero pellicula subnigra Monastici habitus instar obductus prodit.*

pellicula subnigra, Monastici habitus instar, corpusculo obductus, mirabiliter prodiit.

Iusti parentes eius & timorati, ambulabant in omnibus mandatis Domini, sine querela: misericordiæ operibus intenti: eoque animi studium atque intentionem dirigebant, vt educarent fructum, Dei ministerio consecrandum. In quam eandem spem secundum filium literis tradiderant erudiendum. Cumque corpore magis, quàm spiritu proficeret, magisque seculo quàm claustro idoneus videretur, neque pio parentum desiderio eius indoles satisfaceret, patre pleno dierum iam è viuis sublato, ingemuit bona mater, quòd secundus ille filius voto suo minimè responderet: vtpotè non plantatus à Deo patre, nec destinatus ad opus tam admirabile cui seruabatur sanctus ipse Petrus, tunc temporis adhuc tenellus, & vix sex annos natus.

*Pia parentũ eius conuersatio.*

*Puer Cælestinus senex moribus.*

Proinde, quis optimam eius indolem, quis senilem in puero prudentiam satis dignè admiretur? Iure sanè de illo poëticum istud dixerimus, Ante senem senuit, vir fuit ante virum. Itaque puer Cælestinus non modo coætaneorum, aut etiam senum antecedebat sapientiam: verum etiam Angelicum & cæleste nescio quid ac diuinum ab ipsa spirauit infantia. Piis ergo matris deuotæ suspiriis, lacrymosisque precibus, non defuit cælestis ille consolator: qui propè est omnibus inuocantibus eum in veritate. Grandescentem enim tam virtute quàm ætate puerulum mater circunspiciens, optimam de eo spem concipit, & inspirante Deo, hunc suum Ioseph literis curat imbuendum: licet secundus alter filius eius (cuius supra meminimus) adhuc degeret in cœnobio. Enimuerò ne ab incepto opere tam fœlici desisteret pia mater: defuncti prohibuit mariti apparitio. Sequenti enim nocte illius diei, quo puer in scholis proficiens iam legere incipiebat, defunctus Cælestini pater cuidam vicinæ commatri suæ in somnis apparens, his verbis eam allocutus fuisse visus est. Decreuit (inquit)

*Mater Cælestinum destinat literis.*

vxor filium meum Petrum literis instituendum curare, rem vtique multis fœliciter successuram. Dic ergo ei nomine meo, si aliquando me dilexit, vt suum erga me in hoc filio ostendat amorem, & quod bene incepit, constanter exequatur.

Necessaria prorsus hæc admonitio fuit: cùm ipsa mater iam hæsitaret, & multis Sathanæ impugnationibus propemodum expugnata, ferè ab incepto reuocaretur. Præuidens enim antiquus ille serpens futuram pueri magnitudinem, damnumque sibi ab ipso inferendum: conabatur & per semetipsum latenter, & per suos apertè, nascentia religionis germina extirpare, sanctumque matris auertere propositum, nunc puero suadens abducere animum à literarum studiis, nunc fratres in eius accendens odium, velut olim filios Iacob, in Ioseph fratrem suũ. Exprobrabant enim fratres eius matri, quòd cæteris labori & sudoribus destinatis, iam duo filij otio vacarent, vnumque ex familia satis esse ad Clericatum, multaque huiusmodi piæ matri obiiciebant. Rursum quidam vicinus diues puero blandiebatur, pollicens se in hæredem suum eum adoptaturum, si statum assumeret secularem: hoc suadente Sathana, vt à cælestibus ad terrestria puer conuerteretur. Accessit & Magus quidam, aut verius dæmon in corpore phantastico matri suadens, vt à studio filium auocaret, alioquin citius è vita migraturum: ideóque præuentum morte, non futurum seruum Dei: quapropter minimum potiùs erudiendum curaret. Hæc & alia malignus ille serpens, omnium bonorum inuidus, & mendax, ab initio cogitauit consilia, quæ tamen non potuit stabilire. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

*Diabolicus natus ad reuocandum à literis Cælestinum.*

Porrò cum puer totus cælestis, & cælestibus intentus, sapientia supra ætatem proficeret, Deo simul & hominibus placens: cúmque à fabulis & ludo, puerilibusque nugis abhorreret; seriis autem senum documentis, ac prædicationibus diligenter attenderet, denique cùm Dei præcepta fideli commendata memoriæ, matri, sicut audierat, enarraret, quasi de bono cordis thesauro bona proferens, addens etiam se velle fieri bonum Dei seruum: mirum in modum matris animum ad prosequendum inceptum impulit. Quam ob rem ipsa tam visione mariti sui nocturna, quàm his filij sui incitamentis persuasa, & in hoc suo proposito confirmata est, atque id in memoriam reuocans, quòd cùm infantem esset paritura, ipsum Religiosa veste indutum in somnis præuidisset. Itaque bona mater exultauit in Deo salutari suo: adeoque stabilita est in sancto proposito, vt nullo modo potuerit ab intentione diuelli.

*Mater omnino assẽtit Cælestinum studiis immorari.*

*Cælestinus prædicit matri, se vellẽ esse seruum Dei.*

Itaque paucos dies puer in schola versatus, psalterium (vt erat docilis) protinus legere didicit: cumque ex ingenita deuotione, Cruci Dominicæ sæpius adstaret, frequentem ab ea consolationem accepit: nonnumquam etiam videns inter preces, beatissimam Virginem Mariam, sanctumque Ioannem Euangelistam ad se inclinari, & secum dulcisonos psalmorum modulos concinere, accepto ab illis psalterio de ipsius pueri manu. Quin etiam Angelos per somnum sibi videbat assistere, veluti pædagogos, eum commonentes, & leniter increpantes, si quid pueriliter, inter pueros, aut fecisset, aut dixisset. Quæ cum puer in columbina simplicitate ambulans aliquando referret, mater admirabunda simul, & prouida vetuit, ne cui ipse talia postea temere recenseret. Perseuerauit ergo mater in instituto suo, tametsi renitenti

*Maria, & Ioannes Euãg. psalterium concinebant cum Cælestino.*

*Angeli, Cælestini pædagogi.*



renitentibus præ inuidia fratribus, ac dicentibus, rem familiarem ad eum instituendum nequaquam suffecturam. Ipsa nihilominus de modica substantia sua bonam & maximam partem ad hoc munus contulit. Quid plura? Viderat in somnis mater filium Petrum multas oues instar niuis candidas pascentem, quod visum ex ipsa re interpretata, quasi ouium pastor futurus esset filius, & non religiosus, grauiter ingemuit, quod sua inanis esse videretur de filio expectatio. At Petrus annum tunc agens duodecimum, relatum sibi à matre somnium, sub alterius & non sua persona, illud prophetico spiritu interpretatus est. Nempe illum quem in somnis mater viderat pastorem, futurum multarum animarum simplicium & innocentium quasi ouium niuearum rectorem. Qua coniectura, matris perturbatio in admirationem, admiratio in consolationem est conuersa.

*Mater videt in somnis filium fore pastorem.*

*Cælestinus somniũ matris interpretatur.*

## *De miraculis à Petro Cælestino in pueritia factis, quæque matri ac parentibus eius successerunt.*

### CAP. II.

AD maiorem matris consolationem, fideique & expectationis suæ confirmationem, Dominus signa addidit. Cùm enim bona mater anno suæ ætatis trigesimo graui morbo dextri lateris laboraret, ita vt illius iam præmortuæ partis omni vsu & vigore careret: Deo deuota mulier, in sua ægritudine seipsam non despiciens, orauit Dominum, & mox eam curauit. Nam ad sacrum quendam locum peregre profecta, cùm ibidem in oratione pernoctasset, pristinam vna nocte sanitatem recepit.

*Mater Cælestini miraculosè sanatur.*

Petrus ipse adhuc trium annorum, cùm fortè in præacutum lignum oculum dextrum illisisset, ita vt desperato medicorum auxilio, eius lumine penitus orbaretur, tunc fidelis mater, ab humana ope, ad diuinam (vt solebat) refugit, atque de matre lucis æternæ, hoc est, de Maria matre Dei confidens, in eius templum puerum trium annorũ attulit. Quid præterea? Rem audite fratres, magna admiratione dignam. Pia mater noctem diei iungens, in orationibus peruigilat, quas lacrymis aspergens, vacuas abire non voluit. His enim orationibus permulsa misericordiæ mater, hisque lacrymis quodammodo compulsa, optatum oranti subsidium impendit. Puero enim prius excæcato, mox adeo lumen perfectum instauratum est, vt ne macula quidem, nec vulneris vestigium appareret.

*Cælestinus tres annos natus amissum oculi lumen recuperat.*

Prædicta autem signa forsitan magis ad matris meritum, quàm filij referenda putes. Audiamus igitur etiam de filio. Quidam ex germanis fratribus Cælestini iam adultus, cùm in agro metereti, ad aristam tritici pupillam oculi illisit. Vnde multis postea diebus doloris acerbitate lugens, & huc atque illuc cursitans, nullam opem ac medicamentum inueniebat. Afflicta de filio mater ad solitum virginis subsidium conuertitur, & sub intempestæ noctis silentio peruigil, multis lacrymis matrem pietatis orat, vt isti quoque filio suum restituat oculum, sicut & alteri priùs. Quod factum est. Statimque vbi illuxit dies, aduenies Petrus, & oculum fraternum inspiciens, impressam altius festucam, digitis apprehendit, eamque facillimè foras eduxit, tametsi prius nulla poterat industria euelli: ac protinus sine vllo alio medicamine fratris oculus integræ sanitati restitutus est.

*Cælestinus excæcatum fratris oculum sanat.*

Nec minori dignum est admiratione quod sequitur. Cùm enim longa & dira fames patriam infestaret, adeò vt paupercula Cælestini mater, tantæ familiæ alendæ ne pugillum quidem haberet farinæ: illa præ angustia spiritus gemens, ad consuetum diuinæ misericordiæ asylum refugit: tandemque post orationem in spiritu consolata, bonam spem concipit. Imperat filio suo Petro, vt accepta falce in agrum se conferat, ad messem faciendam: forsitan (inquiens) misericorditer nobiscum aget misericors & miserator Dominus, forsitan dabit escam timentibus se. Porrò nondum maturuerat seges, sed adhuc messis in herba erat, quamobrem dubius diuini consilij filius, & rem tacitè considerans, aliquantulum profectionem distulit, quasi incassum esset laboraturus: tandem diuinæ bonitati confidens, paruit matri iubenti, & cùm in agrum peruenisset, tantum præmaturæ frugis in eo inuenit, quantum domui necessarium erat.

*Tempore famis Cælestinus messem præmaturam impetrat.*

Quia verò panis mentio incidit, non importunum videtur aliud quoque miraculum eius rei subnectere. Religiosa Cælestini mater, sanctorum solemnia diligenter obseruare consueta, cùm die festo beati Ioannis decollationis (quia postridie panem erat pistura) sero fermentum præpararet, aquamque infunderet farinæ, remordente forsitan conscientia timorosa, quòd opus seruile faciens, irreuerentius diem festum coleret, accidit vt tota farinæ massa vermibus protinus conspergeretur. Quo casu pia mulier consternata, in terram procumbit, peccatum fatetur, veniam obsecrat & implorat, moxque placato sancto, vel potius ipso Deo, farina pristinæ formæ restituitur: atque dum illa culpam agnouit, Deus ignouit. Quo factum est, vt deinceps cautius ac reuerentius festa excoleret.

*Mater Cælestini pristinæ formæ farinæ corruptam restituit.*

## *De amore solitudinis, & secessu eius in Eremum.*

### CAP. III.

SANctus autem adolescens sub exteriore quidem magistro proficiebat supra coætaneos suos, sed longè amplius sub interiore: sub eo scilicet qui docet scientiam, qui scientiarum Dominus est, & qui nisi intus doceat, lingua doctoris exterius in vanum laborat. Ideo summus ille præceptor de semetipso dicit: Non vocemini magistri (inquit) quia magister vester vnus est Christus. Huius igitur magistri interioris vnctione edoctus Cælestinus, humanæ conuersationis corruptelam super omnes docentes se, (homines dico) intellexit: totumque mundum in maligno esse positum. Itaque vix adultus corpore, dum perspicaci prudentiæ oculo tres inimicorum species quasi tres Chaldæorum turmas, mundum scilicet, carnem & diabolum aduersum se imminere conspiceret, noluit moram facere inter homines longiorem. Quapropter ad Eremiticam solitudinem toto desiderio anhelans, cœpit dicere cum psalmographo, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? At verò inimicus præclaram adolescentis indolem, futuramque eius magnitudinem considerans, leuibus eum tentationum præliis veluti quodam belli præludio iam deterrere incipit. Adolescens autem prudentiæ suæ non innixus, sed ætatis iuuenilis conscius: magistrum desiderabat & ducem, cuius doctrina ac consilio per inconsuetum iter tutus ambularet, declinans ab inimicorum insidiis. Verùm cum talem in promptu consiliarium & ducem inueniret neminem, ad vicesimum vsque ætatis suæ annum sanctum propositum distulit. Reperto tandem

*Cælestinus Dei magisterio edoctus.*

*Mundi cognoscit malignitatem.*

*Desiderat ducem Religionis.*

*Inuenit comitem.* dem socio cuidam (vt putabat) fideli, suum aperit A desiderium. Ne quid autem temerè aggrederentur, consuluit Cælestinus vt Romam proficiscerentur, consilium à sapientibus & prudentibus accepturi. Acquieſcit socius,& ambo se itineri accingunt. Vix autē primum diem ambulantes compleuerant: cùm socium illum leuem, tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ, ex dulcis patriæ parentumque recordatione cœpit pœnitere sui huius sancti incepti: sicque vt Luna mutatus receſſit respiciens retro, cum vxore Loth.

*Cælestinus deliberat Romam proficisci.*

*Socius inceptum iter relinquit.*

*Solus ad castellum Fangri peruenit Cælestinus.*

Petrus autem vt petra solidus, sanctique tenax propositi, solus pergens cœptum iter, ad castellum Fangri peruenit hora nona, serenaque die. Cùm verò proximum castello flumen pertransiret, gra- B uis eum procella in medio pontis repentè inuasit. Vnde turbatus paululum subsitit, & retrogressus beati Nicolai templum non longè hinc distans introiuit, vt orationi incumberet, mansitque paucos dies ibidem: donec audiuit in monte proximo esse Eremitam, ad quem summo desiderio accessit, solitariæ vitæ præcepta ab eo suscepturus. Verum à spiritu prohibitus est sua ei secreta communicare (quippe qui sanctitatis simulator, solum habitum, non autem cor religiosum gereret,) viso homini & salutato, pauca verba locutus, significauit tantùm se Romam proficisci, statimque ab eo receſſit. Postridie autem illius diei cum Eremita à monte re-

*Anachoretæ cuidā secretū suum aperire non vult.*

*Damones ipsi apparent in forma speciosissimarum mulierum.* ceſſisset, Petrus illuc rediens, duas eximiæ pulchri- C tudinis mulieres habuit obuias, ipsum iuuenē quasi stupam igne libidinis accendere molientes. Illis autem crucis signaculo euanescentibus, cellam Eremitæ tunc absentis ingreditur, duos secum panes duosque pisces tantum habens, quibus decem ibi diebus sustentatus est, experimentum ex tunc faciens, quod non in solo pane viuit homo.

*Duobus panibus & totidē piscibus decē dies in monte sustentatur.*

Cùm autem dies decem, ac noctes totidem indefessè orans, illic transegisset: tandem obdormienti ipsi cœtus Angelorum sanctorumque dulcissimè psallentium, & iubilantium assistere visus est, quorum quilibet rosam purpuream ore gerebat. Quam cælestem harmoniam non solum dormiens, sed etiam expergefactus audiuit, non sine multa D consolatione: nimirum Domino ei propinante lac dulcedinis suæ, vt nouus solitudinis habitator alliceretur ad eius amorem.

*Cælestino dormienti assistētes Angeli concinebant.*

## *De eius transmigratione ad alium tutiorem locum.*

### Cap. IV.

EXactis in hac cella decem diebus, alius in alio monte locus per visionem Cælestino ostenditur, quò transire deberet: ne rediens ille memoratus hypocrita, suum eius puritati infunderet venenum. Transtulit ergo eum Dominus, ne malitia E pseudo-Eremitæ immutaretur cor illius, in alium montem, in quo sub eminenti saxo paruulam sibi speluncam effodit, instar sepulchri: corporis sui non amplius capacem, quàm vt in ea tantum erigi & extendi posset: cuiusmodi de beato Hilarione testatur Hieronymus. Præmonitus autem nouus Christi miles, quàm graui esset colluctatione certaturus aduersus aëras potestates, prius intestinum hostem ac domesticum, id est, carnem, studuit incredibili subuertere ieiunio atque abstinentia, vt facilior de aliis victoria succederet. Asperrima igitur abstinentia triennio carnem illic edomuit, variis interim insultibus dæmonum infestatus: quos Dei brachio fretus ad nihilum redegit, eorumque tandem victor euasit.

*Habitat sub eminēti saxo.*

*Corpus ieiuniis macerat.*

Diuina si quidem bonitas amarissimæ tentationis absynthium, crebro internæ cōsolationis melle dulcorauit, vt faceret etiam cum tentatione prouentum. Singulis enim noctibus campanæ sonum audiebat: quo excitabatur ad vigiliam & orationem media nocte, vt confiteretur Domino in voce exultationis. Quod cùm non modico tempore contigisset, vidit hostis, & inuidit: scienſque à vicinis ob sanctitatis opinionem beatum Petrum frequentari, misit aliquem, qui suggereret ei, gallum gallinaceum alteri cuidam Eremitæ nocturnas horas significare solitum esse: inde persuadere cupiens, vt vnum similiter D. Petrus in hunc haberet vsum. His proinde colloquiis cum adesset quædam mulier, se gallum pulchrum allaturam viro sancto promittit. Quo quidem allato & recepto, factum est vt sanctus vir, curiositatis pœnam exoluens, tam sono campanæ diuinitus audiri solito, quàm galli cantu, quem se auditurum sperabat, omnino careret: eruditente illum cælesti magistro, melius esse confidere in Domino, quàm confidere in homine. Sanctus autem iuuenis suum errorem animaduertens, veniam cum lacrymis exposcit, gallumque reddit: protinúsque amissum campanæ beneficium ex integro recuperat. Superna tamen pietas ita castigatum non sine consolatione reliquit.

*In Eremo degens sono campanæ ad orationem sequentis noctis diuinitus excitatur.*

*Gallum gallinaceū accipiens, tam sono campanæ, diuinitus audiri solito, quàm galli cantu priuatur.*

*Spe humani auxilij, diuinum minimè spernendum. Amissum campanæ beneficium recuperat.*

Nocturnis enim sacræ psalmodiæ laboribus nihilominus occupatus, quamuis solus esset, duobus tamen aut pluribus splēdidè vestitis secum modulantibus associari videbatur. Quos quid aliud dixerim esse, quàm Angelicos spiritus, qui psallentem excitarent, eumque præuenirent? Antiquus autem hostis, curiosus benè viuentium obseruator, laqueos illi perpetuo tendere non desinebat. Vigilanti enim & item dormienti duarum mulierum formam obiiciebat, elegantem admodum, quas in seculo vir sanctus aliquando conspexisset. Quin & earum vnam vtrinque ad latera dormientis collocabat, nudam quidem eam, pellicientemque sanctum iuuenem ad turpia, & quasi vim inferentem: integer autem adolescens ebullientem iuuentutis flammam ieiuniis adeò extinxerat, vt ceu marmor quoddam immobile frigidum ac durum, nec igne præsenti incalesceret, nec vanis illecebris emolliretur. Quid serpentum, stellionum, ac scorpionum infestationes referam? Intrabāt in dormientis sinū, carni adhærebant, nec tamen ab eis offendebatur. Laxato enim cingulo excutiebantur in terram, dum excitatus eos persentiret. Itaque in omnibus his vanis & phantasticis terriculis victor euasit. Sicque per aduersa tentationum, & prospera consolationū, noctes atque dies, eodem vultu & animo perseuerans, inuictus Dei miles, cum patientissimo Iob, æquè bona de manu Domini, ac mala cum gratiarum actione suscipiebat.

*Angeli comites Cælestini.*

*Illusionem à dæmone Petro ingestā.*

## *De Sacerdotio eius, & accepto Ordine D. Benedicti, quoque pacto postea secesserit in montem Murrhonis.*

### Cap. V.

EVOLVTO in hac spelunca angustissima triennio, à plerisque heroicam & propè diuinam eius sanctitatem admirantibus, persuadetur ad ordinem sacerdotij suscipiendum: quibus vir humillimus, humillimè etiam de se sentiens, diu multúmque reluctatus, tandem acquieuit. Itaque dilatum hactenus iter, quod Romam instituerat, rursus

*Fit Sacerdos.*



*Fit Sacerdos.* sus aggressus est. Quo cùm peruenisset, sacerdotij A gradum, simul & gratiam meritò percepit. In reditu autem, apud Monasterium beatæ Mariæ de

*Monasterium de Fœsulis.* Fœsulis, tunc temporis tam regulari disciplina, quàm opibus egregium, multa charitate susceptus est: atque illic religiosa fratrum sub Diui Benedicti magisterio militantium conuersatione ædificatus,

*Monachalem habitum suscipit.* monachale schema habitumque suscepit. Ibi autem solita monasterij probatione & igne tentationis iampridem examinatus, sub obedientiæ iugo, & contra diabolum pugnare eminus non tam humana eruditione, quàm diuina vnctione sufficienter edoctus erat. Quapropter ex fraterna acie ad singularem Eremi pugnam duce spiritu iterum rediit, ad altiora multo & arctiora vitæ instituta suspi- B rans, quàm in communi obseruatione fratrum reperisset. Petito igitur & obtento migrandi ad Eremum commeatu, ad Murrhonis montem secessit,

*Ad Murrhonis montem secedit.* diuulgatam nimis in priori loco sanctitatis suæ famam declinans. Porrò in eo monte ingens crypta

*Fugat draconem.* erat, ab immani Dracone occupata, quam vir Dei sibi gratam, & veluti à Deo constitutam, pro sua habitatione seligens, primo statim aduentu suo, pestiferum habitatorem odore suæ sanctitatis exterminauit. Victus itaque serpens, tantique hospitis aduentu perterritus, ab eo loco penitus discesserat. In eo igitur monte beatus Petrus ieiuniis arctissimis, orationi assiduæ, cæterisque tam corporis, quàm animi exercitiis inuigilans, quinquennium C exegit, lactea diuinorum vberum consolatione perpetuo sustentatus.

Cùm verò popularem gloriam quasi venenum exhorresceret, magisque appeteret solitudinis vastitatem, longissimè ab omni hominum accessu remotam, videretque Missæ celebrationem populum ad se allicere, tanto quoque officio tamque stupendo se reputans indignum, ab altaris oblatione decreuit abstinere. Nihil verò temerè ac sine peritorum consilio definire cupiens, nolensque propriæ inniti prudentiæ, Romam sapientibus fœcundam, consilij causa, iteratò pergere constituit, dilatoque aliquandiu propter niuium, hyemisque asperitatem proposito, cùm aduentaret dies itineri destinata, D nocte præcedente videre visus est in somnis duos fratres proficiscenti sibi occurrentes, quos salutans, cùm interrogasset de via, nihil respondentes eum derisere. Vnde contristatus, eis relictis matronam rursus sibi factam obuiam similiter interrogauit de via: quæ etiam subsannans, Dominum, (inquit) ante iter rogare debuisti, cùm adhuc eras in crypta. Expergefactus vir sanctus, & recordatus somnij, cognoscens quia inconsultius se committere vellet viæ, ad orationem totus conuertitur, in

*Apparet ipsi in somnis Abbas, à quo sanctæ cōuersationis habitum susceperat.* qua cum per noctem obdormisset, apparuit illi ante altare sanctus & venerabilis Abbas, à quo religionis habitum & diuinæ conuersationis mores acceperat, albis indutus. Ipsum autem salutans, E & orationis petens suffragium, cùm subitò receſſurus videretur, paululum remoratus est, eum per Deum viuum adiurans, vt quid in hac rerum ambiguitate foret agendum, paucis explicaret. Ille sic adiuratus, & retentus, fixit pedem, & oblationem salutarem ne omitteret persuasit. Obiicienti autem Petro, sanctissimos patres, Benedictum institutorem Monachorum sapientissimum, & Antonium illum magnum, ac Seraphicum Franciscum, cæteroſque quamplurimos tanto se ministerio reputasse

*Monetur ne ab altaris sacrificio abstineat.* indignos, se autem vermiculum esse, ac peccatorem abiectissimum. Tum ille: Quis (inquit) ô fili, vel Angelus satis hac maiestate dignus? Sacrifica fili, sed sacrifica cum timore, ac reuerentia. Quibus dictis statim euanuit. Excitatus autem à somno, mox quendam sanctæ conuersationis Monachum se visentem lætus excepit: cui tanquam Dei vicario solebat confiteri, & conscientiæ vulnera, si qua timoratus vir persentiret, reserare. A quo prædictis conformia intelligens, confortatus in Domino, interpolatam sacrificij oblationem repetiuit.

## *De habitatione Magellæ montis, & loci asperitate.*

### Cap. VI.

PEracto in monte Murrhonis (à quo est cognominatus Petrus de Murrhone) quinquennio, B cum adiacentibus syluis in circuitu cæsis, frequens esset habitatio montis, & ita frequens, vt iam non amplius Eremi solitudo, sed illi ceu quædam ciuitas videretur; beatus vir turbam fugiens, secretique silentij appetens dulcedinem in Magellæ montem demigrauit duobus cum discipulis: quo in loco sub inaccessa quadam & imperuia spelunca mansionem constituit. Porrò fratres horrida nimium solitudine deterriti, ab eo paulisper receſſerunt: sed suauissima eius consuetudine, & doctrina diu carere non potuerunt: eumque paulo post repetentes, magis cæleſtem cælestis hominis conuersationem in aëris & loci asperitate, in fame & siti elegerunt, quàm vel amœnissimi campi, deliciarumque secularium iucunditatem. Quapropter mox reuersi ad Eremum, tam indiuiduo charitatis vinculo ad inuicem connexi sunt, vt cùm esset corporum trinitas, vnitas tamen videretur animorum. Speluncam autem illam loci quidem breuitate angustam, at multa cordium charitate latissimam, non alto, non ambitioso & sumptuoso muro clauserunt, sed frutetis & dumis. Quales verò domos, aut quales cellas extruxerunt? Paruulo tugurio quasi solam noctem duraturo, velut sequenti luce discessuri, contenti erant, scientes quia peregrinamur à Domino.

*A monte Murrhonis dictus est, Petrus de Murrhone.*

*Habitat in monte Magellæ sub inaccessa & imperuia spelunca.*

*Vilitas cellæ viri Dei.*

Interea ab humanis oculis sequestrati, diuinis & Angelicis erant manifesti. Hanc verò mutuam fratrum charitatem, ægrè ferens discordiarum pater Sathanas, molitus est tam vnanimiter congregatos fratres disgregare, phantasticum ignem oculis eorum obiiciens, vt tota in circuitu spelunca ardere videretur. Factum autem id mense Iunio, cùm maximè æstuaret ac feruret sol: vnde poterant eorum dumeta igne modico succendi. Conturbati igitur tanto igne fratres beatissimi Petri socij, huc illúcque cursitant: quò se vertant nesciunt, in sola fuga salutem credunt esse repositam, & quicquid habent mobile, foras secum tollunt, sancto exprobrantes, quòd eos in hunc adduxisset locum, in quo præ importunitate nequeat haberi humani auxilij consolatio. Constans verò Petrus, & in Christo solidatus, nihil hisce ludicris permotus est, non enim ignorabat cogitationes & astutias diaboli, similemque fraudem patri beatissimo Benedicto intextam fuisse discedentibus etiam ab eo sociis.

*Diabolus suscitat ignem phantasticū.*

Permanens itaque sanctus, etiam (inquit) si corpus meum ardeat, non discedam. Vnde factum est, vt tanti viri constantia peruicaciam hostilem confuderit: tamque ardens intus veræ charitatis flamma, fallacem flammam, perstrictis & seductis aliorum oculis foris apparentem, penitus extinxerit. Quod vbi animaduerterunt fratres, protinus redierunt, modicam fidem suam, & charitatem damnantes, quod ita facilè diabolicæ machinationi succubuissent.

*Constantia Cælestini.*

Verumtamen non pauci ex ſeculo deuoti, ſpiritalis conſolationis gratia ad ſanctum confluentes, habitationem hanc horridam, & accedentibus minimè peruiam relinquere ſuadebant: quibus, vt manſuetus erat, & humilis corde, manſuetis quoque verbis & humilibus reſpondit: Tum demum facilis(inquit) & gratus erit accedendi labor, cùm accenſus à Deo fuerit in vobis feruor deuotionis. Quod quidem ſpiritu prophetico dictum poſtea adimpletum eſt. Nam ex iiſdem, qui hoc conſulebant, multi ſolitudinis deſiderio certatim ad eum accelerarunt: quos humilis pater, ſe indignum tali reputans magiſterio, in ſuum contubernium ducatumque aſſumere plurimum recuſauit, ſuam illis aperiens mediocritatem. Precibus tandem eorum victus, & charitate Dei non quærente quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, compulſus, vt eos Domino lucraretur, & ſecum diuino ſeruitio manciparet, inſtantibus acquieuit: atque ita non paucos tandem in monaſticæ vitæ conſortium aſſumpſit.

*Concurſus hominum ad Petrum Cæleſtinum.*

---

*Quod Spiritus ſanctus locum Magellæ ſibi elegiſſe ſignis, portentiſque demonſtrauerit.*

### CAP. VII.

*Mons Magellæ Cæleſtino gratus.*

PORrò ſedem hanc Magellæ ſibi præ omnibus gratam & electam fuiſſe, Spiritus ſanctus prodigiis euidentibus conteſtatus eſt. Vt primum enim cœpit ab hominibus ſanctitatis gratia illuc commeantibus frequentari locus, apparuit columba, familiariter inter eos obambulans & volitans, dum ſacra pſalmorum verba, & diuinæ laudis cantica reſonarent. Permanebat eadem in oratorio tam aſſiduè, vt ne præſentibus quidem ipſis fratribus auolaret: ibique paſcebatur, vbi poſtea maius altare ſitum eſt. Cùm autem inter Miſſarum ſolemnia curioſus quidam frater familiarius appropinquantem apprehendere niteretur, non potuit: ſtatimque columba diſparuit, offenſa carnalis fratris leuitate. Apparuit autem quod dictum eſt modo, tribus annis: certiſſimum exhibens indicium, locum hunc triſagiæ diuinitati à Spiritu ſancto præparatum eſſe, & conſecratum. Vnde quam auguſtiſſimum potuere templum, ibidem Spiritui ſancto extruxerunt: ad quod longinquis ex partibus ingens hominum fiebat concurſus. Ex quibus non paucos vir ſanctus à ſeculi vanitate conuertit ad veritatis lucem, ſuggerente ſermonem Spiritu ſancto, & eum confirmante ſequentibus ſignis, quorum nonnulla in medium proferre non abſurdum puto.

*Columbæ apparitio.*

*Columbæ apparitionis ſignificatio.*

*Extruit templum ad honorem ſancti Spiritus vir Dei.*

Acceſſerunt ad D. Petrum è vicinia nonnulli, cum quibus eo loquente ſermones Dei, ſucceſſerunt & alij à remotis procul finibus: quos vt aduẽtare præſenſit vir ſanctus, ſpiritu & vehementiori quodam affectu inardeſcens, repentè prioribus valefecit, & ad poſteros conuerſus, eos mira cordis exultatione ſuſcepit: vt pote quos à Deo vocatos & electos in ſpiritu prænouiſſet. Oratorium igitur ad gratias Deo reddendas introiens cum illis, primum (inquit) Deum laudemus, & mutua ſubinde conſolatione fruemur. Erat autem hora diei nona. Eccleſiam itaque intrant, diuinis laudibus incumbunt, Pſalmodiam emodulantur, iubilant Deo ſalutari ſuo.

Audite mirum. Diuinas vna laudes non tam oris quàm cordis voce reſonantibus illis, ſonus mirabilis, quaſi multarum grauiumque campanarum auditus eſt. Cùm verò locus tam longè ab hominibus remotus eſſet, vt nulla inde campana audiri poſſet: duo fratres mirabundi foras exiere, vt locum, vbi tantus ille ſonus fieret, ſcrutarentur. Qui arrectis auribus, oculiſque in altum ſublatis, qua parte ſonus prodiret, diſcernere nequeuntes, ad ſanctum patrem reuertuntur, quid de illo ſono ſentiret inquirentes. At ille diuinam adeſſe gratiam agnoſcens, non longè (inquit) remotus eſt locus. Poſtmodum ſedens cum illis, & dulcia de cæleſtibus verba conferens, ad veſpertinam vſque ſynaxim ſermonem protrahit: vnde fit vt igneis verbis eorum inflammaret præcordia, ſecularem affectum exurens, & diuinum inducens, illuminanſque tenebras eorum, vt agnita mundi vanitate, veritatem agnoſcerent. Porrò agnitam veritatem ſequi non differunt: ſed mox temporalia cæleſtibus, fugitura permanentibus commutantes, quæcumque poſſident pauperibus elargiuntur. Prædictus autem campanarum tinnitus audiebatur ab eis noctu, & diu, ad tertiam vſque diem, donec abirent: præſertim inter celebrata diuini officij myſteria. Sed & deinceps illi reuerſi ad tempus in ſeculum, non corde, ſed corpore, de rebus ſuis diſpoſituri, ſonum illum toties audierunt, quoties à ſecularium conuerſatione ſegregabantur, incredibilem animi corporiſque conſolationem ſentientes. Corporis autem conſolationem audite.

*Sonus cælitus demiſſus.*

*Cæleſtini ad ſuos diſcipulos exhortatio.*

Quidam ex prædictis viris dormiens noctu, cœpit vociferari, & ſurgens, huc atque illuc in ſomno vagari, vt retineri non poſſet. Alius nocturnis pollutionibus, dæmonio illudente, ſic affligebatur, vt ſingulis ferè noctibus pollueretur: ſed eorum vterque, auditis campanis, protinus à ſua conualuit infirmitate. Inſuper & hunc ſonum audierunt non pauci de vicinis locis ſeculares, vtpote deuoti. Iſtud quoque dignum eſt admiratione, quod fratres, qui aderant, audiebant quidem omnes, ſed modo longè diſpari. Nam aliis dulcius & clarius inſonabat tinnitus, aliis autem minus, pro varia cuiuſque diſpoſitione, non quidem corporis, ſed animi aurium. Ipſi ſane Petro, in ipſius Dominici corporis eleuatione, dulcior quædam campana inſonabat, & hæc ab eo in certo loco eſſe percipiebatur. In aliis autem locis duæ, quandoque plures, in aëre ſuſpenſæ ab eodem ſpectabantur. Nec tantum campanarum ſonitus eſt auditus: ſed etiam & pſallentium inuiſibilium voces adeo diſtinctæ, vt ſingula verba caperentur, & hoc quidem nunc in oratorio communi, nunc in recondita ſancti patris cellula. Sed quorſum hæc, niſi vt palam fiat Ordinem iſtum præ cæteris electum fuiſſe ad diuina? Ad quæ ritè perſoluenda eo feruentius inſiſtant & alacrius Ordinis iſtius profeſſores, quo ſpecialius inauditis hactenus prodigijs, ad id ſe nouerint euocatos. Sed & audite alia prodigia.

*Soni auditio ſanat infirmos.*

*In corporis Chriſti eleuatione inuiſibilium pſallentiũ voces, & campanarum dulces ſonos audire conſueuerat vir ſanctus.*

*Ordo Cæleſtinorum præcipuè ad diuina electus.*

Beati Stephani Protomartyris feſtum celebrabatur, inſtabatque ſancti Ioannis Euangeliſtæ ſolemnitas: ad quam dignè celebrandam pius pater veſperi fratres ſuos inuitauit: copioſiorem illis cibum pollicitus, vt alacriores ad opus Dei redderet. Fratres itaque ad vigilias temperius conſurgunt: Deo dilectoque eius diſcipulo debitæ penſum ſeruitutis exoluentes: deinde cubicula repetunt, & ſomno ſenſus releuant fatigatos. Dormientibus autem illis, pater, more ſuo, in oratione perſiſtit: donec ſopore oppreſſus, ſuper nudam tabulam recubuit, qua vice lecti quotidie vtebatur. Tunc ſemiſopitus, vel vt ſibi videbatur, excitatus in oratorio Pſalmos audiit decantari. Inter multos autem pſallentes, ſancto apparuerunt & pueri: inter quos præeminebat vnus, vocem emittens, quaſi vocem tubæ.

*Vice lecti in nuda tabula recumbit vir Dei.*

Expleto



Expleto deinde officio chorum exeuntes, gradum ante crucem fixerunt: cuius in laudem hymnum cecinere ſuauiſſimum. Poſtremo, is qui præeminebat, ad beati patris cellam conuerſus, abſtinete, inquit, abſtinete, confeſtimque diſparuere. Quid ſibi vult iſtud fratres, niſi vt moneamur ſacras ſolemnitates cum exultatione animi, non corporis celebrare: nec lautioribus epulis ventrem infercire, ſed mentem cæleſtibus & Angelicis donis explere?

*Quomodo ſolemnitates celebrandæ.*

Rurſus idem pater alia nocte ſuper eandem tabulam quieſcens, Miſſam in oratorio celebrari à quodam videre viſus eſt, & primum paucis aſſiſtentibus, deinde plurimis candidatis, quaſi millibus millium, & decies centenis millibus celebranti miniſtrantibus, oratorium impleri. Porrò in dextro altaris cornu ſacerdos ſtans, ſpeciem Abbatis præferebat, Petro tamen ignotus, quem percontatus pater, quis eſſet, recogitans, Spiritum ſanctum eſſe ſuſpicatus eſt.

Proinde in Dominici corporis eleuatione terribilis cuiuſdam campanæ ſonus omnes humi proſtrauit, & proſtratos ad altare traxit. Quin & pater excitatus, etiam hunc vehementem ſonum audire viſus eſt. Sonabat vtique beato patri, & apertiſſimè: vtpotè qui cor ſuum circumciderat, quique omnes exuerat carnis illecebras, vt ſolo ſpiritu viueret. Quapropter diuinæ harmoniæ ita aſſuefactus erat, vt eam æquè vigilans audiret, ac dormiens.

---

*De templi dedicatione, quod D. Petrus incolebat.*

### CAP. VIII.

VErum ad aliam (vt cætera percurram) properemus viſionem, de ipſius videlicet templi dedicatione admiranda. In aurora diei ſedens D. Petrus librum legebat in cella, & ecce foris, iuxta cellæ feneſtram, aliquot iuuenes facie decoros videre viſus eſt, ſibi inuicem dicentes, dedicemus ædem hanc: ac protinus eam circumeuntes, officiũ cecinere dedicationis: exiſtente & canente, vt ſibi videbatur, cum illis Petro.

*Apparitio in templi dedicatione facta D. Petro.*

Et hoc quidem ipſe raptus ſpiritu faciens plurimum admiratus eſt apud ſe dicens. Quid eſt hoc, inquit, dormio an vigilo? Adhuc enim ob rei nouitatem dormire ſubdubitabat. Aperto deinde libro, literis manum admouebat: clara namque dies illuxerat, nec poterat phantaſma videri.

Finito proinde officio dedicationis, ſe delicatiſſimo pretioſoque veſtimento veſtitum animaduertit, quo tamen ſe prius indui non ſenſerat: atque hinc facilè percipimus quanta fuerit apud Deum viri ſanctitas. Et quoniam teſte Poëta, Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides: ne dedicatio hæc tam miranda in dubium aliis veniret, ſciendũ eſt virum quendam auguſtæ formæ & ſpecioſæ, die Dominico cuidam apparuiſſe, dicentem, Oratorium hoc noueris eſſe à Deo dedicatum, & hoc tibi ſignum eſto: Manè cum ad illud introieris, lampas ante altare iugiter ardens huc & illuc mouebitur, nec quis eam mouerit, apparebit. Quod factum eſt videntibus & ſtupentibus admodum fratribus. In quo ſigno & aliud mirum acceſſit, quòd abundans oleo lampas, quamuis violento miraculo pulſaretur, quaſi funditus euerti crederes, tamen ne guttula quidem olei ex ea effuſa eſt. His itaque prodigiis Spiritus ſanctus cõplacere ſibi in loco iſto comprobauit. Vnde & meritò ſacratus illi, ſanctus Spiritus de Magella nomen ſortitus eſt.

*Ouid.*

*Miraculum admirabile.*

*Sãctus Spiritus de Magella.*

Fratres autem inibi Deo militantes, ſic charitate per Spiritum ſanctum infuſa vniebantur, vt prorſus anima vna, & cor vnum in multis corporibus videretur.

Videntes autem dæmones, & inuidentes viris bonis, aduerſus humanam conditionem conſpirarunt, cœperũtque machinari in eam quã ſua ſuperbia perdiderant dignitatem, horribili ſtrepitu circumfrementes. Inſtabat Dominicæ paſſionis dies, cùm ſurgentibus media nocte ad officium fratribus, dæmon quatuor ex eis tanto concuſſit terrore, vt aliorum opem expoſcerent, clamantes: Adiuuate, adiuuate nos. Accelerantibus autem aliis cum tumultu, repertus eſt vnus grauiſſimè læſus, euerſis manuum digitis. Adeò ſanè hoſtium furor exarſerat, adeò ſæuiebat eorum inuidia, vt iam non ſolum in occulto & inſidioſo certamine, tentationibuſque internis eos laceſſerent, verum etiam apertis & viſibilibus. Nam per id tempus horrendæ per aërem facies videbantur, terribiles audiebantur voces, ita vt fratres à choro diffugerent, & diuinum opus interrumperent. At verò ſecurus & conſtans inter hæc terriculamenta ſanctus, perſiſtẽs in oratione, fratres admonebat, ne Dei laudes interrumperent. Magnis itaque viribus vtrinque certatum eſt, donec elucente die, tenebrarum principes cum tenebris abierunt. Nec ſatis fuit ſemel atque iterum hoſtilem hunc impetum viciſſe: ſed iterato ſæpiſſimè prælio, per aſſiduum ferè triennium decertãdum hoc pacto fuit in paruo Magellæ oratorio. Verum inuicta fraternæ pugnæ conſtantia hoſtilem pertinaciam ſuperauit: adeo vt confuſis tandem inimicis, rarior deinceps conflictus emerſerit.

*Inuidia diaboli de profectu ſpirituali hominis.*

*Terriculamẽta diaboli.*

*Securitas S. Petri in tentationibus.*

Puderet hæc literis demandare tanquam anilia quædam & vana deliramenta, niſi reperta eſſent in beatiſſimi patris cellula ipſiuſmet manu conſcripta. Ac ne quis putet ad inanem gloriam huiuſmodi mendacia ſanctum de ſeipſo confinxiſſe, obiectio facilè diluitur, quòd vir humilis & ſimplex ſemper latere voluit, non eminere: tantumque abfuit, vt bona, quibus carebat, oſtentaret inaniter, vt etiam ea qua habebat, humiliter diſſimulare ſtuderet, ſuam cum Apoſtolo gloriam eſſe reputans teſtimonium conſcientiæ ſuæ. Obiiciat rurſus calumniator. Quid ergo de ſe tam mirabilia ſcripſit, ſi bona latere voluit? Ad id in promptu eſt quod reſpondeamus. Cùm enim ſic diſponente Dei prouidentia, vir ſanctus ita ſecum actitari videret, vt tot tantiſque miraculis longè latéque diuulgatis omnino latere non poſſet: ne falſa veris, (vt fieri ſolet) miſcerentur, ſuorum ipſe geſtorum teſtis eſſe voluit. Adde quod & in gloriam Dei fecit, operantis in ſanctis ſuis, vt in eis laudetur. Denique & in ordinis ſui confirmationem, & ſequacium filiorum profectum ampliorem, quos audita patris præconia lætificant, & torpentes ad viam excitant virtutis aggrediendam ex filiali ſancti patris imitatione.

*S. Petrus geſta ſua reliquit ſcripta.*

*Humilitas Petri Cæleſtini.*

*Quare B. Petrus geſta ſua ſcripſerit.*

---

*De oratione ipſius.*

### CAP. IX.

MAgna quidem & ardua illa ſunt, noſtræque tempeſtatis hominibus vel perfectiſſimis admirabilia: parua autem vel potius nulla videbuntur, ſiquidem ad cenſuras, quæ humanam penitus perfectionem excedunt, heroicamque ac cæleſtem vitam redolere videntur. Verùm antequam ad ea



recen

recenſenda aggrediamur:priùs de conſueto eius viuendi ordine paucis agendum eſt. Itaque D. Petrus in omnibus donum Dei(ſine quo nihil facere poſſumus) & auxilium perpetuò impetrauit:continua oratione Dominum inuocans, eumque perpetuo laudans, ſemper gratias agens eorum quæ à Deo accipiebat. Idcirco vir ſanctus cum regio pſalmographo,media nocte ſurgebat,ad confitendum nomini Domini,totum ei diem conſecraturus,& procidens in faciem ſuam exemplo Chriſti, flexiſque genibus, & manibus in cœlum protenſis ſuſpirabat, multa cum inundantia lacrymarum diuinum implorans præſidium. Sic vigilans D. Petrus proſtrata ſæpius in terram facie, cùm ita ſe ad orationem communem præparaſſet: ſurgens tandem à terra ad perſoluendum Deo ſeruitutis penſum,cum fratribus in oratorium præibat.

*Aſſiduitas viri Dei in orando.*

*Deuotio viri Dei in perſoluendo ſeruitutis ſuæ penſo.*

In diuinis autem laudibus quis attentionem, affectum exceſſumque mentis, quis lacrymas, ex Chriſti deſiderio,mundi tædio,proximi compaſſione iugiter emanantes, inter orantis non tam ore quàm corde verba ſatis admiretur? Sic expleto vigiliarum officio, cum fratribus ſupponebat collum ferulis cædendum,non ſolum certis ex more noſtro temporibus,aut ſecunda,quarta & ſexta feriis, ſed ſingulis diebus: ne qua humanæ infirmitatis delicta,minùs à ſe percepta igni purgatorio reſeruaret eluenda.Poſt quam diſciplinam, Pſalmos pœnitentiales cum letaniis, collectiſque quamplurimis, lacrymans & gemens repetebat.Expletis autem Pſalmis pœnitentialibus, non corpori,non animo requiem dabat, nec ſomno fatigatus vires reparabat: ſed continuo ad pſalterium quaſi ad quietem feſtinabat. Pſalterio igitur ruminando deſtinabat quicquid otij haberet ad horam vſque primam. Significata autem prima, & deuotè perſoluta mox hoſtiam offerebat ſalutarem, ea quidem deuotione, vt circumſtantium animos à terrenis ad cæleſtia ſecum totos raptaret. Oblata proinde victima, an quæſo tunc quieſcebat?Non vtique.Imo verò quaſi recens ad opus, intermiſſum pſalterium ardentius repetebat,ad calcem vſque percurrens.Nempe præter canonicas diei, & virginis horas, omniumque ſanctorum ac mortuorum officia, integrum quoque pſalterium repetebat crebris cum geniculationibus, crebroque cordis affectu & lacrymis. Hoc itaque tam pio exercitio vniuerſum ferè tempus tranſigebat, vt non ſolum ſepties in die cum rege pſalmographo, non ſolum veſpere & manè, meridie,mediaque nocte laudem diceret,& confiteretur Deo:ſed benedicebat Dominum in omni tempore, vt ſemper laus ipſius eſſet in ore eius. Nec tantum centies nocte,centieſque in die, cum D. Bartholomæo, & Martha: ſed multo pluries geniculabat in oratione.Porrò quàm accepta fuerit Deo eius oratio,ſignis ille quamplurimis teſtatus eſt, quemadmodum mox audietis.

*Quotidianis diſciplinis corpus macerat & cruciat.*

*Integrũ Pſalterium quotidie præter Canonicas diei, & Virginis horas, omniumque ſanctorum ac mortuorum officia recitat.*

*Orat cum crebrũ geniculationibus.*

## *De miraculis per orationem D. Petri factis.*

### Cap. X.

IOannes Paterni lepra ſimul, & hydropiſi laborans,ſancto Petro deuotus erat,totamque ſanitatis ſpem in eo reponebat:vt ſæpe videretur in ſomnis ab eo liberari. Vnde bonæ confidentiæ plenus, ad Monaſterium ſancti Spiritus acceſſit, ſed colloquio viri ſancti non impetrato, primùm triſtis abſceſſit,nihilominus tamen poſtea rediit,pulſanſque perſeuerauit, & deſideratum infirmitati ſubſidium impetrare meruit.Compatiens enim ex intimis miſericordiæ viſceribus pater, ſingultuoſam effudit orationem coram Domino,& ſine malagmate, aut quouis medicamine ab incurabilibus morbis paruo tempore infirmus conualuit.

*Petrus oratione leproſum & hydropicum ſanat.*

Philippus de Rocha beralli, leproſus pariter & phrenecticus,quoſ.bet obuios percutiens,cùm nullo medicorum auxilio poſſet à patre ſuo auxilium ſuſcipere,vouit tandem pater, ſi beati Petri meritis Deus ſuam miſericordiam erga filium oſtenderet, ſe effecturum vt filius ipſius ordinis ſuſciperet habitum. Confeſtim adductus filius ad ſanctum referata voti conditione,paucis diebus D.Petri meritis ſanus euaſit, & redeunte patre cum gaudio domum, remanſit filius diuino deſtinatus officio: vbi multos annos perſeuerans,validus & pius ſub beati Petri diſciplina Domino militauit. Eadem quoque tempeſtate qua Nicolaus Papa quartus viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, Petrus Cæleſtinus Romam ex Thuſcia pergens, fratrem Petrum Priorem D.Petri de Montorio grauiter febricitantem inuenit,quem benignè confortans dixit: Non morieris modo. Moxque diſcedens, & rogatus vt pro ipſo oraret:Commendo(inquit)te fili Deo,vt te ſanitati reſtituat. Poſtridie autem febrem expectabat ſuo die redituram (nam tertiana erat,) ſed precibus D. Petri liberatus,neque tunc,neque deinceps febricitauit; vnde nudiuſquartus rediens ab vrbe pater, cùm viſitans eum interrogaſſet,quomodo ſe haberet:Benè, (inquit) Dei tuæque orationis beneficio. Cui Petrus,non mihi fili,non mihi, ſed Deo, ſanctoque Bartholomæo gratias age. Nam diui Bartholomæi ſolemnitas præceſſerat.

*Phrenetico curatur, & Cæleſtinus efficitur.*

*Nicolaus Papa IV. moritur.*

*Monachum Ordinis ſui à tertiana febre ſanat.*

*Sua miracula ſanctorum meritis & precibus adſcribebat.*

Quidam arreptitius à dæmonio obſeſſus, ad D. Cæleſtinum in Magellam monté in Leucate Inſula delatus eſt,ad quem accedens æger,retrorſum conuerti cœpit,& vociferari,formidante nimirum dæmonio,& viri Dei ſanctitatem exhorreſcente. Beatus autem pater ſecus altare ſedens,refugientem ad ſe iuſſit adduci, eique impingens colaphum: Exi, (inquit)diabole à creatura Dei. Cuius vocis virtutem inimicus ferre non valens,in terram infirmum allisit:tamque violenter afflixit,vt aliquantiſper velut mortuus iacuerit.Stupentibus autem & conteritis eis qui aderant, ſanctus vir interritus, orationem eis indixit, & ipſe quoque conuerſus ad aram orauit,ſtatimque iacens ægrotus ſurrexit, quaſi rediuiuus, & incolumis cum gratiarum actione domum remeauit. Alios prope innumeros ſilentio præterimus, qui orationis eius beneficio ſanati ſunt. Tam efficax enim, tantumque potens erat apud Deum orantis auctoritas, vt nunquam vacua abiret eius expoſtulatio. Nec ſolum aliis,ſed & ſibi quoque vtilis fuit.Nam cum apud Ioannem de Orfonte ipſe Cæleſtinus cum fratribus veſceretur, dentemque fregiſſet in menſa neceſſarium, & ad cibos commolendos,& ad faciei decorem, ſanctus pater oratione præmiſſa,cum ſilentio,dentem auulſum loco ſuo reſtituit: adeóque tenaciter maxillæ fecit inhærere, ac ſi numquam loco motus fuiſſet: hoc tamen clanculum egit,iubens aſſidentibus, & miraculi conſciis,vt factum ſilentio premerent.

*Obſeſſus à diabolo liberatur.*

*Dentem ſibi confractũ reſtituit D.Petrus.*

Rurſus apud ſanctum Bartholomæum de Logio cùm tanta eſſet vini penuria, vt ne pro myſtica quidem oblatione inueniretur,vir Dei in adiutorio altiſſimi confiſus, ad ſancta ſanctorum cum ardentiſſimo deſiderio accingitur,& ſacris adornatus veſtimentis, calicem ex more aſſumit, fratribus inquiens,date vaſa: quibus vinum deeſſe reſpondentibus, ipſe nihil de diuina benignitate hæſitans, rurſum

*Vinũ ad celebrandum,miraculoſè inuentum.*





rurſum ait, date vaſa: quæ tandem afferentes, vini & aquæ plena cum ingenti ſtupore inuenerunt.

## *De ſobrietate, & tenuiſsima victus ratione Cæleſtini.*

### Cap. XI.

INſumpto diuinis laudibus tempore nocturno & matutino,ac quotidiano penſo fideliter perſoluto, additoque pſalterio, ac ſeptem pœnitentialibus Pſalmis, & ſuffragiis compluribus, hora tandem nona,præmiſſo hymno & benedictione, ad epulas tanquam ad Crucem inuitus accedebat. Si fortè cibum, ſi potum audire vultis: dicere perhorreſco. Sed quadragenas quotannis incredibili rigore exigebat, non etiam ſemel in die cibum corpori tribuens, ſed ne tertio quidem die. at quem cibum quæſo? nimirum panem & aquam (quod eſt initium vitæ hominis) pro ſummis habuit deliciis. Qualis autem panis? Panis certè furfureus & inſuauis,atque ater fuit:non biduanus,aut triduanus, vel quatriduanus tantum: ſed planè mucidus, ac vermibus ſcatens præ vetuſtate & corruptione: adeoque ſiccus & durus,vt malleo (mirabile dictu) frágendus eſſet,non cultello proſcindendus. In tribus autem quadragenis ne huiuſmodi quidem pane vtebatur, ſed ſolis caulium foliis, aut crudis arborum fructibus, & hæc omnia citra ſaturitatem. Quinetiam velut in ſuum ipſe corpuſculum coniuraſſet,nouam & inauditam abſtinentiæ rationem excogitauit. Nam ſolitudinis cupidus,& confluentis ad ipſum turbæ impatiens, vt quietius ſoli Deo vacaret,in cryptam ſolus deſcendit,decem panibus puſillis ſecum aſſumptis,& decem tantum cæpis in neceſſarium corporis alimentum, quibus quadraginta diebus vixit.

*Ad corporalẽ cibum tanquã ad Crucem accedebat.*

*Panis quo veſcebatur Cæleſtinus, qualis.*

*Quanta Cæleſtini auſteritas.*

Porrò cum hyemalis aſperitas adeò inhorruiſſet vt abundantia niuium clauſo ſpecu, ſpiraculum ad introducendũ aërem ſibi facere coactus eſſet:ipſéque idem præ frigore, ſenili corpore rigeſceret, non quidem ad focum rediit,ſed algorem exteriorem interiori ſancti Spiritus igne ſuperans,ibidem permanſit immobilis: donec euoluto dierum numero quadragenario, quidam deuoti ſuperuenientes,recipiendæ ab eo benedictionis gratia, inuenerunt in illa ſpelunca ſemiuiuum, gelidaque aqua conſtrictum ac circumdatum: adeò vt hærentibus terræ, & agglutinatis glacie veſtimentis moueri non poſſet, quaſi tenacibus clauis humi affixus. Sancti igitur viri commiſerti in lacrymas proruperunt, magnoque labore hinc eum educentes ad ignem, vix tandem calefactum pauxillum refocillarunt: repertis adhuc quinque panibus ex decem quos ſecum ab initio in antrum detulerat.Roboratus autem aliquantulum igne illo, diuinam audiit vocem, diſcretionis eum admonentem in hunc modum:Noli Petre onus tam graue aſello tuo imponere, quoniam ſi perimis eum onere indiſcreto, rationem Deo redditurus es pro eo. Debitor eſt tibi rationabilis ſeruitutis, & tu illi neceſſariæ ſuſtentationis:ſi vis portari,porta.

*Petrus algoris patientiſsimus.*

*Diuinitus corripitur, moneturque ad diſcretionem in caſtigando corpore habendam.*

*Diſcretio auriga virtutũ.*

Sic admonitus vir ſanctus,diſcretionem matrem aurigamque virtutum diligentius eſt deinceps amplexus, abſtinuitque modeſtius,ne dum corpus velut hoſtem perſequeretur, ciuem occideret. Alia quoque quadragena ſeceſſit in remotum penitus ab humana frequentia locum, vbi ſolo indutus cilicio,numerum dierum tranſegit quadragenarium, aſperrimo frigore cruciatus. Sex itaque quadrage-

*Sex agebat in anno quadrageſimas vir Sanctus.*

nas (vt dictum eſt) D. Cæleſtinus ſolus diſtrictiori tranſigebat abſtinentia,& clauſo ſuper ſe ſenſus exterioris oſtio, contemplationi vacabat interim & orationi. Prima erat quadragena maior, quæ eſt communis. Secundam incipiebat à feria ſecunda poſt octauas Paſchæ vſque ad Pentecoſtem: quam Apoſtolos Domini obſeruaſſe dicebat,dum vacantes ieiuniis & orationibus præparabant corda ſua Deo, vt eſſent receptacula munda, & apta ſuſcipiendo balſamo diuino. Tertiam incipiebat à feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, vſque ad Virginis Aſſumptionem, vt vel ſic mereretur cum ipſa ſuper choros Angelorum exaltata, tandem in cœlum aſſumi. Quartam ab Exaltatione ſanctæ Crucis,vſque ad feſtum omnium ſanctorum. Quintam à ſolemnitate quatuor Coronatorum, ad natiuitatem vſque Domini. Sextam & vltimam inchoabat ſecunda die poſt Epiphaniam, protrahens ferè vſque ad maiorem quadragenam, & hanc aiebat Dominum ieiunaſſe poſt baptiſmum, quando mox ductus eſt à ſpiritu in deſertum.

*Prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Sexta.*

## *De menſa eius communi.*

### Cap. XII.

QVid de communi menſa dicam. Nunquid corpus tot prædictorum dierum ieiuniis maceratũ, poſtea cæteris diebus largioribus epulis reparabat?Nunquid ſaltem cum aliis,bis in die veſcebatur?Omni certè tépore, omnibus diebus præterquam Dominicis ieiunabat:nec iis cibariis quæ palatum irritarent, veſcebatur, ſed quæ vix debile corpus ſuſtentarent. Poſt cibum corporalem, rurſus ad contemplationem & orationem redibat:maximam ei temporis partem penè vſque ad veſperam impartiens. Corporali namque exercitationi, quæ ad modicum vtilis eſt, nonnihil plerumque tempuſculi diuidebat,aut ſcribens,aut honeſtæ cuidam arti deſudans:ipſe ſiquidem vel libros concinnabat ac compingebat, vel ſuas fratrumque veſtes reſarcire non dedignabatur. Pilis quoque caprinis & equinis cilicinos interdum texebat ſaccos. Atque ita demum occupatus, diurnum ſimul & nocturnum tempus in gloriam Dei perpetuo tranſigebat: ſemper alicui negotio intentus,ne locum inueniret dæmon immittendis & ſuſcipiendis tentationibus. Veſpertinum inde officium, corde præparato, diligenter adibat,diligentiuſque perſoluebat: quo deuotè abſoluto; non corporales epulas cum fratribus repetebat(nunquam enim cœnabat,) ſed meditationi, contemplationique & orationi reliquam lucis particulam impendebat:donec diei pariter, & officij completorium aduenisſet. Nec tamen eo abſoluto finem imponebat ſuo labori, nec quieſcebat, ſed oratione rurſus, & contemplatione, longas protrahebat vigilias, ad intempeſtam vſque noctem. Animus enim alacer, & viuax, aduerſus ſomnum ex carnis infirmitate obrepentem decertabat ſemper erectus, & erectus Deo tanquam arcus.

*Quomodo ſingulas diei horas collocabat Petrus.*

*Nunquam Cæleſt. cœnabat.*

## *De ſomno,lecto, & indumentis Cæleſtini.*

### Cap. XIII.

SOmni adeo parcus erat, vt nunquam niſi coactus dormitaret. Fatigatis enim ac deficientibus ſub onere membris, ſubrepenti ad inſtar furis ſopori pertinacius reſiſtebat: vtroque venientem

*Vigilantia Cæleſtini.*

totis animi viribus repellebat. Porrò succumbente corporis infirmitate, tandem somno victus, semiuigilans dormiebat, aut dormitabat potius. Quis autem stratus eius? Nunquid post tot laborum fatigationem, mollicula culcitra, aut puluinar plumis delicatioribus molliter contextum fessa membra refocillabant? num saltem vile tomentum, aut matta? num modicum stramen? Pro culcitra sanè molliori, pro stramentis, ligneis tabulis incubabat, aut cancellatis craticulis, vel nudæ ipsi (quod deterius esse credas) terræ. Puluinaris autem & ceruicalis vice, lignum aut lapidem capiti supponebat, & hoc quidem, vt velocius excitatus, ad Dei laudes expeditior esset. Ne verò nocturna pollutione macularetur, ferrea catena lumbos præcingebat, & illusoria inimici phantasmata procul à se depellebat.

*Qualis Petri lectus.*

*Remediũ vitandæ pollutionis nocturnæ.*

Porrò quod ad vestimenta attinet, pannosam sanè tunicam & attritam, superpositis scapulari & cuculla vilissima lana contextis, gerebat. Subtus autem cilicinos saccos nudis carnibus apponebat: quos superinducto ferreo vinculo astringebat. Cæterùm attrita frequenti genuum incuruatione vestimenta suis manibus resarciebat: nec versicolores tunicæ particulas insuere verebatur. Tantus erat mundi, & suiipsius contemptor, vt nec ambitiosè vestiri, nec vesci delicatè, nec molliter dormire cuperet: vixque tantum cibi, vestimenti ac soporis corpusculo diuidebat, quantum arctissima famis, frigoris & quietis exigebat necessitas.

*Vestimenta viri sancti.*

## *De discretione Cælestini in suscipiendis & instruendis sæcularibus qui ad se proficiscerentur.*

### Cap. XIV.

Confluentibus ad eum diuersi ordinis sæcularibus, multam exhibebat charitatem, magnaque discretione illos admittebat. Nam pro sua cuique conditione honorem impendebat, & doctrinam eis conuenientem. Præsules enim ac dignitate præpollentes, post exhibitam reuerentiã, quod eorum authoritati congrueret, sine palpatione docebat, exhortans ad diligentem Dominici gregis curam: addensque increpationes, & coram eorum vitia carpẽs, diuini iudicij terrore proposito, quod idem argumentum maximè laicis iudicibus inculcare solebat, quorum turba non modica pro institutione salutari ad eum confluebat, diuinum beneplacitum, suarumque viarum rectitudinem ab eo, velut ab oraculo cælesti cognitura. Porrò sanctus pater, instar sapientis medici, & Samaritani Euangelici, postquam austeriore increpationis vino conscientiarum vulnera deterserat: postmodum ea dulci consolationis oleo fouebat, præmiũ suorum laborum pollicens incomparabile, si quidem suo fideliter officio fungerentur.

*Discretio Cælestini in admonendo & corripiendo.*

Itaque vir Dei nullos à se dimittebat tristes, etiã si prius inconsultissimi veniissent: sed quosdam quidem spiritali cibo, quosdam verò corporali refectos, nullos autem ieiunos abire permittebat. Recedentes itaque nunquam indonatos à se abire relinquebat, sed semper aliquo exhortationis suæ pignore, ac monumento donabat, eulogiis scilicet, & rosariis beatissimæ Virginis certo numero dicendis, vel pane à se benedicto, aut aliis quibusdã sanctificatis per orationem, tantæ quidem efficaciæ, vt eorum gustu vel tactu, à varia sanarentur infirmitate, mirificante per illa Domino sanctum suum. Enimuerò Sanctus Petrus ea singulari prærogatiua adeò insignitus fuit, vt nullus tanta vitiorum multitudine sordesceret, quin aspecta eius sancta facie, veluti viua quadam virtutis imagine, auditisque verbis, quasi sagittis cordium medullas penetrantibus, non rediret ad cor, statimque compungeretur. Denique tanta in eius vultu, gestuque ac moribus relucebat honestas, vt nullam haberet amaritudinem eius conuersatio, nec conuictus tædium, sed lætitiam & gaudium. Ipsiusque sanctitatis considerata perfectio sic intuentes in admirationem conuertebat, vt ij quos ad eum videndũ ex longinquis regionibus fama pertraxerat, dicerent, quod prius Regina Saba Salomoni: Verus est sermo quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & comprobaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Maior est sapientia tua & opera tua, quàm rumor quem audiui. Itaque discedentes ab eo, mox redibant iterum visuri, & quanto plus videbant, tanto magis ardebant eius videndi desiderio & audiendi. In gestu, motu, & incessu corporis, & alloquio & voce, tantis gratiis affluebat, vt omnium in se oculos conuerteret, & intuentium affectus ad diuina inflammaret. Longè fuit ab eo omne verbum otiosum: sed omnis sermo eius erat languentis animæ medicina, & ad Deum prouocatio. Proinde non alienum à proposito nostro crediderim nonnulla hic etiam proferre miracula per panem, aliasque res ab ipso sancto benedictas, in infirmis ostensa.

*Quanta honestas viri sancti.*

*3. Reg. 3.*

## *De miraculis per panem, & alia ab eo sanctificata factis.*

### Cap. XV.

Apud Sulmonem mulier quædam nomine Catharina Ioãnis Notarij vxor, morbo quodam oculorum laborabat, quem medici guttam serenam vulgò nuncupant, & ita laborabat, vt omni ferè lumine priuaretur. Quæ medicorum opem multo tempore, multoque & magno dispendio exquisierat, sed incassum. Quapropter nesciens quid amplius ageret, in Dominum eiusque sanctum spem reponit. Rogans igitur à patre suo, & marito, ad virum Dei perducitur. Appropinquantibus autem illis, maritus ad cellam Sancti Petri præiuit, coniugis suæ cæcitatem suppliciter & flebiliter insinuans. Misertus autem vir Dei, ligneam ei cruciculam misit, & iubens vt eam infirmis oculis impositam, aliquantulo tempore ibidem contineret. Piissimè credens vir & plenus fidei, nec hæsitans de virtute diuina & verbis sancti, ad vxorem rediit: crucem eius oculis imposuit, & eadem hora immedicabilem cæcitatis caliginem excussit.

*Mulieri cui visus restituitur.*

Alius nomine Richardus Berardi, filiam habuit, quæ iam septem annis muta erat, membrorumque contractione laborabat, vt ambulare non posset, pro qua sanctum virum supplex adiit, & ab eo consolatus, panis benedicti frustulum accepit, quod filiæ daret comedendum. Reuersus autem, protinus vt filiæ appropinquauit, ipsa soluto linguæ vinculo, loqui cœpit, ac dicere, da mihi panem pater. Tunc admiratus, quod loqueretur, & panem non sibi reuelatum propheticè peteret: Surge, inquit, filia, veni, & dabo tibi. Surrexit illa & ambulauit: addiditque recens miraculum præcedenti. Nam & prius loquuta est, quæ muta erat, & mox ambu-

*Duplex miraculũ in eadem persona simul factũ.*



ambulauit quæ pedum motione carebat. Duæ quoque puellæ parentibus orbatæ, cùm essent annorum septem, nec tamen ambularent, nec loquerentur, nec crescerent, vir quidam nomine Madius, sancto viro deuotus, eas illi commendauit, exponens mirabilem puellarum calamitatem. Sanctificatum igitur panem attulit, & allatum mox vt puellæ comederunt, cœperunt diuinitus & ambulare, & loqui, & crescere.

*Pane benedicto sanantur duæ puellæ.*

In Calabria quoque nobilis quædam Domina, incurabili lepra laborans, audita sancti Petri fama, Sacerdotem quendam nomine Simeonem, ad eum misit, qui aquam afferret, ex qua manus suas ipse Petrus abluisset: vt in ea corpus leprosum lauaret. Agebat tunc Petrus sanctæ Crucis quadragesimam in solitudine & silentio, neminem ad colloquium suum admittens extraneum. Verumtamen vt primum intellexit mulieris illius piam petitionem, aquam benedixit, & misit. In qua mulier abluto corpore, mox sanitate potita est: nec in vllam deinceps lepræ suspicionem incidit.

*Leprosa mulier mundatur.*

## *Comparatio sancti Petri cum sancto Benedicto.*

### Cap. XVI.

Decebat, vt qui collapsum beatissimi patris nostri Benedicti ordinẽ reparare deberet, in spiritu & virtute ipsius Benedicti veniret. Vnde si virtutes virtutibus, & miracula miraculis conferamus: nihilo inferiorem Petrum nostrum Benedicto comperiemus. Claruit Benedictus prophetiæ spiritu: claruit & Petrus. Nam priusquam fratres in Murrhone monte secum haberet cohabitantes, quendam fortè sæcularem scholasticum in ministrum altaris sibi assumpserat, qui ad pagum propinquum missus pro necessariis, carnali concupiscentia victus, fornicationem incurrit. Quod flagitium pater absens corpore, sed præsens spiritu agnouit, redeuntemque ministrum à se repulit, de longè clamans, ne huc accesseris. Non enim mecum amplius versaberis, quia fornicatione contaminatus es. Quod autem attulisti, solus tibi habeas. Vnde stupefactus minister, crimen confessus est, veniamque flebilis & supplex exorauit.

*Cælestinus D. Benedicto nihilo inferior.*

*Claret spiritu prophetico vir Dei.*

Alius quidam nouitius frater, Aquilæ susceptus ad probationem, tam graui tentatione pulsabatur, vt à proposito religionis desisteret. Quamobrem loci illius Prior ad venerabilem sanctum eum misit, diabolicam seductionem insinuans. Præscius autem venturi patris, diuinæque prouidentiæ super iuuenem, eum Romam misit dicens: Vade fili, quia cito illic morieris. Quibus auditis, nouitius Cœnobium Aquilæ repetit, sanctique propheticam vocem fratribus expressit: ac paulò post Romam pergens, quintodecimo die ibidem defunctus, prophetiæ veritatem impleuit.

*Nouitius prædicente Petro Romæ moritur.*

Cuidam similiter à Caramanico præuisum in spiritu obitum significans, Confitere (inquit) peccata tua fili: quia cito benefaciet tibi Deus. Qui domum reuersus, tertio abhinc die è terra morientium sublatus est in terram viuentium.

Insuper dum in monte Murrhonis beatissimæ Dei genitricis basilica conderetur, & quidam ibi laicus operarius arenam in profundiore crypta effoderet: beato viro in cella contemplanti diuinitus est reuelatum, cryptam repentè ruituram: quare festinum illuc nuntium mittit, vt velocius inde fossor abiret: quo confestim & fœliciter abeunte, è vestigio crypta corruit, ita vt ne ferramenta quidem, & vestes secum efferre potuerit.

Nec silentio prætereundum est, quod sequitur, certissimo iuramenti sacramento confirmatum. Pamphilus Lucanæ ciuitatis Notarius, iureiurando asseruit se grauem in dextro latere rupturam passum fuisse, cuius curandæ gratia cum chirurgum adhibuisset peritissimum, eiusque in manibus quinque mensibus non sine magno dolore, & rerum suarum dispendio fuisset, neque quicquam profecisset: cœpit de sancto Petro, quæ audierat signa & prodigia mente reuoluere: ita decernente diuina prouidentia, vt per hunc immedicabilem morbum, sanctum suum mirificaret. Prædictus itaque Notarius die Iouis venit, vt proximo ad beatum virum Sabbatho proficisceretur. At cælestis ille medicus præuenit eum in benedictionibus sanitatis. Nam in ipso Sabbatho, manè cum ad votiuum iter infirmus accingeretur, se à morbo sensit omnino liberatum. Quod sanè beneficium sancti patris meritis ascribens, ne ingratus haberetur, nihilominus propositum iter arripuit, gratias sancto viro acturus. Præfatus autem Pamphilus duplici morbo tenebatur exteriori & interiori, corporis scilicet & animæ. Verisimile est autem causam infirmitatis corporalis fuisse peccatum: sicut & duobus paralyticis Euangelicis accidisse certum est. Erat enim ille Pamphilus adulter, lubricus, & incontinens. Quod sanè vitium sanctus Pater in spiritu cognouit, & eum in conspectu suo, flexis genibus procidentem, seuerius increpauit dicens: Miser, cum vxor tibi sit fidelis & casta, cur dono Dei abuteris, & venerabile violas sacramentum?

*Notarius vulnere corporis & animæ liberatur.*

*Peccatũ sæpe est causa infirmitatis corporalis.*

Stupefactus his verbis Notarius, & ingenti perfusus confusione, demissis oculis totoque corpore prostratus in terram, peccatum fatetur & compungitur. Excusanti verò & quoddam impossibilitatis velamen obiicienti, quod præ infirmitate abstinere à vitio non posset, facta scilicet iam consuetudine, quasi sub grandi lapide sepultus iaceret: tunc pius pater ex animo compassus est, atque aliquantulum ad altare faciem conuertens, pro eo Dominum exorauit, moxque reuersus ad eum; Confide (inquit) in Domino fili, non enim in posterum (spero) tale flagitium admittes. Indicta igitur pœnitentia sanum mente & corpore ad sua remisit: nec remansit vllum deinceps in eo vtriusque morbi vestigiũ.

Sic venerabilis pater Cælestinus, prophetico spiritu non minus claruit, quàm Benedictus. Proinde sanitatum & mirabilium supra naturam operum effectu, vitæ quoque austeritate non inferiorem, ne dicam superiorem, animaduertet, quisquis eius vitam signis quamplurimis admirandam inspexerit. Alterum enim Benedictum decebat nobis à Deo dari, qui eo spiritu & virtute collapsum sanctæ religionis Ordinem instauraret: quibus ipsum sanctissimus pater Benedictus instituerat. Turè igitur possumus tantorum patrum Benedicti scilicet & Petri vestigia sectari, ac inoffenso pede viam eorum ambulare, quos immaculatos & omni noxa liberos non humana tantum, sed etiam diuina probarunt testimonia. De ipsius autem Cælestini Ordinis institutione, aut potius Benedictini reparatione, pauca nunc delibare locus exigit.

*Cælestinus Regulam Benedicti pene collapsam instauravit.*

## *De institutione & initio Ordinis Cælestinorum.*

### Cap. XVII.

Tantum perfectionis & sanctitatis fastigium mox ab initio conuersionis Petrus ascenderat, vt

vt etiam nemo dubitaret, verè ſpiritum Dei eſſe in illo. Electus ergo & prælectus ante ſæcula Dei miniſter, degenerantem & ſylueſcentem Benedicti vineam reparauit, ratione qua fuerat & plantata, & propagata. Nam quia ab humilitatis & paupertatis radice, incrementi cœperat exordiũ, ſuperinductos opulentiæ curioſitatiſque ſuperfluæ palmites radicitus amputauit, diuitiarum ſpinas ſarculo frugalitatis auulſit, & tumeſcentes pampinos in terram humili ſubſtrauit obedientia, atque (vt apertius loquar) beatiſſimi patris regulam tunc neglectam & contemptam, ita reſtituit in priſtinum honorem & gloriam, ſua ſuorumque diſcipulorum obſeruatione diligentiſſima, vt multo clariorem efficeret, quàm prius vnquam extitiſſet. Quicquid enim ad vitæ ſanctitatem regularemque diſciplinam attinet, tam exemplo quam verbo adimplendum docuit: inſuper & præcedentium euentu cautior effectus, conſtitutiones adiecit, quibus recidiuum præcaueret, in eis expreſſam Benedicti voluntatem elucidans: aut diminutam benè beateque viuendi formulam adimplens. Nunc autem de regimine ipſius pauca commemoremus.

*D. Benedicti Reg. reparata.*

*Cõſtitutiones Cæleſtini vltra Regulam data.*

---

## *De Monaſteriorum ipſius inſtitutione ac viuendi modo.*

### Cap. XVIII.

SCiens vir ſanctus humilitatem, gratiæ diuinæ prouocatricem & alumnam, inter diuitias periclitari, quarum ſemper familiaris eſt elatio, virtutum hoſtis ac debellatrix, paupertatis amator fuit ardentiſſimus, ac tenaciſſimus obſeruator. Itaque nunquam in ſuis monaſteriis ærarium amplum haberi, nunquam diuitias ſupra neceſſitatem augeri permiſit, ſed quod frugali fratrum victui ſupererat, pauperibus erogabat, nolens in multos annos cum Euangelico diuite, opes reſeruare, aut de craſtino ſollicitus eſſe: ſed confidens quia primum quærentibus regnum Dei, cætera adiicerentur à patre cæleſti, qui paſcit volucres cœli non arantes, nec ſeminantes, veſtitque lilia agri tam ornatè, vt ne Salomon quidem in omni gloria ſua ita veſtitus vnquam fuerit. Amputauit itaque omnem luxum & ſuperfluitatẽ, ventrique habenas multo ſtrictiores immiſit, quàm prius feciſſet venerabilis pater Benedictus. Itaque quotidianam fratribus abſtinentiam indixit, eámque continuam, præterquam tertia & quinta feriis in æſtate, quibus diebus tempore ſui Papatus, cœnam indulſit Cæleſtinus. Suum nempe ordinem in perpetua putauit ſtabilitate permanſurum, ſi diuitiarum copiam, & ventris licentiam procul à ſuis eliminaret.

*Liberalitas eius in pauperes.*

Hanc autem paupertatis & abſtinentiæ formam primi Cæleſtini diſcipuli obſeruarũt, boni viri, ſanctitate diuinoque feruore ſuccenſi. Sed paulatim tantus ille feruor intepuit, vt nunc à Paſchate vſque ad ſanctæ Crucis exaltationem ſexta & quarta feriis tantum ieiunia obſeruentur, quod ad antiqui D. Benedicti regulam rurſus redire videtur, ſeueriùs tamen obſeruatam, cùm nihil de ieiunio à Paſchate ad Penteçoſtem præceperit Benedictus. Cæterùm quantum alimoniæ carnalis ventri ſuſtulit Cæleſtinus, tantum animæ benefecit, eamque pauit diuinæ pſalmodiæ cibo quaſi continuo. Non enim contentus erat communi diuinæ laudis officio: ſed conſiderans intemeratam virginem eſſe peccatorum ſcalam, portam cæli, veniæ largitricem, & gratiæ miſericordiæque matrem, ordinariæ ſeruitutis penſo præmiſit quotidianum ipſius immaculatæ genitricis officium, vt conciliata prius matre, facilior eſſet per eam ad filium acceſſus. Non enim dubium eſt, quin oblatas & commendatas matri preces noſtras per maternas manus, gratiores habeat filius, & admittat intra ſacrarium ſuæ exauditionis. Porrò prædictum Virginis officium recenter ab Vrbano Pontifice quarto apud Gallias fuerat inſtitutum. Et quia multiplicatis interceſſoribus propenſior eſt ad indulgentiam peccatorum iudex, addidit ſanctorum laudes.

*B. Virgo porta cæli, & miſericordiæ mater.*

*A quo inſtitutum Mariæ officium.*

*Laudes Sanctorum.*

Denique quoniam miſericordia cæteris impenſa, miſericordiam nobis conciliat offenſarum, ideo ſuffragia defunctorum præcedentibus neceſſitatum noſtrarum poſtulationibus adiunxit: vt facta captiuis in purgatorio miſericordia, pro noſtris reatibus faciliorem apud Deum miſericordiam inueniamus. Proinde, quia teſte Bernardo, impunitas, peccatorum eſt ſtimulus, incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix: prudentiſſimus parer, inſtituit quotidiano capitulo commiſſorum ac omiſſorum publicam & vltroneam ab vnoquoque fieri accuſationem, ne quod vel leuiſſimum quidem facinus abiret impunitum: ſimul & beatiſſimi patris Benedicti regulam à Concilio generali ſibi datam legi voluit: cui confirmandæ ac melius obſeruandæ, addidit & ſtatuta quædam neceſſaria (quemadmodum iam dictum eſt) ipſam regulam implentia. Omitto centum geniculationes qualibet nocte faciendas, & pſalteria ſingulis hebdomadis dicenda, præter ordinarium officium: quæ refrigeſcente deuotionis feruore à paucis iam obſeruantur, & in alia quædam rationi temporum magis accommoda ſunt commutata, inſpirante Spiritu ſancto: cuius gratia & auxilio, interuenientibus ſancti patris meritis & precibus, factum eſt, vt ab eo plantata in Italiæ ſolo vinea, palmites ſuos extendat vſque ad vltimos Galliarum fines, atque Hungariæ, latiuſque in dies propagetur. Vnde manifeſtum eſt, diuinum huius inſtituendi ordinis conſilium, non hominis eſſe, cuius cogitationes vanæ ſunt, ſed Dei: cuius conſilium in æternum manet, & cogitationes cordis eius in generatione & generationem, quo fit, vt non diſſoluatur, ſed permaneat in ſecula ſeculorum. Amen.

*Impunitas quàm pernitioſa.*

*Ordo Cæleſt. quantũ propagatus.*

---

## *De congregatione fratrum ad eum conuenientium, & timore noui Ordinis, per ſummum Pontificem auferendi cum cæteris.*

### Cap. XIX.

IGitur vir Dei, poſitus in gentem magnam, cùm in odorem ſanctitatis eius concurrerent fratres, à ſolis ortu & occaſu, ad eius magiſterium & diſciplinam: demum ab Eremi latebris palam educitur, & qui ſecretis prius abſtinentiis in ſolius Dei oculis carnem macerabat, coactus eſt tandem ad laxiorem & imitabilẽ infirmis fratribus viuendi formulam deſcendere, vt illos viam cœli exemplo doceret ac verbo inter eos exiſtens, tãquam fratrum minimus. Accreſcente autem fratrum numero, accreuit & numerus locorum, conſtructis hic & illic cœnobiorum tuguriolis, quaſi ad hoſpitandũ, non perpetuo manendum. Cùm autem illis deeſſent victigalia, ſuarum manuum labore quæſitis cibis, Ægyptiorum patrum more viuebant: quibus in labore deſudantibus, aderat ſanctus pater, conſola

*Labor manuũ religioſis perutilis.*



conſolationis panem verbo ſalutari ſubminiſtrans.

*Diuerſi falſæ religionis Ordines.*

Porrò ea tempeſtate ſuborti ſunt diuerſi falſæ Religionis Ordines. Nam pro ſuo quiſque arbitrio ac leuitate, ſuam ſibi ſectam, & proprium viuendi ritum excogitabat, fallaci erroris ſpiritu ſeducti, vt ſuam facilius implerent concupiſcentiam. Quibus grauibus ſcandalis emergentibus, vt occurreret æternus ille Paſtor qui cuſtodit Iſraël, reſpexit de cælo, & reuerendum patrem Theobaldum, Epiſcopum Placentinum, Syriæ legatum, in Vicarium ſibi deſtinauit. Electus igitur in ſummũ Pontificem, aſſumpto Gregorij illius magni nomine pariter & zelo, mox vt Eccleſiæ periclitanti prouideret, Lugdunum Concilium euocauit, in quo præter cætera egregia per inſpirationem diuinam ordinata, decreuit huiuſmodi nouos & factitios, nec à ſede Apoſtolica comprobatos religionum Ordines ad nihilum redigi: adeò vt ex crebris tunc mendicantium ſectis, ſolos Dominicanos & Franciſcanos ab Eccleſia receptos comprobaret. Sancti verò Auguſtini Eremitas, Carmelitaſque, ad maturiorem retulit deliberationem. Quid igitur actum eſt de nouella Cæleſtinorum plantatione? Nunquid ab agro Dei, quæ eſt Eccleſia, adhuc naſcentem extirpauit cum cæteris, velut infructuoſam, & ſolum inutiliter occupantem? Abſit. Quam enim plantauerat agricola cæleſtis, ea nullis humanis viribus eradicari poterat. Profecit itaque, & altas miſit radices, vinumque dedit exultationis, non ſolum homines lætificans, ſed etiam Angelorum Dominum. Ac licet eam effodere tentauerint apri, prorſúſque exterminare moliti ſint: Dominus tamen Deus reſpexit de cælo, vt videret & viſitaret vineam ſuam, perfecitque eam quam plantauit dextera eius, atque ab inimicis tutatus eſt. Verumtamen cum de factitiis religionibus euertendis fama percrebuiſſet, maximus terror inuaſit Dei famulos, vna cum ipſo, patre: æmulos autem eorum gaudium ingens exhilarauit: vt etiam Præſules, quorum in Diœceſibus noui Ordinis Monaſteria cõdebantur: quod bona à piis viris in eũ Ordinem iam collata, ad ſuas Eccleſias traducerent, adunatoſque fratres ſpoliarent, & ſua, quamuis tenui fraudarent alimonia.

*Concilii Lugdunenſe.*

*Timor Petri Cæleſt. de Ordine ſuo deprauando.*

*Proficiſcitur ad Concilii Lugdunenſe.*

Anxius autem Petrus non fugit coram lupis tãquam mercenarius, ſed inſtar cæleſtis illius Paſtoris, animam pro ouibus ponere non dubitauit. Ordinis igitur ſui confirmandi cauſa, ne pari cum cæteris damnatione inuolueretur, ac deperiret, fortis animo, ſupra infirmæ ætatis conditionem, ſenex, omnia potens in eo, qui ipſum confortabat, longũ, ac laborioſum iter ad Lugdunenſe Concilium aggreditur, neque frigoris hyemalis aſperitatem, neque latronum eo tempore graſſantium inſidias, nec alia ſenectutis incommoda pertimeſcens.

---

## *De profectione Cæleſtini ad Lugdunenſe Concilium, & Religionis confirmatione: atque inde reditu difficili & periculoſo.*

### Cap. XX.

MEnſe igitur Nouembri, duobus tantùm comitibus vię ſecum aſſumptis, Lugdunum cogitat, fratres cæteros multum lacrymantes, poſt ſalutarem adhortationem, diuinæ commendãs protectioni. Itaque benedicens omnibus abiit duce Chriſto, & comite ipſius Angelo. Per confragoſa igitur & aſpera montium loca, pérque horrida nimium frigora dies noctéſque ambiens, ſuperatis tandem Alpibus, ad deſtinatum Lugduni Concilium multo ſudore peruenit. Quo in loco etiam ſi pannoſus eſſet, & veſtitu exteriori contemptibilis, à ſummo tamen Pontifice præter omnium ſententiam honorificè ſuſceptus eſt. Monitus quippe in ſpiritu ſummus Antiſtes, diuinum aliquid in beato viro latere cognouit: neque tam ad vultum eius exteriorem, quàm ad interioris hominis dignitatem attendit. Operante igitur Domino, & magnificante Sanctum ſuum, ampliorem quam ſperaret, in conſpectu Concilij gratiam inuenit, Ordiniſque ſui confirmationem impetrauit, accepta beatiſſimi patris Benedicti Regula, cuius diſcretione intolerabilem & ferè ſuperhumanum vitæ ſuæ rigorem temperaret: vt infirmis condeſcendens, eorum quoque ſalutem operaretur. Sic ergo ſuauiter diſpoſuit diuina clementia, cuius ſpiritu vegetatur & regitur Eccleſiæ corpus, vt venerabilis patris Benedicti Ordo, tam fœlicibus inchoatus auſpiciis, tamque proſperis auctus incrementis, ſed poſtmodum in ruinam, & propè ad nihilum redactus, per hunc Cæleſtinorum patrem inſtauraretur, & quaſi ignis ex ſufflatis cineribus quibus opertus erat, inclareſceret.

*A ſummo Pontifice honorificè exciſpitur.*

*Regula D. Bened. Cæleſtino à Concilio data.*

Non eſt ſilentio prætereundum, quod tunc circa ſanctum patrem dignatus eſt Dominus oſtendere miraculum. Nam cum iubente ſummo Pontifice, Miſſam coram eo celebraturus cucullã exuiſſet ſacris induendus veſtimentis, remanſit cuculla eius diuinitus in aëre ſuſpẽſa. Oblatis denique pretioſis ornamentis, digniſſimo miniſterio humana æſtimatione non indignis, erubuit vir ſimplex & rectus, deuotus cultor paupertatis: quippe vilibus, ſed iis tamen mundis vti ſolitus erat in Eremo. Nouerat certè cordis munditiam, & feruorem deuotionis, gratiorem eſſe ante Deum omni pretio veſtium, & ſplendida compoſitione. Eapropter pretioſa veſtimenta flocci faciens, viliorem amictum deſiderabat, qui dignum Deo miniſtrum decet, qui coli vult, & adorari in ſpiritu & veritate.

*Stupendum Cæleſtini miraculum corã S. Pontifice.*

Igitur anxiato ſuper hoc non parum ſancti viri ſpiritu, confeſtim apparuerunt diuino nutu, (qui puſillanimes opportunè conſolatur) ſimplicia illa & vilia veſtimenta cum quibus celebrabat Petrus in Eremo, quod tamen ſimplicitati, non ſingularitati coniicias aſcribendum, quia puduiſſet cum pretioſis celebrare. Sic indutus, deuotè, cum intima gratiarum actione, reuerenter & feruidè, diuina peregit myſteria, aſſiſtente, & ſtupente cum adhærentibus ſibi, ſummo Pontifice. Beatiſſimus itaque pater rebus ex ſententia compoſitis, & impetrata Ordinis ſui confirmatione, lætabundus & exultans in Deo ſalutari ſuo, reditum ad ſuos tanto celerius parauit, quanto moleſtiori ſolitudine ſe nouerat expectari. Accepta igitur ſummi Antiſtitis benedictione, & familiaribus verbis vltro citroque collatis de honore diuino, ſanctæque religionis obſeruatione, glorioſus ſenex remeauit.

*Sacra facere volenti diuinitus ei afferuntur ſacra veſtes quibus in Eremo vti conſueuerat.*

*Confirmatio Ord. Cæleſtinorum.*

Verumenimverò, iuxta prophetiam, peccator vidit, & iratus eſt, dentibus fremuit, & liuore contabuit, ob tantam Dei in famulo ſuo Petro glorificationem. Serpens enim antiquus, humanæ ſalutis, diuinæque laudis inimicus, redeunti Petro molitur inſidias, viamque præcludit, ne ſalutarem animi pariat conceptum, & in effectum perducat. Tunc enim nequiſſimus ille zizaniorum ſeminator, rixas inter Lucanos Piſtorioſque populos concitauit, ita vt hinc & hinc ad arma concurrentibus

*Inſidiæ diaboli Petro redeunti factæ.*

illis omnes in circuitu viæ à grassatoribus obsiderentur, & transitus per eos difficillimus esset ac periculosus. At verò Petrus Dei negotium agens, in ipso confisus est, nec confusus. Pergenti siquidem affuit miles quidam speciosus, albo insidens equo, qui de via interrogatus, Cur (inquit) non timetis tam periculosa & obsessa vndique à latronibus loca transmeare? Respondenti autem Petro se in diuina misericordia sperare, subiunxit: Ambulate confidenter, diuina freti protectione. Quo disparente, Petrus cum fratribus in syluam longè ab hominibus remotam ingreditur, & à tribus repentè sicariis inuaditur: sed is qui protector est omnium sperantium in se, tribus subito serpentibus immissis, propositam sicariorum malitiam compescuit, & eos in fugam conuertit. Rursus tamen insidias moliti sunt, & rursus quoque Deo protegente, à serpentibus effugati sunt. Eorum verò damnabilem pertinaciam considerantes fratres, substitere, persuadentes patri sancto, vt à recto itinere paululum diuerterent. Quod facientes, militi memorato statim occurrere. Qui consolatorio & hilari vultu quasi Angelico eis arridens, Nunquid (ait) fratres verè prædixi vobis periculosum esse iter? Nunc autem viriliter agite, & corde confortati, sperate in Domino. Dabit enim petitiones cordis vestri, vosque saluos in tutum deducam. Reuocatis ergo animis, præeuntem sequuti sunt, donec vicinam & in prospectu sitam vrbem ostenderet, ad quam iter habebant, statimque ab eorum oculis euanuit. De ipsius autem disparitione tam subita stupefacti, diuinæ protectionis fauorem sibi cælitus affuisse non dubitarunt. Deinceps verò ab omni persequutorum angustia liberi, cum ingenti fratrum & amicorum gratulatione, salui & incolumes ad sua peruenerunt.

*A sicariis inuaditur.*

*Fugantur à serpentibus.*

*Fauor diuinæ protectionis Petro in via reuertenti affuit.*

Reuerso tandem patre cum lætitia, & post multas hinc & inde procellas, tandem in voluntatis suæ portum perducto, obstupuerunt inimici, timoreque correpti sunt, qui bona pauperculorum impunè nulloque prohibente diripiebant, quorum audaciam infrenem D.Petrus compescuit. Induti siquidem confusione & pœnitentia ducti, quod impudenter & intrepidè rapuerant, verecundè & timidè retulerunt. Sed nec Episcoporum quisquam ausus est temerarias de cætero manus in Cælestinorum possessionem immittere, aut vllam inferre molestiam approbato per sedem Apostolicam Ordini, præter vnicum Theatinum Episcopum, audaciæ perditæ hominem, & à præsulari sacerdotalique iustitia prorsus alienum. Quem infestissimum persequutorem, ad seruorum suorum probationem remanere permisit Deus, vt in tribulatione ab eo illata, tanquam aurum in fornace probaret electos suos, ac ne securitate nimia torpescerent, exerceret, sicut & per Chananæos Israëliticam gentem olim erudiuit. Tyrannus autem ille tanta in seruos Dei montana colentes ferebatur insania, vt à facie eius tanquam oues ante lupum fugere cogerentur, libros, Ecclesiastica ornamenta, etiam campanas ipsas secum transferentes: illius enim sacrilega rapacitas ne sacris quidem rebus parcebat. Tunc multæ quidem tribulationes iustorum fuerunt, sed de omnibus his liberauit eos Dominus. Paulo post enim percussus Tyrannus plaga lethali, & incurabili morbo, humiliatus est.

*Theatinus Episcopus Cælestinum persequitur.*

Cum igitur se morti vicinum agnosceret, mons ille vsque ad cœlum intumescens per superbiam, statim sicut cera à facie ignis, fluxit à facie Domini, & factus est vallis per humilitatem. Itaque rapinarum suarum pœnitens & compunctus, beatissimum patrem accersiri iubet, eique præsenti sacrilegam rapinam confitetur, veniam supplex obsecrat, & condignam addit satisfactionem. Neque enim tantum ablata restituit: verum etiam quæ prius Episcopali dominio subiecta erant, per omnem modum exempta esse voluit ac libera.

*Tandem resipiscit.*

## *De augmentatione Ordinis, & Monasteriis Benedictinorum ab eo receptis.*

### CAP. XXI.

INterea sanctus pater zelo domus Dei & Monasticæ disciplinæ incalescens, ad colendam Christi vineam summo studio accenditur, & coadunatis in Monasterio sancti Spiritus de Magella fratribus, Capitulum generale celebrans, plurima de diuinorum obseruatione mandatorum, Euangelicorumque consiliorum, veteris disciplinæ per incuriam subuersæ reparatione, necnon & de regula beatissimi patris Benedicti diligentius obseruanda, copiosè disseruit. Sed & quædam addidit (vt prædictum est) ipsi regulæ statuta, ad eam non soluendam, sed roborandam, & accuratius obseruandam prorsus necessaria. Hac igitur tam strenui agricolæ opera factum est, (auxiliante illo sine quo nihil fieri potest) vt nouella vitis in vinea Diui Benedicti plantata, tantùm profecerit & dilatata sit, vt propagati palmites longè latéque diffunderentur, & montes operiret vmbra eius; vt etiam in Apenninis Italiæ iugis multa per id tempus essent monasteria, & nunc traiectis Alpium rupibus, cisalpinam ferè Galliam impleat.

*Capitulum generale à S. Petro celebratur.*

*Statuta Petri Cælestini.*

Porrò tantæ suauitatis odorem sentientes Benedictini, iam lapsi, ad se tandem redierunt, & regulæ suæ veram in nouis fratribus obseruantiam agnoscentes, seipsos suaque loca sancto patri subdiderunt. Dilapsa igitur, & tam spiritualium quam temporalium bonorum possessione spoliata Cœnobia Benedictinorum, non pauca vir sanctus domus Dei zelo accensus in curam suam suscepit: in quibus S. Mariæ de Fœsulis Cœnobium patriæ propinquum, eo libentius reparandum assumpsit, quo maiori erga ipsum charitate afficiebatur, ob assumptum inibi sanctæ conuersionis habitum, vt præmissum est. Assumpsit ergo illud, non honoris ambitione, quia magnæ dignitatis esset: nec opum cupiditate, quia opulentum, licet ex parte iam dilapidatum: sed pio (vt diximus) affectu ex præcedenti beneficio, insuper & precibus hortamentisque reuerendissimi & optimi viri Beneuentani Archiepiscopi persuasus, à quo & in loci ipsius Abbatem est consecratus. Huic itaque præfectus pater, cùm nec veteris disciplinæ, nec ædificiorum pars nisi modica superesset, omnia tamen vigilantissimus pastor vnius anni curriculo in antiquum decus restituit. Repetitis nempe ab iniquo raptore possessionibus, tam breui restituta est ædes, vt mirarentur omnes, Deumque in sancto suo magnificarent.

*Benedictini ad Cælestinū conuertūtur.*

*Abbas B. Mariæ de Fœsulis constituitur.*

Sed ne vir ad laborem natus inter tantas opes & honores, fortassis à cœpto arctioris vitæ stadio declinaret, & solitam austeritatem viuendi remitteret, vix anno ibidem reuoluto, vt formulā disciplinæ regularis fratribus verbo & exemplo demonstraret: mox ad pauperculum solitudinis tugurium



rium reuertitur, vno ex discipulis in Abbatem substituto. Ipsum autem Monasterium, cælestis Abbatis fauore, & D.Petri diligentia, sic breui tempore conualuit, vt Monachos plusquam quadraginta continuos foueret. Proinde gaudebant adiacentes populi, & laudabant Dominum in sanctis eius, quibus ipse Dominus signa per Sancti sui preces & merita ostendere dignatus est, de quibus saltem vnum enarrare non pigebit.

*Relicta Abbatia solitudinem petit.*

Rusticus quidam à castro Beti, filium suum annos quinque natum, & ab vtero mutum, vna cum vicinis ad beatum patrem attulerat, vt infantis linguæ vinculum oratione sua solueret. Humilis autem vir Dei, quasi nullum antea Deus signum per illum fecisset, indignusque foret per quem talia fierent, subasperè rustico respondit, velut stomachatus, quòd ipse tantum de meritis eius præsumpsisset. Ite (ait) procul: sum ego Deus, vt mutis loquelam dare possim? hoc autem dicebat, non aliquo commotionis & furoris spiritu, sed humili suiipsius æstimatione. Cæterum fratres rustici, lacrymis commoti, sic pium patrem obnixius rogarunt, vt diuinam eis misericordiam imploraret. Ductus ergo pietate vir sanctus, non tantum suis, quantum assistentium meritis ac fidei confidens, eis orationem indicit, orās & ipse pariter cum illis. Deinde ori muto signaculum viuificæ Crucis imprimit, osque tangit, & tactum aperit, ita vt soluto linguæ vinculo verba expedita, & diserta proferre posset, stupentibus qui aderant ob rei nouitatem, præsertim gaudente rustico, & gratias agente. Qui cum sano filio domum reuersus, paulo post duas capras de paruulo grege suo ad Monasterium adduxit, in gratiam accepri à Sancto beneficij. Quod videns pater pius, & misericors, subrisit, pauperis homunculi deuotioni congratulans, & paupertati eius compatiens, non munuscula contemnens, fratribus ne capras eiūs tollerent, prohibuit: quin potius eleemosynam eidem iussit impertiri.

*Muto loquela redditur.*

Florebat itaque Monasterium tam bonorum morum disciplina quàm rerum abundantia. Sed semper comes est fælicitatis inuidia. Inuidit ergo diabolus animarum saluti, inuidit & terrenæ prosperitati humana cupiditas. Dominus enim quidam nomine Simon, potens in iniquitate, & auaritiæ facibus accensus, duo prædiola cum aliis compluribus Cœnobij possessionibus inuasit & obtinuit. Cuius sceleratissimis conatibus cum fratres, vtcumque poterant, sexennio continuè restitissent, in multa patientia certantes pro vinea Domini tāquam Naboth Israëlites, ne res Ecclesiasticas manus prophana contra ius humanum & diuinum possideret: tandem beatus pater perpendens inexpugnabilem tyranni peruicaciam, & damnosam ab exercitio spirituali fratrum distractionem, maluit rei temporalis iacturam facere, quàm spiritualis. Itaque homini perituro, perituram terræ possessionem reliquit, vt æternam diligentius inquirerent hæreditatem. Abbatem igitur Monasterio præfectum, vnà cum fratribus à conturbatione illius hominis ad quieta loca reuocauit, dicens cum Sapiente; Melior est bucella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Accepto igitur patris mandato, fratres, collectis sarcinulis, ad Monasterium Sancti Ioannis in plano migrauere, (nam & hunc locum à Benedictinis nuper susceperant) vt collapsam similiter in eo rem & temporalem & spiritualem restaurarent. Porrò audita fratrum discessione à loco memorato de Fœsulis, totam in circuitu regionem luctus inuasit: ita vt incolæ gementes dicerent, se à Deo esse destitutos. Exultauit autem in re pessima persequutor, voti sui compos, quia liberè vineam Domini possideret, atque lætatus est cum malè fecisset. At illius impij gaudium breuissimum ad instar puncti fuit. Cælestem enim vindictam protinus sensit, & paruo post dierum interstitio, letali correptus infirmitate, possessionem Ecclesiasticam inuitus, & impœnitens, vt rabidus canis moriendo dereliquit, faciēte Domino vindictam pauperum, & potente potenter tormenta patiente.

*Inuidia fælicitatis comes.*

*Prouerb. 1.*

*Horrēdus interitus cuiusdam potentis bona Ecclesiastica rapientis.*

## *De multiplicatione Ordinis Cælestinorum, & misericordia B. Petri in pauperes.*

### CAPVT XXII.

SIc ergo nouellæ plantationi arrisit cælestis agricola, sic fauit, & læta dedit principia, vt personis, rebus & locis fæliciter accrescens, sexcentos ferè fratres, trigintaque sex Monasteria contineret. Primum autem & præcipuum erat Sancti Spiritus de Magella, tam fratrum numero, quàm religiosæ disciplinæ obseruantia præcellens. Proinde cum fratribus operi diuino deputatis, erat & alia exterioribus mancipatorum negotiis multitudo, quos antiquo more Oblatos vocauimus: sed quia tria vota religionis essentialia non minus quàm cæteri voueant, fratres & censeri & vocari iustis de causis decenter institutum est. Secularium quoque multitudo copiosa communem meritorum & orationum ordinis societatem habebat. Perspectū enim Religionis fructum cum ipsi ardentius desiderarent, nec tamen Religionis habitum, ac omnimodam seculi fugam apprehendere possent: pro animarum zelo permotus pater, in vicinis vrbibus & pagis Confratriam instituit, eis fraternarū orationum fructum communicans, certum tamē Dominicarum orationum, rosariorumque D. Virginis Deiparæ numerum, & pias quasdam conditiones determinans. Coniunctis in hunc modum secularibus, tanta erat eorum erga fratres charitas, & affectio, vt suam illic substantiam exteriorem certatim offerrent, suaque carnalia communicarent, vt eorum spiritalia meterent. Sed optimus & paupertatis amator pater excutiebat manus suas ab omni munere. Imo Monasteria sibi subdita ditescere non permittens, si substantiam multiplicari videret, vendi iubebat, & pretium in pauperum vertebat alimoniam. Quorum scrutator adeo studiosus erat, vt eorum numerum etiam nosse vellet, diuidereque singulis necessaria pro sua cuiusque indigentia. Quapropter ad eum veluti ad patrem vndique confluebant pauperes, quos numquam vacuos abire permittebat. Si verò aut infirmitas, aut verecundia, vel senectus, vel alia quælibet causa prohiberet eos ad ipsius venire conspectum, sollicitè de eis inquirens, id quod opus erat, transmittebat. Imprimis autem nubilibus puellis prouidebat, B. Nicolai exemplo, pecuniarumque dotem eis impendebat, ne extrema ipsarum inopia, prostituendi corporis causa fieret.

*Oblati, fratres vocati.*

*Instituit Cōfratriam vir sanctus.*

*Cælestinus quantū paupertatis amator.*

*Exemplo S. Nicolai puellis nubilibus prouidere solebat.*

Cùm igitur viro Dei plurima dona diuites conferrent, vt de spiritualibus eius bonis participarent, tam liberaliter & fideliter pauperibus Christi membris ea distribuebat, vt ne sibi quidem ipsi quicquam in cella relinqueret, quod in vsus pauperum conuertere posset. Quinetiam si quid ab eo peteretur, quod in promptu non haberet, verbum pro re bonum dabat, promittens certo die se daturum.

*Verbum bonū pro re dandū.*

turum. Sic nemo tristis & indonatus ab eo recedebat: consolabatur enim omnes, aut re, aut spe. Quid plura? Nec solum in foribus suis stantem egenum suscipiebat, sed etiam vicina loca circuibat, priuatasque domos, & publica Xenodochia, & monasteria aliena scrutabatur, vt omnium subleuaret inopiam. Hoc vnum satagens, ne Christus in vllo vel minimo membro suo necessitatem pateretur.

*En quantum misericordiæ operibus studuerit vir sanctus.*

## *De secessu B. Petri ad solitudinem asperam.*

### Cap. XXIII.

Dimisso (vt prædixi) sanctæ Mariæ de Fœsulis monasterio, præ importuna tyranni illius vexatione, copiosus fratrum exercitus ad locum sancti Ioannis in plano, nuper nouo ascriptum Ordini commigrarat, factumque est aspirante cælesti Domino, & in suis famulis operante, vt ab infelici ruina in pristinam gloriam redierit, & plus quàm diebus antiquis floruerit monasterium prius desolatum. Porro multis & opulentis cœnobiis ad quietam habitationem præparatis, innumerisque fratribus in pace congregatis ad Dei cultum & honorem: denique regulari disciplina tam integrè reparata, vt nihil ab exacta patrum Ægyptiorum perfectione distare videretur Cælestinorum fratrum obseruantia, & non solum beatissimi magistri, sed etiam multorum eius discipulorum sanctitatem mira testarentur prodigia. His omnibus (vt scriptum est) tam egregiè compositis, poterat bonus pater, senio ingrauescens, à laboribus quiescere, & iuuenilibus exercitiis fatigatum corpus recreare. Sed vir Dei sciens totum hoc vitæ tempus esse laboris, non quietis: seminandi, non metendi, à fraterna frequentia, in primam Eremi solitudinem remigrare proposuit. Hoc autem propositum vt primum fratribus innotuit, tum ipsi anxij, multisque lacrymis conspersi, agminatim ad eum cófluxere, flebiliter dicentes; Cur nos pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Inuadent gregem tuum lupi rapaces. Tam piis filiorum lacrymis commotus pater, quod (inquit) facio fratres, in meam simul & vestram cedet vtilitatem. Iam enim consenui, iam fracto corpore & debilitato langueſcens, tot locorum, torque fratrum visitationem exequi non possum. Infirmis quæso membris parcite deinceps, & quietem indulgete, vt sequestratus à turba, vacem mihi attentius, & videam quoniam suauis est Dominus. Quibus ad extremum acquiescentibus, prudens pater singulis ante discessum monasteriis prouidere cœpit, competentes illis fratres deputans: fratribus autem prælatos, vita & doctrina singulari præcellentes, iuxta regularem patris Benedicti sanctionem.

*Calestinorum prima obseruatia Ægyptiorum Monachorũ perfectionem æquabat.*

*Vir Dei nec in senectute laboribus parcit.*

*Pia fratrum de discessu D. Petri in solitudinẽ querela.*

Omnibus autem ritè ordinatis, in penitiorem Eremi solitudinem secessit. Loco in quem secessit Cælestinus nomen fuit sancto Bartholomæo de Logio, in quo latere solisque Dei oculis apparere volens, nemini se videndum exhibebat, præterquam paucis fratribus secum assumptis: quorum vtebatur ministerio ad responsa extraneis danda, qui ad eum pro necessitate confluerent.

Erat illic aliquando pater iste sanctus sacra celebraturus mysteria, sed vinum deerat in pretiosum Christi sanguinem institutione diuina & Ecclesiastica traditione consecrandum. Quod vbi pater sanctus comperit, vasa vacua iussit afferri. Quæ mox sancti patris benedictione vino repleta sunt & aqua. Sicque factum est, vt quod loci paupertas non potuit, viri sancti puritas obtineret. Cum autem aliquot ibi annos commoratus esset, crescensque virtutis fama, maiorem in dies frequentiam accumularet: humilis Petrus, humanam gloriam abhorrens, in abditiorem, & prorsus inaccessibilem Eremi vastitatem penetrauit. Erat in montis Magellæ decliui locus profundus, vallis Orfontis nomine, in qua crypta fuit, ad quam nullus nisi valdè periculosus patebat descensus. Sed quid amanti difficile? Proculdubio seni solitudinis auido, nec tanta quidem difficultas obstitit, quominus illuc cum duobus fratribus descenderet, ligneis quibusdam vncinis adiutus. Audientes autem alij venerabilem senem à sancto Bartholomæo secessisse, contristati valdè, quia latebram eius ignorarent, cum ingenti corporis & animi anguſtia, latentem per abrupta montium & vallium concaua tandiu quæsierunt, donec in memorata crypta delitescentem inuenere. Quibus flebiliter apud ipsum lamentantibus, de tam arcta & imperuia solitudine, etiam obnixè rogantibus per viscera paternæ pietatis, vt vel rediret ad sedem propriam, vel ad locum migraret aditu faciliorem: pius pater præmissa consolatione, respondit se molles, delicatosque, & curiosos non appetere. Qui tribulari nolit (inquiens) non veniat, tantum accedant & introëant sancto feruentes desiderio. Eapropter huc secessi, vt quanto difficilior aditus est, tanto si rarior. Quid enim mihi & mundo? Duobus igitur cum fratribus ibi diu permansit: paruumque, sed elegans construxit oratorium: necnon & cellas in suam & fratrum habitationem. Magnæ siquidem capacitatis erat spelunca: locusque dictus est S. Ioannes Euangelista de Orfonte: quia sacellum ei consecratum erat. At verò neque tam studiosè latere potuit quin tandem fuerit inuentus. Celeberrima enim gloria viri superabat montes, penetrabat abyssos, maria transfretabat, & quamlibet locorum distantiam breui momento percurrebat. Itaque vbi securus latere sperabat, ibi frequentius quærebatur. Nusquam enim adeo petitus, nusquam adeo venientium importunitate vexatus est, quàm in hoc inaccessibili latibulo, vt etiam vicina spelunce loca, turbis confluentibus, plerumque operta viderentur: atque præ multitudine vix se videndum exhibere posset. Qui autem colloquium eius expetebant, multos illic dies præstolari cogebantur. Vnde plerisque sola visio viri sancti erat ad ædificationem, & qui verbis ipsius instrui non valebant, aspectu saltem faciei Angelicæ, mirabilem benè viuendi rationem concipiebant, quasi legentes descriptam in ea sanctitatis formulam.

*Quã profundam incolat latebram vir Sanctus.*

*Monasterium S. Ioannis de Orfonte.*

*Magna viri Dei fama.*

*Innumeri vndique ad ipsum confluunt.*

In eo loco beati Ioannis de Orfonte cum vir sanctus habitaret, quot & quanta per eum fecerit Dominus miracula, non est nostræ facultatis nec intentionis quidem enarrare. Quis enim ediſſerat quot cæcis visum, claudis gressum, paralyticis motum, denique quouis membrorum genere laborantibus, deuotis precibus, & salutifero crucis signo impetrauerit sospitatem? Nullus ad eum ægrotus accessit, nullus ab eo benedictis rebus vesci voluit, vel vti, qui mox non sit restitutus sanitati. Et huius quidem testimonia credibilia facta sunt nimis: ad quæ sufficienter explicanda nec grande volumen sat esset.

*Miracula in Orfonte facta.*

*In vacuis vasis vinum & aqua creatur oratione D. Caelestini.*

## *De reditu Cælestini in montem Murrhonis, & occursu populi gratulabundi.*

Considerans ergo pius senex, ita diuina agi prouidentia, vt nusquam latere posset, quaquauersum iret, simul & misertus quærentium se tanto labore populorum (erat enim mons vbi cryptam incolebat altus sex ferè milliaribus) ad primum suæ conuersionis locum rediit, montem scilicet Murrhonis. Mense itaque Iunio præparata cella in diruto quodam castro, quod Sagencanum vocabatur, duobus à Sulmonensi vrbe milliaribus, medio autem milliari à Monasterio sancti Spiritus emigrauit. Cæterum quis exultationem, applausum, & honoficentiam omnium in circuitu, imò & longè habitantium populorum enarraret, audito patris sanctissimi tam desiderabili ad hunc locum reditu?

*Redit ad mõtem Murrhonis.*

*Honor Petro exhibitus.*

Videbatur haud dubiè alter è cælo Deus descẽdisse: tantus erat circunfusæ multitudinis occursus, tamque viri, quàm mulieres, senes & pueri, quicquid honorabilius haberent, illi offerebant, præsertim cereolos, cruces, ac thuribula aurea & argentea, cæteraque pretiosa diuino mancipanda cultui: veluti iam in numerum & catalogum sanctorum adscriptus esset. Sulmonenses autem ciues, præ cæteris lætabundi, honorifica processione obuiauerunt aduentanti Cælestino, cum hymnis & canticis spiritualibus, sacrisque donariis: quippè qui confidebant ipsius sanctitatis præsentiam, salutem, & ab imminentibus periculis præseruationem, patriæ allaturam.

*Humilitas.*

Sed quomodo non inflatur tantis honoribus pulsata mortalitas? Vera virtus nescit inflari quæ solido humilitatis fundamento innititur. Honoribus inflantur stulti, quos gloria vexat inanis: sed humilis corde Petrus, inter honores sibi vilescebat, seipsumque considerans reuertebatur in puluerem suum. Verumtamen vt populorum deuotioni satisfaceret, iussit in editiori loco tabulatum erigi: vbi & sacra mysteria spectantibus illis celebraret, & benediceret. Ascendens autem memor suæ fragilitatis, in fletum erupit, tantoque profluuio lacrymarum inundauit, vt & cæteri ad fletum prouocarentur; neque ipse ascendere posset præ mœstitia. Tandem vix super tabulatum eleuato, exclamant populi, Kyrie eleyson flentes & compuncti. Porro sacerdotalibus vestimentis indutus, ad victimæ salutaris oblationem, vix officium implere potuit præ nimia lacrymarum exuberantia. Inter ipsa autem Missarum solemnia dæmoniaci tres, aliique non pauci, quos breuitatis causa pertranseo, à sua liberati sunt infirmitate. Completo demum sacrificio, perceptaque eius benedictione, suam quisque domum incredibili perfusus gaudio repetiuit.

*Lacrymatur vir sanctus inter oblatas sibi laudes.*

Non multo post vir sanctus amore Dei nunquã otioso mirum in modum efferuescens, ad synodum (quod Capitulum generale vocant) fratres conuocat: in quo diuina propemodum oratione eos ad regularis obseruantiam disciplinæ, charitatemque diuinam, & fraternam, denique ad sacrum Dei cultum diligentius exequendum animauit. Ne verò senectutis consolandæ gratia, existimes nouam sibi cellam in amœniori loco & aëre sereniori parasse, vitam illic duxit austeriorem, donec ad summum raptus est Pontificatum.

*Capitulum generale.*

## *De electione D. Petri in Summum Pontificem.*

### Cap. XXIV.

At cognouit vniuersus populus, quod fidelis esset Petrus de Murrhone seruus Domini, ambulans & permanens in innocentia sua, nunquam retrorsum aspiciens, sed cum Apostolo semper ad anteriora se extẽdens. Fidelis ergo in pauca, dignus fuit qui supra multa constitueretur, & qui tam probè cordis sui claue vsus esset, postmodum cæli terræque claues acciperet. Itaque Nicolao sanctæ memoriæ Pontifice quarto, è viuis sublato, cũ sedes Apostolica duobus annis & trimestri spatio pastore vacasset, in graue rei Christianæ detrimentum, Cardinalibus inuicem discordantibus, & quærentibus quæ sua erant, non quæ Iesu Christi: tandem verò coadunatis ad exequias nobilissimi viri celebrandas, Deo ita disponente sermo de Pontificis electione interuenit. Factum est autem aspirante summo pastore, qui corda hominum tenet in manu sua, & linguas ad nutum suum moderatur, vt neminem ex collegio suo nominarint: sed vno omnes ore in beatissimum patrem conuenerint, nihil tale suspicantem. Pero hic à vobis, nunquid hunc Petrus honorem ambiebat? Nunquid limina Cardinalium frequenti ingressu attriuerat, vel muneribus impleuerat auaras eorum manus, vel blandimentis delicatas aures permulserat, vt sic eorum captaret fauorem, & suffragia sibi compararet? Absit de viro sancto vel talia cogitare. Exemplar verò electionis D. Petri Murrhonensis in Pontificatum sic se habet.

*Nicolao Papa defuncto, vacat sedes Apostolica duobus annis & tribus mensibus.*

*Sũmus Pontifex creatur.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen. Nos miseratione diuina frater Latinus Ostiensis, Geraldus Sabinensis, Ioannes Tusculanensis, & frater Matthæus Portuensis Episcopi: Hugo tituli S. Sabinæ, Petrus tituli S. Marci, & Benedictus tituli S. Martini Presbyteri: Matthæus Sanctæ Mariæ in porticu, Iacobus S. Mariæ in via lata, Neapoleo S. Adriani, & Petrus S. Eustachij Diaconi Cardinales. Notum facimus quod anno Domini milleſimo ducẽteſimo nonageſimo quarto, menſe Iulij, die Lunæ, quinto menſis eiuſdem, Apoſtolica ſede per obitum fælicis recordationis Domini Nicolai Papæ IV. vacante: poſt diuerſos tractatus diuerſis temporibus habitos per nos ſuper electione ſummi Pontificis, quibus optatus non acceſſit effectus, in communi conſiſtorio ſolito more cõuenimus, abſente venerabili fratre noſtro, Petro, tituli S. Marci Preſbytero ſupradicto, qui erat in hoſpitio ſuo, infirmitate ſeu debilitate detentus. Demum inter nos ex inſperato ſeu improuiſo, de venerabili ac religioſo Patre, fratre Petro de Murrhone Ordinis Benedicti, celebris ſanctitatis viro, habita mentione, omnes qui tunc præſentes eramus in conſiſtorio ſupradicto, ad perſonam eius intentæ conſiderationis intuitũ dirigentes, in ipſum quaſi diuinitus inſpirati, non ſine lacrymarum effuſione, nullo prorſus diſcordante conſenſimus. Et venerabiles fratres noſtros, Dominos Ioannem Epiſcopum Tuſculanenſem, Hugonem & Iacobum prælibatos, ad præfatum Petrum Preſbyterum Cardinalem tranſmiſimus, ad perſcrutandum ſuper huiuſcemodi negotio votum ſuum, qui eiuſdem ſtatris Petri audito nomine, deuotè conſenſit ſimiliter in eundem, prout iidem Cardinales ad eum tranſmiſſi, ſicut præmittitur, in noſtra præſentia retulerunt. Noſque volentes efficacius procedere in hac parte, venerabili fratri Epiſcopo Oſtienſi prædicto eligendi ſuo & omnium noſtrum nomine memoratum fratrem Petrum de Murrhone in Eccleſiæ Romanæ Pontificem & paſtorem, plenam & liberam viua voce conceſſimus poteſtatem. Qui poteſtate ipſa recepta, nobis præſentibus, vt præmittitur, eam illico efficaciter adimpleuit, eundem ſuo & noſtro nomine ex poteſtate ſibi

*Sequẽtes epiſtolæ ex MS. Monaſterij S. Spiritus de Magella, deſumptæ fuerunt, quæ apud Surium non reperiuntur.*

*Exẽplar electionis S. Petri in ſummũ Pontificem.*

sibi tradita, in Romanum Pontificem eligendo, ac nos electionem de dicto fratre Petro factam per eundem Episcopum Ostiensem ratam habentes, eundem fratrem Petrum de Murrhone, licet absentem deuotè recipimus in nostrum & eiusdem Romanæ Ecclesiæ ac vniuersalis Ecclesiæ Episcopum & pastorem. In cuius rei testimonium, & euidentiam pleniorem, præsentem scripturam fieri fecimus, nostrisque muniri sigillis, & subscriptionibus roborari. Actum Perusij, anno, mense, & die prædictis.

*Litteræ Cardinalium ad Petrum Cælestinum, iam in Summum Pontificē electum.*

His ita constitutis, quoniam Cardinalibus grauis erat & onerosa Summi Pontificis absentia, & ne diutius coronatio eiusdem differretur: ad eundem sequentes litteras direxerunt: quibus & ipsum canonicè electum, & vt electioni assensum præberet expostulabant.

Sanctissimo patri, & Domino Reuerendo fratri Petro de Murrhone, Ordinis S. Benedicti, diuina prouidentia in Romana Ecclesia Summo electo Pontifici: miseratione diuina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi sacrosanctæ Ecclesiæ Cardinales, pedum oscula beatorum. Si diffusam facti memoriam solliciti calami persequeremur officio, & præsentis negotij qualitatem condigna serie ponderaremus, prolixi vtique telam dictaminis nos ordiri contingeret, amplique tenoris formare paginam, vestræ sanctitatis clementiæ dirigendam. Sed ne prolixitate verborum, aut multiplicatis eloquiis vestrum prægrauemus auditum: processum per nos in eodem negotio habitum, vobis sub compendio reseramus. Vacante siquidem Apostolica sede, per obitum fælicis recordationis Domini Nicolai, Papæ quarti: Nos post diuersos tractatus, diuersis temporibus, per nostræ sollicitudinis studium super electione summi Pontificis habitos, quibus optatus non accessit effectus, in communi consistorio solito more conuenimus, & tandem inter nos ex insperato, seu improuiso, de vobis habita mentione, omnes ad personam vestram, meritorum virtute conspicuam, intentæ considerationis aciem dirigentes, in vos operante illo, qui fidelium mentes vnius efficit voluntatis, non sine lacrymarum effusione consensimus, prout in decreto super hoc confecto plenius & seriosius continetur. Cum itaque decretum ipsum vobis per venerabiles fratres Archiepiscopum Lugdunensem, Vrbeuetensem & Portuensem Episcopos, & dilectos filios, Magistrum Franciscum Aleapoleonis de vrbe, ac Guillelmum de Mandagato, Apostolicæ sedis notarios, exhibitores præsentium fiducialiter destinemus: sanctitati vestræ instantissimè supplicamus, & ex intimo cordis affectu deposcimus, quatenus profunda & sedula meditatione pensantes, quod huiusmodi celebrata de vobis electio, illo qui vbi vult spirat inspirante, processit. Attendentes insuper necessitatem multiplicem, non solum Romanæ matris Ecclesiæ, quæ longæ vacationis dispendia pertulit: sed etiam totius gregis Dominici, iam diu pastoris commodo destituti, innumera quoque pericula quibus vniuersalis Ecclesia subiacere dignoscitur, nisi eis per Iesu Christi Domini nostri Vicarium obuietur, vosque diuinis dispositionibus, prout decet sanctitatem vestram, mente humili coaptantes electioni prædictæ tam laudabiliter, tantaque concordia celebratæ, pium velitis accommodare consensum. Lætificaturi subinde per vestram desideratam præsentiam filiorum vestrorum, qui sumus nos, animos sitibundos, vt quod per nos pia intentione noscitur inchoatum, per vos votiuum & celebrem sortiatur effectum. Datum Perusij quinto Idus Iulij anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

Sanctus vir lectis litteris, magna admiratione perculsus vix credebat. Vocatus tamen tanquam Aaron, commissam sibi voluntate Christi sponsam, Ecclesiam scilicet sanctam, multo iam tempore viro destitutam, compassione & obedientia, non ambitione ductus, tandem sibi assumpsit. Plaudentibus autem vniuersis, & præ lætitia exultantibus, solus ipse gemebat & anxiabatur: prudenter attendens quanti negotij, & periculi prouinciam subiret, quantumque lubrico ac præcipitio proximus esset iste gradus. Qua consideratione vir humilis, ac timorosæ conscientiæ deterritus, clanculum in abditissimam latebram se propipere tentauit. Sed quò fugiat ipse, quem omnia vel occultissima loca semper prodebant, & quasi lapides clamantes diuulgabant? Porro intellecta tam vnanimi electione, & ad aures principum citissimè perlata, non plebeis tantum, vt prius, sed Regibus & ducibus proceribusque terræ confluentibus, sic obsessum & vndique vallatum est, quasi circunstante exercitu eius tugurium, vt nullum penitus effugium pateret. Eo igitur cum discipulo suo B. Roberto Salentino fugiente tunc iuuene, inopina & subita populi multitudine circumuentus, cum euadendi nulla spes esset, ad discipulum conuersus, quæsiuit, an se ad excelsa tractum & coactum, sequi vellet. Ille autem qui à magistro didicisset mundum spernere, virtutem, pacem, & silentium & solitudinem amare: Quæso(ait) vt & labori & periculo meo parcas, meque potius cellæ inopis, quàm diuitis ac solicitæ gloriæ participem esse velis.

*Fruſtra oblatum honorem fugere conatur.*

## *S. Petrus asino insidens, humiliter Aquilanam vrbem adit ibi coronandus.*

### Cap. XXV.

TAndem eductus à cella tamquam cæli consolatione, cum sancti Spiritus de Magella monasterium accessissent, proximique Reges Siciliæ & Hungariæ concito cursu ad eum peruenissent, atque depositis coronis, proni ad eius pedes prouoluti, sanctum Pontificem adorassent, necnon & disponerent de magnifica deductionis pompa & apparatu in equis & vestibus, solitaque magnificentia, vir Dei, non oblitus sui, ornatum hunc quasi pannum menstruatæ despiciens, consuetum sibi asellum sterni mandauit & adduci: indignum reputans, vermiculum honorificentius sedere, quàm cæli terræque Dominum, qui asello vectus, Hierusalem introiuit. Reges autem, Cardinalesque phaleratis auro & purpura equis assueti, processum tam humilem, ignominiosum, & Apostolica reuerentia indignum censuere, conantes hominem Dei à nouo & inaudito simplicitatis exemplo auertere: nec tamen prævaluerunt. Cachinnātibus autem & obstupescentibus illis, humilis pater nihilominus in asello sedens, ad Aquilanam vsque ciuitatem peruenit, comitantibus eum Ecclesiasticæ ac sæcularis dignitatis proceribus, cum splendido apparatu ac superbo. Quis autem satis existimet, quanto plebs gaudio exultarit, quando vnum de medio sui Regibus præsidere, quando vile iumentum vili stratum ephippio, regalium equorum phaleris anteponi, quando suam paupertatem hactenus contemptam de mundanis opibus triumphare vidit? Ingens atque immensum spectaculum fratres, & à Christi tempo

*Asello insidit Aquilam coronandus proficiscitur.*



temporibus hucusque non visum. Honorabatur in despicabili iumento paupertas, in equo triumphali calcabatur opulentia, coronabatur in sublimato paupere humilitas, prosternebatur in subiecto Rege magnificentia. In coronatione verò sanctus pater Cælestini nomine donari promeruit, quod terram corpore inhabitans, animo in cælo conuersaretur.

*Petrus Cælestini nomine in coronatione donatur.*

Sed ne cauillator secundum hominem iudicās, ambitiosæ & fictæ humilitati hanc asini sessionem ascriberet: Deus qui solus nouit cogitationes hominum, huic temerario iudicio occurrere dignatus est, sanctum suum euidentissimo signo approbans, & commendans in suo opere. Procedente siquidem viro sancto ad prædictam vrbem, cùm in loco, cui nomen est Castellum vetus, ab asino descendisset: rusticus quidam, filium vtroque pede claudicantem baiulans, nec valens præ turba ad beatum Patrem accedere, vix tandem ad asellum vnde sanctus descenderat peruenit: eique puerum imposuit, confidens quod sancti viri meritis filius ab infirmitate conualesceret. Quod & factū est. Claudus enim puer asello impositus à patre, solus nullo manum admouente sanus & rectus ab asino descendit.

*Puer, asello cui vir S. insederat impositus, à paralysi sanatur.*

## *De coronatione Petri Cælestini in Pontificem, deque indulgentiarum concessione, & solitudine non intermissa.*

### Cap. XXVI.

TAndem cum in hunc modum Aquilam applicuisset beatissimus pater, ipso die festo decollationis B. Ioannis Baptistæ coronam Pontificiam & cætera Apostolica insignia, nomenque Cælestini quinti coastantibus supra quàm ducentis hominum millibus, assumpsit. Pontifex factus, ad preces Regum & Principum, Ecclesiastica contulit beneficia, consideratis (vt potuit) hominum meritis: studiosius tamen cælestem (vt Cælestinus erat) thesaurum spiritualibus medicis erogandum referans, ne sibi collatam cælorum clauem relinqueret otiosam. Cæterum neque mensis regalibus, Pontificioue apparatu, neque lautioribus epulis animum attendit, quibus terrarum principes suscipere sit occupatus: sed Dominicæ plebi cibos cælestes præparare sedulus intendit, iuxta propheticum illud, Edent pauperes & saturabuntur. Ipso igitur coronationis die, pariter & octaua, peccatorum omnium culpam & pœnam præsentibus, confessis & pœnitentibus remisit. Insuper & quotannis, eodem coronationis die reuoluto, in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Collemadio, Ordinis Cælestinorum, quam ædificari curauerat, vbi coronatus est, consimilem erogauit criminum & pœnarum indulgentiam.

*Incredibilis hominū multitudo eites intereſt coronationi.*

*Indulgentias concedit.*

Paucis deinde diebus interlapsis, Rex Siciliæ, beatum Pontificem precibus instantissimis Neapolim accersiuit: vbi aliquandiu pro regiis negotiis commoratus, tandem duodecim ex omni Clero selegit viros moribus vtique ac literis conspicuos, quos & Cardinales instituit. Inter quos etiā duos sui Ordinis professos assumpsit, propter antiquam familiaritatem, & in militia spirituali contubernium: vt facilius eos ad manum haberet, desiderabilique diuinarum laudum exercitio cum eis aliquando pristinam cælestium dulcedinem deliberet, ab onere pontificali paululum respirans. Sed mirum est quod in supremo rerum culmine constitutus, & intra augustissimum ac Papalem thalamum, angustam sibi Eremicamque cauernulam meditatus, in alto humilis, inter turbas solitarius, inter diuitias pauper vixit. Hoc autem fecisse perhibetur, succedente D. Martini quadragesima, quam in solitudine ac silentio transigere decreuerat, vt à mundanis fluctibus, quasi in tranquillum portum subuectus, orationi vacaret liberius, & contemplationi. Sæpius exteriora negotia exosus, Dauidicum hoc carmen repetebat. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Sæpius inquam cum beatissimo Gregorio, prioris vitæ dulcedinem recolens, quasi post tergum ductis oculis, viso litore suspirabat, & quietæ solitudinis memor, turbam exhorrebat turbulentam.

*Ad preces Regis Siciliæ venit Neapolim.*

*Duos sui Ordinis profeſſos, Cardinales inſtituit.*

*Etiam S. Pōtifex factus, ſolitarius vixit.*

## *De reſignatione Pontificatus à Cæleſtino facta: deque populi triſtitia propter eius receſſum.*

QVoniam ergo cælesti viro nec mundus placuit, nec ipse mundo, quia ex eo non erat, ita vt cum Apostolo crucifixus esset mundo, & mūdus illi: propterea ad repetendam solitudinem animum inclinauit, excogitans honestam abnegandi Papatus rationem. Cuius deliberationis sententiā occultè paucis reuelauit, quorum ex numero potissimum fuit Benedictus Caietanus Cardinalis, omnium collegarum suorum peritissimus, ea præsertim scientia, quæ inflat, non quæ ædificat. Hic autem vt ambitiosus erat, honorumque appetētissimus, columbinæ sancti patris simplicitati & humilitati mox ita assensit, vt non solum institutum sanctissimi viri vehementissimè approbaret, sed etiam vt id quàm citissimè exequeretur, omnibus animi viribus persuaderet. Cuius consilio fretus, accensus & permotus pater, exuendæ dignitatis sentētiam adeò tenaciter animo impressit, vt deinceps ipsa non potuerit ab eo auelli. Consilium autem istiusmodi penitioribus amicis abscondit, ne qua prohiberetur occasione suum effectum sortiri. Cardinalium autem bona pars id vbi resciuit, mirum in motum lætata est: quippe qui mundo nati cælestem patris cōuersationem satis æquo animo ferre non poterant. Cæterum omnium postremi resciuerunt beatissimi patris institutum fratres Ordinis eius Cardinales: quo intellecto, incredibili confecti mœrore, protinus conati sunt venerabilis patris mentem precibus immutare: veriti ne emergens inde scandalum maximum Christianæ Ecclesiæ detrimentū adferret. Neapolitani quoque ciues, beato viro deuotissimi, certatim acurrentes, lacrymosis precibus ad eius pedes prociderunt, obsecrantes ne tantam rem auderet. Quibus aliquantulum inflexus beatissimus Pontifex, supplicationem publicam fieri præcepit, quatenus in ipso voluntatem adimpleret Deus, & si ab eo consilium esset, firmaretur: sin minus dissolueretur. Neapolitanus etiam Archipræsul, vniuerso Clero comitatus in supplicationum publicarum morem ad eū venit, per viscera misericordiæ Dei nostri, per totius Ecclesiæ salutem & pacem flebiliter obtestans, ne tam pernicioſum propositum, & rem adhuc inauditam opere compleret, quin potius labenti Christianæ reipublicæ misereretur. Tam vrgētibus interpellationibus permotus vir sanctus conceptū opus ad tempus distulit, non tamen propositum abstulit. Reuolutis quippe septem diebus, prænominatum Cardinalem Benedictum rursus clanculum accersit, cum quo de abdicationis forma confert,

*Benedictus Caietanus Cardinalis.*

*Cogitat de Pontificatus abdicatione.*

*Neapolitani ciues B. viro deuoti.*

*Aſſiduè cogitat de depoſitione Papatus.*

fert, & postridie se renunciaturum proponit.

*Forma renũciandi Papatui.*

Cum verò ipse Cardinalis sapientia huius mundi,quæ stultitia est apud Deum,impensius polleret, Pontificiæ dignitatis auidus,nouam renunciationis formam sine priorum exemplo cómentus est,quam in sexto decretalium libro à se conscripto,inseruit. Octauo igitur die beatissimus pater Cælestinus, conuocato Cardinalium collegio , in Apostolica sublimis cathedra sedens,indictoque (vt moris est) manu silentio , conscriptam renunciationis chartam perlegit alta voce,& immutato vultu. Statimque depositis Apostolicis insignibus,descendens ab alto Petri solio,in vilem pauimenti puluerem , sub eorum,quibus præeminebat , pedibus sedit. Quid autem hac humilitate admirabilius ? Omnium animos tantæ nouitatis stupor ita inuasit:vt ne inimici quidem à lacrymis abstinerent.

*Tandem abdicat se Pontificatu.*

## *Defensio aduersus calumniatores.*

### Cap. XXVII.

At verò ne tam egregium , hæroicumque , & cunctis inauditum sæculis factum calumnientur superbi : diuina prouidentia , per quam recta consilia & iusta sunt opera , hoc humilitatis opus supernæ voluntati conforme fuisse , sequenti patefecit miraculo.

*Postridie quã depositisset Papatum sanat quendam claudum.*

Nam postridie eius diei,quo ipse sanctus honori cessisset,quidam vtroque pede claudus,& membrorum officio destitutus , cum ægerrimè ad venerabilem patrem accederet impetrandæ sanitatis gratia, beatusque senex sacrificium altaris tunc offerret, tandem prædictus claudus , susceptа in fine Missæ benedictione , sospitati redditus est , atque incolumis cum gratiarum actione domum rediit , relictis ac suspensis ibidem ligneis adminiculis,sine quibus antea nullo pacto ambulare poterat. Quod tam euidens signum minimè per sanctum virum diuina gratia patrasset,si præcedentis renunciationis noxa gratiam ipsam auertisset. Quis enim dubitat peccatum ab homine diuinam gratiam exterminare? Plane nisi esset hic homo à Deo,non faceret tale quicquam.Sic Deus imprudentiam calumniatorum arguit, sic Sanctum suum in cóspectu hominum magnificauit , vt irreprehensibilis in facto suo videretur:sic denique obstruxit os loquentium iniqua, & temerè dicentium , Cælestinum ipsum ex nimia cordis leuitate, assumptum Pontificatus honorem abiecisse. Viso itaque miraculo omnes dixerunt: A Domino factum est istud,& est mirabile in oculis nostris. Ita planè voluit Deus magnum contemptæ ab hominibus paupertatis pretium declarare:quam iste Sãctus tantis & honoribus & opibus prætulisse visus est , vt per eam regni cælorum gloriam & diuitias mercaretur.

## *Benedictus Cardinalis in Papam eligitur, & Bonifacius vocatur. Beatus autem Petrus ad solitudinem reuertitur,& insigne in via miraculum facit.*

### Cap. XXVIII.

*Bonifacij electio.*

Exonerato sarcina grauissima Petro, Cardinales ad nouam electionem processere,prædictum ex collegio suo Benedictum eligentes. Nam vt ambitiosus erat , beatissimi patris humilem voluntatem agnoscens,ante ipsius renunciationem,ambire cœpit non solùm Cardinalium , sed etiam Regum & Principum fauorem,atque suffragia,vnde facile voto suo iure vel iniuria potitus Bonifacij octaui nomen sortitus est,veluti præsagio quodam antiphrastico,nempe quod bona plurima facturus esset , aut verius facinora iniquissima. Electo itaque Bonifacio,vir Dei Petrus in priuatum Ordinem & statum redactus , ad successorem suum accessit , humilémque reuerentiam exhibens , repetendæ cellæ facultatem postulauit , quam ille priùs se daturum promiserat. At verò noui Ordinis gradu insolescens Bonifacius, pristinæ conditionis immemor , toruo & inflato vultu sãctissimi viri simplicitati aduersatur,honestamque petitiunculam repellit,venerabilisque caniciei faciem confundere non veritus est. Fraudulentæ nimirum electionis conscius , formidabat ne sanctus pater aliorum suggestione sententiam mutaret , relictæque dignitatis pœnitẽtia duceretur , & eam repeteret.Suspicionis & formidinis fomes ambitio virum impellebat vt crederet,virum humilem ac sanctum ambitione etiam laborare:qualis enim quisque est,tales & alios putat. Formidinem quoque augebat , quod fautores multos ipsa viri sanctitas haberet,verebaturque ne id aliquando in dubium verteretur , an Papatui renunciare posset , cum in patrum Annalibus nullum istiusmodi reperiatur exemplum.

*Solus Petrus Cælestinus gitur Papatui renunciasse.*

Formidolosus igitur Bonifacius , & malæ conscientiæ stimulis agitatus , sanctum virum ad desiderabilem cellæ quietem redire prohibens , iussit vt se in Campaniam sequeretur , nequaquam passus à suo eum conspectu diuelli. Hæc autem Neapoli agebantur. Contristatus verò senex ( si contristare iustũ potest quicquid ei acciderit) quod à turbulenta aulæ Pontificiæ frequentia segregari nequiret , atque in solitudine tranquilla Deo vacare , metuentibus insuper amicis , ne quid Pontifex in virum Dei moliretur , & vt sibi caueret admonentibus , ipse vir sanctus tandem consilium accepit , vt clam à Neapoli ad cellam remearet: ratus , neque se displicere Deo , neque inobedientiæ crimen admittere , si Deo seruiturus , ad quietum solitudinis locum reuerteretur.Itaque seipsum diuinæ commendans prouidentiæ , à curia discessit , quasi Campaniam ex mandato Pontificis aditurus.

*Miraculum puellæ paralytica.*

Porrò Cassinensis Abbas , & fratres eius Cardinales , aliique quamplurimi non infimæ dignitatis viri proficiscentem sanctissimum virum vsque ad sanctum Germanum comitati sunt. Transeuntibus autem per Casale nouum , accurrit mulier , filiam ducens , vtraque manu paralyticam, quæ vix præ multitudine circunstantium beato viro appropinquans , pro filia miserabiliter afflicta opem implorauit. Quam pius pater inuocata Dei misericordia, salutari signo Crucis contactam pristinæ restituit sanitati , admirantibus & Deum in Sancto suo laudantibus , qui aderant , Prælatis, & Dominis , vniuersoque populo. Abbas autem, curationem puellæ plenius experiri desiderans , duos carolineos argenteos in terram proiecit , iubens vt ipsa sibi eos colligeret , quod puella solutis & expeditis manibus perinde fecit , ac si nunquam paralysi contractæ fuissent. Nonne tam euidenti miraculo voluit & nunc , vt prius , cælestis arbiter , ab hominum calumnia famulum suum liberare , ne præsumptæ inobedientiæ vitium ei fortè imputaretur , quod prohibente Papa solitudinem repetiisset?

De



persecutionem Herodis declinauit , in Ægyptum translatus, & iam vir factus, Iudæorum eum lapidare volentium furorem euasit. Vnde & discipulos suos docuit , vt in vna ciuitate molestiam passi ac persequuti ad aliam confugerent. Mutatis itaque vestibus elegantioribus quas hactenus præcedentis honoris gratia coactus retinuerat , sordidis induitur, & in abditissimam sese latebram proripuit, in qua spatio bimestri , donec aliam inuenisset,delituit magnoperè secundum hominem timens, robustus tamen in Domino, & à secura lætaque conscientia numquam deiectus.

*Delitescit vir sanctus in abditissima latebra.*

Camerarius celerrimè ad cœnobium reuersus, vt beatum patrem effugisse comperit , furibundus singulos fratres nunc prece , nunc pretio,minisque ac verberibus compellere sategit , vt latentem patrem detegerent. Quibus fideli silentio secretum supprimentibus duos fratres in cella patris repertos , crudeliter Romam deduci iubet, quorum altero in via præ infirmitate relicto , alter ad Pontificem deductus , & terrerimo carceri mancipatus inter arctissimas compedes animam fœliciter exhalans , malens animam pro fidelitate patri seruanda perdere , vt eam in vitam æternam custodiret : quàm prodendo patrem,animam in hac vita seruare, & in æterna perdere.

*Duo fratres Cælestini vi apprehensi, Romam deducuntur.*

## *De occulto & clandestino Cælestini discessu ad Monasterium Sancti Spiritus , & quo pacto Bonifacius Papa eum persequutus est.*

### Cap. XXIX.

Proinde cum ad Sanctum Germanum appulissent , vir Dei ad hospitale Cassinense clam diuersatus est : vbi Presbytero cuidam bono, ac sibi ex multis diebus deuoto , consilij sui reuelauit arcanum , adiurans ne cuiquã illud aperiret.Quod ille non solum feliciter impleuit , sed etiam auxilium porrexit, vt pium patris desiderium executioni traderet. Iumento siquidem ministrato , latenter ipsum in domum suam perduxit , quo in loco diem integram tantummodo commoratus , latuit solus, nequeuntibus eum fratribus pedestri itinere assequi. Post diem verò profugus pater pristinam sancti Spiritus cellam multum desideratam , quanta potuit celeritate , vectus equo repetiit, magnoperè timens ne à persequentibus attingeretur , sed eum tamen alacrem & velocem efficiebat desiderata solitudo.

*Honor Petro exhibitus à Sulmonensibus.*

Cæterum Sulmonenses , cæterique accolæ aduentanti occurrerunt cum incredibili exultatione, nec minus venerati sunt priuatam , quam publicæ paternitatis personam gerentem , & triplici corona præcinctum. Neque enim tam dignitatem exteriorem & ornatum , quam interiorem curabant. Porrò cellæ restitutus, quantas , & quanto mentis affectu , quantaue præcordiorum hilaritate gratias Deo egerit,quis animo,ne dicam verbo complectatur ? Inquieta verò successoris ambitio , quietum patrem vbique terrarum persequitur , neque destinata perfrui tranquillitate permittit. Suum enim Camerarium , Abbatemque Cassinensem properè post eum misit , qui Veredario concitato ad eum currentes , inuenerunt angustis cellæ parietibus corpore inclusum , sed mente in vastissimo terræ palatio per contemplationem dilatatum,ieiunumque spiritum lactea panis Angelici dulcedine refocillantem. Inuentum igitur rogauerunt , vt ad summum Pontificem protinus rediret,insimulantes quod illius iniussu ab aula Pontificia recedere præsumpsisset.

*Bonifacius persequitur Cælestinum.*

Ipse verò securæ conscientiæ fretus testimonio, piéque de diuina voluntate sentiens , nihil de his verbis commotus est. Et quam Bonifacio successori fecerat , antequam renunciaret , de repetenda cella protestationem allegans orabat , vt pacificam in solitudine quietem sibi Pontifex annueret, pollicens se nemini loquuturum , nisi manentibus secum in Monasterio fratribus,à quibus nullam prouenturam sperarent factionis iniuriam. Audito Venerabilis patris responso , quod honestissimum iudicabat Camerarius, ad Papam cum Abbate protinus redit. Sed ecce præter spem , alter nuncius Apostolicus redeunti fit obuius, atque itineri iam accincto literas affert , quibus iubetur sanctum & innocentem virum , aut inuitum attrahere, aut voluntarium protinus secum adducere. Quibus intellectis Camerarius magis hominem,quam Deum reueritus, tumultuosè ad patrem regreditur, vt iniurium atque iniquum Pontificis mandatum crudeliter impleret.

Interea verò præmonitus pater , an spiritu , an à familiari quodam , incertum est , fugam iniit clandestinam , exemplo Christi , qui adhuc infans

## C *De fuga patris in syluam Apuliæ , déque discessu ab eo loco , & præparatione nauigationis trans mare.*

### Cap. XXX.

Delitescens in Monasterio Magellæ vir sanctus , audiuit in Apulia syluam esse vastissimam , à quibusdam magnæ disciplinæ Anachoretis habitatam , ad quos partim sanctitatis eorum, partim latendi desiderio captus , properauit , cucullam exutus,& assumpta vili chlamyde,ne agnosceretur , vnoque tantum comite contentus. Perpende hic quæso frater , & attentius considera varias rerum vices , pristinæ sortis mutationem , & conditionis humanæ diuersitatem. Considera in alto prius solio residentem purpuratis Cardinalibus stipatum , ab ipsis etiam Regibus adoratum, nunc autem per syluas & lustra ferarum errantem , in labore & angustia, in fame & siti,in frigore & pluuiis. Heu decrepitus senex , confecto ætate ac ieiuniis corpusculo , huc illuc per aspera & inuia deserta cursitat , non equo , non mulo , sed nec asino debilitatem senectæ sustentans,nec laborem diurnum nocturno solatur hospitio:sed noctu diúque inquietus,pedes obambulat , vix sciens quò tendat. Neque enim stratam viam & tritam sequitur ne deprehendatur , sed à solis feris frequentatam , vbi nec panis ad cibum , nec aqua ad potum inuenitur , nisi fortè de torrente turbulenta. Vbi nunc Pontificales epulæ ? vbi vina falerna? vbi circunstantes vtriusque Ordinis famuli?

*Quanta rerũ humanarum vicissitudo.*

Cum autem quatriduano itinere sylua distaret à Sancti Spiritus Monasterio , vnde fugiebat, vnico fratre sociatus , etiam per angusta diuerticula fugæ, facere non potuit , quin agnosceretur,vt ab occurrentibus sibi in via proprio salutaretur nomine. Imò etiam semel accidit , vt cum sero diuersorium inquirerent , in pago quodam , pueri exclamarint : Ecce frater Petrus de Murrhone. Ad extremum autem cum in syluam tantopere quæsitam multo labore peruenissent , tandem duce Christo, ad duorum fratrum cellam applicuere , qui nun-

*D. Petrus in via fugiens à pueris cognitus.*

quam prius visum fratrem nominatim salutantes, eum gratulantes exceperunt, ingentesque Deo gratias egerunt. Ibi autem sanctus pater tutam latebram inuenisse ratus, maioris quadragesimæ ieiunium solitarius egit, cum stupenda carnis attritione, vti consueuerat. Iam verò aduenerat Dominica Palmarum, cum Abbas cuiusdam monasterij Benedictinorum, cui nomen Lachorata, septem fratribus comitatus, per syluam cum quæritans tandem inuenit: vnde dolens pater euestigio migrare coactus est.

*Peruenit in syluam Apuliæ, magnam quadrageſimam in cella duorũ Anachoretarum agit.*

*Quomodo è sylua discedens ac fugiens pater ob persecutionem transfretare cogitat, sed à tempestate prohibitus, & à Præfecto vrbis Ostiæ captus, Pontifici denunciatus est.*

CAP. XXXI.

COnsiderans itaque Petrus, ne vllo quidem Italiæ angulo se posse occultari, transfretare proposuit, vt saltem vel in mari absconderetur, vel extra mare. Fortè superuenerat ei secundus frater fugæ comes, itaque vnum ex duobus ad Monasterium sancti Ioannis in Plano, quod erat maritimum transmisit, vt Priorem eius loci consuleret, an vtilis foret ad euadendam persecutionem transfretatio. Intellecta igitur sancti patris deliberatione, Prior nauem instructam ad eum misit, quam ille Sabbato sancto conscendens feria secunda Paschæ ad prædictum Cœnobium peruenit. Quis autem dolor, quis planctus, quæ lacrymæ fratrum, vbi pium patrem conspexere adeo sordida clamyde squallentem, quem nuper viderant Pontificali apparatu fulgentem? Proinde integrum mensem illic delitescens, incredibilem filiis suis attulit consolationem. Ad plagas autem transmarinas enauigare contendens cum ventis se commisisset, importuna tempestate statim exorta rediit: sedato deinde mari, cum iterato nauem ascendisset, stantibus adhuc in littore, & vela explicantibus nautis, tantus vndique ventorum turbo ruit, vt nauis propemodum fluctibus obrueretur. Serenitatem itaque rursus expectat, expectatamque aduenisse confidens, infido rursus freto se commisit. At surgentibus vndique ventis, vix quindecim milliaribus peractis vno die, tandem portui propinquo adnauigare coacti sunt. Sic enim voluit cælestis ille pater dilectum filium suum erudire, & in camino tribulationis receptibilem ac dignum hæreditate sua facere. Sed & hanc tentationem permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob & Tobiæ.

*Monasterium S. Ioannis in Plano.*

*Ad plagas transmarinas nauigare cõtendens tempestate prohibetur.*

Porrò cum in portu decem milliaribus ab Ostia vrbe distanti, nouem diebus mansisset: interim audiens Præfectus vrbis, virum sanctum istuc applicuisse, nec Deum, nec eius sanctum reueritus, sed spe lucri temporalis allectus, violentas manus in Christum Domini mittere non expauit. Captum itaque detinuit, atque immaniter tractauit, Pontificem, Regesque & Principes per litteras admonens, vt conuenirent in vnum aduersus eum. Gauisus autem admodum Pontifex, Regi Siciliæ tunc in Anagnia ciuitate degenti scripsit, vt sanctum Dei suis oculis protinus curaret offerendum. Cui paruit Rex, vt Pontificis gratiam sibi conciliaret. Enimuerò quia potuisset à populo liberari, si fortè eum irreuerentius tractasset: quo facilius mandatum Pontificium exequeretur, non laicis principibus, aut satellitibus tanta persona indignis; deducendum patrem comamisit: sed religiosis ac profectò bonis, & tam corporis quàm animi nobilitate generosis, nempe Hierosolymitano Patriarchæ, ordinisque sanctæ Militiæ Priori, cum aliorum non ignobilium virorum comitatu. Et hi quidem honorificentius virum Dei habuerunt, quàm præcedentes: neque minus eum tractauerunt, quàm si adhuc Papali fungeretur officio.

*Capitur à Præfecto Ostiæ.*

*Ad Pontificem ducitur.*

Cæterum homo Dei quemadmodum aduersitate prædicta fractus non est, aut vultum deiecit: ita nec ista honorificentia elatus intumuit: sed eadem animi & vultus æqualitate permansit velut impassibilis. Transeunte autem viro per viam publicam, in itinere confluebant in occursum eius hominum cateruæ adeo quidem crebræ, vt per diem quiescere cogerentur, & per noctem ambulare: quandoquidem in ipso statim diluculo conuenientibus vndique turbis opprimebantur. Porrò his qui eum deducebant sanctitatem ipsius venerantibus, rogantibusque vt honorem resumeret, quin & auxilium pollicentibus, addentibusque quod Papatum iure abdicare non potuisset, sicut nec vir sponsam: absit hoc (inquit) à me, vt inconsutilem Christi tunicam diuidam, & in Ecclesia Dei schisma introducam. Sed & propositi sui tenax, addidit dicens: Si adhuc honori non cessissem, nunc denuo cederem. O hominis, non hominis, sed Angeli potius constantiam & fortitudinem animi, vbique terrarum prædicandam!

*De miraculis per eum in via factis.*

CAP. XXXII.

NE verò fictitia hæc dicat aliquis, & mera nos confingere mendacia obiiciat: præfati nobiles ac religiosi viri, Hierosolymitanus Patriarcha, & Prior Ordinis sanctæ Militiæ, facta in conspectu suo miracula, dum iter agerent, literis prodenda curauerunt, quæ sequuntur.

Imprimis, septima Iunij, dum per Castrum sancti Martini vallis gaudij transirent, quidam loci incola, nomine Petrus, Nicolai filius, manus cancellatas & alterum pedem claudum gerens decennio, solo Reuerend. patris tactu omnimodam recepit sanitatem.

*Paralyticus, viri conspecto vultu ſanatur.*

Recepit & Maria mulier quædam arreptitia, & dæmonio per annum ibidem malè vexata. Matthæus quoque de Salerno, Beneuentanus ciuis, vno latere per mensem, & vltra paralyticus, aspecto tantum eius, quasi Angeli vultu, repente in eodem Castro conualuit. Alius de Martaulano, quatuor annis cæcus, transeunti occurrens, lucis beneficium recepit. Apud Capuam septennis puer, à natiuitate mutus, solo B. patris tactu, soluto linguæ vinculo, statim, & deinceps locutus est.

*Mutus à natiuitate puer, solo viri Dei tactu ſanatur.*

Ibidem & eadem die, puer de Cornimaria natus pedibus infirmis, & ab octo annis incedere nequiens, cruce ab ipso patre signatus, agiliter ex tunc ambulauit. Omitto alia multa prodigia, literis (vt dixi) prodita, quibus sanctum suum in via mirificare dignatus est Dominus.

*Mulier peccatrix, aspectu Cælestini ab immunda vita recedit in Eremum.*

Hunc etiam morbum curare per famulum suum voluit. In præfata vrbe Capuana, mulier quædam peccatrix publica, cum cæteris occurrerat irridendi studio potius quàm honorandi patris sancti, verum audita eius voce veluti sagitta intus adeo vulnerata est, vt protinus de compuncti cordis vlcere, peccati sanies foras eruperit, & ab illa hora delicias



cias contemnere cœperit, pœnitentiam agens austeriorem. Nam ab humanis aspectibus quos pulchritudine vana in sui concupiscentiam illexerat, secessit in solitudinis angustiam, ibique reliquum ætatis suæ Dei seruitio mancipauit.

*Cælestinus apud Anagniam Campaniæ vrbem includitur iuxta Pontificis aulam. Sanatur Cusentinus Archiepiscopus, Pontifici præsentatur, qui eum arcto carceri demandauit.*

CAP. XXXIII.

TAndem beatus pater ad Campaniam vsque perductus, Camerario traditur, qui iussu Pontificis, per intempestæ noctis silentium, in Anagnia vrbe, iuxta pontificiam aulam inclusit, diu adeo Pontifici vicinus factus, vt ad illum Pontifex ingredi, & egredi facilè posset. Proinde lucerna hæc à Deo accensa licet ab aliis sub modio tegeretur, & magno Aquilonis flatu impereretur, mirabili tamen splendore radiabat. Virtus enim ipsa per se lucet. Deridebatur quidem ab insanis iusti simplicitas, quasi lampas contempta apud cogitationes diuitum, sed lucere parata ad tempus statutum à Deo. Audite & nunc radiantem extra modium suum lucernam.

*Includitur vir sanctus iuxta Pontificis aulam.*

Forte Cusentinus Archiepiscopus eo tempore ad aulam Pontificiam accesserat. Hic verò multis iam annis vetusto calculi morbo laborans, tunc tamen ingraueſcente dolore adeo grauiter afflictus est, vt à medicis omnino desperaretur. Iam eius familia parabat exequias, iam de lugubri veste cogitabat, funebremque procurabat pompam. Quid multa? Deploratus Archipræsul capulo instabat, non respirans pauxillum, diuinam misericordiam per S. Petri merita interpellat, & tanquam Ezechias à mortis postliminio reuocatur. Mirabile dictu, sed visu mirabilius. Vix orationem expleuerat, & ecce repentina sospitas dolorem abegit: tam integra & perfecta, vt prius in lecto decumbens & immobilis, statim à lecto exilierit suis viribus innixus, nullo adiuuante, statimque manducauerit. Quid magis stupendum? Huius beneficij non ingratus Archipræsul Deo saluatori primũ, qui mirabilis est in Sanctis suis: deinde beato viro gratias egit ingentes. Neque enim inuidorum etiam potentissimorum potuit absterreri formidine, quominus laudaret Deum in sancto suo. Nam postridie cum sanus ab vrbe recederet, abstinere non potuit quin Reuerendissimo Thomæ, tituli Sanctæ Ceciliæ eius Ordinis, quem vir Sanctus Cardinalem instituerat, tam grande miraculum referaret.

*Cusentinus Archiepiscopus sanatur miraculosè.*

*Thomas Cardinalis, Ord. Cælestinorũ.*

Productus ergo ante Bonifacium vir innocentissimus, Duliæ venerationem pro dignitatis honore supplex ei detulit: ad osculandos eius pedes in terram prouolutus. Ille autem ne hac humilitate mansuefactus, sed efferatus magis, protinus interrogauit, cur suo discessisset iniussu. Cui per singula adeo humiliter & honestè respondit venerabilis senex, vt ea oratione nemo qui vel minimam humanitatis particulam haberet, nõ fuisset vehementissimè permotus ac mitigatus. Itaque conuocato Cardinalium cœtu, consilium ab eis se inquirere confinxit, quid acturus esset cum viro sancto, decernentibus antea illis, vt innoxius senex ad desideratam cellæ solitudinem liber redire permitteretur. Pontifex nequaquam eorum acquieuit consilio: sed

*Statuitur ante Pontificem vir sanctissimus.*

A contra fas & ius, innocentem ouiculam carceri adiudicauit, carceri inquam omnino angustissimo, in quem nefandissimo crimine damnati coniici solent.

*Carceri adiudicatur.*

*De constantia Cælestini in carcere, & visione nocturna Pontificis, Legatisque Cardinalibus ad viri sancti carcerem missis.*

CAP. XXXIV.

IGitur Fumonis castro munitissimo inclusus beatissimus pater, non in lacrymas & gemitus præ dolore prorupit: sed erecti, constantisque viri animi, psallebat Domino in cythara per afflictionem carnis: in tubis ductilibus, per humilem obedientiam, Deo gratias agens, & hoc dicens: Cellam petij, cellam habeo: sicut placuit pietati tuæ Domine Deus. Interea temporis cum omnem à Deo patientiam edoctus vir sanctus, tanta animi fortitudine & constantia carceris angustiam pateretur, D. Ioannes Baptista, ea nocte quæ celebritatis suæ diem præcesserat, Papæ apparuit vultu minaci, & verbis admodum duris eum increpans, quod innocentem virum eo pacto detineret: minasque addidit, quod si amplius inuitum arctaret hominem Dei, & affligeret, in proximo subiret iustum vltionis diuinæ iudicium.

*Constantia viri sancti.*

Hoc viso perterritus Papa conuersus est ad cor, & summo diluculo tres ad se Cardinales accersiuit, iubens ad carcerem viri sancti properarent, obseruarentque diligenter, quomodo cum illo ageretur: visionem verò illis celauit. Cardinales itaque mandatum è vestigio capessunt, properant ad Fumonis castrum, ad quod in aurora peruenientes, beatum patrem inueniunt hostiam pro mortuis salutarem offerentem. Expectantes autem intersunt sacrificio, & in sacrosancti corporis eleuatione vident cum hostia, & ipsum pariter sacrificium in aëra eleuatum, vnius horæ spatio, irradiantemque desuper splendorem, donec Missa terminaretur. Peracto deinde sacro, gratiisque Deo ritè persolutis, ad eos humilis senex reuerenter conuertitur. Illi euidenti signo sanctitatem eius experti, humilitatem admirantur, & salutantes ad pedes illius procumbunt.

*Cardinales duo ad Cælestinũ in carcere detentũ, à Pontifice demandati.*

Vir autem Dei prophetico spiritu repletus, diuinorumque arcanorum conscius, eorum præuenit legationem, inquiens. Reuerendi patres, vestram maiestatem hucusque fatigari non ea vrgebat causa, pro qua summus Pontifex tanta vos celeritate direxit, quin potius ad eum reuertentes, dicite ei meis verbis ne anxietur de eo, quod vidit per noctem, quod tamen vobis non indicauit. Fuit enim superiori nocte per somnum à Diuo Ioanne Baptista minitante perterritus, quod si me inuitum deinceps teneret, vindictam sentiret acerbam, & subitam: quapropter huc misit vos vt meam explararetis voluntatem, an hoc carcere contentus essem, nec ne. Reuertentes igitur nunciate, me contentum esse mea sorte: vt bono animo sit, neque præfatam formidet comminationem nocturnam: quia ego pro ipsius serenitate sedulus orationem ad Dominum effundo. Stupefacti nimium Cardinales, non tam ignotam visionis reuelationem admirati sunt, quàm perfectam viri dilectionem: qua nimirum & inimicum amaret, & orationis beneficio adiuuaret. Sed antequam ad Pontificem reuerterentur, voluerunt præter legationis suæ munus à beatissimo patre duo interrogare. Primum,

*Cælestinus secretorum conscius.*

quare defunctorum Miſſam illo die celebraſſet nigro, & funebri ſchemate: cùm D. Ioannis Baptiſtę natiuitas gaudio eſſet potius proſequenda,& hilariorem cultum exigeret.

*Quare hoſtiã pro mortuis obtulit in die S. Ioannis Baptiſtæ.*

Secundum,quare tempus ſacrificij præueniſſet. Quibus auditis,poſtquam vir ſanctus aliquandiu ſubſtitiſſet, iuſtam tum demum reddidit rationem dicens:Voluntas eſt altiſſimi, vt eius vobis arcana pandam.

*Oblatione Petri liberatur anima Regis Hungariæ à Purgatorio.*

Pro mortuis oblationem quaſi coactus exhibui: quia nocte hac reuelauit mihi Dominus, intimum & ſingularem amicum meum Hungariæ Regem ex hac luce migraſſe:quapropter veſtrum prænoſcens aduentum,ſacrificium ſolito celerius obtuli,in eius animæ redemptionem à ſuppliciis, quibus captiua detinebatur in carcere purgatorio. Præueni ergo tempus oblationis, timens ne à vobis præpeditus, differrem pro laborante amico in tormentis, placationis hoſtiam. Tunc verò beatam eius animam ab Angelis lucis in cælos deferri conſpiciebam, cum pro eius liberatione Deo victimam ſalutatem obtuli.

His auditis,Cardinales ſtupenda nimis magnalia conſiderantes, in viro ſancto Deum laudauerunt: quod inter denſas vitiorũ tenebras,hanc lucernam tam fulgidam ſuo donaſſet ſeculo: hominem ſcilicet cui & propheriæ ſpiritus ineſſet, & gratia ſanitatum tanta, vt non ſolum corpus à morbo, ſed etiam animam ſua interceſſione ſanaret à peccato in præſenti, & in futuro à pœnis liberaret. Ad extremum Cardinales beatum ſenem adorantes, cum eius benedictionem, & orationum opem poſtulaſſent,tandem concito gradu ad Pontificẽ redierunt. Præſtolanti autem eos Papæ,quæ à ſancto patre audierant,& quæ in eo viderant,ſumma cum admiratione omnium retulerunt: addentes piam & manſuetam mitiſſimi patris reſpõſionem, & orationem pro Pontificis conſolatione.Pontifex itaque præcedentis viſionis cõminatione prius perterritus, tunc reſpirauit, & magnificè conſolatus eſt ſuper hæc reſponſione tam benigna,maximè autem quod viri ſancti precibus diuina flecteretur clementia.

---

*Quo pacto Cæleſtinus fratres expetit tribulationum ſocios, deque mutationis fratrum frequentia, propter carceris anguſtiam & aëris corruptionem.*

### Cap. XXXV.

NE autem in hac carceris anguſtia deſiſteret vir ſanctus à Dei laude, quin potius propheticum impleret hortamentum dicens:Laudate Dominum in tympano & choro:obſecrauit vt ſaltem pauci ex fratribus ſuis mitterentur ad eum,cum quibus Dominum laudaret.Porro fratres ad eum miſſi cum & loci arctitudinem, & aëris intemperiem perferre non poſſent,ſtatim vbi illuc aduenerant,infirma valetudine laborabãt:vt ſępius eos mutari,& abeuntibus infirmis,nouos ſuccedere oporteret.

*Arctitudo carceris Cæleſtini.*

Nẽpe tam arcta erat manſio, vt in oratorio celebrandæ miſſæ deſtinato, in quo ſanctus pater perpetuo manebat, cogeretur dormiens ſuper altari caput inclinare.Ille igitur, cuius odor per orbem longè latéque diffundebatur, cuius monaſteria per totam ferè Italiam etiam per id tempus videbantur:cuius denique meritis quicumque vlla multis ab annis languerent infirmitate, conualeſcebant, ad longinquas etiam vſque regiones, quanta nunc affligitur ærumna? quanta cruciatur calamitate? Sed hanc ſolo corpore patiebatur anguſtiam: nam ſpiritus Angelicis miſcebatur choris.

*Vir ſanctus in carcere detentus decem menſibus.*

Poſtquam verò vir Dei per decem menſium ſpatium letalem carceris fœtorẽ ſuſtinuiſſet,paulatim aër vitæ neceſſarius, ſuam illi corruptionem infudit: adeo vt in latere dextro peſtiferis humoribus congeſtis,rabificum apoſtema concreuerit:quo tandem ſuffocatus,vitam terminauit temporalem, inchoãs æternam.Vtroque igitur martyrij genere coronandum cenſuerim, ſcilicet voluntatis ſimul & actionis. Etſi ergo gladius perſecutoris ei defuit: palmam tamen martyrij non amiſit. Nunc autem de pretioſa eius morte verba exigit conſequens ordo narrationis.

---

*De morte S.Petri Cæleſtini.*

### Cap. XXXVI.

COnſueuerat pater ſanctus Cæleſtinus medios inter Aſcẽſionem & Pentecoſtem ſancti Spiritus dies in oratione,ieiuniis,& ſilentio, tranſigere, Apoſtolorũ more,ſanctoque ac ſpirituali exercitio, cum eiſdem Apoſtolis cæleſtem gratiam prouocare. Expleto igitur in hunc modum ſacrum decem dierum tempore,& præparato vaſe cordis ſui,ad ſuſcipiendum diuinæ gratiæ balſamum,cum in ipſa Pentecoſtes ſolemnitate mane victimam offerret ſalutarem: ſic abundantiori cæleſtis nectaris dulcedine inebriatus eſt,vt nõ guſtaret eam more viatoris veluti prius,ſed pleno(vt dicitur) ore de illo fluminis impetu hauriret, in tantum vt fragile vas corporis ſpiritalis illius torrentis non capax diſſolui cœperit, & volentẽ egredi de carcere animam exhalare.

*Prædicit ſuũ obitum.*

Sentiens itaque vir Dei reſolutionis ſuæ tempus inſtare, iuſſit ſatellites ad ſui cuſtodiam inſtitutos conuocari,quibus intra proximam Dominicam futuram ſui tabernaculi diſſolutionem prædixit.Quapropter accerſitur medicus,& morbum fatetur immedicabilem.Vnde graſſante magis ac magis veneno, ſacramentalem percepit vnctionem, qua exterius & interius præmunitus & armatus, aduerſus poteſtates, principeſque tenebrarum harum viriliter dimicauit.

*Crux aurea viſa in aëre ſuſpenſa, Cæleſtino moriente.*

Cum autem glorioſum emitteret ſpiritum, crux aurea in aëre ſuſpenſa apparuit circa oſtium cellulæ, à feria ſexta vſque ad veſperam Sabbathi, qua vir ſanctus quieuit & obdormiuit in Domino. Migrauit verò ad Dominum vir ſanctus annum agens octogeſimum primum, illud Dauidici Pſalmi canens:Omnis ſpiritus laudet Dominum.

---

*De lecto in quo iacuit moriens.*

CÆterum quid de morientis ſtratu dicam? Nunquid fatiſcentes artus molliter reclinauit? Numquid vel plumeæ culcitræ, vel tomento, vel ſtramini ſaltem corpus morbidum imponi permiſit? Nequaquam. Satis enim à beatiſſimo illo patriarcha noſtro Martino didicerat, non eſſe viri Chriſtiani aliter mori quam in cinere & cilicio. Cum ergo domeſticum hoſtem, carnem ſcilicet,ciliciis nodis, ferreaque catena,toto ferè prioris vitæ curriculo edomuiſſet, cumque vel in terra nuda, vel lignea tabula, vel in craticula decubuiſſet: etiam in mortis agone hoc vſus eſt lecto.

---

*De exequiis eius, & viſione facta Roberto Salentino diſcipulo, in morte Cæleſtini.*

### Cap. XXXVII.

SAnctiſſimo patre defũcto,cuſtodes,militares viri,obitũ eius Pontifici extemplo nunciauerunt, cum prædicto Crucis miraculo. Rogatoque à fratribus, quos ſecum viuens habuerat beatiſſimus pater, vt Monaſteriis Ordinis beatam & vitalem eius mortem renunciarent,id nimirum facere prohibiti ſunt, donec Pontificia voluntas eis innoteſceret.Porrò mortis ipſius pretioſæ certior effectus Pontifex, triſtis & mœſtus admodum, Domino Thomæ Sanctæ Ceciliæ Cardinali, defuncti patris filio,item etiam vni ex Camerariis ſuis præcepit,vt gradu concito Fumonis Caſtrum adirent, ſanctum corpus qua decebat honorificentia ſepulturi. Neque enim poterat honoratus à Deo, ab hominibus etiam inimicis non honorari.

*Sepelitur magno cum honore.*

Conuocatis itaque Campaniæ præſulibus, fæliciſſimæ animæ fælices exuuias ad baſilicam S.Anthonij Ferentinẽſis, nuper ab eo conſtructã magno cum honore deduxerunt. Quis verò deuotiſſimi populi vota,quis copioſum concurſum hominum ſeſe collidentium, vt ſaltem illius feretrum attingerent, exprimere poſſit?

*Apparitio S. viri Roberto Salentino facta.*

Erat ſancto magiſtro ſanctus quoque diſcipulus, nomine Robertus Salentinus, qui pro ſuis apud Deum meritis, ſuoque in magiſtrum amore, animam ipſius Cæleſtini, è gemino carcere,corporis ſcilicet, atque turris liberatam, ad ſydereas ſcãdentem ſedes conſpexiſſe dicitur: qua viſione vehementer commotus, ac timens interrogauit an ſe tunc etiam ſequi, aut quid aliud iuberet agere. Quem Cæleſtinus, vt in ſolitudine perſtaret, admonuit, & ſic beata anima, cælum petens, inter verba diſparuit. Diſcipulus autem ille conſilij memor, & executor diligens,dierum plenus poſt magiſtrum abiit, magna quidem apud eos ſanctitatis opinione,& fama relicta, vt etiam mortuos ſuſcitaret.

*Vbi inhumatum S. viri corpus.*

Elatum igitur D.Cæleſtini corpus funebri pompa, eaque magnifica conditum eſt ad maius prædicti templi altare anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, decima nona die Maij.

---

*Miracula poſt eius mortem facta.*

DIci non poteſt quot miraculis ſanctum ſuum etiam mortuum Deus magnificauerit,ex quorum innumera multitudine, pauca excerpere haud indignum exiſtimarim.

*Hydropicus ſanatur.*

Poſtridie eius diei quo ſepulturæ demandatum eſt B. Cæleſtini corpus, hydropicus quidã ex vrbe Velitrenſi natus, Romæ in publico pauperum diuerſorio Sancti Spiritus decũbebat,infirmitate ſimul & inopia laborans.Fortè beatiſſimi viri nuper ab humanis ſublati famam audiit,& patrata per eum opera ſanitatis admiranda. Vnde concepta ſpe bona, ad eius ſepulturam, vtcumque potuit,acceſſit.Et voto fideliter reddito, ſanus domum repetiit.

*Abbatiſſa Ferentinenſis paralytica curatur.*

Abbatiſſa quoque Ferentinenſis vnum & amplius annum grandiſſima infirmitate laborans, in lecto decubuerat, ita vt altera corporis parte præmortua, vix poſſet moueri. A medicis itaque ſæcularibus relicta,in cæleſti medico ſpem poſuit, & lacrymoſis precibus,firmaque fide ſancti patris auxilium implorauit, ſtatimque conualeſcere cœpit,ita vt ante immobilis, alacriter & expeditè ad ſepulchrum paulo poſt acceſſerit, Deo pariter & eius ſancto gratias actura.

*Virtus catenæ ferreæ Cæleſtini miraculoſa.*

Nobilis etiam Domina quædam,Galeſij Ferentinenſis filia, grauiſſimam in gutture ſcrophulam patiebatur, & ad cæleſtis potius medici, quam mũdani opem confugiens, beati patris adiit monumentum. Cumque catenam ferream qua viuens pater pro cingulo vtebatur, inflato gutturi circumpoſuiſſet, protinus conualuit.

*Cæca mulier viſum recipit.*

Alia eiuſdem mulier ſancto viro deuota, cum oculorum lumine capta eſſet, neque poſſet ſepulchrum viſitare, commatrem ſuam miſit, fratres rogaturam, vt aliquid de memoria ſancti ad eam mitteretur.Et quidem nihil miſſum eſt,fidei tamen eius & beati Petri meritis, optatam oculorum valetudinem impetrauit.

*Gallus tertianarius curatus.*

Illic & Gallus quidam peregrinus erat, qui tertiana febre afflictus, cum ſancti auxilium humili corde & corpore proſtratus ante ſepulchrum imploraſſet, ſanitatis compos inde ſurrexit, & cum gratiarum actione receſſit.Conſimiliter & Capuæ, quidam ex infirmitate videndi beneficio ſpoliatus, S. Petri meritis lumen recepit.

Aliis identidem ſignis, & adhuc recenti ſepulra, & deinceps iuſtiſſimus bonorum omnium remunerator Deus ſanctum ſuum clarificauit. Nam & nouiſſimis diebus iſtis, cum Aquilæ ciuitas, vbi ſanctum corpus iacet, ab Aragonum Rege arctiſſima premeretur obſidione,nec tanto poſſent exercitui ciues reſiſtere, ad cæleſte conuerſi ſunt præſidium, & ſuæ ciuitatis claues ad S. Petri tutelaris patroni ſui capſam deferentes, in hæc verba flebiliter orarunt.

*Aquilana ciuitas per S. Petrum Cæleſtinum tutelarem ſuũ defenſa.*

Sancte Petre, tua eſt ciuitas, cuſtodi eam, ecce claues tradimus tibi. Nec irrita fuit & vana deuotorum clientum deprecatio.Apparens enim vir ſanctus quibuſdã ex ciuibus:Ne dubitetis (inquit) neque formidetis: mea eſt ciuitas,ego cuſtodiam illam. Sequenti autem nocte, tutelaris eorum patronus Cæleſtinus, ducem hoſtilis exercitur increpatione terribili additis ei verberibus, tam grauiter corripuit, vt manè de cubiculo non poſſet exire.

Conuenientibus autem ad eum militibus proteſtatus eſt ſe à quodam Eremita adeò acerbè flagellatum, vt ne ſurgere quidem poſſet. Quid præterea? Magnus repentè numerus armatorum,veluti è terra proſiliens obſidionem ſoluit, & à ciuibus trucidato duce in cubili, percuſſoque paſtore, diſperſus eſt vniuerſus hoſtium grex, & magna ſtrage facta, ciuitas eſt ab inimicis liberata. Tanto proinde affectu ſanctum ipſum, Cæleſtinum dico, amant & obſeruant Aquilani illi, vt plures præter eos qui viderunt, incredibile arbitrentur. Idque potiſſimum in hoc oſtendunt: quod in omnibus quas cudunt monetis ac numiſmatibus, eius vna facie imaginem exprimant: altera autem ciuitatis, reique totius publicæ nobilitatis inſculpant inſigne. Quod nimirum illos idcirco agere credimus, vt ipſum videntes,patriæ quoque videre videantur parentem: præſentiumque memoria, eius abſentis recordentur. Hæc ſunt Aquilanæ gentis erga ſuum Mæcœnatem Cæleſtinum ſtudia: hæc indicia animi non ingrati.

*Corpus ſancti viri in Monaſterio S. Anthonij Ordinis ſui honorificè ſepultum.*

Cùm autem corpus ſancti viri in Monaſterio Sancti Anthonij prope Ferentinum, quod ipſe quidem per diſtantia tempora longè ante conſtruxerat, fuiſſet cum magnis laudibus reconditum,multa & innumerabilia ac ſtupenda miracula ad ſepulchrum vbi erat corpus eius, diuina clementia oſtendere eſt dignata. Et licet omnes de prouincia illa Campaniæ venerarentur plurimum ipſum ſanctum, & ob deuotionem Eccleſiam frequentarent, quia tamen deuotio illius populi meritis æquabatur minimè ſancti huius,omnipotens Deus, qui ſanctos ſuos honorari ex condigno deſiderat,prout clarent merita eorum apud ipſum, de regione Campaniæ, in ciuitatem Aquilæ, quæ hoc totis affectibus

affectibus anhelabat,voluit corpus confessoris prædicti mirabiliter transportari.Et quamuis Aquilani ex antiqua deuotione in anxietate fuissent maxima,vt prædictum corpus habere possent,ac pro hoc innumerabilem quantitatem pecuniæ Comitibus de Campania dare vellent:ipse gloriosus confessor, qui semper abhorruit simoniam, ad suos deuotos & fidelissimos Aquilanos, quos in vita sua intimo affectu dilexerat, absque pecuniæ pretio voluit remeare. Quin potius quolibet obstaculo pulso longè,miraculosè,& absque periculo aliquo, dispensatione diuina voluit sic educi. Huius autem translatio sancti corporis sic per Ordinem fuit acta.

*Bellum magnũ inter ciuitates Anagniæ, & Ferentini.*

Cùm inter ciuitatem Anagniæ, & ciuitatem Ferentini,bellum maximum ortum esset, Comes Platinus, qui tunc temporis dominabatur Anagniæ, congregata multitudine pugnatorum, quibus Ferentina ciuitas resistere non valebat,quæ extra muros eadem ciuitas possidebat, vsque ad portas ferè omnia dissipauit. Timentes autem Ferentini ciues, ne confessoris sanctum corpus amitterent:accesserunt vna die manu armata, & illud de loco suo celeriter exhumantes, in ciuitatem Ferentini deportarunt. Et mirum quod dum eiusdem ciuitatis Episcopus in sepulcrum descendit, vt inde tolleret sanctum corpus, de ruptura quam passus est annis multis,fuit continuo liberatus. Deportatum verò corpus infra mœnia ciuitatis,in sanctæ Agathæ fuit Ecclesia collocatum.Prior autem qui tunc temporis Monasterio, vbi sanctum corpus illud fuerat, præsidebat, de huiusmodi sic peractis fuit non modicum contristatus. Nec immerito, quia videbatur quodammodo quem idem ipse sanctus construxerat, Ordo absque capite remanere. Et quia per se idem Prior super huiusmodi facto ausus nõn erat aliquid attentare:omnia sic per ordinem gesta visitatori Ordinis intimauit.Qui quidem visitator, vt erat zelator solicitus,pro Ordinis bono statu, concito gressu ad locum prædictũ sancti Anthonij de Campania properauit. Qui etiam diuino instinctu causam finxit,quod visitare volebat, propter quod mandauit conuocare fratres omnes oriundos de Ferentino, qui in custodia corporis sancti erant. Et missis duobus aliis de nocte fratribus, qui de prouincia & ciuitate illa non erant, vt in custodia corporis sancti permanerent, idem ipse visitator expresse ac occultè mandauit, vt omni sagacitate ac ingenio, quo valebant,adhibitis, sanctum corpus habere omnimodò procurarent.

*Episcopus Ferentinus descendẽs in sepulchrũ viri sancti, statim à graui infirmitate liberatur.*

*Quidam visitator Ordinis strenuè laborat pro habendis S. patris reliquiis.*

Qui licet tremebundè satis ad hoc pergerent peragendum,propter hoc videlicet,quia magna fiebat custodia armatorum, confisi tamen de diuino auxilio,& de sanctæ obedientiæ meritis, prout eis permissum erat à populo, ad custodiam sancti corporis perrexerunt. Cùm autem in prima noctis vigilia surrexissent genibus flexis coram capsa vbi sanctum corpus erat reconditum,sic orauerunt humiliter & deuotè : Domine Iesu Christe per merita huius sancti,cuius ossa & reliquiæ in capsa ita sunt condita,te suppliciter exoramus,vt si sanctum corpus absque periculo hinc leuare valeamus, & alio asportare,digneris ostendere nobis signum,vt scilicet vna istarum sphærarum,quæ coram sancto corpore sunt accensæ, continuo extinguatur. Erant enim ibi ardentes iugiter sphæræ tres, ob reuerentiam sancti. Et fusa sic oratione prædicta,subito,& sine interuallo aliquo sphæra quæ ardebat in medio fuit extincta.

*Duo fratres missi ad tollendum caute corpus sãctum, diuinã precibus explorant voluntatem.*

*Lampas ardẽs diuinitus extinguitur in signum.*

Illico fratres illi ab oratione surgentes, & roborati spiritu fortitudinis per hoc signum, capsam magnam aperuerunt.Accepta verò capsa minorè, quæ intus erat, in qua sub certis sigillis recondita erant ossa omnia, & incisis funibus desubter, quibus erat per circuitum colligata, illam aperuerunt. Et saluis sigillis ab interiori parte appositis, inde omnia ossa extraxerunt.Religantes autem desubter filo funes cum integritate sigillorum capsellam, vt prius fuerat,posuerunt in capsa maiore.

*Tandem diuino freti auxilio subtiliter admodum corpus sancti tollunt.*

Qua clauo obfirmata,& clausa, ossa omnia sancti confessoris lineo panno & albo circumuoluentes in mataratio, in quo iacuerant, absconderunt. Manè autem facto replicantes mataratium, imposuerunt capiti cuiusdam bonæ matronæ, & ad domum Monasterij direxerunt:causam fingentes cum hostibus qui aderant ibi, quòd visitator prædictus, vbi iacere posset, non habebat. Redeuntes etiam fratres ad Monasterium,visitatori quod actum erat, indicarunt. Qui gauisus non modicum, præcepit fratribus illis ad portandum paratis, vt cum sequi cum sancto corpore non tardarent. Quod & factum est sine impedimento aliquo diuina gratia operante. Et transeuntes per Campaniam, quæ tota erat tunc temporis bellis plena, non inuenerunt obstaculum quoquomodo. Imò illo manè quo asportatum est sanctum corpus,facta est in ciuitate Ferentini de hoc mussitatio magna.Et cum iam parati essent ad capiendum passus, ante portam ciuitatis permissione diuina apparuerunt quadringenti milites ad bellandum.Et in obsidione ciuitatis tandiu durauerunt, quandiu corpus sanctum ferentes, totam Campaniam transierunt, & diuino instinctu Aquilam perrexerunt. Aquilani autem de hoc firma veritate comperta,diebus & noctibus continuatis viginti, tanto gaudio & lætitia sunt abstracti, quod quasi noctes & dies insomnes ducerent, referti laudibus huius sancti. Et vt compendiosè loquar,tam magnam solemnitatem fecerunt Aquilani,perseuerantes vnanimiter in hymnis & canticis, & in aliis quæ ad diuinum cultum spectare noscuntur, quod humana lingua deficeret hoc narrare. Hæc est autem relatio sancti huius, in qua per Aquilam dicitur iterum coronari. Nam propriè in loco illo Collismadij, vbi inunctus,& in summum Pontificem extitit coronatus,ibi festum translationis huiusmodi cum ostensione reliquiarum corporis sancti huius, factum fuit cum ingenti lætitia & honore. Ad cuius quidem ostensionem corporis, multi languentes diuersarum infirmitatum fuerunt totaliter liberati. Nam ad tactum capsæ ferreæ in qua reconditum erat corpus sanctum, cæci lumen recipiunt,& muti loquelam, contracti manuum & pedum extensionem, dæmoniaci & alij diuersis languoribus impediti, liberati sunt meritis sancti Petri.

*Omnia ei prosperè succedunt.*

*Transfertur sanctũ corpus apud Aquilam.*

*Excipitur cũ incredibili gaudio ab Aquilanis.*

*Multi ægroti ad ostẽsionem sacrarũ Reliquiarum, & tactum capsæ ferreæ, curantur.*

Ad cuius etiam festiuitatis spectaculum plures Episcopi,prælati alij,& Abbates, cum copia maxima Clericorum & Religiosorum virorum cuiuslibet Ordinis apparatu solemni processionaliter conuenerunt. Aliorum verò Christi fidelium tam magna extitit multitudo, vt centum milia virorum numerum credatur excessisse.Facta est autem translatio S. Petri Cælestini anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo septimo, die quintodecimo Februarij. Reconditum autem fuit honorificè in capsa ferrea, vallata seris fortissimis, in Ecclesia sanctæ Mariæ Collemadij de Aquila. Quæ quidem Ecclesia est de Ordine eiusdem clarissimi confessoris. Quam etiam Ecclesiam idem ipse sanctus ante suum Papatum construxerat,& in Papatu existens, absolutionis plenariæ indulgentia decorauit.

*Reponuntur sacra Reliquiæ in Ecclesia B. Mariæ de Collemadio Ordinis Cælestinorum.*

Neque



Neque absurdum videtur aliud miraculum superioribus addere, quod omnium recentissimè factum, à permultis fide dignissimis comprobatum est,& Apostolicorum Notariorum diplomate confirmatum. Illud autem accidit Aquilæ, anno à Christo nato 1520. mense Iunio, die verò vndecima eiusdem mensis, circa vesperam, cum publica Aquilani populi supplicatio fieret ad Collemadij Monasterium, iuxta ipsam vrbem, ab ipso D. Cælestino aliquando extructum, quo in loco viuens, Pontificiam coronam assumpserat, cuius etiam corpus illuc translatum est. Sed & ea supplicatio ob id potissimum fiebat, quod Cardinalis quidam Armelinus suadente Aquilano Comite (qui tamen paulo post Neapoli in carcerẽ detrusus obiit) prædicti Monasterij D. Mariæ de Collemadio, administrationem ambiret, sibique eius dominium in commendam ( vt vocant ) dari à summo Pontifice contenderet, ad reditum & nummos potius quàm spirituale ministerium anhelans. Cuius rei cum fratres,atque adeò plebs vniuersa maximum mœrorem conciperent, ad diuinam supplicationem confugerunt : id primum à summo cæli terrarumque Pontifice, deinde verò ab ipso beatissimo patre D. Petro expostulantes, vt quid in hac re agendum esset, acciperent : neque verò sanctissimam ædem tanto antea tempore piè & religiosè institutam, tam fœdè ac miserè collabi paterentur.

*Armelinus Cardinalis Monasterium B. Mariæ de Collemadio Ordinis Cælestin. in cõmẽdam sibi dari contendit.*

Ad extremum autem eo ipso supplicationis die apparuit ipse sanctus nonnullis fide dignis personis, hora Vesperarum in Frontispicio ipsius Ecclesiæ super rotam maiorem existentem in medio dicti Frontispicij, indutus veste, & habitu candido, cum cuculla nigra, cum mitra Papali fulgida in capite, tenens in manu dextera quoddam perlongum magnum priuilegium, in quo literæ videbantur, & apparebant, sed legi non poterant, & inspiciebat vrbem Aquilanam, & vultu inclinato, videbatur signum Crucis facere. Inde ab illo loco discedens, accessit ad angulum dicti Frontispicij, supra vbi solent ostendi reliquiæ, & dari populo benedictio tempore plenariæ indulgentiæ. Pòst visus fuit rapi, & accessit supra campanile paruum maioris capellæ dictæ Ecclesiæ. Item die sequenti, videlicet duodecima supradicti mensis, eadem hora, eodem in loco, apparuit cum indumento sacerdotali, videlicet cum camisio albo, & planeta diuersorum colorum, cum camauro, seu mitra Papali, habenti tres coronas, & cum virga pastorali in manu sinistra,& in dextera, cũ magno priuilegio, in quo erant literæ diuersorũ colorum, quæ minimè legi poterant, ter eundo & redeundo, graui ac nobili incessu, ab vno in alium angulum dicti Frontispicij. Deinde visus est descendere in culmen tecti dicti templi, & grauiter incedendo ascendit in campanile paruum maioris capellæ ipsius templi, vbi tres pendebant campanæ, quarum vnam bis malleo ipsius campanæ pulsauit. Mox ascendit paulo supra, & tres scintillæ ignei coloris ab aëre descendente circumdederunt eum, & statim nubes apparuit ei candidissima, & ipse cum ea discessit. Et tunc maxima tonitrua fuerunt cum ingenti copia aquarum,quæ ferè per spatium vnius horæ defluxit, & fulmen magnum ab aëre emissum est, quo duæ ædes vrbis Aquilæ ictæ & tactæ sunt, tamen absque aliquo incommodo, & eodem die non fuit visus amplius. Ea visione non solùm Comes Aquilanus,sed etiam Cardinalis vehementissimè territi, ab instituto destiterunt, cœptumque consilium intermiserunt : non esse tutum exi-

*S. Petri Cælestini celebris apparitio.*

*Tandẽ Cardinalis ab incepto desistere cogitur.*

*Breu. vetus Ordinis Cælestin.*

stimantes, aduersus Deum, & ipsos sanctos temerè decertare. Aquilana verò ciuitas voti compos effecta, sancto Saluatori piam in æuum quotannis eodem die iterandam publicam supplicationem, grati animi monumentum, ex Senatusconsulto decreuit.

## NOTÆ.

Petrus Cælestinus.] *De quo Martyr. Rom. cum Baronio 19. Maij. Eius vitam prolixius descripsit Petrus de Alliaco, Cardinalis & Episc. Camerac. quæ extat apud Surium tom. 3. Scripserunt præterea S. Petri Cælestini res gestas discipuli eius, Berardus, Ioannes, Robertus, & alius eiusdem nominis. Clemens etiam Papa quintus, qui eum Sanctorum catalogo adscripsit, eius vitam & miracula conscripsit. Eam etiam Dionysius Faber Prior Cælest. Paris. locupletius reddidit. Iacobus etiam S. Georgij Card. ad velum aureum, eam carmine cecinit, quam etiam Paulus Regius doctissimè est prosequutus. Agunt præterea de eodem D. Antoninus 3. part. tit. 20. cap. 8. Lazziardus histor. Ord. Cælest. Claudius Fremundus de viris Illust. Ordin. Cælest. Petrarcha, & omnes denique qui vitas Summorum Pontificum, & historias scripserũt, cum ad eius tempora peruenerunt. In Ordine nostro fit officium Solemnitatis, Coronationis, Translationis, & Apparitionis eius. Officium præterea fit de eo in Ecclesiis, Rhemensi, Parisiensi, Ambianensi, Camerac. & Senonensi, vt constat ex earum Breuiariis. Sed Senonenses de communi Confess. Pontificis & martyris agit de ipso officium, quod non satis mirari possum, sed de hac re magis silere quàm loqui decet. Plura de eodem in vita B. Ioannis Bassandi Cælest. eius discipuli, necnon in vita S. Bernardini Senensis Ord. S. Francisci, cui, scilicet Bernardino, ipse Cælestinus apparuit, eumque ad cælestia regna vocauit. Quando venit ad Concilium Lugdunense pro confirmatione Ordinis sui, hospitatus est in domo ista, quæ tunc Templariorum erat, eique per noctem ab Angelo fuit reuelatum quod eam possidere deberent fratres sui, & in ea Monasterium construere. Miraculum præterea factum coram Summo Pontifice, de suspensione cucullæ eius supra radium solis in Ecclesia S. Pauli accidit, vbi tunc Concilium celebrabatur, vbi inquam usque ad tempora Hæreticorum, altare supra quod coram Pontifice celebrauit, & vitrea per quæ transiuit radius solis, permanserunt, sed ab ipsis euersa sunt, vt constat ex antiquis manuscriptis Codicibus, in Archiuis huius Monasterij. Gregorius XIII. Pontifex maximus eum mirificè coluit, & vt semper eum in mente haberet, eius imaginem egregiè depingi curauit, quam imposuit in aula deambulatoria Vaticani, necnon cum vltimus Iubileus Romæ celebraretur, & ciues Aquilani solemni pompa venientes Romam, sanctum eius caput deferrent, & iam ingrederentur in S. Petri Basilicam : Summus Pontifex solemniter ei obuiam processit, sedemque Apostolicam obtulit, vt eam reassumeret, vt fusius scribit Crespetius in Sermone de S. P. Cælest. Fecit Ordinationem vnam, vt scilicet Summus Pontifex posset renunciare Papatui, quam confirmauit eius successor Bonifacius Papa VIII. Prater Constitutiones, scripsit & egregium librũ de Perfectione Religiosorum, quem Crespetius noster in Sermone de S. Petro Cælest. se vidisse & legisse in Monasterio nostro Meduntensi testatur. Fuit etiam Abbas Mõtis Cassini, vt ex Richardo Monacho Cass. in Regulam D. Bened. collegit Vvionius tom. 1. Ligni Vitæ lib. 1. In anno Domini ( inquiunt Richardus & Vvionius) 1294. mense Octobris, Indict. 7. Domnus Cælestinus Papa V. qui antea vocatus fuit frater Petrus de Murrhone, homo magnæ sanctitatis, venit ad Monasterium Cassinense, & volens dictum Monasterium vnire Religioni suæ, induxit Monachos pro maiori parte vt reciperent suæ*

*suæ Religionis habitum: qui habitus erat coloris Camelini, vilissimi panni, & misit de Monachis suis quasi quinquaginta. Primò nos fueramus nigri, & mutauit nomen Decani, qui post ipsorum aduentum vocatus est Prior. Fuit 62. Abbas, præfuitque mensibus quinque, & nouem diebus. In Catalogo etiam Abbatum Cassinensium inscribitur, & vocabatur Angelerius II. vel Angelarius, non inconuenienter, quia erat nomen suum paternum. Pater enim ipsius Angelerius vocabatur. Fuerunt anni peregrinationis vitæ illius 81. Natus quippe est anno Domini 1215. Eremeticam verò solitudinem ingressus est anno Domini 1231. In qua solitudine 32. annis mira cum abstinentia delituit. Concurrentibus autem quamplurimis eius sanctitatis odore attractis ad eum fratribus, gemina ab Vrbano Papa IV. impetrauit priuilegia anno Domini 1264. Prius de incorporatione congregationis suæ Ordini S. Benedicti. Secundum super susceptione sui, suorumque fratrum ad Eremum sancti Spiritus de Magella. In qua ipse rector præerat sub beati Petri Apostoli protectione & sua. Aliud quoque decennio circiter elapso, à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi impetrauit super sui Ordinis confirmatione priuilegium anno Domini 1274. Euolutis annis 20. Apostolica sede annis duobus cum dimidio vacante per obitum Nicolai IV. vnanimi Cardinalium consensu, præter omnium spem mortalium, in summum est electus Pontificem. Cui tamen completo vix dimidiato anno ex ingenita sibi humilitate cessit vltroneus. Superuiuens autem anno vno, & mensibus sex, denegata sibi pristina dilectaque solitudine, in carcere tandem obiit, anno Domini 1296. ætatis verò suæ 81. Euolutis verò annis vndecim, vel secundum quosdam 17. ab eius transitu, à Clemente Papa V. Auenione, vel vt quidam dicunt Viennæ, Catalogo sanctorum confessorum adscriptus est anno Domini 1313. Cuius Canonizationis diploma extat. Sunt qui scribant hunc à Bonifacio nocte quadam delusum esse à suboratoribus quibusdam clanculum immissis, qui voce quasi cælitus demissa in cubiculum, ei persuaderent, Pontificatum esse dimittendum, si saluus fieri vellet. Quos ego cum Lazlardo historiographo, non secus ac mendaces & stultos pernicioſos existimarim. Quis enim ambigat Cælestinum semper modum quæsisse, quomodo se Pontificatu abdicare posset, reclamantibus etiam vndique locorum populis? Quis est tam demens qui credat tam sanctum virum, Angelorum assuetum loquelis & conuersationibus, etiam ab infantia, & spiritu prophetico clarum, discretionemque spirituum habentem, non potuisse discernere & cognoscere delusionem tam apertam? Absit. Sed magna eius & inaudita humilitas ad hoc eum compulit, simul etiam solitudinis & paupertatis amor. Vnde Aluarus de planctu Ecclesiæ lib. 2. art. 11. hæc ait. Considerans (inquit) sanctus Petrus de Murrhone, canonizatus per Ecclesiam, qui fuit Papa Cælest. V. tanta onera Papatus, & pericula: proindè & perfectè renunciauit Papatui. Quod credo fuit maius miraculum, & maius veriusque humilitatis & perfectionis exemplum isto præsertim infirmo tempore: quàm aliquod quod fecit, & quod fuerit diebus nostris, & ante per multa tempora, quia totum istud onus Papale, quod maius est quàm dici possit, non est qui reiiciat: sed qui in illud se proiiciat, & immergat gloriam considerans, & non onus. Hæc ille.*

Ex Æsernia.] *Est Æsernia colonia regionis Aprutij terræ Laboris, in Neapolitano regno, quæ hodie vocatur* Sergué.

In corpore phantastico.] *Phantasma, deriuatur à verbo Græco φάσμα, id est, apparitio, monstrum, visum.*

Asylum.] *Dicitur locus refugij, & dicitur quasi ab a, quod est sine, & sylum quod est tactus, quia ad suum locum fugientes tuti erant, nec inde per vim extrahi potebant. Vel componitur à νέος, quod est nouum & πόλις, ciuitas, quasi noua ciuitas. Fuit etiam Neapolis Parthenope appellata, à tumulo Sirenis.*

Camerarius.] *Cum Papa plura per seipsum in sua audientia domestica tractare soleret, Prælatos domesticos sibi adsciuit, qui dicuntur Clerici Cameræ Apostolicæ, quasi ad Cameram Papæ electos, cum quibus Papa agebat de his quæ pertinent ad gubernationẽ vrbis, & totius status temporalis, & rationem ærarij Apostolici. Vnde Camerarij maxima est authoritas, & locum procuratoris Cæsaris tenet. De Camerario eiusque officio legatur Lælius Zecchius Repub. Ecclesiast. cap. 5.*

Calculi morbo.] *Sumitur hoc loco calculus pro illo lapillo qui in vesica gignitur: ex quo incredibilis dolor emanat. Qui autem eo morbo laborant, calculosi dicuntur, vulgò dicitur* la pierre, ou la grauelle.

Capulo instabat.] *Capulus dicitur quicquid rem aliquam intra se capit. Vnde & id quo mortui efferuntur capulus dicitur, & sarcophagum, quod corpora capiat,* (νεκροφόρον.)

Duliæ venerationem.] *Dulia est seruitus quæ exhibenda est homini, sicut latria est seruitus quæ debetur Deo. Componitur autẽ Dulia cum hyper, quod est supra: vnde hyperdulia, quasi supra duliam, & hæc Christi humanitati debetur.*

Papa.] *Dicitur quasi maior Pater, quod solus per excellentiam pater omnium sit, quo nomine Pontifex Romanus nuncupatur ab Ignatio in Epist. ad Virginem Dei genitricem, & ab Athanas. in apologetico, communiter Papa ab omnibus dicitur, licet appelletur & aliis nominibus. Etiam dicitur Papa à Papæ, quasi admirabilis.*

Tabificum apostema.] *Apostema dicitur dura humorum collectio in corpore, nam Græci ἀποστήματα collectiones vocant: vnde tabificum apostema idem est quod putrida & sanioſa humorum collectio.*

Scrophulam patiebatur.] *Scrophula dicitur quoddam apostema, quod solet nasci circa collum, vulgò vocatur hic morbus,* escroüelle.

## *VITA BEATORVM EREMITARVM Ioannis & Fœlicis, Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis, de Redemptione Captiuorum, Institutorum. Ex antiquis Monumentis illius Ordinis.*

*Patria Beatorum Ioannis & Fœlicis Eremitarum.*

AETATE Innocentij III. Romani Pontificis, Ordo Sãctissimæ Trinitatis de Redemptione Captiuorum initium cepit, auctoribus Ioanne de Mattha, viro nobili, ex Prouincia oriundo, & Fœlice Anachoreta Valesiensi. Hic Ioannes spretis parentibus, mundique voluptatibus, adhuc adolescens, postquam satis humanas calluit literas, secessit in Eremum: vt Christo, quem toto corde diligebat, facilius & absque impedimento seruire posset.

*Degit in Eremo Ioannes.*

Cum verò tuguriolum in quo habitabat, non longè à domo paterna abesset, multifariam multisque modis tentatus fuit à dæmonibus, vt ad vomitum reuerteretur. Ne verò tentationibus succumberet, audita fama Parisiensis Vniuersitatis, quæ in omni scientiarum genere florebat: tandem venit Parisios. Cum verò cerneret simul & audiret tam præclaros vita & doctrina præstantes Theologos, viam Domino præparare prædicando & docendo, multum ædificatus, magnoque desiderio succensus, voluit studere Theologiæ. Vnde breui condiscipulos antecellens, factus est eorum magister, licet hunc honorem totis viribus respueret. Verumenimverò cum de virtute in virtutem progrederetur; placuit magistris, vt doctoris nomen & titulum assumeret.

*Creatur magister & doctor in Paris. Academia.*

Postquam doctor creatus est, cœpit vbertim in omnes doctrinam sapientiamque suam spargere. Vt autem maioris auctoritatis & efficaciæ esset eius doctrina: licet multum renitens, sacerdotio initiatus est. Cum igitur primam suam Missam celebraret, in conspectu Episcopi Parisiensis, & Rectoris Vniuersitatis, & Abbatis S. Victoris, diuinitus meruit consolari. Nam Angelus veste candida indutus, & Cruce rubei & azurei seu cærulei coloris insignitus, ei apparuit: videbaturque captiuum Christianum de manibus viri infidelis redimere. Hac visione attoniti & stupefacti Prælati, expleto sacrosancto Missæ sacrificio, cœperunt inter se consulere, quidnam hæc visio portenderet. Nam ipsis quoque manifestata fuerat. Tandem cognoscentes hanc à Domino visionem emanasse, viro Dei consuluerunt, vt quamprimum fieri posset, de hac re summum Pontificem faceret certiorem, datis ei probatissimis & legitimis huiusce visionis testimoniis.

*Fit Sacerdos B. Ioannes.*

*Apparet ei Angelus.*

Eorum igitur consilio, statim itineri se accingit. Verum quoniam hæc legatio ad Summum Põtificem vergebat potius ad manifestandum seipsum mundo, quàm ad fugiendum: simul etiam reuocãs ad memoriam spirituales delicias, quas adolescens in Eremo cœperat degustare, cœptum iter intermisit. Audiens verò famam cuiusdam magni Anachoretæ, Fœlicis nomine, sanctitate & meritis clari, qui solitariam vitam in quodam monte ducebat, habitabatque in spelunca, magno desiderio accensus eum inuisendi, protinus ad hunc montem perrexit, qui non longè aberat à loco, vbi S. Fiacrius insignis Eremita, olim solitariam duxerat vitam. Cum igitur peruenisset ad speluncam Fœlicis Ioannes, reperit quẽ tantopere sitiebat. Et postquam sibi salutem dixissent, Fœlix admirans dicit Ioanni: Bene veniſti frater; sed quæso dic, quidnam rei est, cur ad peccatorem accesseris? His dictis vt facilius aduentus eius causam cognosceret, benignè simul & iucundè accipiens Ioannem, introduxit in tugurium suum, & super herbam consederunt. Verum antequam sederent, non minor inter eos oborta est sancta contentio quis prior sederet, quam olim inter Paulum & Antonium, quis prius frangeret panem à Deo missum. Ioannes rogabat Fœlicem vt prior sederet, vt potè quia senior: è contrario Fœlix, propter maximam suam humilitatem, & ob reuerentiã scientiæ & doctrinæ quam ex verbis Ioãnis cognoscebat, honorem hospitibus debitum deferebat. Tãdem consilium fuit, vt ambo sese manibus tenentes, simul consederent.

*Venit ad Fœlicem Anachoretam.*

*Humilitas SS. virorum.*

Cœpit igitur Ioannes narrare causam sui aduẽtus dicens: R. Pater iam à longo tẽpore desideraui solitariam, & ab omni hominum strepitu semotã amplecti vitam. Considerãs autem huius sæculi vanitates & miserias, & quã sit difficile immaculatũ se custodire ab hoc seculo, audita tua laudabili conuersatione, ad te huc accessi, quatenus digneris me tecum suscipere, & docere viam mandatorum Dei, perfectionemque Monasticam. His auditis, Fœlix propter maximam suam humilitatẽ, se indignũ reputabat. Videns autẽ eius perseuerantiam, eũ secum assumpsit. Permãseruntque ambo simul S. Eremitæ per trienniũ, pari & consentiente in bonum animo.

Interim diffundebatur suauis odor nominis eorum, & venientibus ad eos salutis pabula verbo & opere ministrabant. Sic illis in vigiliis, ieiuniis, sanctis contemplationibus & meditationibus, aliisque sanctis exercitiis perseuerantibus, meruerunt

consolari à Domino. Nã cũ iuxta locũ vbi solitariè viuebant, scaturiret fons limpidissimus, ad quem ex finitima sylua solitus erat venire candidissimus Ceruus, refrigerandi se causa (vnde locus postea dictus est Ceruus frigidus,) quadam die prædictus Ceruus prope Anachoretas accessit, habens inter cornua Crucem: eisdemque pedibus & gestibus blandiri cœpit.

*Ceruus frigidus vnde dictus.*

Hoc spectaculo inconsueto attonitus Fœlix, interrogauit Ioannem quidnam hoc portenderet. Tunc Ioannes ei cœpit enarrare quemadmodum cum primam suam celebraret Missam coram Episcopo Parisiensi, aliisque Prælatis, videbatur ei videre Angelum, in pectore similem Crucem gestantem, & vnum Christianum à Turca infideli liberantem & redimentem. Hanc visionem vsque modo celare volui: licet Episcopus Parisiensis, aliique Prælati, quibus etiam visio fuerat demonstrata, mihi consuluissent, vt ad summum me conferrem Pontificem, ei expositurus visionem. Quibus auditis Fœlix summo gaudio affectus, boni ominis visionem esse iudicauit: quare cum Ioanne feruentius quam antè, in orationibus, meditationibus, vigiliis & abstinẽtiis, insistere cœpit.

Sed cum in ea libertate viuerent absque definita regula, & legitimis institutis, ter suut admoniti in somnis à cælesti nuncio, vt Romanum adirent Pontificem, accepturi certam vitæ regularis formam. Pergunt igitur ambo per duram hyemem, feruentes charitate sancti viri, ad sanctum Pontificem Innocentium, huius nominis tertium, omnium Religionis monasticæ amantium dulce asylum. Ad quem cum peruenissent, pedibus eius deuote & humiliter osculatis, datisque literis Episcopi Parisiensis, cæterorumque prelatorum, cœpit Ioannes ei exponere causam eorum aduentus. Tũc ab eo benigne & humaniter excepti sunt hospitio in suo Palatio ad quintũ vsque Kalendarum Februariarũ, cum dies festus Agnetis secundo agitur. Statim verò summus Pontifex cõuocans Cardinalium cœtum, nempe Ioãnem Episcopum Albanensem, Ioãnem Episcopum S. Albinæ, Nicolaum Costulanensẽ, Cardinales, Quiricium Presbyterũ Cardinalem tituli SS. Ioannis & Pauli, & Petrũ Presbyterum, Cardinales, Benedictum tituli S. Susannæ, Rogerium S. Anastasiæ, Gregorium tit. S. Georgij ad vellus aureum, Oddonem SS. Sergij & Bacchi, Ioannem S S. Cosmæ & Damiani, & Pelagium S. Lucinæ Diaconum Cardinalẽ. Iis Cardinalibus summus Pontifex tanti ponderis rem exposuit: addiditque dicens, sibi videri hoc negotium à Spiritu sancto duci. Cui Cardinales respondentes dixerunt: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Verum vt nihil temere aggrediamur, prius orationibus & ieiuniis insistendum est, vt Deus suæ voluntatis pleniorem tribuat notitiam. Quod consilium cum summo placuisset Pontifici, dixit eis. Crastina die Deo fauente Missam celebrabo, interim vos conscientiam diligenter per veram confessionem purgate, vt orationes vestræ Deo possint esse gratiores. Hoc idem præcepit duobus Anachoretis, qui totam noctem in oratione transegerunt.

*Pergunt Romam S. Eremitæ.*

Die igitur sequenti, quæ erat Octaua S. Agneis, summus Pontifex Clero comitatus, & duobus Anachoretis, processit ad Ecclesiam sacrum celebraturus. Eo autem rem sacram faciente, dum sacrosanctam Eucharistiam circunstantibus ostendit, Angelum Dei videt candore multo fulgentem, cancellatis manibus, duos captiuos tenentem, Christianum vnum, alterum Maurum, tanquam eos commutaret. Huic Angelo Crux rubri & azurei coloris ad pectus eminebat. Quo viso, & re diuina confecta, Anachoretas ad se vocans: Iam (inquit) filioli, aduerto Dei spiritu vos duci: dabo vobis indumenta exemplo visionis, quæ mihi diuina celebranti innotuit, respondentia, & eritis primitiæ Pontificatus nostri, quos diuina bonitas vult noui & sacri Ordinis esse auctores. Consutis igitur tunicis, Ioannem & Fœlicem candidis vestibus decorauit, superaddita Cruce, qualem Angelus ostendisset, addiditque nouo Ordini titulum de Trinitate, & Redemptione captiuorum, declarans primo in vestimentis eorum tres reperiri colores: album, qui Deum patrem repræsentat, qui principium est sine principio, vt albedo extremus est color, nulli alieno colori permixtus. Azureum, qui denigrationem & offuscationem refert, Christum dixit significare, cuius caro cruciatu & dolore fuit contusa & denigrata. Rubeum, qui ardorem designat, Spiritum sanctum exprimere dixit. Admonuit præterea eos his verbis. Candor, ô filioli, conscientiæ puritatem, atque mundiciem, qua fulgere vos decet, exprimit. Crux verò, qua parte rubea est, feruorem charitatis in Deum significat; altera quæ contusæ carni similis est, Christi passionis memoriam præ se fert, vt nostræ Redemptionis ab inferis memores, perseuerante metu, diligatis Deum & colatis. Quos verò Angelus dextra sinistraque inuicem commutare videbatur; eos puto repræsentationem facere liberandorum captiuorum, quos, Christum imitantes, posteà redempturi estis: vt pretio redemptionis dato, Christianum è Sarracenorum manibus atque seruitute eximatis, vel alicunde aduersæ legis hominem, pro eo qui Christianæ fidei professor est commutetis. Et vt semper reminiscamini diei institutionis vestri Ordinis, deinceps B. Agnes virgo & martyr erit vobis patrona, quæ bona sua trifariam distribuit: igitur ad eius imitationem volumus vt fratres Ordinis bona quæ deinceps possidebunt, in tres partes diuidant: ita vt vna sit ad fratres alendos, qui cultui diuino inseruiunt; altera ad hospitio excipiendos Christi pauperes, & tertia pars in redemptionem captiuorum ab infidelibus reseruetur. Ac idcirco volumus vt Monachi Ordinis SS. Trinitatis de Redemptione captiuorum deinceps vocemini. Reuertimini igitur ad locum habitationis vestræ, & ibi fratribus Ecclesiam construite. Interim tibi, ô Ioannes, construam Ecclesiam in monte Cælio: vt cum litteras nostras V. fratri nostro Episcopo Parisiensi, dilectoque filio Abbati S. Victoris detuleris, qui iam tuum sanctum perfectè nouerunt desiderium, ad nos redire possis cum litteris certificatoriis sanctæ tuæ intentionis, & Regulæ viuendi quam tenere & sequi concupiscis: & tunc tibi viuendi modum, efficacioremque confirmationem nostræ Apostolicæ auctoritatis concedemus. His dictis, eleuatis manibus dedit eis suam benedictionem: & ita eos dimisit. Illi igitur gratias Deo agentes, ad Eremitorium suum redierunt. Quorum reditum cum audisset Gualterus Castillionensis, Princeps militiæ Philippi Augusti Galliæ Regis, dedit eis vnam villam ad habitandum. Sed temporis successu videns, quod eorum tugurium tantam fratrum multitudinem capere non posset: alium eis spatiosiorem locum tradidit, qui Ceruus frigidus dicebatur. Et quia per id tempus, cum Christiani Principes, atque imprimis Francorum Rex, aduersus fidei hostes

*Angelus summo Pontifici apparet.*

*Admonitio Pontificis ad Anachoretas.*

*B. Agnes Ordinis SS. Trinitatis Patrona.*

*Redeunt in Gallias.*

*Mirum in modum augetur Ordo.*



stes in Palæstina ac Hierosolymorum finibus bellum gererent: B. Ioannes sollicitè delegabat fratres, qui Christiano militi in expeditione ministrarent, vulneratos fouendo, vel ab hoste captiuos redimendo, quibus beneficiis Ordo ampliatus est in multis locis.

Postquam igitur B. Ioannes omnia optimè constituisset in Monasteriis suis, omnibusque fratribus valefeciisset: eos sancto seni Fœlici commendauit. Cui etiam cum valediceret, vt ad summum Pontificem proficisceretur, Fœlix totus lachrymis perfusus separationem eorum lamentabatur. Quem benignè consolans Ioannes dicebat, quod licet corpore ab inuicem separati essent, mente tamen nunquam diiungerentur. Illis autem mutuò in oscula ruentibus: subitò beatus Fœlix spiritu deficiente cecidit euanescens, & factus est velut mortuus. Qui cum tandem ad se rediisset, dixit Ioanni: Bene vale, Dominus tecum comitetur: quæso memor esto mei cum audieris obitum meum. Ioannes etiam lacrymans, hæc precabatur, simulque gratias agebat, quod eum suscipere dignatus fuisset, eique perfectionis viam demonstrasset. Iterumque seipsos osculantes, facta est tristis & flebilis ab inuicem separatio.

*Ioannes iterũ proficiscitur Romam, & à summo Pontifice Regulã propriam suscipit.*

Beatus verò Ioannes, secundum mãdatum quod habuerat à summo Pontifice, iterum profectus est Romam, secum deferens responsa Episcopi Parisiensis & Abbatis S. Victoris. Excepit autem eum summus Pontifex cum ingenti gaudio: qui etiam authoritate Apostolica regulam propriam confirmauit: quin etiam eidem eiusque successoribus regularem vitam obseruantibus, Ecclesiam S. Thomæ, & S. Michaëlis de Formis, sic dictam, quod non longè à Formis, id est, aquæ ductibus sita sit in monte Cælio, cum possessionibus suis, & omnibus aliis pertinentiis tradidit. Necnon Ecclesiam S. Saluatoris, (vt habet confirmatio Honorij tertij hoc nomine Pontificis Romani, seruata in Bibliotheca Vaticana) sitã in loco qui dicitur Mons sanctus, super Castro Verelatensi in Diœcesi Spoletana, cum omnibus pertinentiis suis, & in diœcesi Tudertensi Ecclesiam S. Mariæ de Lantano cum omnibus pertinentiis suis. In Diœcesi Aniclensi, Ecclesiam S. Trinitatis iuxta Castrum Albani, cum omnibus pertinentiis suis. In vrbe Ecclesiam S. Isidori, & totum montem maiorem post Absidiam. Item plures alias possessiones quas dicta confirmatio recenset Honorij Pontificis, qui vt prædecessor eius Innocentius tertius, omnes dictas Ecclesias, & fratres inhabitantes eas, sub B. Petri & sua protectione suscepit.

*Moritur Fœlix.*

Interea B. Fœlix degebat in loco Erimitorij sui, in quo iam constructum fuerat monasterium, fratresque sibi subditos verbo & exemplo gubernabat, & ad Dei disciplineque amorem excitabat: vnde indies fratrum numerus accrescebat. Cognoscens autem diem sui transitus imminere, omnes fratres ad se venire iussit. Qui cum eos hortatus fuisset ad obseruantiam mandatorum Dei, ad monasticam disciplinam, & perseuerantiam, data eis benedictione, petitaque venia, & sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis munitus, quietè admodum gloriosam animam reddidit Saluatori.

*Austeritas Ioannis.*

Beatus autem Ioannes de Mattha primus maior minister, vita probatissimus, & laboris mirum in modum patiens, cibo vsque ad inediam abstinens, somno minimè obnoxius, quem humi supposita breui storea, & ad caput ceruicali, horas ad summum capiebat quatuor, reliquo tempore semper nisi necessario negotio impeditus, orationi vacabat, atque interdum diuinum verbum populo, diuinoque gregi, & promebat, & prædicabat. His tandem sanctis operibus longanimiter incumbens, Ioannes sexagenarius, postquam sexdecim annos in monte Cælio vixisset, mortuus est, & sepultus in Ecclesia S. Thomæ de Formis anno salutis millesimo ducentesimo decimoquarto 12. Calend. Ianuarij, vt habet eius Epitaphium insculptum marmori sepulchri testudinati & extructi in dextera parte minoris Ecclesiæ: maior enim omnino discooperta est, & semidiruta in monte Cælio. Ea autem sunt verba:

*Etiã migrat B. Ioannes.*

Anno Dominicæ Incarnationis 1197. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij, anno primo, decimoquinto Calendarum Ianuarij, institutus est nutu Dei Ordo SS. Trinitatis à fratre Ioanne, sub propria Regula, sibi ab Apostolica sede concessa. Sepultus est idem frater in hoc loco anno Domini millesimo ducentesimo decimo tertio, Decembris 21.

### NOTÆ.

Ætate Innocentij, &c.] *De tẽpore Institutionis Ordinis SS. Trinitatis non cõcordant scriptores. Platina enim dicit hunc Ordinem incepisse tempore Cælestini Papæ III. aliique quidam eum sequuntur. Sed mirum non est, si Platina seipsum aliosque fefellerit, cum eius consuetudo sit sapius tum in supputatione temporum, tum in veritate historiæ mentiri. Opinione igitur Platinæ reiecta, dicamus cum aliis historicis hunc Ordinem incepisse anno Domini 1197. Ita Antonius Sabellicus tom. 2. historiarum lib. 5. Enneade I X. prope finem, Lælius Zecchius de Repub. Ecclesiastica, in tractatu de Relig. c. 11. Alphonsus de Casarubios in principio Compendij Priuilegiorum fratrum minorum, & aliorum mendicantium, & denique alij multi.*

Auctoribus Ioanne de Mattha, & Fœlice.] *A Sabellico loco supra citato Ioannes Marensis appellatur, sed melius de Mattha, nam in antiquis MS. & membranis ita scribitur. Eorum gesta ex antiquis monumentis RR. Patrum SS. Trinitat. Auenion. descripsi. Multa etiam de eisdem scribit Robertus Gaguinus vir doctissimus in hist. Franc. in Philippo Augusto, & in Chronico eiusdem Ordinis cuius ipse fuit minister Generalis. Pluribus eorum gesta prosequutus est Iacobus Burgensis eiusdem Ordinis Prouincialis. Nondum canonizati fuerunt.*

## VITA B. ROBERTI SALENTINI

*Discipuli S. Patris Petri Cælestini. Collecta ex illa Magna, quam ex MS. descripsit Ioannes à Bosco.*

VERITATIS veracissima relatione scimus, arbores bonas fructus suaues proferre consueuisse. Ob quam rem nihil mirum fuit, sanctissimos atque piissimos Roberti genitores, tam pretiosum edidisse palmitem. Ipsius patri Thomasius nomen fuit: matri verò Benouenuta, Salensis oppidi in Apprutio ambo incolæ, quo etiam loco Robertum natum fuisse constat: ob quod Salentini cognomen illi attributum narrant. Hi Deo deditissimi coniuges, Catholicis, piis ac deuotis operibus præter suos conciues adeò enitebant, vt ipsorum domus aduentantium esset iuge hospitium. Beneuenutæ porrò in Deum feruor mirus extitit: quæ à beato Petro Cælestino, qui tunc temporis florebat, edocta, quotannis tres quadragenas, atque singularum hebdomadarum quartam sextamque ferias, sola panis & aquæ epulatione

*Patria & parentes S. Roberti.*

*Eius mater S. Petri Cælestini discipula.*

contenta, ieiunabat, horas canonicas Sacerdotali more quotidie recitans præter binam psalterij Dauidici lectionem, quam deuotissimè atque religiosissimè à Dominica qualibet in Dominicam, sine vlla intercapedine absoluebat. Quibus studiis dum mulier assidua esset: contigit ipsam vterum gestare, partuique Roberti, cuius vitam pertractamus, vicinam effici: ante cuius ortum genitrici visum, sphæram quandam se è vulua emittere, quæ totum orbem cingeret, atque ambiret. Quæ res absque dubio fœtus sui magnitudinem, in omnique sanctitate excellentiam portendit.

*Vlcina partui videtur ei sphæra è vulua emittere.*

Nato itaque Roberto, sensim piorum parentum vestigiis insistere illum cuncti liquidò aduertere: ita vt eximiam vsque ad ætatis suæ annum quintumdecimum innocentiam, ac morum puritatem, præ se ferret. Assidua animi contentione, concupiscentiæ iuuenilis fræna cohibens, ac strenuè ad virtutis cacumen anhelans. Posteaquam verò Clericus effectus est, ac aliquali literarum notitia tinctus, ministerium iuge ac penè continuum Ecclesiæ oppidi Salensis exhibuit. Ipso tempore audita celebri fama arctissimæ vitæ, quam B. ducebat Petrus Cælestinus, necnon comperto ipsius virtutum, grauitatis morum, ac religionis ab eo institutæ, obseruantiæ splendore, ipsum degentem apud montem Orphontis, supplex Robertus adiit: eique facta peccatorum suorum confessione, atque ab eo consequuta absolutione, suæ mentis arcanum, quo mundo nuntium remittere statuerat, detexit. Cui vir sanctus consuluit, alicuius ab Ecclesia approbati Ordinis habitum assumere. Ad quem Robertus adolescens spiritu feruens infit: Proculdubio pater, vestræ Religionis me sacer vestitus adornabit. Exinque domum repetens, tam excelsa morum venustate atque grauitate resplendebat, vt cuncti præ admiratione stupentes, dicerent; verè hic adolescens suo tempore sanctus erit: huncque sanctitatis titulo, Sanctucium patrio idiomate vocitarent; quo nomine semper in posterum illum diuinus pater Cælestinus nuncupauit. Elapsis igitur aliquot diebus dum matri conuiueret, stantémque eam in thalamo ac solam optime sciret: miratus est eam cum alia aliqua persona colloquentem audire. Quam dein reuerenter interrogans, ad ipsam dixit: Cum quo ô mater antea loquebaris? at illa: Cum beata, ô fili, virgine Maria. Quo verbo mirum in modum optimus adolescens ad pietatem succensus fuit. Decursis verò domi pueritiæ annis, diuéditis relictisque cunctis propriis facultatibus, ad beatissimum Petrum Cælestinum aduolauit: à quo habitũ Cælestini Ordinis consequutus, ipsius mores sibi veluti speculum constituit: ad cuius intuitum suam ipse vitam componeret. Ab initio suæ conuersionis (dictu mirabile, & pene viribus humanis importabile) nusquam vitæ assumptæ rigorem sanus, vel infirmus soluit atque remisit: qui adeo seuerus fuit, vt vix alicuius sancti abstinentiam eum aut adæquasse, vel saltem præteruolasse compertum sit. Etenim exiguo pane, penéque ponderis vnciarum octo, atque hausto modicæ aquæ, vitam quotidie sustentabat: quâ panis aquęque mensuram ipse à Christo didicit. Siquidem dum quadã die sub serotinis horis, orationi strenue incũberet, paulo post monastici habitus assumptionem: ecce si, non somno perfusus, vidit ipsum omnium Saluatorem, cum suis discipulis ad mensam recumbentem, atque eorum cuilibet panem circiter octo vnciarũ præbentem, quo comesto, potum ipsis Redemptor propinabat aquæ, in ea quam sibi præfixerat Robertus quantitate. Quod is sagaciter expendens, hanc mensuram intellexit naturæ necessitati sufficientem fore. Ac licet aliquando cum fratribus mensæ communi accumberet: nullo tamen pacto indictam sibi victus mensuram præteriuit. Sed & meliora semper æmulatus charismata, morum grauitate, mentis charitate, prompta obedientia, atque sedulis obsequiis, silentij strenua custodia, necnon orationis assiduitate, ita resplenduit, vt in sui amorem beatum Petrum Cælestinum tam vehementer pelliceret, quod eum sibi cõtubernalem toto quinquennio asciuerit: donec ad apicem pastoralis honoris assumptus clanculum à cellula cum eo diffugere conaretur: verum adhibitis custodiis, fugæque vtrisque præclusa via, ipse sanctus Petrus, præter propositum, electioni suæ morem gerere compulsus, à Roberto solerter perquisiuit, num dignitatis oblatæ sodalis vellet esse ac particeps. A quo Robertus effusis lacrymis atque obsecrationibus, obtinuit, Cellæ potius sancti viri successor fieri & solitudinis hæres, quàm dignitatis commilito. Sic que remanens in patris cella deuotus filius, disciplinam sui doctoris eximius seruabat discipulus: ieiuniis atque orationibus iugiter operam nauans, vsque ad tempus quo Paparui cessit sanctus eius magister: atque ad Christum moriens perrexit Cælestinus. Etenim ea ipsa hora, qua carnis deposuit exuuias, fratri Roberto oranti atque ectalim patienti cucullo indutus candidissimo, stolaque immortalitatis redimitus, vultu sereno apparuit, ipsum amplexu osculoque suauiter demulcens. Quem Robertus ita affatus est. Ergone visum est Pontifici, te ad has oras Parer vinculis solutum mittere? Cui Petrus miti respondit alloquio, id ex Regis præcepto factum fuisse. Et Robertus, iam verò Pater quò abire fert animus? Et Petrus, fili charissime, quandoquidem Regi id visum est, me decet ingentem conscendere montem. Sequar te, ait Robertus, ô Reuerendissime Pater, nec à te diuelli patiar. Non iam, infit Petrus, non iam: at postquam merita nactus fueris ampliora. Quo igitur gradum figam, respondit Robertus? Hic in cella remane, quiesce, staque in pace, ô fili, dixit Cælestinus. Tunc que ad se reuersus Robertus, vidit soluto cellæ laquearo, tectoque disrupto, ipsum patrem sanctissimum cælos conscendere, & quarto abhinc die didicit eundem patrem debitum soluisse naturæ.

*Habitum monasticum suscipit à S. Petro Cæles.*

*Abstinentia B. Roberti incomparabilis.*

*Didicit à Christo mensuram cibi & potus.*

*Nota.*

*Proficiscitur ad S. Petrum Cælestinum.*

*Fit Clericus & Robertus.*

*Pluris facit S. Pet. Cælest. Cellã, quàm mundi homines.*

*S. Pet. Cælest. eidem cum magna claritate apparet.*

*Catalogus virtutum eius.*

*Valdè eum amat S. Pet. Cælest.*

*Catalogus virtutum eius.*

Dum beatus Robertus moram gereret in cœnobio sancti Georgij de Rocha Mauritij vel Morici: cellam inibi sibi constituit, in qua soli Deo vacans, per duodecim annos se conclusit, nusquam egrediens; præterquam dum inuitus, de triennio in triennium, necessario ad publica ordinis Comitia, quæ Capitulum generale vocant, properaret. In dicta igitur cellula exercitationi spiritali deditus, clam ad carnem cilicio pilis equorum nodosis cõtexto in duebatur: lectique loco, ei humus nuda erat: vel ad summas delicias, remissionis gratia raro ad tabulam cum ligneo puluinari, ossa potius collidebat, quàm recubabat. Sex quadragenas omni prorsus humano carens alloquio quotannis ieiunabat; ita vt ministro præciperet, in initio cuiusque quadragesimæ, ad se nullo prorsus edito sermone, amphoram aquæ quæ viginti prætaxatas caperet mensuras, deferre, atque viginti aliis diebus elapsis, multo silentio & taciturnitate, alteram. Vicibus quingentis intra diem quemlibet naturalem, absque intermissione, relaxationeue, genuflexus Deum Creatorem omnium adorabat. Quauisq; nocte media, excusso somno, persolutum Ecclesiasticas

*Per duodecim annos silet reclusus in cella.*

*Cilicio vitiatur.*

*Cubat humi.*

*Sex quadragenas omni prorsus humano collo quio carens quotannis peragit.*

*Exercitia S. viri*



sticas preces adibat: quibus decursis, ad primam vsque diei horam, qua sacrum in fratrum cœtu audiebat, proprias Deo offerens orationes insomnis quotidie durabat. Postque Missam auditã, ad horam vsque tertiã psalteriũ relegens, vt tertia aduenerat: explicatis sacra exomologesi Presbytero noxis, is ipse sacrũ agebat, quo perfecto, iterũ psalterium recantabat, donec comestionis consueta nona adesset hora. A prandio verò, aut scribebat, aut exercitio meliori se addicebat, vsque ad vesperarum tempus. Vesperis verò Deo persolutis, totum se orationi & profundæ vsque ad altam noctem meditationi immergebat: quousque fatigatum corpusculum somno pressum, in terram diffluxeret. Quod tamẽ corpusculum septies quotidie asperrima atterebat disciplina. Æstuabat vir ille sanctus, mortẽ pro Christo perpeti: verùm cũ iusta ad id causa minimè ipsi arrideret: vtpote cui ex suorum maiorum obedientia, nefas erat partes adire infidelium: nullaue occurrebat patiendi in Italia martyrij conueniens & æqua ratio, solers tamen inuenit viam, qua dolores Christi in sua ipsius carne perferret. Egressus namque vna dierum cum socio, ad expascendum meditationibus animum, dum per quoddam cœnobio contiguum nemus obambularet, vidit fortuito arborem in Crucis modum penè bifurcam. Ipsa visa atq; notata, gaudio gestiens & exiliens, tacitus abscessit, nihil omnino sodali communicans suo. Atque altissimo noctis silentio exurgẽs, syluam petiit: arborem succidit, & propriis ad cœnobium detulit humeris. Hanc dum deferret, humani generis hostis, canis nigerrimi obtectus specie illi obuius, morsu & procacitate in eum insiliuit: horrendo tratu ipsum territare nisus, molestiisque & dura contentione, ab arboris delatione ferè compescuit. Verùm Robertus, fide armatus, iã iam hostem adesse cogitans, signoq; sanctæ Crucis se communiens, phãtasma hoc in auras euanescere fecit: atque arborem detulit, inque cella defixit, positis ex vtraque brachiorum parte cordularum nodis, quibus brachia immitteret, dum in arbore Crucifixi instar se suspenderet.

*Septies quotidie asperrima disciplina corpus castigat.*

*Diabolus in specie canis eum deterrere nititur.*

*Instar Crucifixi in arbore se suspendit, & multos dolores patitur.*

Ipsam ergo arborem omni die indubiè ascendens, tandiu deiecto & demisso corpore toto, in ea pendebat, brachiis intra funes immissis, quandiu Pater noster, decies recitaret. At ita tractim moroséque, vt in vnoquoque alter decem persoluere quiret, vnde centies orationis Dominicæ spatium adimplens, instar Crucifixi pendebat in arbore. Quantus verò fuerit iste cruciatus, maximè cũ nihil pedibus suppositũ haberet, quiuis sapiens apud se pertractet. Præterquam namque quod in tã horrendo supplicio seipsum Deo mactabat integrum: intantum vt non guttas, sed vndas eius oculi emitterent, imò profunderent lacrymarum: omnia eius membra ita sudore diffluebant, vt riuos diceres aquarum; sed & tantis diuinis consolationibus perfundebatur, vt miraculo diuino in corpore sustentatus, ægrè animam propriam, ne emigraret, detinere posset. Quam verò grata, quamque accepta fuerit Christo Domino eiusmodi ipsius passionis imitatio, mox post eam patrata, quæ iam explicabimus indicant miracula.

*Claret miraculis.*

Quidam Cælestinorum Monachus Angelus nomine, cum beato Roberto apud Cœnobium Rochæ Morici habitans, fistulam grauem in manu gerebat: cuius curationem cuncti desperarent medici. Verùm beatus Robertus manum ægroti Crucis signo consignans, mox ipsam ex integro sanitati restituit. Quidam alius Cælestino Ordini adscriptus, leprosus effectus est: adeò vt omnis circa eum medicorum langueret efficacia: ob quod Generalis Cælestinorum Abbas eidem cellulam separatam, famulumque qui ei inseruiret, ad aliorum cuitandum scandalum, adsignauit. Hunc beatus Robertus crebro visitans, ipsius vlcera purgabat: pus eorum atque saniem educebat, & presslabat, propriaque lingua lingebat, eius intuitu qui nostri amore, vt leprosus effectus est. Accidit verò, vt ardore charitatis accensus, solito amplius pro eo quadam die feruidas preces emitteret ad Deum beatus Robertus: moxque ab oratione, leprosi vulneribus Crucis signum indidit: eumque nulla mora integræ & perfectæ sanitati restituit. Alter nomine Petrus, ex illorum classe quos oblatos Cælestina consuetudo vocitat, absque præuia confessione, repentina ægritudinis molestia oppressus, diem clausit extremum. Quo defuncto, eo quod loco oriundus hoc in quo decessit minimè erat; fratres, eius propinquos & affines asciuerunt: vt si vellent aduenirent, priusquam humo tegeretur. Insepultus ergo, dum illi aduentarent, à noctis medio, ad horam vsque refectionis sequentis diei iacuit. Verum moras in veniendo nectentibus propinquis, dum prandij adforet hora, fratres mensæ accumbere beatus præcepit Robertus: remansit verò ipsemet ad cadauer de more seruandum, cum duobus fratribus, circa illud psalmos pœnitentiales ac orationes alias Domino persoluens. Interea autem ipsi venit in mentem horroris damnationis defuncti recordatio: cui compatiens, lacrymas & preces pro eo fudit ante Deum efficacissimas, ac super eum postmodũ stans, ita defunctum cœpit compellare. Vis fili Petre pœnitentiam accipere salutarem? Qui ilico respondens dixit: Volo Pater, atque continuo, qui mortuus fuerat resedit, loqui incipiens ac de suis delictis integram ipsi confessionem agens. Qua peracta, absolutione ab eo consecuta, simulque benedictione, post diuturnum longumque colloquium, ipse Petrus se iterum in sarcophagum reclinans, obdormiuit in pace.

*Propria lingua lambit saniẽ fratris.*

*Sanat leprosum.*

*Suscitat mortuum.*

Quantumuis verò vir beatus Deo in agendis rebus deseruiret: eleemosynarũ studiosus, ac de Monasteriorum sibi commissorum ordinatione atque dispositione sollicitus, Martham feruenter imitatus, statuta nihilominus sibi præfixerat tempora, quibus meditationi atque orationi incumberet ad Christi pedes residens cum Maria; in quibus sæpissimè tanto ipsius anima iubilo perfundebatur, vt iam æternæ dulcedinis nectare potatus videretur. Verùm eo quod locus in quo vir sanctus degebat, incolarum vicinia nimis affluere ingens turba, ex animi deuotione ad eum confluens, mirum in modum ipsius sacras meditationes interturbabat. Cuius rei gratia diuinum præsidium sedulo efflagitauit: cuiusque beneficio, adeo auditu inter orandũ meditandumue orbatus fuit, vt si omnis clangor tubarum, sonitusve campanarum orbis vniuersi, ad cellæ ipsius ianuam applicitus adforet, nulla ratione in eius aures penetrare potuisset: præter quod ita à sensibus alienari tunc consueuerat, vt non vocatus, tactusve, sed maximis ictibus impulsus, vix ad se rediret, quamuis ab orationis vel meditationis solutus officio nullus eo audiendi perspicacia viuacior esset.

*Nota rem miram.*

Quàm affluenter porrò atque exuberanter diuinis solatiis afficiebatur, vel ex hoc coniici datur, quod cum semel ad eum ipsius minister aduentaret, numquid ei deesset exploraturus: longo admodum temporis spatio sustinuit eum cum aliquo

alio intra cellæ anguſtias colloquentem. Qui demirans, quanam ratione præter conſuetudinem colloquium protraheret: eo tandem finito, ad ipſum poſt petitam acceptamque facultatem irrupit, atque neminem reperiens, ab eo territus, ſumma demiſſione, maiorique inſtantia pèrquirebat: Cum quo prius longos ſermones duxiſſet. Ad quem ille oculis ſerenis, vultuſque ſolita venuſtate & gratia affabilis, infit. Loquebar fili, cum noſtro omniumque Seruatore Ieſu Chriſto. At miniſter: Quo pater in loco ſacrati ipſius pedes reſederunt? In iſto, ait ſanctus, digito locum deſignans. Ex quo ad quantæ perfectionis culmen euectus fuerit facile videri poteſt.

*Familiariter cum Chriſto colloquitur.*

Flamma igitur charitatis in eo vires augens, cor eius ita igniuit, vt iam talentum ſibi à Deo creditum proximis communicare inſtitueret: lumenque ſuum cunctis in domo Dei habitantibus exponere decerneret. Nocte autem quadam, dum inſtãtius Dominum precibus ſuper animi ſui propoſito fatigaret: ecſtaſim patienti Roberto Chriſtus ipſe affuit, qui ad ſe comitantes verſus, ait. An iſte ſeruus meus negligens eſt & piger qui quingentis vicibus, poplitibus flexis, omni die me humillimè ſalutat? Quem intuens frater Robertus, & optimè agnoſcens, ante eum in terram corruens, ſe dimiſſe proſtrauit, eumque adorans, reuerenti voce reſpõdit. Ego ipſe ſum mi Domine. Cui Chriſtus. Aſcende in montem fili, tibique frumentum & oleum dabo: ac pro te Chriſtum Ieſum rogabo. Ad quod dictum frater Robertus ſubintulit: Tu es Chriſtus, quomodo ergo pro me Chriſtum rogabis? Quibus dictis, continuo ad ſe reuerſus, incredibili exultans lætitia, petita & obtenta à Generali Abbate Ordinis Cæleſtinorum venia, cum duobus ſociis ad locum ſancti Petri Apoſtoli de Monteplano demigrauit. Quo in loco tantam ipſi rerum copiam Deus adminiſtrauit, vt non ſolum multis ſecum Deo ſeruientibus fratribus, quin etiam cunctis in circuitu patriam inhabitantibus, profuſa adiutorij porrigeret ſolatia. Cœpit igitur exercendæ charitatis cauſa, ſancta plurima extruere loca, fratrum Religioſorum multitudinem ampliare, atque hoſpitales domos inſtituere. Nam quatuordecim Monaſteria, à fundamentis erexit, Xenodochiaque ſeptem ad integrum perduxit: in quibus poſſet vtraque miſericordiæ opere adimplere officia.

*In ecſtaſi poſitus videt Chriſtum.*

*Chriſtus ei frumentum & oleum ſubminiſtrat.*

*Multa conſtruit Monaſteria & Xenodochia.*

Cum aliquando degeret vir ſanctus ad Monaſterium de Monteplano, quadrageſimam maiorem arctiſſimo ſilentio ibi excolebat, ac quotidie profunda nocte ſoluto Completorio, quadragies Dominicam orationem in laudem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis maxima cordis effuſione orabat. Orante igitur eo, & Trinitatem beatiſſimam ſalutante, cogitatio ſe eius menti ingeſſit, quomodo Deo in æterna beatitudine adſiſtentes, diuina perfruantur viſione, quidue agant, Deum dum ita vident ac contemplantur. Et ecce abſque interuallo extra ſe raptus, & in ecſtaſi poſitus, alta & ſonora admodum voce cœpit Kyrie eleiſon decantare, atque alternando, Sanctus, Sanctus, Sanctus, modulari. Quo clamore excitati fratres, mox irruunt, quos nec ipſe aduerrit, ac ſi iam corpore exemptus eſſet: oculis tamen apertis totam cellam quaſi fornacem flammis lucidiſſimis illuſtratam videbat, intraque illud ineffabile lumen, Chriſtum Cruci affixum contemplabatur, viſceribus præ compaſſionis affectu omnino reſolutis. In quem viſus aciem immobiliter defixit, quouſque diuina illa & mirabilis viſio abſceſſit, ac tunc primum ad

*Rapitur in ecſtaſim, & Chriſtum Cruci affixũ videt.*

A ſe rediens, à fratribus ſuis exploratas eſſe, atque perluſtratas delicias, vehementer erubuit.

Verumenimverò Dei ſeruus à perſecutione externa exemptam non potuit ducere vitam. Princeps quippe tenebrarum, ipſius ſanctitatis tabeſcẽs liuore, grauiſſimorum erga cum odiorum in corde Theatini Pontificis ſuperſeminauit zizania. Cum enim non tantum è propinquis locis, verum etiam è remotis valde terrarum finibus fidelium cateruæ ad virum Dei, eleemoſynis pro ſuorum redemptione criminum onuſti, affluerent: eo quod exploratum cunctis erat, Robertum pauperum plurimos alere, veſtireque greges, hoſpitio peregrinos excipere, necnon maximum Monachorum numerum, qui pro plebis peccatis Deo ſolerter iugia B offerebant libamina, adunaſſe: Epiſcopus Theatinus reputans ipſum multas gazas atque theſauros coaceruaſſe, iubet hunc citari, atque ad ſuam præſentiam ſiſtit: vt ſibi acceptarum à fidelibus eleemoſynarum rationem, à magno iam tempore, nempe à Viennenſi Concilio redderet. Petiitque vt canonicam ſibi de acceptis portionem daret: maximè cum plurium teſtamentorum effectus fuiſſet executor, quod tamen à veritatis penitus tramite recedebat, teſtamentis namque nullo vnquam tempore ſe immiſcuerat. Verum Robertus, quia ſtatim accepta in pios profundebat, (vti dictum eſt) vſus: nec acceptorum datorumue codicem ſcribebat: C Epiſcopo morem gerere haud potuit. Auctoritatem nihilominus Epiſcopalem reuerenter amplectens, non vermem propriæ conſcientiæ pertimeſcens, Calicem venundedit, cuius pretium vexationem redempturus, Pontifici obtulit: atque cum eo de omnibus præteritis cauit. Non tamen Theatinus Pontifex iram remiſit, at in cunctis impulſione Clericorum, quibus videbatur, fidelium erga virum Dei ſtudium, eſſe ipſorum detrimentum, Robertum cum verbis, tum operibus, grauiſſimis afficiebat moleſtiis.

*Perſecutionem patitur à Theatino Pontifice.*

*Eximia B. Roberti charitas in pauperes.*

Quia verò ſcriptum eſt, iræ à iuſtis locum dari debere, exemplum patris Benedicti æmulans Robertus à Monaſterio ſanctæ Crucis ſeceſſit ad locum S. Mariæ de Lamia, quem ipſe à fundamentis D erexerat. Nec tamen ipſius abſentia Epiſcopi animum mitigauit. Cum enim in mandatis habuiſſet à Ioanne Romano Pontifice, vt contra Fratricellos iudicium inſtituens, præmiſſa tamen monitione, quam in Cleri Cœnobitarumque cœtu publicaret, hanc cauſam vexandi Robertum arripuit: eum iterato acciri, perquiri, & ad ſuum tribunal adduci præcipiens. Vir verò Domini, vt ei Pontificis Theatini edictum innotuit, cum lecto decumberet languore perculſus, ſocium ad eum direxit, adde quod perpendebat ſe Antiſtiti inuiſum fore, & ingratum. Gauiſus ergo Pontifex Robertum non adfuiſſe, atque hac occaſione malitiam ſuam explere pergens: E Romani Pontificis abutens authoritate, in exemptum ſententiam excommunicationis promulgauit. Quo comperto, Robertus intimo dolore affectus fuit, tum quia claues Eccleſiæ, ſiue iure, ſiue iniuria prolatas, vti conſentaneum erat, ſuſcipiebat ac reuerebatur, tum quia cum tempus eſſet quadrageſimæ, præter ſolitum in adeundo Epiſcopo, oportebat ipſius ſolui ſilentium. Aſſumpto tamen venerabili quodam ſui Ordinis viro Epiſcopum ſupplex adiit, abſolutionis ab eo deprecaturus beneficium. At Epiſcopus toruo eum vultu intuens, aſperaque & procaci voce laceſſens: Hypocrita (inquit) & ſimulationis nequam artifex, vt quid meorum Clericorum exhauris eleemoſynas? Qua ratione ad

*Is eſt ex. Fraticelli excommunicantur.*

*Theatinus Epiſcopus B. Robertum iniuſtè excommunicat.*

*Iniuriis ab Epiſcopo afficitur.*

peruer-



peruertendum homines, tot patras præſtigias? Hæc A paruit: cuius iubare humani viſus acies obtundebatur, eratque magnitudinis octo fere pedum, ſub Crucis verò brachiis, duodecim miræ ſpecici ac fulgoris viri vtrimque viſi ſunt: quorum vultus præ maieſtate haud poterant conſiderari: poſt quos hinc & inde in chori morem, quadraginta, & quadraginta alij ſtabant, paulo minoris decoris. Quæ viſio vſque ad Letaniarũ finem perdurauit. Ipſo verò vidente & carneis oculis optimè conſpiciente, Crux ſplendida, & fulgidi homines cælum penetrarunt, & ilicò infirmitas omnis ab ipſius corpore diſcuſſa fuit. Qua de cauſa, incolumis è lecto proſiliens, immenſas Deo grates tam de viſione, quàm de recuperata ſoſpitate perſoluit.

*Diuinitus ſanatur.*

Progreſſu verò temporis poſtea haud modico, videlicet anno Domini milleſimo trecẽteſimo quadrageſimo primo, Iulio menſe, nona Indictione, ſuæ ætatis anno ſexageſimo nono, ab aſſumpto verò Cæleſtino habitu per eum, anno quinquageſimo tertio: Pontificalem Romanæ vrbis Cathedram regente bonæ memoriæ Benedicto Papa duodecimo, vir ſanctus iam ſenio confectus, auſteritateque confoſſus, cœpit viribus deſtitui, ac robore reſolui: nam conſumptis carnibus, pélli ſuæ nuda ipſius oſſa adhærebant, tenuiſque tantum ſpiritus vitalis ſub ipſius pectuſculo ſentiebatur palpitare, & tamen inuictum erga noſtræ ſalutis hoſtem gerebat animum. Petiit namque ipſemet, & ſuſcepit C cuncta Eccleſiæ ſacramenta. Et ad generoſum in illa extrema hora ſe comparans certamen, ſcutum fidei inimico oppoſuit, galeaque ſe ſalutis armauit. Ac ſe ita vt ſederet erigi præcepit, vno fratre pone eum ſtante, atque ſuſtentante ne recideret. Igitur in hunc modum poſitus, eleuatis ad cælum oculis, hilari admodum vultu ſereneque & ridente facie altiſſimum magnificare cœpit Dominum, & viua atque ſonora voce, profluuio madens lacrymarum, Apoſtolorum ſymbolum tractim & grauiter recitare, ſingulos ipſius diſtinguendo articulos, & dicendo: hanc particulam pronunciauit Petrus, hanc Paulus, hanc Ioannes, quibuſque Apoſtolis ſigillatim ſuam attribuens.

*Recipit deuotè ſacramenta Eccleſiæ.*

*Recitat Symbolum Apoſtolorum.*

Poſt hoc decem præcepta legis enumerauit, ſeptemque Eccleſiæ ſacramenta, atque adiecit. Credo & credidi, teneo & tenui, confiteor & confeſſus ſum, fidem illam ſanctiſſimam, quam Chriſtus docuit, quam Apoſtoli prædicauerunt, quamque ſancta Dei Romana Eccleſia in qua nunc præſidet Domnus Benedictus Papa duodecimus, tenet & docet. Et his dictis adiunxit. Deo & beatæ Mariæ, ac beato Ioanni Baptiſtæ, committo ſpiritum meũ, ac me Domino Abbati noſtro, & omnibus fratribus recommendo, vt pro me debeant Dominum ſuppliciter exorare. Hæc vt perorauit, ipſe pauperum pater, macie confectus, iam iamque ad mortem feſtinans, eleuata vt potuit voce, aſtantibus ac circundantibus fratribus, de ſancta obedientia, obſeruantia Religionis, vigilantia caſtitatis, amoreque paupertatis, eruditum atque feruentem ſermonem faciens, in fine lætis oculis in cælumque directis, rutilanti vultu, omnibus fratribus præſentibus & abſentibus benedixit: ſignans eoſdem ſigno ſanctæ Crucis, & dicens, Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Tandem verò ad nouiſſimum agonis terminũm accedens, die decima octaua Iulij, Crucem ſæpiſſimè amplexus, in qua ſe pro Crucifixo ſæpè ſuſpenderat, ob cuius amorem ligneam crucem ab initio ſuæ conuerſionis ſupra pectus nudum ſemper geſtauit, & expanſis in lectulo ſuo in modum crucis brachiis, coram omnibus

*En virum valdè Catholicum.*

*Sãcta & mirabilis mors B. Roberti.*

*Humilitas B. Roberti & patientia.*

Bene dicis Reuerende Præſul, ob mea enim peccata, talia multoque duriora perpeti atque audire, & ante promerui, & iam nunc promereor. Mox ſe ante ipſum in terram proſternens, emendationem delictorum ſuorum ſpondebat: atque abſolutionem rogabat, cum pœnitentiæ iniunctione, ſibi ab Epiſcopo impendi. Hanc verò poſt plurimas preces vt obtinuit: ad Cœnobium S. Mariæ de Lamia reuerſus, iuxta conſuetum morem orationi inſiſtebat. B Oranti autem apparuerunt Patres ſui, quorum ipſe cauſam agebat & ſectabatur veſtigia: Beati nempe Benedictus & Petrus Confeſſor, inter quos Epiſcopus Theatinus conſidebat. Ad quem aſpero & irato intuitu, conuerſus Sanctus Benedictus ait: Vt quid ô Epiſcope, amatum noſtrum alumnum atque ſequacem, à pacis quiete & contemplationis otio deiicis & deturbas? vt quid illum tam pertinaciter diuexas, mala malis, & moleſtias moleſtiis accumulando? Beatus autem Petrus Cæleſtinus interea Epiſcopum lento ictu, tertio in maxillã percuſſit, dicens, ac quinto repetens. Certè Epiſcope admodum præclarè te in negotio geſſiſti. Horrendum relatu! Compertum eſt manè, Epiſcopi os C verſus partem aurium quam Sanctus Petrus ferierat, adeò contortum, vt ipſius facies tota deformis effecta, timore quoſque videntes non minimum percelleret.

*Abſoluitur.*

*Apparent B. Roberto ſanctis Patres Cæleſt. & Benedictus.*

*Vindicat ſe B. P. Cæleſt. de Theatino Epiſcopo.*

Beatus igitur Robertus Deo plenus, poſt decurſam ætatem nimia carnis maceratione à principio ſuæ conuerſionis illibata cuſtodita, cœpit viribus deſtitui, in tantum vt ad decrepitam peruenire putaretur ætatem. Deus autem prælibamen diuinæ gloriæ ita ei contulit. Languebat vehementiſſimè, ſibique & cæteris cunctis moriturus videbatur. Fratribus verò aſtantibus dixit. Hac nocte, oro, me ex vobis duo ſollicitè cuſtodiant: cæteri verò in cellis quieſcant. Poſt quæ, ſe altiſſimæ contempla- D tioni immerſit, omnes fidei articulos, ſacræ Scripturę auctoritates, atque ſanctorum ſententias, quibus fulcitur Chriſtiana fides, ſedula mente verſans, & reuoluens, cumque iam altiſſimam in noctem huic ſe exercitio applicaſſet, & eo abſoluto, modicũ quieſcere cogitaret: En diabolus ipſi in Hericij adeſt forma, ipſum morſu & laceratione appetere tentans, in quem vir Dei ſputa excreans, dicebat. Abſcede hinc beſtia maligna, funeſtum in me reperies nihil. Qui confuſus euanuit. Mox verò nigerrimæ & macie confectæ vaccæ formam aſſumens, ad Robertum accedit: cornibus ventilare nititur, dentemque ipſi infigere. Cum vir fide firmus, Recede, dixit, maligne, tibique Deus E maledicat. Verum proterue & procaciter dum dæmon inſiſteret, & ſtrenuè in ipſum inſiliret, alta admodum voce vir ſanctus exclamauit: Maledicat tibi Deus pater. Ad cuius clamorem excitati fratres, qui ſomni grauedine iacebãt oppreſſi: aduolant, quidue patiatur ſtudiosè perquirunt. Quibus ille & viſa retulit, & vt vultum ipſius ad illorũ ora verterent, iuſſit, inquiens: Oremus fratres, diuinum officium pſallentes Domino. Quo finito, & pſalmos pœnitentiales adiecerunt cum Letaniis, peruento autem ad locũm vbi dicitur: Te rogamus audi nos, quaſi in ecſtaſi poſitus fuit, ac ſuper eum Crux ſolem claritatis ſplendore ſuperans ap-

*Apparet ei diabolus in forma Hericij, quem ſolo ſputo fugat.*

*Iterũ in nigerrimæ vaccæ formã eũ moleſtat, ſed abſcedere cogitur.*

*B. Roberto infirmante Crux fulgida ſuper eũ apparet.*

omnibus fratribus, pro eo Domino psallentibus, anima illa sanctissima, carnis relinquens ergastulum, ad Christum quem iugiter amauerat, circa horam diei nonam fæliciter transmigrauit. Cuius laudabilem conuersationem, vt in vita Deus miraculis approbauit, sic & post obitū prodigiis maximis illustrauit. Ipsius verò corpus in Monasterio Sancti Spiritus prope Sulmonem, Ordinis Cælestinorum primario intra arcam cancellis clausam, ad meridionalem Ecclesiæ plagam reconditum, fidelium venerabili concursu honoratur.

*NOTÆ.*

Robertus.] *Eius vitam & miracula post mortem facta, prolixius scripsit Ioannes noster à Bosco circa finē Bibliothecæ Floriacensis. Agunt præterea de codē Petrus ab Alliaco Card. in vita S. Petri Cælestini, Dionysius Faber, & omnes denique qui res gestas eiusdem S. Patris nostri descripserunt. Agunt præterea de eodem Raphaël Volaterranus in Anthropol. Vvionius in Mart. Monastico, Crespetius, & multi alij.*

In Aprutio.] *Est Aprutium Italiæ Regio, inter Apuliam & Picenum. Hæc etiam Samnium dicebatur, vbi multi populi erant. In ea ciuitates Aquila, Adria, Sulmo, Ortono, Arpinum, & Salentum, quæ fuit patria B. Roberti.*

## *VITA RAEMVNDI LVLLII EREmitæ & Martyris. Ex Epistola Caroli Bouilli Samarobrini ad Ræmundum Boucherium Iurisperitum.*

RETISTI interdum à me mi Ræmunde, essetne quisquam beatorum cui Ræmundo nomen fuisset, quique meritò abs te vt patronus & consors nominis tui coleretur. Respondi esse quendam Ræmundum Lullium, natione Hispanum, conuersatione Eremitam: cuius vitam nonnumquam à quodam Hispano amico recensseri audieram. Vt ergo & in patronum illum recipias, & tibi erga eum pia accrescat deuotio, quæ verbo tenus à me audisti, præsentibus literis in memoriam reuocabo.

*Rāmundi patria.*

Ræmundus cognomine Lullius, natione Maioricensis, (est enim Maiorica Hispaniæ Insula) eum apud Maioricarum Regem gerebat magistratum, quem vulgò Senescallum appellant. Seculariter ergò in palatio Regis educatus, pro more aulicorum mundialiumque virorum totus inter amores viuebat, inque ipsis amoribus non modo flagrantem iuuentam, sed & maiorem vitæ partem inaniter cōsumpsit: in dictandis dioneis cantilenis præcipuè intentus. Diligebat autem præ cæteris Dominam quandam, venusta quidem & eleganti facie. Duo tamen erāt, quæ illam in eius amplexus venire haudquaquam sinebant. Primum erat legitimus mariti thorus. Secundum occultus cancri morbus, qui quanquam sub veste lateret, illius tamē pectus iam vsque adeò exederat, vt eius præcordia nudarentur, vtque dirus fœtor inde exhalaret. Insanabilis erat hæc cancri pestis in pectore mulieris, sed longè insanabilior cupidinei amoris cancer mentem laniabat Ræmundi. Tam enim vesano atque illicito obrutus amore, qui cæcus in primis erat mente, corporeis etiam penè oculis cæcus à cunctis credebatur. Nam vt mihi retulit, qui historiam ipsam denarrabat, cum quadam die Ræmundus equo conscenso in foro spatiaretur: videretque eam quam fatuo amore diligebat, in vicinum templum diuinæ precis causa profectam: mox (tametsi eques) illam in templum prosequutus est, ex quo confestim (velut amens & incompos sui factus) cum ingenti omnium risu explodi meruit. Dolens verò mulier, tantum virum, & qui honesto magistratu apud Regem fungebatur, illiciti sui amoris causa, & vesanum fieri, & verti in fabulam vulgi, cogitauit quibus mediis illum & ab amore sui auerteret, & ad mentis sanitatem reuocaret. Aduocato ergo semel (vt à marito impetrarat) in colloquium Ræmundo, eoque in cubiculum introducto, illi extemplo pectus (vt cancrino erat exesum morbo, vtque teterrimo odore squalebat) nudare haudquaquam erubuit, simulque verba hæc illius auribus inculcauit. Vide quid ô Ræmunde diligas. Agnosce quàm olidum cadauer ipse tantoperè ames. Studium quod hactenus erga me tam stulto amore impendisti, Christo cautius fuit abs te dicandum. Potuisset equidem iam ab illo regna promeruisse cælestia. His verbis dum vir insipiens à sapienti muliere corripitur, infirmus ab infirma sanatur: cancer à cancro expellitur. Nam cancer amoris qui mentem Ræmundi laniabat, aspectu cancri alterius, qui pectus muliebre iam ferè consumpserat, momento disparuit. Tanto enim perfusus animi dolore Ræmundus, videns seipsum sapienter à fœmina coargui, insuperque quod tanto tempore solius faciei nitore deceptus, ea minimè cognouisset, quæ sub vestibus latebant, illicò domum repetiit, seque orationi subdens, omnem suam operam summis votis Christo in posterum dicauit. Apparuit igitur ei mox sacra quædam ac propitia visio; imago inquam Crucifixi, in hæc verba ipsum alloquentis. Ræmunde sequere me. Cumque hæc cælestis visio frequentiùs ad eūdem ex diuina bonitate iteraretur, statuit apud se Ræmundus abiecto diuitiarum fastu, dimissaque familia, relinquere mundum. Cuncta igitur vendidit quæ possedit, pretiaque pauperibus erogauit. Orare deinde cœpit totis viribus Dominum, vt ei lumen & gratiam largiri dignaretur, qua liber à se edi posset, quo Mahumeteam legem reprobam esse perdoceret, & Sarracenicam gentem ad fidem Christi quibus posset rationibus alliceret. Perseuerans ergo plurimis diebus in oratione, non modo in editionem libri vnius lumen obtinuit: sed repentè tota mente illustratus à Domino (dat enim Dominus quibus vult affluenter & non improperat) admiratus est se (quippe prius idiotam) momento omnium scientiarum, cum humanarum, tum diuinarum principiis supernè fuisse imbutum, & (iuxta sacra eloquia) omnem simul à Spiritu sancto edidicisse veritatem. Gratias igitur agens Deo, ab oratione surrexit: sentiensque lucernam quam Deus in mente eius accenderat, non ponendam esse sub modio, sed super candelabrum, vt luceret omnibus qui sunt in mundo, statuit Parisios proficisci: ibique quanquam quadragenarius, Grammaticam audiuit, cœpitque deinceps Latino sermone lumen (quod diuina inspiratione illi communicatum fuerat) non modo aliis coætaneis suis impertiri: sed & variorum librorum compositione, reseruare ad posteros. Innumera enim edidit opuscula, è quibus hæc sunt, quæ ad meam notitiam peruenerunt.

*Adolescentiæ in amore puellarum & dictandis vanis cantilenis cōsumit.*

*Perditè amat quandam fœminam.*

*Pra amoris magnitudine equo vectus insequitur mulierem in templum introëuntē, sed statim cum magna confusione à populo eiicitur.*

*Nota prudentiæ mulieris sapientiam magnam.*

*Tandē à plaga cæci amoris eius animus prædictæ mulieris sapientia sanatur.*

*Apparet ei Christus crucifixus.*

*Vendit omnes facultates, & pretiū distribuit pauperibus.*

*Iam grandæuus Parisiis studet Grammaticæ.*

*Catalogus operum Rāmundi.*

Liber Gentilis,
Alius liber Gentilis.
Liber contemplationis.
Alius liber contemplationis.

Ars



Ars compendiosa.
Alia ars compendiosa.
Ars magna.
Ars inuentiua.
Ars demonstratiua.
Ars decem propositionum.
Tabula generalis.
Ars breuis.
Liber doctrinæ puerilis.
Liber Blaquernæ.
De mirabilibus.
Liber beatæ Mariæ.
Liber Angelorum.
Liber Antichristi.
Liber amici & amati.
Ars amatoria.
Philosophia amoris.
Liber tertiæ figuræ.
Liber principiorum.
De prima & secunda intentione.
Logica breuis.
Logica noua.
Liber hominis.
De medicina peccati.
Liber tartari.
Disputatio fidei & intellectus.
Liber intellectus.
Alius liber intellectus.
De libera voluntate.
Liber memoriæ.
Liber animæ.
De refrigerio intellectus.
De ascensu & descensu intellectus.
De principiis Theologiæ.
De principiis Philosophiæ 40.
Ars Philosophiæ.
Liber de Philosophia.
Liber Prouerbiorum.
Ars medicinæ.
Ars iuris.
Alias ars iuris.
Liber significationis.
Liber luminis.
Ars consilij.
Ars nauigandi.
Ars Astronomiæ.
De erroribus Boëtij & Fulgerij.
Ars prædicandi.
De militia.
Quæstiones sententiarum.
De prædestinatione.
Disputatio Ræmundi & hominis Sarraceni.
De his quæ de Deo sunt credenda.
De Trinitate & Incarnatione.
De proprietatibus Dei.
Liber Clericorum.
Prædicatio contra Iudæos.
Ars diuina.
De potentia, obiecto & actu.
De duratione.
De beatitudine.
Liber chaos.
Liber quæstionum.
De sexto sensu.
Liber naturæ.
De substantia & accidente.
Excusatio Ræmundi.
De fine.
De terra sancta.
De articulis fidei.
De septem Sacramentis.
Rhetorica noua.
Liber Articulorum.
De intellectu Dei.
De quinque sapientibus.
De Deo.
Ars notanda.
Ars electionis.
De diuina & indiuidua maiestate.
De experientia realitatis.
Liber phantastici.
De concordia fidei & intellectus.
De æqualitate actuum animæ in beatitudine.
De propriis & communibus actibus.
De perfectate.
De diuinis personis.
De potestate diuinarum rationum.
De nominibus differentiarum personarum.
De sufficientia trium personarum.
Ars mystica.
De peruersione entis tollenda.
Metaphysica noua.
Liber Physicorum.
De ignotis correlariis.
De naturali modo intelligendi.
Supplicatio Ræmundi
De conuersione subiecti, prædicati & medij.
De ente infinito.
De possibili & impossibili.
Contra Auerroim.
De fallaciis.
De centum syllogismis.
De syllogismis contradictoriis.
De natali.
De lamentatione.
De diuina vnitate.
Sermones contra Auerroim.
De efficiente & effectu.
De facili scientia.
De quæstionibus sapientiæ.
De Deo & vniuerso.
De forma Dei.
De substantia & actione Dei.
De quæstione alta & profunda.
Libri Alchimiæ.

Præter hos autem dicitur & alios quamplurimos edidisse, tum Latino sermone, tum Hispano vulgari, tum Arabico. Nam summopere cupiens Sarracenorum gentem Christianæ fidei lumine illustrari: ab emptitio seruo Sarraceno Arabicam linguam in primis eius rei gratia edidicit. Timensq; ideo emptitius Sarracenus qui eum docuerat, ne Ræmundi doctrina Mahumeteæ legi pernicioſa fieret, (præsertim cum solius prædicationis causa, Arabici sermonis peritia ab eo se imbui postulasset) is magistrum & dominum Ræmundum occidere conatus, graue illi vulnus (non lethale tamen) in pectore inflixit. Prævalens autem in seruum Ræmundus, gladium ab eo violenter extorsit. Et vt clemens erat, eum ab amicis occidere volentibus liberauit, claudi tamen ab eisdem in carcere permisit. Sarracenus verò dolens quod magistrum & dominum occidere non potuit, laqueo in carcere vitam finiuit.

*Cupiens Sarracenorum gentem ad fidem conuertere, linguam Arabicam à quodam emptitio seruo discit.*

*A seruo grauiter in pectore vulneratur.*

*Dolens se non occidisse magistrum laqueo se suspendit.*

Paucis post diebus, abiit orationis causa in quendam montem non longè à domo sua distantem, in quo cum septem ferme dierum spatio orationi & meditationi incumbens perstitisset, nouum lumen cælitus accepit eorum quæ tantopere scire cupiebat. In eo quoque loco, quo stabat in monte,

*Solitariam vitam ducit in quodam monte.*

dum cæleſte lumen illi à patre luminum indultum eſt,eremiticam cellulam ſibi extrui præcepit,in qua pluribus menſibus permanens nocte dieque orationibus ac meditationibus vacans, nonnullis tandem cæleſtibus viſionibus viſitari à Deo promeruit. Deinde relicta cellula Romam perrexit, petiturus à ſummo Pontifice & cœtu Cardinalium, vt diuerſa per mundum fierent cœnobia, in quibus prudẽtes ac deuotiſſimi viri (qui ſupplicia quæque tyrannorũ pro Chriſto ſubire minimè expaueſcerent) in variis linguis publicè prædicationis gratia inſtituerẽtur. Cum verò Romam peruenisſet,ſummum Pontificem Honorium quartum recens mortuum comperiens,à propoſito deſiſtere coactus eſt.

*Petit Romam.*

*Pariſiis publicè docet.*

Ex Romana deinde Curia Pariſios petiit,ſub Cancellario Bertaldo,in cuius aula,& ex præcepto eius artem ſuam generalem publicè interpretatus eſt. Ex Pariſiis Montempeſſulanum adiit, quo in loco plurima & edidit, & publicè legit opuſcula. Hinc Genuam profectus, artem ſuam inuentiuam ibidem in Arabicum tranſtulit. Rurſum ex Genua Romam prioris ſupplicationis cauſa reuerſus, ob Eccleſiaſticæ curiæ impedimenta nihil ex intento obtinuit. Rediens ergo Genuam, vt inde in Affricam ad Sarracenos Chriſtum illis annunciaturus, migraret, inuenta naui impoſitiſque in eam libris ſuis, in regnum Thunicij traiecit.

*Iterum petit Romam.*

*Proficiſcitur ad Sarracenos.*

Ingreſſus ergo Thunicium pluribus diebus cum maioribus ac peritioribus Mahumeteæ legis de Chriſtiana veritate diſſeruit.Delatus demum apud Regem, quod Sarracenorum mentes à Mahumete auerteret, in carcerem coniectus eſt,iuſſuſque paulo poſt à Rege capite truncari. Affuit tamen Ræmundo vnus quiſpiam ex peritiſſimis Arabum Sacerdotum, qui & Ræmundum diligebat,& eum libenter audiebat,precatuſque Regem ne tantum virum occidi iuberet, obtinuit,vt Ræmundus dumtaxat regni finibus pelleretur, cum denunciatione, vt ſi quando in regnum reuertiſſet, mox capitis ſupplicio damnaretur.

*Coniicitur in carcerem.*

*Tandem dimittitur,& venit Neapolim.*

Igitur per ignominias, opprobria, verbera, & ærumnas pulſus è Thunicio, Neapolim venit, vbi & artem ſuam legit, & ad electionem vſque Pontificis Cæleſtini quinti permanſit. Huic verò Cæleſtino quinto cum Bonifacius octauus ſucceſſiſſet, Romam iterum Ræmundus adiit, eadem quæ prius ab eo petiturus. Cum tamen Pontificem ſequens multis diebus nihil proficeret, Genuam denuò proficiſci ſtatuit,vbi & alios complures libros cudit. Hinc ad regem Maioricarum perrexit. Cum quo habito colloquio, Pariſios rediit, ibique & artem ſuam iterum legit, & plurimos libros compoſuit. Franciæ quoque Regem Philippum allocutus eſt,petens ab eo, quæ prius à Pontifice ſummo poſtularat. A quo cum nihil obtinuiſſet, reuerſus Maioricas cum Sarracenis & Iudæis qui in eo loco habitabant, quotidie diſputabat. Inde profectus Cyprum, orauit à Rege Cypri, vt cunctos in lege Chriſti ſchiſmaticos, velut Iacobitas, Neſtorianos, Georgianos,& alios huiuſmodi viros prædicationi ſuæ intereſſe iuberet, vt hoc pacto illos ad Chriſtianæ fidei reduceret vnitatem. Ibique prædicationibus & doctrinis inſiſtens, veneno ab inimicis accepto, vix mortis pericula euaſit. Inde Genuam rediens, complures ibi edidit libros. Poſtea Pariſios profectus, artem iterum ſuam interpretatus eſt,libroſque plurimos compleuit.Deinde relicta Lutetia, Lugdunum ad Clementem quintum peruenit, à quo cum pariter quæ à ſuperioribus Pontificibus petierat, poſtulaſſet, nihil ab eo, vt neque à ſuperioribus, obtinuit. Tandem Maioricas rediens, rurſum ad Sarracenos in Affricam transfretauit, venitque in Regnum Bugiæ, cuius regiam ciuitatem ingreſſus,cœpit(more Ionæ Prophetæ) per plateas eius ambulans, clamare alta voce,Lex Chriſtianorum vera & ſancta eſt, & ſola grata & accepta Deo, lex autem Sarracenorum falſa & erronea. Et ego ecce quæ dico rationibus inuincibilibus demonſtrabo.

*Nota S. viri zelum & audaciam.*

*Ab hæreticis ei propinato veneno vix mortem euadit.*

*Proficiſcitur Lugdunum ad Clementem V. ſummum Pontificem.*

His eius verbis auditis, cum lapidare eum vellet omnis turba populi,iuſſus eſt ab Antiſtite ciuitatis ei præſentari. Quem ita ſummus Sacerdos affatus eſt. Cum noris capite plectendum eſſe, qui in Mahumetem blaſphemus extiterit, cur in eius legem nefanda verba publicè iactare auſus es? Cui Ræmundus,'verus (inquit) Chriſti ſeruus indubitatam expertus Catholicæ fidei veritatem, omni poſtpoſito mortis timore,illam vbique efferre,& omnibus annunciare debet. Reſpondit Antiſtes.Si Chriſtianam fidem veram eſſe credis, rationem coram me adducito, qua illius veritatem confirmes. Statim autem Ræmundus cœpit myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis doctiſſimè explicare.

*A Sarracenorum Pontifice in carcerem detruditur, & in itinere miris malis afficitur.*

Cum Ræmundus ſcitè coram Sarracenorum Antiſtite Alſakino diſſeruiſſet, nihil ab eo reſpõſi audiuit. Et quamquam idem Alſakinus in omni Philoſophiæ parte nõ mediocriter eſſet inſtitutus, ad verba tamen Ræmundi ſtupefactus, non verbis verba, non rationes rationibus obiecit, ſed ad ſolitas Tyrannorum vires confugiens, per ſatellitum manus illum carceribus demandauit. Cum autem è Pontificia domo in carcerem duceretur, alij quidem vellentes barbam eius eum in terram proſternebant: alij fuſtibus,alij manibus,pugniſque duriter cædebant. Demum non tam ductus quam violenter,& cum omni ignominia pertractus,non tam in carcerem, quam in latrinam carceris latronum, ibi teterrimo ſqualore aliquo tempore cruciari permiſſus eſt.Oratione tamen Genuenſium mercatorum qui ciuitatem illam propter negotia incolebant,& liberatus à morte eſt, & decentiori honeſtiorique carceri deputatus, in quo dimidium annum tranſegit. Venientes autem frequenter ad eum in carcere peritiores quique Sarracenorum, miſſi à ſuo Antiſtite, vice verſa illum ad Mahumeteam legem allicefacere ſtudebant, ingentia quæque illi pollicentes, nobiliſſimam vxorem, ſeruos, multamque familiam, domum, diuitias,agros, honorẽ, regiumque fauorem. Quæ omnia flocci pendens Ræmundus, è diuerſo benignè illos ad Chriſtianam fidem hortabatur, non gazas illis,aut fortunæ bona, ſed vitam æternam promittens: non regium fauorem, ſed diuinum amorem, inque Dei filios adoptionem.

*Opera Genuenſiũ mercatorum & à morte liberatur, & in honeſtiori carcere reponitur.*

*Valde laborant Sarraceni, vt eum fidem abnegare faciant.*

Cum verò nihil inuicem proficerent, conuenit tandem inter eos, vt ab vtraque parte libri cuderentur, quibus vtra lex melior, ſanctior ac verior eſſet, apertis patentibuſque rationibus oſtenderetur. Iam Ræmundus ſua ex parte plurimum in cudendo libro profecerat, feréque opus ipſum ad calcem deduxerat,cum ob aduentum Regis Bugiæ in ciuitatem,manus ab opere reuocare cogitur.Vbi enim regiis auribus innotuere, quæ Ræmundus in ciuitate moliebatur, mox & ciuitate & toto regno pelli Ræmundus à Rege iuſſus eſt.Pulſus verò quandã Genuenſium nauem conſcendit, in qua & libros poſuit, Genuam traiecturus. Ventorum tamen importunitate, aliò nauis perlata eſt, & decimo milliari à Piſanorum portu naufragium paſſa, multos in vndis ſubmerſos deſtituit. Inter paucos qui

*Iuſſu Regis Bugiæ regno pellitur.*

*Patitur naufragium.*



qui euaſere, Ræmundus & ſocius itineris eius,omnibus libris in mari amiſſis, ſuper trabem penè nudi in portum, (diuina ope illos protegente) peruecti ſunt.Ingreſſus Piſanam ciuitatem Ræmũdus, libros pro more ſuo plurimos in ea compleuit. Communitati perſuaſit (tunc enim florebant Piſanorum opes, quæ hodie mancipium ſunt Florentinorum)de inſtituendo ſacrorum quorundam militum ordine, qui aſſiduis præliis in Sarracenos graſſarentur: quoad Hieroſolyma & vniuerſa Iudæa (quam terram Sanctam vocant) è manibus ablata infidelium, Chriſtianis ſceptris ſubderetur. Permoti oratione & ſuaui eloquio Ræmundi Piſani,literas nomine ſuo ad ſummum Pontificem, & vniuerſum Cardinalium collegium conſcriptas, Ræmundo obtulerunt. Qui acceptis literis, ilicò è ciuitate profectus, Genuam adiit: pareſque à Genuenſibus literas ad Romanum Pontificem & Cardinales impetrauit. Inſuper & plurimæ Genuenſium matronæ, ac deuotæ mulieres, viginti quinque millia nummũm illi in auxilium recuperandæ terræ Sanctæ ſponte promiſerunt. Egreſſus ergo Genua Ræmundus, ſpe plenus in Gallias ad Romanum Pontificem, qui tunc Auenionem incolebat, ſuperatis Alpibus penetrauit,literas & Piſanorum & Genuenſium ſine mora Pontifici & Cardinalibus obtulit, addens (vt antea fecerat) nomine proprio conſcriptam ſupplicationem, vt eorum animos in ingentem Reipublicæ Chriſtianorum vtilitatem inclinaret. Sed illi virum Dei Ræmundum ob Eremiticam humilitatem ludibrio habentes, inanem & ſine fructu dimiſerunt. Valedicens ergo eis Ræmundus, Pariſios rurſus adire ſtatuit, vbi & artem ſuam denuò legit,& quamplurimos libos abſoluit, præcipuè contra Auerroim, quibus docebat indignum eſſe Chriſtianos vti illius viri Cõmentariis in Ariſtotelem.Nẽpe illos aduerſari Catholicæ fidei, ac refertos eſſe impiiſſimis erroribus,qui iuuenum mentes facilè peruertebãt, ſuoque iudicio,dignos eſſe illos vltricibus flammis.

*Laborat pro recuperatione terræ Sanctæ.*

*Nota inſignẽ Piſanarũ fœminarum deuotionem.*

*Proficiſcitur Auenion. ad ſummũ Pont. ſed ab eo & Cardinalibus ob Eremiticã humilitatem contemnitur.*

*Nota de libris Auerrois.*

Diuulgata deinceps fama generalis Concilij, quod ſub Clemente V. Auenione, anno Domini milleſimo trecenteſimo vndecimo celebrãdum increbuit Calen. Octobribus, ſtatuit eò Ræmundus proficiſci, tria hæc (ſicut antea fecerat,) à Summo Pontifice & Cardinalium conſeſſu petiturus.Primũ, vt per mundum varia iuberentur extrui Monaſteria,in quibus viri ſancti ac deuoti pro Chriſto mori nihil formidantes, varios ſermones docerentur, vt in omnem terram exiret ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum, vtque eorum prædicatione fieret ex cunctis gentibus vnum ouile, ſicut & vnus eſt iam paſtor. Secundum,vt de cunctis Religioſis militibus qui diuerſorum Ordinum ſunt,fieret vnus Ordo,qui trans mare aſſiduis bellis Sarracenos laceſſeret:donec Sancta terra Chriſtiano pareret imperio.Tertiũ,vt auctoritate ſanctiſſimi Patris Romani Pontificis, cunctorumque Cardinalium,inhiberentur ſcripta Auerrois legi in ſcholis Chriſtianorum,eo quod in pluribus fidelium mentes à ſynceritate & veritate fidei nutare cogunt, & ad impietatem perducũt. Harum autem trium ſupplicationum cauſa libellum edidit, de natali pueri: quem magnifico Regi Franciæ Philippo dedicauit, in cuius calce eaſdem ſupplicationes inſeruit, & eidem Regi cum ipſo libro porrexit. Hic eſt ille liber, quem noſter Stapulenſis(vir, vt noſti, bonarũ omnium literarum illuſtrator) cum libro de laudibus B. Mariæ, in lucem ex chalcographorum officina emitti curauit. In hoc enim manifeſtè Ræmundus contra Aueroim, & errores inſurgit. Nihil tamen ipſe tot tantiſque laboribus aſſumptis,neque à ſummis Pontificibus,neque à Regibus, eorum quæ cupiebat, obtinere potuit. Perſtitit nihilominus in ærumnis & vigiliis aſſiduis à tẽpore aſſumpti propoſiti, plus quadraginta annis. In quibus diuini obſequij gratia, continuis peregrinationibus, & librorum compoſitionibus incubuit:totum cor ſuũ habens ad Dominum. Compoſuit autem libros (vt diximus) penè innumerabiles,& præcipuè in tribus linguis, Latina, Hiſpana,& Arabica, propter Sarracenos. Nam(vt ſupra oſtenſum eſt)Arabicam linguam ab emptitio ſeruo Sarraceno didicerat.Dicũtur & eius libri in tribus præſertim locis haberi. Pariſiis apud Carthuſios, qui illum liberali hoſpitio excipere ſoliti erant. Genuæ, apud quendã nobilem: cuius etiam diuerſorio vtebatur. Et apud quendam Dominum ciuitatis Maioricarum, in cuius pariter domum hoſpitij cauſa concedebat.

*Nihil à ſummis Pontificibus & Regibus poteſt obtinere.*

*Tria callet idiomata.*

*Tria à ſummo Pontifice obtinere deſiderat,& quæ.*

Ad extremum Ræmundus corpore iam ſenex, animo verò ſemper virens, ac in dies robuſtior: rurſum ex Maiorica Thunitium traiecit prædicationis cauſa. Quo cum peruenisſet, agnitus ſtatim ab incolis,mox concurſu populi fuit è ciuitate eiectus, & lapidibus in portu obrutus. Sequenti verò nocte,cum fortè(vt Deo placuit) Maioricenſes quidam negotiatores Thunitienſium portum præternauigarent: viderunt à longè immenſam luminis pyramidem è cumulo lapidum (quo obrutum Ræmundi corpus erat)procedentem. Admiratique rei nouitatem, illuc ſine mora diuertentes ſubruta lapidum congerie, defuncti corpus inuenere. Quod cum ſtatim Ræmundi (quippe qui Maioricenſis ciuis erat) eſſe cognouiſſent, impoſitum nauibus Maioricas ſecum retulerunt, diciturque hodie vſque in eo loco aſſeruari corpus eius,& plurimis claruiſſe miraculis.

*Prædicationis cauſa petit Thunitium.*

*Tãdem à populo lapidibus obruitur.*

*Indicio pyramidis luminoſa ſacrum eius corpus reperitur, & in patriam defertur.*

Quibus autem temporibus floruerit, ſatis conſtat ex his quæ denarrauimus. Fuit enim temporibus Honorij quarti,Nicolai quarti,Cæleſtini quinti, Bonifacij octaui, Benedicti vndecimi, & Clementis quinti Romanorum Pontificum, & Philippi Franciæ Regis, cui librum de natali pueri dicauit, obtulitque. Hunc Philippum autumo fuiſſe eum,quem Pulchrum Francorum Hiſtoriæ vocant. Hic enim erat qui circa annum milleſimum trecenteſimum regni ſceptra tuebatur. Libros autem Ræmundi magis ſententiæ altitudo, quàm ſtyli claritas commendat. Nam quantum cæteros doctrina tranſiliunt, intantum ab iiſdem ſermone ſuperantur, humilioreſque eſſe dignoſcuntur, vt potè qui non ab hominibus, ſed à Deo ſcientiæ lumen in primis acceperat, & deinceps ab hominibus iam penè quadragenarius dictandi ſcribendique normam didicerat. Mentem enim eius illuſtrauit Deus. Os verò ſiue linguam eius erudiuit homo. Habuit enim in Pariſienſi ſtudio præceptorem quendam Thomam nomine, cui complures libros dicauit, & quem vniuerſam (diſcipulus maſtrum inſtituens) artem ſuam edocuit, mercedis loco, reddens pro voce ſpiritum, pro emortua litera, viuificantem doctrinam. Verè enim viuificantem doctrinam, eius dogmata cenſuerim, quorum facio ipſe alios iudices, ne ſolus ſenſui meo inniti videar,quod facile à cunctis legentibus deprehenduntur non eſſe hominum, ſed potius cælitus (vt præſens expoſuit hiſtoria)indulta. Etenim præclara Spiritus ſancti ſcientia (quam nos gratiæ donum, ſiue ſcientiam infuſam appellamus)ea momento in hominibus ſupplet,perficit,

*Summi Pontifices ſub quibus vixit Ramundus.*

*Thomas Ramundi olim præceptor.*

*Stapulenſis quoſdã beati Viri libros in lucem emitti curat.*

operatur,quæ per hominum doctrinam, nullo aut labore aut tempore complentur.Hunc Ræmũdum Faber noſter (præſentium philoſophantium facilè decus)nimirũ veneratur & amat.Mirificè doctrinã eius effert, libros complectitur,& in publicam vtilitatem ex officina emitti curat. E quibus librum diuinarum contemplationum præ cæteris admirãdum, ad manus omnium euulgauit. Virum denique ipſum, vt ſanctum colit, quem reuera vt ſanctum, vt beatum, vt cæleſtium conſortem, ea quæ de ipſo adduximus teſtimonia, approbare ſufficiunt. Hæc ſunt mi Ræmunde, quæ ego de Ræmundo tuo (tuum enim illum voco, cuius nominis particeps ipſe es) partim audita, partim literis perſpecta,vera eſſe credo. Tibique ea denarraui,vt ſint tibi, tam vir quam libri eruditione pleni, non minus in pretio, quàm Fabro, & mihi hactenus fuerunt.Hæc tibi ſuadeo, hæc te hortor,atque oro, vt virum colas, libros ſtudioſè percurras, inque illis proficias. Vale. Ex Ambianis 27. Iunij, M. D. X I.

*A viris doctis eius libri magnifiunt.*

## NOTÆ.

Ræmundus.] *Fuerunt eius nominis alij eximiæ ſanctitatis viri, vnus Ordinis Prædic. alter verò Thologanus,de quo plura in Breuiario Eccleſiæ Narbonenſis 3. Iulij. Extant huius noſtri Ræmundi opera multa in celebri Bibliotheca Monaſterij noſtri S. Trinitatis de Marcoſſiaco. Porrò Beatus Rhenanus ſequens Epigramma in initio operum eius appoſuit.*

*En pius egreditur latum Ræmundus in orbem,*
*Commoda qui multis grandia ſapè feret.*
*Non tibi perpetuis iaceat damnata tenebris,*
*Nugaci fuco pagina tota carens.*
*Senſa ſub incultis latitant præſtantia verbis,*
*Quæ poſſint mentes erigere apta pias.*
*Iam bene tricenos Ræmundus vixerat annos*
*Pompoſus,vecors,deſidioſus,iners.*
*Turbida fallacis linquens ..... gaudia mundi*
*Durus in abruptæ corpora rupe domat.*
*Noxia præteritæ redimens vbi crimina vitæ,*
*Suſcepit celſi munera larga patris.*
*Pariſios Latiæ tandem primordia linguæ*
*Poſt octo ſtiens luſtra peracta petit*
*Grammaticem libans primum, infuſa arte reliquit*
*Innumeros nuda ſimplicitate libros.*
*Euoluis dignos igitur quicumque labores,*
*Fac prece (quotquot opus reſtituere) iuues.*

*Habeo præmaribus Artem eius magnam & generalem editionis nouæ Francofurti impreſſam impenſis Cornelij Sutorij anno Domini M. D. X C V I. vbi in Epiſtola Dedicatoria hæc leguntur. Raymundus itaque Lullius, teſte Trithemio, vir in Medicina eruditus,in ſacris & diuinis literis longo ſtudio exercitatus, Eremita factus, & poſtea diuini verbi prædicator egregius, ſcripſit in Theologia multa. Iacobus Faber Stapulenſis in huius Raymundi libris viſus eſt ſibi plurimum proficere, vt ipſe fatetur in quadam Epiſtola in principio libri Raymundi Eremitæ, de laudibus Mariæ. Hæc & multa alia ibi in eius laudem dicuntur, quæ longum eſſet deſcribere. Meminit eiuſdem Conradus Geſnerus in Bibliotheca. Raymundus (inquit) Lullius Eremita, natione Maiocenſis, claruit circa annum Domini 1311. ac plurima cum in Theologia, tum in omni Philoſophiæ genere ſcripſit. Extat publicè vita eius deſcripta à Carolo Bouillo. hæc ille. Ipſum Iacobus Gaultherius in Chronol. 2. edit. ad annum 1300.c.5.in Cat.Hæreticorum reponit,nimiſque inuehit contra eum, ſed non defuerunt qui eum defenderunt, multaque illi per calumniam iniuſta fuiſſe ſcripſerunt, quos ipſemet Gaultherius citat.Sed eſto quod inciderit in errores, non tamen dicendus eſt hæreticus, quia nullus propriè dici debet hæreticus, niſi ſit obſtinatus. Sed conſtat ex ſupradicta hiſtoria Raymundum pro fide martyrio coronatum fuiſſe: nimis ergo excedunt, qui ipſum hæreticum, ſtultum,& magum appellant.Sed excuſandi ſunt, quia fortè eius vitam & mortem ignorauerunt.*

## VITA B. CHRISTIANI Eremitæ. Ex Vincentio Beluac. lib. 29. cap. 11.

VIDAM Cœnomanenſis nomine Chriſtianus, iuuenis conuerſus eſt in Eremitorium quoddam in Archiepiſcopatu Thuronenſi, quod dicitur Gaſtinetum, vbi dum fortiter tentaretur à carne ſua, affligebat ſe, in quadrageſima ieiunabat abſtinens ab omni potu, præter vnũ diem in ſeptimana. In hyeme ſtabat veſtitus in aqua frigida vſque ad collum, diſciplinam ſibi dabat vſquequo virgæ diſrumperentur. Qui cum quadam die hoc faceret, & ſe cæcidiſſet vſque ad ſanguinem, audiuit vocem à parte Occidentis dicentem; nihil prodeſt tibi quod facis. Iſte Deus quem inclamas non tibi dabit quod petis, ſed conuertere ad me, & auxiliabor tibi. Et cum oraſſet Deum vt auxiliaretur ſibi contra tentationes, propoſuit peregrinationem aggredi ad diuerſos ſanctos, ita vt finiret vitam ſuam in peregrinando. Et cum diu hoc cogitaſſet, accepto baculo egreſſus eſt nudis pedibus, & cum veniſſet ante quandam Eccleſiam,flexis genibus rogauit Deum vt daret ei bonum conſilium. Vix ab oratione ſurrexerat, & ecce ſenſit fœtorem magnum,per quod intellexit, diabolum prope adſtare, qui ei ſuggerebat relinquere habitum religionis, & locum ſuum. Gratias agens Deo de tali ſigno reuerſus eſt ad fratres ſuos. Hic aliquando in feſto ſancti Stephani dormiebat ad matutinas. Et cum legeretur illa lectio vbi legitur, & lapidabant Stephanum, expergefactus ad hoc verbum, reprehendit ſe de ſomnolentia dicens. Væ mihi qui ſic dormio ad obſequium Dei. Iſte ſanctus non dormiebat quando lapidabatur, & pro perſecutoribus orabat, & ego miſer debueram rogare iſtum ſanctum martyrem vt oraret pro me. Et poſt hæc cœpit intentiſſimè vigilare, & rogare ſanctum Stephanum vt oraret pro ſe.

*Chriſtiani Eremitæ magna abſtinentia.*

*Dæmon cum ab inſtituto auocare conatur.*

In craſtino cum eſſet in refectorio antequam aliquid guſtaret, venit vox ad eum dicens: Tu intendis ad terrenas eſcas, & non cogitas de glorioſo martyre qui orat pro te? Tunc aperti ſunt oculi eius, & eleuans oculos in cælum vidit martyrem orantem pro ſe ſicut vox ei dixerat. Quod cum vidiſſet ſtatim ſurrexit, & petiit locum ſecretum,in quo oraret,& dixit. Sancte Stephane quas tibi gratias agam de hoc tanto beneficio tuo, nihil habeo proprium quod tibi dem. Sed tamen hoc tibi quodammodo do, pro amore tuo non induar lineis, ſed laneis tantum, quod & fecit.

*Videt ſanctũ Stephanum pro ſe orantem.*

Hic dum poſtea moneret cæteros vt in bono propoſito perſiſterent, narrabat dicens: Eram aliquando in Gaſtineto iacens in lecto pleno paleis in ſolario quodam, & cum vellem repauſare,ſentiebam neſcio quid quod ſe mouebat ſub renibus meis. Dixi quoque hoc magiſtro meo,ſed illa motio non quieuit. Quadam autem die inſpirãte Domino cœpi euertere paleam lecti mei. Et euerſa palea cum nihil inuenirem leuaui vnum de aſſeribus ſolarij, ſub quo inueni vnum pedulem, & in eodem magnam maſſam denariorum. Quos cum inueniſſem, relictis illis cucurri ad magiſtrum, & confeſſus ſum quid inueniſſem. Ille autem iuſſit vt afferrem ad ſe. Quod cum feciſſem, omnes iuſſit congregari fratres, omneſque excommunicauerunt eum qui hoc fecerat. Quod cum audiſſet Carpentarius quidam, dixit ſe hoc feciſſe, & petiit veniam humiliter, correctionem promittens. Magiſter autem indulſit ei, & iniunxit pœnitentiam, ſed denarios malè acquiſitos retinere noluit, imo diuiſit eos pauperibus & egenis.

*Nota qualiter olim proprietarij excommunicabantur.*

*Tranſit ad Ordinem Ciſtercienſ.*

Poſt hæc idem frater Chriſtianus, audiens famam de Ordine Ciſtercienſi, cœpit admonere ſocios ſuos, vt ad illum tranſirent. At illi noluerunt, ſed ſtatuerunt inter ſe, vt qui vellent de ipſis, ad prædictum Ordinem tranſire poſſent. Et eundem Chriſtianum miſerunt ad Abbatiam de eleemoſyna, cum quo iuit Prior ſuus, cum ſocio. Poſt annum quoque probationis expletum, ſpiritus maligni apparebant eidem Chriſtiano in viſione noctis, minantes ei, quod expellerent eum de domo illa, & in vanum eum laborare dicebant, quia non duraret in Ordine illo. At ille recurrebat ad orationem. Et dum hoc bellum haberet cum dæmonibus, quadam die facta eſt vox ad eum in capite lecti ſui dicens. Memor eſto huius verſiculi de Pſalterio, Deus in nomine tuo ſaluum me fac, &c. Quod audiens ille retinuit, & ad omnes tentationes diaboli ſemper poſtea de illo verſiculo tanquam clypeo ſe muniuit.

*Dæmones ipſi valde ſunt infeſti.*

*Pſalm.53.*

Cum autem dæmones viderent eum habere fiduciam in iſto verſu dicebant: Stulte hoc nos te docuimus, hoc volumus vt dicas. Tunc ille in dubio poſitus vtrum hoc dicere deberet,an non, quia ſimplex erat & illiteratus, quæſiuit à Clericis quid hæc vox ſignificaret. A quibus cum audiſſet hoc eſſe principium cuiuſdam pſalmi, totũ illum pſalmum per gratiam Dei didicit, & in hac pugna diu fuit contra dæmones. Quadam nocte dum fratres in hyeme poſt vigilias ſederent, & legerent ad lumen in capitulo, ille remanſit in clauſtro orans.Et cum oraret dixit ad eum vox de cælo:Illi boni homines quos vides in capitulo, ſunt martyres Dei. Eodem anno vidit idem Chriſtianus omnem conuentum circumdari à dæmonibus,qui tantæ multitudinis erant, vt tegere viderentur quicquid erat inter terram & cælum. Quod cum ille videret, & diceret:Domine Deus quid hoc poteſt eſſe,& quis poterit euadere pericula iſta? Audiuit vocem dicentem ſibi: Qui humilitatem habere potuerit,ab omnibus his laqueis liberabitur. Non multo poſt venit quædam claritas de cælo ab Oriente, quam cum perſentirent maligni ſpiritus euanuerunt, & in eadem claritate apparuit Regina Angelorum. Quam cum ille aſpiceret, & diceret intra ſe:Deus bone quò vadit Domina noſtra, aduocata noſtra, ſaluatrix mundi? Reſpondit ei eadem Domina:Venio ſuccurre huic loco, qui meo indiget auxilio Venio, auxiliari huic pauperi Abbatiæ, & aliorum pauperum locis qui confidunt in me. ∴ ∴

*Strenuè deertat contra dæmones.*

*Humiles poſſunt diaboli laqueos euadere.*

*B. Virginis Dei genitricis præſentia dæmones euaneſcunt.*

## NOTÆ.

Chriſtianus.] *Agunt de eodem Arnoldus Vvionius in Mart. Monaſtico, Heribertus Roſvveidus in Vitis Patrum Orientis,circa initium.Confundit Vincentius in Speculo S. Galgani Eremitæ geſta cum geſtis iſtius. Fuit & alius Chriſtianus Epiſcopus,cuius meminit Vvionius vbi ſuprà 18. Martij.*



## VITA B. COLETÆ VIRGINIS Incluſæ. Ex Stephano Iuliaco.

*Habetur prolixius apud Iacobũ Moſandrum.*

MIRABILEM ſanè gratiam contulit Spiritus ſanctus fideli ancillæ ſuæ Coletæ apud Corbeiam in Picardia,patre Roberto, & matre Margareta fœmina valde Religioſa editæ.Nam etiam in ætate tenerrima,in paternis ædibus quendam ſibi paruum delegerat locum, ab aliis ſeparatum, in quo continuè macerabat, & mortificabat tenerrimum corpuſculum ſuum: ſobriè & parcè illud duriter habendo, in duris cubando aſſeribus,vnico contenta eoque vili operimento, & carnem nudam nodoſis ſtringens cordulis. Necnon & afficiebatur quoque pater eius valde erga pauperes, & fœminas à vitæ honeſtate in turpitudinem prolapſas: atque adeò etiam cum quædam ex illis eſſent conuerſæ meritis & exhortationibus filiæ ſuæ Coletæ, vnam è ſuis domibus vltro eis, itemque pauperibus alendis & fouendis attribuit. Sed & mater etiam eius inſigni fuit deuotione in Deum, vt minimum ſemel hebdomadatim, aut ſæpius confitens peccata ſua, accedénſque ad ſumendum corpus Chriſti. Quorum parentum tam ſancta proles Coleta, cum aſſumpſiſſet tertium Ordinem beati Franciſci, incluſit quoque deinde ſeipſam in quodam anguſto habitaculo quod Incluſorium vocant, coniuncto ædi ſacræ, ita vt poſſet audire Miſſas, & percipere ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum,vbi & manſit annis quatuor, horrido vtens cilicio,tribuſque catenis ferreis ſtringens corpus tenerum, necnon & humi cubans, & capiti ſupponens pro puluinari truncum ligneum. Etenim interea vidit in viſu beatiſſimum Franciſcum ipſam exhibere Chriſto, rogareque, vt ipſam donaret ſibi reformatricem Ordinis ſui, ſimul & quod eius opera cõuerterentur quoque miſeri peccatores. Et quidem obiiciebat ipſa ruditatem ſuam. Sed omni loquendi facultate triduo priuata, & rurſus triduo oculorum etiam lumine orbata eſt, donec diuinæ conſentiret volũtati.Quare & adiunxerunt ſe illi paulo poſt ſtrenui auditores, in quibus fuit etiam Hẽricus de Balma Franciſcanus, qui fuit eius Confeſſarius,vir magnæ perfectionis. Cum quo cum decreuiſſet Coleta conferre ſe ad Benedictum, qui tum in Galliis pro ſummo Pontifice ſe gerebat, vt fieret expeditius,quædam illuſtris matrona diuinitus permota venit ad Coletam Corbeiæ in ſuo Incluſorio degentem, eiuſque ſacris ſermonibus adeò incenſa eſt, vt promptiſſimam offerret operã ad impetranda ea quæ Coleta petebat.Itaque breui imprimis id effecit, vt liceret ei ex Incluſorio egredi, quod tam multis modis alias diabolus conatus erat impedire, deinde venit etiam eiuſdem opera Coleta Nicæam, vbi tunc Pontifex morabatur. Quam vt vidit Pontifex, clementer eam intuitus, acceſſit propius, & crumenulam quoque ab eius zona pendentem ſua manu abſtulit, in qua erat chartula, cui inſcripſerat Pontifici proponenda. Itaque chartam ille legit, cognouitque totum eius negotium. At nihilominus illa quoque ore ſuo expoſuit ei cauſam itineris ſui, & quid expeteret.

*B. Coletæ patria,& parẽtes, & ſanctiſſima puericia.*

*Manet incluſa in maxima auſteritate.*

*Mittitur à Chriſto ad reformãdum Ordinem S. Clarę.*

*Venit ad Benedictũ Pontificẽ, expoſitura ei propoſitum ſuũ.*

Duo autem potiſſimum ab illo petebat, ſcilicet, vt liceret ei S.Cleræ amplecti Inſtitutum, & vt reformaretur Ordo S. Franciſci. Et quidem viſa ſunt ea Pontifici rationi conſentanea: ſed quod non

*Puniuntur diuinitus illi qui beatæ Virgini contrariantur,*

non deessent qui contradicerent, distulit assensum in aliud tempus. Et ecce pestis sæuissima inuadit eam vrbem, moriunturque subito inter alios & ij qui vel maximè negotium illud differendum censuerant. Quæ res apud homines non stupidos id effecit, vt existimarent id quoque accidisse propter iniectas ancillæ Dei moras. Et Pōtifex sanè iis quæ quotidie fiebant, permotus, noluit eam protrahere diutius, sed ad se accitam coram multis & Ecclesiasticis & laicis, eam recepit ad professionem instituti sanctæ Claræ, ciusque capiti suis manibus velum

*Constituitur mater omnium quas possit reformare.*

imposuit. Deinde & Abbatissam constituit earum omnium sanctimonialium quas ipsa reformatura esset, vel quæ sub ea se darent vitæ Monasticæ Clarissarum. Et quidem Coleta, postquam à Pontifice B recessit, cœpit diligenter in eam curam & cogitationem incumbere, vt quod ab eo iussa erat, executioni mandaret, sed teterrimus dæmon tantas persecutiones passim intulit, vt omnis generis mortales, etiam illi qui prius ei fauerant, eam totis viri-

*Ab omnibus exploditur velut venefica.*

bus oppugnarent, vocarentque eam veneficam, eóque rem etiam perducerent teterrimis obtrectationibus suis, vt nemo auderet eam hospitio recipere, atque ita cogeretur illa, relicto natali solo, alio commigrare.

*Excipitur humaniter à Blancha Comitissa Gebennensi.*

Sed non deerat ancillæ suæ Christus, quin verò humanissimè excepta est à Blancha Comitissa Gebennensi. Quæ vt eam posset sibi coniunctiorem habere, permisit ei etiam & comitibus eius, dimi- C diam castri sui Balmensis partem, in quo ipsa morabatur. Atque ibi tum primum humilis ancilla Christi cœpit exercere munus suum, diligenter obseruans, & ab aliis obseruandum curans S. Claræ institutum. Mansit autem ibi donec Monasterium Bisontinum collatum est ei à Pontifice. Ad quod quidem Monasterium honorifice deduxit eã Blancha Comitissa cum nepte sua, quæ postea nupsit comiti Palatino & Bauariæ Duci. Erat autem tunc adhuc paucæ sorores cum ea, sed agente spiritu Dei, breui permultæ nobiles, perfectæ & Deo deuotæ fœminæ vndique ad eam cōfluxerunt sanctæ Religionis habitum ab ea petentes. Quas illa examinans, admisit eas quas putauit idoneas, atque ita paruo spatio multæ se illi adiunxerunt, atque adeo D coacta est propter ingentem multitudinem tam virorum quam fœminarum, S. Francisci Canonem sectari cupientium, augere cœnobia tum fratrum, tum sororum, quemadmodum satis restantur Mo-

*Extruit & reformat multa Monasteria.*

nasteria in diuersis locis extructa, in Germania, Francia, Burgundia, Sabaudia, & aliis, ea agente, extructa vel reformata.

Quin etiam multi sexus vtriusque ex omnibus monasticis Ordinibus, puta Benedictini, Bernardini, Carthusienses, Cælestini, Canonici regulares, permissu Superiorum suorum ad Coletana monasteria sub perfectioris vitæ prætextu se transtulerunt. Estque sanè notatu dignum, eos omnes qui in illo statu ex hac vita migrarunt, quoad vixit Co- E lera, siue in propinquis, siue in longinquis degerent regionibus, illi in obitu suo apparuisse, nec pauca, nec mediocria ab ea si indigerēt salutis subsidia accipientes. Nec minus quoque illud memorabile est, si in constructendis Monasteriis necessarij sumptus deessent, qui ab hominibus sperari vix possent, diuinitus mirabiliter eam fuisse non se-

*Semper nudis pedibus incedit.*

mel adiutam, ita vt crebrò ad quingentos aureos ei mitteret sponsus suus Christus, quos iuxta se reperire solebat reuertens ab oratione. Calceis autem neque sana, neque ægra, neque vel domi, vel foris vmquam vsa est, semper vbique nudis ingrediens pedibus, imò nec igni eos admouit vmquã, quantumuis sæuiret hyemis asperitas, nec ignem præterquam candelam ferre potuit vel adspicere. Modico etiam stramine pro lecto vtebatur, simplici quodam tecto operimento, & ad caput posito sa- A culo paleis pleno, & tamen in his ipsis aut parum, aut nihil quiescere videbatur.

Præter preces Canonicas quotidie legebat omnes orationes Dominicas, quibus laicæ sorores diuinum persoluunt officium, tum quoque preces horarias S. Crucis & duplices defunctorum, vt vocant, vigilias, vt plurimum nouem lectionum, interdum trium, signa illa Dominicæ orationis habens charissima, eaque nocte ac die circumferens, B precesque absque numero ad illa recitans. Porrò mentalibus orationibus ita vtebatur, vt tota raperetur in Deum, nihil corpore sentiens, perinde vt mortua. Et sic nonnumquam permansit sex horis, interdum decem, vel duodecim. Somnus autem eius incredibilis parcitatis fuit, sic vt aliquoties octo diebus vix vna dormierit hora. Et quidem *Ostenditur eius sanctitas diuinitus S. Vincentio Dominicano.* multa Deus per eam dignatus est facere miracula, sed nobis illud sufficiet, quod inter multas reuelationes, quas diuinitus habuit pater celebertimus, professione Dominicanus, Magister Vincentius, etiã illa fuit, qua Coletam vidit in spiritu genua flectentem, humiliter & feruenter rogãtem Deum pro peccatis miserrimę plebis, quin & quod propter C hanc visionem idem egregius Doctor ex Hispaniis venit in Gallias, vt ipsam Coletam inuiseret. Quæ quanta animi deuotione Eucharistiam sumpserit neminem arbitror vel satis admirari posse, cum oculi eius instar fontium essent riuulos lacrymarum iugiter fundentes, deinde etiam crebro sanctam Quadragesimam solo pane & aqua exegit.

Porro quoad vixit, perpetuis fuit affecta doloribus, & cruciamentis, aliis post alia succedentibus, quæ tamen omnia tulit patientissimè. Et quod est supra modum mirum, si quis superueniret, cui non posset negare suam præsentiam, mox vt statuit ei loqui, cessabant dolores illi, nec sentiebat quicquam quantisper illic hærebat, cum paulo ante præ doloris vehementia omnino incuruata fuisset, & lingua penitus perforata. Sed simul atque ille recessit, mirabiliter dolores eius intendebantur & augebantur pro ratione temporis, quo cessarant illo præsente. Quin & vbi ad mediocrem peruenit ætatem & iam monasticam sectabatur vitam, sæpe in *Sæpe à dæmonibus verberatur.* eam incurrerunt dæmones, fustibus eam diu & atrociter cædentes, ita vt membra eius tenerrima prorsus fracta viderentur, & atri liuores in eius corpore remanerent non breui tempore. Sed & obitum Martini eius nominis quinti Pontificis Maximi exactè prædixit, etiam mortis horam exprimens, & schisma quoque in Ecclesia futurum, finemque Concilij Basilicnsis longe ante pronuntiauit. Ac deinde cum iam annis quadraginta longè lateque non sine magnis periculis discurrēdo, construenda curasset multa Monasteria Ordinis *Moritur feliciter Gandaui.* sui, vt peccatores è dæmonum potestate eriperentur, ecce sexta Martij, cunctis Gandauensis Monasterij sororibus præsentibus, itemque eius Confessario & socio fratre, clausit extremum vitæ tempus, anima sanctissima à corpore suauiter recedente, & rectà ad Deum creatorem suum proficiscente.

Hæc verè beata totis quinquaginta annis pene *Totis fere 40. annis vixit inclusa.* vixit inclusa. Tanta autem erat eius puritas, vt multi eam inuisentes, antea leues & ad turpia propensi, ex eius præsentia prorsus liberarentur, & casti,



*Per vnius anni spatium ab omni somno abstinuit.*

casti, & modesti efficerentur. Ipsa etiam exemplo A Saluatoris 40. diebus & noctibus continuis, ieiuna permansit. Toto etiam anno, ex singulari Dei gratia, omni prorsus somno abstinuit. Si esset in locis vbi crassiores erant aquæ, minusque puræ, in vitreis vasculis sanitatis causa bullire faciebat, quod diabolus inuidens, baculo sæpius frangebat, sed mox illa Deum orans, videbat vasculum sanum, & integrum vt ante fuerat. Sæpius ipsi apparuit Mater Dei. Dæmones etiam valde eam infestabant, præcipuè quando orabat, vnde totam eius cellam horrendis muscis, bufonibus, & aliis animalibus immundis replebant. Sæpius etiam suspensa in patibulis cadauera afferebant, quibus nihilominus præcipiebat vt ea auferentes in locis suis reportarent.

## NOTÆ.

Coleta.] *Vitã eius ex Stephano Iuliaco prolixius scripsit Iacobus Mosander to. 7. Surij. Agit & de ea Hareus. Plura autem de ipsa in vita B. Ioannis Bassandi Ordinis Cæles. vbi dicitur eum fuisse eius patrem spiritualem, & cum Prioratus officio fungeretur in Monasterio Ambianensi, conscripsisse ei librum egregium, quem ipsa semper seruauit, & totam vitam suam sicut ibidem præscriptum erat cōposuit. Cum autem prædictus sanctus obiisset Aquilæ, ipsa Coleta Virgo in vltimis Galliæ finibus constituta vidit eius animam ad cælos euolare, sororibusque reuelauit.*

## VITA B. IOANNIS GANDAVENsis Eremitæ. Partim ex Petro Camuzato, & quibusdam aliis.

*Ioannes Gandauensis continuè rogat pro pace & salute populi.*

IOANNES Gandauensis apud Sanctum Claudium Eremiticam vitam duxit. Hic valde contristabatur cernens tam longa & cruenta bella, quæ suo tempore inter Galliæ & Angliæ Reges gerebantur. Quapropter assiduè pro eorum salute & reconciliatione rogabat. Habuit autem reuelationem vt ad prædictos Reges se con- D ferret, eosque ex parte Dei de pace admoneret. Venit ergo ad Regem Galliæ Carolum VII. à quo est benignè acceptus. Et quia ipse Rex toto corde pacem desiderabat, idcirco cum non haberet filios,

*Venit ad Regem Galliæ cui promittit filium.*

prædixit ei breui eum filium habiturum, qui fuit Ludouicus XI. Postmodum perrexit ad Regem Angliæ, qui de pace audire nolens, sanctum virum indignè tractauit, multisque molestiis affecit, vnde

*It in Angliã pacis causa, sed nihil proficit.*

multa ei euenerunt mala, sicut vir Dei prædixerat. Rediens tandem in Gallias, in Tricassina ciuitate graui morbo correptus, in diuersorio seu hospitio trium Maurorum ad quod diuerterat, mi-

*Eo moriente collina ignea videtur.*

grauit ad Dominum. Visa autem fuit in ipso meridie ignea columna supra cœnaculum vbi obie- E rat diutissimè stare. Corpus autem eius in Ecclesia fratrum Prædicatorũ honorificè sepultum fuit, vbi etiam nunc studiosè asseruatur.

## NOTÆ.

Ioannes Gandauensis.] *De quo plura Camuzatus in Antiq. Eccles. Tricass. vbi commemorat Ludouicum Regem XI. eius sanctitatis memorem, mandasse vt eius reliquiæ effossæ humo educerentur, & ad Romanum Pontificem litteras dedisse de eo in sanctorum numero referendo, quod tamen sequenti paulo post Regis obitu, perfici minimè potuit. Præterea apud Patres Prædicatores ciuitatis Trecensis, complura acta videntur, quibus non-*

*nulla miracula, in multis qui prædictum Ioannem supplicibus votis efflagitarant, perpetrata reperiuntur. Prædictus verò Ludouicus Rex eum valde coluit. Nam cum ei Patres Prædicatores misissent Capeletum ipsius viri Dei, cum quibusdam Reliquiis illius Sancti, rescripsit & rogauit prædictos Patres vt pro se & regno apud Deum, & sanctum virum preces fundere dignarentur, propterea misit ornamenta aurea, ad componendum sancti viri sarcophagum. Supra sepulturam autem erat impressa ipsius viri sancti effigies, habens prolixam barbam, tenensque in manibus Capeletum, seu coronam B. Virginis. Et circumcirca ipsam imaginem, hæc verba impressa & conscripta erant. Hic iacet Eremita S. Claudij qui vocabatur Ioannes Gandauensis, & obiit in ciuitate B ista Trecensi die 29. Septembris anno Domini 1419.*

## VITA B. MICHAELIS INCLVSI Ordinis Camald. Ex Arnoldo Vvionio.

*Habetur to. 2. Ligni Vitæ.*

*Michaël Eremita Ordin. Camald. inuentor Coronæ Domini.*

MICHAEL Florentinus, Camaldulensis Ordinis Monachus & Eremita, fuit inuentor sacræ Coronæ Domini, ad commemorationem annorum eius 33. orationes Dominicas, & pro commemoratione vulnerum eius, quinque salutationes Angelicas ex mente persoluendas continens. Hanc institutionem Leo X. Papa confirmauit Florentiæ degens, deditque multos dies Indul- C gentiarum recitantibus dictam Coronam. Incipit autem breue prædictarum Indulgẽtiarum. Leo Papa, seruus seruorum Dei, &c. Nuper nobis fide digna innotuit, quod cuidam Seniori Eremitæ, intra vnius cellæ angustias, iam quindecim annos in sacro Camaldulensi Eremo, in magna vitæ austerita recluso, commorari, &c. Huius Eremitæ sanctitatem referunt etiam hodie Callipodij, seu lignei Sochi, quibus ipse dum erat inclusus, loco calceorum, nudis pedibus vtebatur. In illorum nempe superiori parte, quæ plantas pedum respicit, earumdem plantarum effigies, perinde ac in massa impressa est. In cuius rei memoriam, sub altari oratorij Domunculæ, quam ipse olim inclusus habitabat, merito seruantur.

*Approbatur à Leone X.*

*Plantæ pedũ in ligneis Sochis impressæ.*

## NOTÆ.

Michaël.] *Eius festiuitatem Vvion. reponit 21. Ianuarij. Cuius vitam cum Bulla Leonis X. de approbatione Coronæ Domini, August. Florent. Monachus Camaldul. in priori parte hist. Camald. lib. 3. cap. 14. 15. 16. 17. luculenter describit. Obiit anno Domini 1522. Notandum quod hæ coronæ non de quibuscumque lignis, sed de vna tantum arbore, qua vtebatur Michaël, fieri debent.*

## VITA B. BERNARDI TOLEMÆI Eremitæ. Ex diuersis Auctoribus collecta.

*Bernardi Tolemæi summa eruditio.*

BERNARDVS Tolemæus, seu Ptolemæus, Monachorum montis Oliueti Institutor fuit. Is Senator nobilissimus Senensis, & artium egregius doctor, Philosophiam in publica Academia cum profiteretur, repentè vtroque oculorum lumine orbatus, cum iam in summis positus videretus angustiis, ad matris Dei patrocinia confugiens, eius auxilium obnixè postulabat. A qua cum non sine euidenti miraculo pristinæ restitutus fuisset sanitati; protinus de abdicãdis mundi voluptatibus propositum habuit. Itaque in exedrã veniens, tanta facundia copiaque dicendi, ad mundi contemptum, cæle

*Oculorũ lumine orbatus à B. Virgine sanatur.*

cæleſteſque diuitias complectendas, auditores hortatus eſt, vt omnes quotquot aderant, in magnam ſuimet confuſionem verſi ſint, & continuo quidam eorum, inter quos Ambroſius Picolominus, & Patritius, ex æquiuoca familia patritia, atque nobiliſſimi Senatores, quaſi quadam facundia cæleſti accẽſi, Bernardo adhæſerunt, & vna ſecũ temporum perturbationes peroſi, ex vrbe demigrarũt, & in proximum Senæ montem, qui Oliuetus dicebatur (ex quo ipſa familia Oliuetana appellata eſt) ſeſe receperunt, vbi inediæ, vigiliis, ac perpetuæ orationi operam nauantes, plures ad eos confluere cœperunt.

*Oliuetanorũ Ordo vnde ſumpſit nomen.*

Iis in prædicto monte ſolitariam & potius Angelicam quàm humanam vitam ducentibus, non B defuere, dæmone auctore, qui eos deferrent ad Põtificem, qui Auenione tunc temporis degebat, quaſi nouarum rerum auctores. A ſummo igitur Pontifice acciti, & benignè accepti, cauſam ſuam ita integrè, & innocenter defenderũt, vt ab eo innocentes iudicati, eos ad Guidonẽ Petramala Aretinum Epiſcopum, (in cuius Diœceſi mons Oliuetus ſitus erat) cum mãdatis ac litteris Apoſtolicis remiſerit, vt ipſis habitũ ſanctæ Religionis ſub aliqua probata Regula traderet. Factum eſt autem dum in Italiam redirent, apparuit Epiſcopo B. Mater Dei, Angelorum choro ſtipata, quæ viros illos cõmendans, iuſſit vt cãdidum habitum & Regulam S. patris Benedicti eis porrigeret, qua deinceps vteren- C tur. Cuius rei monimentum hodie quoque extare dicitur Aretij, in templo Sanctiſſimæ Trinitatis parietibus pictum; & veſtis, & regula illa ab Epiſcopo ei tradita eſt per manus R. religioſiſſimiq; viri Monachi Ioãnis Camaldulenſis Abbatiæ de Saxo Aretinæ Diœceſis, die Sanctæ Agnetis virginis, qui propterea quotannis Mõtoliuetanis Monachis celebris exiſtit, anno Domini circiter 1320. & ſic nouellus & puſillus Ordo, à monte Oliueti nomen retinens, & paulatim ſanctitate & fama creſcens, à ſede demum Apoſtolica approbatus, per multas Italiæ ciuitates radicis ſuæ propagines emiſit. Poſtmodum autem B. Ptolemæus, vita & virtutibus clarus immarceſcibilem gloriæ coronam ade- D pturus, tandem migrauit in Cælum.

*A Sũmo Põtifice euocantur.*

*Ordo montis Oliueti ſub tutela B. Mariæ virginis, & militat ſub Reg. S. P. N. B.*

### NOTÆ.

Bernardus.] *Agunt de eo Raphaël Volaterranus lib. 21. Anthropologiæ. Vvionius to. 1. Ligni vitæ. Lælius Zecchius de Repub. Eccl. in tractatu de Relig. Alphonſus de Caſarubios in initio Compendij Priuileg. Fratrum Minorum, & aliorum mendicantium. Platus de bono ſtatu Religioſi lib. 1. c. 34. & lib. 2. c. 22. Philippus Bergomenſis in Supplemento. Nondum canonizatum legi. Prædictus de Caſarubios loco ſupra citato dicit hunc Ordinem incepiſſe anno Domini 1319. ſub Ioanne 22.* E *ſummo Pontifice.*

In exedram veniens.] *Exedra eſt nomen Græcum, idemque eſt quod Cathedra.*

Aretinum Epiſcopum.] *Aretium eſt ciuitas Tuſciæ, à Græcis condita eo tempore quo populus Iſraël ſub Iudicibus regebatur. Vide Philippum Bergomenſem.*

## VITA B. CAROLI EREMITÆ, & Inſtitutoris Congregat. S. Hieronymi Feſulani. Ex variis collecta Auctoribus.

*Patria & parentes B. Caroli.*

RECOLENDÆ memoriæ B. Carolus filius fuit egregij D. Antonij de Rumena, Comitis Montis Granelli, Diœceſis Sarcinatenſis, quæ ciuitas ſiſta eſt in montibus Apenninis ſupra Ceſenã. Hic Carolus à teneris annis pietatem amauit, nam frequenter in Eccleſiis verſabatur, & attentiſſimè orationi incumbebat, pauperibus & egenis valdè compatiebatur, eiſque quando facultas aderat, miſericordiſſime eleemoſynam tribuebat. Porrò ætate & ſapientia creſcens, artium liberalium ſtudiis adhibitus eſt, in quibus breui tempore eos habuit proceſſus, vt Grammatica, Rhetorica, aliiſque humanioribus diſciplinis ſatis inſtructus videretur. Cumque ad legitimam perueniſſet ætatem, multorum rogatu ad Sacerdotij Ordinem promotus fuit. Sed cum ad perfectiorem anhelaret vitam, aſſumptis ſecum duobus ſociis, videlicet Redone de Monte Granello, & Gualterio Marſo, relictis parentibus & huius ſæculi diuitiis, Eremiticam & ab omni hominum ſtrepitu remotam vitam ducere decreuit.

*Eius pietas & miſericordia erga pauperes.*

*Fit Sacerdos.*

Igitur relicta patria, cum duobus prædictis ſociis, paruum Eremitorium intra ruinas ciuitatis Feſulanæ conſtruxit, ibique ſub extrema paupertate degens, multos tranſegit annos. Sæpius enim ſolis herbis & radicibus pro cibo, & aqua pro potu vtebatur. Singulis diebus (exceptis diebus Dominicis, aliiſque ſolemnioribus) ieiunabat, cilicio aſperrimo amictus, diſciplinis, aliiſque mortificationibus corpuſculum atterebat. Succeſſu temporis tam multi ad eum confluere cœperunt, vt ad eorum cõuenientem habitationem varia oportuerit loca conſtruere. Quæ cum pauperrima eſſent, non deſinebat ſanctus vir fratrum paupertatem ſua viſitatione conſolari, & beatæ paupertatis Chriſti eis documenta, atque exempla proponere. Qui quidem fratres ſub eius diſciplina poſiti profitebantur vitam Eremiticam, ſub titulo videlicet Eremitarum S. Hieronymi. Huiuſmodi verò congregatio eo viuente approbata fuit, & confirmata ab Innocentio Papa ſeptimo anno Domini 1405. Beatus autem Carolus poſtquam per multos annos ſanctè & piè Congregationem gubernaſſet, multiſque miraculis claruiſſet, tandem ſenex & plenus dierum, Venetiis glorioſè migrauit ad Dominum die 7. Septembris anno 1417. hora Tertiæ, ſepultuſque fuit in Eccleſia S. Mariæ Gratiarum prope altare maius, multiſque claruit miraculis. Eius Ordo ſeu Congregatio poſtmodum à Gregorio 12. etiam approbata fuit, & multis priuilegiis aucta & ornata ab Eugenio 4. qui voluit & mandauit, vt deinceps non Congregatio Eremitarũm, ſed Congregatio fratrum mendicantium S. Hieronymi Feſulani vocaretur, & profeſſionem emitteret iuxta Regulam S. Auguſtini quoad tria vota eſſentialia, cuius extant litteræ Apoſtolicæ ſub die 26. Iulij 1441.

*Relicto ſæculo cum quibuſdam ſociis ſit Eremita.*

*Inſtituit Congregationem S. Hieronymi.*

*Migrat in cælum.*

*A Pontificibus approbatur congregatio.*

### NOTÆ.

Carolus.] *De eodem agunt antiqui & moderni hiſtorici. Alphonſus de Caſarubios in initio Compendij Priuilegiorum Fratrum Minorum, &c. Philippus Bergom. Lælius Zecchius de Repub. Eccl. in tractat. de Relig. c. 2. qui dicit hunc Ordinem cœpiſſe anno Domini 1046. vocatque Ordinem S. Hieronymi Fieſolenſis. Sed eum manifeſtè conuincunt erraſſe veteres libri, & ſupradicti auctores, qui dicunt incepiſſe anno Domini 1405. vel circiter, ſub Innocent. 7. Neque debet dici Fieſolanus ſeu Fieſolenſis, ſed Feſulanus ſiue Feſulenſis.*

Venetiis.] *Venet. eſt ciuitas inſignis Italiæ, quæ anno à natali Chriſtiano 54. ſupra quadringenteſimum condita fuit, quo anno Attila Rex Hunnorum Aquileiam euertit.*



*euertit. De cuius laude plura in chronica Iacobi Philippi. Eſt & Venet. nomen alterius ciuitatis in ea parte quæ à Britonibus incolitur: de qua Cæſar in ſuis Commentariis multa: eſt autem maritima.*

## VITA B. PETRI FERDINANDI, Ordinis Eremitarum S. Hieronymi Inſtitutoris. Ex Hieronymo Plato.

*Lib. 1. de Statu boni Rel. c. 34. & lib. 2. cap. 22.*

ORDO Eremitarum S. Hieronymi, præſertim in Hiſpania & Luſitania floruit & adhuc floret, Eius Inſtitutor & fundator fuit Petrus Ferdinandus, qui Petri Caſtellæ Regis aula relicta, cui B tum paternis, tum propriis obſequiis gratiſſimus erat: primum Eremitis quibuſdam ſolitariam vitam agentibus ſeſe adiunxit, deinde inſtitutum S. Hieronymi quod in vrbe Bethleẽ ab ipſo inchoatum, diuque conſeruatum, iampridem ceſſauerat, cum aliis eiuſdem animi & cõſilij excitare aggreſſus eſt, idque in Toletana primum prouincia. Itaque Romam veniens, Gregorio XI. qui tunc Eccleſiæ clauum tenebat, nouam illam vitæ formulam attulit, anno ipſo ſalutis 1383. quæ ab ipſo cõfirmata, & approbata fuit.

*Petrus Ferdinand. Regis Caſtellæ aula relicta, iungit ſe quibuſdam ſolitariis.*

*Excitat Ordinẽ Eremitarũ D. Hieronymi.*

Sed cum Ordo recens eſſet in Hiſpania, nec pluribus adhuc, quam duobus, aut tribus, iiſque paruis, conſtaret Monaſteriis, aliqui fratres, eam pau- C citatem moleſtè ferentes, communicato inter ſe conſilio, ad alium Ordinem tranſire decreuerant. Iamque abibant, cum in ipſa via mater Dei viſibili ſpecie eis occurrit, monens, atque adeò etiã imperãs, vt in ſuſcepto inſtituto permanerẽt, breui enim fore, vt id valde propagatum viderent: ſe verò Ordinem illum totum in ſuum recipere famulatum. Quæ cum dixiſſet, non ſolum illi in ſuo propoſito confirmati ſunt, ſed ad hunc ipſum famulatum Virginis conteſtandum, tota ea familia reliquis veſtibus albam tunicam adiunxiſſe dicitur, quam adhuc retinent. Petrus verò Ferdinandus vita & meritis conſpicuus, tandem plenus dierum migrauit in cælum.

*Sacra virgo quoſdã eiuſdem Ordinis fratres ad perſeuerantiã hortatur.*

*Moritur Petrus Ferdinandus.*

### NOTÆ.

Ordo Eremitarum, &c.] *Quidam huius Ordinis fundatorem non Petrum Ferdinandum, ſed quendam virum doctiſſimum nomine Luppum de Oliueto, Hiſpanũ, crediderunt. Sed manifeſtè falluntur, nã prædictus Luppus non Inſtitutor, ſed Reformator huius Ordinis fuit: Obiitque anno Domini 1433. anno 3. Eugenij IV. Quare dicendum eſt, quod ſi Ordo cœpit anno Domini 1383. iam dictus Luppus non potuit eſſe Inſtitutor, cum conſtet eum obiiſſe anno Domini 1433. Videatur Compendium Priuileg. Fratrum Minorum, & aliorum mendicantium. Fuit & alia Congregatio Eremitarum S. Hieronymi è Piſis, quæ originem habuit à B. Petro de Piſis, nobiliſſimæ proſapiæ de Gambacorta anno Domini 1380. quæ Congregat. Eremitarum S. Hieromy vocari voluit, tum ob incredibilem deuotionẽ, quam ſemper habuit erga hunc ſanctum Eccleſiæ doctorem Hieronymum, tum etiam vt hoc nomine inſigniti illius veſtigia ſectari, eius diſcipuli coronarentur.* E

Et Luſitania.] *Eſt pars vlterioris Hiſpaniæ, quam nunc Portugalliam appellant. Scribit Plinius Luſum Liberi patris, ac Lyſam cum eo debacchantem, nomen dediſſe Luſitaniæ. Hac Oceano occidentali alluitur, in qua eſt ciuitas Emerita. Luſitanum littus pollet gemma Ceranio, quod Indicis præferunt, & aduerſus vim fulgurum creditur opitulari.*

## VITA NICOLAI EREMITÆ. Ex Vincentio Belu.

*Habetur lib. 31. Speculi Hiſt.*

APVD Suitenſes montanos, quos Itali Suiceros appellant, haud longè à finibus Lucernenſium, in loco vaſtæ ſolitudinis homo ſenex vitam abſtinentiſſimã habebat, qui per annos viginti ſine omni corporali cibo vixit, quem fratrem Nicolaum appellabant, vir corpore aridus, ſiccus, exhauſtus, ſola cute neruiſque & oſſibus compactus.

*Per ſpatium viginti annorũ ab omni cibo corporali abſtinet.*

Reuera hic homo quaſi cæleſtem vitam in teris egit immaculatam abſque ſorde: quamuis nonnulli eum glorioſum dixerunt, ſuamque vitam ad iactantiam interpretati ſunt, eoque mercedem accepiſſe prædicarunt. Sed ſunt iniqui iudices, qui non melius quæ occulta ſunt interpretantur, quam quæ patent. Cur virum calumnientur, qui longam vitam in arctiſſima paupertate, & ſolitudine duxit, qui nihil appetiuit, & nemini iniuriam fecit? Parua fuit merces tantis laboribus humana laus. Stultus eſt qui propter rumuſculos hominum ſuum corpus affligit, ſuumque gremium fraudat.

*Patitur quoſdam obtrectatores.*

*Defenſio contra calũniatores.*

Is ſanctus & iuſtus homo, qui auaritiam calcauit, honores ſeculi ſubegit, qui nullum ſuperbiæ fomitem oſtendit, ſola fiducia futurorum teneri arbitratur, retributionemque theſauri cæleſtis expectare potius iudicatur. Indicauit hoc perpetua hominis lætitia, quem nemo mœſtum vidit, ſed vultu ſemper eodem. Sciebat ſe mortali culpa liberum, bonis operibus, ac contemplationibus intentum. Potuit cum Paulo dicere: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Per Antiſtitem quoque Conſtantienſem approbatus, tandem ſenio ac viribus deficiens, eius ſenilem animam mollis diſſoluit ſopor; ſepultus in Eccleſia ſui paſtoris non ſine miraculis quieſcit, qui & finitimis populis nonnulla vaticinia prædixit.

*Habet perpetuam lætitiã ſpiritualem, ob puritatem conſcientiæ.*

*Moritur.*

### NOTÆ.

Fratrem Nicolaum appellabant.] *De quo plura ſcripſit Albertus Crantzius in ſua Metropoli. Porrò eius inſigne obedientiæ exemplum refert Carolus Bouillus in ſuis Epiſtolis. Nam iuſſus ab Epiſcopo Conſtantienſi poſtquam per ſpatium 20. annorum ab omni corporali cibo abſtinuerat, comedit vnius fruſtulum panis. Agit præterea de eodem Trithem. in Chronico Sponheim. Anno (inquit) milleſimo CCCC87. 25. menſis Martij obiit Nicolaus ille famoſus Eremita in Suita, in pago Suitenſium, ſiue Suicerorum, non longè ab oppido Lucerna in ſolitudine vaſta, qui multis annis in magna paupertate, humilitate, & patientia in eadem Eremo ſtrenuè ſeruiuit, ſolitarius, & ante mortẽ ſuam per annos 20. continuè ſine cibo corporali vixit, quemadmodũ hoc Epiſcopi Conſtantienſis, in cuius parrochia morabatur, & aliorum complurium fide dignorum teſtimonio compertum habetur. Spiritum quoque prophetiæ habuit. Magnus ad eum ex remotis regionibus peregrinorum fiebat concurſus. Hic homo Dei cum eſſet omnium literarum penitus ignarus, intellectu tamen ſcripturarum mirabili ſuauitate vigebat: dabatque ad interrogata quorumlibet eruditorum reſponſa, non ſecus ac ſanctus ille Antonius Eremita, quamquam non omnes paſſim ad colloquium ſuum admittebat, niſi quos cognouiſſet diuino ſpiritu ad loquendum concitari. Denique fertur miraculis coruſcaſſe. Hæc Trithemius.* D

*Habetur in Aurea Rosa, in Tractatu 2. feriæ quintæ, infra octauas Paschæ.*

## VITA BEATI ELIÆ EREMITÆ.

### *Ex Syluestre Prierate viro doctissimo, professione Dominicano.*

ANNO Christi millesimo trecentesimo septuagesimo, Sanctam Baumam, seu Italicè Balmam, id est, antrum, in quo Magdalena pœnituit, quidam mercator Tuscus deuotionis gratia visitauit: qui inde diuino succensus amore regressus in patriam, suæ viæ itinerarium vulgari metro confecit: pulcherrimè, veridicéque describens, & loca, & reliquias omnes quæ in Sancto Maximino, in Massilia, Arelate, Auenioni, & reliquis locis vicinioribus continentur: iuxta ea quæ oculis nostris inspeximus. Se quoque præsente fratrem Eliam, Ordinis Prædicatorum, qui Magdalenæ longo tempore, id est, annis 86. in S. Bauma seruierat, multa quæ subinferam reuelasse, & post paululum vitam finiuisse testatur. Huius opusculũ ad me per venerabiles patres Ordinis nostri, fratrem Petrum Vermensem, Prioremque Brixiẽsem, & fratrem Ioannem Fabrianensem, diuini verbi præconem, à fratre Onofrio Florentino, à quo se illud habuisse asseuerant, deuenit.

*Annis 86. Elias solitarius vixit.*

Igitur visitatis reliquiis & spelunca, dum consolatus mercator discessum meditaretur: fratres, (penes quos gratiam fortè inuenerat) eum B. Patris Eliæ sermone amplius consolari voluerunt. Cumque manibus fratrum beatus pater Elias delatus fuisset: (nam totus contractus, nihil ferè præter linguam habuit vitam participans) visos peregrinos dulciter salutauit, ac fratri se deferenti ait: Ad locum meum me deferas, quia secreta Dei volo referare quæ tacui. Locũ verò sũũ dixit eũ in quo orationem faciens, in spelunca super petra, in qua nocte Magdalena quieuit, stare consueuerat. Pro hoc verò sciendum est montem esse in Prouincia, ab oriente Niciam, ab occidente verò Massiliam, & à meridie mare, & à septẽtrione habentem Auenionẽ. Hic ad altitudinem trium millium passuum assurgit. Et deinde iubam, seu cristam gerit lapideã: ab occidente in oriẽtem, decem millibus passuum, & eo amplius extensam: quæ ab occidente sic præcisè cernitur, vt murum vastissimum dixeris. Nam ad instar ferè duarum præcelsarum turrium eleuatur. In rupis huius radice spelunca est eleuata, quãtum magnus, imò maximus iactus est lapidis: ore prospiciens occidentem, & clibani formã præ se ferens. Ante os spelunce est breue spatiolum: intus verò ad læuam intrantis, & ad spelunce mediũ, lapis à solo surgens, in cumulum eleuatur, & paulatim ac sensim versus interiora spelunce euanescit, inter quem, & extrema spelunce, fós pulcherrimus patet, frigidissimus tactu, & gustu dulcissimus, nunquam deficiens, & nunquam patenter ad extra prosiliens.

*Descriptio S. Baumæ seu antri in quo B. Magdal. pœnituit.*

Super eo lapide Magdalena & contemplationi, & quieti nocte vacabat: (vt cõmunis fama, & imago ibi quasi Magd. apertis oculis quiescentis, B. Maximino auctore, reposita testatur.) Vnde cum tota spelunca interdum guttulis generati humoris humectetur: lapis ille solus (vt dicitur) omni tempore immunis ab iniuria stillicidij cõseruatur. Huc igitur dum pater Elias fuisset delatus, sequentibus peregrinis, & ad lacrymas sanctitatis eius aspectu concitatis, ait. Fratres dies venit, & hora mihi diu expectata mortis. Igitur quæ ad B. Magdalenæ gloriam, & vestræ salutis augmentum enarro,

*Præuidit obitum suum Eliæ.*

A percipite. Cum B. Magdalenæ seruiturus desertum istud, & rupem horridam petiuissem: exacto hic mẽse, solitudinem fastidiens, pœnitui, & discessum tacitus cogitaui. Quadam igitur nocte, cogitatibus agonizans, subito instar crucis montem hunc lapideum in partes quatuor diuisum inspexi: atque mihi quatuor mundi partes, Oriens, Occidens, Meridies, & Septẽtrio patuere, & cælum sursum, abyssusque deorsum. Igitur timore perterritus in terrã excors cecidi. Cumque verbis quibusdam dulcibus eleuatus, spiritum collegissem: toto corde Magdalenam in auxilium aduocaui. Hæc statim affuit tam sereno, & radianti vultu, vt in eam intendere non possem, operta capillis, & nuda brachia, ac pe- B des floribus redimita, dicens: Inconstans ac rudis, te propter apertus est mons, & te propter ego assum, & per me, (modo velis) tua anima in æternam vitam dirigetur. Tu hic à meo seruitio discedere cogitasti, sed audi quæ dicã, & demum age quæ libet.

*Apparet ei B. Magdalena, narratque omnem vitã suam.*

Vt nosti, (inquit) è Hierusalem Massiliam multi Deo volente, & naui subuehente deuenimus. At vbi Massilia, & pars non modica regionis, Christi fidem susceperit, tantùm circa nos humanus fauor, & inquietudo creuerunt: vt hominum consortia fugere cogitarim. Rapta verò diuinitus, sub huius antri fui ore deposita. Cumque hinc inde per locum mihi à Deo paratum lumina direxissem, draconem quem mea soror Martha occidit, repentè C inter lucem & tenebras aspexi: cuius horrorẽ sufficienter exprimeret nemo, erat enim bubalo maior. Vidi & omnis generis viperas. De hoc monstro de quo sic loquitur Magdalena, Vincentius dicit in Speculo historiali, quod draco monstruosus extiterit: anterior enim pars feralis erat: posterior piscea, & viperea cauda, fuit magno boue maior, & prolixo equo prolixior, caput leoninum habuit, iubas equinas, pedes senos, & vngues vrsinos. Fortitudine & ferocitate duodecim creditur superasse leones. Fuit ex Leuiathan serpente maritimo & bonacho animali generatus, in ponto Galatiæ Asiæ, in quo sunt eiusmodi monstra. Per mare autem venit ad Rhodanum fluuiũ: per quem D ad ea loca ascendit, in quibus fuit occisus. Hæc omnia ille.

*Forma horribilis Draconis quem S. Martha occidit.*

Non est autem mirum si in spelunca versabatur Magdalenæ, quia in medio est deserti vastissimi: quamuis tamen diabolica fortassis inuidia id actũ sit. Subitò igitur, inquit Magdalena, me apparente in spelunca, & draco & viperea multitudo excitantur in me, oculis ac sibilis suum furorem præ se ferentes. Nam viperæ quidem innixæ caudis, pectoribus assurgebãt: sed draco omnibus immanior, ita me conterruit, vt timerem eius aspectum, imò nec ferre possem. Heu me tunc (inquio) Iesu mi, nisi mihi statim affueris, aut deuorabor, aut pauore spiritum efflabo. Contraxit tunc subitò Draco caput quasi me non curaret, sed denuo statim extenso ac dilatato vastissimo gutture, & concussis alis, me deuorandam inuasit. Cumque iam deglutiendam in sua ora traxisset: quia lingua non poteram, sic sum profundo & securo corde locuta: Dulcis amor Iesu, tristemne ac solam in deserto, post innumera tua dona, me draconis escam feciſti? Tunc subitò Angelus de ore draconis eductam, me allocutus est dicens: Beata quæ fidem tenes, ac Draconem calce percutiens: Egredere, inquit, hinc Draco, & omnes viperæ tecum. Ac sic repentè se dedit Draco, & reliqua turba, præcipitem, & volãs ac peditans, & desertum adiuit: in quo illum soror mea Martha superauit.

*Liberatur ab Angelo deore Draconis B. Magdalena.*

Igitur



Igitur Angelus Michaël spiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuersus totam baumam lambens, immundas & fœtidas viperarum feces absumpsit, & locum omnem mundum ac redolentem effecit. Deinde verò in me conuersus; Deus (inquit) quem tantum ô Magdalena concupiscis, & semper habes, te vult hunc locum lacrymis irrigare profusis, vt futuris sæculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias. Remansi eo disparente perterrita, & loco lustrato, hominibus inuium ascẽsum descensumque rupe vetante cognoui. Tunc amoris dulcedine ad lacrymas resoluta, me ad terram prostraui, adorans ac dicens: Gratias tibi Christe ago, quod me omni mea affectione replesti. Sed oro fontem in rupe hac exhibeas deprecanti. Crepuit statim sub meis oculis immane hoc saxum, & quas cernis, Elia, aquas, è duro cilice scaturiere. Cumque ante ipsum limpidissimum fontem genu flexo, gratias Christo agerem, ecce plusquam mille spiritus vidi in spelunce dextera stetisse, verba suauissimi amoris Hebraica lingua decantantes. Cum igitur postremo subintulissent, non expedire animæ tam assiduam orationis frequentiam, eleuatis oculis, plenum aërem foras spelunca ex similibus inspexi. Igitur cum eos dæmones fuissem suspicata, & Iesum nimiũ territa acclamassem, repentè cum suis militiis Angelorum Michaël affuit dicens: Adsum Magdalena, ne timeas. Et congrediens cum malignis spiritibus, eos C omnes in fugam compulit. Crucem verò in ore spelunce Angelus erexit dicens: Caue ne extimescas in posterum, quia custos tui altissimus.

*B. Magdalena pœnitentiæ exemplũ.*

*Precibus Beata Magdalena è saxo impetrat fontem.*

*Apparet S. Michaël B. Mariæ Magdalenæ.*

Igitur ante Crucem eo disparente tunc iacui, deinde, collectas duas radices in ipso ore spelunce comedi, & aquam de fonte bibi, & deinceps humanum aliquid non gustaui. Crucem deinde rursus complexa, ea die ac nocte sequenti orans, orto sole, visum ad Crucem ipsam leuaui coloris, vt videbatur, crystallini, & radiis fulgentibus coruscam. Cumque in me vehementissimi amoris flammam persensissem, ecce tam læta & iubilans Angelorum turba affuit, vt æternam vitam in hoc antro credidisses. Repente igitur ab his ad infernalia loca de- D lata pœnarum genera, & punitorum turmas inspexi. Cumque ad loca Purgatorij ventum esset, tanta dulcedine me spiritus deuoti circumsteterunt, vt mihi viderer esse in patria, & cum magna teneritudine dixerunt: Ora pro nobis Magdalena nostra. Quibus ego, vtinam (inquio) vestra voluntas per me impleatur. Animaduerto quantum vobis auxilij sit opportunum. Deinde verò ad Crucem iterum reposita, mihi Angelus ait: Quanto tempore tuus, ac noster amor Iesus in terris te propter euixit, tanto tu quoque in hac spelunca moraberis.

*Videt pœnas damnatorum & in Purgatorio existentium.*

Steti igitur eo disparente ad Crucem orans, & Christum salutem meam contemplabar. Omni igitur euoluto die, Angelorum affuere militiæ, & me E tam sublimem in aëra sustulerunt, vt cælestes audierim resonare melodias, quod abinde citra septies semper infra diem & noctem effecerunt. Frigus ac gelu, igne succensa, iam non curabam. Cumque meæ vestes paulatim vetustate deciderent, paulatim quoque diuina pietate mei creuere capilli. Cum verò iuxta Crucem nocte dieque flerem, cum lauandi vultus gratia fontem petiuissem; obuium mihi humana forma Iesum, me his verbis alloquentem vidi: Te propter, Maria, loca ista constitui. Circumsteterant cælestes militiæ Regem suum, florum serta gestantes, & oliuarum palmarumque ramos tenentes in manibus. Et ecce resplenduit

*Apparet B. Magdalenæ Christus Dominus.*

A subito assumpta humanitas, & seipſũ ad instar sui, cum esset in monte Thabor, Salua or transfiguratus, adeò vt me oculos inflectere tanta Maiestas impulerit. Me quidem ad vultum dilectum oculos attollere dulcis amor inflãmabat, sed minimè valui. Cumque mecum multa contulisset, illapsus est cælo, & quoad vixi centies ac decies me in spelunca sua pietate visitauit.

Itaque Elia, tibi consulo, teque rogo, vt in hac rupe Christi laudes exoluas, quo te ad vitæ portũ tandem adducam. Sterilem locum sola ac nuda ego adiui, tu verò fratrum habes solatia, & victui, vestituique abundanter opportuna. Igitur de perseuerantia cogita. His dictis, ab oculis meis (inquit B Elias) Magdalena euanuit, & ego in hanc vsque horam omnibus hominibus prædicta celaui. Quibus dictis, post horulam beatus ille pater expirauit, stantimque ipsæ campanulæ in ea rupe suspensæ, nullo hominum mouente, iubilarunt & personuerunt. Omnia hæc ex dicto libello fideliter assumpsi.

*Gloriosè migrat ex hoc mũdo Elias, quo defuncto campanæ diuinitus pulsantur.*

### NOTÆ.

Elias.] *Meminit eiusdem Surius tom. 4. 22. Iulij, vbi fusius supra scriptam historiam recenset.*

Magdalena.] *De qua Mart. Rom. cum Baronio 22. Iulij. Agunt & de eadem Græci in Menologio. Multa apocrypha leguntur, quæ omnino sunt reiicienda, in primis libellus de eius accessu ad Senatum Romanum, vt Pilatum de nece Christi postularet iudicio, & alia huiusmodi, nobis insulsa visa. Fusius agit de ea prædictus Syluester Prierat. in Aurea Rosa, in expositione Euangelij feriæ quintæ infra octauas Paschæ, vbi enarrat quomodo Carolus Rex Siciliæ 2. & Comes Prouinciæ, circa annum Domini millesimum ducentesimum septuagesimum, à B. Magdalena miraculosè liberatus sit, dum bello nauali cum Rege Aragonum congressus, victus & captus, & apud Barcinonam moriturus, diro carceri mancipatus fuisset. De ea etiam agunt Vincent. lib. 8. c. 102. & sequentibus, Petrus in Cat. lib. 6. c. 124. Claudius à Rota in Historia Lõbardica. Sigebertus, (vt refert Baronius in Notis Martyrologij) agens de eius translatione anno Domini 745. hæc compendiosè describit. Persecutione post lapidationem protomartyris mota, Maximinus vnus de 72. discipulis ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum adduxit, & eam apud Aquensem vrbem, cui præsidebat, sepeliuit defunctam. Aquensi verò vrbe à Sarracenis desolata, corpus eius à Gerardo Comite Burgundiæ, ad cœnobium Viceliacum à se constructum transfertur. Quamquam aliqui scribant, quod illud apud Ephesum quiescat, nullum super se tegumen habens. Hæc Sigebertus. Fuit etenim Græcorum opinio, quod corpora Mariæ Magdalenæ & Lazari quiescerent Ephesi, vnde Cedrenus in Comp. hist. in Leone Imperatore Basilij filio hæc ait. Condidit templum S. Lazaro sacrum, inque eo Lazari & Magdalenæ reliquias Epheso allatas deposuit. Hæc Cedrenus in Comp. hist. in Leone Philosopho: sed Latinis magis assentiendum est. Nam & antiqua traditio, & libri M S. & miracula satis docent Magdalenam, Martham, Maximinum, &c. venisse in Gallias, & ibi obiisse, nempe in Prouincia, nam eorum reliquiæ quotidie aduentantibus ostenduntur.*

## VITA B. GERARDI EREMITÆ.

### *Ex Ioanne Brugmanno Franciscano.*

*Habetur intexta cum vita S. Lyduinæ apud Mosandrum.*

FVIT in partibus Hollandiæ sancta quædam virgo Lyduuina nomine, quæ per spatium triginta, vel circiter annorum grauissimis morbis afflicta fuit, & nihilominus magnis & stupendis

miraculis, & reuelationibus à Deo fuit illustrata.

*S. Gerardi patria.* Iuuenis igitur quidam, Coloniæ Agrippinæ natus, Gerardus nomine, cum mundi huius vanitatem, & carnis illecebras fugere decreuisset, ad Ly-

*Consilij quærendi gratia ad S. Lyduinam venit.* duuinam venit consilium ab ea petiturus, qua id ratione faciendum sibi putaret. Eum vt fuit illa intuita, valde lætari cœpit, ita vt nouum induere spiritum videretur. Cum ergo inter se de rebus spiritualibus loquerentur: Gerardus ait ad eam. Vellem Lyduuina vitam ducere solitariam, & esse in aliqua regione, vbi procul semotus ab hominum consuetudine vni Deo vacarem. Et quidem mihi placet Ægyptus, sed vereor ne videar tetare Deum,

*Hortatur iuuenem S. virgo ad sanctũ propositũ prosequendum.* dum non suppetunt vitæ necessaria. Et sic fertur Lyduuina respondisse tanquam consciа futurorũ. Ne quæso timeas dilecte frater, sed accepto virili animo, primum ad patientiam te præpara. Cum enim te in illam vastam solitudinem abdideris, parum probaberis initio, sed antequam tertio die sol occumbat, tenuem percipies alimoniam, eaque in dies augebitur. Iam manum ad aratrum misisti: caue ne retrahas eam, ne velis parum constans athleta haberi.

*Pergit in Ægyptum S. Gerardus vitæ solitariæ ducendæ gratia.* His Virginis adhortationibus factus est Gerardus ad ardua quæque pro Christi amore toleranda alacrior. Deinde valedicens ei, in Ægyptum profectus est cum sociis quibusdam. Qui tamen vt viderunt horridam solitudinem, ferarum inusitata contubernia, penuriam panis, relicto Gerardo

*Socij eo relicto discedunt.* discesserunt. Gerardus verò sibi in arbore sedem

*Sedem sibi delegit in arbore.* constituit, & multum in vera pietate proficiens, sicut Lyduuina prædixerat, cælestis alimoniæ augmenta percepit, & Angelicis colloquiis perfunctus est. Interim cælestibus vacans contemplationibus, sæpius in spiritu Lyduuinam videbat. Accidit autem vt Lyduuinæ frater moreretur, & ali-

*Diuinitus pascitur.* quandiu solitum mentis non pateretur excessum.

*S. Lyduuina paulo immoderatiùs contristata de morte fratris, consuetos mentis excessus amittit.* Causa fuit dolor paulo immoderatior ob fratris sui obitum susceptus, quem illa impense amabat, quod seni patri fidus, & in ipsam admodum officiosus fuisset. Igitur humani aliquid passa, gratia illa soliti raptus, ad tempus caruit.

*Quidã Episc. Angloriũ loca deserta Ægypti visitãs, S. Gerardum inuenit.* Ea tempestate quidam Anglorum Antistes, peregrinationis ergo, terram Sanctam, & montem Sina, aliaque sanctorum loca visebat, peruenitque etiam in Ægyptum: vbi cum cellam Gerardi in alta & frõdosa vidisset arbore, primo obstupuit: deinde sumpta fiducia, rogauit eum vt ad ea quæ sibi propositurus esset, responderet. Ille verò superne despiciens loquebatur cum eo, & sociis eius.

*S. Gerardus crasso valde est corpore.* Erat autem crasso valde corpore: sed vultu Angelico. Dixit ergo Episcopus reuerenter. Dic nobis Abba primum, quandiu hic delitueris, deinde quo cibo vtaris victitans inter feras belluas. Tertio, num quisquam tibi cognitus sit, qui nullo vescatur alimento corporeo. Respondit ille. Duodecim annis nullum hic ego degens vidi hominem, cælitus mihi (vt olim filiis Israël) panis suauissimus. Por-

*S. Lyduuina per multos annos ab omni prorsus cibo & potu abstinuit.* rò apud Batauos Schiedami, Virgo est corpore morbido, quæ nullam neque escam, neque potionem admittit; eaque me longè virtute antecellit, & Christo propter patientiam similior, atque gratior est. Sed & illa tamen satis admirari non possum, quod cum soleat vna mecum rapi ad cælestia, iam diebus aliquot eius præsentia careo, nec eam cerno illo gradiri quo solet in huiusmodi mẽtis excessu, à me videri. Ait verò Episcopus. Quæso dicas nobis, qua causa fieri tu putes, vt abs te non videatur? Scio, inquit ille, permittente id Domino pro eius tuenda humilitate, plus æquo interdum illam dolere mortem eorum quos diligit, atque idcirco suspicor & ego diuinas illi reuelationes & consolationes ad tempus subductas. Oro autem vt si in reditu iter faciatis per Hollandiam ex hac Virgine perquiratis primùm quot annos detriuerim in hac solitudine, deinde qua ætate fuerim cum hoc vitæ genus susciperem. Postremo quid causæ sit quod eius grata præsentia per hos dies frui non licuerit.

Postquam autem illi audierunt virum, ab eo re-

*Qua ætate S. Gerardus in Eremum ter-rexit, & quãdiu ibi vixit.* cesserunt. Cumque longis dimensis itineribus in Hollandiam venissent, Lyduuinæ indicarũt quæstiones ab eo motas: ad quas illa sic respondit. Dicam id quod sentio, sed saluo meliori iudicio. Fuit ille decem & septem annos in Eremo, annos fuit natus nouendecim, cum in eam se contulit, ego verò dum hic versor inter homines seculares, velim nolim, mundana audio. Non est igitur mirum si interdum aspergor puluere, & à cælestium contemplatione retardor, atque ille me præsentem non conspicit, qui ab hominibus remotus, mente in cælis habitat. Fateor nihilominus reuerentiæ tuæ, me plus nimio afflictam fuisse morte fratris mei, & eam ob rem non immerito subtractos mihi illos mentis excessus. Hac Virginis oratione Episcopus, cum duobus comitibus suis, non mediocriter ædificatus, gratias ei egit, & precibus illius se commendans lætus abscessit.

*Nota de magna corporis pinguedine B. Gerardi.* De hoc Gerardo Eremita postea Lyduuina dicere solebat, colli eius pinguedinem in vestis oram extrinsecus se diffundere, & neque sedere, neque iacere commode eum posse, sed magna temporis parte, nocte ac die, in genua incumbere. Abiisse autem è vita, (vt ab Angelo didicit) anno salutis millesimo quadringentesimo vicesimo sexto 12. Ca-

*Quo anno mortuus.* lend. Octobris, seque vidisse spiritum eius in cælos euolantem.

## NOTÆ.

Gerardus.] *Præter Ioannem Brugmannum Franciscanum, agit de eo etiam Iacobus Mosander Carthus. in vita S. Lyduuinæ tom. 7. Surij. Meminit eiusdem Zachar. Lippeolo in vita ipsius Lyduuinæ. Fuerunt & alij eius nominis Gerardus Episc. Canad. & martyr, Gerardus Abbas Bronienſis, Gerardus Episc. Matisc. de quo agit Iacobus Seuertius in Chronol. Episc. Matisc.*

## VITA S. FRANCISCI DE PAVLA Ordinis Minimorum Institutoris. Ex 2. tom. Surij.

*S. Francisci educatio sancta.* FRANCISCVS Paulæ, quod est in Calabria oppidum, humilibus, & honestis parentibus natus est singulari Dei munere. Ipsi namque cum sine prole multos annos in matrimonio viuerent; tandem voto piè facto, & precibus S. Francisci Assisinatis, filium susceperunt, quem propterea Franciscum quoque appellauerunt. Is porro aduersus mundum, carnem, & dæmonem fortiter dimicando, inter cæteros Iesu Christi athletas, admirandis virtutum exemplis, meritisque sanctam Ecclesiam decorauit. Puer igitur in sortem Domini electus, decimum & tertium circiter annum agens, magnam veræ pietatis speciem

*Degit in Eremo in maxima austeritate.* præbuit; in Eremumque secedens annos fere sex, ibi victu asperam, sed meditationibus suauem & cælestem vitam duxit. De eius sanctitate cum celebris fama esset, ideoque multi se ei in disciplinam tradidissent: inde, vt aliis prodesset, exire coactus



coactus est. Quare prope Paulam suis manibus ac

*Ecclesiam ædificat.* laboribus magnis Ecclesiam ædificare aggressus, aliorum eleemosynis adiutus, opere formaque notabili perfecit, atque in ea, quanto maius ædificium extruere volebat, tanto altiùs iecit fundamenta Ordinis sui.

Fuit autem mirifica in loquendo gratia, ita vt nullus vmquam ad eum accesserit, quin mellifluis eius verbis delectatus, & incredibili quadam sermonis dulcedine captus, & quasi diuino spiritu repletus ab eo recesserit. Humilitatem etiam eius, in-

*Instituit Ordinem Minimorum.* stituti per eum Ordinis cognomentum ostendit. Quod vt is omnium minimus esse volebat, ita Minimorum dici censuit & instituit. Eiusdem etiam Ordinis Institutor, & Generalis Corrector existens, omnium se infimum quoad poterat exhibebat, & ad omnia etiam seruilia opera, vt & cæteris humilitatis præberet exemplum, descendere non dedi-

*Eius maxima charitas & humilitas.* gnabatur. Quippe discipulis suis discumbentibus ministrabat, sæpeque Ecclesiam verrebat, altaria mundabat, ac paramenta, & alia ad diuinum cultum necessaria componebat: aliorumque fratrum, etiam nouitiorum indumenta propriis manibus abluebat. Et cum iuuenis adhuc esset, Calabriámque incoleret, numquam nisi nudis pedibus, etiam

*Nudis semper pedibus incedit.* per glacies, niues, montes, & acuta saxa, vepres spinasque incedebat, nullamque ex eo etiam gratissimo sæpe pondere pressus, læsionem in pedibus patiebatur: ipsum sæpius ignem nudis pedibus conculcasse, ac ignitos candentesque lapides manibus portasse liquido constat.

Admirabilis porro erat eius vitæ austeritas, quæ propterea admirabilior censenda est, quia in puritia, adolescentia, senectute, & decrepita eius ætate, inter labores, vigilias, ieiunia, abstinentias, innumerasque corporis macerationes, eundem pene viuendi modum seruauit. Pane tantum, & aquæ

*Abstinentia eius maxima.* potu semel in die post solis occasum se reficiebat. Ad panem, si quãdo corpore vires deficerent, adhibuit olera, & legumina, aut piscículos, aut eiusmodi obsonium, quo vesci in Quadragesima licet. Quadragesimalem autem hanc vitam vt fratres sui Ordinis omni tempore seruarent, quarto eos voto deuinxit. Castitatem perpetuo coluit, humi cubans, se noctu flagris verberabat, laneo rudique panno vestitus erat.

*Claret miraculis.* Eius porro sanctitatem miraculorum etiam magnitudine testatam Deus fieri voluit. Dæmones enim effugauit, cæcorum oculos, mutorum ora aperuit, morbos insanabiles curauit, mortuosque suscitauit. Quorum quidẽ miraculorum fama cum iam per totum fere orbem vagaretur, & ad aures fælicis recordationis Pauli 2. peruenisset, Cubicularium quendam suum ad bonæ memoriæ Pyrrhũ Archiepiscopui Cusentinum misit, mandauitque vt ipse super miraculis huiusmodi se diligenter informaret, ac deinde ipsum de veritate certiorẽ red-

*Habet spiritum prophetiæ.* deret. Qui quidem Archiepiscopus Pontificis mãdato parere desiderans, ac neminem habens qui talia melius quàm ipsemet Cubicularius explorare, fideliusque referre posset, eidem suasit, vt ipse cũ socio quem ei adiunxit, ad dictum beatum virum se conferret, ac de illius miraculis, & fama huiusmodi plenam informationem caperet. Cubicularius Archiepiscopi fretus cõsilio, hominem adiit, & cum inter salutandum dicti beati viri manũ osculari vellet, ille omnino renuit, eumque rogauit, vt sibi potius manum deosculandã porrigeret, asserés id multo iustius, & conuenientius fore, eo quod ipse Cubicularius 33. annos iam Presbyter esset.

Quod Cubicularius memoria repetens, vbi id verũ esse cognouit, miratus est hominis spiritum, & cum eo ad colloquium in cameram concessit, vbi cum primus sermo de tam ardua difficilique vita fuisset, vt eam nulli nisi robusto & valido tolerabilem fore Cubicularius asseueraret, beatus pater, audito

*Ardentes prunas illæsis manibus portat.* eius verbo, igni appropinquans, ardentes prunas absque læsione manibus arripiens dixit: Qui perfecto corde Domino seruiunt, omnia creata illis obtemperant. Exterritus ille eo miraculo veniam petiit. Cumque eius pedes humiliter osculari vellet, ipse beatus id recusauit. Olim etiam vir nobilis Iacobus de Iazsia Baro terræ Bellimontis, cum acerbissimo, atque grauissimo, & pene insanabili apostemate longo tempore in crure laborasset, insignesque medici & chirurgi in eo nihil proficerent quin vlcus illud ingraueſceret, omnibusque remediis adhibitis, iam in desperationem salutis res adducta esset, tandem dictus Iacobus fama sanctitatis & miraculorũ beati viri qui tunc Paulę degebat adductus, ad eum non sine magno labore accessit, illique plagam detexit, & se deuotissime commẽdauit. Primum si quidem ipsi beato & omnibus qui adstabant, vlcus graue & miserabile, ac pene insanabile visum est, illum tamen beatus admonuit, vt in Deo fidem firmam, & certam spem haberet, quia sanitatis gratiam consequeretur. Ac statim vnum ex suis fratribus misit, qui aliqua folia herbæ, quæ vngula caballina dicitur, & inibi nascitur, colligeret, & cum ipsis foliis certos pulueres quos in cella sua beatus ipse retinebat, sibi afferret. Dum frater ille mandata exequitur, beatus vir ad propinquam Crucifixi imaginem conuersus, orauit, vt Baroni in suæ diuinitatis gratia confidenti, misericordiam suam aperiret. Nec multo post foliis ac pulueribus huiusmodi sibi vt iusserat apportatis, facto signo Crucis, aliquantulum de suis pulueribus vlceri imposuit, illudque tribus ex foliis prædictis cooperuit, & omnia circumligauit, in Domino spem reponens, quod sanitatem recuperaret. Illi ergo benedicens, iussit vt ilico suam repeteret domum ad quartumdecimum

*Sanat vulnus incurabile.* fere lapidem inde distantem. Qui cum aliquandiu equitasset, ad vxorem suam Ioannam, quæ illum semper in eo itinere comitata fuerat, conuersus, mihi videtur, inquit, quod sum sanus, quia acerbũ illum dolorem, & pessimum fœtorem amplius non sentio. Et cum iam certum monticulum superasset, Iacobus auide cupiens intelligere an posset ambulare, ex equo descendens, propriis pedibus ambulare cœpit, & calce terram percutiens, nec aliquid doloris sentiens, se liberum, & sanum intellexit. Deo igitur, & beato Francisco de Paula gratias agentes coniuges, voti compotes ad propria rediere.

Dum quidam Antonius Architectus, ad domum Paterni fabricam accessisset, & beatus vir pro cibo illi ministrãdo, vt nonnullæ fabæ coquerẽtur, cuidam fratri iuniori inibi existenti mandasset, frater ille ollam cum fabis & aqua frigidis in coquina cineribus superposuit, obliusque ignem, quo culina carebat, foras discessit. Sed cum vir beatus, dictas fabas iam coctas esse credens, vna cum hospite in culinam venisset, nullusque ibi ignis adesset, dictus Antonius subrisit de dicti beati præcepto, & eius ferculo, quod nondum coqui cœpisset. Cui vir beatus ferculum paratum esse respondit,

*Insigne miraculum.* tetigitque manu ollam ipsam, quæ illico feruere visa est, statimque fabæ coctæ fuerunt, ita vt inde Antonius prandium sumere potuerit.



BIBLIOTH... UNIVERS...

Idem etiam beatus vir die quadam more solito A Missam audire cupiens, Ecclesiam ingressus est. Cumque tunc Ecclesiæ lampas accensa non esset, & aliqui ex his, qui ibi Missæ audiendæ causa aderant, ignem foras quæsitum iussent, illumque iam adferrent, vir beatus chordam lampadis accepit, vt eam deduceret. Illa verò in medio descensu, absque aliquo igne, miraculosè accensa effulsit, ex quo circumstantes candelas pro Missa tunc celebranda deuotissimè accenderunt.

*Lampas diuinitus accenditur.*

Dum Paulæ Ordinis sui Monasterium ædificaretur, & calx in fornace coqueretur, accidit, quod vel propter nimium ignem, vel aliam causam fornax ipsa ruinam minaretur. Tunc illius Magistri nullum penitus remedium adhibere scientes, ad beatum virum pro auxilio recurrerunt, eique periculum exposuerunt. Qui ait illis: Per charitatem, ad collationem seu prandium eatis, mihique curam fornacis relinquatis. Quibus discedentibus, ipse statim Crucis signo facto, intrepide dictam fornacem ardentem intrauit, ac illam solus reparauit, indeque illæsus & incolumis exiuit.

*In fornacem ardentem illæsus ingreditur.*

Cum à quodam fratre Antonio Ordinis Minorum professore, viro doctissimo, integerrimæque vitæ, idem beatus vir etiam in publicis prædicationibus carperetur, quod videlicet tam imprudens esset, vt simplex laicus, & literarum penitus ignarus, quibusdam herbis ægrotis salutem promitteret: accidit vt idem frater Antonius ab aliis dicti Ordinis Minorum fratribus ad eundem beatum missus fuerit, quatenus eum de præmissis redargueret. Qui cum ad eum veniisset, & magnis illum contumeliis affecisset, increpassetque eius ignorantiam & crassitudinem, vir Dei constantissimus, patientissimusque, tot conuitiis & iniuriis nullatenus fractus, ac nec commotus quidem fuit, sed foco appropinquans, ardentes titiones nudis manibus accepit, eosque strictè compressit, ac manifeste ostendit in Dei virtute omnia fieri posse. At ille prudentissimè conspiciens hominis simplicitatem & fidem, omniaque ab eo diuina gratia, & ardentissimo fieri spiritu, eius pedibus aduolutus, illosque arcte complectens, oscularique satagens, veniam ab ipso humillime postulauit; neque inde surrexit, donec ab eodem beato patre benediceretur. Quo factum est, vt qui antea in illum publicè maledicta plurima congesserat, proprium confessus errorem, beati viri sanctitatem dignis verisque postea laudibus merito efferret. Sed illud E non est omittendum, quod Siciliæ fretum strato super fluctibus pallio suo, in eo quasi pedibus nisus, cum socio transmisit, admirantibus nautis, à quibus in littore relictus erat, quia nihil habuerat, quod pro naulo solueret. Prophetico spiritu multa futura prænunciauit. His aliisque in vita & post obitum miraculis claruit; eamque ob rem Minimorum Ordo in Italia primùm, post in omnibus ferè Christiani orbis partibus est propagatus.

*A quodam Minorita cõtumeliis afficitur.*

*Ardentes titiones nudis manibus tenet.*

*Siciliæ fretũ strato super fluctibus pallio transmittit.*

Eius sanctitatis odor in omnem prope terram effusus cum esset, illius fama motus Gallorum Rex Ludouicus XI. à Sixto IV. Pontifice Maximo impetrauit, vt ad se in Galliam mitteretur, vbi singulari deuotione ab eo susceptus, atque in honore deinceps habitus, ipsi, fratribusque sedem prope ciuitatem Turonensem, & regium palatium assignauit, amplamque & magnificam domum cum Ecclesia, quæ in hanc vsque diem extat, construi fecit. Tantæ insuper continentiæ fuit, vt non carne, sed solo spiritu compactus videretur. Demum vir Dei sibi finem humanæ peregrinationis adesse cum intelligeret, pridie quàm ex hoc seculo abiret, ad Ecclesiam descendit, vbi in Missa conuentuali, multis sui Ordinis fratribus, qui ex diuersis regionibus conuenerant, præsentibus, profusa lacrymarum vi sacrum viaticum sumpsit. Postridie eos omnes salutaribus monitis cohortatus, mox ad mortis cogitationem pie intentus, Crucis imaginem sæpe amplexus, cum sæpe pronuntiasset, In manus tuas, &c. iunctis manibus, erectisque in cælum oculis, 91. annum agens apud Turones migrauit ad Dominum anno salutis millesimo quingentesimo septimo, die Parasceues, & hora qua ipse Saluator pro mundi redemptione in ligno Crucis spiritum emisit. Dies vndecim insepultus atque incorruptus ita permansit, vt suauis odor ex eo mirifice manaret. Post ipsius etiam obitum, multis eius suffragia deuote implorantibus, omnipotens Deus complures gratias elargiri, magnáque miracula passim operari dignatus est. Nam vt alia omittam, Rex Franciscus huius nominis primus, & Claudia eius vxor, filium habuerunt huius sancti intercessione, & eundem de sancti nomine Franciscum appellarunt. Multi etiam alij coniuges filios habuerunt, & impetrarunt à Deo huius sancti precibus & intercessione, cum iam putarent sibi remedium nullum superesse.

*In Galliam à Ludouico vndecimo regatus mittitur.*

*Tandem migrat in cælum.*

*Suauissimus odor ex eius corpore manat.*

*Regi Galliæ Francisco suis meritis & precibus impetrat prolem.*

Fuit autem vir sanctus ascriptus sanctorum Catalogo & canonizatus per Leonem decimum, cum maximo Reuerendissimorum Cardinalium, & perillustrium virorum applausu, posteaquam diligenter omnia ea quæ ad tantum negotium spectare viderentur, cõquisita fuerunt. Dixitque sanctissimus Pontifex Missam, & orationes de hoc sancto assignauit, ac tandem in fine suæ Bullæ addidit. Nullique hominum liceat hanc paginam nostrorum, processus, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraeuire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1519. Calendis Maij, Pontificatus nostri anno 7.

*A Leone X. in Sanctorum numerum refertur.*

## NOTÆ.

Franciscus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 2. Aprilis. Vitã eius ex Bulla Canonizationis refert Surius. Plura de eodem apud Haræum, & in Thesauro Conc. tom. 2. Nouissime quidam nomine Claudius Chappotus Institutoris Ordinis sui vitam prolixius Gallicè scripsit & reddidit. Fit præterea de ipso officium in Breuiariis Romano, Narbonensi, & Monastico.*

*Finis Sexti Libri.*



# DE VITIS PATRVM OCCIDENTIS.

## LIBER SEPTIMVS.

*Continens Sententias Sanctorum Patrum Occidentis.*

### DE HVMILITATE.

### CAPVT I.

VM quidam Prælati proficiscerentur ad quandam ciuitatem cum magna pompa, vt hæreticos possent confutare, occurrit eis sanctus Dominicus, qui dixit eis: Non sic fratres & patres procedere nos oportet, non sic armati contra gigantem hæresis prodire debemus: sed in funda & B lapide, nempe in simplicitate, & humilitate, in patientia, & exemplo austerioris vitæ hæreticorum exempla falsa & simulata retundere debemus. Hæc illi audientes, proiecerunt pompam suam, & humiles & discalceati & abiecti profecti sunt.

*Hæretica prauitas humilitate & vitæ austeritate superatur.*

Rogatus aliquando B. Franciscus quid de seipso sentiret, respondit. Videor, inquit, mihi maximus peccatorum. Cui cum diceretur ex aduerso, quod hoc non posset dicere sana conscientia, respondit. Imò verò, nam quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosequutus, quanta me, arbitror sanè quod multo gratior esset. Cum beatificaretur à pluribus, dicebat: C Filios & filias adhuc habere possum, nolite laudare tanquam securum: Nemo laudandus cuius incertus est exitus. Ad seipsum autem dicebat: Latroni si tanta contulisset altissimus, gratior te foret Francisce.

*Humilitas magna S. Francisci.*

Beatus Laurentius Iustinianus dicebat, veram scientiam esse, scire hæc duo: Deum esse omnia, & se nihil.

*Quanam sit vera scientia.*

Tempore B. Heriberti Colonien sis Archiepiscopi, cum magna siccitas simul & pestilentia grassarentur, indicto trium dierum ieiunio, ille etiam procedebat lacrymans & mœrens. Sed & columba visa est tertiò caput viri Dei circumuolitare, nec tamen vllum adhuc pluuiæ signum visum. Veni- D tur ad prandium, omnibus mirantibus, necdum propitiatum esse Deum, dignum æternitate verbum respondit. Vestri (inquit) Pastoris est culpa. Nisi enim Dominus meis esset iratus sceleribus, qui inter ipsum, & vos debebam stare medius, iam dirupisset cælum, & beneficium eius distillasset. Nec plura. Lacrymis victum caput super mensam declinauit in manibus, & oratione peracta, subito fragore, & coruscatione irruente, magna pluuiæ vis erupit. Abbas Eugendus sæpe discipulo suo dicere solebat, vtilius esse Abbati, propter iunio-

*Humilitas S. Heriberti Colon. Episcopi pluuiam impetrat.*

A rum ambitionem & superbiam, liberum à sacerdotio præesse fratribus. Nouimus namque (aiebat) præter hanc quam prædiximus causam, multos etiã patres, post humilitatis professa culmina, hoc officio grauius ac latentius superbisse.

*Multi ob adeptum sacerdotium superbi facti sunt.*

B. Seuerinus quondam Noricorum Apostolus, qui diu Eremiticam & Cœnobiticam vitam duxit, inter discipulos suos tres præcipuè valde superbos habebat. Quos dum in sua durare pernicie comprobasset, orauit vt eos Dominus in adoptionem filiorum recipiens, paterno dignaretur flagello corripere. Prius ergo quàm orationem effusis lacrymis terminaret, vno momento iidem Monachi dæmone arripiente, contumaciam suam, pectorisque fastum ac superbiam cordis miserabilibus vocibus confitebantur. Prædictos itaque Monachos vir Dei delegatos fratribus per dies 40. arduis abstinentiæ remediis mancipauit. Quibus expletis, data super eos oratione, à potestate dæmonis, & mentis fastu liberauit, & non solum corporis, sed & cordis sanitatem restituit.

*Orante S. Seuerino Noricorum Apostolo tres eius discipuli superbi arripiũtur à dæmone.*

*Eius precibus liberantur.*

Frater quidam à mercatore non paruo ære sibi cucullum comparauerat. Sed postea conquestus est beato Ioanni, mercatorem illum contra fidem datam intoleranda ipsum iniuria affecisse. Tum verò vir beatus, eius fastum & superbiam sanare volens, cum non esset nescius, quemadmodum rubigo ferrum, & tinea vestem corrumpit, ita superbia religiosam vastari humilitatem: manum suo pectori admouit, sicque locutus est. Nimij pretij est cucullus sex solidorum, vt illo tam putre cadauer obtegatur: his verbis fratrem cupiens prouocare, vt spreto superbo habitu, ipsius humilitatem imitaretur. Nam quidam multa instantia apud eum egerant, vt propter functionis suæ dignitatem pretiosis vteretur pellibus, sed ille modestissimè respondit: Agnorum pelliculæ abundè sufficiunt arcendo à nostris corporibus frigori: videlicet nolens eorum ineptis persuasionibus obsequi, qui iam in sui contemptu perseuerans, sæcularis pompæ fastum omnem protriuerat, & adulterantem superbiam eneruandi acceperat vires.

*Superbia pernicioſa Monacho.*

*Pompa vestiũ respuenda.*

Dicebat B. Ægidius, S. Fracisci discipulus: Si totius orbis homo sanctissimus se sentiat omniũ esse pessimum, iam planè humilis est. Dicebat etiam: Humilitas mihi fulminis instar esse videtur, quod ferit terribiliter, nec vlla eius post existunt vestigia. Ita & humilitas dissipat omne malum, & odit peccata omnia, efficitque vt homo sese nihili faciat. Humilitate, Dei conciliatur gratia, & pax cum proximis. Quemadmodum Rex præpotens, missurus filiam suam ad locum aliquem, non illam imponit equo fero, indomito, atque contumaci, sed benè manſue

*Humilitas fulmini comparatur.*

manſuefacto, & commodè gradienti, ita quoque Deus non mittit gratiam ſuam elatis, ſed manſuetis & humilibus.

Beatus Ludouicus filius Regis Siciliæ, ex Monacho Franciſcano, factus eſt Archiepiſcopus Tholozanus. Huic aliquando dixit quidam frater. O Domine tu valde honoras Ordinem tuum. Cui ille lacrymando reſpondit. Imò multum me honorauit Ordo tradendo mihi habitum.

*Necnon etiã torrenti.*

Beatus Laurentius qui fuit Patriarcha Venet. dicebat humilitatem eſſe torrenti ſimilem, qui æſtate quaſi tenuior ſerperet, in hyeme verò atque vere inundaret. Sic humilitas in proſperis quidem exigua, in aduerſis verò magna eſſe deberet.

Non ei placebant ampla ædificia in Monaſterio, & cùm videret latiores cellas, caput quaſſans dicebat: Non ſic patres noſtri, non ſic.

Dixit venerabilis Gerardus: Præ omnibus, & in omnibus ſtude te humiliare, ſpecialiter in corde, & etiam ab extra coram fratribus.

*Scientia ſcientiarum qua.*

Scientia ſcientiarum eſt, ſcire ſe nihil ſcire.

Quantò plus homo ſcit ſe diſtare à perfectione, iam appropinquat perfectioni.

Quamuis multis doctis doctior eſſet, non puduit eum à minoribus aliquid diſcere, vel quærere, ſciés ſcriptum, declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Vnde talibus valdè affabilem ſe præbuit & benignum, imò maluit potiùs ab alio conſilium petere, quàm in ſuo ſenſu ſolus abundare. Quia, dicebat, ſi puer aliquis me poſſet inſtruere ad ſciendam plenius Domini voluntatem, libentiùs eum vellem audire, quam nemine conſulto, ex me ipſo aliquid noui attentare.

*Nihil ſine conſilio faciendum.*

Seruus Dei Florentius quendam fratrem ad virtutes exhortans, inter cætera dixit ei. Suadeo tibi vt ante omnia humilies te ſub omnibus, corde, verbis, & operibus, & ſufficit tibi. Cogita indeſinenter ſecundum beatum Bernardum ad fratres de Montedei, vbique ſolem lucere niſi in conſcientia tua, vbique ſerenum eſſe niſi apud te. Et hoc fit per aſſiduam aſſuefactionem, inſpiciendo propriam vilitatem corporis & animæ, non reſpiciendo defectus aliorum aut excuſando. Maximè quando corripis aliquem, tunc caue tibi ab intra ne te eleues. Beatus Hieronymus ſuper Marcum dicit: Cæcus à Domino illuminatus, vidit homines tanquam arbores ambulantes, ſic dicit quod peccator æſtimabit omnes homines ſupra ſe. Sic & tu vide omnes fratres tanquam arbores coram te.

*Riſus inter faciendum opus humile, eſt ſignum ſuperbiæ.*

Dixit idem. Si facis opus humile & vile in præſentia hominum, noli ridere. Si rides ſuperbis, quaſi hoc opus ad te non pertineat.

Idem dixit. Maria reputabat ſe indignam ſalutatione Angelica, & repleta Spiritu ſancto, aſcendit citò ad montana, & feruiebat Elizabeth.

*Humilitas Dei genitricis.*

Dixit idem. Merito deberet ſe homo ſub omnibus conuerſis humiliare, quantumcumque etiam nouis, quia neſcit quantam gratiam ſibi dederit Deus.

Nunquam poteſt aliquis venire ad veram humilitatem, niſi contemnatur ab aliis, & in nullo curetur.

Quotieſcumque homo loquitur cum hominibus debet pro poſſe ſuadere eis humilia.

Melius eſſet conculcari ſub pedibus, quam laudibus aliorum conſentire.

Omnia exercitia & ſtudia ſua debet homo dirigere, vt paſſiones & defectus ſuos ſuperet, quia alias parum proficit.

Quamuis pauper es in virtutibus & debilis, non debes tamen te deiicere, ſed magis humiliare, & cogitare quia non habeo magna. Volo iſtud paruũ Deo offerre quod habeo, ſicut Maria obtulit par turturum, & non agnum.

*Etiam parua noſtra Deo offerre debemus.*

Dixit idem. Tunc diabolus in veritate fugit à nobis, quando perſpexerit nos humiles & vnicordes, quia ipſe pater eſt ſuperbiæ & diſcordiæ.

Quicquid boni ſeruus Chriſti facit, nunquam ſit ſecurus, ſed timeat ſemper de ſeipſo, ne fortè reprobus inueniatur coram Domino noſtro Ieſu Chriſto. Et præ omnibus debet niti, vt omnes homines reputet ſanctiores, & meliores ſe.

*Semper in timore & tremore ſtandum.*

Optans in humilitate proficere ſæpè debet ſibi dura & deſpecta proponere, & ſemetipſum arguere, iudicare, & condemnare, & ſecretis cogitationibus ſuam vilitatem conſiderare, vt adueniente humiliatione, ſciat patienter contemptum pati.

*In humilitate cupiens quis proficere, quid agere debeat.*

## NOTÆ.

Cum quidam Prælati, &c.] *S. Dominici vita copiosè ſcripta eſt à Leandro viro doctiſſimo, quæ extat apud Surium tomo 4. vbi hæc quæ ſuprà diximus, & quæ infrà dicemus, reperiuntur.*

Rogatus aliquando B. Franciſcus, &c.] *Eius vitam ſcripſit S. Bonauentura, quæ extat apud Surium tom. 5. Eam etiam copiosè deſcripſimus ſuprà lib. 5. ſed eius ſententias prætermiſimus, vt hic eas apponeremus.*

Beatus Laurentius, &c.] *Eius vitam & ſententias prolixiùs ſcripſit Moſander tom. 7. Surij.*

Tempore B. Heriberti.] *Fuit Archiepiſcopus Colonienſis, trucidatus ob defenſionem Eccleſiaſticæ libertatis, cuius vitam prolixius habet Surius tom. 2.*

B. Seuerinus, &c.] *Compendiosè eius vitam ſuprà lib. 2. reddidimus, quatenus hic & alibi de ipſo plura poſſemus ſcribere. Eius vitam habet Sur. tom. 1. 6. Ianuarij.*

Conqueſtus eſt beato Ioanni.] *Fuit Prior Monaſterij Bridlingtoniæ Canonicorum Regularium in Anglia, cuius vita extat apud Surium auctum, & nouiter Coloniæ impreſſum 10. Octob. Floruitque anno Domini 1350.*

Dixit venerabilis Gerardus.] *Fuit etiam Ordinis Canonicorum Regul. cuius vita reperitur inter opera. Thomæ à Kempis.*

Dicebat B. Ægidius.] *Iacobus Moſander tomo 6. Surij eius vitam prolixius deſcriptam habet.*

Beatus Ludouicus.] *Fuit filius Caroli Regis Siciliæ, & Mariæ filiæ Regis Hungariæ, cuius vitam habet Surius tomo 4.*

## DE CHARITATE ET misericordia.

### CAP. II.

QVÆDAM vidua occurrit aliquando B. Adalberto petens eleemoſynam. Qui reſpondit ei. Mecum nihil hic habeo, cras veni ad ciuitatem. Sed cum dimiſſa muliere, cœpto itineri inſiſteret, meliore tactus cogitatione: Voca mulierem (inquit ſeruo,) nam quis ſcit, ſi vſque manè viuam? Itaque hodie compleat acceptio datum, ne ego iudicium, illa ſentiat damnum. Et data cappa, qua amictus erat, reliquit exemplum bonum.

*S. Adalberti egregia ſententia.*

*Pauperi mulieri dat pallium ſuum.*

Abbas Vrinualocus etiamnum puer, magna commi



*S. Vrinualocus adhuc puer pauperibus valde eleemoſynatus.*

commiſeratione erga miſeros & inopes afficiebatur. Et cum videret ſtipem publicè emendicantes, non rarò ab imo pectore ductis ſuſpiriis, lacrymas fundebat. Cumque non ſuppeteret, quo eorum poſſet leuare inopiam, ſolebat eos cæleſtibus fouere conſolationibus, vt qui corporibus non poſſet, ſaltem animis aliquod adhiberet leuamen.

Quidam interrogauit beatum Nilum dicens. Pater, quare dicit Euangelium, quod quicumque paruum calicem aquæ frigidæ dederit, non amittet mercedem ſuam? Reſpondit illi. Propter hoc dictum eſt illis qui nihil habent, vt nullus excuſetur, quod nec habeo ligna quibus calefaciã aquam. Quid verò facietis vos, qui pauperibus frigidum calicem aufertis?

*Nullus excuſatur ab operibus miſericordiæ.*

Miſit aliquando S. Seuerinus ad Reginã Giſam, vt liberaret quoſdam captiuos quos ipſa detinebat. Quæ facibus furoris exæſtuans, mandata iuſſit reportari aſperrima. Ora tibi, inquiens, vir Dei, intra cellam tuam deliteſcens, liceat nobis de ſeruis noſtris ordinare quod volumus. Audiens hæc homo Dei, confido, ait, in Domino meo Ieſu Chriſto, quia neceſſitate cogatur explere, quod praua deſpexit voluntate. Et continuo velox ſecuta correptio proſtrauit animum arrogãtis. Quoſdam enim artifices barbatos pro fabricandis regalibus ornamentis clauſerat arcta cuſtodia. Ad hos filius eius admodum paruulus nomine Fridericus, eodem die quo Regina virum Dei contempſerat, puerili leuitate concitus introiuit. Tunc artifices pectori infantis gladium impoſuere, dicentes, quod ſi quis ad eos abſque iuramenti præſidio ingredi conaretur, moreretur, paruulumque regium primitus transfigentes, ſemetipſos poſtea trucidarent: quippe cùm nullam ſpem vitæ ſibi promitterent, macerati diuturnis ergaſtulis. His auditis Regina crudelis & impia, veſtibus præ dolore conſciſſis talia clamitabat. O ſerue Dei Seuerine, ſic illatæ vindicantur iniuriæ? Hanc mei contemptus vltionem effuſis precibus poſtulaſti, vt in mea viſcera vindicares? Itaque multiplici contritione, ac miſerabili lamentatione diſcurrens, fatebatur ſe pro ſcelere contemptus, quod in ſeruum Dei commiſerat, plagæ præſentis vltione percelli. Cõfeſtimque directis equitibus, veniam petens, Romanos, pro quibus rogantem contempſerat, tranſmiſit, & abiens ad ergaſtulum vbi aurifices operabantur, dato eis ſacramento euadendi mortem, ſoſpitem ſuum recepit infantem. His auditis B. Seuerinus, gratias creatori referebat immenſas.

*Giſa Regina crudelis & ſuperba, contemnit preces S. Seuerini.*

*Pœnas luit contemptus.*

B. Paula cum eſſet profuſior, eam B. Hieronymus admonebat, proferens illud de Apoſtolo: Non vt aliis ſit refrigerium, vobis autem tribulatio. Cui illa. Ego ſi petiero, multos inueniam, qui mihi tribuant. Iſte mendicus, ſi à me non acceperit, quæ ei poſſum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur?

*2. Cor. 8. S. Paulæ egregia ſententia.*

Beatus Hugo ex Monacho Carthuſiano ſolitario, factus eſt Epiſcopus Lincolnienſis. Hic habuit magnam ſolicitudinem ſepeliendi mortuos. Spreuit Prælatorum Regumque conuiuia, nec corpori pepercit, nec vitæ, quando funus aliquod non ſepultum didicit. Quandoque famuli Regis, ad eũ venientes, Dominus Rex, aiebant, iam vltra horam ieiunus præſtolatur, cur non venis? Quibus ille ait: Satius eſt terrenum Regem abſque me prãdere, quàm mandatum æterni Regis ab humilitate mea negligi. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei qui in cælis eſt.

*S. Hugo Epiſcopus Lincolnienſis vacat ſepulturæ mortuorum.*

Cùm aliquando eſſet in itinere, obuiam habuit turbam magnam hominum, furem quendam ducentium ad patibulum. Intelligens autem fur ille quòd Epiſcopus eſſet, petiuit vt pro benedictione conſequenda propiùs adduceretur. Adductus verò, traxit ductores ſuos violentia qua potuit, donec frenum Epiſcopi manibus contingeret. Tum verò obſecrauit eum, vt pro ſolita clementia, in tam extrema neceſſitate ipſi ſuccurreret, & à morte imminente liberaret. Paueſcente Epiſcopo & mirante, quid ſibi clamor iſte, populique tumultus vellet: reſponſum eſt ei furem ad ſuſpendium trahi. Commotus vir pius ad miſericordiam dixit: Soluite eum, & ſinite abire. Vbi enim Epiſcopus cum fidelium populo congregatus eſt, ibi eſt Eccleſia. Nec minor immunitas debetur lapidibus viuis, quàm mortuis. Quo audito liberè eum abire permiſerunt.

*Liberat furẽ à ſuſpendio.*

Beatus Dominicus ſemel interrogatus à quodã, in quo libro ſtuduiſſet tam præclara, tam copioſa quæ prædicabat, reſpondit: In libro charitatis, qui de omnibus pleniſſimè docet.

Dicebat beata Clara de Montefalconis, quòd charitas eſſet vita animæ, & quòd mori millies in die pro Deo, eſſet vita vera, & fælicitas æterna. Quodam ieiunij tempore, cùm multa eſſet piſcium penuria, procurator S. Otthonis Epiſcopi Bambergenſis, Lucium non magnum duobus ſolidis emit, & viro Dei appoſuit. Cui Epiſcopus. Quãti (inquit) emiſti eum? Reſpondit, duobus ſolidis. Tunc Epiſcopus: Abſit, vt miſer Ottho ſolus hodie tot nummos abſumat, leuanſque diſcum; ferto, ait, piſcem hunc ſicubi noſti hominem morbo decumbere. Ego qui robuſtus ſum, hoc me pane facilè refecero.

*Charitas eſt vita animæ.*

*S. Otthonis Epiſc. abſtinentia, & benignitas in pauperes.*

Sæpe cum B. Laurentius Iuſtinianus domi nihil reliquiſſet, inſuper & mutuo accepiſſet vt daret pauperibus, & procurator eum rogaret qua ſpe hoc faceret, reſpondebat: Spe Domini mei Ieſu Chriſti, is enim pro me facilè diſſoluere poterit. Nec ſpes illum fefellit. Nam continuò ſubmittebat illi Dominus pecuniam inſperato multis de locis. Idem dicere ſolebat, diuitem non poſſe ſaluari niſi per eleemoſynam.

Pater S. Brigiddæ indignatus quod illa auferret, quicquid poterat, vt pauperibus ſubueniret, obtulit eam Regi emendam. Qui cùm dixiſſet ei, cur tuliſſet gladium patris ſui, & eum pauperi dediſſet, reſpondit Brigidda. Quin verò ego eum Chriſto dedi, & certè ſi te, & Dominum meum Regem, & parentem meum, Deus à me peteret, modo poſſem, ambos vos cum omnibus facultatibus veſtris, illi darem. Quibus auditis, Rex ait patri ſuo: Filia tua, vt video, longè maior eſt, quam quæ abs te vendi, vel à me emi debeat.

*S. Brigidda gladium patrio ſui dat pauperi.*

*Eius ſententia egregia.*

Beatus Richardus Ciſceſtrẽſis Epiſcopus multas eleemoſynas faciebat. Cui cùm frater ipſius diceret, in tanta pauperum multitudine, prouentus eius nequaquam ſufficere, vir Dei reſpondit. Itane rectæ tationi conſentaneum tibi videtur mi frater, vt nos in vaſis aureis, & argenteis, edamus & bibamus, & Chriſtus in pauperibus ſuis fame crucietur? Sed & equus quo vehor, magni pretij eſt, vendatur obſecro etiam ille, & illo pretio alantur pauperes.

*S. Richardi Epiſcopi liberalitas in pauperes.*

Dixit venerabilis Gerardus. Tibi victum & veſtitum frugaliter tribue, deinde magis indigẽtibus, & melioribus, & magis pro ſalute animarum. Nulli non indigenti aliquid notabile tribuas vnquã, quia indigentes plurimos inuenies. Et ſi abundanti tribueres, fideliter non diſpenſares, nec prudenter, ad

tuam ſalutem. Ité ne carnaliter in dando afficiaris. A benè oculos apertos in me habuiſti, cùm plus deſidiosè & negligenter quam expedit viuam.

*Amor Dei qualiter acquiri poſſit.* Dicebat B. Franciſcus, amorem Dei per eleemoſynas mercari, & hunc cenſum offerre, nobilé prodigalitatem eſſe, & eos qui minus Dei amoré, quàm denarios reputabant, omnium eſſe ſtultiſſimos.

B. Edmundus qui fuit Archiepiſc. Cantuarienſis, pauperibus ſtudioſis libros ſuos dare conſueuerat. Mirantibus hoc cæteris, & vni ex eis cauſam ſciſcitanti, & ſtultitiam obiicienti, reſpondit. Quo plura

*S. Edmundi pulchra ſententia.* nouimus, eo quoque plura facere debemus. Ego verò hos codices diſtrahens parum feci, minuſque quàm debui. Cùm enim dicat Chriſtus: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus: ego qui multa retineo, pauca largitus ſum, puſillanimitatis potiùs quam prodigalitatis argui deberem.

*B. Iordanes cuidam petēti dat tunicā ſuam.* B. Iordanes cuidam petenti, egenum ac debilem ſe ſimulanti, dedit tunicam ſuam. Qua is accepta, ad tabernam meritoriam diuertens, eam vendidit, & in epulis pretium conſumpſit. Frater quidā hoc videns Iordani dixit: Ecce pater, cui veſtem tribuiſti, iam is in taberna meritoria eam liguriuit. Ad quem venerandus pater: Malo me amiſiſſe tunicā, quàm pietatem. Quod enim egi id pietas ſuaſit, putans eum illa indigere, cum crediderim illum inopem, & ægrotum, quapropter eius miſeriæ, & inopiæ occurrere volebam.

### NOTÆ.

Vidua occurrit B. Adalberto.] *Hic vir ſanctus fuit Monachus & Epiſcopus Pragenſis, qui & glorioſum martyrium paſſus eſt, cuius vitam habet Surius tom. 2. 23. Aprilis.* C

Abbas Vuinuualocus.] *Eius vitam ſupra lib. 2. compendioſè deſcripſimus, quæ verò omiſimus hic, alibi reſtituemus.*

Miſit aliquando S. Seuerinus.] *Eſt ille Noricorum Apoſtolus.*

Quidam interrogauit B. Nilum.] *Fuit iſte natione Græcus, ſed poſtmodum veniens in Italiam factus eſt Abbas Monaſterij Cryptæ ferratæ, de quo plura ſcribit Baronius tom. 9. ad annum 976.*

B. Paula.] *Cuius vitam ſcripſit S. Hieronymus, quam refert Surius tom. 1. 26. Ianuarij. Extat etiam apud Heribertum Roſweidum, in Vitis Patrum Occidentis lib. 1.* D

B. Hugo.] *Hic fuit Lincolniēſis in Anglia Epiſcopus, cuius vitam habet Surius tom. 3.*

Clara de Montefalconis.] *Hæc fuit ſanctimonialis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, quæ tantopere extitit deuota erga paſſionem Chriſti, quod ea defuncta, in eius corde Crucifixi imago clara & aperta viſa eſt, cum ipſius paſſionis inſignibus, in quo tres lapilli eiuſdem ponderis reperti ſunt. Hæc Philippus Bergom. in ſupplem. ad annum 1299. Porrò Albertus Crantzius hæc de eadē ſcribit lib. 8. Metropolis cap. 55. De cuius, inquit, ſanctitatis præconio, hoc vnum referemus teſtimonium, quod apertis oculis hodie conſpici poteſt, quodque de nullo Sanctorum aliàs lectum eſt.* E

Procurator S. Otthonis.] *Cuius vitam habet Surius tom. 4. 2. Iulij.*

Pater S. Brigiddæ.] *Eius res geſtas fuſius deſcripſit Surius tom. 1. Februarij 1.*

Richardus Ciceſtrenſis.] *Cuius vitam videre poteris apud Surium tom. 2. 3. Aprilis.*

## DE PATIENTIA.

### Cap. III.

*S. Domitianus iniuriis laceſſitus patienter reſpondet.* QVIDAM hæreticus Arrianus incitatus à diabolo, Abbatem Domitianum appellauit mimum. Cui patientiſſimè reſpondens dixit. O quam

*B. Fulgentius ab Arrianis verberibus cæſus vindicari recuſat.* Beatus Fulgentius, aliquando ab Arrianis grauiter verberatus, & flagellis cæſus eſt. Quem cum quidam Arrianorum Epiſcopus, qui eum adhuc laicum ſingulariter dilexerat, vindicare pararet, & multi hoc illi ſuaderent: reſpondit vir ſanctus. Nequaquam, multos paruulos ſcandalizare poterit, ſi Epiſcopi Arriani iudicium, qualiſcumque peccator, tamen Catholicus, & Monachus quæram.

*Eius patiētia in infirmitatibus.* Idem cum grauiter ægrotaret, hoc ſolū dicebat: Domine da hic patientiam, & poſtea indulgētiam.

*S. Hermelādi patientia.* Sedebat aliquando B. Hermelandus Abbas ſub quadam arbore, legebatque ſolito attentius. Interim erucæ illam arborem depaſcentes, in librum B ipſius identidem decidebant, legentemque interturbabant. At ille vt erat mitiſſimus, patientiſſimè id perferebat. Porrò frater quidam id animaduertens, cœpit eas conterere pedibus, ſed vir Domini eum prohibebat ne id faceret, ita dicens: Noli frater quæ diuino accidunt iudicio velle auertere. Verùm omnipotens Deus vt ſancti viri patientiam præclarè remuneraretur, erucas omnes quæ iam diu arborem illam vaſtabant vſque adeò nocte illa profligauit, vt ne vna quidem ſupereſſet.

*De nulla neceſſitate vel tribulatione conquerendā docet S. Guillelmus Eremita.* Beatus Guillelmus Eremita, quondā Dux Aquitaniæ, & Comes Pictauienſis, monebat de nulla neceſſitate, tribulatione, aut iniuria conquerendū, C ſeu murmurationis notam aliquatenus incurrendā, ſed quicquid acciderit ferendum æquanimiter, & in omnibus diuinæ largitati, cuius xenia ſunt, gratias agendas.

*Patientia S. Adhelardi in exilio.* Poſtquam Abbas Adhelardus iniuſtiſſimè in exilium pulſus fuit, inter reliqua patientiæ ſuæ verba, de ſuo querenti exulatu, aiebat, quium ſe velle imitari ſimplicitatis exemplum, & inſtar leporis, mutationem loci non curare. Quis enim, dicebat, propter *Eius ſententia egregia.* aliorum indumentum, ſuo ſine inuidiæ zelo nudatur vellere, & de ſui indumenti exuuiis, alterius fouetur nuditas. Ita ſiquidem & in me aliquod ſi eſt vtilitatis prudens opus, velim vt quilibet id gratis ſine meo percipiat quæſtu. Atque ita ſi fuero huc D illucque pro inſidiantis impulſu, more leporis fugatus, neque locum quietis cui dudum prorſus inſederam, cum mœrore relinquo, neque ad quem propellor, cum amore teneo.

Cum beatus Hugo priuſquam eſſet Epiſcopus Lincolnienſis, perrexiſſet ad fratres Victamij Monaſterij Ordinis ſui, reperit eos valde eſſe paupere. Quos blandè conſolatus eſt dicens. Oportet chariſſimi, vt in neceſſitatibus quotidianis patientes ſimus. Procūldubio enim perfectio quam profeſſi ſumus maximè id requirit, vt memores ſimus, & reipſa præſtemus illud quod Dominus ait: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, & quod beatiſſimus Paulus ait: In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia. E Multa verò patientia in eo lucet ſi multa contraria ſiue aduerſa, in multa lenitate perferat longanimitas multa. Patientia enim ſine longanimitate, non *Patientia cū lōganimitate continuanda. Modeſtiſſimè fert iniurias B. Ioannes.* multa, ſed curta erit. Abſque lenitate verò prorſus nulla erit.

Cum aliquando B. Ioannes qui fuit Canonicus Regularis, cum quibuſdam familiariter colloqueretur, quidam frater magno furore cōmotus, multa in eum conuicia contumelioſè iactitabat, minis & clamoribus id ſe effecturum ſperans, vt ira permoueretur. At ille fellis expers, ne verbum quidem ei reſpondit. Id cernens quidam præ cæteris viro Dei familiarior. Cur tam, inquit, atrocia

huius



huius hominis dicta perfers, cum verbo vno edi- A *ciſci, cuius vitam prolixius ſcriptam habet Iacobus Moſander Carth. in Epitome Surij 2. Aprilis.*

*Elegans ſimile.* cere poſſis, vt redeat ad cubiculum ſuum? Ei vir beatus ſic reſpondit. Si flamma vorax ædificij tecta lambens, in ſublime feratur, num tu conſultè facturum putabis eum qui plus etiam materiæ in flammam iniicere velit? Frater iſte ad præſens magno ardet furoris æſtu, cui ſi ego comminationum faculas admouere velim, furor eius magis magiſque inflammabitur, atque ita fiet vt in rectam viam placidè & amanter reuocari non poſſit. Sed vbi hæc flamma deferbuerit, tum demum ad

*1. Reg. 16.* opportuna remedia animo deliberato accedemus. His dictis, nihil commotus abſceſſit, cum Dauide ſacræ Scripturæ pulſans citharam, atque ita Saulis inſaniam temperans.

B Tranſiens aliquando B. Franciſcus per quandam ſyluam, tentus eſt à latronibus, qui interrogauerūt eum quis eſſet. Quibus ille ait. Ego ſum præco magni Regis. At illi exiſtimantes quod de terreno Rege loqueretur, eum grauiter verberarunt; quam ille iniuriam patientiſſimè tulit.

Dicebat B. Thomas quòd paupertas impatientis Monachi eſſet inutilis expenſa.

*Aduerſa omnia ſalutis cauſa perferenda.* Cum familiares beati Edmundi lugerēt & mœrerent ob illatas ipſi iniurias, obiurgabat eos dicēs. Sicut mater ægrotanti filio ſolet amarum offerre poculum, & iubere vti ſalutis cauſa illud ebibat, ita nos aduerſa omnia ſalutis cauſa perferre debemus, atque cum Præcurſore Domini, in deſerto C mundi huius comedere mel ſylueſtre.

*Mundi Dominus efficitur, qui propter Deū patitur aduerſa.* Dicebat B. Ægidius. Quiſquis Dei cauſa, æquo animo libens patitur aduerſa: is citò magnam obtinebit gratiam, & mundi huius Dominus fiet, pedemque alterum in alio defiget ſeculo. Non mireris ſi interdum proximus te perturbat. Nam & Martha alioqui bona, voluit Dominum aduerſus ſororem commouere, immerito de illa conquerēs.

Dixit idem. Quicquid homo vel boni, vel mali facit, ſibiipſi id facit. Non debes igitur ira permoueri, ſi qua tibi ab aliquo irrogatur iniuria. Si quis malè de te loquatur, tu illi fer ſuppetias, ſi quis benè, in Deum id refundas. Cùm aliquis tecum iurgatur, ſi vis victor abire, cedas illi. D

Dixit venerabilis Gerardus. Pro nulla re mundi debet homo turbari.

*Parua cōfuſio patienter tolerata æternam confuſionem delet.* Idem dixit. Modica confuſio hic perpeſſa, delet æternā confuſionem corā Deo, & omnibus ſanctis.

### NOTÆ.

Abbatem Domitianum appellauit, &c.] *Vitam S. Domitiani hactenus incognitam, & numquam typis excuſam, ſupra lib. 4. deſcripſimus.*

Beatus Fulgentius.] *Hic ex Monacho factus eſt Ruſpenſis Epiſcopus, cuius egregia ſcripta extant. Vitam eius habet Surius tom. 1. 1. Ianuarij.*

Beatus Guillelmus Eremita.] *Aliàs Vvillelmus dicitur, cuius vitam ſupra lib. 3. deſcripſimus, ſed eius ſententias de induſtria omiſimus, vt hic eas reponeremus. Obiit anno Domini 1156. 4. Idus Februarij, cuius vitam ſcripſit Theobaldus Epiſcopus, quæ extat apud Surium tom. 1.* E

Abbas Adhelardus.] *Vulgò dicitur* S. Alard, *fuitque Abbas Corbienſis in Gallia, cuius vitam habet Surius tom. 1. Fuit conſobrinus Caroli Magni Imperat.*

Dicebat beatus Thomas.] *Eſt ille Angelicus doctor Ordinis Prædicat. cuius vita licet prolixius ſcripta habeatur apud Surium tom. 2. verumtamen eius ſententiæ ipſi non habentur. Eas autem collegimus ex Ribadeneira.*

Dicebat B. Ægidius.] *Fuit iſte ſocius Sancti Fran-*

## DE ORATIONE.

### Cap. IV.

*S. Hermelandi munditia quanta.* QVADAM nocte beato Hermelādo in Antrigine Inſula (vbi tempore Quadrageſimæ corpuſculum rigida abſtinentia conficiebat) ambulante, via cui inſiſtebat, reliquo pauimento candidior viſa eſt: atque adeo locus ille in quo fixus in oratione permanere conſueuerat, tali eſt cando- re conſpicuus, vt vſque in præſens, quotquot ad B eum accedunt perſpicuè intelligant, quanta eius pectus munditia & candore nituerit.

*Orationes ea virtute præditæ prolatæ per eos qui vigoris earū ſunt expertes, vti per eos, qui eas nō intelligunt.* Interrogatus aliquando beatus Iordanus à quodam fratre, eſſentne ea virtute deprecationes præditæ prolatæ per eos qui vigoris earum ſunt expertes, vti per eos qui eas non intelligunt, reſpondit. Tanta virtute tantoque pretio dignus eſt pretioſus lapillus in manu pretioſitatem illius ignorantis, quam in manu non ignorantis.

*Vt ſe geſſerit S. Adhelardus in recitatione diuini officij.* Sanctus Adelhardus ſi ad Dei intraſſet officium (vt ipſe iucundo animo ſolitus erat dicere,) mox omnes cogitationes, & cauſas rerum temporalium ante oſtium reponebat, & ſecum totus C ingrediebatur, vt totus Deo, ac ſibi adeſſet.

*S. Vvinuualocus locus quotidie pſalterium recitat.* Abbas Vvinualocus cùm pſalmodiæ eſſet intentus, aut extenſis in cælum manibus, aut flexis in terram genibus, aut vno aliquo in loco fixus & immotus pſallebat. Quotidie pſalterium dicere ſolebat, centies interdiu, & centies noctu flectebat genua. A viceſimo ætatis ſuæ anno, ad ſupremum vſque vitæ diem, nunquam viſus eſt in templo ſedere.

Quando beatus Abbas Stephanus pergebat ad orationem vel pſalmodiam, dicebat cogitationibus ſuis. Manete hic poſt ianuam cogitationes, quoadusque diuinum perſoluero officium, poſtea ſi neceſſe fuerit, vos reaſſumam.

*Non ceſſandū à precibus, etiam ſi conſolatio non ſentiatur.* Dicebat B. Ægidius, ſi gratiam in precibus ſen- D tis, ora, ſi non ſentis, non ceſſes à precibus. Gratos enim Deus habuit etiam caprarum pilos, qui ei offerebantur.

*Dæmones quare tā infeſti orantibus.* Percunctanti aliquando fratri, cur infeſtæ magis ſint tentationes orantibus, quam aliàs, ſic reſpondit. Si quis litem alicui intendat coram iudice, modis omnibus is in quem lis infertur in eam curam incumbit ne contra ipſum ſententia feratur. Ita & dæmones faciunt. Si loquaris cum hominibus, non valdè te ſentis grauari ab illis. Si autem ad deprecandum te conferas, animæ tuæ ſalutem curaturus, multa illorum experieris tela ignita in te coniici: nec tamen debes ea cauſa preces intermittere, ſed in iis conſtanter perſeuerare. E Frater quidam timens ne poſſint tot orationibus, & deprecationibus factis à fratribus, eleemoſynæ quibus viuebant, perſolui, aliquando B. Iordano ſuam narrās opinionem, efflagitabat ſe ad plenum de his inſtrui. Cui venerabilis pater reſpondit. Cùm *Spiritualia reſpectu temporaliū, pretij ſunt inæſtimabilia.* ſint ſpiritualia pretij inæſtimabilis reſpectu temporalium: conſtat illa in infinitum hæc præcellere, & eſſe incomparabiliter meliora. Vnde te ſcire volo, & hoc inconcuſsè tenere, quòd ſi pro omnibus eleemoſynis quas comediſti, dixiſti ſemel orationem Dominicam deuotè, ad plenum perſoluiſti.

Dicebat B. Thomas Aquinas, animam ſine oratione eſſe ſimilem militi nudo, qui præliatur ſine

*Anima sine oratione, comparatur militi nudo.*

armis. Quæsiuit aliquando à beato Iordane quidã frater, vtrum vtilius foret sibi semper orationibus insistere, an scripturarum se studiis occupare. Qui ait: Quid melius est, semper bibere, an semper comedere? Sicut igitur ista competit alternatim fieri, sic & illa.

*Quid ad orãd. sit salubrius.*

Alius rogauit eum, vt ostenderet quid orandum sibi melius expediret. Cui dixit. Bone frater, quicquid maiorem tibi ingenerat deuotionem, huic insistere non omittas. Nam ad orandum id salubrius tibi erit, quod affectum tuum fructuosius irrigabit.

Dicebat B. Ægidius. Si pudibunda & simplex fœmina filium haberet vnicum, & imprimis charũ, isque iussu Regis, ob aliquam culpam captus, ad suspendium duceretur, sciretque illa fœmina, se eum precibus suis posse à præsenti periculo liberare, iãiam quantũuis verecunda & simplex, nudo capite, & sparsa capillo, ad Regẽ properaret, peteretque sibi donari filium suũ. Ita sanè precari facilè discet, quis peccatorum suorum pericula benè agnoscit.

*Peccatorum pericula agno scens precari facilè discit.*

Rogabat aliquando B. Ægidium quidam secularis, vt pro ipso orare dignaretur. Cui ille respõdit. Imò, ait, tu frater ora pro teipso. Si enim Rex alicui largitione facta, pecunias per plateas spargeret, quas qui colligere vellet, possideret: an tu alios rogares, vt pro te colligerent, & non potius ipse velociter curreres, & colligeres? Fac idem pro Dei gratia, quæ omnibus eam expectantibus exposita est, quod pro pecunia colligenda facere velles. Non est quòd apponas igni ollam tuã, sperans te à proximo tuo quod coquas accepturum. Domi habere debes quod infundas. Melior est paruus ager proprio labore excultus, quam tota vicinia aliena vtcumque locupletissima.

*Nota egregiã sententiam.*

*Item & aliã B. Laurentij Iustiniani.*

Missam quotidie celebrabat B. Laurentius Iustinianus nisi valetudine impediretur. Dicebatque, qui cùm posset Domino suo frui, non frueretur, facilè se declarare, Domini sui curam non habere.

*Princeps bonus pulchrè comparatur capiti,*

Bonum Principem assimilabat capiti. Quia sicut caput & lingua implorant auxiliũ pro reliquo corpore se non mouente: ita Principis oratio potest placare Deum, quamuis populus aliis intendat. Quidã frater conquerebatur B. Ægidio quòd adeò compelleretur externis vacare laboribus, vt vix posset persoluere preces suas, dicebatq; se propterea velle petere Eremitorium, vt posset illic Domino in pace & tranquillitate seruire. Respondit ei Ægidius. Si eas ad Francorum Regem, dicasque ei vt numeret tibi mille argenteas libras, putasne iure illum dicturum tibi, te quibusdam agitari furiis, talia ab ipso petentem, cùm nullam sibi nauaueris operam? Si verò magnos quosdam & arduos eius causa exantlaris labores, qui tali sunt præmio digni: fidenter iam & meritò tantam pecuniæ vim ab eo possis exigere. Si vis igitur in precibus tuis auditi à Deo, primùm illius causa tibi laborandum erit. Longè autem plus meriti habet vnum opus bonum, pro alterius factum voluntate, quam duo pro propria. Si quis tibi restituat manus, oculos, aut alia quibus orbatus sis membra, cupidè sanè illi tota vita tua inseruies: ne eius beneficiis ingratus habeatis. Et ecce præpotens Deus dedit nobis manus, pedes, oculos, & cuncta spiritualia, temporalia, & corporalia bona, nec tamen illi inseruire volumus.

*Opus bonum pro alterius factum voluntate, magis meritorium.*

*Non leuiter desistendum ab oratione.*

Dixit Venerabilis Gerardus. Viriles esse debemus in oratione, & non leuiter desistere, nec cogitare quod Deus nos non vult exaudire: sed quoties repellimur, nunquam desperemus. Pusillanimes orare debent tanquam filij ad pium patrem, sicut in Euangelio dicitur. Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dat ei? &c.

*Ante dormitionem orandum, & quare.*

Idem dixit. Qualibus cogitationibus vadit homo dormitum, cum talibus surgit. Vtile est tunc orare, vel aliquos psalmos legere.

*Orationes breues seu incalatoriæ cor eleuant ad Deum.*

Dixit idem. Videtur mihi quod Patres in deserto breues & crebras orationes fecerunt, ex eo vt semper continuè cor eleuetur ad Dominum, & non in res fundatur, sed abstrahatur à rebus, & sic faciendum est.

Volens bonus pater Florentius exemplum bonum præbere subiectis, tenuit etiam ipse in coquina vicem suam pro posse. Cui cuidam compassione motus dixit. Cur bone Domine estis in coquina? Non habetis aliquem qui pro vobis istud faciat? Nonne melius esset quod vos iretis ad Ecclesiam, & alius coqueret pro vobis? Respondit humilis minister Christi Florentius dicens: Nonne magis affectare debeo, quod habeam omnium aliorum orationes, quam solummodo meas? Dum enim ego sum in coquina, omnes alij interim tenentur orare pro me. Maiorem ergo fructum spero consequi de orationibus aliorum, qui sunt in Ecclesia, quàm si ego solus orarem. Sic ergo tam verbo quàm exemplo ædificauit vniuersos.

*Maiorẽ fructũ consequitur quis ex aliorũ multorum orationibus, quam ex propriis solis.*

## NOTÆ.

Hermelandus.] *Cuius vitam scribit Surius tomo 1.*

Interrogatus aliquando B. Iordanes.] *Alias Iordanus dicitur. Hic fuit secundus Generalis Ordinis Prædicatorum, cuius vitam habet Iacobus Mosander tom. 7. Surij 13. Februarij.*

Abbas Vvinualocus.] *Eius vitam compendiosè descripsimus lib. 2. vt cæteras eius res gestas, atque sententias hic possemus inserere. Eam prolixius scriptam habet Surius tom. 2. 3. Martij.*

Abbas Stephanus.] *Fui Abbas Cistercienſis, qui etiã habitum Monasticum dedit S. Bernardo, cuius vitam lib. 3. descripsimus.*

## DE OBEDIENTIA.

### CAP. V.

*Cœnobitica vita in qua excellat Eremiticam.*

BEATVS Cuthbertus Anachoreta, qui etiam fuit Episcopus Lindisfarnensis, sæpè dicebat fratribus. Iure est cœnobitarum vita miranda, qui Abbatis per omnia subiiciuntur imperio, ad eius arbitrium cuncta vigilandi, orandi, ieiunandi, atque operandi tempora moderantur.

Quidam nomine Maurus, ex discipulis beati Seuerini fuit, quem & ipse vir Domini redemerat de manu Barbarorũ. Huic quadam die præcepit dicẽs: Caue ne alicubi hodie digrediaris, alioqui imminẽti periculo non carebis. At ille contra præceptum patris, secularis cuiusdã hominis persuasu meridie ad colligenda poma, in secundo à ciuitate Fabianis milliario egressus, mox à Barbaris Danubium transuectus est cum suo persuasore captiuus. Eadem hora vir Dei dum in cella legeret, clauso repente codice, Maurum, ait, cito requirite. Quo nusquam reperto, ipse quantocyus fluenta Istri prætermeans, latrones properantes insequitur. Cuius venerandam præsentiam latrones minimè ferentes, supplices quos ceperant reddidere captiuos. Abbas Poppo quadã vice post vespertinã synaxim in cella degebat, sermonẽque cum aliquot fratribus apud

*Monachus inobediẽs captiuus abducitur à Barbaris.*

*Præsentiam Seuerini verentur Barbari.*



apud illum tunc similiter agentibus, nõ abs re trahebat, cùm vni eorum Adalberoni nomine, vt superius cellæ ostium clauderet, mandauit, & denique pro nocturnarum horrore tenebrarum sæpiùs refugienti, instare non cessauit. Ille verò qui inobedientiæ vitium semel atque iterum admisit, tandem compulsus ad sibi iussa tam tepidè, quam trepidè abiit, atque eo quo ire iussus fuerat, solus peruenit.

*Adalberto Monachus inobediens arripitur à dæmone.*

Quem quia mox viro Dei non parere per inobedientiæ stimulos spiritus malignus suasit, eum è vestigio ipse inuasit, ita vt inconditæ vocis stridore, quosque vndecumque cieret, tamque subito non sanæ mentis spectaculo in medio coram deponitur, vbi à fratribus orationi instantius pro eo insistitur, atque etiam in spiritum illum pestilentem exorcismus adhibetur. Neque verò beatum Popponem causa rerum gestarum latuit, quæ ex prædicta fratris inobedientia ei innotuit. Qui mox summa cum grauitate, ad fratrem illum non sanæ mentis deuenit, alapamque tantum, vt alter Benedictus, in faciem illi dedit, spiritumque malignum sine mora eiecit.

*A sancto Poppone liberatur.*

*Verus obediens mortuo comparatur.*

Cum aliquando quæreretur à B. Francisco, quis esset verus obediens iudicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & vbi placuerit pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quòd si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moueatur, non diiudicat, vbi locetur non curat, vt transmutetur non instat, euectus ad officium solitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat se indignum.

*Item & armato equiti.*

Dicebat B. Ægidius de vero obediente. Homo obedientiæ studiosus, comparatur armato equiti, in egregio sedenti equo, atque strenuè, & infracto animo cum hostibus confligenti, neque enim quisquam eum lædere potest. Qui verò in Monasterio degit cum murmure sub obedientia, similis est militi nudo, atque inermi, cum equo languido ad hostes proficiscenti, à quibus plerumque vulneratur & capitur. Cum boues sub iugo trahunt aratrum horrea frumentis implent, cùm autem iugo soluti vagantur per campos, magni quidem sibi videntur, sed in horrea nihil portant. Pluris ego facio, propter Deum obtemperare Superiori suo, qui homo est, quam ipsi Deo iubenti parere. Meo si quidem iudicio etiam si quis pertigisset, vt cum Angelis colloqui ei liceret, si tamen à suo Superiori accerseretur, deberet posthabito Angeli colloquio, obtemperare homini cui propter Deum se morigerũ fore promisisset. Quisquis pollicitus est obedientiã, & deinde à ceruicibus excutit obedientiæ iugum, tanquam perfectius iter ingressurus, ille se magna quadam, licet occulta superbia, laborare declarat.

Cum semel B. Thomas ambularet contemplationi intentus, frater quidam alterius Monasterij, qui ipsum non nouerat, obtenta licentia à Superiore eundi in vrbem cum fratre qui primus ei venisset obuiam, ante omnes incidit in Thomam, dixitque ei: Frater, Prior iussit te mecum ire. Mox præeuntem fratrem vir sanctus sequi cœpit. Sed cùm ille iret festinantius, non potuit eum assequi. Itaque non rarò ab illo arguebatur, sed vir sanctus humiliter se excusabat. Vt autem ciues viderunt tantum virum parui momenti fratrem sequi, existimabant id errore fieri. Accedunt igitur ad illum fratrem, indicant quem virum post se ducat. Tunc ille ad S. Thomam conuersus obnixè rogauit vt daret veniam suæ ignorantiæ. Ciues autem cum multa reuerentia virum Dei compellantes, sciscitabantur cur adeò se abiicere voluisset. Quibus ille ait, Monastica Religio sanctæ obedientiæ studio perficitur, qua homo homini se subiicit propter Deum, quemadmodum Deus ipse se hominibus causa salutis humanæ submisit. Religiosus aliquando conquerebatur beato Ægidio, grande quoddam obedientiæ onus sibi impositũ: Cui ille dixit. Amice, quanto plus obmurmuras, tanto tibi ipsi maiorem efficis sarcinam. Quo autem humilius obedientiæ præcepto te subdideris, & facilius, & securius feres. Non vis humiliari in hoc seculo, & tamen in futuro honorari vis. Laborem respuis, & quiete potiri vis. Perdere nihil vis, & lucrari te posse confidis. Sed falleris planè. Per ignominiam enim peruenitur ad gloriam, labore paratur quies, iactura peruenitur ad lucrum. Iam antiquitus vulgo dici solet; Qui non vult dare quod amat, is non obtinebit quod desiderat.

*Monastica Religio sanctæ obedientiæ studio perficitur.*

*Obedienti, onerosa, leuia & facilia redduntur.*

Dixit venerabilis Gerardus. Nullum bonum facias, vt inobedientiam incurras.

*Vera obedientia in quo consistat.*

Dixit idem. Magnum est obedire in illis quæ sunt homini contraria & grauia, & hæc est vera obedientia.

## NOTÆ.

Beatus Cuthbertus.] *Eius vitam suprà lib. 1. descripsimus satis ample, prolixior verò reperitur apud Surium tom. 1. ex venerabili Beda. Quæ autem omisimus notatu digna, hic inferere dignum duximus.*

Abbas Poppo.] *Vitam eius Euerhelmus Abbas Altimontensis scripsit, quæ extat apud Surium tom. 1. Floruit tempore Conradi Imperatoris primi circa annum Domini 913.*

## DE PAVPERTATE.

### CAP. VI.

*Monachus quærens possessiones, Monachus non est.*

SOlicitus paupertatis custos beatus Isaac, fortem sententiam tenebat dicens, Monachus qui in terra possessiones quærit, Monachus non est.

*Somnolentiã viri spiritualis fugere debent.*

Beatus Guillelmus Eremita docebat viros spirituales fugere somnolentiam, stratum eorum durum, rigidum, breue esse debere, ne se quo velint liberè possint extendere. Addebat nihilominus, omnibus superfluis resecatis, indulgendum esse corpori in solis necessariis salua regula voluntariæ paupertatis. Quanti fratres, aiebat, in Ægypto, multis annis Domino sine piscibus seruierunt? Quantis Tyrannis in inferno positis, abundè sufficeret extra infernum saccus Hieronymi, tunica Benedicti, mattula Eulalij, lacrymæ Arsenij, nuditas Apostoli, olla Elisæi? Sed væ nobis miseris qui fortitudine mentis eneruati, & fragilitate corporis prægrauati, superfluitatem conuertimus in necessitatem. Iam non est quo se immisceat charitas, vbi totum occupauit vanitas.

*Ottho Imperator visitat S. Nilum.*

Venit aliquando Ottho Imperator ad beatum Nilum. Et cum vidisset fratrum tuguria, circa oratorium constructa, dixit: Ecce tabernacula Israël in deserto, ecce habitatores regni cælorum. Isti non vt habitatores, sed vt peregrini manent hic. Beatus verò Nilus, cum percepisset thuribulum suũ (quod moris erat) obuiam illi iuit cum vniuersis fratribus, & cum omni humilitate & veneratione ipsum excepit honorificè. Imperator autem

ſuppoſita manu Nilum ſublenans, & ſuſtentans, ingreſſus eſt cum eo in oratorium. Deinde facta oratione, dixit Imperator S. Nilo. Dominus noſter Ieſus Chriſtus dum erat cum Apoſtolis, præcepit illis ne peram, aut baculum, aut duas veſtes poſſiderent. Cum verò accederet paſſioni, iterum dixit illis; Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimul & peram. Tu igitur quoque cum iam ſenueris, & debeas proficiſci ad regnum cælorum, ſit tibi curæ de tuis alumnis, ne poſt te anguſtiati loci difficultate, recedentes diſſipentur. Nos dabimus tibi Monaſterium & prouentus, vbicumque volueris in vniuerſa Prouincia noſtra. Cui beatus ita reſpondit. Dauid audiui dicentem: Salua me Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam defecit veritas à filiis hominum. Et iterum, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Si omnino ſunt Monachi fratres mei, & cuſtodient pro virili Chriſti mandata, ipſe qui vſque adhuc mecum curam geſſit de ipſis, multò maiorẽ geret abſq; me de iis qui ſperant in eius miſericordia. Hæc & alia multa cum dicta eſſent, ſurrexit Imperator vt diſcederet. Et iterum conuerſus ad ſenem dixit illi. Pete à me tanquam à filio tuo quodcumque volueris, & cum omni alacritate perficiam tibi. Beatus verò Nilus cum extendiſſet manus ad pectus Imperatoris, dixit illi. Nihil aliud peto ab Imperio tuo præter ſalutem animæ tuæ; licet enim Imperator exiſtas tanquam vnus de hominibus debes mori, & ad iudicium venire, & rationem reddere eorum quæ feciſti, bonorum ſiue malorum operum. Hæc cum audiſſet Imperator, guttas lacrymarum profundebat ex oculis ſuis. Deinde coronam ſuam in manibus S. Nili deponens, ab ipſo benedictionem adeptus, cum omnibus qui cum illo erant, iter ſuum proſequutus eſt.

*Recuſat poſſeſſiones.*

Dicebat ſæpè diſcipulis ſuis B. Franciſcus. Pecunia ſeruis Dei, nihil eſt aliud quàm diabolus, & coluber venenoſus.

*Egregia S. Franciſci parabola de paupertate.*

Petente eo ſui Ordinis confirmationem, cum quidam Cardinales iudicarent ſupra vires eſſe humanas eius paupertatem, tunc parabolam de diuite Rege, cum muliere formoſa, & paupere contrahente gratanter, & de prole ſuſcepta proferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de menſa ipſius, retulit, & ex eius interpretatione ſubiunxit. Non eſt formidandum quod fame pereãt æterni Regis filij & hæredes, qui ad imaginem Regis Chriſti, per Spiritus ſancti virtutem, de paupere matre nati, & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus ſuis regnum promittit æternum, quanto magis illa ſubminiſtrabit quæ communiter largitur bonis & malis? Hanc parabolam, & intellectum ipſius, Chriſti vicarius cum diligenter audiſſet, miratus eſt valde, & indubitanter Chriſtum loquutum in eo recognouit.

*S. Clara recuſat ſuſcipere poſſeſſiones.*

Cum fœlicis recordationis Gregorius Papa beatæ virgini Claræ ſuaderet, vt propter euentus temporum, & pericula ſeculorum, aliquas poſſeſſiones conſentiret habere, fortiſſimo animo reſtitit. Quin & reſpondente Pontifice, ſi votum formidaret, ſe eam abſoluturum: Sancte pater, ait, nequaquam à Chriſti ſequela abſolui deſidero in perpetuum.

*Quis paupertatis donum poteſt noſcere.*

Dicebat B. Laurentius, paupertatis donum quantum eſſet, neminem noſſe, niſi qui in ſecreto cubiculo, & contemplatione delectaretur.

Beatus Adhelardus Abbas non facilè recipiebat poſſeſſionem eorum, qui ad conuerſionem veniebant. Quid, inquiebat, prodeſſe poterit rebus propriis futuros expoliari hæredes, & rurſus eas mancipari negotiis ſecularibus? Vnde igitur miſeri lati in poſſeſſione eſſe cupimus, inde anguſtiamur in omni opere bono. Quapropter filioli eſtore contenti paupertate Chriſti, ſine qua nemo eſt diues. Et ideo fratres mei nolite quaſi pro pietatis opere ſectando auaritiam, poſſeſſionem æternam perdere.

*Lati eſſe cupientes in poſſeſſione Monachi, inde anguſtiãtur in omni opere bono.*

*S. Ludouicus Arch. Tholozanus eximius paupertatis amator.*

Cum aliquando B. Ludouicus qui fuit Archiepiſcopus Tholozanus, cõfeſſionem cuiuſdam pauperrimæ mulieris audiuiſſet, & ipſi magnam charitatem exhibuiſſet, monitus eſt à ſeruis quod eſſet totus coopertus pediculis. Quibus ſubridens reſpondit. Nihil intereſt, nam pediculi ſunt gemmæ pauperum.

## NOTÆ.

Beatus Iſaac.] *Cuius vitam ex D. Gregorio Papa ſuprà lib. 2. retulimus.*

Guillelmus Eremita.] *Eſt ille Dux quondã Aquitaniæ, & Comes Pictauienſis, cuius vitam ſuprà lib. 3. deſcripſimus.*

Virgini Claræ ſuaderet.] *Hæc fuit diſcipula S. Frãciſci, cuius vitam habet Surius tom. 4.*

Dicebat B. Laurentius.] *Eſt ille Patriarcha Venetus antea Monachus, cuius vitam habet Moſander tom. 7. Surij.*

B. Adelhardus.] *Iam ſufficienter in aliis Annotationibus de eo ſcripſimus.*

## *DE ABSTINENTIA, ET maceratione carnis.*

## CAP. VI.

*Ioannes inſignis Eremita.*

BEatus Aibertus valedicens mundo, perrexit ad virum magnæ ſanctitatis, & miræ abſtinentiæ Sacerdotem egregium Ioannem, in quadam ſolitudine commorantem ab hominum ſtrepitu, & conuerſatione ſemota. Huic igitur vir venerabilis Aibertus charitatis fœdere iunctus eſt. Quantas autem miſerias & calamitates, quantamque inopiã pro ſpe vitæ æternæ, in illo loco patienter tolerarunt non facile dici poteſt. Nam premebantur frigore & nuditate, premebantur magnæ annonæ penuria. Multi abſcedebant dies, in quibus nec cernerent quidem panem, erantque contenti herbis & radicibus herbarum, quarum tamen iis in locis copia non ſupperebat. Ex illis ieiuniis, vigiliis & precibus, illa frigoris tolerantia & nuditate, adeò & macie & pallore confecti videbantur, vt humanam ſpeciem propemodum non referrent, vt enim ipſe Aibertus retulit, cum aliquando vrgente neceſſitate, extra illum habitationis ſuæ locum eſſet egreſſus, videntes eum paſtores hirſutum, & vilibus pannis deformem, aufugerunt, monſtrum ſe vidiſſe arbitrati. Sæpe per hyemem vſu illis venit, vt pane deficiente, glacie confracta, herbas ab aquis manibus extraherent, quibus ægrè vitam ſuſtentabant, omni alia re eſculenta deſtituti.

*Aibertus & Ioannes Eremita veſcuntur herbis, & radicibus in Eremo.*

*Inſignis ſententia Ioannis Abbatis.*

Abbas Ioannes dixit. Neminem moueat quod Elias tempore famis carne alitus eſt mane & veſpere. Qui reſpicit cibum, conſideret miniſtrum, ſæpe enim dæmones horum alituum figuram tenent. Tales enim cibi coruorum apti fuerant miniſterio, & eorum ſaturitas veſpere & mane meruit eſuriem. At verò quando panẽ comedit, Angelum delatorẽ habuit, & intantum cõfortatus eſt, vt per quadraginta dies cibi refectione nõ indigeret.

Solebat



*Nota inſignẽ maciem S. Elphegi.*

Solebat B. Elphegus cum ſomnus omnes occuparet, clàm nudis pedibus, ſola tunica indutus, de ſtrato ſurgere, foras exire, & vſque ad auroram orationibus vacare. Corpus eius tanta attenuatum erat macie, vt cum manus cum Sacramento tenſas, in altum porrigeret, per medias palmarum iuncturas claritas aëris perſpici poſſet.

*Etiam in minimis voluptatem corporis adimplere non debemus.*

Beatus Guillelmus aſſerebat ſeruum Dei aquam in menſura debere bibere, nec licere etiam in minimis voluptatem corporis adimpleri. Cibum & potum ad ſolam neceſſitatem reſtringebat, ſuperfluitates etiam in rebus vilibus condemnabat. Producebat exemplum in medium, & confirmabat teſtimoniis ſcripturarum. Sub Adam, inquit, per pomum, non per rhombum, vniuerſale factum eſt excidium. Eſau reprobatus eſt appetendo lentis, non carnis edulium. Sub Moyſe populus in deſerto proſtratus eſt, propter aquæ, non vini deſiderium.

*Gen. 3.*

*Gen. 25. 26.*

Cum Abbas Adelhardus à fratribus ſæpe moneretur cur ſibi tam infenſus eſſet, vt læſos eorum animos mitigaret, aiebat: Ego mei curam habebo, & prorſus veſtro prouidebo famulo, ne fame, aut labore fatigatus pereat.

*Ieiunando ad patriam paradiſi redire debemus.*

Si quando quæpiam ex ſororibus interrogaret beatam Oportunam Abbatiſſam, cur tantopere corpuſculum maceraret, reſpondebat, Adam de paradiſo eiectus eſt, quia pomum vetitum manducauit, & nos ieiunando, illuc redire debemus.

*Caro comparatur porcis, & ſcarabeis.*

Beatus Ægidius ſemel in die cibum ad veſperam ſumere ſolebat, eumque ſane exiguum, & dicebat: Caro noſtra inſtar porci eſt, cupidiſſimè ad lutum properantis, & cum eo commorantis. Etiam eſt ſimilis ſcarabeis qui ſemper verſant equorum fimum.

*Pulchra ratio, quare S. Ioannes Baptiſta adhuc puer Eremũ petiit.*

Quidam quæſiuit ex fratre Ægidio, quamobrem S. Ioannes Baptiſta adhuc puer Eremum petiiſſet, tamque ſeueriter illic vixiſſet, cum intra matris viſcera ſanctificatus eſſet. Reſpondit ei Ægidius hac adhibita ſimilitudine. Quanam cauſa ſale aſpergitur caro recens mactati bouis? Illo dicente, ideo fieri, vt caro conſeruetur, vir Dei ait. Ita & ſanctus Ioannes pœnitentiæ ſale conditus eſt, vt eius ſanctitas diutius & melius ſeruaretur.

## *DE GRATIA LACRYmarum.*

## CAP. VII.

*B. Adelhardus quotidie ſemel & ſecundo flere conſueuerat.*

ABbas Adelhardus ſingulis diebus (ſi non amplius) ſemel aut ſecundo, manè videlicet & veſperi, flere conſueuerat. Cuius rei cauſam cum frater quidam ab eo requireret, reſpondit. Plango, inquit, fili, me plango, nõ vt altiora cæli ſacramenta conſpiciam, ſed me inquam, quid ſum conſiderans, plangendo lugeo.

*Item & B. Paula.*

Beata Paula per ſingulos dies fontes lacrymarum emittebat, & cum ab amicis vt parceret oculis moneretur, reſpondit. Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum, purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina & ſerica pretioſa, aſperitate cilicij commutanda.

*S. Franciſcus recuſat abſtinere à lacrymis, & quare.*

Cnm ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurriſſet B. Franciſcus, ſuadente medico abſtinere à lacrymis, reſpondit. Non eſt frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muſcis, viſitatio luminis æternæ repellenda vel modicum, quia non ſpiritus propter carnem, ſed caro propter ſpiritum, beneficium luminis accepit.

*Creaturæ inſenſibiles obediunt Deo, cum ſolus homo eius præcepta tranſgrediatur.*

Quidam Eremita nomine Ioãnes Ordinis S. Auguſtini, ſimplex, humilis, ſanctiſſimæque conuerſationis fuit. Hic ſolitus erat ingredi hortum, & dum exiret, viſus eſt ſæpius lacrymas fudiſſe. Et interrogatus quadam vice cur fleret, reſpõdit. Quia video herbas, arbores, & arbuſta, volucres, & terram cum ſuis fructibus, obedire Deo, & homines, quibus pro obedientia promiſſa eſt vita æterna, tranſgredi præcepta creatoris ſui. Hæc gemo & defleo.

*Lacrymæ à Domino ſuppeditatæ animam exhilarant, non cerebrum euacuant.*

Percunctata eſt aliquãdo beata Maria de Oegnies num ex tãta lacrymarum inundatione, quam quotidie profundebat, aliquam læſionem, vel dolorem ſentiret, reſpondit. Sanctæ lacrymæ ſunt refectio mea, hæ ſunt mihi panes die ac nocte, nec caput affligunt, ſed mentem nutriunt, non dolore vllo afficiunt, ſed animam quadam ſerenitate exhilarant, non cerebrum euacuant, ſed animum ſatietate implent, & ſuaui quadam mulcent vnctione dum non vi extorquentur, ſed à Domino ſponte ſuppeditantur.

*Cauſa mœroris & perpetui gemitus Aloyſij Bertrandi.*

Beatus Aloyſius Bertrandus ſemper gemebundus incedebat. Cumque ab eo quæreretur quænam eſſet cauſa tanti mœroris, & tam ingentis profluuij lacrymarũ, reſpondebat. Cur non amariſſimè fleam, cum non certò ſciam, an æternæ ſalutis compos ſim futurus?

## NOTÆ.

Abbas Adelhardus.] *De quo iam ſupra in aliis Annotationibus diximus.*

Beata Paula.] *Vide eius vitam in Epiſtolis D. Hieronymi, in Vitis Patrum Orientis, & apud Surium.*

Eremita nomine Ioannes.] *Fuit Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cuius meminit Iordanus de Saxonia in lib. de Vita Fratrum.*

Maria de Oegnies.] *Eius vitam compendiosè ſcripſimus ſupra lib. 5. Eam prolixius reperies apud Surium tom. 3. 23. Iunij.*

Aloyſius Bertrandus.] *Fuit Monachus Ord. Prædicat. cuius vitam F. M. Iuſtinianus ſcripſit. Hanc autem eius ſententiam ex cap. 4. vitæ ipſius deſumpſimus, quam etiam refert Bellarm. de gemitu Columbæ lib. 2. c. 11. De Aloyſio Bertrando plura apud Bozium de ſignis Eccleſiæ tom. 2.*

## *DE OTIO VITANDO.*

## CAP. VIII.

*Otium omnium malorũ ſentina.*

SAnctus Franciſcus otium omnium malarum cogitationum ſentinam, docebat ſummopere fugiendum, exemplo demõſtrans rebellem carnem, & pigram, diſciplinis continuis, & fructuoſis laboribus eſſe domandam. Vnde corpus ſuum fratrem aſinum appellabat, tanquam laborioſis ſupponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muſcam nominandum cenſebat, eo quod talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddebat.

*S. Franciſcus Monachum otioſum, fratrem muſcã appellabat.*

*Exercitia Monachi quæ.*

Dicebat S. Guillelmus Eremita, in doctrina ſua ſibi cælitus infuſa, ſeruum Dei aut orare, aut laborare, aut ſemper debere cæleſtia cogitare.

Beatus Thomas dicebat otioſitatem eſſe hamum, cum quo piſcabatur diabolus.

## NOTÆ.

## NOTÆ.

Franciscus.] *Hanc sententiam refert S. Bonau. in vita ipsius. c. 5.*

S.Guillelmus.] *D.S. Guillelmo Eremita quondam duce & Comite, supra iam satis diximus.*

B.Thomas.] *Eius sententias refert Ribadeneira, quæ non sunt apud Surium.*

## DE VERBIS OTIOSIS fugiendis.

### Cap. IX.

CVm degeret Abbas Nilus in Eremo, quadam vice venerunt ad eum viri literatissimi. Ierant autem consilium in via, quisnam ipsorum interrogare deberet, quodue ex arcanis scripturæ, non tam cognoscendi causa, quam periculum faciendi cupidi. Cùm verò ex aduersa parte sederet B.Nilus, & vidisset eos ad se venientes, dicit intra se: Cur nunc isti accedentes ad vana colloquia nos coniicient? Sed ô Domine Iesu Christe libera nos à laquis alienis, & concede nobis intelligere, & loqui quæ oportet, & facere quæ tibi sunt placita. Et cum orasset, aperit quem præ manu habebat librum, & forte fortuna inuenit reuelationem factam sancto Simeoni in admirabili monte. Cum igitur illi appropinquassent, & post salutationem C sedissent, beatus Nilus tradidit librum Domestico, vt legeret, vbi erat signum. Ille verò aperiens os suum cœpit valdè diligenter, & attente legere. Cum vero venisset ad locum illum, vbi dicit quod ex decem millibus vix reperitur vna anima his temporibus, quæ ad manum sanctorum Angelorum perueniat, cœperunt omnes quasi vno ore dicere: Absit, hoc non est verum, hæreticus est qui hoc dicit. Nos igitur frustra baptizati sumus, & Crucem adoramus, & communicamus, & Christiani dicimur. Quibus beatus Nilus humaniter respondit. Si demonstrauero vobis magnum Basilium, & Chrysostomum, & Ephrem beatissimum, & Theodorum Studitam, sed & Apostolum ipsum, D necnon sanctum Euangelium, eadem sentientes, & dicentes, quid patiemini vos, qui inconsultè aperientes ora loquimini, & Spiritui sancto aduersamini, & sanctorum Patrum metuenda verba hæreticis tribuitis propter vitæ vestræ iniquitatem? Dico autem vobis fratres, quod ex omnibus quæ fecistis, nulla erit vobis gratia apud Deum. Quæ enim idola, aut quam hæresim vos reliquistis, & Christo adhæsistis? auderne aliquis vestrûm dicere quod hæreticus sum, & ingressus ciuitatem non ab omnibus lapidibus obrutus interficietur? Intelligentes, quod nisi virtute præditi fueritis, & magna etiam virtute prædi ti, nullus vos liberabit à pœnis inferni. Hæc cùm omnes audissent, valde perterriti cœ- E perunt suspirare, & dicere, væ nobis peccatoribus & miseris.

*Vana colloquia & otiosa verba fugit S. Nilus.*

*Quam pauci saluantur.*

Quidam interrogauit eum dicens, scire vellem sancte pater, an saluus sit admirabilis ille Salomon, necne? Cum verò spiritu cognouisset pater, adulterij vitio illum detẽtum, respondit ipsi: Scire etiã ego vellem de te, an saluus sis necne? Quæ enim vtilitas mihi, vel tibi ex salute, vel damnatione Salomonis? non enim illi, sed nobis præceptum fuit illud; Quicumque respexerit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est cum ea. Et illud; Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. De Salomone autem nihil vsquam re-

*Sententia B. Nili de salute Salomonis.*

A perimus in sacra scriptura, quod pœnitentiam egerit post peccatum, sicut de Manasse. Quis igitur de illo dicere poterit quod saluus sit?

Beatus Iordanes semel admonens fratres vt ab otiosis sermonibus caucrent, dicebat, videtis fratres quod imperceptibiliter, quantumcumque in psalmodia altè incipiatur, paulatim vox cãtantium defluit & cadit. Sic quantumcumque verba bona dicere incipiamus, vel ad alterutrum conferre, paulatim ex humana corruptione ad vana prolabimur. Sed qui bonus est, & hoc percipit, debet facere sicut in choro cantor, qui locis aptis eleuat vocem.

*Pulchra sententia B. Iordanis de fugiendis verbis otiosis.*

Idem semel admonens fratres, vt à leuitatibus B abstinerent dixit. Mihi, & aliis præsidentibus, sicut opilioni accidit, qui magis vnius hirci custodia affligitur, quam centum ouium. Sic vnus insolens magis præsidentem grauat, & domum exturbat, quàm alij centum fratres, qui oues sunt, quæ pastorem sequuntur. Porro sibilum eius nosc unt, nec eum relinquunt, sed simul vadunt, sistunt, accubãt, comedunt, bibunt, capite inclinato herbas legunt, in omnibus fructuosæ, in paucis tædiosæ. Sed nonnulli, vt hirci, turbãtes pastorem & gregem, discurrunt, perstrepunt, in socios capita impingunt, & altè saliunt, viam non retinent, & ad vltimum breuẽ caudam, id est, arctam patientiam habent, & ideo quandoque fœda sua ostendunt. Pro Deo fratres C amantissimi, fugite huiusmodi hircinos mores, & estote oues Dei.

*Monachus insolens hirco comparatur.*

Interrogatus est aliquando B. Thomas, quomodo cognosci poterat vir spiritualis & perfectus. Qui respondens dixit. Qui in conuersatione sua de nugis & iocis loquitur, & quicumque timet sperni, & tristatur cum spretus fuerit, quamuis mirabilia faciat, ne putetis eum esse perfectum. Nam quicumque non potest pati, citò corruet.

*Qualiter vir perfectus possit cognosci.*

Erat studiosus in scripturis legendis venerabilis Gerardus, sed non curiosus in pulchris libris habendis. Si quidem & Breuiarium non multum valens habuit, ex quo horas suas legebat, vitans pro vsu suo omne quod nitet, aut simplicitatem non redoleret. Videns ergo quendam habere librum D satis benè paratum, & quam solicitè illum inspiceret, & complicaret, dixit ei. Potius habeo quod liber me custodiat, quam ego illum. Seruire debet liber vtilitati legentis, non ad curiositatem intuentis.

*In libris & aliis rebus exterioribus Monachi simplicitatẽ quærere debent.*

Venit aliquando Beatus Hugo qui fuit Episcopus Lincolniensis, ad domum Arueriam Carthusiani instituti, ea videlicet tempestate cùm iam paulo ante longum illud iter in quo pacem conciliauerat inter Franciæ, & Ioannem Anglorum Reges. Interrogatus verò de modo initæ pacis, non parum contristatus respondit verus zelator Ordinis sacri: Rumores audire, & referre, etsi licet E Episcopis, sed Monachis non licet.

*Rumores audire, vel referre Monachis non licet.*

## NOTÆ.

Abbas Nilus.] *De quo plura scribit Baronius to. 9 Annalium.*

Beatus Iordanes.] *Satis de eo supra c. 4. scripsimus, vnde non est necesse repetere.*

Sicut opilioni.] *Opilio, quasi ouilio, pastor est ouium: dicitur etiam Vpilio auctoritate Prisciani.*

DE



## DE CASTITATE, ET FVGIENDO colloquio mulierum.

### Cap. X.

*Bonũ est mulierem non tangere.*

NARRABAT B.Iordanes dicens. Aliquando in conuentu fratrum (quod Capitulum vocant) quidam frater delatus est, quòd dedisset mulieri dexteram. Vbi cùm delatus diceret, mulierem illam sanctam esse; tunc præsidens ait: Pluuia bona est, & bona terra, tamen ex eorum commixtione fit lutũ, quo fœdatur homo. Asserebat B. Franciscus per colloquia mulierum, & earum familiaritatem, debilem frangi, & fortem infirmari.

*Egregia similitudine Sãctus Fräciscus oculos impudicos describit.*

Idem volens docere fratres habere oculos pudicos, solebat tali ænigmate cõfingere oculos impudicos. Rex pius & potens misit ad Reginã duos nuncios succcssiuè. Reuertitur primus, & verbis tantũ verba reportat, & nihil loquitur de Regina, siquidem oculos suos tenuerat in capite sapienter, nec aliqualiter prosilierãt in Reginam. Redit alius, & post pauca verba, longam de Reginæ pulchritudine texit historiã. Verè, inquit, Domine, vidi pulcherrimam mulierem, fœlix qui fruitur illa. Et Rex ad illum. Tu serue nequam in sponsam meam iecisti oculos impudicos: patet quod prospectã subtiliter emere voluisti. Iubet ergo reuocare primum. Et ait illi. Quid tibi de Regina videtur? Optimè (inquit) mihi videtur, quia libenter & patienter audiuit, ipsa respondit sagaciter. Et ait illi Rex. Numquid formositas quidem inest ei? Respondit ille. Domine mi tuum sit hoc inspicere, meum autem fuit verba proferre. Fertur à Rege sententia. Tu, inquit, qui habes oculos pudicos & castos, esto in camera mea corpore castior, & fruere deliciis meis: hic verò impudicus exeat domum, ne polluat thalamum. Dicebat ergo, quis non debet timere, respicere sponsam Christi?

Nobilis quædam Domina interrogabat aliquãdo beatum Thomam, cur sic fugeret consortia mulierum, cùm ex vna earum natus fuisset. Respondit vir Dei & dixit. Ideò quia ex vna natus sum: inde D est quòd cæteras fugio.

*B. Ludouicus Archiep. Tolos. renuit matrem osculari.*

B. Ludouicus quondam Archiepiscopus Tholozanus, cum adhuc esset adolescens renuit osculum matris suæ, quæ cum diceret, numquid ego sum mater tua? Respondit castus adolescens. Scio equidem Domina, scio: sed non ignoras te esse fœminam, & idcircò non debere osculari seruos Dei. Alia vice renuit osculari sorores suas, sed præcipuè Reginam Galliæ.

*Non fœminarum tantum, sed etiam virorum aspectum fugiendum docet S. Hugo Gratianopolit. Episcopus.*

Monebat beatus Hugo Gratianopolis Episcopus, non solum à fœminarum, sed & virorum quõque vultibus religiosæ mentis auertendum esse intuitum, asserens per communionem humanæ fragilitatis, atque compassionis fieri, vt affectiones conspecti, ad memoriam conspicientis frequenter E recurrant, & de conspecto irato, iratus, de tristi, tristis, de lasciuiente, lasciuus fiat, quas passiones satis est habere vnumquemque proprias, non in se transcribere alienas.

Quadam vice B.Dominicus tractans cum fratribus de aliquo negotio, sacrista vocauit vnum ex fratribus ad audiendam confessionem vnius mulieris, dixitque ei. Vna pulchra mulier petit vos, venite citò. Et quamuis submisse diceret, audiuit in spiritu B.Dominicus, & zelo honestatis turbatus dixit sacristæ: Confitere reatum tuum, Deus fecit mihi notum, quod tu putabas occultum. Et veniã peten-

*S. Dominicus virgũ cædit Monachum oculũ vagũ.*

A te, disciplinauit fortiter & diu, ita vt fratres mouerentur ad compassionem propter liuorem vulnerum. Et ait: Vade fili, didicisti de cætero qualiter intuearis fœminam, vt de colore non iudices, ora & tu, vt Deus te faciat pudicum.

Erant quandoque simul fratres Ægidius, Ruffinus, Iuniperus, & Simon. Ait autem Ægidius. Quid facitis vos, cùm tentationes carnis vos infestant? Frater Ruffinus dixit. Humi prostratus, commendo me Deo, & sanctissimæ Matri eius. Iuniperus verò, simul atque sentio, inquit, eiusmodi tentationem, iubeo eam procul abscedere, quòd hospitium meũ iam occupatum sit. Tum Ægidius. Ego, inquit, tecũ sentio, nam cum hoc genere tentationis nulla ex- *Remediũ contra tentationes carnũ.*
B peditior pugna est, quàm vt fugias, nec cum ea cõtendas. Fratri cuidam percunctanti ex ipso, qui se posset ab omnibus peccatis carnalibus tueri, sic respondit. Qui saxa grandia, aut ingentes trabes, aliò trãsferre vult, plus nititur ingenio, & industria sua, quàm viribus. Ita hic quoque agendum est. Quæuis enim vitia officiant puritati & castitati, quæ similis *Castitas similis speculo mundo.*
est speculo mũdo: quod tamẽ anhelitu obscuratur. Sæpe etiam cantans dicebat: ô sancta castitas, quænam es tu? Nimirum talis, vt stulti te ignorent. Quærenti autem fratri, quam diceret castitatẽ: Ego (inquit) castitatem dico, qua sensus omnes diuinæ gratiæ custodiuntur. Cumque multus esset in castitate prædicanda, & laudanda: quidam maritus audiens, ait illi. Equidem à fœminis omnibus abstineo, contentus vxore mea, satisne hoc tibi videtur? Et ille. Putasne tu non posse hominem fieri è suo vino ebrium?

B.Laurentius Iustinianus dicebat, pudicitiã cum carnalibus blandimentis, nihil aliud esse quàm ignem extinguere velle, & ligna superiniicere.

Frater quidam tentatus valde tentatione carnis, vtinam (inquit) mihi videre liceret fratrem Ægidiũ, vt ei indicarem tentationem meam. Sed cùm lõgè ab eo abesset, nec posset impetrare facultatem ad eum accedendi, vbi se cubitum recepit, Ægidius ei adstitit. Quo viso non mediocri est consolatione *B. Ægidius Minorita absens apparet cuidam fratri tentato.*
affectus, exposuitque ei tentationem suam, petens D remedium aduersus eam. Dixit ergo ei Ægidius. Et quid faceres cani te mordere volenti? Respondit; Ego eum verberibus à me abigerem. Et Ægidius. Hoc ergo fac etiam huic tentationi.

Venerabilis Gerardus cũcta ad honestatem bonę famæ tam intus quã foris disponebat. Et ne suspecta res notaretur, nulli sororum nisi clausa & obuelata fenestra loquebatur. Quod si aliquid sibi dandũ erat & ministrandum, per volubilem rotam hoc inferebatur. Vnde quidam discipulorum eius, videns eum tam solicitè custoditum, quæsiuit ab eo verbũ familiare dicens. Quare bone magister tã diligenter obstruitis fenestram vestrã? Respondit verbum ædificationis dignum. Si possem, etiam aures obturarem, ne voces earum audirem. Siquidem abundans *Scandalum sæpe ex sensuum incusto-*
cautela non nocet. Omne enim scandalum, & peri- *dia venit.*
E culum fragilium personarum, ex incustodia sensuũ & nimia familiaritate venit. Qui ergo vult seruare continentiam, visum reprimat & auditũ. Nam sola necessitate cogente, cum fœminis timoratè est loquendum.

## NOTÆ.

Volens docere fratres habere oculos pudicos.] *Similitudo & parabola ista tam in Chronico Ordin. S. Francisci, quàm in Speculo exemplorum inuenitur.*

B.Hugo Gratianop.Episcopus.] *Hic vt in Mart. Romano legitur 2. Aprilis, diu solitariam vitam duxit,*

*cuius vitam habet Surius tom. 2.*

Quadam vice B. Dominicus.] *Vide Diuum Antoninum 3. parte tit. 23. c. 2.*

## DE DISCRETIONE ET *manſuetudine prælatorum.*

### Cap. XI.

*B. Conſtabilis ob manſuetudinem operimentum fratrum dictus eſt.*

ABbas Conſtabilis, iuſtorum cultor, & amicus peccatorum fuit. Tanta ſiquidem negligentibus fratribus beneuolentia iungebatur, vt nullus ei conſcientiæ reatus occultaret. Hunc quippe pro charitatis ſuæ affectu, quo tegere culpas delinquentium ſolebat, operimentum fratrum vocare consueuerant.

*Magis excedendum in miſericordia, quam in duritia.*

Beatus Odilo, reprehendentibus ſe fratribus quod in iudiciis ferendis, ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius eſſet, reſpondebat: Etiamſi damnandus ſum, malo tamen de miſericordia, quam ex duritia, vel crudelitate damnari.

Quidam Abbas, qui admodum religioſus habebatur, venit aliquando ad beatum Anſelmum, vt de his quæ monaſticę Religionis erant, loqueretur, ac inter alia de pueris in Clauſtro nutritis verba conferens adiecit. Quid fiet obſecro de iſtis? Peruerſi ſunt & incorrigibiles, die ac nocte non ceſſamus eos verberantes, & ſemper fiunt ſibi ipſis deteriores. Ad quæ miratus Anſelmus, non ceſſatis (inquit) eos verberare? Et cum adulti ſunt, quales ſunt? Hebetes, inquit, & beſtiales. Et ille. Quam benè omne nutrimentum veſtrum expendiſtis, qui de hominibus, beſtias nutriſtis? Et nos, inquit, quid poſſumus inde? Modis omnibus conſtringimus eos vt proficiant, at nihil proficimus. Et ille, dic mihi quæſo Domine Abbas, ſi plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam omni ex parte concluderes, vt ramos ſuos nullatenus expandere poſſet, & cũ eam poſt annũ excluderes, qualis arbor inde prodiret? Profecto inutilis incuruis ramis. Et hoc ex cuius culpa procederet niſi tua, qui eam immoderate concluſiſti? Certè hoc facitis de pueris veſtris. Plantati ſunt per oblationem in horto Eccleſiæ, vt creſcant, & fructificent Deo, vos autem in tantum terroribus veſtris & minis, verberibuſque illos vndique coarctatis, vt nulla ſibi penitus liceat libertate potiri. Vidiſtis vnquam aurificem ex lamina auri, vel argenti, ſolis percuſſionibus imaginem ſpecioſam formaſſe? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptã formam ex lamina aptet, nũc eam ſuo inſtrumento leniter premit, & percutit, nunc diſcreto leuamine lenius leuat & format. Sic & vos, ſi pueros veſtros cupitis ornatis moribus eſſe, neceſſe eſt vt cùm depreſſionibus verberum impediti ſunt, eis paternæ pietatis, & manſuetudinis leuamen, atque ſubſidium impendatis. Ad hæc Abbas, quod leuamen, quod ſubſidium? Cui ille. Benè quidem, & panis, & quiſque ſolidus cibus, vtilis & bonus eſt homini valenti, verum ſubtracto lacte, ciba inde lactentem infantem, & videbis eum magis ex hoc ſtrangulari, quam recreari. Hæc audiens Abbas, veniam petiit, & ingemuit dicens. Verè errauimus à veritate, & lux diſcretionis non luxit nobis.

*S. Anſelmi admirabiles ſententiæ.*

*Iuuenũ ætas cera comparatur.*

Idem beatus Anſelmus curam præcipuam de adoleſcentibus & iuuenibus habebat, & de hoc rationem ſub exemplo reddebat. Comparabat enim ceræ iuuenis ætatem, quæ ad formandum ſigillum aptè eſt temperata. Nam ſi cera, inquit, minus dura, vel mollis fuerit, ſigillo impreſſo, eius figuram in ſe nequaquã ad plenum recipit. Si verò ex vtriſque duritia ſcilicet & mollitie, diſcretè habens, ſigillum imprimatur, tunc forma ſigilli omnino perſpicua, & integra redditur. Sic eſt in ætatibus hominum. Videas hominem in vanitate huius ſeculi, ab infantia vſque ad profundam ſenectutem conuerſatum, ſola terrena ſapientem, & in his penitus obduratũ. Cum hoc age de ſpiritualibus, & perſpicies eum, nec quid velis quidem poſſe videre; nec mirum, indurata eſt cera. E contrario videbis puerum ætate ac ſcientia leuem, nec bonum, nec malum diſcernere, nec te intelligere de eiuſmodi differentem. Nec mirum, mollis cera eſt, & quaſi liqueſcens, nec imaginem ſigilli quoquomodo recipiens. Medius autem adoleſcens & iuuenis eſt ex teneritudine atque duritia congrue temperatus. Si hunc inſtruxeris, ad quæ voles informare valebis. Dicebat B. Iordanes, ſicut cæmentarius, qui murum obtortum reparare ſatagit, quoſdam lapides retrahit abſconditos, & prominentes repercutit, ſic in emiſſione clauſtralium Præfectum facere oportere, vt videlicet illos qui nimis latitare cupiunt, ad actionem dirigat, & illos qui nimis exponi volunt, intus contineat.

*Diſcretionem magnã prælati habere debent in emiſſione clauſtralium.*

Idem quadam die laborabat pro vno fratre apoſtata, vt reaſſumeretur. Cumque fratrum ſententias exegiſſet, vnuſque præ cæteris non aſſentiret, reſpondit. Et ſi hic modo multa crimina commiſerit, forſitan multo plura hic adiiciet. Sed cum ille ſe de hoc non curare aſſereret dixit: Certè frater, ſi tu pro iſto tãtillo viro vnam duntaxat ſanguinis guttam fudiſſes, ſicut Chriſtus Dominus noſter pro ipſo ſanguinem ſuum, aliter reſponderes. At ille in ſe reuerſus, & confuſus, ſe humi proſternens, opinioni cæterorum æquo animo ceſſit.

*Apoſtatæ redeuntes ad Ordinem non ſunt reiiciendi.*

### NOTÆ.

Abbas Conſtabilis.] *Vitam eius habet Moſander tom. 7. Surij 17. Februarij. Eam etiam compendiosè ſcripſit Hareus.*

Beatus Odilo.] *Eius vitam prolixius ſcriptam reperies in Bibliotheca Cluniac.*

Venit aliquando ad beatum Anſelmum.] *Hic fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, primo Monachus ſub V. Lanfranco, cuius vitam ex Edinero refert Surius tom. 2. 21. Aprilis.*

Dicebat B. Iordanes.] *Satis alibi de Iordane diximus, vnde non eſt neceſſe repetere.*

## DE FORTITVDINE.

### Cap. XII.

LVdouicus Imperator rogauit aliquando beatũ Fridericum Epiſcopum, vt pergeret ad quandam inſulam conuertendam, in qua paſſim homines matrimonio iungebant neptes ſuas, aut etiam ſorores & matres. Tunc vir Dei ingemiſcens, reſpõdit. Grauiter quidem me obſtringis Domine Imperator, ſed quæſo dic mihi, num ſalua tua gratia, facturus ſum quod hortaris? Tunc Imperator. Non ſolum, inquit, ſalua mea gratia, ſed ſi volueris, me quoque in ea re adiutorem habebis. Mox vir ſanctus plenus ſpiritu Dei, ad Imperatorem ſe inclinans, ait. Dic mihi oro Domine Imperator, ſi ſit edendus piſcis, à capitene, an à pedibus incipiendum eſt? Tu ergo mi Domine ſtare te exiſtimas, ſed quamuis grauem ruinam iam feceris, vide tamen ne grauius cadas. Habes coniugis loco Iuditham tibi ſanguine propinquam, Guelphi Bauorũ Ducis filiam,

*S. Fridericus Epiſc. Vltraiect. liberè arguit Ludouicum Imp.*





filiam, quam ſi non repudiaueris, & dignam Deo egeris pœnitentiam, iam prædico imminere tibi, & regno tuo immane exitium. Quæ cum diceret vir ſanctus, & multi etiam pontifices eius ſententiã confirmarent, neque ea tamen Imperator ita vt par erat, animaduerteret, rurſus vir Dei eum compellauit. Nos quidem Domine Imperator, ſi tibi peccatũ tuum non indicaremus, neque id reprehẽderemus, tu ab illo te non reuocares, nec connitereris redire ad vitam, noſque vna tecum propter ſilentium noſtrũ æternis ignibus addiceremur. Et ecce vix ſermonem beatus Epiſcopus abſoluerat, & Imperator erubeſcens, ad tempus doluit, defixiſque humi luminibus, peccaui, dixit, & deflexi à recto itinere: quod à me perperam factum eſt corrigam.

Cum ſub ſpecie pacis B. Malachias quæreretur ad mortem, quibuſdã diſſuadentibus nec egrederetur ad Regem, reſpondit. Sinite fratres, ſinite me imitari magiſtrum meum. Sine cauſa ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor. Fortè flecto humilitate tyrannum, & exhibens oui paſtor, Sacerdos laico, quod mihi ille debuerat. Vos quoque, quod in me eſt, non parum ædifico exemplo tali. Quid enim ſi contingat occidi? Non recuſo mori, vt vos vitæ ex me teneatis exemplum. Oportet Epiſcopum non dominari in Clero, ſed formam fieri gregis. Haud aliam ſanè formam quam ab illo accepimus, qui humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem. Quis mihi det hanc relinquere filiis ſignatam ſanguine meo? Experiemini certè, an Sacerdos veſter dignè ſatis à Chriſto didicerit, mortem non timere pro Chriſto.

*S. Malachiæ Epiſcopi magna animi fortitudo.*

Vna dierum cùm pertranſiret beatus Dominicus per loca hæreticorum, in quibus paratas inſidias ſuſpicabatur, intrepidus & alacer incedebat. Quod illi inſidiantes ad iniuriandum, plurimum admirati, ſe manifeſtantes dixerunt ei. Neque tu times mortem? Quid acturus eras ſi te comprehendiſſemus? Quibus ille. Rogaſſem vos ne breui compendio mihi vitam auferretis, ſed truncatis minutatim articulis corporis & digitis, poſtea manibus & pedibus, brachiis & tibiis, & ante oculos meos poſitis, poſtea oculos ipſos eruerетis, & ſic truncatum in ſanguine volutari permitteretis, aut prorſus ad libitum necaretis. Quod intelligentes hæretici ſe retraxerunt, ne magis obſequi quàm perſequi viderentur.

*Item & S. Dominici.*

Acceſſit aliquando B. Iordanes ad Fridericum Imperatorem viſendi eum gratia. Apprimè Fridericus virum Dei diligebat, colebat, venerabaturque: Data redditaque ſalute confedere ambo. Verùm poſt multa verba familiaria ad Cæſarẽ dixit. Plurimum Cæſar miratus ſum, quod abs te minimè de his quæ dicuntur per diuerſas prouincias fuerim interrogatus, cùm ſcias nos continuè per omnem ferè Chriſtianitatem diuagari, & qui rumores audiuntur, quæ de te fama percurrat. Reſpondente Cæſare, ſe habere curſores, veredarios, nunciosque per orbem terrarum, & in curiis Principum, ex quibus cognoſcere, intelligere, ac omnia quæ fiunt ad amuſſim ſcire poſſet, dixit Iordanes. Chriſtus orbis terrarum Dominus, licet omnia adhuc in humanis agens ſciret, tamen à diſcipulis de ſe quærebat dicens: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Tu quidem Imperator homo es, & multa quæ de te dicuntur ignoras, quorum ſcientia tibi, Imperioque tuo plurimum cõduceret. Fertur enim per prouincias, quod bona Eccleſiarum veluti tua temerariè exigis, cum ſint ſacris initiatorũ & pauperum. Iuſtas ac rectas ſententias contemnis, procuras auguria, Iudæis ac Sarracenis plurimum faues, Pontificem Maximum, Chriſti Vicarium, Petri Apoſtoli legitimum ſucceſſorem, totius Reipublicæ Chriſtianæ moderatorem, omniumque noſtri parentem, tibi, ac omnibus Principibus, &c. præſidentem contemnis. Hæc certè Cæſar plurimum de de tua dignitate detrahunt. Sicque in multis familiariter corripiens, valedicens, æquè vt antea carus Cæſari inde abiit.

*B. Iordanes modeſtè & prudenter arguit Fridericum Imperatorem.*

### NOTÆ.

Rogauit aliquando beatum Fridericum.] *Fuit Epiſcopus Vltraiectenſis, martyrio coronatus anno 838; cum reprehenderet Ludouicum Imperatorẽm filium Caroli Magni, ob illicitum matrimonium contractum cum Iuditha ſibi ſanguine iuncta. Cuius vitam habet Surius tom. 4. 18. Iulij.*

Beatus Malachias.] *Hiſtoriam iſtam refert S. Bernardus in vita ipſius, cap. 8.*

## DE VANA GLORIA FVGIENDA.

ABBAS Attala dicebat de vitio vanæ gloriæ. Quamuis ſancti homines ſint diuerſis virtutibus ditati, ab eis tamen hoc vitium ſtudioſè eſt vitandum, atque fugiendum. Nam hoc callidus hoſtis malitioſè ſtudet, vt dum in maioribus ac certis culpis ſanctos Dei maculare non valet: ſaltem vel in occultis, quæ minora videntur polluat.

*Vana gloria à ſanctis viris ſtudioſè fugienda.*

Idem dicebat quod fauor adulatorum corda plena virtutibus maculare ſolebat.

Beatus Odilo tanquam venenum ſerpentis, ſic laudes hominum fugiebat. Vnde etiam dicere ſolebat, quantumlibet ſublime ſancti operis ædificium, per vanæ gloriæ ſubitò corruere appetitum.

*S. Odilo quaſi venenum reſpuit laudes hominum.*

Beatæ memoriæ S. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus ex Monacho Carthuſiano, cum leproſos ſæpe viſitaret & oſcularetur, exemplo D. Martini id ſe facere dictitabat, Cancellarius autem eius volens tentare an ex ea re, aliqua vana gloria tangeretur, dixit ei. S. Martinus leproſos oſculando ſanauit: tu leproſos, quos oſcularis, non ſanas; piè & ſapienter reſpondit. Oſculum Martini, carnem leproſi ſanauit: oſculum verò leproſi, animam meam ſanat.

*Leproſorum oſculum animam ſanat.*

Rogata aliquando B. Maria Oegniacenſis, num ex laudibus humanis, vel diuinis reuelationibus, vana gloria vel leuiter ſe titillari ſentiret, ita reſpõdit. Comparatione veræ gloriæ, quam ego expecto, nihil prorſus eſt, vel exiſtimari poteſt omnis humana gloria, & prædicatio.

Interrogatus aliquãdo à fratre B. Ægidius quidnam facere deberet, quandoquidem & benè agens omnino ſe efferri ſentiret, malè autem agens, maiori afficeretur animi mœrore, & propemodũ deſperaret, ita reſpondit. Optimè facis, ſi te peccaſſe doleas; ſed tamen huic dolori adhibendus eſt modus, cogitandumque Dei potentiam longè propenſiorem eſſe ad miſerendum, quàm infirmitas tua fuerit ad peccandum. Nam ſi agricola cogitet, ſi quidem ſementem fecero, volucres cæli & beſtiæ terræ, & ſemen, & fruges comedent, nunquam ſeminare auſus erit, nec habebit quod comedat. At ſapiens agricola ſerit tempore ſuo, ac deinde colligit annonam. Non ſunt igitur propter vanam gloriam bona omittenda opera, ſi ea diſplicet: ſemper enim & maxima & potiſſima operum portio permanet ea facienti.

*Propter cogitationes vanæ gloriæ non ſunt omittenda bona opera.*

Dicebat venerabilis Gerardus. Inanis gloria etiã per Philoſophos tam excellenter eſt reprobata, vt

*Etiam Philoſophi vanam gloriam contemſerunt.*

vix eam aliquis laude dignus admittere debeat.

Idem dicebat. Si veniat laus ex opere propter Deum facto,licet hoc opus luceat, redde altissimo laudem illam & gloriam.

Item secundum Bernardum, nullum verbum proferas, de quo multum Religiosus, vel scientificus appareas.

*Initium vanæ gloriæ,sibi placere.* Dixit idem. Initium vanæ gloriæ est sibi ipsi placere. In nullo meliùs cognoscitur homo, quam in hoc quod laudatur.

### NOTÆ.

Abbas Attala.] *Vitam eius scripsit Ionas Abbas, quæ extat in Chronol. Lerinensi.*

Beatus Odilo.] *Fuit Abbas Cluniac. cuius vitam prolixius scriptam reperies in Biblioth. Cluniac.*

S.Hugo.] *Cuius vitam habet Surius tom.6.*

## DE CONTEMPTV mundi.

### Cap. XIV.

*Filius cuiusdam Principis, relicta sponsa, petit Eremum.*

ERemitam quendam præcipuis virtutum operibus floruisse ferunt, qui cuiusdam magni Principis filius fuisse, & in deliciis copiosissimis esse nutritus perhibetur. In quibus eo vsque perductus est, vt parentes eius magnificas illi nuptias præpararent, & sponsam delicatissimam, cum apparatu multo conducerent. Cuius dum coniugio potiturus,cubiculum post cœnam opulentissimam intraret, subito pauore nescio quo raptus, vidit quasi iuuenem speciosissimum, qui ei maiorem gloriam commodaturum sanctè promitteret, si sibi parere sequendo maluisset. Quod cum tota ambitione iuuenis se velle dixisset, surrexit,& de omni supellectili quam possederat, vasculum ligneum, quo vinum de situlis in vasa aurea & argentea mixtum bibentibus fundi solebat, solum secum sumens,virum qui apparuit,secutus abscessit.A quo in remotiora Eremi loca ductus,vitam laudabilem, & paucis imitabilem duxit. Cumque ibidem multos dies ad promerendum Deum continuis orationibus vacaret, supplicare magnopere cœpit, vt cum quo æqualitatem præmij habiturus esset iudex æquissimus aperiret. Cui cum Colonien sis Ecclesiæ Præsul famosissimus Seuerinus, in huiusmodi consortio proponeretur,sibi eum quis esset,ostendi precabatur.Nec mora,idem qui illuc eum adduxerat,affuit,& ei locum in quo sanctus Episcopus illis diebus morabatur ostendit. Fortè tunc instante quadam solemnitate multitudo populi confluebat, cui post diuinũ officium à tanto Pontifice exhiberi honor impositus exigebat.Vbi dum prædictus solitarius deliciarum cernens affluentiã se ei in præmio sociandum esse pertimesceret,qui talia,qualia ipse quondam dimisisset, haberet, seuetitate correptionis à magistro imposita didicit, quod minus Episcopus omnem illam secularem gloriam,quàm ipse ligneũ vasculum, quod sibi de cunctis opibus suis reseruauerat, dilexisset. Vnde Deo gratias agens, ad locum vnde venerat, gratulabundus recessit, & vt promissum præmium cum Dei famulo Seuerino mereretur, quoad vixit, instantissimè flagitauit.

Beatus Hugo Lincolnien sis Episcopus,secularibus Angelicæ illius Carthusianæ vitæ statum laudantibus, & de suæ mundanæ vitæ impedimentis conquerentibus, quos tamen nec velle, nec posse sciret ad perfectiora viuendi instituta transire, huiusmodi adhibebat institutionem.Non soli(inquit) A Monachi, sed nec Eremitæ tantum, atque solitarij, regnum Dei consequentur. Denique cum vnumquemque iudicabit Dominus,nequaquam id expostulabit, quod Eremitæ non fuerit,aut Monachus, sed hoc potius exprobrabit, quod minimè fuerit germanè ac probè Christianus. Nam tria quidem illic à quolibet exigentur Christiano, ex quibus si vel vnum illi defuerit, nomen Christianum prodesse ei non poterit. Nocebit potius nomen sine re, quãdo detestabilior est falsitas in veritatis professore. Exigit autem vis & veritas beati nominis huius, vt indesinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, castitas in corpore, non fallaciter Christiani. *Tria à quolibet Christiano exigentur in iudicio.*

B Dicebat beatus Laurentius Iustinianus, consulto Deum gratiam Religionis hominibus occultasset. Nam si cognosceretur illius fœlicitas, omnes ad eam concurrerent. *Religionis gratiã quare Deus hominibus occultauit.*

Beatus Vvolstanus,Episcopus,cuidam sæpius eadem peccata sibi confitenti, sapienter respondit. Opportunitas (inquit)vt video,facit latrones, ideo consulo,vt Monachus fias,& sic vitiorum importunitate carebis.

Quidam secularis venit aliquando ad beatum Ægidium,vt cõsuleret eum, num Monasterium ingredi deberet. Cui vir sanctus respondens dixit. Si quis valdè inops sciret alicubi in agro reconditum thesaurum,putasne ad illum effodiendum aliquem C mitteret? Quanto ergo homines magis properare debent, vt reperiant vitæ æternæ thesaurum?Tunc ille consiliis eius parens,relictis omnibus factus est Monachus. Iuerat aliquando B.Thomas Aquinas ad S. Dionysium cum Parisiis degeret,ad visendas sacras Reliquias, iamque reuertenti ostendebant socij ciuitatem Parisiensem, eamque laudibus efferebant. Tunc ille ait: At ego mallem mihi dono dari Chrysostomi homilias in Matthæum, quam Lutetiam Parisiorum. *Religio Monastica est ager continẽs vitæ æternæ thesaurum.* *Magnus vñdi cõtemptus in beato Thoma Aquinate.*

Beatus Iordanes nõnumquam causam reddebat quare citius scholastici, philosophiæ inseruientes, ad sanctæ Religionis statum conuolarent, quam Theologi & Iuristæ.Dicebat enim: Faciliùs rustici bono inebriantur vino,veluti insueti,qui aquam libare solent, quam nobiles, qui vina optima & fortia non timent, eo quod in vsu habeant. Philosophi quidem tota hebdomada Aristotelis, & aliorum Philosophorum aquam epotant.Vnde cum in diei Dominicæ sermone, vel festi Christi Iesu verba,& seruorum eius dulcia,& vehementia hauriũt: mox inebriati mero sancti Spiritus capiuntur, & non tantum sua, sed & seipsos Deo largiuntur. Isti verò Theologi sæpe huiusmodi verba audierunt, & ideo eis sicut rustico, & ædituo contigit, qui ex assiduo ante aram Dei transitu, irreuerenter se habet, & ad illam nonnumquam terga vertit, cæteris reuerenter inclinantibus. *Quare scholastici philosophiæ studentes potius ad statum Religionis conuolant,quam Theologi & Iuristæ.*

Accidit vt B.Iordanes per ipsum sanctæ conuersationis toga indutos iuuenes,ad quoddam cœnobium secum duceret. Cum igitur ad meritoriam tabernam diuerteret, & pro consuetudine hora id petente, Officium persolueret,quod Cõpletorium dicunt, accidit vt quidam ex iis in risum prorumperet.Cæterum verò id cernentibus aliis,vehementer & ipsi ridere cœperunt. Animaduertens autem quidam ex sodalibus viri Dei,nutibus admitebatur eos compescere. At illi magis ac magis ridebant. Tunc Iordanes dimisso Completorio, & dicto Benedicite,ad socium conuersus: Frater,inquit, quis horum tyrunculorum tibi curam demãdauit? Quid ad te attinet de eorum risu? Et ad illos conuersus: *Conuersi à seculi vanitate magnam causam habent ridendi & gaudendi.*

Filij,



Filij,ait,vehementer ridete, nec inceptum omittatis,quia hoc vobis concedo.Et verè ridere,beneque vos ridere oportet, eo quod è diaboli carceribus existis, fractis vinculis illius,quibus vos multo tẽpore ligatos tenuerat. Ridete igitur filij, ridete. Porrò illi hoc in sermone cõsolati in animo, deinceps ridere ore effuso nequiuere. A

Quidam vir nobilis Germanus,potentia maxima fretus, vaccam à matre sancti Iordanis abstulerat. Post paucos verò dies, verbis suis Iordanes eiusdẽ filium ad suum Ordinem traxit. Quo audito, pater quosdam ad eum de filio ablato querens præmisit. *Egregium & facetũ B. Iordanis responsum.* Quibus Iordanes sic facetè respõdit, vt eorum furorem leniret. Haud ignoratis Germaniæ consuetudinem, quæ huiusmodi est,quod si quispiam ali- B cui iniuriam intulerit mulieri,nemo ægrè ferre debeat, si fuerit à filio vindicata. Cùm ergo ciuis ille matrem meam boue priuauerit, non iniquo animo vos,nec ille ferre debetis si vitulum abstulerim.

### NOTÆ.

Eremitam quendam, &c. ] *Non est necesse repetere, quæ iam annotauimus circa finem libri 2. vbi etiam historiam istam descripsimus.*

Beatus Vuolstanus. ] *Fuit Vuigornien sis in Anglia Episcopus, cuius vitam habet Surius tom. 1.*

## DE SPE ET CONFIDENTIA in Deo habenda.

### Cap. XV.

CVm ex alto cecidisset B. Gertrudis, dixit ad Dominum : Amabilissime Iesu, quàm benè mihi contigisset, si casus ille mihi ad te celerius perueniendi dedisset occasionem! Hæc verba cùm mirarentur qui aderant percunctantes dixerunt: formidaretne Sacramentis non munita mori? respondit.Toto corde opto salutiferis antequam moriar, muniri Sacracramentis:iis tamen confidenter præfero prouidentiam, ac Dominĩ mei volũtatem. *Quanam vera ad mortẽ præparatio.* Hanc enim saluberrimam nõ ambigo esse ad mor- D tem præparationem. Propterea morte aut subita, aut diutina, vtrum illi placuerit, ad eum optatius est mihi venire. Spero enim quacumque morte hac luce defuncta fuero, Dei misericordiam nunquam mihi defuturam, sine qua certa mihi incumbit damnatio, tam in morte, quæ improuisa irruit, quam in illa, quæ longè ante præuisa est.

*Vita animæ in quo consistat.* Sæpe admonebat beatus Laurentius Iust. nunquam amittendam de Deo fiduciam, illam esse, in qua animæ vita consisteret.

*Nunquam de diuina misericordia desperandum.* Dicebat B.Ægidius. Nunquam debet peccator, dum est in viuis,diuinam desperare misericordiam. Vt enim nulla est tam spinosa,& nodosa arbor,quæ non possit fabrorum arte plana, & elegans fieri,ita E nullus est tam flagitiosus peccator,quem non possit Deus ornare gratia,& virtutibus suis.

Dixit venerabilis Gerardus. Semper magis sperabis de æterna gloria,quàm timebis de gehenna.

### NOTÆ.

Cum ex alto cecidisset B.Gertrudis.] *Eius vitam & reuelationes reperies in libris Insinuationum diuinæ pietatis. Hæc autem quæ suprà scripsimus, reperies in libro 1. c. 11.*

Dicebat B. Ægidius. ] *De quo iam suprà satis diximus.*

## ALIÆ QVÆDAM SENTENTIÆ Patrum.

### Cap. XVI.

*Ex pulchritudine rerum terrestrium ad cælestium amorem accendimur.*

VIdens aliquando B. Fulgentius gloriam Senatus Romani,exclamauit dicens.Quàm speciosa potest esse Hierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præstabitur sanctis contemplantibus veritatem.

Cum degeret in Eremo beatus Odo Abbas,sæpe *S. Odonis sẽtentia.* à multis visitabatur, quos sanctis exhortationibus ad virtutes animare solebat. Admonebat eos viuere parcè,& malè concupita non amplecti,& ventris refrenare ingluuiem, dicens. Qui ventrem farcit, venerem nutrit. Libidinosis præcipitium opponebat draconis dicens.Heu miseros illos,quia tertiam partem stellarum cœli post se trahit draco! Ebriosis,& comestoribus dicebat. Nabuzardan princeps *Apoc.12. 4.Reg.25. 1.Cor.6. Math.2.* coquorum destruxit muros Hieruselem. Mollibus & masculorum concubitoribus opponebat Herodis homicidium,& Scribæ exilium.Quanto,inquit, melior est anima corpore, tãto qui talia egit peior Herode. Ille corpora interfecit,animas cœlo transmisit, hic corpora à Deo separat, & animas æterna C morte trucidat.Scriba verò qui probabat Tyrones, captiuus ductus est in Ægyptum, hic enim post mortem ducẽdus est in infernum. Doctorum etiam flebat præcipitium,& dicebat:Aspice Domine,quia facta est desolata ciuitas plena diuitiis. Et rursum *Iob.41.* aiebat:Væ tibi Behemoth, aurum tibi sternis vt lutum,& radij solis sub te sunt.

*Vita Monachi sine silẽtio nihil est.* Idem solebat pauperes cœli ianitores appellare. Dixit Abbas Ioannes, vita Monachi vsque adeò est aliquid,donec sub silentio studuerit,eo verò remoto,quicquid benè vel honestum se agere putauerit, secundum institutionem Patrum nihil erit.

Cum aliquando præsente beato Hugone fieret mentio de mortis horrore,respondit. Malè profecto nobiscum ageretur, si nunquam mori deberemus. D

*Deus fœminum sexũ valdè honorauit.* Idem sæpe dicebat ad consolationem mulierum. Satis à fœmineo sexu Deus diligi promeruit, cum nasci de fœmina dignatus est. Nam cum viro concessum non sit, vt vel dicatur, vel sit pater Dei: hoc tamen præstitum est fœminæ, vt sit mater Dei.

*Monachus qualiter in refectorio se gerere debeat.* Dixit idem. Monachus sedens in refectorio ad reficiendum, oculos in mensa, manus in scutella, aures ad librum, cor ad Deum semper habere debet.

*Libri omnino Religiosis pernitiles.* Idem dicebat sacros codices Religiosis quibusque,& maximè vitam ducentibus solitariam, valdè esse necessarios. His enim pro deliciis & diuitiis E tempore trãquillo,his in bellico procinctu pro telis & armis, his in fame pro alimonia, his in languore pro medela, Monachis vtendum esse memorabat.

*Detractionis vitium Deo abominabile.* B.Franciscus detractionis vitium,inimicum fonti pietatis & gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & piissimo Deo abominabile fore firmabat,pro eo quòd detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat. Et addebat. Tanto maior est detractorum impietas,quàm latronum,quanto lex Christi, quæ in obseruãtia pietatis impletur,magis animarũ quàm corporum nos adstringit optare salutem.

*Maius lucrū in subiectione quàm in prælatione.*

Dicebat etiam. In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animæ lucrum est. Cur ergo periculis plus quàm lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum?

*Mortis meditatio ambitionem tollit.*

Beatus Antoninus cuidam adulatori impudenter blandienti, Cardinalem breui eum futurum, respondit. De sepulchro nobis est, ac propinquo interitu, non de sublimiore gradu cogitandum.

*Pulchra sententia B. Clarę de Montefalconis.*

Interrogata à quodam Monacho B. Clara de Montefalconis, quare demissis semper in terram oculis loqueretur, respondit. Cum tantum lingua loquamur, quid prodest intueri vultum & oculos?

Dicebat etiam se potius læto animo pœnas inferni per spatium vitæ præsentis toleraturam esse, quàm detrimentum virginitatis suæ.

*Murmurationes non audiendæ.*

Nolebat vnquam B. Hugo audire murmurationes. Vnde dicere solebat, sufficere omnibus scire sua peccata, non esse iustum, nec necessarium perquirere imperfectiones aliorum, quæ semper conscientiam nostram lædere consueuerunt.

Dicebat beatus Thomas Aquinas, Monachum soliuagum, diabolum solitarium esse.

Idem sæpe dicebat se nescire quomodo aliquis in peccato mortali existens, posset ridere, vel gaudere aliquando.

Solebat comiter & facetè dicere beata Coleta, respuendas esse carnes, & pisces grandes, aliaque id genus esculenta, quippe quæ panis puritati comparari non possent.

Frater quidam tentationibus pressus, sæpe Deum rogauerat, vt ab iis liberaretur, sed id frustrà. Indicauit igitur beato Ægidio, qui sic ei respondit. Non mireris frater mi, si permittit Deus te confligere cum hostibus, quando tot ab illo affectus es gratiæ donis. Quanto enim pluribus armis instruit Rex milites suos: tanto eos vult virilius dimicare.

*Nec tentationes fugiendæ.*

Quidam interrogauit eum quo pacto tentationes effugeret: cui ille respondit. Tentationes fugere volens, ipsum cælum fugit. Non enim coronabitur nisi qui legitimè certauerit.

Beatus Laurentius Iustinianus dicebat, tribus Monacho opus esse, desiderio, moderatione, & gratia. Nam vbi horum aliquid desit, ibi perseuerantiam esse non posse.

Procurator Monasterij pertæsus hoc onere, aliquando rogauerat instanter beatum Iordanem ab eo se absolui. Cui vir Dei respondit. Officia creberrimè quatuor ista comitantur: negligentia videlicet, impatientia, labor, & meritum. A primis duobus te absoluo. Duo verò reliqua in peccatorum remissionem tibi iniungo.

*Officia quatuor comitantur.*

Cum quandam similitudinem in concionibus soleret iterare B. Iordanes, & hoc ei obiiceretur, respondit. Si quispiam bonas herbas legisset, illasque in pulmẽtum faciendum accuratè præparasset: essetne conueniens, illas proiicere, & pro aliis colligendis laborare?

*En quàm periculosa sit Episcopalis dignitas.*

Aliquando sermo coram ipso factus fuit de quodam patre viro probo, & virtutibus prædito, quòd Antistes iure optimo fieri deberet. At vir Dei respondit. Mallem eum feretro mortuum ad sepulturam sociare, quàm in cathedra Antistitem videre sedentem.

Beatus Laurentius dicebat, nullam rem Monachum aspicere debere, quæ desiderium illius teneret.

Item dicebat, serui Dei non esse, à magnis peccatis cauere, id potius esse secularis hominis, sed parua vitare, ne charitas refrigesceret.

Cum esset in extremis beatus Thomas Aquinas, fratres circumstantes interrogauerunt eum quomodo vitam absque defectu transigere posset. Quibus ille respondit. Si potestis reddere rationem de omnibus actionibus vestris, quando eas facitis. Interrogauerunt etiam quomodo quis posset euadere doctus. Respondit, legendo tantum vnum librum. Soror ipsius interrogauit eum quomodo seipsam saluaret posset. Cui respondit, volendo. Interrogauit etiam quid esset Paradisus. Respondit, quoadusque merueris, nemo potest tibi explicare.

*B. Thomæ Aquinatis sententia.*

Cum decumberet in lecto mortis beatus Girardus, ad ipsum venerunt quidam scholares deuoti, morbo pestilentiæ percussi, cupientes pro remedio animæ, salutare aliquod verbum ab eo audire. Ad quos ille clementer loquutus est. Si habetis bonam voluntatem semper seruiendi Deo, securè potestis mori. Omnes lectiones quas didicistis, reputabuntur vobis sicut oratio Dominicalis, propter piam intentionem quam ad Deum in studendo habuistis. His auditis consolati sunt iuuenes, & reuertentes ad hospitia sua, defuncti sunt in confessione bona, commendantes Deo, & Angelis animas suas Christi sanguine redemptas.

*Intentio reddit actiones nostras magis meritorias.*

Ea tempestate qua venerandus vir Ioannes Vincentinus, vita, doctrina, & sanctitate conspicuus, Bononiæ concionans, in melius hominum mores reformauit, timentes ciues Bononienses tanto patre orbari, communi voto aliquot viros doctrina claros, Parisios ad conuentum generalem Ordinis legatos miserunt, vt efficerent ne tantus vir à Bononiensi ciuitate auferretur, coram plurimas adducentes rationes, inter quas etiam hanc protulere: Totam fuisse ciuitatem verbis eius in melius reformatam, & iam iactum semen fructificare, in breue coalescendum, vt in optimam frugem euasurum sit. Quod si modo Ioannes abiret, fortassis omnem segetem arefieri, nondum bene firmatam. Quare rogabant patres, vt ciuitati Bononiensi morem gereret. Quibus per Iordanem responsum est fere in huiusmodi verba, prius tamen collaudata ciuitatis beneuolentia & deuotione. Oratores egregij, causa quam coram protulistis, suadens, vt amoueri pater Ioannes à vestra ciuitate non debeat, non cogit nos votis vestris facere satis. Porro vos scitis, agros serentes, iactis seminibus in agro, exinde abire, nec ibidem permanere, vt videant quomodo semen producat, quoue modo coalescat, fructumque proferat, sed iactis in vno loco seminibus, relicto illo ad alium serendum vadunt. Inscitiæ illum argueremus, qui iactis seminibus, in agrum comportaret stratum, vt incrementum, vel decrementum frugum obseruaret. Ioannes iecit in vestra ciuitate semen, oportet vt vadat in aliam ad id faciẽdum, iuxta monita Saluatoris dicentis, quia & aliis ciuitatibus oportet me prædicare verbum Dei. Verumtamen cognita vestræ ciuitatis ad Ordinem nostrum dilectione, ne videamur tantorum preces ciuium aspernari, colloquio inter nos habito, admonitemur vestris satisfacere petitionibus.

*Ioannes Vincentius doctrina & sanctitate clarus.*

*Luc. 4.*

Semel Parisiis concionans, & adhortans sceleribus obnoxios ad Deum properare, & acta improba rescindere, diuereque illa per sanctissimam confessionem, ne diutius in eis persisterent, & occurreret sibi, quod in scriptura peccatum inferni porta diceretur, ait. Si quispiam hodie, cras, & post cras, & pluribus diebus ad cœnobium veniens, præ foribus aliquem continuè sedere adolescentem animaduerteret, nonne de facili ipsum Ordinem ingredi velle putaret? Quomodo igitur non est credibile, quod

*Peccatum porta inferi dicitur.*



*Matth. 16.*

quod intrent in infernum, qui tandiu sedent in porta?

*Ex vno verbo aliquando sententia intelligitur integra.*

Aliquando in partibus transmarinis rogatus à Templariis, vt sermonem faceret Gallicè (fortè ij Galli erant, nec eorum idioma plurimum callebat,) votis eorum libenter annuit. Accidit autem vt in quadam platea omnes essent quodam muro ab vno latere ad hominis staturam cincta. Verens ergo initio admonere, quod licet Gallicè parũ loqui sciret, tamen fideret quod ex vno verbo modico Gallico magnam aliquam sententiam colligerent, dixit. Si quispiam asinus (honore dato) vltrà murum consisteret, eleuaretque caput, vt saltem eius auriculam videremus, iam omnes intelligeremus, quod ibi asinus totus esset, ita vt per modicum partis, totum intelligeremus. Sic nõnunquam accidit, vt magna sententia dicta, vno breui verbo intelligatur, quamuis tota sit Germanica, & modicum Gallicum.

Cum vitas sanctorum Patrum legeret beatus Ioannes, diligenter obseruauit locum quendam, vbi impurus dæmon scribitur visibilis apparuisse cuidam Eremitæ. Quod etiam venerabilis memoriæ Vvilhelmum Slegthhlunensem, nunc miraculis celebrem, cum permouisset, scisciatus est à beato viro, quid causæ sit, quod non ita iam conspicuũ se præberet satan, vt olim consueuisset sanctis illis patribus. Ille verò respondit. Antiquorum patrum animos non fallax splendor & inanis gloria, sed diuina gratia illustrarat. Itaque facilè illi fraudulentas inimici machinationes peruidentes, ceu pugiles inuicti illum fortiter expugnarũt. Quod ille superbus non ferens, difficillima tentationum certamina illis obiiciebat, monstrosas formas, & tererrimos impetus eis ingerens, vt vi illos protruderet in peccata. Nos verò, qui facilè ei obedimus, occultis tentationum iaculis citò prosternit, etiamsi nullam nobis tetram speciem repræsentet.

*Cur dæmones antiquis patribus visibiles apparuerint, nobis non item.*

Aliquando in conuentu generali seu capitulo, vt dicunt tenendo, haud leuiter ægrotans B. Iordanes, cum pro more in festo Pentecostes ad fratres verba facere non posset, tandem rogatus, Capitulum ingressus, dixit. Hac hebdomada patres crebrò dicemus, Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Non ignoratis quod si vas oppleri aliqua recenti re debeat, oportet id euacuatum reddi, quo antea erat oppletum. Sancti igitur Apostoli repleti sunt à Spiritu sancto, quia euacuati erant à spiritu suo. Et hoc etiam in Psalmo cantamus. Auferes spiritum eorum, & deficient, à se scilicet, vt proficiant in te, & in puluerem suum reuertentur. Et sic emitte spiritum tuum, & creabũtur, &c. Quasi diceret Dauid. Si tua gratia voluntatem propriam, & singularem, ac priuatum à se euacuauerint amorem, tuo replebuntur sancto Spiritu. Quo verbo fratres aptimè ædificati recessere.

*Psalm. 103.*

*Vt repleamur Spiritu sancto, amorem proprii euacuare debemus.*

*Sub obedientia degentes securè viuũt.*

Dixit sæpe fratribus venerabilis Florentius. Quam bene vobis est, & quam secure statis, quod potestis sic viuere sub obedientia.

Item dicebat quod si esset sub obedientia numquam vellet esse perplexus. Nam quiuis deberet ponere onus suum super dorsum alterius in quo dubitaret. Merito deberet se homo sub omnibus conuersis humiliare, quantumcumque etiam nouis, quia nescit quantam gratiam sibi dederit Deus.

Non est morbus tam grauis, à quo verus obediens non curetur.

Dixit idem qui suprà. Miror quod qui sub obedientia est, habet dubia, & non stat contentus.

Periculosum est multum sæpe loqui, vel conuersari cum hominibus secularibus potestatem habentibus siue dignitatem. Ratio est, quia natura timens illos, sæpe homo applaudit eis, & assentit verbis eorum.

*Cum magnatibus multum loqui periculosum, & quare.*

Parum prodest multum studere, nisi quis studeat vitam suam emendare, & cum omni diligentia ad bonos mores ordinare, nam diabolus multa scit de scripturis, & tamen nihil ei prodest.

Melius est modicum spiritus, quam multa scientia sine deuotione. Nam pulchrorum verborum valde leuis est emptio, sed operum bonorum difficilis inuentio.

*Scientia sine deuotione parum prodest.*

Dixit venerabilis Lubbertus. Tene faciem communem cum cæteris sine nimia austeritate, aut serenitatis ostentatione, & apud teipsum semper maneas. Et in quocumque opere auersus fueris ab ista forma, nitere reformare te, & sic semper tranquillo animo perficies voluntatem Dei, & custodies te à vitiis, & semper hilaris perseuerabis.

*Deuotus semper hilaris esse debet.*

Caue omni modo in omnibus vehementiam, sed omnia deliberato animo facito absque contentione.

Numquam debes alicui aliquid durè dicere, vel opprobriosè increpare, aut deridere increpando. Obsecra & mone vt charitas poscit, & quandoque turbidi animi es, patienter & quiete suffer illa quæ sunt tibi contraria & passioni tuæ, & pro tunc nihil moue contra hoc, vel de illo ad quod importunè agitaris. Potius expecta donec gratia Dei & serenitas mentis redierit. Fuge interim ad cameram, & ad orationem, tanquam infirmus & obsessus, & cogita; In patientia vestra possidebitis animas vestras.

*Proximus nõ leuiter increpandus, vel irridendus.*

Dixit idem qui suprà. Longa locutio hominem à se rapit, ducit ignorantiam, præmeditationem aufert, inordinata profert. Necessarium est ergo homini multa dicere volenti, frequens meditatio, & interpolatio siue pausatio, scilicet si secundum beneplacitum Dei loquatur, vel non, si declinat ad iactantiam, & applausum hominum, & ad vanam gloriam.

*Locutio lõga multa mala parit.*

Nullo modo debes loqui burdosa, vel alios verbis ad hoc incitare.

*Verba iocosa, & ad risum mouentia nũquam proferenda.*

Disce parum, & paucis verbis loqui, & cum præmeditatione, & expecta alium in verbis, & time audire vnde lædaris. Discute verba cuiuscumque, an sint vera, vel detractoria, firmiter propone per gratiam Dei de malo nullius hominis dicere, nec libenter audire, nisi pia vtilitate, & tamen maximè caue ne seducaris. Accede ad studium sicut ad cibum capiendum animæ, vt lectione refecta, discat in illis anima occupari quæ legit, & obliuiscitur temporalia, & refrænari à vitiis. Non multum simul est tibi vtile studere sine masticatione & oratione, sed parum, & masticare illud cum oratione, & desiderio, & sic mittere in ventrem animæ, & in mores, & in virtutes, vt anima his quasi nutrimento sustentetur. Sicut corpus cibo, sic anima virtutibus reficitur. Nunquam debes aliqua studere quæ non reficiunt animam, quia fructus studij est fortitudo animæ, & propter virtutes acquirendas. Studere propter scire, & propter docere alios, aut propter quodcumque aliud quàm dictum est, non nutrit animam, sed facit eam insanam, sicut superflui humores corpus, & generat vanam gloriam, elatum cor, incompositos mores, vanas cogitationes, instabilitatem mentis, Dei obliuionem, & cõtemptum, turbatam conscientiam, & tenebrosum intellectũ, & magis exinanit & debilitat animam quàm reficit. Igitur moderatè studere, & bene masticare magis

*Detractio fugienda.*

*Studij fructus quinã.*

magis reficit animam, quam inconsideratè absque multa masticatione. Sequitur ergo quod anima mortua est quæ verba Dei indesinenter non digerit in mores & in virtutes, vel consumit seipsam,& fit putrida diuersarum concupiscentiarum malarum humoribus, & consumitur à dæmonibus,sicut corpus à febribus.

*Magis excedendum in misericordia quam in duritia.*

Dixit idem. Elige magis misereri, & in hoc potius excedere, quam in duritia.

## NOTÆ.

Beatus Fulgentius.] *Cuius vita habetur apud Surium tom.1.*

Beatus Odo.] *Eius vitam supra lib.3. descripsimus, prolixius verò habetur in Bibliotheca Cluniac.*

Præsente beato Hugone.]*Est ille Carthus. Lincoln. Episcopus.*

Beatus Antoninus.] *Est ille Dominicanus Archiepiscopus Florentinus.*

Nolebat vnquam B. Hugo.] *Fuit iste Episcopus Gratianopolis.*

Beata Coleta.]*Cuius vitam compendiosè scripsimus supra lib.6.Eam verò prolixius habet Mosander tom.7. Surij.*

Venerabilis Florentius.] *Est ille Ordinis Canonic. Regul. cuius iam multas sententias retulimus,quique obiit anno Domini millesimo quadringentesimo tempore Bonifacij Papæ IX. cuius vita extat inter opera Thomæ à Kempis.*

Venerabilis Lubbertus.] *Fuit etiam iste Ordinis Canonic. Regul. qui obiit anno Domini millesimo trecentesimo 98. cuius vita & exercitia extant inter opera Thomæ à Kempis.*

## DE VITA, MIRACVLIS, ET morte quorundam Patrum.

### CAP. XVII.

POSTQVAM beatus Cuthbertus aliquandiu vitam cœnobiticam exercuit, tandem diu concupita, quæsita, ac petita solitudinis secreta, multum lætabundus adiit. Et quidem in primis solitariæ vitæ rudimentis, secessit ad locum quendam satis secretum & solitarium. At cum ibidem aliquandiu solitarius cum hoste inuisibili, orando, ac ieiunando certaret: tandem maiora præsumens, longinquiorem ac remotiorem ab hominibus locum certaminis petiit, Farne dicitur Insula, medio in mari posita.

*S.Cuthbertus dæmones eiicit ex Insula Farne.*

Nullus hanc facilè ante virum Dei Cuthbertum solus valebat inhabitare colonus, propterea quod dæmones ibi habitabant. Verum intrante in eam milite Christi, armato galea salutis, & scuto fidei, fugauit omnes dæmones. Ibi autem erexit ædificium penè rotundum, à muro vsque ad murum quatuor fermè siue quinque perticarum distentum. Murus ipse deforis altior longitudine stantis hominis, nam intrinsecus viuam cædendo rupē,multo illum fecit altiorem, quatenus ad cohibendam oculorum, siue cogitationum lasciuiam, ad erigendam in superna desideria totam mentis intentionem, pius incola nihil de sua mansione præter cælum posset intueri. Quem videlicet murum non de secto lapide, vel latere & cæmento, sed impolitis prorsus lapidibus, & cespite, vt vix à quatuor viris videretur potuisse leuari, quos tamen Angelico adiutus auxilio, illuc attulisse aliunde,& muro imposuisse repertus est. Duas in mansione habebat

*Descriptio Eremitorij S. Cuthberti.*

*Sententiæ Patrum Occidentis.*

domos, oratorium scilicet, & aliud ad communem vsum habitaculum, quorum parietes quidem de naturali terra, multum intus foris que circumfodiendo, succidendo, confecit: culmina verò de lignis informibus, & fœna superposuit. Ibi igitur degens cum deesset aqua, precibus à Deo fontem impetrauit.

In tantum autem vir sanctus à cultu sui corporis animum sustulerat, vt semel calceatus tibracis quas pelliceas habere solebat, sic menses perduraret integros. Aliquando etiam calceatus in Pascha, non nisi post annum redeunte Paschæ tempore, propter lauationem pedum, quæ in cœna Domini fieri solet, se discalceasse dicatur. Vnde ob crebras preces, incuruationesque genuum quas calceatus exercebat, callum oblongum in confinio pedum & tibiarum habuisse deprehensus est.

*Nota antiquam consuetudinem lotionis pedum in cœna Domini.*

Deinde crescente studio perfectionis, inclusus in cella,ab hominum remotus aspectibus,per fenestram aduentantibus loquebatur.Exinde procedēte tempore, & ipsam occlusit, nec nisi dandæ benedictionis, vel alterius cuiuslibet certæ necessitatis gratia, reserabat. Sæpius dæmones ipsum de alta rupe per præceps miserunt, sæpius ad interficiendum eum lapides iactabant, aliis aliisque phantasiarum tentamentis eum conabantur de loco eliminare, nec tamen vllatenus vel corpus eius læsura aliqua, vel mentem timore contaminare valebant. Erant corui multi in Insula Farne, quos cum vir Dei die quadam nidificantes, hospitiolum fratrum rostro lacerare, culmosque quibus tectum erat hospitiolum, ad nidi fabricam ore ferre conspiceret, coërcuit eos leui protensione manus. Sed illis imperium spernentibus: In nomine (inquit) Iesu Christi,abite quantocyùs,neque in loco quem læditis, vltra manere præsumatis. Vix verba compleuerat, & confestim tristes abiere. Peracto autem triduo, vnus è duobus rediit, & fodientem reperiens famulum Dei sparsis lamentabiliter pennis,& submisso ad eius pedes capite, atque humiliata voce, quibus valebat indiciis veniam precabatur. Quod intelligens venerabilis pater, dedit facultatem remeandi. At ille impetrata redeundi licentia, mox sodalem adducturus abiit. Nec mora,redeunt ambo, & secum digna munera ferunt, dimidiam videlicet axungiam porcinam, quam vir Domini aduentantibus postea fratribus sæpius ostendere, atque ad inungendas caligas sæpius præbere solebat, contestans eis quanta hominibus obedientiæ, quanta sit cura humilitatis habenda.

*Seipsum includit in cella S. Cuthbertus.*

*A dæmonibus præcipitatus ex alta rupe nihil læditur.*

*Corui obediunt ei.*

Quidam Dei seruus nomine Ehoarn in partibus Britanniæ solitariam vitam duxit. Nocte autē quadam super eum irruentes latrunculi, ex adhærenti Ecclesiæ domo extraxerunt. Quidam verò ex ipsis Leopardus nomine, arripiens securim, super limen Ecclesiæ cerebrum illius excussit. Qui mox correptus à dæmonio, in terram corruit, atque cum surrexisset, cultellum arripiens,seipsum in pectore vulnerauit, & nisi cito à sociis suis fuisset defensus, semetipsum interfecisset. Ligatus igitur ab ipsis, domum reuersus est, sed nunquam postea sensum recepit. Vidimus namque eum per viginti annos nullo tegi indumento,non tunica, non camisia, non calceamento: sed miro modo æstate & hyeme nudum incedere. Huic si quis pro misericordia indumentum aliquod porrexisset, ille si fortè sub arbore sedisset, vel in quolibet loco,non discedebat,donec ipsum indumentum omnino discidisset. Et siquidem laneum, vel lineum fuisset, in ipso loco diffilabat illud. Si verò pelliceū,& ipsum

*Ehoarn à mita occiditur à latrone.*

*Pœna homicida.*





ad nihilum redigebat. Itaque & æstatis immensos calores, atque intolerabilia hyemis frigora, sicut diximus, per multos annos nudus incedens, domi forisque pertulit. O ineffabilis Christi clementiæ, ô bonitatis & misericordiæ ipsius immensitas! Credimus autem virum illum,per hoc quod Deus non vindicat bis in idipsum, saluum pro Dei misericordia fuisse.

*Miram agit pœnitentiam S.Bauo ob vēditum olim seruum nouum.*

Quadam die cū B. Bauo Eremita egressus fuisset de cella,obuium contigit habere seruulum,quē aliquando cum in mundo esset, neglecta re familiari, causa supplicij, ad nundinas venalem iusserat exponi. Quem vt vidit, acsi ipsum Christum in mortem vendidisset, amarissimas lacrymas fundere cœpit, rapto cursu & fiducia, pedibus eius se prosternere,fateri culpam,excusare ignorantiam, & petere veniam: illudque cogitans sanguine sanguinem lauari, forcipem & flagellum in manibus eius ponere, vt vindicaret in venditorem Christiani sanguinis, sacris verbis obsecrare. Seruus econtra recusare, peccatum ex corde condonare. Ille verò (vt qui nunquam non desideraret passionibus Christi communicare) non desistere, dum mira eloquentia expugnaret nolentis animum, & cogeret magis quàm peteret, in suum supplicium. Quid multa? Vincitur manus, ligantur pedes, totum corpus in sublime leuatur, pœna crudelissima afficitur, & quasi in pilam, cum nihil nisi Deo gratias ageret, contunditur: postremò in morem latronum totum caput detondetur. Hæc tua sunt Iesu bone opera: hic tuus est ignitus amor,quo ardentes omnes electi tui,ipsam quamuis raram peccatorum rubiginem decoquunt fornace tribulationis, aurum mundum futuri in die tremendæ examinationis.

*Infestat eum terrimtes cacodæmon.*

Cum esset senex,diabolus valde eum infestabat. Nam aliquando cellulam ipsius quasi quidam turbo aggreditur, furores iaculatur, stygios minatur ignes. Ille nihil moueri, nihil penitus terreri, scutum veritatis opponere.Nam diaboli nihil dubitabat hanc esse thecnam.Vnde aiebat:Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat callidus persecutor. Ad hanc vocem turbo ille cum cessisset,rursus exercitus iniquitatis adest, modo canis, modo lupus,iterū leo, vel vrsus, totum postremo diabolus, serpentinos pariter & ferales agebat motus. Sed Bauo grandi cum fiducia dicebat subsannando:Increpet in te Deus satan,& increpet in te qui elegit Hierusalem. Nec mora;legio euanuit, nec vltra virum Dei impugnare ausa fuit.

*Alia dæmonū præstigia.*

*Præsentes cernens Angelos, fœliciter expirat.*

*Brachbantus Regis venator.*

Quidam Brachbantus Dagoberto Regi iucundas exhibebat venationes. Eius canes quandoque immanem infectantes vrsam, coëgerunt eam fuga sibi consulere.Venit igitur ad beatum Eremicolam Gislenum, & sub eius tunica,quam propter laborē ad arboris ramum suspenderat, tanquam defensionem expetens, sese defessa reponit,& nihil iam reformidans secura quiescit. Stant procul canes, nec latratus edunt vllos, sed caudarum molli agitatione blandiri videntur.Ea re commoti venatores,ministri Regis,contumeliosè & impiè proscindunt virum Dei, & discipulos eius, aiuntque eos magicis artibus imbutos, dignos qui Regis iudicio pœnas luant. At vir mitissimus Gislenus, nihil ea verborū petulantia permotus: Ego, inquit, superni Regis fultus præsidio, Regis terreni minas non pertimesco.Interea Dagobertus Rex venit cum familiaribus suis, audiensque quid accidisset, ait ad virum Dei. Quis es tu,aut vnde,qui canes nostros nescio qua arte debilitare ausus es? Respondit ille. Ego natione Græcus sum, patria Athenienſis, nomine Gislenus,religione fidelis Christianus. Nec noceo cuiquam malis artibus,nec quicquam alienæ rei concupisco:solum autem Deum diligo, cuius,licet indignus,Sacerdos sum. Tunc Rex animaduertens esse eum virum sanctum ac planè Angelicum, relicta fera,& à tanto Sacerdote accepta benedictione, abiit cum suis, laudans Deum, qui est mirabilis in sanctis suis.

*Dagobertus Rex benedicitur à Sancto Gisleno.*

Viro autem beato in opus suum incumbente, surrexit vrsa, & arrepta sporta, in qua erant sacræ vestes in quibus vir Dei sacrificare solebat, pedetentim abscessit. Cernens id vir beatus indignè tulit: sed nesciens quid faceret, more suo totum se contulit ad obsecrandum Deum.Domine Deus,inquit, qui es omnium bonorum largitor, si gratum est maiestati tuæ, vt tibi seruiam, qui has mihi vestes dedisti, tu eas restitue. His dictis, correpto scipione,bestiam sequitur, sed viæ ignarus,nescit quò tendendum sit. Mox adest Aquila, antecedit eundem, & recto itinere perducit ad campum,vbi erāt pastores, qui se dicerent vidisse vrsam ferentem vestem quamdam, ostenduntque ei locum dumosum, mireque condensum, vbi vrsa suos solebat catulos nutrire, & ea causa Vrsidungus dicebatur. Mox eò properat vir sanctus, & lustrato dumeto, inter catulorum complexus reperit vestimentum, Deo conseruante, nihil læsum,aut contaminatum. Lætatur igitur se recta perductum eò, quò iussus esset proficisci. Deinde præcepit belluæ in Christi nomine, vt neminem lædens, quamprimum recedat, & alibi locum opportunum sibi captet. Paret illa, & confestim abscedens, postea illic visa non est.Cæterùm vir beatus locum à Deo ipsi monstratum repurgat, & magno Christi amore feruens,vt iussus erat cælitus, in beatorū Petri & Pauli Apostolorum honorem templum ædificauit, Cellam Apostolorū illud vocans. In ea verò cella ipse porrò secum habitauit, & humanam fugiens laudem, mundo se celauit, vixitque Deo, atterens corpus suum fame & frigore, semper degens in cilicio & cinere,sciens quod per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei.

*Vrsidungus vnde dictus locus quidā.*

*Vrsa obedit S. Gisleno.*

*Cella Apostolorum à Gisleno extruitur.*

Beatus Vvinuualocus Abbas,nocte quadam oratorium ingressus, cum more suo in sanctis precibus peruigil maneret, draco antiquus, eius in Deū deuotionem & pietatem acerbè ferens, multas ei



*Psalm.119.*

*In Cruris specie Christus ei apparet.*

*Angelus ei in visione apparet.*

*Esa. 66.*

*Diabolus in horrendis figuris Sancti Vvinuualoci terrere nititur.*

moleſtias excitauit. Nam immanis cuiuſdam monſtri ſpeciem induens, minas intentare, & horrorem viro Dei incutere cœpit. Transformabatur identidem in varias formas miſer ille fuligine nigrior, nunc volucrum, modo ſerpentum, mox belluarum tum terreſtrium, tum marinarum. Interdum vſque ad nubes ſuperbum tollebat verticem, nonnumquam in puluerem ſeſe ſubmittebat. Sed cum cerneret Chriſti militem eiuſmodi illuſionibus nihil commoueri, ſed magis in ſuo propoſito confirmari, conuiciis eum aggeſſus eſt. At beato viro pſallente, in eumque ſanctæ Crucis triumphale ſignum, cum Scripturæ diuinæ ſententiis vibrante, inſtar vmbræ mollis euanuit, teterrimo poſt ſe fœtore relicto, indice fœditatis ſuæ.

Habebat vir iſte beatus Vvinuualocus ſororem vnicam, quæ in parentum manebat domo, virgo, & puella tenerrima. Hæc die quadam cum puellis coætaneis puerili ſe ludo oblectans, in magnam repentè incidit calamitatem. Nam anſer vnus ex domeſticis eius excuſſit oculum, & deglutiuit. Mox autem dolor ingens puellam obtinuit, ita vt ad mortem vrgeri videretur. Ea res ſupra modum parentes eius afflixit, ita vt nullam prorſus conſolationem admitterent, ſed eam perinde atque iam extinctam plorarent. Quorum miſertus Deus, per Angelum ſuum rem geſtam Vvinuualoco indicauit, iuſſitque eum ire ad paternam ædem, & ſorori oculum, parentibus verò animi iucunditatem reſtituere. Et eadem nocte ſurgens vir ſanctus, venit ad parentes valde perturbatos. Cumque iuſſiſſet (vt erat ab Angelo edoctus) anſeres coram ſe adduci, ex iis vnum apprehendit, eiuſque ventrem ferro ſecans, oculum ſororis integrum inde extraxit, reſtituitque in locum priſtinum, non ſine multa eorum qui huic ſpectaculo intererant, admiratione. Porrò etiam anſerem ſanum iuſſit abſcedere ad gregem ſuum. Poſtea valedicens parentibus, ad amicæ habitationis locum reuerſus eſt.

*Sorori amiſſum oculum reſtituit.*

Solebat ſæpe diſcipulis ſuis ſanctarum Scripturarum arcanos & myſticos ſenſus aperire. Accidit autem cùm aliquando quaſdam illis quæſtiones enodaſſet, vt vnus ex diſcipulis ſecedens, quæ ex magiſtri ore audierat accuratè ſecum repeteret & ruminaret. Sed huic ſtudio intentum ſomnus corripuit, & ecce è ſuis latibulis ſerpens proripiens, dormientis pedem morſu virulento appetit, rurſuſque in ſuas ſe latebras abdidit. Mox ſe per omnes artus letiferum diffudit virus, & intumeſcente corpore, iam mors ſubitanea affutura videbatur. Euigilans ille, & in tam præſenti ſe periculo conſtitutum admirans, cum facilè ſentiret niſi diuinitus ipſi ſubueniretur, actum fore de vita ſua, cum bona fiducia adiit Vvinuualocum magiſtrum ſuũ, & cum multis lacrymis ab illo petiit, vt ſuis precibus à Domino ſalutem ipſi impetraret. Eum verò Sanctus Vvinuualocus humi iacentem erexit, & cum illo pariter abiit ad locum vbi à ſerpente percuſſus erat, ibique fuſa ad Deum prece, voce magna iuſſit ſerpenti è ſuo ſpecu prodire in publicum. Mox ille è ſua cauerna egreditur, ſquamis horridus, linguamque vibrans triſulcam, ictus mortiferos intendebat. Porrò Sanctus Vvinuualocus, contra illum extenſa manu, Crucis figuram exprimit, & ſigno vitali, tanquam haſtæ cuſpide, ita eum transfixit, vt creparet medius, finemque faceret deinceps alios lædendi. Deinde aquam oleo ipſius benedictione ſacrato permix-

*Signo Crucis ſerpentẽ interimit, & oleo benedicto Monachũ ab ipſo percuſſum ſanat.*

tam, ægro bibendam dedit, eaque virus omne profligauit.

*Viſitatur à Rege Britannia.*

Rex Britanniæ auditis miraculis beati viri, poſito diademate & purpura, humili ſe tegens habitu, ad illum acceſſit, eiuſque ſe pedibus toto corpore proſternens, precibus eius apud Dominum ſe petiit adiuuari. Eum autem vir ſanctus de terra erigens, ad mundi contemptum, & cæleſtis regni deſiderium familiari ſermone adhortatus eſt. Eius autem oratione exhilaratus Rex, atque etiam ſacerdorali benedictione corroboratus, quaſi totus in virum alterum mutatus, ad ſuum ſe palatium recepit.

*Angelico monitu fratrum obitũ diſcit.*

Vidit aliquando cælum apertum, & Angelos Dei deſcendentes & aſcendentes ſupra ſe. Vidit inter eos Angelum quendam cum eximio ſplendore, & immenſa odoris ſuauitate ad ſe venientem, & ore iucundiſſimo amiciſſimè atque familiariter indicantem ipſi quorumdam fratrum fœliciſſimum ex hac vita deceſſum, & in cælis aſſumptionem.

*Etiam de ſui obitu edocetur.*

Cum eſſet ex hoc mundo migraturus, nocte illa quæ eius ſancti obitus diem anteceſſit, Angelus Domini per viſum illi dixit: Euge Vvinuualoce ſerue Dei, cælicolæ omnes te ciuem cupiunt habere ſuum. Hodie migrabis ad Dominum, & iam emeritus miles, nobis in regno ſociaberis.

*Peracto Miſſæ ſacrificio ſtatim cibo dolorem effugat animam.*

Cùm autem ad horam tertiam cæleſtis ſacrificij, viuam immolaſſet hoſtiam, communicatoque cum diſcipulis pacis oſculo, & agni Dei viuifico refectus conuiuio, ita vt ſacræ aſſiſtebat aræ, animam citra dolorem in manus Creatoris efflauit.

In orientalium Anglorum finibus, iuuenis quidam obſeſſus intantum à dæmone vexabatur, vt lignis & lapidibus, ferroque homines appeteret, ſuaque membra dentibus & vnguibus laniaret, etiam tres homines, cum illi eum ligare tentaſſent, interfecit. Circumductus ille fuit ab amicis ad multa ſanctorum loca, ſed caſſo labore. Tandem ad beatum Guthlacum eum adducunt, iſque in ieiunio & precibus perſeuerauit, atque aqua hominem aſpergens, omnem maligni dæmonis poteſtatem ab eo excluſit, & parentibus ſanum atque incolumem reſtituit.

*S. Guthlacus obſeſſum à dæmone ſanat.*

De quodam Monaſterio duo fratres ad viſitandum virum Dei, & verba ſalutis audienda, venientes, detulerunt ſecum duas lagunculas plenas, eas verò in itinere in arena depoſuerunt, ceſpitibus eas operientes, vt in reditu ab illis laboris aliquod ſolatium captarent.

*Spiritu prophetico noſcit abſentia.*

Cum autem beatus Guthlacus cæleſtis verbi pabulum illis miniſtraſſet, quadam materia ſeſe offerente ſubridendo dixit: quare filioli mei non adduxiſtis vobiſcum lagunculas quas ſabulo infoſſas, ceſpite operuiſtis? His illi auditis obſtupefacti, pariter & pudore ſuffuſi, culpam ſuam fatentur, veniamque petunt.

*Quidam habens pedem ſpina tranſfixum, circumdatus viri Dei cilicio ſanatur.*

Quidam Ethelbaldi Comes, cum pedem haberet ſpina transfixum, à planta pedis vſque ad renes, tanto tumore cœpit inflari, vt vitam eius quotquot eius miſeriam eſſent intuiti, deſperare poſſent. Porrò Beatus Guthlacus, exuens cilicium in quo ſolebat orare, ipſum illo circumdedit: dictoque citius ſpina è pede reſiliente, tumor in momento ſubſedit, & dolor omnis ſopitus eſt.

Sanctus Paternus Sciſciaco diſceſſurus ad Abrincenſes petiit à fratre Scubilione vt liceret ſecum

auferre



auferre duos pullos columbarum, quos ipſe nutrierat. Negauit aſſenſum Scubilio dicens, ſe eius abſentis loco, vel columbas velle retinere. Ad quem Paternus. Imò verò, inquit, illius ſint columbæ, quem ampliùs amant. Cúmque ad Monaſterium quod inde ad decem & octo ferè milliaria aberat peruenìſſent, poſtridie venerabili Paterno illic columbæ alacres occurrerunt, ſuum erga eum teſtantes deſiderium. Nec præter rationem eſt, quod virum ſpiritualem columbæ, quarum ſimplicitas etiam in ſcripturis diuinitus commendatur, ſequutæ ſunt.

*Columbæ occurrunt Sancto Paterno in ſignũ amoris.*

*Philomela cantans ad feneſtrã Ioãnis Eremitæ eius obitum præſignat.*

Ioannes Eremita per aliquot dies ante obitum, philomelam ſingulis diebus ante feneſtram cellæ ſuæ dulciter canentem audiebat. Mirantibus fratribus, & interrogantibus quid hoc eſſet, reſpondit ſubridendo quaſi ioculariter ſponſam ſuam eſſe, inuitantem eum ad paradiſum. Quadam autem die miniſtrante ipſo ad Miſſam, vidit ſuper altare lucem cælicam, & eadem die cœpit decumbere, & cum magna deuotione ſpiritum reddidit ei qui fecit illum. Et infra eundem annum, Deus per ipſum ſanctum fecit circiter centum quinquaginta ſigna glorioſa.

*Poſt mortem claret miraculis.*

## NOTÆ.

Poſtquam beatus Cuthbertus.] *Eius vitam ſupra lib. 1. deſcripſimus, ſed quoniam prolixius habetur apud Surium, idcirco ea quæ omiſimus hic inſerere dignum putauimus.*

Quidam Dei ſeruus nomine Ehoarn.] *Refert hiſtoriam iſtam Ioannes noſter à Boſco in vita S. Gildæ cap. 24. circa finem Bibliothecæ Floriacenſis.*

Cum B. Bauo.] *Eius vitam ſupra compendiosè deſcripſimus, ſed iſta omiſimus.*

Venit igitur ad beatum Eremicolam Giſlenum.] *Quæ hic dicimus de beato Giſleno, in vita quam in ſuperioribus libris ſcripſimus, omiſimus.*

Beatus Vvinualocus.] *Similiter quæ in vita ipſius omiſimus, hic recenſemus.*

Tandem ad beatum Guthlacum, &c.] *Etiam omiſſa repetimus.*

S. Paternus, &c.] *Fuit Epiſcopus Abrincenſis, cuius vitam ſupra lib. 3. ſcripſimus.*

Ioannes Eremita.] *Fuit Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cuius meminit Iordanus de Saxonia in vita Fratrum.*

*Finis Libri Septimi.*

# APPENDIX AD VITAS PATRVM OCCIDENTIS.

Habetur in lib. de Vita Patrum c. 5.

## VITA S. PORTIANI ABBATIS. Ex D. Gregorio Turonensi Archiepiscopo.

S. Portiani conditio.

BEATISSIMVS Portianus ab ineunte ætate Deum quærere cæli semper etiam in terrena seruitia conabatur. Hic enim seruus fertur fuisse cuiusdam barbari. Is cum plerumque ad Monasterium confugeret, vt eum Domino suo Abbas redderet excusatum, ad extremum fugientem aliquando Dominus eum de vestigio sequitur,& Abbatem calumniari cœpit,imputans quod ipse eum seduceret, ne sibi suus famulus deseruiret. Cumque de consuetudine, vt eum redderet, calumniando Abbatem insisteret, dicit Abbas Portiano: Quid vis vt faciam? Et ille. Redde, inquit, me excusatum. Cumque excusatus redditus fuisset, & Dominus eius reducere eum domum vellet,ita cæcatus est,vt nihil penitus posset cognoscere. Cernens autem se grauibus doloribus affici, Abbatem vocat dicens: Supplica,quæso,pro me Dominum,& accipe hunc seruum ad eius cultum, forsitan promerebor recipere lumen amissum. Tunc Abbas vocato beato ait; Impone, quæso,manus tuas super oculos eius. Cumque ille refutaret, tandem Abbatis diuictus precibus, super oculos Domini sui signum beatæ Crucis imposuit: statimque disrupta caligine, & sedato dolore, pristinæ redditus est sanitati.

Signo Crucis illuminat cæcum herum suum.

At verò exin beatus Portianus Clericus factus, tanto virtutis cumulo est prælatus, vt decedente Abbate, ipse succederet. Qui fertur æstiuo tempore cum ardor solis vi caloris sui cuncta cõsumeret,& etiam corpora,quæ robustiora potu ciboque erant, æstus defatigaret, in ieiuniis post perditum omnem ab ore humorem,salem æstuans ruminasse. Ex quo iterum assumpto liquore,arentes gingiuas parumper reficere quærens, quanquam palatum aridum humectaret, tamen maius tormentum addita corpori siti præstabat. Sal enim, vt nulli occulitur,magis ardorem sitis concitat,quam extinguat. Sed hic, tribuente Domino, arcebatur ab eo. His diebus Theodoricus ingressus Aruernum terminũ, omnia exterminabat,cuncta deuastabat. Cumque in Arconensis vici pratis castrametasset,antedictus senex ad occursum eius properat,quasi pro populo rogaturus. Ingressusque castra manè, Rege adhuc in tentoriis dormiente, Siginaldi papilionem, qui tunc primus cum eo habebatur, aggressus est, & dum de hac captiuitate conqueritur, Siginaldus,vt ablutis aqua manibus merum dignaretur accipere, deprecatur, dicens:Magnum mihi hodie gaudium, commodumque diuina pietas præstat, si intra tentorij mei septa, facta oratione, potum dignaris accipere. Audierat enim famam sanctitatis eius,idcirco & honorem ei pro Dei reuerentia impendebat. Qui se diuersis modis excusans, asserebat hoc non posse fieri,quia nec hora debita esset, nec Regi dignum præbuisset occursum, & quod his omnibus potius erat, necdum ipse Domino Psalmorum decantationem debitam exoluisset. Sed his sepositis, vi eum compulit,allatumque vasculum,quo potio tenebatur, rogat vt Sanctus imposita priùs manu, sanctificaret. Qui eleuata dextera, cùm signum Crucis imposuisset,vasculum scinditur medium,ac vinum, quod intra tenebatur, cum immenso serpente terræ diffunditur. Quod cernentes qui aderant, metu exterriti,ad pedes beati viri decidunt, lambunt vestigia, osculantur & plantas: mirantur omnes virtutem senis,mirantur & se ab iniqui anguis viru diuinitus fuisse saluatos. Ad istud miraculum concurrit omnis exercitus, vallat multitudo omnis beatum virum,cupiens eius fimbrias manu tangere,si osculo honorare non poterat. Et Rex exilit de stratu suo, accurritque ad beati Confessoris aduentum, illoque tacẽte,cunctos,quos repetebat,captiuos absoluit, & reliquos deinceps, vt voluit, sic tractauit. Duplex ibi beneficium, Domino cooperante,largitum est:nam & illos à morte eruit, & hos à iugo captiuitatis exemit.

Nota vim memorabilem.

Nec præterire volui, quod eum diabolus diuersis machinis conatus illudere, cum videret se nihil ei posse nocere, visibilibus eum præliis est aggressus. Nam nocte quadam dum se sopori dedisset, subito expergefactus,vidit cellulam suam quasi incendio concremari, exurgensque perterritus ostiũ petiit. Quod cum referare nequiret, in oratione prosternitur, signum salutare coram se, & circum se faciens, ac protinus phantasia flammarum, quæ apparuerat euanuit,cognouitque hoc diaboli fuisse fallaciam. Id statim reuelatum est beato Prothasio, qui tunc apud Candidobrense Monasterium habebatur reclusus. Qui cum summa festinatione Monachum ex cellula sua ad fratrem dirigens,hortatus est dicens:Oportet te dilectissime frater,insistere viriliter, & nihil de eius dolositate pauescere, sed omnia quæ intulerit, oratione assidua, ac signo Crucis è contra appositio euincere, quia talibus semper tentationibus seruos Dei nititur expugnare.

Diabolus molestias exhibet.

Vi sanctæ Crucis euanuat illum vir Dei.

S. Prothasius Incluſus claret.

Senuit autem vir beatus,& impleto boni operis cursu,migrauit ad Dominum. Cuius nunc tumulus sæpiùs diuinis glorificatur virtutibus. Hæc tantum de sancto viro cognouimus,non diiudicantes alios, qui maiora de eo cognouerunt, si voluerint aliqua in eius laudem conscribere.

Migrat ad Christum S. Portianus.

NOTÆ.



NOTÆ.

Portianus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 24. Nouemb. Agunt præterea de eodem Surius tom. 6. Petrus in Cat. Vvion in Mart. Monastico, Gazetus, & alij tam antiqui, quàm recentiores. Vulgò dicitur* S. Poursain, *claruitque anno Domini* 610.

De gloria Confess. c. 57. & 100.

## VITA SANCTORVM MARTINI, & Cypriani Abbatum. Ex D. Gregorio Turonnensi.

S. Martinus Monasterium extruit.

MArtinus Santonicæ vrbis Abbas, Martini,vt ferunt, nostri discipulus, apud vicum vrbis ipsius in Monasterio, quod ipse post Magistri dogmata ædificauit, in pace quiescit. Ad cuius tumulum quædam è pagensibus manus contractas deferens, retulit sanas. Alius qui exustis febre neruis,poplitibusque intortis gressu caruerat,vt ad sepulchrum sanctum prostratus est,nouum robur sumens, ariditate sublata, incolumis relatus est,multos ipsi deinceps seruiẽs annos. Huius sepulchrum Palladius Episcopus, cum non valuisset cum multis, optulante adiutorio Confessoris,cum quinque Abbatibus mouit,composuitque quomodo voluit.

Multa ad eius sepulchrum miracula. Palladius Epiſc. eius ſepulchrum componit. Deus S. Cypriani meritis multa operatur miracula.

Cyprianus Abbas Petrocorici oppidi, magnificæ sanctitatis vir fuit, per quem Deus multa miracula in hoc mundo operari dignatus est. Nam manus debiles frequenter redintegrauit, paralyticis gressum, cæcis restituit visum, tresque leprosos inunctos oleo pristinæ reddidit sanitati. Sed & nunc crebro super infirmos sanitates ostendit, si fideliter eius tumulum expetant, aut illum ex orent.

NOTÆ.

Martinus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 7. Decemb. Agunt de eodem Surius tom. 6. Petrus in Cat. Vvionius in Mart. Monastico. Fuit & alius S. Martinus Vertanensis, cuius vitam suprà lib. 4. descripsimus. Claruit anno Domini* 400.

Cyprianus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 9. Decembris. Agunt & de eodem omnes supra citati auctores.*

Habetur in lib. de Vita Patrum, c. 18.

## VITA SS. VRSI ET LEVBATII Abbatum. Ex D. Gregorio Turonensi.

VRsus Abbas, Cadurcinæ vrbis incola fuit,ab ineunte ætate Religiosus, & in Dei amore deuotus. De quo egressus loco, Bituricum terminum est ingressus, fundatisque Monasteriis apud Tausiriacum,Oniam atque Pontiniacum,stabilitisque Præpositis sanctitate honorificis & prudentibus,ad Turonicum territoriũ, in locum quem Senapariam vocitari priscus instituit auctor,accessit,ædificatoque oratorio, Monasterium stabiliuit, & commissa Leubatio Præposito summa regulæ, Monasterium aliud statuit, quod nunc Locis vocant, situm scilicet super fluuium Angerem in recessu montis, cui nunc castrum supereminet ipso nomine,vt Monasterium vocitatum. Illic adiuncta congregatione, statuit apud animum suum, ne vltrà alium proficiscereturin locum, sed in eo cum omni congregatione manibus propriis operari, & victum à terra in sudore vultus exigere, illud fratribus inter reliqua prædicationum dona cõmendans quod Paulus Apostolus ait:Labora manibus, vt habeas,vnde possis tribuere necessitatem patientibus. Et illud. Qui non laborat,nec manducet. Dedit autem ei Dominus gratiam curationum, ita vt insufflatis energumenis, protinus dæmonia eicerentur à corporibus obsessis. Sed & alias per eum Dominus dignatus est operari virtutes. Erat autem abstinens à cibis & potu, indicens Monachis sine cessatione auertere oculum & cogitationem ab omni luxuria.

Vrsus condit Monasteria.

Præficit sanctum Leubatium vni Monasterio.

Eph. 4.

2. Thess. 3.

Claret miraculis.

Abstinentia S. Vrsi.

Dum autem hæc ageret, ac fratres molam manu vertentes,triticum ad victus necessaria comminuerent, pro minuendo labore fratrum, visum est ei, molendinum in ipso Agneris fluuij alueo stabilire. Itaque defixis per flumen palis, aggregatisque magnorum lapidum aceruis, exclusam fecit, atque aquam in canale collegit, cuius impetu rota fabricæ in magna volubilitate verti cœpit. Hoc opere laborem Monachorum releuans,atque vni fratrum delegans curam, opus necessarium implebatur. Hanc autem fabricam Sichlarius quidam Gotthus, qui magno ab Alarico Rege amore diligebatur, æmulus Monasterio concupiuit, dixitque Abbati: Dona mihi hoc molendinum vt fit sub ditione mea, & quod volueris repensabo. Cui ille. Cum grandi,inquit,labore, hoc paupertas nostra statuit, & nunc non possumus donare, ne fratres mei fame pereant. At ille. Si vis,inquit,ipsum bona volũtate tribuere, gratias ago: sin autem, ipsum auferam, aut certè faciam aliud, cuius exclusis aqua retrorsum conuersa, rotam tuam verti amplius non permittam. Abbas respondit: non facies quod Deus non voluerit, nam à nobis ipsum penitùs non accipies. Tunc Sichlarius feruens felle, similem fabricam infrà adaptauit. Cumque aqua retrorsum conuersa, sub huius operis rotam inundans, gurgitem fecisset,restitit prorsus,nec omnino verti potuit, vt consueuerat. Venit igitur custos eius ad Abbatem media (vt ferunt) nocte, illo in oratorio cum fratribus vigilante, & ait. Surge Abba, deprecare attentiùs Dominum: restitit enim rota molendini ab inundatione canalis alieni, quod Sichlarius fecit. At ille hæc audiens, statim misit fratres singulos ad Monasteria illa quæ statuerat, dicens: Prosternite vos in oratione,& non sit vobis opus aliud donec iterum ad vos dirigam. Sed & ipse non egressus ab oratorio, deprecans Dominum attentè,ac præstolans aduentus eius misericordiam, sic fecit per integros duos dies, totidemque noctes. Tertia iam illucescente die, accessit iterum Monachus ille,qui custos fuerat,nuncians rotam fabricæ suæ iuxta consuetudinem priorem in summa verti velocitate. Egressusque Abbas cum frattibus de oratorio, accedit ad litus, conspicienscue versus molendinum, quod Sichlarius fecerat,non reperit, accedensque propiùs ad litus, & fundum aluei intuens, nullum indicium de eo accepit,non quicquam ligni,non lapidis, non ferri, nec vllius vsquã genus indicij potuit ostendi, nisi quod coniici potuit ipso,quo fabricatum fuerat loco, virtute diuina absorptum, atque ab oculis hominum ablatum. Tunc misit nuncios ad fratres, dicens:Requiescite iam à labore, quia vltus est Deus iniuriam fratrum nostrorum.

Sichlarij detestanda cupiditas.

Nota vim precum eius & fratrum.

His & talibus virtutibus præditus, consummato cursu vitæ migrauit ad Dominum. Ad cuius tumulum postea & energumeni sanati, & cæci illuminati sunt. Post eius verò obitum Præpositi, qui per Monasteria erant, Abbatum officium, Episcopis largientibus, susceperunt. Sed & Leubatius apud Senaparium Monasterium, quod intra cer-

Obitus eius.

Itemque S. Leubatij.

minum Turonicum erat, Abbas instituitur, in summa sanctitate à senectute perdurans, ibique obiit, ac sepultus est.

*NOTÆ.*

Vrsus, &c. *Tam de Vrso quàm de Leubatio agunt Surius, Vvionius, & Gazetus, necnon & Trithemius de viris Illust. Ord. S.Bened. lib.3. c.36. Et de Vrso quidem sic scribit. Vrsus Abbas, & fundator Monasterij Thussiriacensis & Pontiniacensis Cadurcinæ vrbis incola fuit, &c. De Leubatio verò agit c.37. quem Leobatium vocat, eosque floruisse ait circa annum Domini 560.*

*Breuiarium Eccl. Lingon. 19. Septemb.*

## *VITA S. SEQVANI ABBATIS.*

*Partim ex Breuiario Ecclesiæ Lingonensis: partim ex D. Gregorio Turonensi.*

SEquanus vir probatissimus, Dei gratia priusquam in materno vtero formaretur, est præuentus. Ab ipsis autem cunabulis, penè vniuersis populis fructuosis operibus cognitus, Magimontensi oppido ortus, atque ibidem Christianis est parentibus educatus. Diuina ergo prouidentia, Religionis inflammatus ardore, infantili adhuc impeditus ætate, robustissime intra sui recessus pectoris præcepta complebat Domini Saluatoris. Postquam autem annos pueriles excedens, vlterius profectus est, sic psalterium omne subsequente memoria tenacissime adeptus est, vt similis ei in recitatione possit quispiam minimè inueniri. Parentes verò eius, eo quod vnicum eum haberent, tenere diligebant eum. Et sperantes per illum suæ stirpis mortalia germina pullulare, à Clericatus officio eum prohibebant.

*Patria S. Sequani.*

*Adolescens secedit in Eremum, vbi viuit austerissimè.*

Verum ille videns vota parentum suis esse contraria, secedens paululum à communi habitatione, in villa, cui nomen est Valeriaco, secretam ibi cellulam vilissimam, sanctitati tamen, atque vtilitati eius congruam, manu propria cõstruxit. Cœpitque intra eam cõtinuatis momentis votiua orationum libamina Christo offerre, & abstinentiis impuberes artus molli adhuc corpusculo macerare, nõ cibum sumens antequam psalterium totum orando recitasset. Si quando ad eum spiritus immundi vexandum veniebant, vsque adeo se cum eis abstinentiis & ieiuniis, necnon & orationibus affligebat, quousque incentiuum malorum ab eis expelleret.

*Orationibus, & ieiuniis continuis dæmonum tentationes superat.*

Quidam diei temporalis quassatus lumine, dieique huius priuatus fulgore illius se præsentauit obtutibus. Quo viso, interrogauit eum dicẽs. Quid vis vt faciam tibi? Cæcus respondit. Bonę opinionis tuæ meis auribus odor fragrauit. Propterea huc delatus sum, vt per tuas orationes lumen recipiam. His auditis, ilicò se vir beatissimus solo prosternẽs, Deo cum lacrymis orationem fudit. Et cum incessanter die ac nocte oraret, infra paruum tempus, is qui non videbat, lumen recepit.

*Cæco visum restituit.*

*Quæ sequuntur, ex D. Gregorij Turonensis Episcopi lib. de Gloria Confessorum, cap. 8. collecta sunt.*

MAgnæ virtutis fuit ille Sequanus Lingonici Abbas territorij, qui viuens sæpe homines à vinculo diabolici nexus absoluit, & post obitum ad sepulchrum suum ergastulari catena reuinctos, liberos meritis suis abire permisit. Denique Gunthrannus Rex, cornu cuius voce, vel molossos colligere, vel illa cornutorum arborcorum armenta effugare consueuerat, furto ablatum perdidit, quæ res multos in vincula coniecit, & nonnullos facultate priuauit. Ex quibus tres viri memorati confessoris monumentum petierunt. Quo Rex comperto, iussit eos catenis atque cõpedibus necti. Factumque est ita. Media verò nocte lux in basilica humana luce clarior oritur, dissiliunt ferrearum compedum repagula, catenarumque disruptis basibus, vincti laxantur. Quo audito Rex exterritus, velocius eos liberi arbitrij potestate donauit.

*Tres viri cõpedibus vincti, & in mortis discrimine constituti, ad sepulchrum viri Dei liberantur.*

*NOTÆ.*

Sequanus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 19. Septemb. Agunt & de eodem Vsuardus, & Beda, qui mendosè Segoni pro Sequano scribit. Agunt præterea de eodem Trithem. de viris Illust. Ord. S. Bened. lib.3. c.302. Surius tom.5. Vvion tom.2. Ligni Vitæ. Vulgò dicitur* S. Seine.

Denique Gunthrannus Rex.] *Fuit sanctus iste Rex, fuitque Rex Aurelianensis & Burgundiæ, de quo agit Mart. Romanum, cuius gesta prolixius leguntur in Annalibus Burgundiæ.*

Cornu cuius voce, vel molossos colligere, &c.] *De isto cornu venatorio, quàm longius audiebatur, & quàm multi propter eius perditionem crudelissimis affecti sint supplicijs, vide Annales Burgundiæ, vbi præclara & notatu digna reperies.*

Vel illa cornutorum arborcorum armenta effugare consueuerat.] *Per ista cornuta & arborea armenta, intelligit multitudinem Cervorum, & Caprearum.*

## *VITA S. ELOQVII ABBATIS, vt videtur, à Monacho Vvalciodorensi conscripta, habetur in peruetusto MS. Codice Ecclesiæ Traiectensis.*

REgnante Clodoueo Rege, venit B. Eloquius ad Galliarum littora ex Hiberniæ regione, cum aliquibus venerabilibus viris, videlicet Furseo, Vltano, Foillano, Boëtio, Ettone, & cæteris confratribus. Cumque plura Monasteria per insulas maris construxissent, & per Britanniam & Saxoniam transuecti essent, plurimum ibi populum Domino acquisierunt. Tunc quibusdam causis ingruentibus, relictis ibidem Monasteriis expulsi à populo, & Rege, causa visendi Romam profecti sunt, atque à Clodoueo memorato perhumaniter excepti, in loco qui dicitur Latiniacus, Monasteriũ extruxerunt, ibique fratribus ordinatis S. Furseus cœptum volens prosequi iter, nõ multo post apud villam Peronam defunctus est, beato Eloquio Monasterij Latiniacensis & animarum curam relinquens. Post multos verò dies, S. Eloquius sciens discipulorum animos diaboli instinctu contra se excitatos, relictis omnibus, cum paucis fratribus super fluuium Isaram nominatum, in loco qui antiquo vocabulo Grimacus dicitur, Eremiticam vitam duxit. Vbi & à viris Religiosis honorificè susceptus, atque à beato Eligio Nouiomi Episcopo viro venerabili, vndique per suam diœcesim licentiam prædicandi accipiens, multos oratione ægros pristinæ sanitati restituit, ac sanos & incolumes in viam veritatis induxit.

*S. Eloquius ex Hibernia venit in Galliam.*

*Proficiscitur Romam cum sociis.*

*Fit Abbas Monasterij Latiniacensis.*

*Eremiticam vitam ducit.*

Quadam autem die dum ad eius cellam quidam æger eleemosynam peteret, ac vir Domini quod ad manum porrigeret non inuenit, iam enim cætera



tera in vsus pauperum expenderat: tantæque eius inopiæ condolens, in oratione prostratus, profusis lacrymis Domino supplicare cœpit, vt qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum resuscitauit, ipse pristinam ei conferre dignaretur sanitatem. Statimque pro foribus Domino gratias agens profectus est ab infirmitate plenissimè curatus. Cumque fama longè latéque diuulgaretur, quod vir Domini precibus ad Deum, multis incolumitatem impetraret, cœperunt in grabbatis ægros plurimos offerre, quos ille tangens sancti olei liquore, post susceptam benedictionem sanos dimisit. Viri itaque Religiosi circumiacentis loci, magno gaudio replebantur, quod apud eos talis vir habitandi moram elegerat, atque eius oratorium ex agris, vineis & pratis omnes magnificè honorarunt.

*Ægro sanitatẽ restituit.*

Quadam verò die cum operarios in vineam conduceret, ac operantibus adstaret, venit quidam eiulans & clamans. Heu me miserum, ecce filium meum vnicum, quem ex sacro fonte aqua baptismatis abluisti, in domo mea semiuiuum reliqui: succurre illi obsecro, serue Dei, & adiuua. Cumque eum leniter consolaretur, quod ex hac infirmitate non esset moriturus, ecce mater pueri occurrens, dixit: Noli molestare virum Dei, iam enim filius noster mortuus est. Quod vir Dei audiens, Euangelica verba profudit dicens; docuit nos Dominus spe obtinendi orare, dum ait: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis. Credite igitur, & fundamus ad Deum preces, & recipiet puer sanitatem. Cum orationi simul incumberent, ecce puer sanus effectus, seu potiùs rediuiuus, venit ad locum, vbi sanctus Dei orabat. Quem cum viderunt parentes eius, gratias Deo egerunt, qui saluat sperantes in se. Multa quidem & alia sunt, quæ per eum Dominus dignatus est operari, quæ breuitatis ergo missa facimus.

*Matth. 18. Marc. 11.*

*Suscitat puerum mortuũ.*

*Moritur S. Abbas Eloquius.*

Igitur sanctissimus Dei famulus Eloquius vitæ cursu fideliter peracto, repletus omnium bonorum fructu, ad cæli gaudia 3. die Decẽbris ascendit. Cuius corpus sepultum fuit à fidelibus in quodam monticulo, iuxta aggerem publicum, vbi Sommeron & Isara confluunt, vbi postea ædificata est ædicula super tumbam eius, propter crebra miracula ibidem ostensa.

*Miracula ad eius sepulchrum.*

Tempore Ludouici Imperatoris, mulier quædam Richildis nomine, diu cæca, ad Ecclesiam eius veniens, statim ad sepulchrum eius illuminata est. Alia nomine Herlefreda cæca, & totis neruorum compagibus dissoluta, illuc deportata, ipsa die videns & sana est regressa. Alia nomine Gerumara, per annum contractam habens manum dexteram, ibidem est curata. Alia nomine Gertrudis de pago Hasbanico, dextro lumine priuata, ibidem illuminata fuit.

*Dani vastãt Ecclesias.*

Cùm ergo temporibus Regis Francorum Odonis, plurimæ fierent circumquaque strages Christianorum ex crudelitate Danorum, ac multa incendia Ecclesiarum ac villarum agerentur: Sancti Eloquij pariter cremata est Ecclesia. Postea sæpius in eo loco à transeũtibus auditæ sunt voces suauiter psallentium, & luminaria ardentia de nocte conspiciebantur. Cum verò huiusmodi signorum fama circumquaque percrebuisset, ac maximè quod Sanctus Dei absque Ecclesiastico cultu sub dio & in deserto loco solus iaceret: Hardericus venerandus Comes cum Heresinde coniuge sua clarissima, accesserunt ad Rodohardum tunc temporis Lau-

*Rodohardus Laudunensis Episcopus.*

dunensem Episcopum, petentes, vt licentiam daret aliorsum corpus illud sanctum transferẽdi, vbi honorabilius posset custodiri. Quo concesso, delatum est sancti viri corpus ad hanc præsentem Ecclesiam Vvalciodorensem. Vbi cum intrasset, multi hac die ex variis infirmitatibus, antequam Missarum solemnia complerentur, sanati sunt.

*Transfertur sancti viri corpus ad Monasterium Vvalciodorẽse.*

*Multi variis detenti incõmodis sanantur.*

Presbyter huius Ecclesiæ, nomine Dendinus, fabricitans, statim vt huius limen Ecclesiæ transiuit sanatus est. Postea quidam à dæmone grauiter obsessus, vbi ad sepulchrum eius obdormiuisset prostratus, statim surrexit, & sanus in domum propriam est reuersus. Illius itaque translationis ac sepulturæ decus, tertio Nonarum Decembrium celebratur cum honore ad laudem nominis Dei, qui viuit in omnia secula. Amen.

*NOTÆ.*

Eloquius.] *De quo plura in vita S. Fursei 16. Ianuarij, necnon in vita S. Eligij 1. Decembris. Agunt præterea de eodem Vvionius in Mart. Monastico 3. Decemb. Molan. in Nat. SS. Belg. vbi existimat vitam S. Eloquij per S. Archiepiscopum Forananum fuisse descriptam, eo tempore quo sacrum corpus eius ex Gallia translatum fuit. Eius vita extat apud Surium nouissimè auctum, & Coloniæ impressum: floruisseque dicitur anno 570.*

Temporibus Regis Francorum Odonis.] *Fuerat iste priusquam crearetur Rex, Caroli Simplicis tutor, & Regni gubernator ann. 891. Vide Aym. lib. 5. c.41. & Papir. Masson. lib. 2. annal. in Carolo Simplice.*

## *VITA S. MAXIMINI EPISCOPI & Eremitæ. Ex Ioanne Iacobo Chiffletio.*

*Habetur in Antiq. Ciuit. Vesont. p.2.*

SAnctvs Maximinus Vesontionem missus est, & Episcopus consecratus à Caïo Papa (qui sedit ab anno 284. ad annum 296.) Veterem ædiculam à S. Lino primùm extructam, & S. Stephani nomine consecratam reædificauit, in eaque Clericorum Collegium instituit, victurum ad Apostolorum normam; cumque ea Ecclesia vtpote angustior, non caperet ingentem eorum qui Maximini miraculis & prædicatione permoti, Christo quotidie nomen dabant, multitudinem: aliam basilicam in foro ciuitatis iuxta Capitolium consecrauit in honorem D. Ioannis Baptistæ.

*S. Maximinus à Caïo Papa Episcopus cõsecratus.*

*Duas cõstruxit basilicas.*

Omnibus igitur rectè constitutis, & Paulino sibi suffecto, ad secretiorem vitam anhelans, in quodam viridario, sexto ab vrbe milliario distante, Eremitica vita est functus: vbi quantum vitæ sanctitatis, & prædicationis refulserit instantia, non sufficit enarrare lingua: nam multi Christiani pergebant ad eum in Eremo: cæci illuminabantur, & infirmi sanabantur ab infirmitatibus suis.

*Relicto Episcopatu solitariam vitã ducit.*

*Claret miraculis.*

De suo demum ex hac vita decessu diuinitus edoctus, Paulinum accersiri iussit; à quo Dominici corporis munitus viatico, migrauit ad superos, cum rexisset Ecclesiam per annos sex, anno vt habent quidam codices 291. 19. Iunij. Alibi notatum vidi eius obitum pridie Calendas Iunij. Vtut sit de de die eius obitus, quæ propter diuersitatem sententiarum incerta est, illi sacra est in Ecclesia Bizuntina, ea ipsa lux Maij 29. in quam Maximi Treuirensis festiuitas cadit: à quo tamen distinctum fuisse constat Maximinum Vesontionẽsem, quippe qui

*Moritur.*

qui antiquior sit Treuirensi, siquidem Maximinus Treuirensis æqualis fuit Athanasio, eumque exulantem excepit Treuiris, & interfuit Concilio Agrippinensi anno 346. cum Panchario sexto Bizuntinorũ Antistite. Et denique Maximinus noster sepultus est in illa Eremo, non longè à ciuitate Bizuntina (nunc iuxta pagum Torpot) qua in Eremo sacra illi est hodieque ædicula, & ibi ipsius ossa adhuc esse creduntur, cum constet quidem eo loco condita, de eorum verò reuelatione nulla extet mentio. Ad illud sacellum dicta die Maij vigesimanona adire solet quotannis frequens populus, & podagricos, qui eò deducuntur, B. Maximini opem experiri ferunt.

*Podagrici ad eius tumulũ etiam nunc sanantur.*

## *N O T Æ.*

Maximinus. ] *Vitam eius ex antiquis M S. Codicibus scripsit Chiffletius, quam supra reddidimus. Præter Maximinum Treuerensem, fuit & alius S. Maximinus primus Aquensium Episcopus. Fuit alius S. Maximinus Abbas, cuius vitam supra lib. 4. descripsimus. Fuit autem Maximinus iste, de quo agimus, Vesontionensis Episcopus.*

Paulinum accersiri iussit. ] *Fuit 3. illius sedis Episcopus, discipulus & successor S. Maximini, fuitque vir sanctus, de quo sic scribit Chiffletius vbi supra. S. Maximino successit S. Paulinus eius discipulus: qui dum decimaretur legio Thebana apud Agaunum, sub Diocletiano & Maximiano Impp. anno Christi 297. in Maximini Eremum secessit: vbi cùm delitesceret, & fame ac laboribus confectus, prope iam ageret animam, mittitur ab Angelo eius quidam discipulus, qui ei quæ ad vitam opus erant ministraret. Atque ex eo tempore conueniebant omnes Christiani ad eum, viri, & fœminæ, quia nimiam penuriam Christiani illo tempore sustinebant: nulli enim Christiano licebat, vel possidere aliquid, vel aliquam rem, seu artem exercere, aut aliquod negotium agere, quos S. Paulinus, nec diebus, nec noctibus deserebat. Postea reuersus vixit annos aliquot in suorum Sacerdotum contubernio, obiitque circiter annum Domini 310. sepultus in Ecclesia S. Stephani ante altare, vbi multis emicuit virtutibus. Dicebat enim quidam Religiosus, cælos se apertos in die eius sepulturæ vidisse. Hæc ex veteri M S.*

## *VITA S. PANCHARII EPISCOPI & Eremitæ. Ex Ioann. Iac. Chiffletio.*

*Habetur in Antiq. ciuit. Vesont. p. 2.*

SANCTUS Pancharius, (qui & Pancratius) Hilarij decessoris sui discipulus, ei functo subrogatus est, & à Iulio I. Pontifice, qui sedit anno 337. ad 352. Episcopus consecratus est. Synodo Agrippinensi anno 346. sub eodem Iulio celebratæ consensit per Legatum. Basilicæ ab Hilario in superiori parte montis Cœlij, in S. Stephani honorem inchoatæ ædificium promouit, & iam opus affectum vrgebat, cum in fidei Catholicæ professores furente, ac latè grassante Constantio, ciuitate cessit, secessitque in Eremum cum sociis aliquot. Eam Constantij persequutionem fusè describit Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes. Cæterum (inquit) cum esset Arelate & Mediolani Constantius, omnia pro hæreticorum hortatu suggestionéque faciebat, vel potiùs illi ipsi agebant, Cæsaris potestate succincti. Et mox. Notarij præsto in singulis vrbibus, & Palatini minas secum ad Episcopos & Iudices deferentes, vt isti quidem de causa iudicarent, illi verò contra Athanasium scriberent; vt aut communionem cum Arrianis haberent, aut pœnam exilij sustinerent. Ac paulo pòst. Quot igitur Episcopi (prout in sacris literis est) ad Præsides & Reges abducti sunt, & à Iudicibus hanc sententiam audierunt, aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite: detrahi enim vos ab Ecclesiis Imperator iussit; quot in singulis vrbibus palabundi sese sparserunt, ne vt Episcoporum amici accusarentur? Nam & magistratibus scriptum est, & mulcta pecuniarum denunciata, nisi quisque suæ ciuitatis Episcopum subscribere coëgisset.

*S. Pancharius à Iulio I. Romano Pontifice Episcopus consecratus.*

*Heresi Ariana grassante petit Eremum.*

*Descriptio persequutionis Constantij Imp. Arriani.*

In his fortibus & excelsi animi Episcopis, qui aqua & igni carere prius elegerunt, quàm Arrianæ dementiæ patrocinari, fuit Sanctus Pancratius Bizuntinus, qui in solitudinis horrore, ad quã se receperat, asperitati victus, & cælestium rerum contemplationi deditus, cùm in hominibus lepra horridis (quibus se vltrò adiunxerat) omni obsequio iuuandis, quotidianam operam poneret, vitam aliquandiu traxisse dicitur. Cum autem illa Constantij Arriani persecutio, anno Christi maximè 355. toto orbe Catholico, ac nominatim in Galliis viguerit, eo quoque anno exulasse crediderim Pancharium, paulóque post (nempe circiter annum 356.) ex eo exilio ad supernam patriam euocatum. Fuit 6. Vesontionensis Episcopus.

*Ministrat leprosis S. Pancharius.*

*Migrat in cœlum.*

## *VITA S. HYMERII EPISCOPI conscripta ab Antonio Maria Gratiano à Burgo S. SEP. Episcopo Amerino.*

*Habetur apud Surium auctum, & nouissimè Colonia impressum.*

HYMERIUS natione Brutius, cùm adolescentiam summo pudore castissimisque moribus transegisset, atque iis litterarum disciplinis, quas capere illa ætas potest, imbuisset, & in eo cum ipsa ætate studia quoque pietatis ac cælestium rerum coaluissent, ne quod fieri intelligebat, ab earum fructu, ac meditatione humanis curis, atque hominum consuetudine distraheretur: patria, parentibusque relictis, abditam, ac desertam in insulam secessit. Vbi Anachoretarum instituto, diuinis laudibus, precibusque intento, & ieiuniis atque abstinentiæ magnopere dedito, diu cibum agrestia poma, & quas terra spõte sua fundit, herbæ, radicesque præbuerũt, sitim fontanæ aquæ extinxere, tectum syluestres arbores, stratum ipsa humus fuere, donec prodente eum ipsa sanctitatis admiratione, recipere se coactus est in Monachorum cœnobia: inter quos adeò omnibus Religionis laudibus excelluit, vt nemo continentia cum illo, nemo precandi assiduitate, nemo contemptu sui, nemo aliis Christianis virtutibus conferretur, quibus cum diuinarum quoque litterarũ doctrinam haud mediocrem adiunxisset, earũ studio quicquid sacris precandi, & psallendi officiis supererat temporis, sibi inter homines cælestem quandam vitæ rationem instituisse videbatur.

*S. Hymerius fit Eremita.*

*Vescitur herbis & radicibus.*

*Fit Monachus.*

Sed tantam hominis virtutem, tam insignia sapientiæ, Religionis, sanctitatis ornamenta in solitudine, atque intra cœnobiorum septa delitescere, & vni penè sibi fructui esse non siuit diuina prouidentia: eaque ipsa ornamenta prodire in apertum, & quamplurimis vsu, atque exemplo prodesse, tum voluit, cum ille maximè in solitariæ vitæ rationem intensus, nihil tale poterat cogitare. Nam cùm fortè Amerina Ecclesia Episcopo suo & pastore viduata esset, & fœlicibus illis exurgentis atque efflorescentis Ecclesiæ seculis, Episcopi non tam hominum studiis, suffragiisque crearentur quàm piis Cleri, populique precibus à Deo exposcerentur, iique demum acciperentur, quos vi sua cæleste monstrasset numen, & Amerini de nouo Episcopo deligendo cum suo Clero consultarent, crebrisque supplicationibus ac sacrificiis insistentes, Deum orarent, vt sibi rectorem, moderatoremque sacrorum, & animarum custodem daret, repentè indicatum diuinitus omnes magno consensu Hymerium longè inde absentem, nec vlli visum, aut aliter quàm fama sanctitatis cognitum Episcopum conclamarunt. Quæ res miraculo inde ipsis, qui patrarant, fuit: reputantibus ignoti hominis nomen tanta omnium voluntate, atque approbatione acceptum fuisse. Delato igitur ad eum Episcopatu, legatos Romam mittunt, qui rem ad Pontificem maximum referant: ex cuius auctoritate profecti inde in Insulam, vbi vir sanctus agebat, traiecere, eique è cœnobij latebris educto, ad quid venissent exposuere. Qui vt erat vir grauis & prudens, re maturè perpensa demum nec diuinæ voluntati obsistere, nec Pontificis maximi iussa detrectare est ausus, ac ne Amerini quidem Cleri, populique flagrantissimas preces, ac tanta in se studia deserere sustinuit. Itaque cùm pastoralis officij onus, vt à Deo ipso impositum sibi, demissè atque obedienter subiisset, Ameriam venit: exceptusque est tanta omniũ lætitia, quanto nuper consensu expetitus, delectusque Episcopus fuerat.

*Episcopi quomodo antiquitus creabantur.*



*S. Hymerius fit Episcopus Amerinus.*

Hic sancti viri eximia virtus eo magis resplenduit statim, quo illustriori ac celsiori iam è loco conspiciebatur. Non enim solum vitæ innocentiam eandem præstitit, qua in solitudine, atque inter cœnobitas suos nituerat, sed ita omnia pastoralis officij munera impleuit, vt non minorem prudentiæ, diligentiæ, assiduitatis, quàm religionis & sanctimoniæ gloriam promeruerit. Disciplinam sacrorum, totamque diuinorum officiorum rationem ita rexit, vt nihil sua Ecclesia esset ornatius, nihil cultius, nihil descriptius. In moderandis autem moribus illud in primis tenuit, vt nihil præciperet aliis, quod ante non imperasset sibi, nihil in aliorum exigeret vita, quod non eluceret in sua. At populum frequentibus statim concionibus aggressus, non quidem facultate, atque arte dicendi (quamquam ne hoc quidem illi defuit ingenij decus) sed simplicitate & commoditate orationis, & rerum ac sententiarum grauitate, & in quo sita omnis persuadẽdi vis est, innocentiæ, atque sanctitatis opinione, breui omnium animos ita deuinxit sibi, vt quo vellet facilè impelleret, sæpe de æternis suppliciis, quæ sontes, damnatosque apud inferos manent disserens, ingenti terrore audientium pectora concutiebat: sæpe ad cælestium illorum bonorum spem, quæ humana despicientibus, & piè, castè, iustè, & ex Iesu Christi disciplina viuentibus parata sunt, erigens animos, mirum dictu est, quantos pietatis, & Religionis amores excitaret. At officia charitatis non facilè discerneres mansuetudine, an largitate maiori susciperet. Egentibus omnibus certum in eo subsidium, afflictis solatium erat. Et quos re nequisset, opera, aut consilio iuuabat. Ægros cum viseret, subueniendo, consolando, monẽdo, non tam vt ab eorũ corporibus morbi depellerentur, quam vt in animis lues peccatorum sanaretur, studiosius curabat. Domus eius hospitibus, & maximè Religionis causa peregrinantibus semper patuit. Ipse ieiunij atque abstinentiæ obseruantissimus semper fuit, vt pane & aqua, & cùm lautius exciperet sese, ficubus, aut vuis, pomisve, corpus sustentaret, magis quàm aleret. Tam insignes virtutes, tantam viri sanctitatem Deo longè acceptissimam esse, admiranda prodigia, miraculaque, quæ identidem edidit, testata sunt. Nam sæpe loca, sæpe humana corpora aduersis spiritibus infestata, fusis ad Deum precibus liberauit: sæpe ægros, sæpe variè membris captos in summa valetudinis desperatione, iisdem precibus saluti restituit.

*Eius in Episcopatu virtutes.*

*Claret miraculis.*

Postremò cum valens atque integer diem, quo mortem obiturus ipse erat, diuino instinctu prædixisset, qua pietate vitam egerat, eadem quoque vltimum spiritum edidit. Nec inde è corpore eius, asseruatisque per multa secula & multa Amerinorum circumiectorumque populorum religione cultis reliquiis minora, aut minus crebra miracula prodierunt: vt quam Ecclesiam præsens maximarum virtutum gloria exemplisque illustrauerat, eam è cælo quoque nouis subinde beneficiis ornaret, celebrioremque redderet. Donec magna vrbis huius infælicitate circa annum 1465. sanctæ reliquiæ Cremonam ablatæ sunt à Loyza Cremonensium Episcopo, cui quod apud Otthonem primum Imperatorem facilè principem gratiæ atque auctoritatis locum obtineret, Amerinus Episcopus aduersari ausus non est, eo quidem minus quod per Loyzam ipsum irati infensique sibi Imperatoris animum recuperare, ac placare cupiebat: Cremonæque vsque ad hanc diem Hymerij reliquiæ in Cathedrali Ecclesia custodiuntur, piéque coluntur. Corpus quidem marmorea in arca clausum habetur, in quam à Sinardo Episcopo conditum fuisse Arcæ ipsius inscriptio docet. Caput integrum in perlucido vitreo vase laternæ forma asseruatur. Et Cremonensis Ecclesia sanctum ipsum patronum sibi adoptatum, in magno honore, ac veneratione habet.

*Prædicit diem obitus sui.*

*Transfertur Cremonam.*

## *N O T Æ.*

Hymerius. ] *Eius festiuitas 17. Iunij reponitur apud Surium auctum, & nouissimè Coloniæ impressum, quo tamen tempore claruerit nondum reperire potui.*

Natione Brutius. ] *Brutij sunt Italiæ populi, in eo tractu qui hodie Calabria dicitur, post Laum fluuium incipientes, & in fretum Siculum in modum peninsulæ procurrentes, dicti quasi bruti & obscœni. Fuerunt enim Brutij serui & pastores Lucanorum, qui inde aufugere, & furtim in regione consederunt, vbi Consentia est, quæ fuit eorum Metropolis, quam regionem prius Ausones habitauerunt. Hi multo post tempore, & ab Annibale, & à Romanis propter eorum perfidiam plenè deleti fuere, sine dignitate, sine honore, ad seruilia opera semper coacti. Hæc regio (vt auctor est Strabo lib. 6.) Oenotria quondam dicta fuit, supra Consentiam est Pandosia, vbi Molossorum Rex Alexander trucidatus est. Est & Rhegium ciuitas olim potentissima, in extrema agri Brutij parte sita, vbi Siciliam ab Italia tradunt fuisse abscissam.*

Amerina Ecclesia. ] *Vulgò* Amelia, *ciuitas in Vmbria, ante Persicum bellum annis nongentis septuaginta quatuor condita, vnde salix Amerina apud Plinium lib. 24. cap. 9. Et Amerina retinacula pro viminibus. Virg. 1. Georg. Atque Amerina parant lentæ retinacula viti. Vbi Seruius. Amerina retinacula, virgas de quibus vites religantur, quæ virgæ abundant circa Ameriam oppidum Italiæ, cuius crebram in Rosciana fecit Cicero mentionem.*

*Apud Suriũ auctum, & nouissimè Colonię impressum.*

## VITA S. COLVMBÆ, SIVE Columbani Presbyteri & Confessoris, (qui alius est à S. Columbano Luxouiensi Abbate) Ex illa prolixa quam scripsit Adamannus Abbas Insulæ Huensis in Scotia.

*S. Columbæ parentes.*

SANCTVS Colũba nobilibus oriundus genitalibus patrẽ habuit Fedilinitum, filium Ferguso, matrem Æthneã nomine, cui Angelus Domini in somnis quadam die inter conceptum eius & partum apparuit, eique quasi quoddam miræ pulchritudinis peplum assistens detulit, in quo veluti vniuersorum decoloros colores florum depicti videbantur, quodque post aliquod breue interuallum eius de manibus reposcens abstulit, eleuansque & expandens in aëre dimisit vacuo. Illa verò de illo tristificata sublato, sic ad illum venerandi habitus virum ait. Cur à me hoc lætificum tam citò abstrahis pallium? Ille consequenter. Idcirco, inquit, quia hoc sagum tam magnifici honoris alicuius est, quod apud te diutius retinere non poteris. His dictis suprà memoratum peplum mulier paulatim à se elõgari volando videbat, camporumque latitudinem in maius crescendo excedere, montesque & saltus maiore sui mensura superare, vocemque huiuscemodi subsecutam audierat; Mulier noli tristificari. Viro enim cui matrimoniales es iuncta fœdere, talem filium editura es floridũ, qui quasi vnus Prophetarum Dei, inter ipsos connumerabitur, innumerabiliumque animarum dux ad cælestem à Deo patriam est prædestinatus. In hac audita voce mulier expergiscitur.

*Apparitio matri facta ante natiuitatem eius.*

*Apparitio nutritori ipsius facta.*

Alia in nocte eiusdem beati pueri nutritor, spectabilis vir vitæ Presbyter, post Missam ab Ecclesia ad hospitiolum reuertens, totam inuenit domum clara irradiatam luce. Globum quippe igneum super pueruli dormientis faciem vidit stantem, quo viso statim intremuit, & valde miratus est Sancti spiritus gratiam.

Quodam tempore vir sanctus venerandum Episcopum Finnionem, suum videlicet Magistrum iuuenis senem adiit, quem cum S. Finnio ad se appropinquantem vidisset, Angelum Domini pariter eius comitem itineris vidit, & quibusdam adstantibus fratribus intimauit.

*Finnio magister eius Angelum itineris ei comitem videt.*

*Fit Monachus.*

Successu temporis postquam vir sanctus satis litteris imbutus esset, factus est Monachus, deinde ob sanctitatis excellentiam Presbyter ordinatus est. Hic cum aliquando in Ioua conuersans insula remotiorem ab hominibus locum, aptumque ad orationem, in saltibus quæsiisset, ibidemque orare cœpisset, vidit contra se tetram & nigerrimam dæmonum cum ferreis verubus aciem præliari, qui, sicuti sancto viro per spiritum reuelatũ erat, Monasterium eius inuadere, & multos ex fratribus iisdem volebant iugulare fudibus. Ipse verò contra tales æmulos, vnus homo accepta Pauli armatura Apostoli, forti conflictu dimicabat, & ita maiore diei parte vtrimque dimicatum est, nec innumerabiles vnum vincere poterant; nec eos vnus de sua valebat insula repellere, donec Angeli Dei, vt sanctus pòst quibusdam non multis retulerat, in adminiculum adfuere, quorum timore perturbati dæmones loco cessere.

*Pugnat cum dæmonibus, & eos ope Angelorum fugat.*

Quodam tempore dum in tuguriolo suo scribẽs sederet, subitò eius immutata facies est, & hanc puro de pectore promit vocem dicens: Auxiliare, auxiliare. Duo verò fratres ad ianuam stantes, causam talis subitæ interrogant vocis. Quibus vir venerabilis hoc responsum dedit. Angelo Domini qui nunc inter vos stabat, iussi, vt alicui ex fratribus de summo culmine magnæ domus lapso tam citò subueniret, quæ his in diebus in Roboreti campo fabricatur. Hocque sanctus consequenter intulit dicens: valdè admirabilis & pene indicibilis est Angelica volatus pernicitas, nam ille cælicola qui hinc à nobis nunc illo viro labi incipiente auolauit, quasi in ictu oculi, priusquam terram tangeret subueniens, eum subleuauit, nec vllam fracturam, aut læsuram ille qui cecidit sentire potuit. Quàm stupenda hæc velocissima & opportuna subuentio, quæ dicto citiùs tantis maris & terræ interiacentibus spatiis tam celerrimè effici potuit!

*Fratri è culmine domus labenti ope Angeli subuenit.*

Alio tempore vir beatus in Ioua conuersans insula fratribus congregatis cum ingenti animi aduersione denunciauit, ad eos dicens: Hodie in occidentalem nostræ campulum insulæ solus exire cupio. Nemo itaque ex vobis me sequatur. Quibus obsecundantibus, solus quidem vt voluit, egreditur, sed frater quidam callidus explorator, alia means via, in cuiusdam monticelli cacumine, qui eidem supereminet campulo, se occultè collocat, videlicet eius causam solitariæ egressionis viri explorare cupiens. Quem cum idem explorator de monticelli vertice illius in quodam campuli colliculo stantem, & expansis manibus ad cælum orantem, oculosque ad cælum eleuantem conspiceret, mirũ dictu, ecce subito res miranda apparuit. Quã idem suprà memoratus homo, vt æstimo, non sine permissu Dei prioris monticelli loco oculis etiam corporalibus adspexerat, vt nomen sancti & eius honorificentia, quamuis ipso nolente, ob hanc manifestatam visionem, postea in populis magis diuulgaretur. Nam sancti Angeli cælestis patriæ ciues mira aduolantes subitatione, sanctum virum orantem circunstare cœperunt induti albis vestibus. Et post aliquam cum beato sermocinationem viro, illa cælestis caterua, quasi se exploratam sentiens, ad summa citiùs repedauit cælorum. Beatus & ipse vir post Angelicum conditum reuersus ad Monasterium, iterum collectis fratribus, cum quadam nõ mediocri obiurgatione inquirit, quis de illis esset transgressioni obnoxius. Quibus consequenter se nescisse protestantibus, ille conscius sui inexcusabilis transgressus, vltrà non sustinens delictum celare suum, flexis genibus in medio fratrum choro coram sancto veniam precatur. Quem sanctus seorsum ducens, cum grandi commendat comminatione, vt nulli hominum de illa Angelica visitatione in diebus eiusdem beati viri aliquid, etiam parum, occultumque aperiret. Post egressum verò de corpore sancti viri, illam cælestis cœtus apparitionem fratribus cum grandi intimauit protestatione.

*S. Columbam Monachus quidam vidit cum Angelis conuer., santem.*

Alio quoque tempore cum sanctus vir in Hymba commaneret Insula, gratia sancti spiraminis super eum abundè & incomparabiliter effusa per triduum mirabiliter mansit, ita vt per tres dies totidemque noctes intra obseratam & repletam cælesti claritudine domum manens, nullum ad se accedere permitteret, neque mãducans, neque bibens. De qua videlicet domo immensæ claritatis radij per rimulas valuarum, & clauium foramina erumpentes noctu visebantur. Carmina quoque quædam spiritualia, & antè inaudita decantari ab eo audiebantur.

*Tribus diebus cælestes visiones habet.*



bantur. Sed & multa quædam, vt ipse post paucis admodum professus est, occulta ab exordio mundi arcana apertè manifestata videbat. Scripturarum quoque sacrarum obscura quæque luce clarius aperta mundissimi cordis oculis patebant.

Quodam tempore cum in Sicia insula aliquantis demoraretur diebus, paulo longius solus orationis intuitu separatus à fratribus, syluam ingressus densam miræ magnitudinis Aprum, quem fortè venatici canes persequebãtur, obuium habuit. Quo viso, eminus sanctus aspiciens eum restitit. Tũ deinde inuocato Dei nomine sancta eleuata manu, cũ intenta dicit ad eum oratione, vlterius huc procedere nolis, in loco ad quem nunc deuenisti morere. Quo sancti in syluis personante verbo, non solum vltrà accedere nõ valuit, sed ante faciem ipsius terribilis ferus virtute mortificatus citò corruit.

*Sic verbo Aprum interficit.*

Alio tempore cum vir prædicabilis in Himbria commoraretur insula, quadam nocte in ectasi mentis Angelum Domini ad se missum vidit, qui in manu vitreum ordinationis Regum habebat librũ. Quem cùm vir venerandus de manu Angeli accepisset, ab eo iussus legere cœpit. Qui cum secundum quod ei in libro erat commendatum, Aidanũ in Regem ordinare recusaret, quia magis Iogenanum fratrem eius diligeret, subito Angelus extendens manum, sanctum percussit flagello, cuius liuorosum in eius latere vestigium omnibus suæ diebus permansit vitæ, hocque intulit verbum. Pro certo scias, inquiens, quia ad te à Deo missus sum cum vitreo libro, vt iuxta verba quæ in eo legisti, Aidanum in Regem ordines. Quod si obsecundare huic nolueris iussioni, percutiam te iterato. Hic itaque Angelus Domini cum per tres continuas noctes eundem in manu vitreum habens codicem apparuisset, eademque Domini iussa de Regis eiusdem ordinatione commendasset, sanctus obsecutus verbo Domini ad Iouam transnauigauit insulam, ibidemque Aidanum iisdem aduentantem diebus in Regem sicut iussus erat ordinauit, & inter ordinationis verba de filiis & nepotibus, pronepotibusque eius futura prophetizauit, imponensque manum super caput eius ordinans benedixit. Commeneus Albus in libro quem de virtutibus sancti Columbæ scripsit, sic dixit, quod sanctus Columba de Aidano, & de posteris eius, & de regno suo prophetare cœpit dicens: Indubitanter credo, ô Aidane, quod nullus aduersariorum tuorum tibi poterit resistere, donec prius fraudulentiam agas in me, & in posteros meos. Propterea ergo tu filiis commendes, vt & ipsi filiis & nepotibus, & posteris suis cõmendent, ne per consilia mala eorum sceptrum Regni huius de manibus suis perdant. In quocumque enim tempore malum aduersum me, aut aduersum cognatos meos, qui sunt in Hybernia, fecerint, flagellum quod causa tui ab Angelo sustinui, per manum Dei super eos in magnum flagitiũ vertetur, & cor virorum auferetur ab eis, & inimici eorum vehementer super eos confortabuntur. Hoc autem vaticinium nostris temporibus completum est in Belloroth Domnallo Brecco, nepote Aidani, sine causa vastante Prouinciam Domnail nepotis Amureg. Et à die illa vsque hodie adhuc in procliuo sunt ab extraneis, quod suspiria doloris pectori incutit.

*Iubetur disponere Aidanum ordinare in Regem.*

*Renitens ab Angelo percutitur.*

*Tãdem iuxta visionem habitam ipsum ordinat, ẽp futura de filiis prædicit.*

Quodam tempore venit ad Regem Brudeum. Contigit autem vt idem Rex fastu elatus regio suæ munitionis superbe agens, in primo beati aduentu viri non aperiret portas, quod vt cognouit homo Dei cum comitibus ad valuas portarum accedens, primum Dominicæ Crucis imprimens signum, tum deinde manum pulsans cõtra ostia ponit, quæ continuo sponte retro retrusis fortiter seris cum omni celeritate aperta est. Quibus statim apertis, sanctus consequenter cum suis sociis intrauit. Quo cognito Rex cum senatu valde pertimescens, domum egressus, obuiam cum veneratione beato pergit viro, pacificisque verbis blande admodum cõpellat, & ex ea imposterum die sanctum & venerabilem virum idem regnator suæ omnibus vitæ reliquis diebus valde magna honorauit, vt decuit, honorificentia.

*Portas sibi à Rege clausas aperit.*

Alio itidem in tempore vir beatus pergens ad fratres visitandos, casu accidit, vt eo ad Ecclesiam accedente claues non reperirentur oratorij. Cum verò sanctus de non repertis adhuc clauibus, & obseratis foribus inter se conquerentes alios audiisset, ipse ad ostium appropinquans; Potens est Dominus, ait, domum suam etiam sine clauibus seruis suis aperire. Hac voce subito retro retrusis forti metu pessulis, sponte aperta ianua, sanctus cũ omnium admiratione ad Ecclesiam ante omnes ingressus est.

*Item ianuam oratorij.*

Quidam plebeius pauperrimus venit ad sanctũ. Huic ergo miserabili viro, qui vnde maritam, & paruulos cibaret, non habebat, vir beatus petenti miseratus, vt potuit, quandam largitus eleemosynam, ait, Miselle homuncio, tolle de sylua contulum vicina, & ad me citius defer. Obsecundans miser iuxta sancti iussionem detulit materiam, quam sanctus excipiens in veru exacuit, quodque propria exacuminans manu benedicens, & illi adsignans inopi dixit. Hoc veru diligenter custodi, quod, vt credo, nec homini, nec alicui pecori nocere poterit, exceptis feris bestiis quoque & piscibus. Et quandiu talem habueris sudem, nunquam in domo tua ceruinæ carnis cibatio abundans deerit. Quod audiens miser mendiculus valde gauisus, domum reuertitur, veruque in remotis terræ infixo locis, quæ syluestres frequentabant feræ, & vicina transacta nocte mane primo pergit reuisitare volens veru, in quo miræ magnitudinis ceruum cecidisse reperit transmissum. Quid plura? Nulla, vt nobis traditum est, transire poterat dies, qua non aut ceruum, aut ceruam, aut aliquam reperiret in veru infixo cecidisse bestiam, repleta quoque tota de ferinis carnibus domo, vicinis superflua vendebat, quæ hospitium suæ domus capere non poterant. Sed tamen diaboli inuidia per sociam, vt Adam, & hunc etiam miserum inuenit, quæ non quasi prudens, sed fatua taliter ad maritum locuta est. Tolle de terra veru. Nam si in eo homines, aut etiam pecora perierint, tu ipse & ego, cum liberis nostris, aut occidemur, aut captiui ducemur. Ad hæc maritus inquit; Non ita fiet. Nam sanctus vir mihi benedicens sudem, dixit quod nunquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Post hæc verba mendicus vxori consentiens, pergit, & tollit de terra veru, intra domum quasi amans illud secus parietem posuit, in quo mox domesticus eius incidens canis disperiit. Quo pereunte, rursum marita, vnus, ait, filiorum tuorum incidet in sudem, & peribit. Quo audito eius verbo, maritus veru de pariete remouens, ad syluam properat, & in densioribus infixit dumis, vt putabat, vbi à nullo posset animante offendi. Sed postera reuersus die capream in eo cecidisse, & periisse reperit. Inde quoque illud remouẽs in fluuio, qui Latinè potest dici Nigra Dea, iuxta ripam sub aquis absconsens infixit. Quod alia reuisitans die, Esocen in eo miræ

*Pauperũ inopiam veru benedicto leuat, quo per pauperem cõbusto, iterum ad pristinam inopiam redit.*

magnitudinis transfixum & retentum inuenit,quẽ de flumine eleuans, vix solus ad domum portare poterat, veruque secum de aqua simul reportans extrinsecus in superiore tecti affixit loco, in quo coruus de volatus impetu lapsus, disperiit iugulatus. Quo facto, miser fatuæ consilio coniugis deprauatus, veru tollens de tecto, assumpta securi in plures concidens particulas, in ignem proiecit, & postea quasi suæ paupertatis amisso nõ mediocri solatio, remendicare, vt meritus, cœpit. Quod videlicet penuriæ rerum solamen sæpe superius in veru memorato dependebat, quod pro pedicis, & retibus, & omni venationis & piscationis genere seruatum posset sufficere, beati viri donatum benedictione, quodque amissum miser plebeius eo ditatus pro tempore ipse cum tota familiola serò licet, omnibus de cætero deplanxit reliquis diebus vitæ.

Alio tempore dum vir beatus in Ioua commaneret insula, quadam die sancta facies eius subita mirifica & lætifica hilaritate effloruit, oculosque ad cælum eleuans incomparabili repletus gaudio, valde lætificabatur. Post modicum verò interuallum illa sapida & suauis lætificatio in mœstam conuertitur tristificationem. Duo verò viri qui eadem hora eius tugurioli ad ianuam stabant,quod in eminentiori loco erat fabricatum, & ipsi cum eo valde tristificati, causam ipsius subitæ lætificationis inquirunt, & illius subsequẽtis mœstitiæ. Ad quos sanctus sic profatur. Ite in pace, ne illius lætitiæ causam, nec tristitiæ à me nunc inquiratis manifestari. Quo audito, prostratis in terram vultibus, suppliciter rogant, scire volentes aliquid de illa re, quæ hora eadem sancto erat reuelata. Quos valde tristificatos videns. Quia vos amo, ait, tristificari nolo, promittere prius debetis,ne vlli hominum sacramentum, quod inquiritis,in vita mea prodatis. Qui continuò sanctam eius commendationem promptè promiserunt, & post talem promissionem vir venerandus sic ad eos proloquitur. *Finem vitæ suæ prædicit.* Vsque in hunc præsentem diem, meæ in Britannia peregrinationis ter deni completi sunt anni. Interea multis ante diebus à Domino meo deuotè postulaui, vt in fine huius triceſimi anni præsentis, me de meo absolueret incolatu, & ad cælestem patriam aduocaret. Et hæc fuit mei causa lætaminis, de qua vos me mœsti interrogatis. Angelos enim sanctos de excelso vidi missos throno ad meam de carne animam obuios educendam. Sed ecce nunc subitò retardati, vltra nostræ fretum Insulæ stant in rupe, volentes ad me de corpore aduocandum appropiare, sed propius accedere non permittuntur, mox ad cælorum summa repedaturi, quia Dominus quod mihi totis viribus roganti donauit, vt hac in die ad ipsum de mundo transirem, multarum magis Ecclesiarum pro me orationes exaudiens, dicto citius immutauit. Quibus scilicet Ecclesiis exorantibus, sicut à Domino donatum est, vt quamlibet contra meam voluntatem, quatuor ab hac die mihi in carne manenti superaddantur anni. Hæc talis mihi mœsta retardatio, hodiernæ tristitiæ non immeritò causa fuit. Quibus videlicet quatuor futuris Deo propitio terminatis in hac vita annis, subita emigratione, nulla præcedente corporis molestia, cum sanctis mihi obuiaturis Angelis, ad Dominum lætus emigrabo. Secundum hæc verba viri venerabilis, quatuor postea annis in carne mansit.

*Orationibus fidelium quatuor ei vitæ anni adduntur.*

Quibus finitis, cum plaustro vectus, quia senex, ad visitandos fratres perrexisset, dixit eis: In Paschali solemnitate nuper Aprili peracta mense, desiderio desideraui ad Christum Dominum, sicut mihi ab eo concessum erat, si maluissem emigrare, sed ne vobis lætitia festiuitatis in tristitiam verteretur, diem meæ de mundo emigrationis paulo diutius protelari malui. His ab eo Monachi auditis, valde tristificati sunt, quos inquantum poterat, verbis cœpit consolatoriis lætificare. Deinde ad orientem conuertens faciem, Insulam cum insulanis benedixit habitatoribus. Ex qua die viperarum venena trisulcarum linguarum, vsque in hodiernum diem, nullo modo aut homini, aut pecori nocere potuere. Reuersus ad Monasterium, cum vidisset Angelum, & mortis horam prædixisset, & sederet iuxta Monasterium, ecce albus occurrit caballus, qui lactaria intra Monasterium vascula gestare consueuerat. Hic ad sanctum accedens, mirum dictu, caput in sinu eius ponens, inspirante Deo, cui omne animal brutum sapit, sensu quo ipse iusserit Creator, Dominum suum mox emigraturum, & ipsum vltra non visurũ sciẽs, cœpit plangere, vbertimque quasi homo lacrymas in gremium sancti fundere, & valde spumans flere. Quod videns minister, cœpit illum flebilem repellere lamentatorem. Sed sanctus prohibuit eum dicens: Sine hunc, sine nostri amatorem, vt in hunc sinum fletus effundat amarissimi plangoris. Ecce tu homo cum sis, & rationabilem animam habeas, nullo modo scire de meo exitu potuisti, nisi quod ego tibi nuper manifestaui. Huic verò bruto, & irrationabili animanti quoquomodo ipse conditor voluit egressurum à se Dominum manifestè reuelare. Et hæc dicens, mœstum à se reuertentem equum benedixit ministratorem, & inde egrediens, & monticellum Monasterio supereminẽtem ascendens in vertice paululum stetit, & ambas eleuans palmas, suum benedixit cœnobium, dicens: Huic loco quamlibet angusto, & vili, non tantum Scotorum Reges cum populis, sed & barbararum & exterarum gentium regnatores cum plebibus sibi subiectis, grandem & non mediocrem conferent honorem. A sanctis quoque non mediocris veneratio conferetur.

*Obtinet inducias mortis propter solemnitatem Paschalem.*

*Viperas tollit.*

*Videt Angelum, & mortis horã prædicit.*

*Equus futurum S. Colũbæ mortẽ deflet.*

Post hæc ad Monasterium reuertens, resedit in lectulo, vbi pro stramine nudam habebat petram, & pro puluillo lapidem, & ibi residens, conuocatis fratribus, cœpit eos ad virtutis perseuerantiam adhortari & charitatis amorem. Proinde media nocte pulsata, personante clocca, festinus ad Ecclesiam perrexit, & iuxta altare flexis in oratione genibus recubuit. Statim autem accedentes Monachi, cœperunt plangere. Tunc vir sanctus extensa manu, cum eos benedixisset, continuò spiritum exhalauit. Expletis autem post sanctæ egressum animæ hymnis matutinalibus, sacrum corpus de Ecclesia ad hospitium, vnde paulo ante viuens venerat, cum canora fratrum reportatur psalmodia, honestéque ternis diebus, & totidem noctibus, honorabiles ritè explentur exequiæ. Quibus in Dei laudibus terminatis, sancti & beati patroni venerabile corpus, mundis inuolutum sindonibus, debita humatur cum veneratione.

*Moriturus suum benedicit cœnobiũ.*

*Moriens benedicit fratres.*

*Sepelitur honorificè.*

*NOTÆ.*

S. Colũba.] *Eius festiuitas 9. Iunij celebratur. Meminit eiusdẽ Beda lib. 2. hist. Angl. c. 21. vbi ipsũ 32. annis in Britãnia tantũ vixisse testatur. Claruit anno Dom. 560.*

Tolle de sylua contulum.] *Est contus siue contulus, fudes, siue hasta longior, vulgò* vne perche.

Personante clocca.] *Hic clocca, vel glogga, sumitur pro campana.*

*VITA*



## *VITA B. BERNARDI EREMITÆ. Ex ea quam scripsit Richardus de Valle Isera, anno Domini* 1008.

*Patria & parentes S. Bernardini.*

BERNARDVS Mentone in Sabaudia natus est anno Domini 926. Pater ipsius Richardus nomine fuit Baro de Mentone, mater verò Berluina de Duino, ex illustrissima familia Oliuerij Equitis, & Comitis Gebennensis, traxit originem. Erant autem Christiani & Catholici, valde timentes Deum, & nullã vnquam præter istam habuere prolem: quam quidem in timore Dei sollicitè instruxerunt. Erat autem puer docilis, & amabilis, pulcher aspectu, gressu composito, & honestis moribus, ita vt omnium animos in sui amorẽ pertraheret. Factus adolescens, cum iam sub honestissimo, & doctissimo pædagogo litteras humaniores didicisset, à parentibus tandem Parisios missus, infra quinque annos in vtroque iure euasit doctissimus.

*Parisiis dat operam litteris.*

Iam tunc cœpit ei mundus displicere, ita vt non parum tristis, & macie confectus in dies appareret. Rogatus à Magistro, causam tristitiæ libenter aperuit, à quo multo magis ad mundi contemptum, & ad contemplatiuæ, religiosæque vitæ studium adhortatus est. Vt autem desiderata faciliùs consequi posset, patronum & intercessorem apud Deum suasit accipere sanctum Nicolaum Myræ ciuitatis Episcopum, cuius sanctitas, per id tempus, in partibus Lotharingiæ innumerabilium miraculorum fuerat testimonio comprobata. Dum autem pius iuuenis cogitaret quomodo posset valedicere mundo, parentes è contra de eius matrimonio consultabant. Quapropter ab eis per litteras euocatus, relictis studiis, in patriam redire coactus est. Nec diu post inuitus & reniten s, Margaretæ de Miolano puellæ nobilissimæ & pulcherrimæ promissus, cum nuptiarum apparatus pararetur, & propè esset vt duceretur ad sponsam, cœpit attentius in cubiculo precibus incumbere, rogans Deum, vt eum ab imminenti periculo liberaret, atque in virginitatis propositо semper custodiret. Et cum orationem protelaret, leui somno correptus apparuit sibi S. Nicolaus in forma peregrini, præcipiens vt sine mora Augustam pergeret, & ad huius ciuitatis venerabilem Archidiaconum accederet. Tunc expergefactus, cum breuem scripsisset Epistolam pro consolatione patris ac matris, eamque supra mensam posuisset, beato Nicolao duce, per altissimam fenestram illæsus aufugit, & prospero cursu Augustam perrexit, vbi dum in basilica sanctæ Dei genitricis gratias omnipotenti Deo pro euasione sua redderet, Archidiaconum finitis precibus offendit, qui nocte præcedenti monitus à beato Nicolao, ipsum expectabat. Quem cum salutasset, duxit in domũ & honorificè tractauit, & diu apud se detinuit, ipsoque agente, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ constitutus est. Nec diu post defuncto Archidiacono, beatus Bernardus omnium consensu in eius locum est suffectus, anno Domini 966.

*Reuit in patriam.*

*Miraculose aufugit de paterna domo.*

*Canonicus, postmodum Archidiaconus Ecclesiæ Augustensis constituitur.*

Postquam autem parentes compererunt non adesse filium, vix euaserunt mortem, & diu in luctu & mœrore versati sunt, sæpiusque viros miserunt, qui eum perquirerent, sed fruſtrà. Huius autem fugæ non obstante respectu, Miolana domus quasi pro iniuria sibi illata contra parentes beati Bernardi durissimum bellum agere disponebant, nam nullæ excusationes, nulli legati & oratores proficiebant.

Sed Deus pacis & concordiæ auctor hoc modo nobiles istos discordantes sedauit. Margareta enim statim atque audiuit tantum mundi contemptum in sponso, & ipsa mirum in modum in virginitatis & castitatis proposito accensa, accessit ad patrem, & liberè dixit se velle in virginitate permanere. Ille autem videns eius animi constantiam, consensit, statimque Gratianopolim perducta, in quodam Monasterio virginum non longè à ciuitate, sanctimonialium habitum, & clausuram hilariter suscepit, & in sanctis operibus vitam finiuit.

*Margareta sponsa B. Bernardi audita eius fuga, sanctimonialium habitũ, & clausurã suscipit.*

Per id tempus cum Valesienses & Tharantasienses ad Christi fidem conuersi fuissent, diabolus hoc nimis acerbè tulit. Quare minis, verberibus, & promissis, populos illos ad sibi sacrificandum cogebat, & recusantes morte afficiebat. Nam cum quidam paganus, nomine Polycarpus, erexisset in illis montibus columnam, & supra ipsam statuisset inæstimabilis pretij carbunculũ, dæmones successu temporis, tam in columna, & carbunculo, quàm in statua Iouis, habitare cœperunt: & sic omnes illac transeuntes multis contumeliis, verberibus, & quandoque morte (vt dictum est) afficiebant. Ægrotis suadebant, ad columnam pergere, vt solo carbunculi intuitu sanitatem recuperare possent. Quosdam igitur sanabant, quosdam mutilabant, & partem vndecimam omnium illac transeuntium sibi vsurpabant.

*Damones Valesienses, & Tharantasienses, &c. nouiter conuersos sibi sacrificare cogunt.*

Augustenses autem ciues, & adiacentes populi tantam dæmonum crudelitatem amplius ferre non valentes, auxilium Dei, & beatæ Virginis eorum patronæ, cum ieiuniis & orationibus implorare cœperunt. Eorum autem misertus omnipotens Deus, misit eis liberatorem beatum Bernardum, vt eriperet eos. Cum enim instaret precibus, vt diaboli destrueret superbiam & potentiam in somnis admonitus est, atque hac de causa ad montem Iouis pergere non tardaret. Tunc surgens, perrexit ad Episcopum, eique visionem narrauit, rogans vt secum vna cum populo processionaliter pergere non dedignaretur. Cuius precibus annuens Episcopus, conuocato populo, ordinatè, & cum grauitate magna, & silentio omnes procedebant. Cum autem peruenissent ad radices montis, & Bernardus omnium preces postulasset, ascendit in montem. Tunc diabolus cœpit suscitare tonitrua, fulgura, grandines, niues, pluuias, tempestates, & ventos, sed nihil horum veritus Bernardus, à cœpto non destitit. Nam accedens ad statuam, sacerdotalibus indutus vestibus, signoque Crucis munitus, stolam in collo statuæ iniecit, quæ (mirum dictu) in catenam ferream statim versa est, excepta parte, quam in manibus tenebat, subitoque fortiter attrahens statuam proiecit in terram, & contriuit, præcepitque dæmonibus qui in ea habitabant, in nomine Domini, vt discedentes ad inhabitabiles montes montis Maleti pergerent, & neminem vnquam læderent, ibique diem iudicij expectarent. Tantum autem strepitum in discedendo excitarunt, vt non solùm totus mons, sed & mundus periisse putaretur. Tunc serenato cœlo, beatus Bernardus victor, & triumphans, cum decem peregrinis, quos secum duxerat, vt essent testes tantæ victoriæ, ad Episcopum, & populum qui de eius reditu desperabant, regressus est. Incredibili ergo lætitia affecti, gratias omnipotenti Deo reddiderunt, & cum hymnis & canticis, sicut prius, ad ciuitatem processionaliter redierunt.

*Destruit statuam Iouis B. Bernardus.*

Verumenimverò cum in pace omnia constituta putarentur, diabolus quiescere non potuit, quin

*Dæmonum crudelitas & rabies.*

molestias magnas populis inferret. Nam apud columnã illam & carbunculum, superstitiones innumeræ, sacrilegia, & homicidia multa fiebant, & diabolus omnes transeuntes vexabat. Quod cum resciuisset beatus Bernardus, iterum ad Episcopum accessit, & sicut prius ipsum rogauit, vt ad secundam victoriam vna cum populo secum pergeret. Præcedebant igitur omnes cum lacrymis & gemitibus, & Bernardus ascendens in montem, accessit ad columnam. Diabolus verò eius sanctitatem ferre non valens, statim aufugit. Tunc vir Dei extrahens carbunculum, & locum purgans, præcepit dæmonibus vt discederent, & nunquam talia agere præsumerent. Et sic omnes cum ingenti lætitia, gratias Deo agentes, ad propria recesserunt.

*Etiam columnam & carbunculum, in quibus dæmones habitabãt destruit B. Bernardus.*

Beatus verò Bernardus vt tantarum victoriarum insignia, & vestigia relinqueret, duo in illis montibus Xenodochia construere decreuit. Vt autem hoc facilius præstare posset, omnem reditum Archidiaconatus sui collegit, & latomos conducens cœpit insistere operi, & piorum elemosynis adiutus, tandem illud consummauit; & ibidem Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini congregauit, qui Deo, pauperibus, & peregrinis continuò inseruirent. Quibus peractis, cum à longo tẽpore ad vitam solitariam aspiraret: in cacumine Montis Iouis sibi exiguam cellulam construxit; ibique per multos annos in magna vitæ austeritate permãsit.

*Constituit duo Xenodochia in Monte Iouis B. Bernardus.*

*Viuit solitarius in Monte Iouis.*

Interea verò fama sanctitatis, & miraculorum eius vbique vagante, etiam ad aures patris & matris peruenit. Decreuerunt ergo ad eum accedere, vt consolationem aliquam de fuga & absentia filij, ab ipso recipere possent. Cum autem ad eius cellam peruenissent, ipse quidem eos cognoscens, non est tamen agnitus ab eis. Verumtamen cum diu eos consolando sermonem protraheret, & fixis oculis eum intuerentur; tandem sermonem interrumpentes, dixerunt ei: Nunquid pater sancte, tu es ille vir de quo loquimur? Reuera tu es filius noster. Et quomodo in his gelidis, & desertis montibus tandiu viuere potuisti? Tunc præ gaudio lacrymantes, amplexati sunt eum. Beatus etiam Bernardus flens petiit veniam, eosque vt patientiam tenerent, & diuinæ voluntati se conformarent obnixius rogauit. Tandem post multa colloquia, cum multas eleemosynas contulissent pro ampliatione ædificiorum, valedicentes filio, cum lacrymis recesserunt ad propria, statimque leui morbo correpti, dispositа domo, migrauerunt ad Dominum.

*Visitatur à parentibus, & tãdem ab eis cognoscitur.*

*Prædicat verbum Dei, & multos ad Christum cõuertit.*

Postquam autem B. Bernardus consummauit omnia quæ disposuerat, zelo salutis animarum succensus, descendit de monte, & cœpit prædicare verbũ Dei vicinis populis magnis adhuc superstitionibus, & vitiis addictis. Quos cùm ad rectam fidẽ reuocasset, profectus est Romam, & honorificè à summo Pontifice exceptus, obtinuit confirmationem omnium quæ gesserat, & sic ad cellam vt rediret, itineri se dedit. Transiens verò per partes Lombardiæ, cum multas ciuitates adhuc idolis deditas cerneret, per multos annos eis annunciauit Christum, & tandem Deo eius sermonem virtute miraculorum & prodigiorum confirmante, multos conuertit. Cum autem veniisset Nouariam, graui morbo correptus, cœpit tendere ad extrema. Et cum exitum suum Domino commendaret: apparuit ei S. Nicolaus, quem semper mirificè coluerat, consolans eum. Deinde accesserunt Angeli, qui sanctã eius animam ad cælos euexerunt. Obiit autem vir sanctus 15. Iunij feria sexta post festum sanctissimæ Trinitatis, anno Domini millesimo octauo. Cuius sacrum corpus in Monasterio S. Laurentij extra muros ciuitatis Nouariæ, honorificè sepultum fuit, vbi etiam nunc quiescit.

*Claret miraculis.*

*Aegrotat.*

*Apparet ipsi S. Nicolaus. Moritur.*

### NOTÆ.

Bernardus.] *Eius vitam tam ex Richardo de Valle Isera, quam ex diuersis Auctoribus & antiquitatibus Gallicè prolixius scripsit Nicolaus Farnesius, quam etiam Victori Amedeo Sabaudiæ Duci dedicauit. Meminit eiusdem Vvionius tom. 2. Ligni Vitæ, sed errat cum ipsum reponit inter Sanctos Ordinis S. Benedicti. Satis ex supra dicta historia talis error reprobatur, vnde superfluum esset rationes contra adducere. Nouissimè Petrus de Sales Episcopus Gebennensis multa de eodem collegit, eũdemque valde coluit, (vt à fide dignis Sacerdotibus accepi) sed nondum videre contigit. Nicolaus Farnesius circa finem vitæ quam scripsit, videtur asserere Bernardum fuisse in Sanctos relatum, & canonizatum*, L'on eut (*inquit*) adiousté icy les Miracles & Canonizatiõ du Sainct; mais on n'a peu auoir les papiers authentiques des Seigneurs Ecclesiastiques, qui ont le precieux thresor de son corps. *Fundauit Xenodochium Montis Iouis, vulgò* de Mont-ioux, *anno Domini* 962.

Venisset Nouariam.] *Nouaria ciuitas Lombardiæ, in tractu transpadano, cuius meminit Plinius lib. 3. cap. 17. Dicitur etiam Nouara, vulgò* Nouare, *vel* Nouuarre.

## VITA SS. EREMITARVM NEOTI, & Ailvuini. Ex Ioanne Pitheo.

*In lib. de Illust. Ang. Script.*

SANCTVS Neotus Adulphius apud Orientales Anglos nobili ortus prosapia, Ordinis Sancti Benedicti Monachus in cœnobio Harinstoco, alij volunt in Glascoriensi. Vir qui in pusillo corpore magnum animum, ingentes gessit spiritus. Ad eminentem in sanctitate & doctrina peruenit gradum. Post imbibitas in cœnobio liberales artes, & sacrarum litterarum degustata principia, secessit in quandam Cornubiæ solitudinem, & non longè à Sancto Petroco, per integrum septennium Eremiticam egit vitam, in perpetuo ferè silentio, summa continentia, maximis vigiliis, & indefessa sacrarum Scripturarum meditatione.

*S. Neotus Monachus Ord. S. Benedicti.*

*Petit Eremũ.*

Postea virtutibus omnibus instructus, ad hominum conuictum, & socialem vitam, quasi postliminio reuersus, virtutes & bonas litteras, quas didicerat, alios docuit, & omnem quam potuit, promouendis studiis, & suis, & alienis adhibuit operam. In gratiam Regis Alfredi magni se insinuauit, eique fuit auctor, vt Scholas Oxonienses, nobilissimas illas Anglorum Athenas, anno Domini 873. repararet, & ereptas Marti musis restitueret, quod Rex munificè præstitit, ædificatis tribus studiosorum Collegiis. Ab ipso autem Neoto hæc saltem inuenimus profluxisse scripta.

*Ipso agente Alfredus Rex Scholas Oxonienses restituit.*

Ad Martinũ Papam II. pro confirmatione Oxonensis Academiæ Epist. lib. 1.

*Eius lucubrationes.*

Ad Alfredum Regem de viuendi ratione, librum vnum.

Sermonum & exhortationum librum vnum.

Sanctissimè diem suum obiit pridie Calendas Augusti anno à plenitudine temporis 883. regnante in Anglia Alfredo.

*Moritur.*

Sanctus Ailvuinus Eremita Anglus, cuius vita dicitur haberi MS. Oxonij in Bibliotheca Collegij Sanctæ Mariæ Magdalenæ, forsan auctore Petro Blesensi.

*Petrus Blesensis S. Ailvuini Eremitæ vitã scripsisse fertur.*



Blesensi. Scripsit librum quendam ad Herebertum Episcopum, puto illum qui circa annum Domini 1090. transtulit Episcopalem sedem Terfordia Norvvicum. Liber MS. haberi dicitur Cantabrigiæ in collegio S. Petri, de hoc auctore, operibus, & aliis eius gestis, nihil aliud hactenus inuenio.

### NOTÆ.

Sanctus Neotus.] *Meminit eiusdem Arnoldus Vvion. tom. 2. Ligni Vitæ. Floruit anno Domini* 883.

Sanctus Ailvvinus.] *Hic claruisse dicitur circa annum Domini* 1094. *regnante in Anglia Guillelmo Rufo.*

*Agit idẽ Pitheus de quodã venerabili Burchardo etiã Eremita, qui claruit anno Domini* 870. *Et quia Auctor iste satis rarus est, ideò in gratiam lectoris quid de Burchardo scribat hic inserere non superfluum puto. Burchardus (inquit) natione Anglus, patria Dorcestrius, primùm Clericus, deinde Ordinis S. Benedicti Monachus congregationis Giribennæ. Tandem ad altiorem sanctitatis gradum aspirans solitudinem petiit, & eremiticam vitam amplexus, rerum cælestium contemplationi se totum dedit. Cuius fama motus, & instituto delectatus Fremundus Offæ Regis filius, in ipso iuuentutis flore, eandem viam & vitam secutus est. Erat autem Burchardus iste non solum integritate morum, sed etiam doctrinæ laude clarus, quamuis propter perpetuam meditandi consuetudinem, & continuam rerum diuinarum contemplationem perpauca scriptis consignauerit. Edidit tamen De Vita & Passione S. Fremundi Principis & martyris, librum vnum.*

*Claruit senex anno redemptionis nostræ* 870. *Ethelredo Rege in Anglia de summa rerum cum Danis hostiliter depugnante. Hæc Pitheus.*

## VITA S. GERARDI EPISCOPI, & Eremitæ. Ex Iacobo Seuertio.

*Habetur in Chronol. Episc. Matiscon.*

*S. Gerardus Matisc. Episcopus coitionẽ Synodi Cabilon. enixus est.*

SANCTVS Gerardus Matisconensis Episcopus imprimis enixus est coitionem Synodi Prouincialis Cabilonensis, Præside Austerio Lugdunensi Archiepiscopo, astantibus Leonino Archiepiscopo Bizuntino, Aggo Narbonensi, Ebezachare Bellicensi, Odolardo Maurianensi, Edrardo Cabilonensi, & aliis, &c.

*Relicto Episcopatu constituit Eremitorium, vbi solitarius viuit.*

Hic Gerardus construxit primus eum Eremum qui supereſt in agro Bressiano Galliæ Celticæ, postea à Pedemontano Principe ditatum, & quidem in saltu seu loco quem nuncupant Brou, vbi reliquum dierum ex voto transegit, ibidemque demũ sepultus est ex San-Iuliano, quinimo in pauperum Xenodochio collocari voluit ex Bugnonio. Quo sanè in situ Duces Sabaudi elaboratissimas suas sepulturas deinceps apposuere, constructo eleganti Monasterio Eremitarum Ordinis S. Augustini. Alij verò censent eum Matisconi humatum in vico & Sacello sui quondam nominis. Atque ea est vulgaris fama ex veterum traditione retenta. Ob idque prudenter concludendum, eius postea corpus vel trãslatum fuisse ex Eremo seu Monasterio in Sacellum, vel etiam è contrà (& fortè verius) ex vrbano huiusmodi Sacello in idem rurale cœnobium.

*Transfertur eius sacrum corpus.*

### NOTÆ.

Sanctus Gerardus.] *Hunc vocat Seuertius Geraldum, vel Girardum, sed meliùs dicitur Gerardus, nam ita scribitur in Breuiario Ecclesiæ Matisconensis, vel Matisconensis, & consentiunt multi historici. Notandum etiam quod in tabulis Breuiarij Ecclesiæ Matiscon. agitur de duobus eiusdem nominis, & de vno quidem* 13. *Octobris, de altero verò* 30. *Maij, & fortassis hi duo vnum faciunt, cuius festiuitas* 13. *Octobris, translatio verò* 30. *Maij celebratur. Fuit* 26. *huius sedis Episcopus circa annum Domini* 883. *Fuerunt & alij eiusdem nominis sanctitate celebres: Gerardus Episcopus Canadensis & martyr, & Gerardus Abbas Bronensis.*

Construxit primus eum Eremum qui supereſt in ago Bressiano.] *Id est prope ciuitatem Burgensem, quæ vulgò dicitur* Bourg en Bresse.

In saltu seu loco quem nuncupant Brou.] *Ibi Eremiticam vitam duxit S. Gerardus. Sed notandum quod priusquàm Margareta Austriaca filia Maximiliani Imperatoris, vxor Philiberti Ducis Sabaudiæ, construxisset illud egregium Monasterium Eremitarum Ordinis S. Augustini, ibi erat constructa antiqua Ecclesia ad honorem S. Petri Apostoli, quæ erat parrœcia vrbis Burgensis. Agente autem prædicta Margareta intra vrbem Ecclesia B. Virgini Dei genitrici dedicata fuit, quæ hodie est parrœcia, quæque etiam agente Duce Sabaudiæ in Cathedralem & Episcopalem constructa fuit, habuitque duos Episcopos Ludouicum de Goruoz, & N. de Chales. Sed agente Archiepiscopo Lugdunensi tempore Regis Francisci desiit esse Episcopalis & Cathedralis. In hac autem Burgensi ciuitate & natus, & in ipsa Dei genitricis Basilica baptizatus fuit anno Domini* 1593. *die* 20. *Aprilis.*

## VITA S. STVRMIONIS ABBATIS. Ex ea quam Ægila Abbas descripsit.

*Apud Surium auctum, & nouissimè Colonię impressum.*

EMPORE quo sanctus ac venerandus Archiepiscopus Bonifacius Noricam regionem ingressus, Sacerdotes, & vniuersos Ecclesiæ ordines, ad Catholicam imbueret fidem, cunctosque ibidem hæreticorum errores ab Ecclesis repelleret; Christi populos quoque gentis illius, licet essent Christiani, ab antiquis tamen Paganorum contagiis, & peruersis dogmatibus, veracibus Christi doctrinis colliberet, cœperunt ei certatim nobiles viri in seruitium Domini nutriendas suas offerre soboles. Tunc etiam puer Sturmi, precatu parentum, ab eo susceptus, qui Norica prouincia exortus, nobilibus, & Christianis parentibus generatus & nutritus fuit. Qui carnali quidem relicta cognatione, peregrinationis viam cum Episcopo pariter, à quo erat susceptus, flente vniuersa parentela grataner arripuit. Cumque pluribus prouinciis peragratis, ad Friteslar Hessionum in regionem sancti viri cœnobium tãdem peruenissent, nobilem puerum suo cuidam Presbytero, nomine Vvigberto, sanctus commendauit Episcopus. Adhibita tunc omni diligentia, Presbyter sanctus puerum Sturmem ad Dei omnipotentis seruitium instituere studuit. Psalmis tenaci memoriæ traditis, lectionibusque quamplurimis, perenni commemoratione firmatis, sacram cœpit Christi puer scripturam spirituali intelligere sensu; quatuor Euangeliorum Christi mysteria studiosissimè curauit addiscere, nouum quoque ac vetus testamentum, in quantum sufficiebat, lectionis assiduitate, in cordis sui thesaurum recondere curauit. Post non longum temporis Presbyter, omnium voluntate, omniumque consensu seruorum Dei, ordinatus, cœpit mystica dicta Christi circumquaque, temporibus opportunis, populis instãter prædicare. Sacræ etiam virtutes per diuina sancti Spiritus charismata fiebant ab eo eo plurimæ.

*S. Bonifacius Noricã obit.*

*Sturmi nobilis puer offertur à parentibus S. Bonifacio.*

*Vvigberto in disciplinam traditur.*

*Ordinatur Presbyter.*

*Claret miraculis.*

Cumque

*Eremi desiderio flagrat.*

Cumque penè tribus annis sic Presbyteratus fui, prædicando, ac baptizando officium gereret in plebe, cælesti inspiratione cogitatio incidit in cor, vt arctiori se vita, & Eremi squalore constringeret. Hanc autem cogitationem viro Dei Bonifacio Archiepiscopo reuelauit. Vir autem Dei à Deo hanc inspirationem descendisse intellexit, atque tali studio deuotissimus fautor gratanter extitit. Adiunctis ergo ei duobus comitibus, oratione facta, & benedictione super eos data: Pergite, ait Episcopus, in hanc solitudinem, quæ Bochonia nuncupatur, aptumque seruis Dei ad inhabitandum exquirite locum. Perrexere itaque illi tres ad Eremum, ingressique solitudinis agrestia loca: præter cælum & terram, & ingentes arbores penè nihil cernentes, deuotè Christum poscebant, vt pedes illorum in viam pacis dirigeret. Die tertio peruenerunt ad locum, qui vsque hodie Herfelt dicitur. Visis exploratisque ibidem locis circumquaque positis, Christum sibi locum illum ad inhabitandum benedici poposcerunt, atque in loco illo, vbi nunc Monasterium situm est, parua arborum corticibus tecta instruunt habitacula, manseruntque illic tempus non modicum, sacris ieiuniis, & vigiliis, atque orationibus Deo seruientes.

*S. Bonifacio vocationis suæ consilium aperit.*

*Petit Eremū.*

*Eius prima mansio vbi nūc Hersfeldensis Abbatia.*

Post aliquantum verò temporis sancto studio repletus beatus Sturmius, egressus de Eremo, ad sanctum Archiepiscopum Bonifacium perrexit; eique & loci positionem, & terræ qualitatem, & aquæ decursum, & fontes & valles, & omnia quæ ad locum pertinebant, per ordinē exposuit. Quod vir sanctus Bonifacius audiens, & secum pertractans, Eremitam suum omni charitatis affectu suscepit, secúmque habitare aliquantisper imperauit. Post colloquium autem dulce, Episcopus taliter locutus est. Locum quidem, quem repertum habetis, habitare vos propter viciniam barbaricæ gentis pertimesco. Sunt enim, vt nosti, illic in proximo feroces Saxones. Quapropter vobis remotiorem & inferiorem in solitudine requirite habitationem, quam sine periculo vestri colere queatis. Tunc vir beatus Sturmius, de inquisitione loci solicitus ad Eremum alacriter perrexit. Qui cùm ad suos peruenisset socios, in prædictis eos reperit habitaculis suum anxiè præstolari aduentum. Quos cum vidisset, per ordinem eis verba sancti Episcopi exposuit. Statimque ascendentes nauem, per alueum Fuldæ fluminis nauigio pergere cœperunt, lustrantes vbique loca, ad omnium torrentium, & fontium ora. Nauim egressi perambulantes circumquaque, & considerantes terram, montes, colles, superiora, & inferiora, explorantes, vbi Dominus seruis suis in solitudine ad inhabitandum aptum demonstraret locum: tertio demum die ad locum peruenerunt, vbi flumen, quod dicitur Ludera, intrat in Fuldam. Inde reuersa naue, cœperunt ad propriam remeare cellam, nihil tale reperientes, quod eorum placuisset obtutibus, præter quod paulisper demorati sunt in loco qui dicitur Rohenbah, vbi eis visum fuerat, posse seruos Dei vtcumque esse: non tamen per omnia æstimantes venerando Episcopo placuisse. Qui cum per eiusdem fluminis alueum renauigarent, post non longum tempus ad sua paupercula deuenerunt habitacula, ibi Christum omni tempore deprecantes, vt eis desideratam ostenderet Eremi habitationem, vbi secundum præceptum beati Bonifacij Episcopi possent iugiter Domino securi deseruire.

*Eius ad solitarios suos reditus.*

*Perlustrat Buchoniæ solitudinem.*

*Redit ad cellam cū suis.*

*B. Bonifacius B. Sturmin ad se euocat.*

Tunc sanctus Episcopus Bonifacius memor Eremitæ sui Sturmi, quodque de inquisitione loci habuisset peractum, admirans, nuncium misit, qui illum rogaret concitè venire ad se. Vir autem Dei statim arrepto itinere, ad sanctum Episcopum properauit. Ad quem cum accessisset, & omnem naui-

*S. Bonifacij vaticinium.*

gationē ei exposuisset, nullumque aptum locum reperisse, sanctus Episcopus prophetica voce loquutus est ei, dicens: Locus quidem in illa solitudine à Deo paratus, quem quando voluerit Christus seruis suis ostendet. Quapropter noli de inquirendo cessare, sciens & credens, quod eum absque dubio ibi reperies. Sic eum certum de loci inuentione factum, & ad Monasticæ vitæ amorem incitatum, ad dilectam permisit remeare Eremum.

Cumque parumper cum fratribus remansisset, strauit asinum suum, sumptoque viatico, solus profectus est, iter suum Christo qui est via, & veritas, commendans, solus omnino sedens supra asinum, per vastissima deserti loca pergere cœpit. Tunc auidus locorum explorator, vbique sagaci obtutu, montuosa atque plana perlustrans loca, ibi tantummodo quiescebat, vbi nox eum compellebat habitare. Et tunc quando alicubi noctabat, cum ferro, quod manu gestabat, sepem cædendo, ligna in gyro composuit, ad tutamē animalis sui, ne feræ, quarum per magna ibi multitudo erat, illud deuorarent. Ipse autem signo Crucis fronti impresso, securus quiescebat. Quadam die dum pergeret, peruenit ad viam, quæ ad Thuringorum regionem mercandi causa ad Moguntiam pergētes ducit, ibique magnam Sclauorum multitudinem reperit in fluminis Fuldæ alueo lauandis corporibus se immersisse. Quorum nuda corpora animal cui insidebat, pertimescens, tremere cœpit, & ipse vir Dei eorum fœtorū exhorruit. Qui more Gentilium, seruum Domini subsannabant, & cum eum lædere voluissent, diuina potentia compressi & prohibiti sunt. Vnus autem ex illis qui erat eorum interpres, interrogauit eum quò tenderet. Respondit, in superiorem Eremi partem se fore iturum. Sicque vir Dei per horrendum solus pergens desertum, præter bestias, quarum in eo fuit abundantia, & auium volatum, & ingentes arbores, & præter agrestia solitudinis loca, nihil cernens, tandem quarto die cum inuenisset virum quendam locorum in solitudine peritissimum, ab ipso locorum, torrentium & fontium nomina didicit. Valedicens autem viro & gratias agens, pergebat solus, & tandem Deo iuuante ad benedictum, & à Domino iamdudū præparatum peruenit locum, vbi nunc situm est Monasterium Fuldense. Tunc loci pulchritudine delectatus, non modicum diei spatium gyrando, & explorando consumpsit, & loco diligenter signato, gaudens inde profectus est: peruenienſque ad fratres, loci repertionem eis enarrauit. Postea proficiscens ad beatum Bonifacium, repertum ei locum laudando referre cœpit. Sanctus autem Præsul hæc audiens, ad Carolomannum perrexit Imperatorem impetrandi loci causa. Statim verò pius Imperator locum omnem concessit, & chartam suæ traditionis scribi iussit, quam ipse propria manu firmauit.

*S. Sturmii iterata perquisitio mansionis.*

*Nocturna mansio S. Eremita.*

*Gentiles diuinitus impediti, eum ledere non possunt.*

*Monasterij Fuldēsis area à Sturmino inuenta.*

*Proficiscitur ad S. Bonifacium, & loci repertum annunciat.*

*Carolus magnus Bochoniæ solitudinē dat S. Bonifacio.*

Igitur hac traditione vndique firmata, beatus Sturmius non post multos dies surgens, assumptis fratribus secum septem, commigrauit ad locum, vbi nunc sanctum situm est Monasterium, & anno Incarnationis Christi septingentesimo quadragesimo quarto, regnantibus in gente Francorum duobus fratribus Karlomanno, atque Pipino, indictione 12. mense primo, duodecimo die mensis eiusdem, sanctum & à Deo dudum prædestinatum ingressus

*Anno 744. inchoatur Fuldēse Monasterium.*



ingressus est locum. Sanctus verò Bonifacius accedens ad locum cum operariis, iussit arbores præscindere, & locum purgare. Sequenti anno Episcopus iterum illuc properans, Fulda Monasterio nomen dedit, propter meatum fluminis. Cum autem Monachis regulam dedisset, & beatum Sturmium præfecisset fratribus, inde recessit.

*S. Sturmis Abbas constituitur.*

Porrò cum fratres Regulam sancti patris Benedicti inhiantes obseruare desiderarent, consilium inierunt, quatenus aliqui ex ipsis ad magna alicubi mitterentur Monasteria, vt fratrum concordiam, & conuersationē regularem perfectè discerent. Quod cum sancto indicatum fuisset Episcopo, prudens illorum collaudauit consilium, & hanc legationem studioso Sturmi iniunxit. Qui præparatis itineris necessariis, assumptis secum duobus fratribus, Romam profectus est, atque in illa terra cunctis Monasteriis lustratis, & omnium mores ibi fratrum consistentium, traditionesque Monasteriorum ad plenum discens, integrum annum apud illa Monasteria perseuerans, secundo inde anno repletus quas viderat, virtutibus regressus est, & ad sanctum Bonifacium qui tunc in Turingia erat, perrexit. Cui cum enarrasset mores gentis illius, & disciplinas Monachorum, dixit ei: Vade, & nouellum Monasterium Fuldam, adinstar morum Monachorum, quorum ibi vitam contemplatus es, quantum quiueris instituas. Statim ergo vir beatus perrexit ad eremum, fratribus quæ in Italiæ partibus, & Tusciæ Prouinciæ Monasteriis à sanctis patribus didicerat, & verbis prudētibus prompsit, & exemplis in semetipso monstrauit. Desideriū tunc ingens inerat fratribus, ad omnia quæ eis dicta, vel ostensa fuerant sanctorum exemplis, semetipsos toto adnisu aptare, & regulam S. Benedicti, quam se implesse promiserant, ad omnia obseruabant. Annos sic plurimos in sanctis moribus degentes, Monasterium aduentatione multorum crescebat, quoniam multi ad seruiendum Domino se ibi, & suas possessiones tradiderunt.

*Mittitur Romam.*

*Regulam S. Benedicti Monachi Fuldenses suscipiunt.*

Postquam autem B. Bonifacius in Frisia Martyrio coronatus est, & sancti Martyris reliquias certatim omnes, sed præcipuè Moguntinenses retinere vellent, tunc beatus Sturmis, & qui cum eo de Eremo venerant constanter dixerunt, quod sanctus Episcopus plerumque apud eos manens, & locum eis vbi corpus suum posuissent, demonstrarit, & quod absque dubio inibi in solitudine voluisset corpore quiescere. Interea verò dum in hunc modum contenderent, & Lullus Episcopus ciuitatis illius omnimodis voluisset prohibere, ne beati viri corpus ad solitudinem peruenirent, nocte per visionem cuidam Diacono sanctus adstitit Episcopus. Cur me, inquiens, tardatis ad locum meum Fuldam deferre? Surgite, ait, citò, & properè me in solitudinem, ad locum quem mihi prædestinauit Deus, perducite. Qui consurgens, visionis quæ fuerat ei ostensa, ordinem primò Sturmi, deinde primatibus cunctis narrauit. Tunc Lullus Episcopus reuelationem sancti Martyris credere priùs nullatenus voluit, quàm is qui visionem viderat, manum sacro altari imposuisset, & cum iuramento, hoc quod viderat, confirmasset. Tunc beati viri corpus summo cum honore leuatum, atque ad Fuldam delatum in nouo sepulchro collocatum fuit.

*S. Bonifacius Martyrio coronatur.*

*Apparet Oberto Diacono.*

*Visū Diacono per iuramentum confirmatur.*

*S. Bonifacij corpus in Monasterio Fuld. collocatum.*

Sturmi autem omnibus amabilis in Monasterio, & foris in populis mirandus, ministerium suum studiosissimè exercuit. Lullo tamen fama eius bona displicuit, & semper propter inuidiam aduersus eum faciebat. Diabolus etiam viri Dei sanctitatem non ferens discordias inter fratres seminauit, & trium falsorum fratrum mentes instigauit vt fallaces causas componerent, & Sturmen apud Regem Pipinum accusarent. Qui Lulli Episcopi suffragio cōfisi perrexerunt ad Regem, & beatum virum accusabant, crimen nescio quod de inimicitia Regis obiicientes ei. Cumque vir Dei Regi præsentatus esset, illorum falsitatem patienter sustinens, noluit se magnopere excusare, sed ecce, ait, testis meus, & conscius meus in excelso, & Dominus Deux auxiliator meus, & ideo non sum confusus. Tunc prauorum præualuit voluntas, iussitque Rex Pipinus beatum tollere virum, & in exilium cum paucis suis mittere Clericis, id est, ad magnum cœnobium quod dicitur Vnnedica, vbi ab Abbate, & fratribus honorificè exceptus, per biennium exulauit. Non solum Fuldæ Monasterij fratres, sed etiam omnes Ecclesiæ eius plangebant exilium. Lullus interim obtinuit apud Regem Pipinum munera iniusta tribuendo, vt Monasterium Fulda in suum dominium donaretur, acceptaque superscriptione, Abbatem ibi quendam constituit qui vocabatur Marcus, sed non multum pòst eum Monachi abiecerunt. Quo amoto omnes fratres voluerunt ire ad Palatium Regis Pipini, & Abbatem suum postulare. Quod cum Lullus audiret, mitigare eos blandis persuasionibus studuit, permittens eis, vt sibi de propriis inter se Abbatem, qui eis placeret, constituerent. Quod cùm omnibus placuisset, fratres vnum ex ipsis fratrem, & verè Dei seruum, nomine Presbyterum, qui fuerat B. Sturmi discipulus, Abbatem ordinauerunt ad hoc tantum, vt illi cum ipso, & ipse pariter cum eis tractarent, quemadmodum pristinum suum Magistrum reuocare ad se per Regis voluntatem possent.

*Isa. 50. A Pipino mittitur in exilium.*

*Lullo traditur Monasterium fuit Fuldense.*

*Marcus Pseudo-Abbas abiicitur à Monachis.*

*Presbyterus Abbas eligitur.*

Cum autem non solum Fuldenses, & cæterorū cœnobiorū Monachi, & moniales pro reditu beati viri exorarent, consolator humilium Deus, eorum preces exaudiuit, & suscitauit cor Pipini Regis, vt de B. Sturme cogitare cœpisset, & eum de exilio vbi erat, ad palatium suum adduci honorificè præciperet. Qui cum adductus ad Palatium concitè fuisset, & ibi in capella Regis per plures esset dies orans, & expectans quid ei Rex imperaret, continuo quadam die vt ad venationem Rex pergeret, ac vt solitus erat, ad orationem primo diluculo veniret, & cæteri serui Dei post vigilias matutinas quiescerent, solus Sturmi vigilabat, & ingressum Regis obseruans, ianuas ei Ecclesiæ aperuit, & cum claro lumine ad orationem ante eum ibat. Rex verò cum ad sacras aras Deum exorasset, erexit se, & alacri obtutu Sturmen intuitus, Dominus, dixit, congregauit nos modo. Et quid hoc fuit, quod Monachi tui apud nos te accusauerunt, nescimus, & vnde irati fuimus contra te, ignoramus. Sturmi verò constanter ait. Licet à peccatis immunis non sim, contra te tamen, ô Rex, delictum non feci. At ille. Siue, inquit, vnquam aliquando contra me nequiter cogitaueris, aut iniquè aliquid gesseris, Deus tibi totum dimittat, & ego ex meo corde ignosco, & deinceps esto, ait, in gratia, & amicitia mea omni tempore. Tollensque manu sua de pallio suo filum, proiecit in terram, & dixit: Ecce in testimonium perfectæ remissionis, filum de pallio meo proiicio in terram, vt cunctis pateat, quod pristina deinceps annulletur inimicitia. Tunc Rex viro Dei Monasterium Fuldæ, quod priùs habuit, ad regendum commendauit, absolutumque ab omni dominio Lulli Episcopi, ad cœnobium Fuldæ cum omni honore ire præcepit. Fratres verò cum

*Tandem reuocatur ab exilio.*

*Orationes pro reditu B. Sturmi.*

*Ritus condolendi inimicitiam.*

*B. Sturmius redit ad suum Monasteriũ, & honorifico occursu à suis excipitur.*

appropinquasse eum Monasterio cognouissent, sumpserunt Crucem auream & reliquias sanctorum, & obuiam ei à Monasterio longius processerunt, & cum spitituali carmine eum ouantes ad Monasterium introduxerunt, & facta est lætitia magna inter eos.

*Pipini Regis obitus.*

Mortuo autem Pipino, anno ab Incarnatione Domini 768. sui verò regni 23. Karolus filius eius patri successit in regnum. Cùm ergo ipse Rex iuuenis cũctos qui patris sui honoribus præditi erãt, grandibus muneribus in gratiam suam prouocaret, accersiuit quoque venerandum Abbatem Sturmen, illumque intimis amicitiis sibi coniunxit, & eum sæpe honoribus, atque regalibus munificauit donis. Illis quoque temporibus suscepta legatione, inter ipsum Carolum Regem Francorum, & Thasilonem Noricæ prouinciæ Ducem, per plures annos inter ipsos amicitiam statuit. Tunc etiam Carolus Saxones fidem Christi suscipere coëgit. Sed cum à fide defecissent, iterum Carolus cum magno exercitu ad illam terram perrexit, & venerandum Sturmen infirmum iam senectute fessum in Heresburg, ad tuendam vrbem, cum sociis suis sedere iussit. Dispositisque secũdum voluntatẽ Regis vniuersis, ad Monasterium vir Dei rediit, habito secum Medico Regis, cui nomen Vvinterus, qui eius subueniret infirmitati. Die verò quadam, artis suæ ei nescio quam potionem infuderat, cum qua minuere debuit infirmitatem, sed ita auxit, vt validius & acrius lues acerba augeretur. Et anxius dicere cœpit, quod ei Medicus, qui minuere morbum debuerat, malum grande irrogasset. Currere citius ad Ecclesiã iubet, omnes gloggas pariter moueri imperauit, & fratribus congregatis, obitum suum citò affuturum nunciare præcepit, & pro se enixius orare postulauit. Postquam autem ad charitatem, disciplinæ Monasticæ obseruantiam eos adhortatus fuisset, dixit. Si quippiam prauè apud vos egi, vel aliquem iniustè offendi, ignoscite mihi, & ego cunctis ex intimo corde omnia conuicia, & omnes meas cõtumelias ignosco, necnon & Lullo, qui mihi semper aduersabatur. Circũstantibus verò fratribus, & videntibus eius celerem fore exitum, quidam ex eis dixit ei. Pater, nos non ambigimus te ad Dominum migraturum, & ad vitam peruenire perennem: quapropter paternitatem tuam deprecamur, vt nostri memorari digneris, & ibi pro discipulis tuis Domino preces fundere, quomodo iustum confidimus nobis profuturum, quod talem præmittimus patronum. Qui subitò intuens eos: Exhibete, inquit, vosmetipsos dignos, & tales estote in vestris moribus, vt ritè valeam pro vobis orare, & ita faciam, quod postulatis. Post verba hæc, sancta illa anima carne soluta est, & de ergastulo corporis erepta, bonis meritis repleta, migrauit ad Christum, cuius in perpetuum permanet regnum. Amen.

*Saxones ad fidẽ conuersi.* — *Vvinterus Medicus Caroli Magni.* — *Medici aberratio in S. Sturmi curatione.* — *B. Sturmis morti proximus, remittit iniurias.* — *Congregatio petit intercessionem post mortem sancti.* — *Eius notabile responsum.* — *Tandem moritur S. Sturmis.*

## NOTÆ.

Tunc etiam puer Sturmi.] *Dicitur etiam Sturmis, Sturmus, Sturmius, & Sturmio, de quo agunt Vvionius tom. 2. Ligni Vitæ 17. Decembris, Trithemius de Viris Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 194. Fuit primus Abbas Fuldensis, cuius vitam Ægila 4. eiusdem Monasterij Abbas conscripsit, quam ex MS. Codic. Bamberg. R. P. Christoph. Brouuerus Societ. Iesu nouissimè edidit, & Annotationibus exornauit, extat apud Surium auctum, & Coloniæ nouiter impressum. Eum Sanctorum Catalogo adscripsit Innocentius II. in Concilio Lateranẽsi vniuersali, Romæ celebrato anno salutis 1139. Floruit autem B. Sturmius anno Domini 730.*

Noricam regionem ingressus.] *Est Regio Germaniæ, quæ nunc à multis Bauaria appellatur. Eam etiam multi Stiriam & Carinthiam vocant.*

Lulli Episcopi suffragio confisi.] *Licèt Lullus iste multa fecerit S. Sturmioni, verum tamen in malitia non perseuerauit & fuit vir sanctissimus, cuius meminit Trithemius de viris Illust. Ordin. S. Bened. lib. 3. cap. 198. Lullus Monachus (inquit) & discipulus S. Bonifacij martyris, & post eum Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus secundus, natione Anglicus, vir sanctus, & Deo dilectus, &c. Sed manifestè errat cùm dicit ipsum instituisse Abbatem Sanctum Sturmum. Claruit iuxta eundem Trithem. anno Domini 775. cuius festum 17. Cal. Nouemb. colitur. Sæpe etiam à Christophoro Brouuero in Annot. ad vitam Sancti Sturmi, vocatur beatus & sanctus.*

Omnes gloggas pariter moueri imperauit.] *Glogga, vel clocca, est verbum inusitatum, accipiturque pro campana.*

## VITA S. EPARCHII INCLVSI.

### *Ex Breuiario & antiquis MS. Codicibus Monasterij Engolismensis.*

*Patria & parentes Sancti Eparchij.*

EPARCHIVS beatissimus in Petragorico pago præsentis vitæ sumpsit exordium, patre genitus Felice, cognomento Aureolo, matre vocitata Principia. Non verò sine causa Felice propagatus est patre, cùm ipsum felix partus seculo exposuerit, quemque Deo amabilis infantia omnibus placabilem exhibuit. Procedente deinde tempore, cum septenos ætatis impleret annos, in vrbe Petragorica literis traditur edocendus. Quas cum inspirante Deo plenius didicisset, demum ab auo suo tunc temporis Comite susceptus, Cancellarij est officio functus. Cui officio magis occupationis studio inseruire visus est ob traducẽdos adolescentioris ætatis motus, quàm vt seculo deseruiens, curis adhærere videretur mũdialibus. Nouerat enim scriptum, quod otiositas inimica est animæ, & quia iuxta Iesum filium Syræ*, multa mala docuit otiositas.

*Dat operam litteris.* — *Cancellarij officio fungitur.* — ** Melius Syrach.*

Expletis igitur in prædicti Comitis obsequiis ter quinis annorũ curriculis, militiæ renunciauit, insciisque omnibus Sedaciaco expetito cœnobio, venerandi Abbatis Martini se petiit coniungi congregationi. Et licet parentum voluntas in hac re minimè consensum præbere voluisset: præponderauit tamen sancti iuuenis deuotio, & seculi abstractus seruitio, militauit deinceps Deo, factus cũ psalmista, sicut passer solitarius in tecto. Monachus etenim Græca lingua, solitarius sonat Latina.

*Fit Monachus.*

Positus igitur in Monasterio, quantæ bonitatis, quanti erga Deum & proximum amoris fuerit, quas ille cruces, quas ieiuniorum macerationes corpori suo indixerit, seruitiorum porrò omnium obedientiam, non tantum Abbati proprio, quàm etiam cæteris in cœnobio fratribus exhibuerit, non est nostræ facultatis euoluere. Iniungitur ei primùm colendarum vinearum ratio, proscissionis operatio. In quibus ille se tam strenuum agricolam præbuit, quàm obedientem Monachum, & pauperem Christum pro nobis factum, pauper ipse sequutus est.

*Ex obediẽtia agriculturam exercet.*

In curandis porrò languidis, in effugandis denique ab obsessis corporibus dæmonibus, quanta Domini sit vsus gratia, muta nequaquam explicare valet nostra pagina. Quodam tempore, dum carperet iter cum Victoriano Monacho, respexit syluestrem capream celeri cursu festinantẽ vt fœtui suo vbera submitteret. Quæ beati viri præcepto euocata, continuò affuit placida, feritatis oblita, & pedibus illius aduoluta, manusque sacras osculata, benedictioneque signo Crucis percepta, redire permissa est in sua.

*Caprea obedit viro Dei.*

Simile opus in dissimili specie alio tempore circa beatum virum est patratum. Nam dum ad cellam properaret vir Dei comitante Munderico Monacho, vt se beati Aquilini orationibus commendaret, auem pullis suis incubantem, quæ orationibus eius simili modo immobilis facta, & tactu manuum illius delinita, relicta est illæsa. Verè mirabilis Deus in sanctis suis, verè laudabilis est in mirabilibus suis. His & huiusmodi signis Deo procurante succrescens, cœpit vir Deo plenus metuere ne laude signorum elationis incurreret præcipitium. Sicque furtim à Monasterio progessus, reclusionis latebram expetere cœpit cupidus.

*Item & auicula eius precibus immobilis redditur.*

Et multa diu ob hanc causam loca peragrans, tandem in pago Engolismensi, villa nuncupata Englesi, puerum quendam nomine Gratulphum morte peremptum supplicantibus Monachis vitæ restituit. Burdegalensem pagum nihilominus dum circuit, alium à morte vitæ subtractum morti subtraxit, & vitæ reddidit, operante in eo illo, qui discipulis ait; Sine me nihil potestis facere. Locis autem quamplurimis perlustratis, Engolismæ Deo iubente vrbi astitit secretò, cupiens ad alia migrare. Sed agnitus à ciuibus, nec multa mora indicatus Aptonio eiusdem vrbis Antistiti, ab eo summa reuerẽtia, summoque est receptus honore. Nam ea quæ de eo fama diuulgauerat, pleniùs in eo prædictus recognoscens Antistes, & voluntatis eius deuotionem agnoscens eundi illi licentiam longiùs non permisit. Verùm arctius eum sibi adstringens, locum reclusioni aptum illi delegit.

*Suscitat puerum mortuũ.* — *Item & aliũ.* — *Aptonius Episc. Engolism. S. Eparchio reclusionis locum tribuit.*

Qui locus ita ad hoc videbatur idoneus, vt Eremi solitudinem minimè desideraret. Est si quidem secretus, licet ciuitati propinquus, à superioris latere montis fontem excipiens manantem, decurrente Carantone flumine alio cœnobij latere. Noluit tamen vir sanctus absque nutu Pontificis Petragorici, & Abbatis sui velle recludi, timens videlicet ne quod sine patris spiritualis fieret voluntate, præsumptioni deputaretur & vanæ gloriæ, non mercedi. Sed desiderium illius prædictus intuens Episcopus, ilico cum legatis suis, id est, Frontonio Archipresbytero, postea Episcopo, Arthemio Archidiacono, præfatum Dei famulum Eparchium supradicto Episcopo, proprioque direxit Abbati, pro speranda reclusionis licentia. Qui reuersi etsi vix id pro quo ierant obtinuissent, cuncta renunciant completa legationis gesta.

*S. Bened. c. 49. Regulæ.*

Commorante igitur beato viro in vrbe, in domo quæ sibi condignè fuerat ad manendum delegata, cum fortè omnes illic manentes intra domus septa somno indulgerent singulariter, nemine conscio, strato relicto, ad monstratum sibi reclusionis locum noctu tetendit. Consummata verò psalmorum melodia, lapidi caput reclinauit, & inter soporis quietem vox eum diuina per somnum alloquitur dicens: Eparchi famule meus noli amplius huc, & illuc vagari causa seruitij mei; quia hoc in loco statuam tibi opportunitatem famulatus mei. Quam istiusmodi allocutionem postmodum fratribus solitus erat referre Eparchius.

*Monetur in somnis Engol. remanere.*



Die subsequenti cùm ad ciuitatem fuisset regressus hora fermè diei tertia, contigit eum habere transitum secus carcerem in quo vincti tenebantur plurimi. Et cum custos carceris præsens adesset, vir Dei à foris Deo piissimas effudit preces, quatenus vinculis absoluerentur. Nec mora, carceris ostia sunt aperta, & vincula omnia comminuta, & per plurima loca dispersa. Cumque prius vinculati, tunc absoluti, in Ecclesia confugium facerent, cunctus populus hoc per Eparchium factum esse clamitabat, & laudem Domino complosis manibus referebat.

*Precibus eius in carcere detenti diuinitus liberantur.*

Post hæc autem cum iam gradu Presbyteri à viro venerabili Apronio Episcopo promotus, esset atq; reclusionis cellam haberet, multa per eum Dominus operatus est miracula, de quibus pauca referã è pluribus. A quodã beati viri virtute sanitati restituto, qui vocabatur Redemptus, quidam fur vas mellis abripuit, & sibi recondidit. Sed prædictus Redemptus eũdem furem cum furto suo comprehendens, in præsentia Ranulfi Comitis deduxit, à quo scilicet Comite idem fur validis cruciatibus tortus, non solum de quibus interrogabatur, est minoribus conuictus, sed etiam de eis quæ nesciebantur, maioribus est confessus. Factum est itaque vt prædictus Comes eius vitam suspendio finire decerneret. Pro cuius absolutione dum vir beatus Comitem deprecaretur, nulla ratione obtinere præualuit quod postulauerat. Vocato autem vno ex fratribus Gratiano Presbytero, iussit ad portam ciuitatis rei expectare euentum. Interea miser suspẽditur, & quasi iam mortuus relinquitur. Nec mora, orante sancto viro furcæ comminuntur, ligamina vinculorum absoluuntur, & qui antea fuerat ligatus, cursu validissimo oppidum cœpit petere solutus. Videns hæc Comes feroci iracundia succensus, militibus iussit equos ascendere, vt eum antequam Ecclesiæ attingeret limina præoccuparent. Rem miram dicturus sum incredulis, non tamen miram credulis, qui sciunt sanctos omnia posse in eo qui illos confortat Christo. Cum enim post furem certatim omnes qui poterant, velocibus equis currerent, ita, mirabile dictu, terræ adhæserunt, ac si in morem arborum radicitus fixi essent. Ita fur occupatus à matriculis, vitæ restitutus est, beatissimi viri meritis.

*Presbyter ordinatur.* — *Quidã morti adiudicatus sancti viri precibus liberatur.* — *Insigne miraculum.*

Non dissimiliter consequenti tempore, pro cuiusdam alterius vita redimenda vir Deo plenus, Comiti preces fudit. Sed Comes inexorabilis effectus, non solum quod rogabatur non annuit, verùm prædictum reum inuersis suspendit vestigiis. Tum ad Deum conuersus vir sanctus, idem dudum suspensus ex longinquo suspensionis suæ spatio, sancto viro se reddidit.

Diffusa autem beati viri per circumpositas regiones fama, quædam mulier nobili genere procreata, nomine Clara, cognomine Aranea, omni corporis contractione dissoluta, carrucæ vehiculo ad eum est allata, magnis obsecrans precibus, vt ei subueniret pietas eius. Septem igitur diebus apud eum commorata, per eius orationem pristinæ sanitati est restituta. Quæ tantam de sancti virtutibus viri præsumpsit fiduciam, vt ab eo literas, sibi vice reliquiarum mereretur, quas apud se deinceps loco magni muneris retineret absconsas. Hæc denique religiosa fœmina, dum de domo sua quæ mari erat proxima, nautam quendam in pelago videret grauissimis vndarum procellis turbari, acceptis, de quibus loquimur literis, festinanter ad

*Mulier quædam contracta eius precibus sanatur.*

ad maris littus venit, & magna voce exclamauit: Serue Dei Eparchi, salutem per hæc pignora litterarum utarum ad liberandos periclitantes nautas operari dignare. Nec mora, diuinum affuit adiutorium, & nauis ipsa omnibus portibus relictis in prædictæ mulieris peruenit præsentia, fluctibus valde oppressa.

*Item & nautæ periclitantes liberantur.*

*Sanat fœminã leprosam.*

Subsequenti tempore Genesiam quandam fœminam lepræ vitio aspersam ita emundauit, vt pristinæ infirmitatis vestigia minimè apparerent in ea. Tribus nihilominus cæcis negatum diu lumen Domino medicante reddidit. Dæmonum porrò legionem à Gaudemia quadam expulit.

*Item & legionẽ dæmonum expellit ab alia fœmina.*

Seruus cuiusdam Leontij ex vrbe Xantonica ab eodem Domino suo pro commissis facinoribus suis, arctissimis fuerat vinculis compeditus. Et cùm iam diutina laceratione pedes illius attriti essent: audiens virtutes S. Eparchij, eius subsidium expetiit, coramque eo prostratus in faciem, obsecrauit vt eum à vinculorum atrocitate liberaret. Beatus autem Eparchius vt vidit eum miserabiliter astrictum, misericorditer illum intuens, licet non desperaret de diuino auxilio, experiri voluit humanum. Vocatisque fratribus imperat vt malleorum attritu compedes dissoluerent. Illis autem certatim id elaborantibus quo eas confringerent, & minimè proficientibus, verum maiores cruciatus ei inferentibus, sanctus ait Eparchius: Date malleum in manibus eius. Hæc verò dicens beatus Eparchius, eadem hora prosternatus in oratione, vt ab ea surrexit, dixit: Dominus erigit elisos, Dominus soluit compeditos, & præcepit homini vincula malleo conterere. Qui cum tertiò ictum librasset, contritæ catenæ, ad pedes sancti exiliere. Et absolutus homo dedit laudem Deo.

*Psalm. 145.*

Præliante Christi famulo scuto fidei, lorica iustitiæ, & galea salutis, cum gladio spiritus, quod est verbum Dei, contra dæmones, accidit quadam vice, vt in energumenos exorcizandos ampullam cũ oleo sacrato loco quo posuerat, accipere deberet. Et extendente eo manum ad eam accipiendam, cõfestim inimici cooperatione manus eadem sancta à serpente percussa est. Enimverò intelligens vir Dei multa esse figmenta diaboli, (non enim iuxta Apostolum ignorabat astutias eius) ad consuetum orationis recurrens remedium, virtute Dei, & tumorem vulneris euasit, & in opere Dei feruentior extitit.

*Dæmone agente sancti viri manus à serpente percussa nihil propterea læditur.*

Hic autem vir Dei cum peruigil non diebus, non noctibus à psalmodiæ cursu cessaret, Monachis suis non solum non laborare, sed nec panem etiam coquere vnquam permisit, nisi tàntum orationi instere. Qui cum aliquotiens se nec panem quidem ad vescendum habere conspicerent: vultu tristi acclamabant ei dicentes, periclitari se fame. At ille læta facie, sedula prædicatione monebat eos dicens: Fides famem non timet. Exempla quoque Eremitarum inculcabat, & cum eorum dissimularet colloquia, cursui incepto dans iugiter operam, nunquam defuit vndecumque seruis Dei alimonia, vnde ipsi reficerentur, & egentibus substantiam impertirent. In chartarum porrò voluminibus inuenimus, duo millia hominum eum à seruitutis nexibus redemisse. Et ne in narratione signorum volumen extendam, cætera quæ facta sunt prætereo, ne superstitiosis quibuslibet lectoribus importent fastidium, & audientibus ingerant tædium. Quis enim comprehendere scriptis valeat quot vicibus carceres irruperit, quot millia energumenorum ab immundis spiritibus purgauerit, quot millia lecto recumbentium à diuersis languoribus sanitati restituerit?

*Id est, prohibuit ne Monachi laborarent ad congregandũ in horrea, & diuitias acquirendas.*

*Egregia S. viri sententia.*

*Duo millia hominum à seruitute redemit.*

De victu quippe & vestitu eius superfluum est differere: in quibus ita cautus extitit, vt cunctis sui temporis admirabilis esset. Nam vinum & reliqua potionum inebriantium genera respuens, ex toto refutauit, & se continentem ex eis præbuit. Postremo quadragenario sacrorum dierum curriculo quanta maceratione corpus suum orationibus insistendo, & ieiuniis confecerit, non facilè vilibus verbis nostris comprehendi potest. Nam abstinentiam illi numquam corporalis ægritudo diminuit.

*S. viri abstinentia magna.*

Hic quoque vir Deo plenus pustularum malarũ venenum Crucis signo sæpe compressit. Dæmones ab obsessis corporibus sola tantum oratione fugauit, & iudicibus plerumque vt culpabilibus ignoscerent, dulcedine profusa imperauit potius quàm rogauit. Nam ita erat dulcis alloquio, vt ei negare non possent, cum fuisset indulgentiam deprecatus. Magnam quoque cateruam populorum de oblationibus redemit deuotorum.

*Suauitate sermonis impetrat quicquid vult à Iudicibus.*

Quodam tẽpore dum furti reus ad suspendendũ duceretur, qui & in aliis multis sceleribus, tã in furtis, quã in homicidiis accusabatur ab incolis, & hæc ei nũciata fuissent; misit Monachũ suũ ad deprecandum Iudicem, vt culpabilis ille concederetur vitæ. Sed inter hæc resultante vulgo, atque vociferante, quod si hic dimitteretur, neque Religioni, neque Iudici posset esse consultum, dimitti nõ potuit. Interea extenditur ad throcleas, virgis & fustibus cæditur, & patibulo condemnatur. Cumque mœstus Monachus Abbati renunciasset: Vade, inquit, attende à longè, & scito quia quem homo reddere noluit, Dominus suo munere redonabit, Tu verò cùm eum elapsum è patibulo huc accedere videris, protinus eum apprehensum adducito ad Monasterium. Monacho verò iussa complente, ille prosternitur in oratione, & tam diu in lacrymis ad Dominum fudit preces, quoadusque dirupto obice, cum catenis terræ restitueretur suspensus.

*Quidam suspensus sancti viri precibus liberatur.*

Tunc Monachus apprehensum eum, Abbatis conspectibus incolumẽ repræsentat. At ille gratias Deo agens, Comitem accersiri iubet, dicens: Semper me benigno animo solitus erat audire, fili dilectissime. Et cur hodie induratus, hominem pro cuius vita rogaueram, suspendio deputasti? Et ille: Libenter te (inquit) audio sancte Sacerdos, sed insurgente vulgo, aliud facere non potui, timens erga me seditionem moueri. Et ille: Tu, inquit, me non audisti rogatus: Deus autem audire dignatus est exoratus. Et quem tu tradidisti morti; ille vitæ restituit. En, inquit, coram te adstat absolutus. Comes autem valdè mirabatur quod videbat viuere, quem in mortis interitu reliquerat.

*Migrat in cælum S. Eparchius.*

Sed & alia multa fecit, quæ insequi longum putaui. Post quadraginta verò annos reclusionis suæ parumper febre pulsatus, tradidit spiritum: protractusque à cellula, sepulturæ mandatus est. Magnus autem conuentus, (vt diximus) de redemptis in eius processit exequiis.

Galderricus Santonicæ ciuitatis vir perspicuus, causa deuotionis prædiolum quoddam Monasterio, imminente Carante fluuio, in honorem sancti delegauit Eparchij: vt cum egrederetur de seculo, Monachi ipsum prædiolum reciperent pro animæ illius remedio. Crotharius autem quidem vir iniquus, superbiæ tumore detentus, eum agrum suis ditionibus conatus est subdere, causa prædicti hominis soceri sui. Cui pater Monasterij Rusticus Abbas, sæpius postulabat genibus eius etiam prouolutus,



uolutus, vt villam redderet, quæ ad vsus pauperum delegata fuerat. Qui infœlix non solum villam reddere noluit: verùm etiam ipsius anni terræ redditus suis recondidit horreis. Interea Monachis indicta sunt triduana ieiunia. Nec mora, is de quo scribitur, iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, adest seruorum suorum precibus, beati Eparchij meritis intercedentibus. Corripitur ergo febre valida vir prædictus, stomacho superfluente cum vomitu, & inter anhelos cruciatus, vociferabatur trepidus; Sancte Eparchi reddam tibi quod abstuli: remitte mihi malum, quod contra te perpetraui. Interea nuncium festinanter dirigit, qui vas argenteum causa satisfactionis deportaret ad cœnobium, & de reddendo prædio adsignaret nuncium. Sed iussu Domini, sicut Ananias & Saphira Sancti Petri sunt seueritate percussi: ita & iste auarus & cupidus, iudicio Dei, & villam inuitus reddidit, & vitam non volens finiuit.

*Notent hoc qui iniustè detinent bona Ecclesiastica.*

Nequam quidam iniqua suasus cupiditate, operimenta palliorum sancti sepulchri furatus, in fugiendi itinere, quantum se æstimauerat elongare, tanto vicinor fiebat ei de quo se mouerat loco, sancti virtute. Tandem videns se latere non posse, infœlix & amens perfidus pallia reddit confusus.

Eunoaldus homunculus quidam corpore contractus intantum, vt nec gradum tentare incedendi valeret, ad basilicam sancti deuoto animo peruenit: repertaque cælesti medicina, propriis pedibus ad locum vnde venerat remeauit. A quodam fabrilis artis perito nomine Claudio, per effractã basilicæ sanctæ fenestrã vitream, argentum quod S. sepulchro affixum erat, furtim abripi adtentatũ est. Sed idem faber, iuxta hoc quod dicitur, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator; mente captus, idipsum quod diripere fuerat conatus, reddidit quasi votum oblaturus. Sed quanta Dominus per seruum suum ostendere dignatus est miracula, longum est ire per singula; nam multi à diabolo vexati liberati sunt. Et quicumque habens infirmitatem deuoto animo, & promptissima voluntate, ad eius sepulchrum expetierit sanitatem, lætus redit ad domum suam cum magna claritate.

*Miracula ad sepulchrũ viri Dei facta.*

## NOTÆ.

Eparchius.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 1. Iulij. Meminit eiusdem Vsuardus hac die. Eius vitam ex incerto Auctore refert Surius tom. 4. Nos etiam supra lib. 2. eam ex D. Gregorio Turonensi descripsimus. Plura de eodem in Breuiario Ecclesiæ Engolismensis. Agunt præterea de eo quidam recentiores, Renatus Benedictus, Gazetus, & alij. Migrauit ex hac vita anno Domini 583. Vulgò dicitur* S. Cybar. *Fuit eiusdem nominis, sed longè ante Eparchius Episcopus Aruernensis, sanctitate insignis, cui successit Sidonius Apollinaris, vt scribit D. Gregorius Turonensis de gestis Francorum lib. 2. cap. 21. Fuit etiam sanctus quidam Anachoreta Amantius nomine, ex territorio Burdegalensi, qui non longè ab Engolisma, in Sylua Buxiæ, vulgò* Boisse, *non longè à Charantone fluuio, solitariam vitam duxit: post cuius obitum, fuit ibidem constructum de eius nomine celebre Monasterium Ordinis S. Benedicti.*

Indicatus Aptonio.] *Fuit 4. Engolismensis Episcopus, vulgò* d'Angoulesme, *ex Ioanne Chenu.*

## VITA S. THEVDERII ABBATIS.

### Ex Breuiario Ecclesiæ Viennensis.

*Hæc sũt verba S. Adonis Viennensis Episcopi.*

ADo Viennensis Episcopus, fratribus in cœnobio beati Theuderij consistentibus in Domino Iesu Christo æternã salutem. Patris vestri vitam, id est, beati Theuderij, idcirco vestræ sanctitati scriptis meis commendare disposui, vt vos eius exemplis ad amorem vitæ æternæ amplius incitarem.

Hic beatus vir prouincia Viennensis ortus, parentibus secundum seculi nobilitatem clarus, facultatibus mundi honorabilis extitit. Qui vt perfectius Domino Iesu Christo seruiret, Lirinense cœnobium expetere cogitauit. Parentibus itaque derelictis, sub hoc desiderio Arelatem ciuitatem expetiit: vbi tunc sanctus Cæsarius Pontifex habebatur. Euoluto tempore beatus Cæsarius Diaconi officium ei imposuit: ac sic non post longum tempus Presbyteri dignitatem cuncto clero & populo acclamante ei largitur. Curriculo autem temporis euoluto, cogitauit vir Dei reuisere prouinciã natiuitatis suæ, & parentes suos consolari. Veniens itaque Sanctus Theuderius non longè ab vrbe Viennensium, peruenit ad locum solitudini suæ aptum, non nimis procul ab vrbe, ibique in honorem Domini nostri Iesu Christi, sub veneratione beati Eusebij Vercellensis Episcopi & martyris, domunculam ædificare cœpit. Exinde ædificata domo, & reliquiis sanctorum iam altari impositis: iterum vir Dei circumambulans iuxta Iairam fluuium, vbinam cellulam seruorum Dei fundaret, secum in secreto cordis voluit. Arripitur præterea somno, moneturque per visum, vt super ipsam aquam beati martyris Symphoriani basilicam construeret, factumque est, ac exornato loco Monachos ibi seruire Deo elegit. Inflammatus verò nimium, & ardore sancti Spiritus accensus, venit ad castrum nuncupatum Alarona, ibique Monasterium virorum instituere cupiens, oratorium beatissimi Petri Apostolorum principis construxit, ibique orationibus & ieiuniis Deo vacãs, per aliquod tempus resedit. Venientsque ad locum sibi diuinitus monstratum, annuente Viennensium Pontifice, constructa est basilica celeri opere, in veneratione sanctæ genitricis Mariæ, atque de facultatibus tam parentum quàm propinquorum suorum Monasteriolum dotatum, & Monachi iuxta regulam sanctorum patrum sunt instituti.

*Patria & parentes S. Theuderij.*

*Arelatẽ petit, vbi Diaconus factus est & Presbyter.*

*Eius visio super fundãda cellula.*

*Basilicã construit in honorem B. Virginis Mariæ.*

Eodem tempore Philippus venerabilis Episcopus vicesimus primus metropoli Viennæ habebatur. Pontifex itaque cum ex Diœcesi virum plenum virtutis requireret, cui & populus imperio ipsius quando ad salutem pertinet secreta sua committeret, beatum Theuderium iam patrem Monachorum existentem se habere tanto operi necessarium gauisus est. Delegit itaque sibi vir beatus in monte Quirinali locum, & basilicam beati Laurentij martyris, vbi die noctuque vacaret. Quantæ autem discretionis, quantæque humilitatis hic vir fuerit, nõ facilè cuiusquam lingua explicabitur. Lacrymis profusus, oratione cautus, corde totus in Deo fixus. Contulerat autem ei Christi gratia cordis sapientiam, & oris gratiosam facundiam, vt sciret quod singulis salubre responderet. Quis vulnere diaboli percussus ad eum venit, & non continuo medicatus sanusque recessit? Quis mœstus de pondere peccatorum suorum, non statim de misericordia Domini consolatus securior & lætior rediit? Mansit autem idem sanctus vir dudennio in loco præelecto & sibi dulcissimo, Deo semper ardentissimis suspiriis & contritione spiritus ac corporis totum se mactans. Cum autem tempus suæ resolutionis instare cerneret, feruentius in alta mentis contemplatione perdurans, quasi vicinior ianuæ cælestis

*Eius commẽdatio virtutum.*

cælestis vitæ oculum mentis ad alia deflectere ægrè ac durè ferebat. Non somnus, non cibus vllus, propter Christum suauis. Inter tam fœlices & beatos labores aliquantulum vir Dei corpore langueſcens, plenus & consummatus piis operibus migrauit ad Dominum. Delatum est ergo dignissimum eius corpus à fratribus sui Monasterij, & in sepultura quam olim ipse sibi præuiderat venerabiliter celatum. Vbi se cum Deo viuere crebris miraculis ad laudem Domini nostri Iesu Christi manifestat. Cumque deferretur ad locum, quidam cæcus natus tangens velamen feretri, lumen recepit. In sepulturam autem eius quidam debilis membris contractus à suis delatus, sanus rediit.

*Eius obitus & sepultura, ibique miracula facta.*

A

### NOTÆ.

Ado Viennensis Episc.] *Fuit 75. Viennensis Episcopus anno Domini DCCCLXXV. non solum sanctitate, sed & doctrina clarissimus, cuius festiuitas 17. Cal. ..... celebratur.*

In cœnobio beati Theuderij.] *Sancti Theuderij solemnitas 29. Octobris celebratur, cuius etiam meminit Franciscus Haræus hac die.*

Philippus venerabilis Episcopus vicesimus primus.] *Fuit etiam sanctus iste Philippus, qui obiit 3. Nonas Februarij, claruitque tempore Tyberij Imperat. & Gregorij Papæ, vt vult Ioannes à Bosco in Antiq. Ciuit. Viennensis, vbi ipsum non 21. (vt in historia supradicta scribitur) sed 25. Episcopum eius sedis facit.*

## VITA S. MEDERICI ABBATIS.

*Ex Vincentio lib. 24. Speculi cap. 92.*

*S. Mederici genus & conditio.*

ANno Domini nongentesimo octogesimo quarto, qui fuit primus annus Othonis III. leuatum est Parisiis corpus S. Mederici Abbatis, ipso die depositionis eius, scilicet 4. Cal. Septembris. Hic Eduæ ciuitatis pago ortus, nobilis genere, cùm tredecim annos implesset, inuitis parentibus ad Monasteriũ eiusdem ciuitatis abiit, & illud ingressus tantæ abstinentiæ fuit, vt in hebdomada non nisi bis edulij quicquam caperet, quod non nisi pane hordeaceo, vel quod vilius reperire poterat, & aquæ modico fiebat. Corpus asperrimo cilicio occultè tegebat, & desuper in vestibus, aliis fratribus similis erat. Tandem autem & mortuo Abbati quoque successit: vbi non honorem, sed onus se accepisse considerans, omnibus sibi commissis verus Pater apparere studuit.

*Fit Monachus, & viuit austerissimè.*

*Creatur Abbas.*

*Monachus quidam tentatus, induẽs eius vestem, mox liberatur ab omni tentatione carnis.*

Ipsius tempore, cum quidam Monachus eiusdem loci, libidinis æstu grauiter vreretur, postquam hoc patri pio indicasset, ille tunicam qua induebatur, ei ad induendum direxit. Qua cùm indutus ille esset, ilicò dæmon incentor ipsius mali, fugiendo deliuit, magnis vocibus proclamans: Sancte Mederice, cur incendis me precibus tuis? Vasculum quod diu possederam abstulisti, & me inextinguibili incendio mancipasti. Tunc verò sanctus diuina voce eum increpauit, & ille abscessit. Monachus verò ille postmodum in tanta sanctitate permansit, vt plurimæ per eum virtutes efficerentur.

*Sanat & aliũ à morbo quodam anima.*

Alius quoque prædicti Patris discipulus, ita erat diabolica illusione subactus, vt quandocũque operi diuino insistere deberet, statim vt synaxeos oratio consueta finienda erat, ab Ecclesia exiret. Qua de causa frequenter admonitus, non tamen est emendatus. Tunc igitur Sanctus Abbas panem accepit, & benedicens eulogias fratri tribuit, & sic ab eo mox inimicum exclusit. Cùm autem de diuersis regionibus audita eius fama, ad eum multi properarent, defertum locum tandem expetiit, & sub statu diu desiderato sese concluſit, ita vt quicquid ciborum sumendum esset, propriis manibus elaboraret. Sed fratres de abscessu eius tristes effecti, per vastam Eremum longè latéque eum perquirunt, atque etiam inuentum cum reducere non possent, Episcopum super hoc adeunt. Qui cum eis pergens, Sanctum in Eremo reperit, & excommunicationis eum vinculo alligans, ad Monasterium perduxit, vbi multo post tempore magna sanctitate floruit, & multas infirmitates curauit. Tandem autem orationis causa Parisios profici voluit: in quo etiam itinere multa per eum Dominus miracula fecit. Denique Parisios veniens, in cellula quæ sub nomine Sancti Petri Apostoli fuerat consecrata, duobus annis, & nouem mensibus Deo militauit; ac sic demum, vocatis discipulis suis, obitus sui diem indicauit, in quo etiam expletis omnibus, valedicens eis, inter verba orationis ad Deum migrauit quarto Calendas Septembris.

*Fugit in Eremum, ne præsit fratribus.*

*Tandem reuocatur ad Monasterii.*

*Parisiis viuit inclusus in cella.*

*Obdormit in Domino.*

B

C

### NOTÆ.

Corpus Sancti Mederici.] *De Sancto Mederico agunt Mart. Rom. cum Baronio in Notis 29. Augusti, Surius, Haræus, Renatus Bened. & Vvionius tom. 2. Ligni Vitæ. De eodem plura in Breuiario Ecclesiæ Parisiensis, necnon in Antiquit. ciuitatis eiusdem. Vulgò dicitur* S. Merry.

Eduæ ciuitatis pago, &c.] *Hæc etiam dicitur Augustodunum, vulgò* Austum.

Excommunicationis eum vinculo alligans.] *Hæc verba non sunt ad litteram simpliciter accipienda, quasi fuerit reuera excommunicatus, & sententia contra eum lata. Absit, sed benè excommunicationis pœna fuit ei comminata, ni ad Monasterium rediret.*

## VITA S. CASILLÆ VIRGINIS.

*Ex Ioanne Maldonato Hispano.*

*Canon pater Sanctæ Casillæ Christianorũ inimicissimus.*

QVo tempore citerioris vlteriorisque magnã Hispaniæ partem Sarraceni possidebant, regnabat Toleti Canon, vir summè potens, & ad res gerendas sanè promptissimus strenuissimusque. Magnas ille quidem clades Christianis intulit, prædas omne genus & captiuos passim abegit. Huic erat filia nomine Casilla, quæ velut inter spinas rosa virtutum omnium odorem ab incunabulis spirauit. Porrò nimio charitatis & misericordiæ flagrabat affectu in pauperes & afflictos, in Christianos maximè, quibus tota penitus inhiabat.

*S. Casillæ charitas.*

Consuenerat pia virguncula panes & obsonia, quæ sibi, suisque quotidie dimetiebantur, in tres partes diuidere: quarum vnam suo victui, & suorum reseruabat, duas reliquas captiuis Christianis propriis manibus elargiebatur. Rex pietatis huius admonitus filiam obseruauit: deprehendit tandem Christianos adeuntem. Scisciatur quidnam in sinu contracto ferat: rosas dixit. Intulit ille manum, & rosas inuenit. Credidit pater, filiam falso insimulatam, ac dimisit. Illa nec minus Christianos adiuuit, & explicato sinu, cibaria protulit. Nam quæ in manu parentis videbantur rosæ, panem & carnem pij famelici sunt experti.

*Panũ in rosas mutatus. Rosa item in panem.*

D

E

Tandem



*Diuinitus monetur de sanitate recuperanda.*

Tandẽ hæc virgo morbo laborare cœpit immedicabili, cumq; nullam eius salutis spem Medici Regi darent, Casilla diuinitus est admonita, nisi in lacubus S. Vincentij, qui sunt in ditione Burgensi, vbi res tunc Christiana vigebat, nullatenus sanitati posse restitui. Regem orat, vt eò filiam mittat ægrotam. Rex ad consilium refert. Omnibus visum est, Regiæ virginis saluti quoquomodo consulendum. Abiit igitur Casilla Deo monstrante iter, & sanitati protinus reddita, iuxta lacus eosdem, in iugo mõtis prærupti, vitæ reliquum miraculis frequentibus egit.

*Viuit solitaria in iugo eiusdam montis, vbi & moritur.*

A

### NOTÆ.

Regnabat Toleti Canon.] *Thomas de Trugillo in Vita S. Casillæ tom. 2. Thesauri Concionatorum, non Canonem, sed Aldemonem appellat. Casilda (inquit) fuit filia Aldemonis Regis Toletani, &c.*

Filia nomine Casilla.] *Alias Casilda dicitur iuxta Thomam de Trugillo, cuius festiuitatem reponit 9. Aprilis. Meminit eiusdem Haræus in Appendice.*

Rosas dixit.] *Hoc miraculum etiam recensẽt Thomas de Trugillo.*

Morbo laborare cœpit.] *Morbus iste erat fluxus sanguinis, vt constat ex prædicto Thoma. Cum aliquando (inquit) Casilda fluxum sanguinis pateretur, &c.*

Qui sunt in ditione Burgensi.] *De Trugillo habet; Si accederet ad lacum quendam B. Vincentij prope oppidum de Binuiesca.*

Vbi res tunc Christiana vigebat.] *Thomas scribit, quod cum referret patri (scilicet reuelationem diuinã) id quidem durè primum accepit, & ægrè tulit, quod scilicet mittenda esset ad terras Christianorum. Verumtamen cum desideraret filia sua salutem, eam decreuit mittere cum ingenti munere, hoc est, libertate multorum Christianorum, quos mittebat ad Regem Ferdinandum qui tunc regnabat, huius nominis Arimuch. Cui venienti obuiam exiuit Ferdinandus, eamque honorificentissimè recepit.*

Sanitati protinus reddita.] *Pergit Thomas. Lauatur itaque Casilda in lacu, & confestim mundata est ab infirmitate sua. Cum verò se sanam vidit, baptismum susceperit.*

Iuxta lacus eosdem, in iugo mõtis prærupti, &c.] *Thomas legit, sibi domum quandam construxit prope lacum prædictum, vbi vitam suam sanctissimè traduxit, eamque gloriosè tandem in pretiosam mortem commutauit multis clara miraculis, & ideò habetur pro sancta, & de ea fit officium in nonnullis partibus. Sed tamen dicit Archidiaconus de Rondas, quod est iam canonizata à Romano Pontifice. Fuit autem fœlix eius transitus die 9. Aprilis 1047. Hæc Thomas de Trugillo Dominicanus.*

B

C

D

## VITA S. SOLÆ EREMITÆ.

*Apud Surium valde auctiũ, & nouissimè Coloniæ impressum.*

*Ex ea quam scripsit Ermenoldus Diaconus, & Monachus.*

*S. Sola discipulus S. Bonifacij Archiepiscopi.*

BEATISSIMVS cælicola Sola, Apostolis in omni actione sua penè consimilis, regnante Domino Pipino Imperatore super Franciam & Germaniam, eodem tempore quo ipse de gente Anglorum magistrum suum sanctum scilicet Bonifacium Archiepiscopũ prosecutus est, hanc in patriam, ceu iubar solis clarissimum, delatus est. A quo Presbyter, Monachusque ordinatus, sanctæ conuersationis initia sumpsit.

E

Antequam verò ad exponenda eius miracula veniam, ratus sum aliquid succinctum edicere de ipsius loci situ, in quo beatus Christi confessor sibi tugurium nobile statuit. Quod licet exiguum ac vile visui haberetur, proprio tamen stratis palatiis hoc delectabiliter potitus est. In pago namque Sualua ipse locus situs est, habens orientali ex parte flumen, quod Alemona nuncupatur, piscibus copiosum, & maximè bimanes cancros ebulliens, naualique mercimonio aptum. At ex occidentali, & semimeridionali plaga, ita vndique Alpibus celsis circumseptus est, vt vix vnius difficillimi ascensus præbeat cuntibus facultatem. Ex septemtrionali verò parte amnis supradictus veniens, decurrit ad Orientem ac austrum versus. Terra autem ibidem adiacẽs sterilis est, nihilque pinguius sigale gignit, tædisque arborum, ac pice, aliis aruis famosior. Hunc nempe in omnibus tam iucundabilem ac delectabilem locum elegit sibi incola sanctus, sciens scriptum, quod arcta via est verè, quæ ducit ad atria vitæ. Nec immemor prophetiæ dicentis: In cubilibus vbi prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci: & erit ibi semita, & via sancta vocabitur. Quæ quamuis typica sint, huic tamen cælicolæ loco non inconuenienter aptari possunt; quia, vt ex referentibus agnoui, sæuis serpentibus, ac belluis dirissimis locus ipse antea est refertus. Sed vox in deserto clamantis, direxit viam asperiorem in planiorem, ita vt vndique Christicolæ ad venerabilem Christi confessorem confluerent; quatenus monita salutis percipere possent. Cúmque fama prodigiorum de eo longè lateque vagaretur, Deo eum in omnibus gubernante, seque sub synceriſſimo humilitatis pallio occultante, peruenit tandem de eo sermo ad aures sereniſſimi Imperatoris Caroli Augusti. Cæsar autem Augustus, vti sapientissimi fuit ingenij, perscrutans omnia gesta eius, tradidit ei cum firmissimo munimento ipsum locum, quem incoluit, eumque sui oratorem perpetuum fecit.

*Descriptio Cellæ eius.*

*Matth. 7. Esa. 35.*

*A Carolo Imperatore is locus ei tribuitur.*

Habuit autem B. Sola post gloriosum triumphũ Martyrij sancti Bonifacij Archiepiscopi, Dominũ Vvillibaldum Episcopum, & Vvunebaldum germanum eius Presbyterum adiutores sui laboris, qui ei vt propriæ gentis viro, omnibus his in locis adminiculum ac solatium præbebant. Quin & accolæ regionum harum quocumque aduentantes, ei in Christi amore frequentiùs administrabant, & aliqui prædij sui partem tradebant illi. Quam ille cum timore Domini accipiens, cum his quæ Dominus Carolus Augustus ei donare dignatus est, ad egregium Fuldense cœnobium potestatiua manu contradidit. Vbi Deo prouidente, modo sanctissimus, ac in omni parte peritissimus Dominus Abbas Rabanus perspicabiliter fulget. Cœperunt autem & multa miracula Domini gratia tribuente, per beatum Solam fieri, ex quibus pauca, quæ ex quodam sene ipsius sanè seruitore, in decrepita iam ætate superstite agnoui, annectam narratione subbreui.

*S. Solæ socij laboris.*

Enimverò priscis in gestis dum lectum sit ante Christi incarnationem cæcum à natiuitate neminem sanctorum illuminasse, licet mortuos suscitarent, leprosos mundarent, & dum in hoc tempore moderno illud ratissimum sit, iste saluo omnipotentis priuilegio, & Apostolis, ac eorum successoribus dato, natum à primis cunabulis cæcum signaculo Crucis appositio irradiauit, ocellisque eius incognitum lumen ostendit. Per idem verò tempus & claudum quendam in gestatoriis reptantem

*Cæcum à natiuitate illuminat.*

*Claudum restituit.*

potius

potius quam ambulantem,ad cursus sui statum diuina virtute erexit. Cuius hactenus gestatoria in loco datæ salutis pendentia,ad signum sunt.

Nec hoc prætereundum censeo, quod piissimus Christi Sacerdos Sola plus se ad exercitium sanctæ conuersationis quotidie extendens, pluris virtutis cumulum à Deo meruit roborata possidere mente. Nam & quendam in his misellis gregibus, qui sæpius orationis causa ac eleemosynæ ad ipsam cellam confluxerat,& benedici se ab eo petierat,conspexit horribili dolore detentum, sic vt nec loqui, nec audire posset,aliis ante eum ad benedictionem festinantibus, ipse stetit vt mutus. Sed dum diu beatus Sola in præcordiis suis orationem cum lacrymis ad Deum funderet, prospiciens iterum, ac tertiò,& suspirans dixit. Surde & mute spiritus exi à plasmate Dei. Et continuò cecidit coram populo, & sanatus est homo. Quod quidem tabulæ pictoriæ ibidem pendentes testantur, id fore quod dictum est.

*Surdum & mutum sanat.*

Sanè & hoc miraculum huic opusculo inserendum censui, quod multi vetustiores accolæ se meminisse ferunt supradicti pagi. Nam quodam die dum iter suum nobile vnà cum asello suo ageret, contigit se in quendam locum deuenisse pascualẽ, quo oues absque pastoribus pascebantur, nescio quò abeuntibus.Interim propius accedendo cœpit asellus aures vicissim erigere; dein offensis pedibus caput in altum extendere, ad extremum eleuata cauda decliuis per auia currere cœpit. Tum assessor suus, hoc inusitatissimè fieri cernens, tremebundus vti senex desiliit, seque Crucis signo obfirmauit. Cœpit tamen arctius tractare quid asino esset, vel quid super eum diuina bonitas facere voluisset. Sed cum hoc secum volueret eleuans oculos vidit lupũ. Intellexit itaque vir Deo plenus,naturalem asini sui formidinem, fixoque in terram capite,paulo diuinam orauit virtutem, & tunc demum ad fugibundum aiebat: In nomine Domini mei Iesu Christi, ô asine,præcipio tibi, vt concito cursu irruas in eam bestiam, quæ sub frutice latet, insidiando insciis bidentibus. At ille ex præcepto magistri sui intrepidus aggreditur lupũ. Interim & mandritis è diuerso venientibus, lupus non à pastoribus cursitantibus,sed asellinis calcibus ac dentibus necatur. Tunc omnipotentis Dei famulus pastores illos nimis cœpit precibus rogitare, ne hoc alicui hominum vsque ad animæ suæ exitum dixissent. Hacque sponsione ab eis recepta, leuatus in gerulum suum proprtia repedauit ad loca. Ducta igitur in terris Angelica vita,tertio Nonas Decembris vocante Domino,assumptus est ad cælestia regna. Successu temporis cum ex licentia Altini Episcopi beati viri sepulchrum fuisset effossum,leuato sarcofagi operculo corpus inuentum est incorruptum & integrum, & tantus tamque mirifici odoris fumus inde egressus est,vt tota basilica suauissimè ex eo redoleret impleta.

*Asellus cum lupo,imperante viro Dei, congreditur,& eum necat.*

*Moritur S.Sola.*

*Mira ex corpore eius odoriù fragrantia.*

## NOTÆ.

Sola.] *Eius vitam suprà lib.2. ex Georgio Vvicelio summatim descripsimus. Videre poteris quid ad finem annotauerimus. Eius vitam Ermenoldus, siue Erminricus, vel Ermauricus Diaconus, & Monachus scripsit, quam refert Henricus Canisius tom.4. Antiq. lect. & extat etiã apud Surium auctum nouissimè,& Coloniæ impressum. Eius festiuitas 10. Decemb. celebratur, vocaturque etiam Solus, & floruit circa annum Domini 760. Adelungus Eystetensis Episcopus Altini successor, qui obiit anno Domini 858. Febr. 21. obtinuit apud Pontificem Maximum Gregorium IV. vt S. Sola de tumulo leuatus Sanctorum numero ascriberetur, vt norat Bruschius in Cat. Episcop. Eystetensium.*

Nihilque pinguius sigale gignit.] *Sigalis, vel Sycalis,in hoc loco sumitur pro arbore ficus.*

Tædisque arborum.] *Tæda est arbor ex earum genere quæ resinam ferunt, abundantior succo quàm reliquæ similis generis, & ob hoc flammis & luminibus sacrorum grata. Inde tædas vocamus faces, quæ optimè ex ea arbore fiebant.*

Insidiando insciis bidentibus.] *Hicbidentes significant oues.*

Mandritis è diuerso venientibus.] *Mandritæ sunt pastores. Vnde Mandra, est receptaculum, seu cubile ouium,boum,aliorumque huiusmodi.*

Ex licentia Altini Episcopi.] *Fuit Episcopus Eystetensis post S.Vvillibaldum.*

## *VITA S. GVNTHERI TVRINGI Eremitæ. Ex ea quam scripsit Arnoldus quidam familiaris S. Godehardi Hildesheimensis Episcopi.*

*Apud Surii nouissimè auctum & impressum.*

REGNANTE piissimo Imperatore Henrico huius nominis secundo,cum B.Godehardus Altanense cœnobium regeret, fuit in Turingiæ partibus quidam vir nobilis dignitate & meritis illustris, nomine Guntherus, qui pro delictis iuuentutis ingemiscens, & considerata diligentius actuum suorum qualitate, faciem Domini in cõfessione præueniens, Hersveldiam, ad eundem beatum Godehardum Abbatem nouiter eidem Eccleſiæ ab ipso Imperatore præstitutum,dignè, vt postea patuit, pœnitendo accessit, eique omne secretum cordis ac voluntatis suæ funditus aperuit. Quem Abbas iustè in Deo immoratus, blanda consolatione, & condigna etiam prouisione, pœnitentem suscepit, & ad Monachicam vsque professionem,saluberrima admonitione Domino cooperante conuertit. Qui propriæ diffidens imbecillitati corporis,& animi ad penitus abdicanda quæcumque sunt seculi,multiplicem suæ hæreditatis proprietatem, quam acceperat à progenitoribus,S.Vvigberto, cum consensu hæredum suorũ, firma traditione totam delegauit, sub testibus tamen primitùs testamento pactus, vt Monachus factus, Monasterium quod Gelinge dicitur,victus & vestitus gratia ipse possideret, ac fratribus illic Christo seruientibus secum, inde necessaria prouideret.

*S. Guntherus conuertitur.*

*S. Vvigberto possessiones suas sub conditione largitur.*

Sanctus Abbas prudenti pertractans consilio, huiusmodi nouiter conuerso talem pactionem in via mandatorum Dei maximo futuram esse periculo, & plus indè per dies animæ nasci dispendium, quàm corporis, vt putabat,subsidium, interim illũ prouida mente ab incepto suspendit, & laico habitu adhuc vsum ad Althanense Monasterium secum perduxit. Ibidem vir prudens prædictus Guntherus,corde tenus compunctus, petiit ab Abbate, vt ante professionem liceret sibi Romam petere,& Apostolorum Christi,& aliorum sanctorum intercessionem pro transactæ vitæ deuiis,& pro viæ nouæ ingressu quærere. Quo permittente iuit & rediit,tandemque ante altare S.Mariæ, cingulum deponens, caput & barbam totondit,& facta de more petitione susceptus, ac aliquandiu regulariter probatus, ab eodem Pastore monasticæ vitæ

*Roma reuersus fit Monachus.*



vitæ habitum est adeptus. Verùm post votum professionis non immemor suæ, quam præscripsimus pactionis, adiens Abbatem Godehardum, petiit licentiam patriam repetendi,& locum quem pepigerat, iuxta conditionem incolendi. Quod pius P.Godehardus interim consensit, nolens cum obstinata contradictione ab affectu quamuis iniquo prohibere, donec ratione dictante,illicita cupientem animum paulatim posset mitigare.Veniẽti igitur ad locum Gelinge dictum, & disponenti necessitates ibidem commanentium, ex occultis tentationibus tentatoris, & insidiis, Deo, vt certè credimus, ad exemplum beati Iob, permittente, multa & varia ei occurrerũt incommoda, pro quibus dum ipse, scilicet antea paupertatis ac laboris insolens, ad Abbatem sæpius queritando confugeret, eiusque pro talibus consilium & auxilium anxiè perquireret, solicitus pater fluctuationẽ mẽtis eius profundè prospiciens,& subsecuturam fortè cordis mutabilitatem vehementer pertimescens, blanda interdum consolatione & suauiloqua commonitione mœstitiam cordis eius mitigabat.Interdum verò iuxta Apostolum, arguendo, obsecrando, increpando, opportunè, & importunè, nutantem animum eius castigans, ad viam salutis eum reducere studuit, qui tamen adhuc modicum profecit.

*Gelinge multa patitur aduersa.*

Sed cùm in hac altercatione sæpius luctaretur, & in huiusmodi molestia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quandam suæ solicitudinis querelam suggerenti, vir Dei debito iustitiæ zelo permotus, turgente, vt aiunt, pulmone, respondit, vt aut in promissa obedientiæ stabilitate Deo deuotus seruiret, aut certè ad solitam seculi vanitatem laqueis iterum sathanæ irretitus, abiecto habitu rediret.Ad quam vocem stupefactus auditor intremuit, & erroris sui nimietatem serò tandem perhorrescens, ingemuit. Sed & hanc causam pio Imperatori Henrico per ordinem Abbas totam secretius insinuauit, ipsumque adiutorem ad corrigendum talem hominem rogauit. Quem confestim Princeps ad colloquendum clementer euocans per semetipsum conuertit, & ex Euangelicis,vel Apostolicis regularibus præceptis instruere cœpit, nullum posse duobus Domini seruire, nec Monachum ad seculum, vt canem ad vomitum, reuerti debere. His & aliis huiusmodi præcantationibus, tandem in Christo verè compunctus vir memoratus, omni prædicta pactione corde tenus oblita,& tota cuiuscumque incommodi querimonia abolita, ad Althanense Monasterium, vbi tunc sub eiusdem Patris cura, vt in gratiã omnium loquar, singulare diuini cultus studium feruebat, se contulit,& illic fratribus humillimè subiectus, & in sacræ Religionis districtione pleniter in breui tempore, diuini roris infusione instructus, vltra regulare præceptum semet Prælatis admirãtibus afflixit. Cumque in austeritate vitæ perseueraret, & exemplo suo quamplures ad viam veritatis incitaret, veluti lucerna super candelabrum posita, fama eius bono odore respersa, ad aures beati Stephani Regis Vngarorum ipsius venerabilis viri cognati emanauit, cuius animum magno dilectionis incitauit amore, vt hunc facie ad faciem videret, quem sic de virtute in virtutẽ proficere frequens fama postularet. Vir autem Domini conuersionis suæ non immemor, hæc sibi minimè licere respondebat,quæ Rex pius postulabat. His Rex auditis, maiore inflammatur charitatis amore, & velut antea nuncios direxit. Sed ille se venire etiam secundò denegauit.

*Godehardi reprehensione, & Henrici Imperatoris admonitione respicit.*

*Stephanus Hũgariæ Rex eius visendi desiderio tenetur.*

Tertiò itaque pòst illum, veluti primò & secundò transmittebat, & vt ipsius petitioni assensum præberet, humiliter postulabat. Igitur Sanctus Guntherus Regis tandem victus precibus, eius petitioni licet inuitus annuit, accepta Abbatis,& fratrum benedictione, cum transmissis legatis, pariter & ipse ad Regem peruenit. Rex autem viso Sancto Gunthero, gauisus est, & quomodo hunc arctiùs veluti iustum & sanctum diligebat, circa ipsum maiorem diligentiam habere satagebat. Factum est autem dum hora prandij Guntherus mensis Regis pariter consedisset, Rex sibi Pauonem assatum apposuit, & vt carnibus vesceretur flagitare cœpit.

*Tertiò à Rege vocatus, victus precibus ad eũ accedit.*

*Pauonis carnibus vt nefcatur, rogatur.*

Sancto autem viro sub regulari conuersatione degente, & huiusmodi cibis abstinente,penitus cõtradicebat,& illicitis cibis se cõtaminari nolle asserebat, cuius voluntati Rex non minus resistebat, vt apposita manducaret, non solùm rogando, vérum etiam præcipiendo laborabat. Quidnam facere poterat? Præcepto Regis se obtemperare promittebat, sed in diuino adiutorio fiduciam retinebat.Quapropter factum est,vt inter prandentes,hic solito more orationi insisteret, caput manibus inclinaret, profusis lacrymis ne illicitis cibariis polluereturet, diuinam clementiam implorabat. Mira res atque stupenda, completa Dei famulus oratione, caput de manibus eleuabat, auis assata, mensæque superposita, reddita vitæ pristinæ deuolabat, & ab eius vsu gratia diuina virum liberabat. Quo viso cuncti miraculo inaudito, Deo gratias referebant,nec amplius sancti viri voluntati resistebant. Sed Dei famulus plus appetens mala mundi perpeti quàm laudes, pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli, deserti loci secessum, cum aliquantis sibi de Altach cohærentibus, in quodam saltu Bohemico de permissione sui Abbatis Domini Godehardi petiit,ibique cellulam in honorem S.Ioannis Baptistæ construxit, & ipsum locum Rinchnach proprio nomine appellauit, in qua ad XXXVII. annos in studio sanctæ Religionis, & in summa discretione paupertatis spontaneæ cum sibi remanentibus vixit. Annona denique erat varia, vbi de potu, & delicioſis cibis nihil erat, & vbi non nisi sola aqua habebatur, & ipsa etiam hospitibus ad sufficientiam,fratribus verò ad mensuram dabatur. Litteras omnino, nisi tantũ psalmos aliquos non didicit, & tamen omnẽ rationem & intellectum Euangeliorũ, legis & Prophetarũ,historiarũque,ex crebra fratrũ relatione & auidiore verbi Dei auditione mirabiliter percepit, adeò vt sæpissimè obscuriora mysticæ intelligentiæ, interdum subridendo, interdum verò admonendo stupẽtibus auditoribus proferret. Quod nos quidẽ, qui eum familiarius cognouimus,frequenter audiuimus, præcipuè tamen cum in summa sua festiuitate adesset, in cella, quam ipse in honorem beati Ioannis Baptistæ construxerat, specialis sui patroni, sermoni eius affuimus, quo in Capitulari collatione eodem die fratres suos admonebat,dum eos de eiusdem patris B. videlicet Ioannis vita & moribus, victu, & etiam vestitu, ac operibus ad paupertatis sub Deo placitam tolerantiam instruebat. Verum enim dico, & coram Deo, non mentior, quia omnes penè qui aderant eidem sermoni, ad vberrimam lacrymarum effusionem dono Dei sunt compuncti.

*Auis assata precibus viri Dei vitæ restituitur.*

*Viuit solitarius in Eremo.*

*Litterarũ licet ignarus, intelligẽtiam Scripturarum sacrarum habet.*

Assedit & ibidem venerabilis Ratmundus Abbas cum plurimis sui cœnobij fratribus,& aliis insuper multis hospitibus, præter nos, quos in canonico

habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen familiarites, & maximè Abbatis licentia, circumquaque ad fenestras, ignorante concionatore clanculo collocauit. Erat enim, vt de Sancto Benedicto dicitur, quem post Dominum vita & moribus sequebatur, scienter nescius, & sapienter indoctus.

Hæc itaque breuiter diximus de honestate morum & conuersione nobilis viri Guntheri, quantumque Domino per pœnitentiæ satisfactionem complacuerit, quæ nobis ad imitationem boni exẽpli sufficiant. Ecce enim camelus deposita gibbi sarcina angustum foramen acus penetrauit, ipso ducente, cui omnia possibilia sunt, & nihil difficile, quique est mirabilis in operibus suis maximè B in misericordiis, neminem propter enormitatem scelerum deserens, omnia dissimulat propter pœnitentiam peccata. Vna hora conuertens impium sanctum facit, cuius virtute caput antiqui hostis pugnando contriuit Christicola Guntherus. De virtutibus verò huius venerabilis viri, quibus aduersarium superauit, vel quas eius insidias pertulit, nulli compertum habetur, eo quod multo tempore hominibus incognitus mansit, qui tamen licet locum mutauerit, hostem non mutauit, nullique dubium, quia quanto magis in spiritualibus profecit, tanto plus acriora certamina tolerauit. Igitur quanti meriti vir iste sit, per lapidem miratur, in quo dum in vasta Eremo solitarius Christo mi- C litaret, post laborem quieuisse, quantitas membrorum ipsius, veluti in molli strato quiescentis, vsque nunc apparet impressa.

*Effigies & quãtitas corporis eius in saxo impressa.*

Cum omnipotens Deus beatum virum vellet à labore quiescere, & æterna mercede remunerare, eiusque vitã in exẽplum hominibus demonstrare, cõtigit vt inclytus*Bretislaus Dux Poloniã gloriosè sibi subiugasset, victorque cum pace ad sua rediisset, cuiusdam vrbis quæ Prahen dicitur, confinium causa venationis cum suis adiit, vbi quadam die, vt voluit venatum exiuit. Cumque sui omnes huc illucque discurrerent, nec in aliquo proficerent, subito apparuit eis ceruus miræ magnitudinis, quem ipse Dux cum magna alacritate subsecutus est. D Tunc Ceruus fugam simulans, in quendam locum ipsius syluæ quam celeriter deuenit, & veluti nullo sequente securè stare cœpit. Hoc Dux intuitus, ac solo paruo cliente contentus ceruum aggreditur, & eius formam & magnitudinem diligenter scrutatur, denique cum fidei armis hæsitaret animo, subito de cæli fastigio audiuit claram sibi vocem taliter insonantem: O Bredislaë, non semper quæ alta sunt Dei consilio, tuo fragili desiderio quæras: sed cum humilibus humilia, tibi tuisque posteris profutura, ne pigriteris attendere. Hoc enim in loco latet Dei thesaurus, cui quondã valdè amabilis, nunc verò, & in futura tempora, cunctis quærentibus piè desiderabilis. Nam scriptum esse cogi- E ta: Pater meus operatur, & ego operor, quia ego in patre, & pater in me est. Ideoque quicquid serui mei operantur in hoc seculo, non eorum, sed Dei virtutem in omnibus credas, &c.

* *Aliàs Bretislaus, vel Brecislam.*

*Bredislaus Dux Ceruum insequitur.*

*Vocem cælitus audit.*

Hæc talia dum Dux tacitus audiret, & vt amens stupefactus, de loco quo stratus iacebat, vix resumpto spiritu, surgit, ac circumquaque aspiciens, ilicò in ipsa vasta solitudine riuulum paruulum à longè videt, pulchroque gramine circumdatum, quasi quibusdam odoribus abundare, quo in loco lapidem miræ magnitudinis, & super eum cellulam vilibus de lignis constructam, miro odore redundantem inuenit, & solus cum A solo cliente de supercilio montis descendens, licet pauidus, Cruce tamen sancta in fronte signatus, quid ibi lateret cogniturus celeriter intrat. Et ecce senem pulchra canitie sedentem & albescentem, ac veluti Angelum Dei in vultu relucentem, lectoque seu in oratione prostratum aspicit, nimio quoque horrore peruasus stare cœpit. Quem senex in vultu intuitus, ne ad talia trepidaret, sed vt Deum omnipotentem in omnibus laudaret, monuit, & quod ipse Guntherus esset, qui eundem de sacro fonte suscepisset, diuersis indiciis licet admiranti Duci assignauit.

*S. Guntheri inuenit in Eremo.*

*S. Guntherus Brediſlaum Ducem de ſacro fonte leuauit.*

Tum Dux his verbis spiritum ad plenum resumit, & constantia animi recepta, pium virum interrogauit, quomodo, vel quando ad tam insolitam solitudinem deuenisset, vel cur tam duram vitam Monachorum attigisset; ac satis amicabili, & multum lacrymabili affatu precatur, ne vlterius tam nobilis vir hominibus lateret incognitus, sed ad terram sui Ducatus melius fouendus perduceretur quamplurimum rogabat. Quod vir Dei prorsus renuit, & ne Dei voluntati in aliquo contrairet solicitè Deum rogans ..... Vnde Dux valde miratus, & in eius piis admonitionibus, & diuersis verbis consolationis, orationibus se sancti viri commendauit, & vt in reliquo de apparatu proprio nulla necessaria ei deessent, se daturum promisit. Quæ omnia Guntherus à præfato Duce benigno è susciplens, & multa prædixit futura, & velut quodam præsagio inter reliqua pij affaminis verba proloquens dixit. Meæ dilectionis causa si veniſti, fili, meæ petitioni esse contrarius noli. Nam corpusculi mei iam dissolutio instat, & quamuis de sepultura mea diuersi diuersa sentiãt, ego vt in spiritu loquar, corpusculi mei Breunouiæ depositionem locandã testor, & quod in spiritu loquor, id ab omnipotẽte vt fiat, exopto. Proinde chariſſime tibi, memoriæ causa prædicto loco Breunouiæ aliquid solatij apta, vt & mei in Domino, & tui tuorũque omnium in posterum in Deo memoria habeatur, & in mei requiei quæ futura inibi diem iudicij expectabit, dignum memoriæ fructum tuis licet postea, vel tuorum successorum in temporibus confirmanda prudenti consilio adapta.

*Obitum ſuũ, & locum ſepulturæ prædicit.*

Super hæc autem omnia si meæ discessionis vel migrationis terminus delectat, crastinæ diei tertia hora, quid. de meo transitu diuina operatio sentiat, meæ fragilis vitæ terminus declarabit. His Dux auditis turbatus est animo, in oscula ruẽs, amarissimis circumfusus lacrymis, magno rugitu talia proclamabat: O chariſſime pater, cur me licet ad te tardè veniſſe, detestaris? O canicies veneranda, quem veluti Angelum Dei, licet indignus amplector, cur me filium, vt dicis, tuum spiritualem tam citò ceu orphanum relinquis? Tuæ enim puræ orationes, tua crebra, vt spero, ieiunia meæ prauitatis deberent esse, & fuerunt tuta præsidia, vt apud Deum omnipotentẽ pro meis criminibus, quibus humana frãgilitas sæpius conuincitur, hostique mille fraudum dolis atteritur, fierent assidua suffragia.

His clamoribus motus pius Guntherus dixit flẽti nimiumque gementi: Desine fili, desine talia agere, & sperans in Domino noli metuere, meæque petitionis effectum libenter excipe, veraciter perfice, iamiã ad tuos redi, meique secretũ prodere noli, sed crastino non tardè redeas, & meæ migrationi, si Dominus Deus voluerit, interesse poteris. Tunc Dux valde tristis & gemebundus, benedictione tamen accepta, cum suo cliente discessit, & ne cui talia secreta prodat, sub interminatione interdixit.



xit. Igitur sequenti die Brediſlaus Dux assumpto venerabili Episcopo Seuero, qui sibi speciali familiaritate adunabatur, summo diluculo ad viri Dei cellam peruenerunt, ipsumque orationi instantem, laudesque Deo omnipotenti psallentem inuenerunt. Completa verò oratione post longa futuræ vitæ colloquia, peractisque à Seuero Episcopo Missarum solemniis, vir Domini corporis & sanguinis perceptione se muniens, hora diei tertia, canentibus qui aderant, & flentibus inter orationis verba, immaculatum Deo spiritum reddidit. De carnis igitur ergastulo iam fælici recedente anima, tanta de eo suauissimi odoris redundauit fragrantia, vt cunctorum ibi assistentium perfunderet nares, & pectora. Cuius odoris suaui- B tas tamdiu stabilis permanebat, quousque viri Dei corpus ad locum sepulturæ peruenieb at.

*Munitus ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento migrauit anno 1045. teſte Baronio.*

*Suauiſſimus odor ex eius corpore manat.*

Post hæc peractis omnibus ad exequias attinentibus, corpus illud sanctissimum indomitis equis est superpositum, quod cum tanta mansuetudine ad locum sepulturæ ab eisdem est delatũ, vt profecto clarescceret, quanti meriti extiterit in cælis, cuius corpus bruta animalia postposita ferocitate venerabantur in terris. Obiit autem Christi famulus Eremita Guntherus anno Incarnationis Domini M X L V. septimo Idus Octobris, sepultusque est in Monasterio Breunouiensi, quod à ciuitate Pragensi distat 20. stadiis, vbi ipse dum adhuc viueret, se sepeliendum esse in spiritu prædicebat. In C quo loco per eius merita fiunt assiduè miracula, multa infirmis præstantur beneficia, donante Christi gratia, qui cum Deo Patre viuit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

*Spelitur Brunouij.*

## N O T Æ.

Cum B. Godehardus.] *Apud Mosandum 4. Maij, & in quibusdam exemplaribus legitur Gothardus, vel Godardus, qui ex Abbate Altatensi fuit Episcopus Hildeshemensis 14. Vide Trithemium de Viris Illust. Ord. S. Ben. lib. 3. c. 236. & lib. 4. c. 217.*

Guntherus.] *Eius vitam suprà lib. 4. summatim retulimus, vbi plura annotauimus, quæ repetere non est necesse. Obiit autem vir beatus, teste Baronio, anno Domini 1045. cuius etiam festiuitas 9. Octobris celebratur. Fuit & alius S. Guntherus Martyr discipulus S. Bonifacij Archiepisc. qui cum ipso in Frisia pro fide Christi Martyrio coronatus est anno Domini 755. teste Trithemio de Viris Illustribus Ord. S. Bened. lib. 3. c. 177.*

Rex sibi Pauonem assatum apposuit.] *Hæc auis est satis nota vario pennarum fulgore conspicua, quæ etiam dicitur Pauus. Hæc non solum est glorioſa, sed etiam maleuola. Laudata expandit colores aduerso maximè sole. Fimum suum resorbet, inuidens hominum vtilitati. Caro eius diutissimè incorrupta seruatur. Vnde etiam in ventriculo ægerrimè concoqui putatur. Per spatium vnius anni visa est eius caro sine corruptione, & fœtore permansisse, vt testatur Ludouicus Viuez in Commentariis sup. libros D. Augustini de Ciuitate Dei.* E

*Apud Suriũ auctum.*

## *VITA S. DIDACI ORDINIS Minorum. Ex ea quam scripsit Petrus Galenius Proton. Apostolicus.*

*S. Didaci parentes ignoti.*

BEATI Didaci parentum nomina ignorantur, vt Hilarij Episcopi Pictauiensis, & aliorum fortasse multorum, quorum nomina scripta sunt in cælis. Natus est autem parentibus,

*Nec ignobiles.*

etsi fortè humilibus, at certè Christianis, & antiqua, vera, solidaque pietate imbutis, quales fuisse conuenit, à quibus filius tantus vir futurus, ad tam præclara piè agendi officia plurimum ineunte ætate informaretur. Eorum autem pietatem indicat nomen, quod filio, vt ritus postulat, in baptismo imponi voluerunt. Iacobum enim dixerunt, quod nomen Apostoli est Hispaniarum aduocati. Eum Hispanicè vulgò appellant Diegum, quem etiam plerique Didacum dicunt. Atque hoc ipso quidem nomine permulti sancti viri vocati sunt, quorum vnus est Didacus, Episcopus Vercellensis, sanctitatis laude clarus.

*Iacobus eſt nomen Didaco.*

Factus adolescens B. Didacus, mundi huius pericula deuitare cupiens, sanctorum Patrum exemplo vitam in solitudine sibi primum delegit. Itaque ab ineunte ætate piis operibus deditus, vna cum quodam Sacerdote, diuinæ pietatis laude clarissimo, quem voluntariæ paupertatis, vigiliarum, ieiuniorum, abstinentiæ, continentiæ, innocentiæ, orationum, omnisque spiritualis exercitationis socium ac testem habuit, ad Eremum venit, quæ ab oppido sancti Nicolai, eius patria, propè aberat. Eo loci multos annos mansit, vbi cælestium meditationum pabulo animum alebat, corpus autem duriter, sanctorum Eremitarum more, sustentabat eleemosynis. Otium, quod vitiorum omnium seminarium est, vitabat omnino. Itaque quod salutare, ac vetus Eremitarum institutum fuit, in illis Ægy- C pti præsertim solitudinibus, cum magnam temporis partem diu noctuque in sancta contemplatione, & oratione posuisset, quod reliquum erat ad opera manuum traducebat. Imò dum ore, aut mente Deum precabatur, interim etiam manus haud quanquam otiosas esse voluit. Idque omne faciebat non ob victus solùm necessitatem, sed ob animæ salutem. Varia igitur vascula è iunipero contexebat, & item exigua salina. Ea dono dabat iis, qui in eleemosynam conferebant rem aliquam, vel minimam, victus sui tenuitati necessariam. Si quid autem qui munuscula ab eo acceperant, dare præterea vellent, id summoperè recusabat, cum eius qui in Eremum se abdidit, diuitiæ tantum sint, tu- D nica, cuculla, palliolum, & meditationum liber, id quod de beato Hilarione scriptum sanctus Hieronymus reliquit.

*Vitam ſolitariam agit.*

*Laborat manibus vt victum acquirat.*

*S. Hieron. to. 1. in Vita S. Hilarionis.*

Ex oppido S. Nicolai cum aliquando ad Eremũ rediret, sacculum in via, plenum nummorum inuenit, quem ne manu quidem capere, nedum sibi acquirere voluit, paupertate summa contentus, cuius studio mirum in modum deditus erat. Ad oppidum propterea continuo reuersus, quem fortuitu primum offendit, ei certum locum demonstrauit, vnde eum sacculum nummarium acciperet. Humilitatis autem, quæ virtus Christianæ Religionis propria est, ac virtutum omnium seminariũ, officia ita coluit, vt ea & charitate, qua omnes eximiè in Christo diligebat, maximam excitaret admirationem sui. Et quia nominis sui gloria in patriæ, illiusque regionis fines longè diffundebatur, ab Eremo discessit ad Conuentum Arrizafæ, qui est Ordinis S. Francisci, non procul Corduba distantẽ, vbi diuina ope adiutus, maiores in via Domini progressiones habuit. Igitur spiritu diuino ductus Cordubam venit ad eum Conuentum, vbi arctioris obedientiæ vinculis deuinciri cum maximè cuperet, in Seraphici sancti Francisci adscriptus est Ordine, quem vulgò Obseruãtium nomine vocãt. Erat autem illis temporibus Seraphici Ordinis Religio quàm florentissima nomine sanctimoniæ, cum præsertim ad antiquam illam disciplinam, ab

*Pecuniam reſpuit inuentam.*

*Obſeruantiũ inſtitutum ſuſcipit.*

*S. Bernardinus Ordinem reformauit.*

auctore parenteque B. Francisco institutam reuocasset paulò ante Bernardinus, cuius memoria in benedictione est. Vbi verò primum S. Francisci Regula, vitæque Seraphicæ institutis se deuinxit, vt verus obedientiæ filius, paratus in omnes voluntates Dei, mirificè cucurrit viam mandatorum eius. Omnes igitur cogitationes suas in eo potissimum fixas habuit, in eoque omnibus viribus contendit, vt quam viuendi disciplinam sibi delegisset, eam singulari studio, atque omni officio exprimeret. Id

*Regulam rigidè obseruat.*

quò rectius & perfectius in Ordine Seraphico præstaret, illius regulas, constitutionesque memoria complexus, eas ad vitæ vsum & consuetudinẽ quotidianam quotidie adduxit. Nemo proculdubio illis seruandis diligentior quàm is fuit: qui non tantum ne minimum quidem ab earum præscriptis discessit, sed zelo exarsit, vt si quem fortasse in illis aliquando quicquam offendere animaduerteret, ad eam obseruationem cohortationibus, monitis, & præclaris exemplis reuocare studuerit perpetuò.

Erat illis tẽporibus nauigationis cursus ad Fortunatas Insulas valde admodum difficilis, periculosus, ob eamque rem infestus, quod insulani magna ex parte adhuc superstitionum scelere deuincti tenebantur. Appellantur illæ Insulæ vulgò Canariæ: sunt autem septem, in mari Athlantico sitæ, veteribus Ptolomæo, Martiano, aliisque & Latinis

*Canariæ Insulæ dictæ à canibus.*

& Græcis cognitæ, præsertim Plinio, qui illas suo quamque nomine vocat, Canariasque omnes dictas putat ob magnitudinem canum, quos illæ pariunt. Diu postea incognitæ extiterunt, fortasse quia nauigatio Canariensis multis ætatum seculis intermissa erat. Demum anno millesimo quadringentesimo quinto à Christo nato, Ioanne II. Castellæ Rege, quo tempore B. Didacus puer erat, à Benthacorio, homine Gallo, qui tunc à tutoribus Regis, adhuc infantis, mare Athlanticum nauigandi facultatem acceperat, duæ inuentæ sunt, & ad Christianæ Religionis cultum instructæ. Quo fit vt aliæ, quæ deinceps in ditionem potestatemque Regis Hispaniarum venerunt, nondum fidei mysteriis imbutæ essent, cum Didacus à superioribus suis missus, eo mare transmisit. Is igitur non longa, ne-

D que noua, ob eamque rem difficili nauigatione perterritus, nec insulanorum moribus immanitate barbaris perculsus, sed veræ obedientiæ, cui se sanctè addixerat, religioso officio ductus, nauim conscendens, ad illas Insulas, sæpe ventis reflantibus, & infesto mari, demum ope auxilioque diuino appulit. Est vna inter alias Canarias Insula, quam

*Eo destinatus Didacus Guardianus.*

Forteuenturam nominant. Eò venit ad Seraphici Ordinis conuentum sibi à superioribus traditum in curam, & custodiam, quam gessit magna Seraphicæ Religionis laude. Non erant qui eam Insulã habitabant, adhuc omnes ad fidem conuersi. Hic vir Dei Didacus, multam messem nactus, admirandis exemplis, singulari vitæ sanctimonia, sermonum

E

*Multos ad fidem conuertit.*

frequentium ardore incredibili, multitudinem insulanorum innumerabilem, idolorum cultu, & superstitionum tenebris circunfusam, ad fidei lumen perduxit. In iis præter cæteros plurimos extitit etiã Ioannes Alphonsus, homo quidam, iam inde vsque è Canaria magna illuc profectus, qui idola colens, à B. Didaco Religionis Christianæ sacris imbutus, baptismum suscepit. Paulo autem pòst filios duos eidem in disciplinam tradidit, qua ad pietatis studia atque officia à magistro tam Religioso erudirentur. Magnas ob fidei propagandæ studium difficultates, & labores Didacus perpessus, varieque etiam vexatus & oppugnatus, multa quoque A pericula adiit: quibus non modò nõ perterrefactus, sed ardentius inflammatus, ad Canariam magnam item proficisci deliberauit, vt illius Insulæ homines verbi Dei prędicatione ab impura idolorum superstitione ad fidem conuerteret; aut martyriũ subiret, cuius desiderio vehemẽter ardebat. Cumque

*Ardet ad martyrium.*

nauim cõscendisset, magnamque nauigationis partem confecisset, sed tempestatum fluctibus magnis, ac simul vectorum, & sociorum, quos eximia charitate diligebat, metu, cum ij barbarorum, omnia rabide agentium, impetum furoremque vehemẽter pertimescerent: factum est, vt ad eorum Insulam nauí, qua vehebatur, etiam vndis afflicta, appelli non potuerit. Et ita Deo volente, ad martyrium, quod

B tam ardenter desiderabat, non peruenit, etiamsi alias multoties tam propè fuit, vt illud assequeretur. Quare ad Insulam Forteuenturam reuersus, in magnis illis pietatis & charitatis officiis euigilare magnopere contendit.

Mira eius charitas erga ægrotos, & pauperes extitit, quibus semper in eleemosynam contulit quic-

*Vt pauperibus subueniat, sibi subtrahit.*

quid habere potuit. Quotidiano is victui detrahebat, vt inde haberet quod pauperibus in eleemosynam traderet, nihilque in dies singulos, vel in singulas potius horas, atque adeò in singula momẽta quæritabat, quàm vnde sibi aliquid superesset, quo aliorum inopiam sustentaret. Cùm autem aliquando non esset quod mendicis, pauperibus, atque egẽ-

C tibus hominibus pia eleemosynæ largitione daret: illorum commiseratione motus, miram lacrymarum vim effundebat, quibus intimum animi sui dolorem testabatur; cum præsertim neque ex conuentus parsimonia, neque ex sua abstinentia, neque ab amicis, neque priuatim à contubernalibus, nec à notis, nec ab ignotis tantum haurire potuisset, quantum pauperibus Christi, quod minimum erat, subministraretur ad vsum in diem victitandi necessarium. Ægrè aliquando conuentuũ præfecti id ferebant, vt quicquid is vndique colligere potuisset, id omne in eleemosynam erogaret, quibus vt homo mansuetissimus erat, verbis respondit lenitatis, & humilitatis plenis. Ostendit enim, id viris paupertatis Euangelicæ colentibus patientissimè ferẽdum

D esse: cum Deum patrem cælestem haberent, omniũ bonorum largitorẽ, qui vberius & cumulatius daret omnia. Sed illud mirificè, diuinitusque factum est, quod cum in sinu haberet magnam panis fragmentorum copiam, quam pauperibus conferret, fortè obuiam Guardiano aliisque fratribus fa-

*Flores apparent frusta tanum data pauperibus à S. Didaco.*

ctus est: à quibus eo nomine reprehensus, quod nimis valde conuentus censum profunderet; Eo, inquit, sunt flores, quos non aliqua specie, sed re vera flores tunc ostendit. Cuius rei admirabilitate illi obstupefacti, non modò Dei hominẽ obiurgare nõ pergunt, sed in veneratione habere incipiunt. Apud Insulam autem Forteuenturam cum esset, studio,

E quo ardentissimo flagrabat fouendæ paupertatis, quosdam insulanos, qui præ egestate messem facere non poterant, sua aliorumque consodalium opera messoria iuuit, cum aliunde nequaquam tunc haberet, vnde illis aliquid subsidij comparare potuisset.

Quodam tẽpore B. Didacus, & socius alter, homo religiosus, in viam se dederunt, nihilque secũ viatici, aut cibi attulerunt. Cũ autẽ è conuentu Cerraię, quod ab Hispali multa millia passuum distat, vnde discedebant, longũ iter esset vsque ad S. Lucã Barramede, quò ire contendebant: de via fessi, & fame languescentes, ad pagum peruenerunt, quẽ Hispani. eè *Los Palacios* vulgò vocant. Eo loci eleemosynam quæritarunt: qui daret tamen inuenerunt neminem.



minem. Ieiuni igitur iterum se itineri committunt. A Querenti autem socio, quid randẽ cibi eo die caperent, respõdit ille Deum vtique prouisurũ. Aliquot millia passuum inde progressi, cum iter leucarum quatuor reliquum esset, in solitudine quadam magna, panem, pisces duos recèns coctos, & pomum citreum, quæ omnia mantili mundo inuoluta erãt, super herbam quandam cõspexerunt, quæ Maresma

*Cibus S. Didaco paratus in deserto, & vinum.*

ab Hispanis nominatur, vasculumque vini plenũ proximè erat. Ibi cum neminem in planicie aspexissent, quæ tamen omnis in prospectu erat, cibum diuinitus missum sumpserunt. Interea socio Didacus ostendit, quàm mira prouidentia Deus victui vtriusque prospexisset, ita scilicet vt olim in deserto filios Israël pauerat. Cibo recreati, gratias Deo B egerunt, & quicquid superfuit, reliquerunt. Didacus autem paululum se colligens, cum videret, se parum spei posuisse in prouidentia Dei, qui cuncta tuetur, intimè dolore affectus, illius rei nomine se reprehendere cœpit. Et ita verbis de ea ipsa re, ac de vitæ Euangelicæ puritate vltro citroque habitis, iter confecerunt.

Ægrorum curam eximia charitate suscepit & gessit. Nam de adolescentibus quibusdam, qui in literarum scholis versabantur, ex febri periculosè laborantibus, sibi magnæ curæ fuit, vt conualescerent. Lectum illis strauerat, quo loco nunc eius se-

*Morum eius studium in obsequium ægrotorum.*

pulchrum cernitur. Iis ipsis autem curandis nihil eo patientius, qui nihil curationis laboribus peper-C cit, imò eorum sordes mira charitate abstersit, excrementorum scaphium, vt, vsu venerat, frequenter manibus suis amouit. Quæ verò ad omnem illorũ curam, victusque rationem opus erant, ea perinde præstitit, vt solicita mater, quæ filiorum salutis desiderio languescit. Quare de eorum cura nihil quicquam præ charitate remittere vnquam voluit, nisi

*Vlcerum saniem lingua abluit.*

vbi à morbo confirmatos planè vidit. Tantopere autem charitate ardebat, quod vlcerum saniem lingua abluere non dedignaretur.

Instabat annus Iubilei, qui Nicolao quinto Pontifice maximo, incidit in annum à Christo nato M. CCCCL. Fuit Iubileum quintum, ad cuius celebritatem tantus hominum concursus Romam D

*Romam venit anno Iubilei M. CCCCL.*

factus est, quantus nunquam antea. Totum ferè illum annum Pontifex in solemnibus sanctisque actionibus posuit, stationes quotidie ipse cum collegio Cardinalium frequentabat. Hoc anno B. Didacus ab Hispania, quo ex insulis Canariis anno proximo superiori M. CCCCXLIX. redierat, Iubilei causa ad vrbem venit, socium habuit & comitem peregrinationis alium sui ordinis virum, religiosum hominem Fr. Alphonsum Castrensem nomine, præclarum & testem, & spectatorem, cultoremque virtutum in ipso Didaco prælucentium. Ambo Romæ ad sanctæ Mariæ Monasterium diuerterunt, quod Seraphicæ religionis est, vocaturque Aracæli. Hic spectare licet inflammatum illud E puræ sinceræque pietatis studium, quo sacras stationes humiliter sancteque obierit ac frequentarit. Eo vndique ad Iubileum Fratres ter mille & octingenti numero conuenerunt, sed en ingens ferè confestim eorum ægrotãtium, & morbo variè languentium numerus: ad quod incommodum, quanquam Pontifex cauerat diligentissimè, ne cõmeatus & omnia ad victum necessaria in vrbe deessent, nihilominus tamen id accessit, vt magna annonæ difficultas, & penuria rerum omnium in vrbe ingraueſceret. In tantis rerum angustiis, Guardianus

*In quo magna rerum penuria.*

curam ægrotorum Didaco credidit, qui licet in eo munere solus versaretur, tanta tamen & diligentia, & charitate illud gessit, vt omnibus præstò esset, nihilque cuiquam deesset ad curationis rationem. Imò tanta rerum omnium abundantia cunctis ab eo subuentum est, vt ipse Guardianus, cæterique mirarentur, vnde ei in tanta aliorum necessitate, tam magna suppeditaretur rerum vbertas. Magna enim panis & vini copia ex tota vrbe ad Monasterium confluxit, magnus frumenti aliarumque rerum, quæ ad victum opus essent, numerus datus est. Magnum id eleemosynæ subsidium B. Didaci apud Deum gratiæ acceptum omnes ferebant, omnes illum, vt hominem Deo gratissimum, atque acceptissimum suspiciebant, & admirabantur. Tribus autem mensibus exactis, quo temporis spatio is in vrbe fuit, ad Hispaniam cum eo ipso socio Hispalim rediit. Quocumque iter faciebat, multos inuenit qui illum hospitio gratis, benignissimeque exciperent, & vbi opus fuit viatico iuuarent.

Factum est aliquando, cum sub vesperum ipse & fratres vna cœnabant, vt stata hora per se campana ictibus nouem de more signum salutationis Angelicæ dederit, quod sacrista, cuius munus erat, facere negligenter prætermiserat. Rei admirabilitate illi obstupefacti, ad Ecclesiam accurrunt, vt viderent à quo pulsato campana esset, fores quidem clausas inuenerunt, intus verò neminem. Tum Didacus alios adhortatus ad orationem & disciplinam, ita C ob pœnitentiam, quam pro satisfactione negligentiæ sacristæ subiit, virgis se acriter percussit, vt mirum esset omnibus, quomodo tam grauium vulnerum acerbissimam vim ferre ipse potuerit.

*Salutatio Angelica miraculosè pulsata.*

*Pro fratrum delictis se affligit.*

Abstinentiæ virtutem, à sanctis patribus tantopere cõmendatam, beatus Didacus exercuit quàm diligentissimè. Sunt in Seraphico ordine præter solemnia stataque Ecclesiæ ieiunia, & præter Quadragesimam, Christi Domini exemplo cõsecratam, alia ieiunia, & item quadragesimæ, quæ certis diebus conclusæ totum penè anni cursum conficiunt. Primò ieiunium Aduentus, deinde ieiunium ab Epiphania, quod diebus quadraginta conficitur, tum ieiunium à die natali Apostolorum Petri & D Pauli, vsque ad celebritatem Assumptionis beatæ Mariæ virginis: postea ab Assumptione dierũ item quadraginta ieiuniũ ante diem festum S. Michaëlis; in Apostolorum præterea honorem alia est quadragesima dicata. Itaque B. Didacus verus Christi pauper, omnia prædicta ieiunia studiosissimè obseruabat. Et cum tot quadragesimarum curriculum anniuersarium perpetuò ieiunij cultu conficeret: Sanctorum etiã non modò statas vigilias, sed alias, quas sibi præscripserat, mirifica abstinentia, rituque duriter ieiunandi obseruabat. Panem tantum, & aquam adhibebat in vigiliis dierum omnium festorum beatissimæ Mariæ virginis. Ad illam ieiu-

*Ieiunia statuta in ordine Seraphico.*

*Qua ipse seruauit rigidè.*

*Flagrũ corpus castigat.*

nij austeritatem sæpenumero adiungebat verbera-E tionem corporis, qua ita acriter vtebatur, vt à capite vsque ad talos, vehementer se flagris cædens, tam horribilem carnis cruciatum non humana, sed diuina potius virtute ferre putaretur. Summa præterea hyeme gelidam item aquam ingredi non dubitauit, vt ipsius item carnis, quæ infensissima aduersaria est, vim restingueret. Omnia facta, dicta, & cogitata referebat ad Christum Iesum, cuius nomen dulcissimum in corde, in ore, in opere semper habebat. Nominis Iesu, tanquam olei effusi suauitate liquescens, post diuturnum in oratione gemitum exultare incredibili gaudio videbatur inter choros Angelorum. Sanctissimam Dei matrem virginem Mariam, post Christum filium, præcipua

*Beatissimam Dei genitricẽ virginem Mariã præcipua deuotione colit.*

veneratione coluit. Cuius rei argumẽto est insigne salutationis Angelicæ, quo ad preces vsus est perpetuò. Quo factum est, vt in omni temporum varietate, cum ad eam, vel sua, vel aliorum causa confugiebat, semper cæleste singulareque eius patrocinium senserit, summa cunctorum admiratione. Res in promptu est, cùm ex omnibus, tum ex illo ad sempiternam memoriam insigni miraculo, quod diuinitus factum apparet: cum fœminæ quæ pistoriam agebat, filium è media morte, nimirum ex ardentibus furni flammis liberauit. Qualiter autem hoc miraculum acciderit, dicendum est. Hispalim cùm iter B. Didacus haberet, ad hominem diuertit fratrum Ordinis sui hospitem. Erat in vicinia mulier, quæ præ inopia furnariam exercebat, vt se, suamque familiam sustentaret. Habebat hæc filium annos septem, aut amplius natum, qui matris iracundia exandescentis acerbitatem metuens, sæpenumero aufugere solebat. Is quodam die verberibus cæsus, domo abiit, neque est ante diem Dominicum reuersus. Tum verò timens ne à matre acerbius iterum vapularet, in furnum sese abdidit, vbi somnus eum arctissimè complexus est. Eo loci puerum iacere cùm illa ignoraret: postero die, qui feria secunda fuit, ante lucem surgens ignem admouit furno. Qui tam celeriter flammis exarsit, vt simul & puer horribilem in modum clamitaret, & furnus ignesceret. Eo acerbissimo filij casu mater mœsta ac mœrens, cùm non esset qui sibi opem ferret, gemitu eiulatuque lugubri, & vociferatione muliebri viciniam replebat, auxilium expetens. Cui B. Didacus, bene iuuante Deo, obuiam factus, re audita, mulierem consolatur, bono animo esse iubet, hortaturque hoc maximè, vt ad Ecclesiam quamprimum properè festinet, vbi ad B. Virginis Mariæ altare supplex, filij salutem ei misericordiarum matri intimè commender. Rectè monenti paruit ilicò mater, pueri periculo consternata. Tum continuò B. Didacus & socius, ad furnum profecti, lignis & sarmentis incensis, illum ab omni planè illo ardore incolumem inuenerunt. Ob rei admirabilitatem ad sacram ædem, vbi mater precabatur, illũ perductum albis vestibus Canonici induerunt in honorẽ beatissimæ Virginis: nemóque aderat è frequenti populo, qui illum curiosè non spectaret, tanquam è media morte mirabiliter ereptũ. Sacellum autem, quo is ab incensione liber in omniũ conspectũ adductus est, magna in veneratione esse deinceps cœpit: cùm multa præsertim miracula B. Didaci gratia Deus ibi postea fieri voluerit.

*Puerum liberat ex incenso furno.*

Erat autem B. Didacus vir simplex, nimirum à malitia purus & integer. De nemine vnquam se malè sentire, aut opinari ostendit, & in omni vita verbum ne otiosum quidem, nedum iniuriosum ab illo quisquam audiuit. Erat litterarum rudis, ideo nullis sacris ordinibus initiatus, simplicis Religiosi, & fratris, vt dicunt, laici vitam in Ordine Minorum egit. Is tamen omnis eloquentiæ expers, tanta erat imbutus suauitate sermonis, vt illius vi omnes pelleret animi ægritudines, omnesque cuiuscumque ordinis homines, ad se confluentes, etiam variè affectos recrearet, mirificéque consolaretur. Certis litterarum monumentis ad posteritatem proditum est, virum quendam melancholicum, qui vehementer animi cruciatu angebatur, quique etiam corporis morbo langueſcebat, atræ bilis vim, & doloris acerbitatem sensisse mirabilem in modum minui colloquio, & congressu B. Didaci. E cuius manu etiam cum aliquid vel exigui cibi sumebat, tanta se dulcedine perfusum esse

*Suauitas mira sermonis illius.*

*Eius suauitate melancholicus recreatur.*

assueueranter dicebat, vt illud tanquam pabulum quoddam cæleste sibi videretur. De diuinis rebus optimè differebat, & quæstiones longè omnium difficillimas mira scientia explicabat.

Eius quidam amicus, homo Conchensis, artium liberalium vsu longè peritissimus, cùm neque Salamantiæ, neque Lutetiæ Parisiorum, neque vsquam, vbi Academiæ florent, quenquam vel præstantissimum eruditione virum nactus esset, qui aliquot partim de Theologia, partim de aliis disciplinis locos, obscuritate inuolutos, explicaret: Didacũ vnum inuenit, qui illos diuinè aperuit.

*Quæstiones difficiles dissoluit & explicat.*

Tandem verò eximia laude vbique florens beatus Didacus, cum vitæ huius stadium cucurrisset: tempus iam venit, quo ob merita reciperet coronam iustitiæ, quam Deus repromisit diligentibus se. Itaque senio, ieiunio, abstinentia, vigiliis, omnique corporis cruciatu maceratus, morbo laborare incepit ex suppuratione quadam, quam in brachio sinistro prope manum habebat. Et quanquam morbi purulenti, qui sanie tabescens acerbissimum inurebat dolorem, vi intima torquebatur, tamen vsque adeò illius cruciatum tolerabiliter patiebatur, vt in summo dolore patientissimus, excitaret apud omnes admirationem incredibilis patientiæ, qua illam suppurationem ferebat, difficilem toleratu. Suppuratio autem, ex qua grauiter nimis ægrotabat, per medicamentum tandem rupta, magnam saniei copiam effudit, quæ non malè, vt solet, sed bene potius ac suauiter olere videbatur. Ea incommoda valetudine aliquandiu afflictus, interdum ita è corporis sensibus ad animi contemplationem rapiebatur, vt mortuus putaretur. Deinde ad se rediens, eas voces emittebat: O quàm suaues illi flores paradisi! Tum fratres omnes accurrebant, eorumque vnusquisque, cum primum ad illum accesserat, hoc maximè petebat, vt pro se Deum ille precaretur. At ipse preces eorum summopere expetere non desistebat. Vbi demum horam instare vidit, qua ex hoc seculo migraret, vt Seraphicum patrem Franciscum etiam in ipso obitus momento imitaretur, vestem viliorem, & cingulum sibi afferri petiit. Quibus mox indutus, omnes qui aderant suauiter piéque alloquendo, offensionum ab is veniam profusis lacrymis petiit. Demum vtroque brachio sublato, etsi alterum antea vi morbi tabuerat, Crucem quam ad caput habebat, amplexus, sæpiusque omni intimi animi pietate exosculatus, animam Deo reddidit, cum illa hymni verba de Cruce Domini protulisset: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum & Dominum. Obiit igitur Compluti in Conuentu Ordinis sui anno à Christo nato M.C.C.C.C.L.X.I.I.I. pridie Idus Nouembris, die Sabbati, nocte sequenti. Peruulgato sancti viri obitu, ad eius corpus visendum concurrit maxima multitudo populorum, omnes certatim illud tangere, & exosculari cupientium. Postridie, qui dies Dominicus fuit, manè corpus in Ecclesiam illatum frequentissimo populo sepultum est.

*Morbo corripitur, & in brachio suppuratione.*

*Diem suum obiit 1463.*

Mortuo B. Didaco, mira odoris suauitas ex eius sacro corpore procedebat, totumque cubiculum repleuit, & omnes qui præsentes aderant delectatione perfudit. Sed illud commemorabile est, atque admiratione dignissimum, eam odoris iucunditatem sensu percipi nequaquam ab iis potuisse, qui tetris peccatorum sordibus sese inquinassent. Vbi verò de iis confessi sunt, gratissimum inde odorem senserunt.

*Que suauem efflabat odorem.*

*Corpus S. Didaci suauissimum pios adflat odorem.*

Eius



*Candidum est, cum viuum nigrum esset, viuentis habitum.*

Eius corpus, præ ieiunio, abstinentia & inedia, nigroris speciem præ se ferens, candore post obitũ reluxit, vultus illius non mortui, sed viuentis artus & articulorum, manuumque commissuræ flexibiles, vt sequerentur quocumque verterentur. Neque vlla corporis pars, cum mortua caloris est expers, obriguit, vt hominis cadauer obrigescere solet.

*Regem Castella cum filias à morbo sanat.*

Henricus quartus Castellæ Rex, & filia, aliquo post beati viri obitum, spatio temporis, grauitet ægrotarunt. Factum est volente Deo, vt quoniam nullis medicorum remediis præsentibus sanarentur, prece ac meritis B. Didaci pristinam valetudinem recuperarint. Cuius diuini beneficij Rex memor illius nomine sacellum impensè extruxit, vbi eius corpus intra arcam ferream piè recondi iussit.

*Anno 1562. Carolus Hispaniarum Princeps leuate vulnus è casu acceptum in capite.*

Anno M. DLXII. Hispaniarum Princeps, Carolus Philippi II. filius Caroli V. Imp. nepos patris auique amor, & deliciæ, Compluti in Regia cum lude ret, è scalis quibusdam supinus cecidit. Quo casu tam vehementer offendit, vt lethiferum in capite vulnus acciperet. Graue id vulnus ac mortiferum etiam medici putarunt, cumque propterea Principis potentissimi, amplissimorum regnorum hæredis futuri, ac summa indole pueri salus ageretur, non potuit Philippus pater non esse ingenti ac summa animi solicitudine de filio, quem singularem vnicè amabat, & in oculis ferebat. Quare nihil non attigit, nihil non egit, nihil non intentauit, vt in tanto vitæ periculo adiumentum Carolo filio charissimo afferret. Medicos peritissimos atque optimos ad pueri curationem vndique adduci iubet. Medicamenta quæcumque excogitari, & conquiri solertissimè poterant vulneri præsto fuerunt. Verum omnia exquisitissima remedia vicerat morbi vis & grauitas, nisi Regem Catholicum, & eximium catholicæ religionis nõ modò cultorem, sed propugnatorem maximum, ac singularem de filio mœstum & mœrentem, Deus pater misericordiarum, & Deus totius consolationis respexisset. Desperata igitur à medicis, & ab aliis res cum esset, pater Rex recessit. Tum vestes lugubres, panni ad Palatij vestitum funebres, funestaque apparantur omnia, & exequiæ denique tanto Principe dignæ diligentissimè curantur. Dum in eam funeris curam incumbitur, ilicò extitit à Deo salutare consilium, auxilium, & gaudium. Repentè enim viri quidam, qui in luctu, & mœrore erant, cælesti aliquo, & diuino instinctu ad beatum Didacum mentem conuerterunt. Postulatumque tunc summoperè est, vt eius corpus ad Principis cubiculum quamprimum adueheretur, & prope eum collocaretur. Quod singulari pietate, celeritateque incredibili factum est. Corpus ad se pia veneratione delatum Princeps, qui morbo ingraueſcens, & quasi spiritum agens, per se non poterat, ab aliis subleuatus, humiliter deuoteque veneratus tetigit, sincera imprimis, & maxima fide Deum ob illius beati viri merita intimè de valetudinis recuperatione precatus. Itaque eo ipso momento, quo Principem Medici ex hac vita migraturum prædixerãt, meliusculè se habere incepit: tum paucis horis elapsis, mirabiliter sancti eius viri precibus sanatus est, summa Philippi patris lætitia, & maxima omnis Hispaniæ gratulatione.

*Defferata valetudine, attactu sancti corporis reualuit.*

*Corpus S. Didaci etiamnum integrũ, & suauissimè odorum.*

Nec prætereà silentio prætereundum est, quod etiã ad B. Didaci sanctitatẽ spectat, qua eius corpus quanquam centum antè annis, & amplius sepulturæ traditum erat, tamen quo tempore ad Principem aduectum est, totum excepta naris particula quadam, incorruptum atque integrum vsque quaque conseruabatur, eamque ipsam quam antea odoris suauitatem iucundissimam retinebat.

## NOTÆ.

Beati Didaci, &c.] *Cuius vita & miracula à Galesinio prolixius descripta habentur apud Surium nouiter auctum, & Coloniæ impressum 12. Nouembris. De eodem plura apud Ribadeineram, & in Chronico Ordinis S. Francisci. Ipsum Sixtus V. Pontifex maximus solemni ritu sanctorum Catalogo adscripsit 6. Non. Iulij. Anno M. D X X C V I I I. Et quia cultor B. Mariæ fuit eximius B. Didacus, Sabbato die Diuæ Virginis sacra mortuus est. Item Sabbato die Visitationis B. Mariæ canonizatus est. Pingitur autem vir sanctus cum corona B. Mariæ in dextera, & cum Cruce in sinistra.*

Ex suppuratione.] *Est suppuratio, generatio puris, vulgò* aposteme.

## VITA S. SYLVESTRI ABBATIS Auximatis, Ordinis qui de Monte Fano, seu Syluestrinorum dicitur, fundatoris. Ex ea quam scripsit D. Andreas Iacobi Fabrianensis, Monachus olim Abbas Generalis eiusdem Ordinis à Fundatore quarto, qui eadem, qua S. Syluester vixit ætate.

*Apud Surium auctum valdè, & nouissimè Coloniæ impressum.*

IN ea Italiæ parte quo non admodum longè lateque patet Pisenus ager, & castigatorum leuiter collium amœnitate diues, & omni frugum vbertate lætus, Auximum non admodum fastigiato in colle situm est, ad quinque millia passuum ab vrbe Laureta, beatissimæ Virginis domicilio toto orbe terrarum celeberrimo nobilitata, disiunctum. Eius ditio ac fertilis ager ad superum vsque mare ferè porrigitur, vrbs inter cætera eius oræ oppida, & diuitiarum copia, & insignium virorum fœcunditate nobilis. In ea imprimis clara est, multaque recenset secula Guzolina familia, cui non exiguum ornamentum attulit Ghislerius, & rerum gerendarum scientia, & diuini humanique iuris prudentia ornatus, qui æquè præcipuè, nobilitatis fœminam in matrimonium duxit. Porrò inter eos, quos ex ea suscepit liberos, Syluester censetur is, quem religiosa nostra familia & ordo parentem, atque institutorem agnoscit. His ergo parentibus Syluester natus est anno salutis humanæ circiter M.CLXXVII. Pontifice Romano Alexandro III. Constat eum ab ipsa pueritia pios admodum hausisse spiritus, & crescente ætate bonis tum moribus fuisse, tum literis imbutum, vt iam tum in ipso eius ætatis flore cerneretur virilis quædam & robusta maturitas. Mox vbi adoleuit, Bononiam à patre missus, vt iuris scientiæ operam daret, quibus studiis vix degustatis, quod animum ad humana negotia plusquam par esset abducere viderentur, diuinæ disciplinæ cupiditate incensus, emenso Philosophiæ curriculo, ad studium sacræ Theologiæ se contulit, quo tempore, cum ea esset ætate, qua plerique mortalium per abrupta vitiorum feruntur, nihil ipse de studio pietatis vnquam remisit, vt quicquid temporis à Theologiæ studiis reliquum esset, id totum in religiosis piisque exercitationibus collocaret.

*S. Syluestri parentes.*

*Nascitur anno 1177.*

*A iuris studio ad Theologia transit.*

Theolo

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

*Redit in patriam.* Theologiæ ſtudiis fœliciter abſolutis, Syluester in patriam reuerſus, excipitur ea, qua par eſt animi voluntate, & ingenti bonorum omnium gratulatione. At pater ſimul atque cognouit, Syluestrum poſthabito iuris ciuilis ſtudio, Theologicas diſciplinas auidè arripuiſſe, id ægerrimè tulit, atque ita exarſit, vt per decennium ſua illum conſuetudine, colloquioque priuarit. Cumque increbeſcente fama pietatis atque doctrinæ ipſius, omnium ſibi animos conciliaret: in Canonicorum cathedralis Eccleſiæ numerum cooptatus eſt. Tum verò ſacris initiatus, ad prædicandi ſtudium appulit. Sed cum Epiſcopus Auximanæ Eccleſiæ minus rectè vitam ſuam inſtitueret, beatus Syluester ad ipſum aliquando acceſſit, eumque cum magna modeſtia, & animi ſubmiſſione ad meliora hortari cœpit. Epiſcopus verò ſancti admonitiones, quaſi iniurias accipiens, dare operam cœpit, vt per ſummam iniuriam Canonicatus beneficio ſpoliaretur. Agebat tunc vir beatus annum circiter quinquageſimum, cum mundo pompiſque eius valedicere diſpoſuit. Eius verò ad Chriſti ſectanda veſtigia conſilij occaſio fuit eiuſmodi. Vir quidam eo tempore nobilis è vita diſceſſerat, huic funebri pompa, vt moris eſt, in æde maxima iuſta funebria ritè ſoluebantur, vbi ad ſepulchri patentis oſtium ventum eſt, ad illud (afflatu certè diuino) propius Syluester acceſſit, inſpicienſque curioſius, propinqui cuiuſdam ſui, paucis ante diebus mortui, cadauer agnouit, & tetro pædore obſitum, & horribili ſqualore confectum, cum is alioqui dum viueret, non viribus modo corporis, ſed venuſtate quoque oris, ac forma præſtaret. Tunc conſternatus ilicò exhorruit, & ſecum cœpit reputare miſerabilem humanæ vitæ conditionem. Et ex ea cogitatione ingenti horrore perculſus, ea verba vſurpaſſe dicitur: Ego ſum quod hic fuit, quod hic eſt, ipſe ero, peractoque mox funere, cœpit cogitare de ſeculo deſerendo.

*Fit Canonicus Auximanus.*

*Epiſcopus indignè ferens viri Dei admonitiones, eũ perſequitur.*

*Seculum deſerit.*

*Occaſio mutandi vitam.*

*Secedit in Eremum.* Latenter igitur exiens receſſit in Eremum. Porrò ſolitudo illa, altuſque receſſus, non longè aberat à quodam oppido, Corradi cuiuſdam primarij viri ditioni imperióque ſubiecto, & ab Auximana vrbe triginta circiter paſſuum millium interuallo ſeiuncto. In eo receſſu cùm aliquot dies, ſibi vni, Deoque notus, in ſumma rerum omnium inopia traduxiſſet, lux ea diutius latere non potuit: ita enim fit, vt quanto quis maiore ſtudio deliteſcere in tenebris conatur, tanto clarior virtutis ſplendor erumpat. Ergo à Corradi popularibus illac fortè prætereuntibus, nec ſine omnium ſtupore ob loci aſperitatem, inuentus eſt. Qui confeſtim in oppidum reuerſi, ea de re Corradum certiorem fecere. Corradus porrò adeundi hominis deſiderio; adſcitis quibuſdam è ſuis, inuium locum petit, inuentum agnoſcit, quippe nouerat eum antea in Marchionis curia, cùm ſtrenuè bonam Eccleſiæ ſuæ cauſam defendendam ſuſcepiſſet. Ergo ingenti gaudio perfuſus, perſpecta conſilij approbataque ratione, Syluestrum ad ſpecum quandam virentibus obſitam ſtirpibus perducit, is enim viſus eſt commodiſſimus precationi locus, eidem poſtea quotidie alimenta ſuppeditauit. Cùm verò ea ſpecus perpetuis ſtillicidiis, & aquarum confluentium alluuionibus eſſet infeſta, aliò ſe transferre cogitabat, cùm ſacerdos quidam & loci aſperitatem, & periculum vitæ imminens ſecum ipſe perpendens, auctor fuit Syluestro, vt interiorem commodioremque pœnitentiæ ſolitudinem peteret. Dimiſſo cum gratiarum actione ſacerdote, ita ad ſalubre pœnitentiæ ſtudium animum contulit, vt eum ſibi, ad illud vitæ inſtitutum perſequendum, locum aptiſſimum arbitratus, illa vatis verba vſurparet: Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam eam ſæpius mihi Dominus eligendam in ſomnis oſtẽdit. Itaque quantas poterat à tuo corpuſculo culparũ pœnas ieiuniis exigebat, & precationi aſſiduæ ſtudioſius inſiſtebat. Herbis interdum crudis veſcebatur, ſitim leuabat aqua, & omnium rerum penuriam conſtantiſſimè perferebat.

*Commodiorẽ inuenit locũ.*

*Pſalm. 131.*

*Vitæ auſteritatem.*

Iactis in hunc modum religioſæ perfectionis fũdamentis, ita claros ſanctimoniæ radios ex illis latebris emittebat, vt ad ſeſe oculos conuerteret, pertraheretque mortalium, & confluebant ad eum vndique populi, & Religioſi viri complures eius fama permoti. Tunc cùm ſecum de conſtituendæ vitæ ratione ancipiti cura deliberaret, neque omnino vigilaret, neque altius eſſet ſopore depreſſus, ſed inter ſomnum & vigiliam eſſet conſtitutus, ac propè quadam extaſi abſtractus à ſenſibus, ſanctos quoſdam viros, è beatis illis cæli ciuibus cernit, qui ſecum varias Religioſorum familias duxerant, ſuis quique diſcipulis comitati, eodem planè veſtitu, quo dum viuerent in terris, Chriſto Regi militauerant, hi ſuam quiſque Regulam, ſcriptaſque leges deferentes, Syluestro humaniter ſalutato: Viſne, inquiunt, fili noſtram Regulam, habitumque ſumere? Cumque Syluester demiſſo capite, tacitus renuiſſet, illis recedentibus, Benedictus Patriarcha, vna cum quibuſdam è ſuis Monachis, non modo illi ſeſe palam oſtendit: verùm patefacto nomine, vt omni timore abiecto, ſuam amplecteretur diſciplinam cohortatus eſt. Quo viſo mirificè recreatus Syluester, beatiſſimi Benedicti monita intra cordis ſinum diligenter complexus: Gratias, inquit, tibi ago Reuerende Pater, ego indignus famulus, quod me inuiſere non ſis grauatus mei cordis perplexitate detentum, faciam quod hortaris. Ergo magna animi alacritate Benedicti inſtitutum religioſum nouus Chriſti miles amplexatus eſt. Quocirca à venerabili Monacho Petro Magono Syluester habitum ſe accepiſſe confirmabat, quo ſe illi indutum beatus Benedictus oſtenderat.

*Viſitant eum multi.*

*S. Benedicti Inſtitutum complectitur.*

Creſcente numero diſcipulorum, Syluester ad ædificandum cœnobium animum appulit. Cúmque opportunum quærens locum, tandem deueniſſet ad Montem fanum deſertiſſimum, & inhabitabilem propter dæmones qui ibidem habitabant, eiecta Crucis ſigno dæmonum multitudine, facellum B. Benedicti nomine, & primum ſui Ordinis cœnobium conſecrauit, compluresque ibi religioſis præceptionibus ex Benedictinorum viuendi ratione congregauit. Viuebant autem in magna diſciplina omnes, vilibus & aſperis veſtibus vtebantur, ieiuniis continuis ſeſe macerabant, atque mirum ſilentium obſeruabant.

*Cruce fugat dæmones, & ædificat primum Monaſterium ſui Inſtituti.*

Cum verò in dies nouus Ordo incremẽta caperet, cœperunt multi inuidi & maleuoli ſanctum inſtitutum oppugnare, ita vt Monachos bonis omnibus, atque adeò Religioſo inſtituto ſpoliare conarentur. Verùm ſtatim excitatus hic turbo conſedit, & conflata tempeſtas facilè ſedata eſt, ingenti procellam tranquillitate conſequente. Etenim huic Syluester malo obuiam eundum ratus, ad Vrbem ſe contulit, ac citius inſtituti formulam, in capita dilucidè redactam, Pontifici Maximo, (is erat Innocentius IV.) ſuppliciter expendendã obtulit. Quam ille vbi perlegit, non modò ritè Ordinẽ approbauit, atque amplexus eſt: verum etiã diplomate cõfirmatum, multis priuilegiis auxit anno Domini 1248.

*Inſtituti eius oppugnatur.*

*Romã tendit, petens ſus Inſtituti approbationẽ, quã obtinet ab Innocẽtio IV. anno 1248.*

Non



Non deſtitit auctor malorum dæmon, Monachorum mentes lactantes adhuc grauioribus præliis, & occultis artibus ſolicitare. Nocte igitur quadam, prima quietis hora, tanto ſtrepitu fores Monaſterij concuſſit dæmon, vt nõ modò ianitor ipſe, ſed cuncti propè Monachi tam crebris ac ſonoris ictibus excitati ſint, vehementiq; trepidatione cõmoti. Ianitor, cui nomen Proſpero, ilicò ſurgens, ad portam aduolat, & per feneſtellam cuncta rimatus, neminem cernit, compellanti reſpõdet nemo, redit in cubiculum, iterum ingeminantur ictus maiori quàm antea debacchatione, excitat tempeſtas illa vniuerſum cœnobium; ianuã cum quibuſdam aliis repetit ianitor, conſpicatur circumquaque, ſed inſultor dæmon nuſquam apparet. Monachi ingenti tum admiratione, tum metu perculſi in cubicula ſe recipiunt. Tertiò ad ludum redit dæmon, nimirum quos videbat ita ſtudio virtutis, ac Religioni addictos. Ergo cum tertiò maiori adhuc ſtrepitu quàm antea deſæuire cœpiſſet, confeſtim ad eam peſtem auertendam Monachi metu trepidantes, ad Syluestrum intentum precibus, nec rei ignarum cõmuni conſenſu confugiunt, totius rei ſeriem narrant, opem auxiliumque efflagitant. Ille ſereno vultu iubet homines bono animo eſſe, ſibi explorata eſſe dæmonis conſilia, eius terriculamenta nihili ducerent, & ſimul fratribus proſequentibus, ad ianuam profectus, imperterrito animo in dæmonem fertur inuectus: Erubeſce nequam & immũde ſpiritus, ſuperbiæ princeps, & auctor, iam demum fractos intellige tuos conatus virtute Dominicæ necis. Ecce qui te ad ſydera vſque extollebas, tandem intellige, te ſupremo iudicij die ſtultiſſimum remanſurum, vehementer erras, cum telis quibus nos oppugnas, ipſe vincaris. Recede igitut impudentiſſime dæmõ, & ad ſuppliciorum tuorum cumulum redire ne differas. Vix hæc Syluester, cum dæmon ilicò vlulans, ac perſtrepens tanto impetu per montis abrupta ſeſe præcipitem dedit, vt totus ipſe mons ſuis conuulſus radicibus, ruinam minari videretur.

*Syluester eũ pellit.*

*Lupum habet ſibi obſequentem.*

*Et cuſtodem fidum cellæ.*

Emanabat è ſinuoſo flectentis ſe montis Fani cubito perennis fons gelidæ aquæ, quæ piſcinulæ cuiuſdam ſpeciem referebat. Hæ Syluestri deliciæ, cũ vel feſſum laboribus animum recreare, vel ſitis famiſque moleſtiam ſimplici pane & aqua leuare vellet, vel denique cum ex conſideratione rerum harũ creatarũ, quæ adeò oblectant animum, in Dei, quod verum animæ oblectamentum eſt, cogitationem amoremque dulciſſimè raperetur. Hic ſedentem aliquando, & hordeaceo pane famem ſedantem, ac frigidæ ſitis ardorem temperantem, tres viri offendunt, qui conueniendi, viſendique hominis cauſa è propinquo Fabiani oppido diſceſſerant. Hos ergo cum vidiſſet Syluester, lupum ſecum cõmorantem, ac ſuis diuinitus parentem imperiis tantiſper abire iuſſit, qui capite caudaque adblanditus abſceſſit, vt vel hinc intelligi queat, pietatem, ac ſanctimoniã, vel inter ipſas ferociſſimas beſtias eſſe tutam, ex manſuetudine atque lenitate non modo frangi debilitarique hominum iras, atque veſanos furores, ſed innatam etiam belluarum ferociam, diuina annuente clementia, mitigari. Ea profectò res nõ fugit eorum hominum oculos. Et quæ tibi ſocietas, inquiunt, pater cum huiuſmodi bellua, quæ eſſe infeſta ſolet, atque exoſa? Ille cuſtos, inquit, eſt meæ cellulæ fideliſſimus, & eã ab omni ferarum incurſu conſtantiſſimè tuetur, ad mea eſt mandata, ita Deo placuit, exhauriẽda paratiſſimus; quæ non iubetur, non audet, quæ iubetur, promptè exequitur. Illi rẽ tacitè admirantes, diuinarumque collocutionum epulis refecti, domum præcipuo quodam pietatis ardore incenſi reuerterunt.

Exciſum non longè à cœnobio ſaxum, ac benè dolatum, altaris miniſterio cõſecrandum, ab omnibus cœnobij Monachis, adhibitis etiam ad operam externis hominibus, ne loco quidẽ dimoueri poterat, ac ſi altiſſimas humi radices egiſſet, quippe apparebat, pium illorum conatum mali dæmonis artibus eludi, quocirca cum fruſtrà ſe tanto ponderi obluctari cernerent, Syluestrum euocandum cenſent, quo accito, & ſalutari ab eo ſigno Crucis adhibito, iam facilè lapis ille conuehi cœptus eſt, vt omnes aridum lignum, non molem illam ingentem vectare viderentur, vt exinde apparuerit illuſorem dæmonem deluſum receſſiſſe.

*Ingens ſaxũ Crucis ſigno mobile efficit.*

Ibat de more Syluester ſub noctem intempeſtam ad vſitatum in oratorio pſallendi precãdique penſum ritè Deo cum fratribus perſoluendũ, cumque inter eundum deſcendere cœpiſſet quoſdam ſcalarum gradus, ſupplantante dæmone, præceps per illas ſcalas datus eſt, ingenti impetu, totiſque ponderibus deuolutus. Luna minimè pernox erat, cælum ingenti tempeſtate, & aquarum alluuione deſæuiebat, venti inter ſe aduerſi certabant, omnino nox opaca, & horribilis, vt ad viri patiẽtiam Chriſto permittente tentandam, dæmones, cælum, elementa conſpiraſſe viderentur. Syluester verò afflictus & conſauciatus ita iacebat humi, vt & propter lubricum ſolum, & debilitatum corpuſculũ, conatus ſæpiùs exurgere, ilicò cum maiori dolore recideret, vt ne reptando quidem ingredi poſſet. Ergo fratrum auxilium in Choro pſallẽtium ſæpius implorat, ſed præ concinentium ſtrepitu, præque horriſono imbrium ventorumque fragore, exaudiebat nemo. Semiuiuus igitur miſerandum in modum iacuerat aliquandiu ſuper frigidam & lutulentam humum, & pluuiæ ventorumque tempeſtate penè obrutus, magnam tamen animi tranquillitatem conſtantiſſimè retinebat; recrudeſcentibus autem propter frigus, & nocturnũ aërem vulneribus, dubium non erat, quin eſſet in ea calamitate animam efflaturus, niſi ipſe opportunè ad implorandam B. Virginis opem cõfugiſſet, quare precabatur ſanctiſſimam Dei matrem, vt ne ſe tam ſubitò filiis, quos Chriſto genuerat, abſentibus, ex hac vita migrare pateretur, neque enim mortem horrebat, quam ſemper æſtuanti animo peroptarat. Affuit precanti clementiſſima virgo, auguſtiſſimo aſpectu, & beatiſſimo lumine fulgens, ac ſe palam incredibili benignitate ſpectandam dedit, eumque nõ modo incolumem reddidit, vt ſolę ad omne teſtandum relinquerentur vulnerum cicatrices, verum etiam ne ſentientem quidem in cellam temporis momento reſtituit, atque extemplo diſceſſit in cælum. Enimverò obſtupuit Syluester, & B. Virginis benignitatem expertus, in eiuſdem patrocinium, recenti præſertim illius in ſe beneficio, atque miſericordia inuitatus, clientelamque confugit, & arctiori quam antea, amoris vinculo eidem Virgini ſanctiſſimæ ſeſe obſtrinxit. Hoc etiam idem ſtudium, eandemque pietatem in ſuis cupiebat eſſe præcipuam. Interim fratres mirati nocturnæ pſalmodiæ nõ adfuiſſe de more Syluestrum, morbũ fortè ſuſpicati, frequentes ad cubiculum die illuceſcente conueniũt, faciem adhuc ſanguine liuoribuſque inſignitam aſpiciunt, cauſam quærunt. Is primum modeſtè diſſimulans, quaſi ſuis ipſius peccatis accidiſſet, rem tamen omnem poſt aliquot dies multis fratribus enunciauit, quorum nonnulli, cùm hæc

*Invocat B. Virginem.*

*B. Virgo ipſi apparet, eumque in cellam ſubitò reſtituit.*

primum sunt mandata literis superstites erant.

*Parentes ob admissũ Nouitium tumultuantur.*

Cum quidam adolescens venisset ad conuersionem,& habitum Monachicum suscepisset de manibus viri Dei, parentes eius indignabundi, armata manu venerunt ad Monasterium. Cum verò adolescens constans esset,nec vellet redire ad seculum,

*Quorũ vnus Sylvestrum percutit.*

quidam furore percitus,per summam audaciam atque impudentiam, colaphum Sylvestro palam impegit. Porrò Sylvester contumeliam tanta animi moderatione, & æquitate pertulit, vt Euangelici memor consilij, ilicò maxillam alteram percussui cædendam exhibuerit, & non modò verbum acerbius non protulerit, sed ne minimum quidem signum irritati animi,vel turbatæ mentis ostenderit: insigne sanè mansuetudinis,ac patientiæ documẽtum, & certissimum solidæ perfectionis indicium. Verumenimverò Deus iustus, iniuriarum, quibus præsertim sui afficiuntur, vltor ac vindex, non est passus tantam temeritatem impunitam, vbi enim

*Percussor lepra percutitur,& à Sylvestro sanatur.*

ille tam tetro se sacrilegio polluit, turpissima repentè lepra percussus est; nec prius curari potuit, quàm per pœnitentiam resipisceret,& ad Sylvestri pedes prouolutus, veniam commissi facinoris gemens & lacrymabundus exposceret.

*Multò claret miraculis.*

Innumeris aliis claruit miraculis. Nam contractum sanauit, puerum ab incurabili morbo liberauit,incendium pane à se benedicto fuit extinctum, aliud signo Crucis extinxit, claudum sanauit, cæcam signo Crucis illuminauit, trabem breuiorem, reddidit longior, cæco à natiuitate visum restituit, quartò aquam in vinum conuertit. Energumena quædam ab vrbe quadã Galliæ à malo dæmone frequenter torquebatur, & grauiter:sæpius à propinquis ad varia templa frustra deducta.Cum aliquando ex eo in exorcismis quæreretur, cuius tandem sancti viri meritis finem esset mulieris diuexandæ facturus, cum Iesu Christi nomine, cui omne genu flectitur, vrgeretur, huiusmodi responsum dabat. Quid frustra laboratis? Honos iste Sylvestro reseruatur, quo iubente hinc mihi cedendum est. His verbis, energumenæ propinqui vehementer gauisi, Romam cum illa contendunt, vbi reliquiæ beatissimi Sylvestri summi Pontificis asseruantur. Ibi malus dæmon adiuratus, geminata voce respondit: Non ab isto, inquit, non ab isto sum, sed ab altero Sylvestro,licet inuitus & coactus,eiiciendus. Conflictabantur mœrore cuncti, quippe qui alium Sylvestrum penitus ignorarent. Illam tamen ad altare principis Apostolorum sistunt, quam cùm aliquandiu dæmon male torsisset, clamare cœpit, à Sylvestro sum extrudendus, à Sylvestro sum expellẽdus.Qua re cognita Iordanus quidam, eiusdem basilicæ S. Petri Canonicus, & Sylvestri nostri apprimè studiosus, eos ad beatum patrem deducit, qui tunc Romæ commorabatur, & cœnobium exædificandum curabat. Porrò in itinere tantum est mulier excruciata à dæmone,vt nunquam antea fuerat. Interim Sylvester à Canonico, quem dixi, rogatus ad obsessam fœminam iuuandam, diuino spiritu non minus bene paratus,quàm animatus accessit; cuius aduentum præsentiens dæmon, in ipso ædis illius ingressu, cœpit acrius in eam suas vires expromere. Frendebat misella dentibus, ore spumas agebat, parturientis instar afflictabatur,neque interim malus tortor vociferari desistebat: En venit Sylvester mihi vim per iniuriam illaturus. Verùm cùm vir Dei aliquandiu cum dæ-

*Energumenã liberat.*

mone decertasset, eum tandem, quod iamdiu obtinuerat domicilium, relinquere coëgit. Mulier verò ita grauiter est à discedente veteratore tractata, vt ad horam prorsus exanimata videretur. At cùm paulisper se postea recepisset, sumpto cibo sibi à Sylvestro transmisso, penitus conualuit, ac Deo liberatori gratias agens, læta cum suis reuertit in patriam.

*Humilitatem præcipuè sectatur.*

Animi submissionem amabat in primis vir sanctus, ac de se suisque rebus adeò humiliter ac demissè sentiebat, vt cæteris omnibus de pietate ac virtute concederet; honores multos, & sæpe oblatos vltrò respuit magna animi constantia. Lectitabat identidem summa cum auiditate sacros vtriusque testamenti libros, ac tanquam ex amœnissimis hortis flores varios decerpebat. Sicubi locus ob-

*Nota quomodo Scriptura difficiliorum locorũ sensum quærat.*

scurior, & ad explicandum difficilior, occurreret, ad eas tenebras fugandas, eliciendumque sensum verum ac tutum, vel ad pias preces lacrymasque, vel interdum etiam ad simplicem aliquem è suis Monachis, eundemque humilem,& contemplationi, precationique deditum,summa animi demissione confugiebat. Etenim existimabat non minus cognitionis rerum diuinarum homines imperitos ac rudes,dummodo in ea inscitia candida quædã simplicitas,& ardens in Deum charitas eluceret,quàm sapientes ipsos assiduo studio, & acumine ingeniorum, omnes consequi posse. Factum est aliquando, vt cum de more Ieremiam prophetam attentius legeret, in quendam locum difficilem incideret, cũque diu secum ipse frustra meditatus esset, ad precandum Deum confugit, in eaque precatione plures dies constantissimè perstitit, verumtamen sensum vllum expiscari non potuit. Degebat per idem tempus in cœnobio Altæ rupis Simon quidam,

*De Simone indocto, sed magna virtutũ Monacho.*

Sylvestri discipulus,miræ vir innocentiæ ac simplicitatis, & licet alioqui rudis,ac litterarum penitus ignarus, summa tamen tum pondere orationis,tum morum elegantia, apud omnes auctoritate. Hunc sibi Sylvester humilis magistrum deligendum, ac consulendum putauit. Ergo arrepta inter loquendum occasione, eum blandè alloquitur, ac summa animi submissione Dei nomine attestatur, vt quid de sensu loci illius sentiret, exponeret,factum se existimaret rem gratam sibi, & Deo. Ille demiratus viri humilitatem, inscitiam suam cœpit exponere, munus illud esse litterarorum,& sapientium hominum, in quorum numero esset Sylvester ipse; quod si sui periculum ea ratione faceret, se gratias ingentes agere. Sylvester contra instare vehementius, non tamen se hominis virtutem,sed illi loco lucem exposcere. Simon tanta animi submissione superatus, exorari se passus est, ne quod inobediẽtiæ fortè crimen incurreret, pariterque in cælum oculis menteque defixis, atque diuino implorato auxilio,diuina subitò oborta luce,omnes,quod ad sententiam illam spectabat, tenebras à Sylvestri mente discussit, qui mirificè recreatus, ad cœnobiũ montis Fani reuertitur,& sui contemptor egregius, & æquissimus fraternæ virtutis æstimator,cui non tam ingenij subtilitas,quàm merita humilitatis, sacrarum litterarum sensa abdita patefecit;vt nescias hac in re cuius magis humilitatem mireris, huiusne qui scisciando, an illius qui eam subterfugiendo præ se tulit. Porrò Simon hic, quem dixi, & prophetiæ dono admirabili, vt in præsensione mortis cuiusdam fœminæ,& miraculis etiam post mortem enituit: magna item fuit, vt supra diximus, vitæ sanctimonia,& morum simplicitate conspicuus.Nã ex consideratione interdum vel minuti flosculi, in Dei amorem, & contemplationem suauissimè ferebatur. Cerasus arbor floribus vestita, prætereunti aliquando Simoni, intuentique, & in Deum ex

*Nota quid mirum.*

intuitu



intuitu illorum florum pulchritudine rapto, se venerabunda quodammodo, ac suis diffusa ramis, multis inspectantibus, ad terram vsque demisit.

*Passionem Christi sæpe meditatur.*

Summa quadam pietate atque ardore animi, Christi liberatoris nostri actiones, & singularia in nos merita dies noctesque recolebat,præcipuo tamen studio, quæ nostra causa perpeti voluit, identidem ipse secum reputabat. Cumque illius verbera, spinas, clauos, crucemque contemplaretur,magnam vim lacrymarum profundere solitus erat, vt sæpe quiescentibus fratribus vigilaret ipse, & psallendo dulcem in se Christi mortis,& cruciatuũ memoriam excitaret, flagellisque se,ac funiculis acerrimè cæderet, dum psalmos Dauidis, qui pœnitentiales dicuntur, suauissimè pronunciaret. Ergo in peruigilio Christi Domini reuiuiscentis, cùm versiculus ille decantaretur; O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti, in altissima diuinæ charitatis cogitatione defixus, tanta spiritus dulcedine perfundi consueuerat, vt non modò fleret ipse, sed fletum quoque cæteris moueret: contigitque aliquando vt eius mens ita in Patris æterni charitatem raperetur, qui Filium idcircò nobis tradiderit, vt cruciatus acerbissimos, cum summa ignominia, probroque coniunctos

*In ecstasi videt visionem.*

nostra causa perferret, vt abalienatus à sensibus aliquãdiu in altissimo quodam mentis sopore perstiterit, in eoque sibi Ierosolymam delatus,& hortum quendam ingressus esse videretur, in quo augustissimum Christi Domini sepulchrum, ibidemque tres honestissimas fœminas candentibus vestibus ornatas, & in genua prouolutas, ante sepulchrum venerabundas cernere sibi videretur. Enimverò rei nouitate permotus cupiisse se scire, quid visionis suæ tam illustria symbola sibi vellent,& sepulchrum inscius adhuc attentius cõtemplatus, inscriptionem quam nusquam legerat, aut audierat, se planè legisse narrabat. VICTOREM MORTIS ISTÆ VENERANTVR IN HORTIS. tum demum agnouit illud Dominicum esse sepulchrum,& ingenti partim mœrore,partim animi voluptate perfusus,in genua corruens, religiosè admodum sepulchrum Domini veneratus est; mox vbi oculos circumflexit, tres illas fœminas nusquam vidit. Ergo ad se reuersus, & de tanto accepto beneficio immensas Deo gratias egit, & perpessionum Christi mysteria, quæ altius in eius animo insederant, cœpit assidua quadam commentatione recolere.

*B. Virginem colit.*

Venerabatur iamdudum Sylvester præcipuo studio,ac pietate, Dei genitricem Mariam, recentique eius beneficio incensus, vt supra narrauimus, magis ac magis eius amore castissimo inflammabatur. Neque verò Mater benignissima gratum erga se,ac pium filium desistebat maioribus quotidie muneribus cumulare. Itaque nocte quadam Sylvester post vsitatas preces, repente leui quodam somno correptus, visus est sibi ad Bethleemiticas rupes esse transuectus, & præsepe adiisse Christi Domini natali nobilitatum. Mox in quoddam templum perductus, ante altare stetisse precabundus:precãti augustissimo lumine fulgens Virgo Maria non modo sese illi palam ostẽdit, verum etiam eum blandè allocuta est. Et visne, inquit, fili mi Sylvester,corpus filij mei Iesu Christi recipere? Hac visione atque irritatione cohorruit primò Sylvester, deinde cum

*Beata Virgo porrigit ipsi sacrosanctum Christi filij corpus.*

se collegisset, ingenti cum tremore respondit, Paratum cor meum Domina, paratum cor meum,impleatur voluntas tua in me. Tum illa verè dulcis Virgo sua manu purissima sanctissimum Christi corpus Sylvestro porrexit, cuius nimirum diuina virtute, tanta est beati viri mens luce perfusa,vt ab eo tempore, nullus ei planè in sacris voluminibus locus esset obscurus. Quid mirum? poteratne illi quidquam esse abditum, cui & mater sapientiæ, & sapientia ipsa se tam familiariter patefecisset? Fœlix prorsus ad quem accedit propius Saluatoris Mater, & cuius corpus aliàs consauciatum mirabiliter sanarat, eiusdem nunc mentem,atque animum cælestibus epulis benignissimè reficit.

*Concionatur frequenter.*

Quoniam igitur lucem diuinitus haustam vir sanctus nefas esse ducebat abditam tenere, sedulò cœpit eandem aliis quoque crebris concionibus & cohortationibus impertiri. Ergo à Canonicis beati Venantij martyris Fabiani oppidi, sæpissime vt ad populum de rebus diuinis verba faceret, aduocabatur: cumque aliquando per templi cœmiterium transiret, multis nobilibus viris comitatus, quendam offendit, qui sepulchrum cuidam parabat,cuius erat salus à medicis desperata, quem Sylvester cuinam sepulchrũ illud pararet, interrogat. Ille verò, Pro Dio te Salue, inquit, id enim erat ægroto nomen: tum Sylvester paululum cum processisset, conuersus ad comites:Imperscrutabilia prorsus, inquit, sunt iudicia Dei, & nemo præordinatam eius sapientiam intelligit. Ecce mortuus viuo sepulchrũ parat. Dictum comprobauit euentus,etenim qui de spe salutis deiectus erat, breui conualuit: is verò, quem ægrotanti curare sepulchrum dicebamus, correptus febribus,paucis diebus extinctus, in idẽ sepulchrum illatus est, quod alteri ipse parauerat. Qua re animauersa,ij,quos Sylvester huius præmonuerat,vaticinium illud,quamuis ipsi antea subobscurum, verissimum fuisse cognouerunt.

*Prædicit quẽdam breui moriturum.*

*Sacras reliquias visitat, & veneratur.*

Ad Vrbem Sylvester se aliquando contulerat, vt reuiseret sibi subiectos filios. Cum igitur Romæ tunc esset, & summo studio, ac religione, sacras ædes frequentaret, & sanctorum virorum reliquias veneraretur, ad visendum martyris Cyriaci caput, ab eodem Iordano S.Petri Canonico deducitur,cuius antea mentionem fecimus, qui Sylvestrũ plurimum obseruabat, & ab eodem vicissim in Domino diligebatur. Quare ad sacrarum Virginum oratorium, vbi beati caput martyris asseruabatur,cum Iordano, duobusque sui Ordinis Monachis accessit,rogauitque sacras Virgines,vt sibi,comitibusque liceat beatum illud S. Martyris caput aspicere, ac ritè venerari, facilè impetrat, cereas faces accendunt,arcam, in qua caput sacrosanctum conditum erat, aperiunt, & accede, inquiunt, cum Iordano iam propius ad arcam Pater, atque arculam, qua clauditur caput, tuis manibus cape, quo facilius cerni possit ab omnibus. At amicus Dei Sylvester, cum se indignum duceret, qui sancti Martyris reliquias attrectaret, positis genibus, antea Dominum tacitus obsecrauit; ac tum demum summa veneratione arculam sumpsit,& velum quo caput obtegebatur, piè, modestéque manu commouit. Res mira, & ab omnibus Christum piè colentibus prædicanda: remoto enim velo, ex cranio inuicti martyris Cyriaci, quod cùm tot annorum spatio aridum cernebatur, Sylvestro tangente, sanguis repentè vndique in orbem cœpit abundè diffluere. Ergo stupore simul,qui aderant, lætitiaque correpti,profusis lacrymis, Sylvestri virtutem ac pietatem laudibus extollere, & ne ipse quidem potuit, pietatis nimirum ardore cogente, lacrymas continere, cum admirabilem Dei in se beneficentiam, charitatemque perspiceret. Quippe videtur præstantissimus Christi athleta Cyriacus tam illustri testimonio, &

*Sanguis profusus de capite S. Cyriaci Martyris profluit.*

argumento non obſcurè oſtendere voluiſſe, & quã Deo eſſet Syluestri in ſanctos Martyres grata religio, & quanta ipſe quoque Syluester cupiditate flagraret, purpuratos illos cæli ciues imitandi vita propter Christum, ac ſanguine profundendo.

*Studium eius erga ſanctas Reliquias.*

Sanctorum virorum Reliquias (quoniam in eũ ſermonem incidimus) religiosè admodum coluit, quo ſtudio, in Dei cæleſtis patriæ amorem quotidie magis incendebatur, & ex virtutum egregiarũ documentis, quæ ille prudentis inſtar apis, alueario memoriæ ſedulò recondebat, ad illorum ſectanda veſtigia vehementiùs incitabatur. Diuerterat aliquando ad cœnobium quoddam Ciſterienſis familiæ in agro Piceno, ſanctiſſimi viri Athanaſij Epiſcopi maxilla ditatum, fruſtulum ex ea ſibi ab Abbate popoſcit. Cui Abbas, cupere ſe illi morem gerere, ſed de maxilla nihil vnquam demi potuiſſe, tentatum ſæpiùs ab Epiſcopis nonnullis, vt vel tenaci forcipe dentem vnum euellerent, nunquam tamen eos licet omni conatu luctatos, valuiſſe. Experiar, inquit ipſe Syluester, ſi libet, quis ſcit, an & diuinum numen ſit, & Athanaſij voluntas affutura? tum demum eius voluntati ac ſtudio Abbas obſequitur. Quare vbi aliquantiſper oraſſet Syluester, ad ſacram maxillam duos digitos leniter admouet, ac tam facilè dentem euellit, vt ſponte ſua in manus exilire videretur. Tam ſecundo rei euentu Syluester agit Deo & cœnobij Abbati gratias, potiuſque, vt ipſe aiebat, cæleſti theſauro, in ſuum cœnobium lætus redit.

*Nota inſigne miraculũ de mandibula S. Athanaſij Epiſcopi.*

Exhauſtis innumerabilibus Chriſti cauſa iam penè laboribus, & ad ſolidæ perfectionis culmen euectus Syluester, vrgente iam ſenio, quippe nonagenarius, lethalem in febrem incidit. Cumque vltimum ſibi diem inſtare ſentiret, ſuos conuocatos oratione cohortatus eſt, vt in ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto perſiſterent. Ingraueſcente morbo, ſe Eccleſiæ Sacramentis vir ſanctus præmuniuit, & ſpiritum ſuum Domino commendans, virtutum opibus affluens, placidiſſimè efflauit animam in cælo perpetuò regnaturam, prima noctis vigilia 6. Calendas Decembris, anno poſt Chriſtum natum M.CCLXVII. ætatis ſuæ nonageſimo, ab inchoato ordine XXXVII. à confirmato fermè XX. qui eo viuo maxima incrementa fecit, & in multa cœnobia paſſim extructa diſtributus eſt.

*Moritur nonagenarius.*

Per idem tempus ſolitariam agebat vitam non longè ab ipſo Montis Fani cœnobio, Ioannes dictus à Cella Ordinis viri ſancti, vir magna religione, morumque ſanctitate. In eadem ipſa hora, qua Syluester obiit, vidit Angelorum choros è cœlo delapſos, qui mirabili quadam ratione, virum circumquaque colluſtrantes, ad cœnobium deſcenderent, ac fælicem Chriſti confeſſoris animam in cælum cum gaudio, & gratulatione deferrent. Ille tanta patris ſui gloria lætatus, præ gaudio lacrymas fundere, & ſummas Deo gratias agere, verumtamen, quæ huius erat beati Anachoretæ modeſtia, non niſi ad ſuum obitum rei ſeriem patefecit. Alius etiam frater ſancti viri animam ab Angelis in cælum deferri conſpexit. Alter etiam abſens vidit totum montem Fanum & cœnobium quaſi ardentibus faculis collucere. Tanta autem ſuauiſſimi odoris fragantia vniuerſa domus conſperſa eſt, cum ſancti viri corpus exenteraretur, quantam nemo vnquam mortalium facilè ſuſpicetur. Quo die corpus humatum eſt, monialis quædam exequiis intererat, & per ſummam induſtriam occaſione arrepta, particulam pellicei ſiniſtri pedis clanculum abſcidit, abſciſſionem ilicò mira vis ſanguinis conſequuta eſt. Illa metu perterrita, ignara conſilij aufugit, mox audaciam incuſans rem totam patefecit, excepta narratio ſumma omnium acclamatione, Syluestri laudes extollentium, atque ita demum ſancti viri corpuſculum honorificè ſepulturæ traditum eſt, cuius egregia virtus, morumque ſanctitas, multis ac magnis paſſim miraculis illuſtrata eſt. Nam & cæcis viſus, & ſurdis auditus, & claudis greſſus, & variis morbis laborantibus ſalus reſtituta, & à malo dæmone oppreſſi, Dei beneficio, Syluestrique meritis, ad eius tumulum liberati.

*Angeli in eius morte viſi.*

*Frater quidã videt eius animam ab Angelis in cælum deferri.*

*E ſacro eius corpore odor ſuauiſſimus manat.*

*Emortuo corpore copiosè fluit ſanguis.*

*Multa miracula ad eius ſepulchrum.*

### *NOTÆ.*

Patet Picenus ager.] *Eſt Picenum Regio Italiæ, à Pico Martio aue dicta, cuius ductu & auſpicio, Sabini cum Aſculum proficiſcerentur, in vexillo eorum picus conſederit. Nam ſicut Strabo lib.5. ſcribit. Conditores Picentium è Sabinorum terra profecti ſunt, à quibus orti ſunt. Picenum quondam vberrimæ fuit multitudinis. Nam trecenta & ſexaginta millia Picentium in fidem Romani populi venere. Ea nunc Marchia Anconitana dicitur. Vide Iac. de Ianua.*

Syluester.] *De quo Martyrologium Rom. cum Baronio in Notis 26. Nouembris. Meminit eiuſdem Vuionius tom. 2. Ligni Vitæ. Floruit anno Domini 1200. Eius vitam compendioſius ſcriptam, ex Breuiario Monaſtico ſuprà lib.4. deſcripſimus, cum iſta ad meam notitiam nondum perueniſſent. Multa ibi annotauimus, quæ non eſt neceſſe repetere.*

*Finis Appendicis ad Vitas Patrum Occidentis.*



# LECTORI.

*CVM ſequentes Sanctorum Vitas ad ſecundam editionem reſeruarem, eo quod tardiùs poſt impreſſionem voluminis aduenerint: conſilium grauiſſimorum doctorum fuit, vt hic ad maiorem tuam conſolationem, & ædificationem ſubnecterentur. Omnia igitur æqui bonique conſulas, & iuſto meo dolori ignoſcas velim. Vale.*

## *VITA B. IOANNIS INCLVSI.*
### *Ex D. Gregorio Turonenſi. De gloria Confeſſorum. cap. 23.*

*Habetur de gloria Conf. cap.23.*

IOANNES Presbyter, natione Britto, in ſumma religione degens, per cuius manus Dominus multa ſigna ſanitatum dignatus eſt operari. Qui ob amorẽ diuinum ab aſpectibus ſe hominum cohibens, paruulã oratorij cellulam ante ipſam Cainonenſis vici Eccleſiã, ædificauit ibique in viridariolo quod manu propria excolebat, lauros arbores plantauerat, quæ nunc vaſtis columnarum fomitibus iucundarum frondium amœnitate tenduntur. Sub quarum vmbraculo vir ſanctus conſidens, aut legebat aliquid, aut ſcribebat. Cuius poſt obitum, cum arbores illæ, vt diximus, patulæ diffuſæ ramis obumbrarent locum viridarij, vna ex his vetuſtate ſeneſcens exaruit. Tunc cuſtos loci effoſſa cum radicibus columna, inciſis ipſis cum ramis ſuis, ſcamnum adaptat. In quo interdum aut reſideret laſſus, aut aliquid ſecurè decideret, cum neceſſitas exegiſſet. Quod cum per duos annos aut ferè amplius, ſcamnum in hoc vſu habuiſſet, tactus (vt credo) inſpiratione diuina, dolore cordis ait: Væ mihi quia peccaui, vt arbor quam talis ſacerdos propria manu plantauit, ego ad diuerſas neceſſitatum vtar ſeſſiones. Et hæc dicens, accepto ſarculo, effoſſa humo, & inciſis ſcamni pedibus, poſuit ipſum ſub terra, repleuitque foſſam humo. Mirum dictu, adueniente verno tempore, ſicut reliquæ arbores floreſcũt, ita & hæc columna, quæ viri manu, vt ita dixerim, ſepulta fuerat, rediuiua in ſoſpitate vireſcens, nouas frondes emiſit. Extant de ea hodie quoque virgulta in quinum ſenumque, aut ferè amplius pedum altitudine, quæ annis ſingulis incrementum ſumentia à Domino ſubleuantur.

*Habet gratiã ſanitatum B. Ioannes.*

*Viuit ſolitarius.*

*Lignum dudum plantatum à S. ſed poſtea præciſũ & effoſſum, miraculosè frondeſcit.*

## *VITA S. PAPPVLÆ VIRGINIS.*
### *Ex D. Gregorio Turonenſi. De gloria Confeſſorum. cap. 16.*

*Habetur de gloria Cõfeſſ. cap.16.*

FVIT beata Pappula valde Religioſa, quæ cum ſæpius à parentibus flagitaret ſe in Monaſterio locari puellarum, eo quod in domo parentum, curis ſeculi impendentibus, Deo ſeruire non poſſet, & illi præ amore nollent eam à ſe ſeparari, totondit comam capitis ſui, indutaque virili habitu, Turonicam diœceſim adiens, in congregationem ſe contulit Monachorum: ibique in ieiuniis, orationibuſque degens, virtutibus deinceps multis emicuit. Erat enim tanquam vir inter viros, nec vlli erat cognitus ſexus eius. Parentes autem requirentes eam, nunquam eam reperire potuerunt.

*S. Pappula à teneris annis valde Religioſa.*

*Prohibita à parẽtibus ingredi Monaſterium, ſibi capillos præſcindit, & habitu virili aſſumpto, ad Monaſterium virorum conuolat.*

Interim Abbate Monaſterij ad quod venerat defuncto, Monachi propter virtutes aſſiduas, hanc eligunt, ignorantes ſexum: quod illa totis viribus renuit. Triginta autem annos in Monaſterio fuit à nullo agnita quid eſſet. Ante tertium autem diem quàm ab hoc mundo migraret, id Monachis patefecit, & ſic defuncta, ab aliis mulieribus abluta, ſepulta eſt, multis ſe deinceps virtutibus manifeſtans eſſe ancillam Dei. Nam & frigoritici, & aliis morbis oppreſſi, ſæpe ad eius tumulum ſanitati redduntur.

*Per ſpatium 30. annorum viuit incognita inter Monachos.*

*Poſt mortem claret miraculis.*

## *VITA S. GEORGIÆ VIRGINIS.*
### *Ex D. Gregorio Turonenſi. De gloria Confeſſorum. cap. 34.*

*Habetur de gloria Cõfeſſ. cap. 34.*

FERTVR fuiſſe in ea vrbe (ſcilicet Aruernica) puella quædam Religioſa atque deuota Deo, quæ in rure commanens, quo ab vrbica populatione ſummota liberius dignas Deo laudum hoſtias exhiberet. Quotidie autem ieiuniis, & orationibus inſiſtebat. Factum eſt igitur vt migrans ab hoc mundo, ad baſilicã oppidi cauſa ſepeliendi portaretur. Verũ vbi leuato feretro corpus per viam ferri cœpiſſet: adueniens grex magnus columbarum, ſuper eam volare cœpit: atque illuc volitando ſequi quo hæc à proximis ferebatur. Qua in baſilicam delata, grex totus ſuper tectũ ædis ipſius viſus eſt cõſediſſe. Illaque ſepulta, ad cælos euolauere columbæ. Vnde non immeritò Georgia nuncupata eſt, quæ ſic exercuit mentem cultura ſpiritali, vt adepto virginitatis ſexageſimi fructus prouentu, egrediens de ſeculo, cæleſtibus honoraretur exequiis.

*S. Georgia viuit ſolitaria.*

*Grex magnus Columbarum S. Virginis corpus ad ſepulchrum comitatur.*

### *NOTÆ*

Georgia.] *De qua Mart. Rom. cum Bar. Eius vitam ſupra lib. 2. deſcripſimus, multaque annotauimus, attamen irrepſit error, cum loco Aruernicæ ciuitatis, poſita ſit Turonica. Plura de eadem Sauaro in Antiquit. Aruerniæ, aliàs Claromont. vbi eius Epitaphium apponit, quod hic etiam apponere libet.*

*Hoc iacet in tumulo ſacrata Georgia Chriſti,*
*Et deuota bonis, mente, fide, merito.*
*Ob quam magna patrem premeret cùm turba precorum,*
*Illa Deum legit fæliciore thoro.*

LLI *VITA*

A

Habetur de gloria Confess.cap.86.

## VITA S. DESIDERATI INCLVSI.

### Ex D. Gregorio Turonensi. De gloria Confessorum. cap. 86.

IN hac vrbe (scilicet Cabilonensi) fuit Desideratus Presbyter, quem ego apud Monasterium Gurthonense vidi, virum sanctitate magnificum, qui sæpius frigoriticis, dolore dentium laborantibus, aliisque morbis, orando finem imposuit. Nam vsquequaq; reclusus erat, hoc est nõ egrediebatur è cellula, sed qui voluisset, videbat eum in cellula.

S. Desideratus Incluſus habet gratiã ſanitatum.

Hic (vt diximus) eximiis illustratus virtutibus emicuit seculo. Quod audiens benedictus Agricola Episcopus, misit Archidiaconum suum, vt beatum vrbis cœmeterio deferret. Sed resistentibus Monachis, quod iussus fuerat non impleuit. Post hęc ædificato Xenodochio leprosorum Sacerdos suburbano in eius basilicam collectis Abbatibus, & omni Clero, beatum corpus transtulit, & in basilica superius memorata summo studio sepeliuit, qui se nunc viuere cum Christo magnis virtutibus manifestat.

Agricola Epiſc. Cabilon. vult trãsferre corpus S. viri, ſed Monachi reclamant.

B

### NOTÆ.

Desideratus.] *Cuius vitam suprà lib. 3. descripsimus, vbi & multa annotauimus, sed pro Monasterio Gordonienſi, legendum Gurthonenſi, vulgò* de Gourdon.

In vrbe Cabilonensi.] *Est celebris ciuitas Galliæ, vulgò dicta* Chalons.

C

Habetur de gloria Confeſſ.c.97.

## MIRACVLVM DE RELIQVIIS S. Hospitij Inclusi. EX D. Gregorio Turon. De gloria Confessorum. cap. 97.

S. Hoſpitius vixit incluſus.

VIT in regione Nicien si Hospitius magnus Dei famulus, qui multis virtutibus præditus, ab hoc mundo migrauit. Cumque sepeliretur, quidam iuxta ipsum sepulchrum manum ponens, parumper pulueris eleuauit. Quod in linteo inuolues rudi, secum sustulit. Progressusque postridie, nauem quæ Massiliam ire parabat, offendit in littore, sed hic Lerinense Monasterium expetere cupiebat. Viri igitur quorum erat nauis, Iudaica erant à stirpe progeniti. Qua existente causa, noluit vir indicare naucleris quæ ferebat.

D

Quidam habens modicũ pulueris de ſepulchro viri Dei nauigans, diuinitus detinetur.

Denique postquam progressi, contra Lerinense Monasterium deuenerunt, nauis in medio pelagi restitit. Plantibusque ventis nulla mouetur in parte, stupentibus verò Iudæis, quid hoc esset, homo ille veritatem aperuit dicens: Reliquias beati Hospitij mecum habeo, & nunc Lerinum adire desidero, quod vobis indicare metui. Nunc autem scio, quia eius virtute retinetur nauis vestra. Nec hinc moueri prorsus poterit nisi consensum illum præbeatis, quo ego ire disposui. Quod audientes viri, stupore permoti, mutatis velis, flante vento secundo, iam viso in Insula Lerinensi depositio, quo voluerunt liberè abierunt.

E

### NOTÆ.

In regione Nicien si.] *Hanc ciuitatem quidam volunt esse eam quæ in Sabaudia sita est, vulgò* Nissy. *Sed manifestè falluntur. Nam Nicienſis ciuitas quæ hic memoratur vulgò dicitur* Nisse en Prouence.

Hospitius.] *Cuius vitam suprà lib. 2. descripsimus.*

Habetur de gloria Confeſſ.c.103.

## VITA S. IVNIANI INCLVSI.

### Ex D. Gregorio Turonensi. De gloria Confeſſ. cap. 103.

S. Iunianus claret miraculis.

FVIT & Iunianus reclusus intra Lemouicinæ vrbis territorium, qui viuens multa populis ostendit miracula. Sed nunc ad sepulchrum eius sæpe morbi curantur. Nam vidi multos, quos dinumerare putaui longum, qui cæcis oculis, eo perducti lumen receperunt, paralyticique directi sunt. Testisque est ipse populus hodieque, qui cum sanitatem recipiunt, statim se tributarios loco illi faciunt, ac recurrente circulo anni pro redditæ sanitatis gratia tributa dissoluũt. Ex quibus plurimi sunt qui ad basilicam S. Martini nostri Antistis pertinere videntur.

Concurſus ad eius ſepulchrum.

### NOTÆ.

Fuit & Iunianus.] *Cuius vitam hactenus incognitam, & nunquam typis excusam suprà lib. 4. descripsimus. Sed quæ nunc scribimus, ad meam notitiam nondum peruenerant. Vnde ad maius sanctitatis eius testimonium, ea hic inferere necessarium putaui.*

Intra Lemouicinæ vrbis territorium.] *Hæc vulgò dicitur* Limoges.

Habetur tom. 1. Rerũ Alamãnicarum.

## VITA S. VVIBORADÆ VIRGINIS Inclusæ & Martyris. Ex ea quam scripsit Hepidannus Monachus S. Galli.

Patria & clari natales S. Vviboradæ.

BEATA Dei Virgo Vviborada ex Alamannorum prosapia oriunda à parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, secundum autem Christianam libertatem nobilissimis, originem duxit. Conuenienter autem B. Virgini tam laudabile nomen fuit impositũ. Nam Vviborada, Theutonica locutione prolatum, mulierum consilium sonat. Laudabile inquam est nomen B. Vviboradæ, quia cum Martha vitam actiuam agendo, & cum Maria speculatiuam omnibus piè viuentibus, viris, ac mulieribus consilium vtriusque dilectionis perfectionem exequendi in se exhibuit.

Vviborada nominis etymologia.

Congruum videtur, lectioni inferere, quod huic B. Virgini erat soror summa innocentia vitam ducens. Quam cum quadam die eius coætaneæ secũ ad chorum exire hortarentur, illa post alta suspiria sic erupit in vocem. Quæ delectatio huius seculi potest mihi dulcis esse, quæ audio Angelicos choros dulcisonæ modulationis frequentare harmoniam? Illuc ire desidero, his choris intermisceri delector. Post paucos verò dies carne soluta est, quia Deus propter hõc properauit eam educere de medio iniquitatum, quia placita ei erat anima illius.

Soror S. Vviboradæ audit concentum Angelorum.

B. igitur Vviborada omnimodis petulantiam execrans, in tantum studuit diuinum præceptum implere, vt penè quotidie omnibus postpositis nudipes ad Ecclesiam, quæ longè à domo paterna distabat, gradiens, primum quæreret regnum Dei, & iustitiam eius, & postea operibus manuum suarum se irretiret. Quadam celebri festiuitate cum parentes eius ad Ecclesiam processuri decentius solito ornarentur, illa sciens Deum magis delectari in puritate cordis quàm in vestium nitore, noluit priuati consuetudinem vestitus mutare. Sed parentes eius more secularium occasionem improperij fugien

S. Vviborada pietas in adoleſcentia.



fugientes (nam sicut in patre filia, ita & in filia pater honoratur) iusserunt eam desistere cœptis. Quorum iussioni honorem deferens, decoris amicta vestimentis, capitalibusque compta redimiculis, iter cum eis aggressa est. Pergentibus autem illis, virgo caput grauiter dolere cœpit. Confestim verò sentiens per spiritum se diuina visitatione commonitam, equi cui insidebat descendendo releuans tristrum, cum omni vittatoria compositione detrahens, nunquam deinceps huiusmodi ornamentis vsa est. Cumque comites vt equum reascenderet hortarentur, penitus non consensit, sed pedestri itinere vsque ad Ecclesiam peruenit.

Ob capitis dolorem ſibi diuinitus immiſſum, omne faſtum & cõpoſitionẽ muliebrem deponit & reſpuit.

Habebat hæc virgo fratrem nomine Hittonem in Monasterio S. Galli in scholis agentem, qui ad Presbyteri gradum promotus, studuit sine crimine viuere, atque vnius vxoris vir esse, id est, Ecclesiæ. Cumque septies in die laudem dicturus Deo frequentaret psalmodiam, ardentius beata virgo cœpit ei insistere, vt etiam se catechizaret verbo. Cuius desiderio se satisfacturum spondens, in ipsa inchoatione feruebat in erudiendo, sed studium eius paulatim tepescens, ad vltimum refrigerauit. Cum ecce quadam nocte per visionem correptus in abstinentia cibi præcipitur esse, donec sororem suam psalmum quinquagesimum edoceret. Nã anteriores ab illo edocta, iste solus de quinquaginta supererat. Quid plura? De nocte surrexit, ac sororem accersiuit, visum aperuit, seque paratum ad erudiẽdum innotuit. Quinquaginta igitur psalmis ita carptim à fratre perceptis, reliquos S. Spiritus magisterio didicit.

In viſione correptus, cũ deſiſteret ſororẽ inſtruere.

In Dominica die ordientis quadragesimæ cum prædictus sacerdos Missarum solemnia celebraturus conquestus esset, sibi deesse adiutorẽ, consolans eum B. virgo ait: Confide de adiutorio altissimi, & ipse te adiuuans tecum commorabitur. Virginis igitur credens promissioni, processit, & spirituale officium inchoauit, cum quo ipsa ita auctoraliter psallere cœpit, vt in scientia eorum; quæ inibi cantabantur, nequaquam inferior esse videretur sacerdote. Sacerdos autem, & vniuersa circunstans concio, ista audientes, post non modicam admirationem glorificabant Deum, eius possibilitati hæc ascribentes. Processu temporis hæc sancta Virgo prædictum fratrem suis exhortationibus ad vitam Monasticam attraxit, & in Monasterio Sancti Galli sanctæ conuersationis habitum sumpsit.

Adiuuant fratrem in Miſſarum celebratione.

Fratrem ſuũ prædictũ attrahit ad Monaſticam vitam.

Venerabilis igitur Virgo post conuersionem fratris nihil credens actum, si non & illa augeret propositum, vocatis duabus de domesticis suis, quæ sibi fidæ præ cæteris videbantur, denudauit eis voluntatem suam, quod neque ita delicioſis vti prius vltra vellet refici alimentis, neque in plumis pensilibus quiescere, & tamen hæc omnia non minus sumptuosè parari, quam si & ipsa eis vellet vti. Quæ voluntariè obsequentes præceptis Dominæ, olera siue legumina vna cum carne mensæ superponunt. Illa verò interdum carnem ori admouens, os, & populum putantem eam carnibus vti fefellit, nempe clanculo reiecit, & post paululum quasi præ saturitate fastidiens, pauperibus, vel adstantibus erogauit. Similiter & eius lectus ornatè parabatur ad præsens, sed post minus secretorum absceſſionem iussit sibi cilicium substerni, silice capiti supposito, & ita paululum pausans, cum quies esset gratissima mortalibus, surrexit, & clam basilicam intrans, Dominum pro delictis suis humiliter geniculans deprecata est. Sæpe virtutum

Viuit auſteriſſimè in paterna domo.

infectator diabolus eam ad basilicam gradientem, conatus est deterrere, modo ante valuas Ecclesiæ veluti scropha grunniens, interdum in oratione iacenti in figura ranæ ante oculos eius repens. Sed illa fidei clypeo præmunita, & gladio spiritus, quod est verbum Dei, armata, omnem virtutem inimici effugauit.

Fruſtra eam diabolus terrere conatur ad baſilicam ingredientem.

Cum hæc quotidie indefessè agerentur, & fama eius conuersationis passim diuulgaretur, quædam prædiues matrona illius sanctitate rescita, quendam de suis seruientibus malignis spiritibus obsessum ad eam transmiserat, quatenus eius meritis opitulantibus sanitati restitueretur. Illa verò per inuocationem nominis Iesu Christi exclusis dæmonibus, fecit eum repatriare incolumem.

A quodã obſeſſo inuocato Chriſti nomine fugat dæmonium.

Diabolus autem fremens se ex alieno mancipio à beata Vviborada expulsum, zelo vltionis in ipsam armatur. Itaque cum iam cognouisset, per diuersos terrores à se illatos frequẽtiam orationum eius non rarescere, nisus est eandem frequentiam orationum eius macula infamiæ obuoluere, concitans aduersus eam quandam ex ipsis ancillis, quæ affirmaret eam non causa orationis clam per singulas noctes surgere, sed potius vt nefaria, quæ sub sole erubuisset agere, nocturna freta caligine securius perageret, & hoc verbum quod iret oratum, quasi deaurationem esse eius scelerum, quæ & cum tam multis exercuisset vt sibi videretur impossibile eos calculo comprehendere, super his tacendum esse, si immunis existeret pollutione fraterni concubitus. Hæc illa circumquaque incessabiliter latrante, & quibusdam ficta esse dicentibus, aliis verò humanam fragilitatem culpantibus, peruenit fama ad aures Salomonis Constãtiensis Episcopi. Quid opus est verbis? Sistitur præsuli vice mæchæ sponsa Christi, criminatur pro innumero adulterio, diffamatur fratris esse concubina, fraternæ castitatis consiliaria. Episcopus autem volens dubietati finem imponere, statuit ei diem in qua de sibi obiectis cum Dei iudicio, dubitanti populo fidem faceret. Conueniente autem cum Episcopo ad præfinitum diem copiosa multitudine, omnipotens Deus omnibus ita liquidò eius innocentiam comprobauit, vt incredibili lætitia tripudiantes illi geminarent grates. Cumque ei à Præsule daretur optio, quali pœna plecteretur inficiatrix, respondit. Deo vindictam, ipse ei retribuet.

Adulterij infamia diabolo ſuadente, ipſi à quadã famula impingitur.

His ita transactis, infœlix quam prælibaui seruua, sciens finem esse suis mendaciis apud socios virginis innocentiæ, pergens vltra lacum Potamicum, omnibus turpissimè vt potuit de illa loquebatur. Atque cum eius ficta credibiliora viderentur, solita erat subinferre se ab Vviborada ob aliam causam non esse expulsam, nisi vt ab eius increpationibus pro illicitis quieta foret. Sed Deus omnipotens sibi deputatam vindictam non diu differens, sicut prius per iudicium comprobauit virginis innocentiam: ita etiam postea manifestauit per inficiatricis amentiam. Nam cuidam malefico spe fœlicis coniugij se supponens, non post multum temporis cœpit diabolizare, & ita vagata est circumquaque, donec in nimiam pauperiem delapsa est, & sic de morte transmigrauit in mortem. Prædictus autem Constantiensis Episcopus post agnitionem innocentiæ B. Vviboradæ eam valde dilexit, & eam ad se accersiuit, vt eam alicui congregationi sanctimonialium insereret.

Vltio diuina in calumniatricem ancillam.

Eodem tempore fuit ibi quædam inclusa, nomine Cilia, corpore, non mente inclusa, quia nondum in se mortificauit philargyriam, quæ est radix

omnium malorum. Quam expetens beata virgo, atque spiritualem matrem esse existimans, petiuit vt de bono thesauro cordis sui dignaretur eructare verbum bonum. Cuius petitionem non solum promissionis verba sunt subsecuta, verum etiam quadam die iterum adest vltro vocata, promissionis solutione gauisura. At illa aperta fenestra, post mutuam salutationem infit. Incedis soror chara forinsecus in vestimentis ouium, sed nostrum est, ait Apostolus, probare spiritum si ex Deo sit, antequam tibi ad exemplum nudentur secreta nostræ conuersationis. Obedientia sine mora primus humilitatis gradus est, & sine hac nemo potest Deo dignè seruire, nam & victimis præfertur. Per huius impositionem in primis te volo probare, & proferens loculum cum nummis dixit: Accipe soror hos nummos, quos mihi ad eleemosynam à multis oblatos vsque huc seruaui, & hic diuitibus vrbanis mutuum da ad tempus quando eos recipias cum vsura. At illa valdè obstupescens, inquit, tale præceptum interrogans prophera super perfectionem habitantium in tabernaculo Dei non accepit, aut requiescentium in monte sancto eius. Apostolus quoque vsurariis, siue dicam auaris, minatur non esse partem in regno Christi & Dei, hosque non semel nominat seruitores idolorum, quorum consortium longè sit à me. Etiam incautum foret me hoc aggredi, cum nesciam de tot talentis hemisseclas, vel obolos obseruare. Huiusmodi enim negotium nunquam gessi: nam captatoribus, & fœneratoribus notius est tale negotium, his trade hanc pecuniam. Illa verò vt eius intentionem collegit, dixit:

*Cilia inclusa dolus, & malitia notabilis.*

*——Percussa maligne*
*Respondet viridi non cocta fidelia limo.*

Crede mihi, conuersatio tua inutilis est sine obedientia, perdis labores. His dictis fecerunt discidium.

*Inuidia Cilia inclusa cõtra S. Virginem.*

At Cilia inuidiosè tumens cõtra Virginem propter eius inobedientiam, simul verita sibi decrescere quæstum, si diu ibi moraretur, demandauit Episcopo, quod vellet cum illo secreta verba miscere. Quo adueniente, postquam semotis cæteris, multa perfidè quasi fideliter de Virgine locuta est, etiam hanc sententiam subintulit: Compertam habeo vestram spiritualem voluntatem erga eandem puellam, quod eam si vobis occasio datur vultis inserere alicubi choro sanctimonialium, quatenus tuta à mundiali fluctuatione liberius in Dei seruitio possit durare; ad hoc etiam rescitum habeo vestrũ iter Linthaugiam. Eo loci, si vos non alias trahit voluntas, consiliarem eius insertionem, tũ quod conuersatio ibi valdè spiritalis est, tum quod promptior ei illic pateret ingressus, ibi omnia vestro nutui parebunt. Præsul autem hæc de radice dilectionis procedere antumans, lætus effectus est, & præcipiens ratem armare, misit quendam de suis seruientibus B. virgini intimandum, vt sibi ad nauim eunti expedita foret ad nauigandum secum ad prædictam insulam. Sed illa antequam Episcopalis legatio venisset, ingressa basilicam oratura prosternitur coram quodam altari in honorem S. Galli consecrato, & sicut fuit voluntas Dei, inter preces obdormiuit, & vidit oraculum, necnon somnium, beatum virum sibi vas sanguinolentum porrigentem, multis spurcitiis plenum, dicentemque sibi, si ad locum, ad quem Episcopus te ducere cupit, perueneris, hunc sordidum victum manducabis, & sanguine Kerbirgæ recluſæ ibi inebriaberis.

*Videt in visu S. Gallum B. Virgo Vuiborada porrigentem sibi vas sanguinolentum.*

Cumque euigilasset, & secum miraretur de somnio, offendit eam legatus in admiratione. Qui cum deposuisset ei mandata Præsulis, non respondit ei nec ad vnum verbum, sed dimisit illum abire sine affatu. Super quæ admirans Episcopus, cum didicisset, misit alium, & iterum alium Virgine in eadem taciturnitate permanente. Episcopus autem continuo cogitans ei aliquid reuelatum esse, nauigationem suam peregit, & ad vrbem Deo gubernante ipsa die prosperè rediit. Cumque ad cœnã discumberet, non est oblitus prioris cõsuetudinis, sed omnia necessaria in cibis, & in potibus venerabili puellæ direxit, Cilia iam tum penitus obliuioni tradita. Nam eius res exinde ita retrò cœperunt vergere, vt post aliqua annorum curricula, pelle eius simulatæ sanctitatis detracta etiam de clausula eliminaretur, proculdubio nutu Dei, nolentis scilicet se à suis fidelibus diutius in idolorum seruitute glorificari.

*Hyprocrisis Cilia inclusæ cognoscitur, & ipsa tandè de Inclusorio expellitur.*

Exactis autem paucis diebus idem Præsul ad cœnobium S. Galli profecturus, misit ad interrogandũ sæpe dictam puellam, si secum proficisci vellet. At illa statim ingenti perfusa gaudio, cum duabus ancillis ad nauim properat. Igitur vento secundante nauigium celeriter littus attingit optatum. Episcopus verò veniens ad Monasterium, à fratribus honorificè susceptus est, B. etiam virgo eum pedestri itinere tractim prosequens, & ad locum circa solis occasum peruenies, ab Episcopo, necnon ab omni congregatione benignè suscepta est. Beniuolus autem Pontifex etsi non ex toto voluntatem suam erga eam perfecit, (nam prælibata visio eam inserere sanctimonialibus eum non permisit) tamen ne eius voluntas penitus careret effectu, iussit ei domicilium iuxta basilicam S. Georgij Martyris parari, vbi posset secretè conuersari. Per quatuor igitur annos ibi in magna vitæ austeritate mansit.

*Includitur S. Vviborada in quadam cella, vbi vixit austerissimè.*

Quadam autem nocte iacenti in oratione, vidit sibi quandam personam Angelicæ visionis assistere, non sine magna claritate, quæ illam obambulans primum vigesimi Psalmi primi versiculum tribus vicibus dulci modulatione decantauit, moxque eadem claritate qua venerat abscessit. At illi cogitanti de visione venit ei in memoriam, quod hunc Psalmum prius consueuerat ad cursus decantare, & quod hanc consuetudinem tam diu obliuioni tradidit. Tunc agens pœnitentiam de obliuione, correxit in melius, quod ignoranter dereliquit.

*In oratione posita videt, & audit Angelum primũ versum 21. Psalmi decantare.*

Sed spes B. Vviboradæ secretè conuersandi apud cellam supradicti Martyris non diu erat spes, quia vndique ad eius sanctitatem confluxerant, corporis necessaria ei deferentes, & corpori & animæ salubria ab illa recipientes. De quibus partim destinauit ad pauperum refectionem, partim verò ad deuotarum mulierum susceptionem, quæ ad illam annuatim venire consueuerant, & in spirituali tripudio panem frangere. Quam charitatem quædam opulentior cæteris opprobrio egestatis ascribens, dedignata est ad eam insequenti anno venire, dicens se eius fragmentorum non esse indigam. De cuius absentia cum cæteræ mœstæ fuissent, beata Virgo consolans eas dixit: Consolamini sorores, veniet enim dies quando libenter aduenire, si posse ei non deesset. Igitur iuxta verbum eius in lectum decidens, cum ægritudo inualescens redigeret eam in desperationem vitæ, confessa est marito suo, quid contra beatam Virginem dixerat, optans vt eius obtutibus præsentaretur.

*Mulier quædam panem à B. Vuiborada susceptere recusãs, morbo corripitur.*

Cuius



Cuius votis maritus annuens, detulit eam illuc. At virgo illius contumaciam redarguens, benedicens panem dedit ei, quo degustato extemplo conualuit, atque lætabunda cum gratiarum actione, repatriauit.

*Beatum cognoscens salutis.*

Euolutis verò penè quatuor annorum circulis, prædictus Constantiensis Præsul ad cœnobium S. Galli venit. B. autem Vviborada, quæ cum Martha iam diu stetit in actiua vita laboriosè decertans, iuxta pedes Domini cum Maria residere cupiens, postulauit ab eo sibi domicilium alterari, & vt breuiter eius desiderium prosequar, secretum clausulæ concupiuit. Qui studens omnibus modis ei morigerare, iussit ei desideratum domiciliũ prope basilicam S. Magni construi, atque in sacrosancto die Pentecostes copiosa multitudine cum diuinis laudibus prosequente, deuotis precibus Deo commendatam, sanctisque benedictionibus consignatam includens abscessit. Igitur omnibus cum Episcopo abscedentibus, virgo Dei cogitans se locum certaminis ingressam, diuina adminicula mox oratura prosternitur. Quod fuit probabile inceptum, & memoriale exemplum dimicaturis contra versutias antiqui hostis. Inimicus autem humanæ salutis, sperans se non parum promouere, si nouiter incluſam terroribus initiaret, proiecit ante eam inter preces caput hominis ore hianti, oppido hispidum, atque vt succinctè eius deformitatem includam, simile fuit proiicienti. At illa immobilis in oratione persistens, atque vexillum Crucis in fronte figens, omnem phantasiam inimici effugauit.

*Relicta priori cellula solemniter includitur ab Episcopo Const. iuxta basilicã S. Magni.*

*Nouiter inclusam diabolus terrere nititur, sed frustra.*

Consuetudo fuit huic beatæ Virgini, ter in anno balneo vti, non tamen sine licentia Abbatis sui. Quadam autem die cum ei balneum in tyna paratum esset, repentè vinculis resilientibus, dissolutio tegularum aquis profluendi dedit locum. Super hac re cum eius serua nimis contristaretur, consolatoriè dixit ei beata Virgo, noli mœrore affici, sed expectemus misericordiam Domini. His dictis consignans semetipsam, & vas per S. Crucis impressionem, conglutinauit omnem eius dissolutionem. Quod vas non solum tunc, & deinceps quandiu in corpore vixit, ad vsus balnei vtile fuit: sed etiam post eius martyrium pro diuersis languoribus medicabile fuit, & est.

*Precibus S. Virginis vas confractum resungitur & consolidatur.*

Eodem tempore fuit in Monasterio Sancti Galli quidam adolescens nomine Vdalricus, cuius mores ibi extendit appositа regula disciplinæ. Is verò cum grauitatis senem in iuuenili flore virtutibus æmularetur, post discessum iam sæpe dicti Salomonis rogatus est à fratribus, vt Monachico habitu assumpto, nomen & curam pastoris eorum hæreditaret. At ille sciens omnia facienda esse cum consilio, beatam Vviboradam adiit, desiderium fratrum ipsi innotuit, seque si Dei voluntas esset, in omnibus velle obtemperare illorum votis. Illa autem trium dierum spatium petens, post horum expletionem, sic propheticè dixit: Nec Monachus, nec Abbas hic fies; quia omnipotens Deus in orientali plaga te Episcopum fieri prædestinauit. Multo enim tempore tuæ res ibi secundæ erunt. Tandem verò multa aduersa à paganis & malis Christianis passurus eris, sed in his omnibus superabis, & in magna trãquillitate deinceps dum viuis, tuum Episcopium reges: quæ omnia iuxta eius præsagium in eo completa esse liber gestorum ipsius euidenter attestatur.

*Salomon Cõstant. Episcopus.*

*B. Vdalricum futurũ Episcopum prænunciat.*

Presbyter quidam nomine Vvaltrammus, habuit quendam seruientem, quem frequenter ad beatam Vviboradam dirigere solebat. Contigit autem vt quadam die eo missus, fructum benedicti panis accepisset. Qui regrediens forsan non ita indigus, vt ille Ægyptius puer proditor Amalechitarum, eundem panem cuidam sibi occurrenti ita despectiuè dedit. Nec multum post à febre corripitur, atque in tanta detinebatur infirmitate, quod neque manducare, neque bibere suaue duxit, donec iterato beatæ Virgini præsentatus, benedictum panem accepit, & per huius degustationem, & f stidium cibi pepulit, & pristinam corporis incolumitatem recepit.

*Quidam acceptum panẽ benedictum à B. Vviborada, despectiuè illum occurrenti tradens, febre corripitur.*

Solebat autem beata Virgo quicquid de alimonia sibi supererat, totum pauperibus erogare. De quibus sibi specialem quendam eligens præcepit eum quotidie circa nonam secretius aduenire. Huius incessus ita laboriosus fuit, quod duobus baculis inter ascellas illum sustentantibus, non incongruè posset tibi in memoriam reuocare debilitatem Miphiboseth. Quadam itaque die diabolus in similitudine eiusdem pauperis, magno strepitu baculorum prædictam horam anteueniens, prostrauit se humi, tanta infirmitate dicens se laborare, quod nisi quam citò consuetam eleemosynam perciperet, sub eodem momento se extrema pati non incertum duceret. At illa vt in oratione iacuit, nullum prophano responsum dedit. Ille autem afflictum clamitans cum cognouisset se preces in ventum fundere, surrexit à tellure, atque caput æquans fenestellæ introspexit. At virgo se consignans, per oppositionem S. Crucis diabolicum phantasma esse probauit: nam ilicò nusquam comparuit. Etiam hoc ei magnam præstitit certitudinem, quod pauper iuxta consuetudinem suã circa horam nonam secretius aduenit consuetam eleemosynam patienter donec sibi daretur præstolans.

*Diabolus in similitudine cuiusdã pauperis, sanctæ virgini apparet.*

Quædam mœcha genitrix effecta, adiecit peccatum supra peccatum, infantem quem ex adulterio conceptum peperit, in riuarium demergens. Sed Deus omnipotens, quem magis delectat nostra conuersio, quam perditio, voluit hoc scelus ei ad salutem manifestari. Itaque plebs fidelium contra tale nephas zelo iustitiæ armata, decreuit eam ad stipitem ligatam cute priuari. Cogito plebem istam, cum * Caio Cæsare, de verberibus sensisse, cum tale nephas eorum vindicta audio ab illa punisse, & etiam priusquam vltima sententia imponeretur, quæ subiungitur, ad hoc etiam decretum est, vt circulum anni clauderet omnibus festiuis diebus passis crinibus, pedibusque nudis in atriis S. Magni stando, vt qui eius sceleris conscij cõtristabantur, illius pœnitentiam videntes consolarentur. Postquam autem circulũ anni in tali pœnitentia fideliter perstendo; clausit recogitans immanitatem reatus sui, eadem pœnitentia sponte sua tandiu se adhuc obligauit, donec B. Vviborada eam ad se vocauit, frenaque afflictionis iam laxanda esse indicauit, puerum in refrigerio esse.

** Salustius in Catilinario.*

*Mulierũ adultera & homicida pœnitentia.*

Quædam prænobilis puella nomine Rachilda, quæ etiam virginitate sua Deo dicata, in eius obsequio iugiter perdurabat, frigoretico morbo non modicè vexabatur. Quam cum parentes eius Romã deferre vellent spe recipiendæ sospitatis, demãdauit ei B. Vviborada, vt si vellet sanitatẽ recuperare, quantocyus ad eam veniret. Longè sit ab animis audientium Vviboradæ legationem omnis suspicio, quasi sperantem puellam ab Apostolica potestate salutem sub quadam æquiparatione in potestate curationum ab itinere retraxisse, cum longè

aliam eius intentionem fuisse sequentia diligenter inspecta declarent. At illa hac legatione gausa impleuit sibi mandata. Postquam autem ventum est ad oscula, S. Vviborada infit: Benedictus Dominus, qui te diu desideratam huc transmisit sibi ad seruitium, & nobis ad solatium. Postea inibi morata infra paucos dies, non ex parte sanitatem recepit: atque cuncta quæ spiritualis mater eam docuit, pro posse omnia perfecit.

*Rachilda virgo infirma precibus Sanctæ Vviboradæ sanatur.*

*Buchardus Dux Alamannorum belli mouet aduersus Henricū Imperatorem.*

Iisdem diebus Burchardo Duce Alamannorum bella gerente, populis etiam inter se dissidentibus propter Saxonicum Hericum Regem factum, cum militaris populatio grauem penuriam terris inferret, parentes B. Rachildæ metuentes eam ibi fame cruciari, voluerunt eam repatriare. Cumque se præsentarent B. Vviboradæ causa petendæ licentiæ, dixit eis: super hac re non tunc sibi esse respondendum, sed irent ad hospitia, & in crastinum conuenirent eam. Fecerūt ergo iuxta verbum eius, & dictum est illis, vt cum gaudio ad sua remearēt,

*Prædicit B. Rachildā reclusam fieri debere.*

Dei prædestinationē esse filiam eorū inibi subsistere. Monstrabatur illis ergo locus, qui ei à Domino ad clausulam deputatus esse dicebatur. Igitur illius præsagio non discredentes, iter arripiunt: nec longum tempus euolutum est inter parentum abscessionem, & filiæ inclusionem in eodem locello, quo sancta virgo præmonstrauerat.

*Tandem ingreditur B. Rachilda.*

Sæpe memorata B. Virgo Rachilda quodam tempore ægrotabat, & ex nimia infirmitate, in desperatione vitæ præsentis iacuit: S. verò Vviborada corrogata, vni ex domesticis tradidit baculum suum, & huiusmodi mandata: Defer illum spirituali filiæ meæ, & dic ei vt tripedem imitans senectutem veniat ad me. Cumque ministra exequeretur præcepta Dominæ, B. Rachilda extensa manu suscepit baculum, atque in ipsa susceptione con-

*Solo tactu baculi S. Vviborade, B. Rachildæ sanitatē recipit.*

ualuit, confestimque surgens B. Vviboradæ se præsentauit. Vviborada autem benedictione præmissa, salutauit amicè venientem Rachildam, edocens illam quod fides eius & obedientia eam alleuiassent. Postquam verò multa spiritualia loquutæ sunt, cœpit B. Rachilda flagitare eundem baculum sibi condonari à matre, quatenus pro eius amore eum seruaret, quoad vsque viueret. Quo impetrato, necnon vsque ad finem vitæ conseruato, post obitum suum, sepulchro piæ matris eum restitui disposuit.

Cum autem omnipotens Deus Virginem suam iam diu bonum certamen certantem per palmam martyrij vellet cursum consummare, quadam meridie ei ex more vacanti psalmodiæ, psalterium vltrò se complicuit. Res admiratione digna, super quod faciem aliquantisper inclinans, gelido sopore fuso per artus, paululum obdormiuit. Hac tenui pausatione diuinitus ei reuelatum est, sequenti anno Hungaros Alamannia vastata in Calendis Maij cellam S. Galli inuasuros, seque eisdem vulnerantibus vltima fata passuram. Euigilans autem nimis fluctuare cœpit de visione, vtrum propalanda foret, an non. Accersito autem quodam Monacho nomine Vvaltrammo prouectæ ætatis viro, denudauit ei omnem visionem vsque ad martyriū, & quomodo fluctuaret vtrum occulenda foret, vel propalanda. Ille vt rem per totum collegit, post aliquantulam deliberationem, censuit tam commune periculum nequaquam esse celandum. Quod cum Abbas resciuisset ad eam perrexit, cui illa consilium dedit de exteriorum, videlicet Ecclesiasticarum, domesticarumque rerum procuratione. Cum autem rogaretur B. Virgo vt egressa de clausula, ad tutiora loca se pateretur transferri, quoadusque paganorum furor pertransiret, omnino renuit, sciens pro certo palmam martyrij sibi reseruatam esse. Tunc venerabilis pater admirans eius constantiam cōmendans se illius precibus, ad claustrum rediit. Cum autem haberet quandam munitionem vnius milliarij à Monasterio, in hac se, suaque omnia præmuniuit.

*Diuinitus cognoscit Hungarorum aduentum S. Vviboradæ.*

*Recusat egredi de inclusorio non obstante incursione Barbarorum.*

Superuenerunt etiam parentes B. Rachildæ, volentes eam ad tutiora loca deducere, quos beata Vviberoda sic allocuta est. Nolite solliciti esse de filia mea, quia tempus eius nondum aduenit, sed adhuc per multa tempora vobis, aliisque multis ad solatium reseruabitur. Qui nihil hæsitantes in eius promissionibus, ad sua cum gaudio reuersi sunt. Quomodo ista referentio placuisset B. Rachildæ hæremus, quia fertur postea extimuisse martyrium, atque spiritualis matris ne pateretur imploraſſe auxilium, illamque quoddam membranum Dominica suspensione depictum ei dedisse, vt illud ibi expanderet vbi infirmanti aditus fuerat introeunti ad illam ancillæ, atque hoc munimine ab hostibus esset protecta.

*B. Rachilda pertimescens martyrium, à B. Vviborada imaginē Crucifixi accipit, & sic ab hostibus protegitur.*

Cum hæc agerentur iam tum non fama volabat per cellam de aduentu Hūgarorum, sed illorum rabies vndique eam circumsepserat. Mox ad prædandum cuneus dispergitur omnis. Extruuntur in basilicis pyræ, prorumpentesque in altum flammæ diuina virtute vix permittuntur offuscare laquearia, incenduntur altaria, sanctorumque reliquiæ ignium dominaturæ, ignibus traduntur. Tali vastatione basilicam S. Magni adeuntes, voluerunt & illam rogo extructo concremare: sed vbi diuina potentia eis resistente eorum voluntas caruit effectu: tunc auaritiæ suæ consultentes, cœperunt spe pecuniæ quæque secreta rimari, sicque rimando, ad vltimum ad oratorium Virginis deuenerunt. Quod vndique præmunitum esse comperientes, autumantes omnem thesaurum eo loci absconditum esse: diiectione tegularum sibi aditum parabant. Cumque introgressi essent, inuenerunt eā cilicio indutam, spiritum contribulatum Deo sacrificantem. Vtrum propter hoc quia noluisset secreta patriæ denudare, facerent, vel quod æstimarent eam eis aliquid officere in quærenda pecunia, ignoramus. Postquam ei omnem amictum, præter cilicium detraxerunt, tria vulnera in caput eius librabant, & ita seminecem relinquebant. Ergo post actā necem, quæque absconsioni idonea diligenter scrutantes, postquam nihil inuenerunt horum quæ sperabant, protinus erumpebant foras, magis sceleribus, quàm gazis onusti.

*Hungari vastant Ecclesias, destruūt altaria, & sanctorū Reliquias ignibus tradunt.*

*Tandem indignè tractatur & truncidatur ab Hūgaris S. Vviborada.*

At virginalis cruor vndatim profluens in prima eruptione, vicinum consperſit murum, atque exinde currens riuis cilicium totum perfudit. Quæ consperſio, quamuis sæpe calce dealbaretur, nullatenus per multos annos potuit aboleri. Quod miraculum quidam excæcatus mercator audiens, venit in basilicam S. Magni baculo regente gressum, qui præmissa oratione postulauit se deduci ad locum, quo deductus, parum quid radens de sacro sanguine panno inuolutum domum deduxit. Cumque in diuersorium suum ingressus fuisset, ilicò orbatis inspergens luminibus, mox de recepto visu gratulabatur, atque sepulchrum beatæ Virginis cum debita veneratione reuisit glorificans Deum.

*Sanguis eius inspersus muro per multos annos non potest aboleri.*

*Cæcus quidā sanguine Virginis oculos linitos, visum recipit.*

Beata igitur virgo & martyr Christi non eadem hora emisit spiritum, sed viuens vsque in sequens manè in sinum Abrahæ expirauit. Venit itaque bonæ memoriæ frater eius, qui nescio vbi inter fruteta



teta latens, totum conspexerat, volens pretiosum thesaurum terræ commendare, ne fortè barbara gens iteratò veniens igni eum traderet. Sed huius rei voluntate à B. Rachilda spoliatus, donec Abbate cum omni Clero aduenient, honorificæ sepulturæ daretur, inuolutum sacro velamine, ad castellum proficiscitur, atque Abbati cæteræque multitudini, omnia vti gesta erant, per ordinem retexuit, qui fraternam commemorationem pro eius requie celebrantes, manserunt ibi octo dies propter metum Paganorum.

*Post octauum diem martyrij S. Virginis, in eius corpore nulla cicatrix vulnerū apparet, etiā cum nudaretur lauandum.*

Veniente autem die octaua, Abbas comperto discessu Paganorum, rediit cum fratribus ad Monasterium, reliquis etiam qui cum illo confugerant repatriantibus. Memoratus autem frater eius collectis secum quibusdam de fratribus, ac laicis, cœpit studiosius satagere, vt corpus eodem die sepulturæ traderetur. Cumque illud nudarent lauandum, vt moris est, nulla in eo patuerunt vulnerum indicia, nisi qua catena sulcabat, sed ita sanum, atque inuiolatum viderunt, vt etiam à plerisque de martyrio posset dubitari, si effusus cruor testis non esset. Eandem verò catenam ante barbarorum eruptionē à se dissoluens, iuxta altarium occuluit, & postea eos qui excubias circa funus eius celebrabant, per visionem admonuit, vt de eodem loco sumptam prope eam in sarcofago collocarent, quod & fecerunt.

*Corpus sanctum præ cuiuitate membrorum primò in sarcofagum leuari non potest: sed postmodum cunctis videntibus extendit se in directum.*

Postquam verò lotum corpus linteaminibus reuolutum in sarcofagum leuare voluerunt, cognouerunt, eis impedimento esse beatam Virginem in finali angore vnum crus atque brachium ad se trahendo curuasse, spirituque recedente ante eorum extensionem ita in curuitate diriguisse. Proculdubio fidelium est credere, Deum hoc ad declaranda Martyris suæ merita fieri voluisse. Volant in turba diuersæ cogitationes, nam sectionem artuum æstimabant Virgini esse iniuriam, libitinam autem secundum membrorum curuitatem formare laboriosum duxerunt. Cumque ita penduli stetissent, viderunt eadem membra veluti viuentia in directum se extendere, faciemque eius quodam Angelico rubore perfusam, quasi in risum hilarescere. Tunc & ipsi lætabundi pretiosum thesaurum sarcofago imposuerunt, iuxta eius admonitionem catenam propè illam collocantes. Omnibusque expeditis, Abbas cum congregatione fratrum, & copiosa multitudine vtriusque sexus, post Missarum solemnia pro eius requie, virginalem glebam terræ commendarunt anno nongentesimo vigesimoquinto Incarnationis Domini Iesu Christi.

*Ab Abbate, & congregatione Monachorum, necnon & tot tres populi multitudine sacrū corpus honorifice traditur sepulturæ.*

Igitur post sepulturam præclaræ agonistæ, diuina potentia, quæ ea adhuc in carne manente, signorum attestatione dignata est mortalibus innotescere quàm fideliter in mandatis eius incederet, ipsa etiam non dedignata est post eius depositionem frequentia miraculorum mundo declarare quali gloria ab ea remunerata sit in cælis. Ad eius tumbam lucerna posita erat, quatenus quando Missarum solemnia, seu vespertinalis oratio seu matutinæ laudes celebrarentur, lumen adesset. Quadam verò die post officiorum expletionem ædituus eam extinguens, altera die ingressus reperit eam ardentem, quam secundò extinctam, secundò inuenit incensam, atque extinxit, similiter tertiò ingressus reperit ardentem, sed minimè extinxit, cupiens prius indagare quis ei officium suum ita dimidiaret. Cumque ab interrogatis non solum nihil certi posset exarare, verum etiam eius inquisitio omnium admirationi fuisset, itur in commune ad lucernam. Posses mirari fluentem ceram à facie ignis tunc eius calore nihil esse imminutam, atque idipsum lumen paulatim se subtrahere visibus humanis, vt facilè in hoc miraculo animaduerteres beatam Virginem ornata lampade ad nuptias cælestis sponsi intromissam, cum illo habitare lumen inaccessibile.

*Candela ad sepulchrum Virginis posita, celeritas est ter incensa.*

Vna seruarum huius Virginis quadam nocte stratu suo relicto causa orationis basilicam petiit, quæ testata est, se tantam claritatem in ea vidisse, vt ingenti terrore correpta fusis precibus ante valuas minus periculosum esse eligeret, positum in horrentibus tenebris thorum reuisere, quàm irradiatam cælesti lumine basilicam introire. In Autumno, qui ætatem passionis B. Vviboradæ retrudit, sæpè memoratus frater eius viridis fœniculi germen circa tumulum eius fixit, quod diuina dispensatione radicem figens, atque per totum brumale tempus in sui viriditate permanens, ad vltimum adeò creuit, quod comis in modum coronæ nexis totum sepulchrum protexit. De cuius germinis viriditate non solùm multi sunt mirati, verum etiam plerique languentes sanitati sunt restituti per acceptionem temperati ex eo antidoti. Tunc etiam huius beatæ Virginis pecten miraculosè repertum est, sine adminiculo in aëre sustentatum, quem Abbas argento inclusum, ad tumbam Virginis appendi præcepit.

*Immensum lumen replet Ecclesiam vbi S. Virginis corpus iacebat.*

*Germen fœniculi circa tumulū eius creuit tempore hyemali.*

*S. Virginis pecten in aëre suspensum inuenitur.*

Huic miraculo non incongruum illud videtur subnectere, quod quidam, cui violato supercilio turgescens caput spem vitæ præsentis ademerat, eodem pectine à Sacerdote benedictus, pristinam adeptus est sanitatem. Per id tempus ægrotabat B. Rachilda, atque tanta detinebatur infirmitate, quod penè tres continuas noctes diesque quasi exanimis iacuit. Tertia verò nocte circa pullorum cantum paululum resumpto spiritu cœpit implorare Martyris auxilium. Exaudiuit ergo mater spiritualis vocem filiæ laborantis, atque cum magno fulgore cælestis luminis aduenies suauissimique odoris fragantia, caput suum capiti iacentis acclinat, manumque leniter pectori eius admouit, atque sic aliquandiu cum ea moras nectit. Post breue verò, cum ipso iubare visibus humanis sublata est, permanente inibi vsque ad lucem odoris fragrantia, sicque matre veniente fugit languor à filia, hacque recedente, rediit sanitas pristina.

*Cuiusdā turgidum caput eodem pectine benedictum pristinæ sanitati restitutum.*

*Apparet beata Rachilda, quam & à graui infirmitate curat.*

Quidam ephebus nomine Vdalricus in congregatione S. Galli scholari fudabat Pierio. Hunc quodam tempore inualescens ægritudo ad hoc redegit, vti carnibus attenuatis spiritum iam ossa tegere negares. Is ad tumbam Virginis deductus, vt eius suffragia cœpit implorare, obdormiuit, mox autem euigilans postulauit escas, quibus allatis comedit, conualuit, atque sospes ad claustrum rediit.

*Quidam iuuenis ad eius sepulchrum sanatur.*

Hæc virtutum eius insignia Engilbertus Abbas Monasterij imis reponens sensibus, veniente eius anniuersario, præcepit supradicto fratri eius illum solemnem agere cantu & lectionibus, vt solet de vna Virgine. Quod ille libenter percipiens in tantum studuit eundem diem venerari, vt etiam altare velaret cultiori velamine priuato. Nam quo priuatis diebus velabatur, beata virgo propriis manibus texuerat. Cumque finitis matutinis se sopori dedisset, adest in visu gloriosa martyr, grateſque pro veneratione soluens velaminis mutationem minus placitam duxit, qui expergefactus, ilicò surrexit,

*Engilbertus Abbas S. Virginis anniuersarium cantu, & lectionibus præcipit venerari.*

surrexit, atque iuxta virginis velle operuit altare.

Nec hoc silentio prætereundum, quantam pietatem virtus diuina ostendere dignata est ob merita virginis atque martyris suæ plenius declaranda supra fidelem seruam eius Kebininam. Post transitum igitur beatæ Vviboradæ, commissione & præcepto illius, beatæ Rachildæ fideliter seruiendo adhærebat. Ipsa verò Rachilda crebra infirmitate ferè per omne tempus vitæ suæ cruciabatur. Hæc autem quam prædixi serua, quoddam potirium miscere edocta fuit à beata Vviborada contra eius consuetudinariam infirmitatem. Quod cum quadam die in testula igni apponere voluisset, vt se indiabolus Kebininã S. Virginũ quondã ancillam proiecit in ignẽ. clinauit, diabolus vtriusque dilectionis insectator, quadam inuisibili impulsione eam in ignem trusit, in quo cum diu huc illucque volutata miserabiliter cremaretur (nemo enim adstabat qui eam extraheret) tandem diuina miseratione, & beatæ martyris auxilio eruta in cella iuxta posita consedit. Tardè post quædam conserua eius aliique cum sacerdote Egiberto intrantes diuersorium, illamque videntes ita crematam obstupuerunt in insolita facie. Cumque inquirerent ab ea si ipsa esset Kebinina, paululum resumpto spiritu, respondit, ego quidem sum: nolite quæso obstupescere, neque mirari, inimicus hæc fecit. Non enim hæc mala quasi non præscita mihi euenere. Nam cum in cella S. Georgij apud dominam meam Vviboradam mansitarem, contigit me grauissima infirmitate detineri. Cumque mihi in dubio esset vita & mors, subitò visus est capiti meo adstare iuuenis pulcherrimus, & alius quasi persona deformis Æthiopis, quem ille pulcher increpans; quid, inquit, hic adstas cruenta bestia? In aliquo enim adhuc post tempus dabitur tibi potestas lædere hoc corpus: in anima verò nec modo, nec deinceps vllam tibi concessam scias, en tempus læsionis: spero autem de Domini misericordia, si cum propheta ei tradita sum in interitum carnis, quod etiam animã meam cum illius anima seruet. Mirabile dictu, cerneres eam in vno latere vsque ad pectus ita concrematam, vt ossa & interiora quædam apparerent, & vestem nihil esse læsam, in altero verò vestem combustam, & carnem in nullo penitus læsam.

Igitur dolore huius vstionis in lectum decidens, cum per aliquot dies grauiter laborasset, accidit vt quadam vespera resolutis membris frigido corpore ita omnium officiorum iaceret effœta, vt à cunctis circunstantibus mortua nunciaretur. Fletur, extenditur, ordinatisque excubiis, pro mortua custoditur. Circa pullorum verò cantum fragor nimius veluti tonitruus ita grauiter super ipsam domum increpuit: vt omnes qui in excubiis aderant, nimio terrore perculsi ad terrã corruerent. At virgo Rachilda, diuino, vt credimus, instinctu, vocans
Tactu cilicij & baculi S. Vviboradæ Kebinina pro mortua habita conualescit. ad se prædictam seruam dedit ei cilicium B. Vviboradæ, illudque super defletæ corpus expandere iussit. Sed & baculum eius addens, superponi præcepit, quod cum factum fuisset, extemplo recalefacta conualuit, resedit, visum aperuit, omnibusque quinque officiis ad plenum recuperata est. Tunc erumpens in vocem dixit: Gratias tibi refero Christe salus omnium in te sperantium, qui dolores meæ vstionis medicamento gratiæ tuæ fugasti, & tibi Domina mea Vviborada, per cuius merita hanc misericordiam confido me consecutam.

Diuina reuelatione corpora SS. Virginũ Operæpretium esse duximus, & hoc paginæ commendare, qualiter omnipotens Deus has sanctas Virgines, prius in ergastulis, in quibus se pro eius amore incluserãt, tumulatas basilicæ S. Magni intromitti reuelare dignatus est. Quadam igitur nocte sæpe dictæ Kebininæ visum est somnium. Quidam iuuenis aspectu decorus, trahens rhedam geminis rotis compositam, quadam cerea materia, vt ei visum est, oneratam. Cumque illa interrogaret qua de causa veniret, vel quid ex hac materia facere vellet, missus sum, (ait) vt harum sanctarum Virginum sepulchra muro interrupto basilicæ intromittam. Post hanc igitur visionem, aliquot diebus exactis, Gralo, qui id temporis cœnobio S. Galli præerat, in animũ induxit, visionem ancillæ factis exequi. Tunc prostratus ad memoriam Virginum, deuotis precibus illarum voluntatem, & adiutorium cœpit implorare, vt is, cuius voluntas opus est, patratum opus dignaretur aspirando præuenire, & adiuuando prosequi. Postquam hæc, & his similia, virgineis auribus humiliter instillauit, surrexit, conuenienſque ancillam quam prædixi, enucleauit ei arcana voluntatis suæ. His illa auditis retulit ei econtra somnium quod viderat. Sicque factum est, vt fide veniente ab vtroque ad vtrumque duo certa fugarent dubium ab opere patrando. Exemplo vocantur cœmentarij, opusque in diuina prouidentia perfectum, humanis studiis traditur perficiendum. Iam tunc ferueute opere contigit, vt quoddã immane saxum ab eisdem artificibus incautè leuatum, sed incautius relictum vni ex illis in pedem cecidisset, grauiterque collideret: qui à sociis ad diuersorium delatus, iussit cereum parari, eumque ad sepulchrum B. Vviboradæ accendi, quod cum factum fuisset, meritis beatæ martyris id obtinentibus, sequenti die, cum cæteris cœmentariis sospes & lætus, ad opus inceptum maturè venit.

Vviborada sederet, & Rachilda in basilicam S. Magni intromittuntur.

Quidam artifex pede læsus, ad sepulchrum S. Vviboradæ sanatur.

## NOTÆ.

Vviborada.] *Vel Vviberadis, cuius vitam supra libro 2. compendiosè descripsimus, idcirco non est necesse repetere quæ quæ annotauimus. Vulgò dicitur* Saincte Viuerede.

Theristrum cum omni vittatoria compositione detrahens.] *D. Hieronymus in Esaiam.* Θεριστρα *nos possumus appellare palliola, quibus obuoluta est Rebecca, & hodie quoque Arabiæ & Mesopotamiæ operiuntur fœminæ: ab eo quod ἐν θέρει, id est, in æstate & caumate corpora protegant fœminarum. Lyranus in illud Iudith, quæ depositis viduitatis vestibus, accepit theristrum, &c. Theristrum erat velamen, quo vtebantur Palæstinæ mulieres. Alij dicunt, quod theristrum vestis erat tenuis, sicut sunt vela quæ delicatæ mulieres portant in capitibus suis.*

Hemisseclas vel obolos obseruare.] *Est Hemisecla dimidium sicli, vel est quarta pars vnciæ apud Græcos & Latinos.*

Balneum in Tyna paratum.] *Tyna, vas grande ligneum tam lauationibus, quàm condendis vinis paratum.*

Frigoretico morbo.] *Frigores, febres, quæ faciunt hominem frigere.*

Cœpit diabolizare.] *Licet diabolizare, sit opera diaboli facere, & qui peccata mortalia committunt, diabolizare dicantur, quia opera diaboli imitantur: tamen diabolizare propriè sumitur pro iis qui diuinationibus, sortilegiis, & maleficiis vacant.*

Quoddam membranum Dominica suspensione depictum.] *Quasi diceret, dedit ei membranam, seu telam in qua erat depicta imago Crucifixi.*

Scholari sudabat Pierio.] *Id est, studebat, Pierius, Musaticus. Matthæus Vindocinensis in Tobia.*

*Pierius tædet inseruisse stilum.*

*Pierium Musarum palæstra, schola, vbi Musis opera datur.*

Quoddam potirium miscere edocta.] *Est differentia inter potirium, & poterium. Nam potirium sumitur pro medicina, poterium Latinè dicitur poculum.*



## VITA S. FINDANI INCLVSI.
### Incerto Auctore.

S. Findanus genere Scotus.

NIR quidam nomine Findan, genere Scotus, ciuis prouinciæ Laginensis, quibus occasionibus ad perfectionem vitæ peruenerit, quibusue tentationibus ac laboribus sit frequenter attactus, hinc enarrare Deo fauente conabimur.

Soror S. Findani abducitur captiua à Nordmannis.

Prædicti ergo viri sororem gentiles, qui Nordmanni dicuntur, plurima Scotiæ insulæ, quæ & Hybernia dicitur, loca vastantes, inter alias fœminas abduxere captiuam. Tunc pater Findano filio præcepit, vt accepta pecunia sororem redimeret, & ad patrem reduceret. Qui sumptis secum comitibus pariter & interprete, iussa patris implere desiderans, amoremque fraternum pio corde conseruans, in eodem mox itinere à Paganis tentus, atque in vincula coniectus, necnon & ad naues ipsorum, quæ proximo in littore stabant, est sine mora perductus. Ipso verò die, & nocte sequenti catenis ligatus, sine cibo, potuque permansit. Manè verò Nordmannis consilium ineuntibus, atque aliquibus, quibus mens sanior erat, & (vt credimus) à Deo instigata humanitas, referentibus, quod illuc venientes pro aliis redimendis, vi teneri non debuissent, inde ipse hoc modo liberatus est.

Pergens ad liberandum sororem, ipse etiam captiuus tenetur.

Liberatur.

Vice quoque alia cum multitudo hostium eorundem eum in quãdam domum fugientem insequeretur, & ipse post ostium latitaret, nemo ex illis eum reperire poterat, quamuis circa ipsum huc illucque discurrerent. In eadem Laginensium prouincia inter duos Principes orta est grandis seditio. Vnius ergo principis miles fuit pater Findani prædicti, qui de contraria parte hominem occidit. Quod audiens princeps contrariæ partis, nimia succensus ira, continuò domum patris Findani magno stipatus exercitu, omnia illius ipsumque ferro, flammaque perditurus adiuit, veniensque noctu, domum armis cinxerunt, ignemque ad tecta iacientes, patrem ipsius Findani de ignibus foras progredientem iugulauere. Findanum verò in alia domo manentem, cum similiter ignibus circumdedissent, & se pro foribus viriliter defendentem apprehendere nequiuerunt, sed ipse per medios ignes, & hostes, diuina eum protegente gratia, parum læsus, elapsus est. Fratrem verò eius qui in eadem domo fuerat, occiderunt. Inde igitur inter vtramque gentem concitatæ sunt inimicitiæ, inexorabilesque discordiæ. Sed haud post longum temporis interuallum, interuentu quorundam fidelium, pecunia non modica Findano suisque data, vtraque pars in pacem rediit. Eodem verò anno, hostes Findani timentes nè vindicta super eos veniret, & dolor paternus in corde Findani reuiuisceret, pariterque eum extirpare volentes, hoc modo dolos in corde meditati sunt. Inito consilio, Findano præparauere conuiuia in locis mari contiguis, ad quæ Findano inuitato, Nordmanni venientes, & de medio conuiuarum ipsum

Ab inimicis quamuis circa ipsum discurrentibus videri non potest.

Pater S. Findani occiditur.

Findanus in mortis periculo constitutus liberatur.

Trucidatur eius frater.

Fraude & dolo inimicorum abducitur captiuus.

rapientes, arctissimis vinculis colligauere, & secum pariter abduxere. Quater igitur venditus, cum vltimus eius dominus ad patriam rediens, fortè inuenisset quendam qui fratrem suum occiderat, & ipsum trucidasset, & propterea naues ad arma venissent, beatus Findanus licet in vinculis constitutus, domino suo auxilium ferre volebat. Eius autem recordatus deuotionis dominus, & fidem talem remunerari cupiens, mox eum à vinculis absoluit. Cum autem ad Orcades venissent insulas, vt corpus reficerent, pariterque ventum prosperum expectarent, beatus Findanus cœpit loca disquirere, ac de salute sua, & fuga, anxia mente cogitare. Ignotis igitur in locis saxum ingens reperiẽs, sub illo statim se occultauit. Quam rupem æstus maris increscens subire solebat. Quid igitur ageret, quò se verteret ignorabat. In angustiis ergo magnis constitutus, votum vouet Deo, quod si eum eriperet, limina Apostolorum visitaret, nec vltra ad patriam rediret, mundumque desereret. Hac constantia fidei munitus, omnibus vt erat vestibus indutus, immisit se in aquas. Mira dicturus sum: ita continuò diuina pietas vestes eius rigidas fecit, vt his sustentatus mergi nequiuerit, & per tumidos fluctus illæsus ad terram deductus est.

Venditur.

Eius fidelitas erga dominũ suum.

A vinculis absoluitur à domino suo.

Cogitat de fuga captanda.

Votum vouet vt liberetur.

Illæsus trãsit mare.

A quibusdam autem ad vicinæ ciuitatis ductus Episcopum, qui & ipse in Hybernia insula literalibus erat studiis imbutus, & eiusdem linguæ notitia satis eruditus, cum ipso per biennium moratus, multis humanitatis atque largitatis eius beneficiis est vsus. Ipse autem Findanus promissionis suæ recordatus, collectis sociis, acceptaque licentia Episcopi, Galliarum partes parauit adire. Hinc Martini sedem perens, postea Franciam, Alamanniam, Longobardiamque peragrans, proprio demum pedum labore Romam peruenit. Inde reuersus, quendam nobilem virum in Alamannia adiuit, cum quo in clericatu 4. annis permansit. Tunc senior eius in proprio Monasterio, quod Rinaugia vocatur, eum monachizari fecit, anno Dominicæ Incarnationis D C C C. ætatis verò suæ LI. vbi per quinquennium singulos virtutum gradus ascendens, tandem maioris perfectionis acquirendæ gratia, in arctissimo loco se recluſit, & inaudita corpus abstinentia perdomuit.

Humaniter excipitur à quodam Episcopo.

Peregrinatur ad sepulchrũ S. Martini.

Item visit limina Apostolorum.

Fit Monachus.

Viuit inclusus in magna abstinentia.

Cum esset recluſus permissu Abbatis sui, quartam partem panis in quotidianum victum sibi, vt cæteris fratribus deputati vno anno, & in altero maiorem iam aggrediens parcitatem, dimidiã, & in tertio, tertiam, quarta sibi solummodo parte reseruata, libens pauperibus erogauit. Pro lectisterniis lapides velatos adhuc inter fratres pausans, corpori occultè suppositos, atque paululum requieuit, donec cunctis quiescentibus, secretò se in orationem dedisset. Accidit vt quadam nocte consuetudinariis incumbens orationibus, dæmonem in similitudine hominis cuiusdam miræ magnitudinis ore aperto, linguaque emissa, manibus expansis, oculis minacibus videret, & cum impetum in eum facere vellet, facto Crucis signo euanuit. Ipse tamen interritus, matutinalia coram altari in modum Crucis stans, expectauit officia.

Lapidibus velatis vtitur pro lectisterniis.

Diabolus in horribili specie ei apparet.

Signo Crucis fugatur.

Recluſus iam, cum tanta fames eum vrgeret, vt panem totum, & plus manducare vellet, in natali S. Patricij Deum sedulò rogauit, vt huiusmodi ingluuiem ipsius interuentu à se auferret. Qui mox post orationem & lacrymas, quas incomparabiliter etiam in leuibus rebus fundere solebat, tale oraculum aure percepit; própria lingua pro-

Edacitatẽ & ingluuiei vitio valdè affligitur.

Nota singularem eius gratiam lacrymarum.

latum : Obsecra Christum, & Patritium Arthmachensem. Et ex hoc, edacitatis vitium minimè sensit. Item foris positus priori anno, quo claustrum erat ingressurus, omnibus noctibus stans in Ecclesia, in oratione pernoctauit. Igitur priori nocte, antequam S. Blasij reliquiæ illuc de Roma venissent, more solito in basilica orans, vidit subitò corporalibus oculis columbam super altare consedisse, sensimque inde in cryptam volantem disparuisse. Crastina ergo super ipsum altare easdem posuere reliquias, super quod Dei famulo ante apparuit hæc auis stetisse. Foris positus procedenti quoque tempore, cum similiter noctu intra basilicam solus existeret, vt prædicti martyris suffragia his verbis imploraret, dicens: S. Blasi, qui peregrinus his in locis, sicut & ego, esse cognosceris, pro meis ad Deum intercede peccatis. Cum hæc ingeminans, lacrymas more suo vberrimè fudisset, stans ante altare, quo sanctæ positæ fuerant reliquiæ, non inclinatus, sed erectus, sed tamen vt referre solebat, obtutibus paulisper obtenebratis, vocem audiuit huiusmodi: Sedes tua in cælo iam dimissis peccatis, parata est.

*Precibus S. Patritij à tētatione liberatur.*

*S. Blasii reliquiæ transferuntur in Germaniam.*

*Audit diuinitus sibi esse dimissa peccata.*

In natali S.Colūbæ iterū tentatione afflictus, & in dubitatione positus si paruam annonam, quæ ad victum quotidianum, sicut aliis Monachis, ipsi quoque dabatur, pauperibus erogare debuisset. Reputabat enim secum ne si cibos de aliorum labore sibi oblatos pauperibus erogasset, hinc Deum offenderet. De hac igitur re Domini voluntatem per intercessionem S. Columbæ, precibus & lacrymis requirebat. Cui tale continuò responsum voce suauissima diuinitus directum est. ∴ ∴ ∴

Primis quoque diebus, quo pœnalem locum, quem in hoc mundo pro Dei amore delegerat, intrare illum contigit, gulæ nimium vitio tentatus est. Nam vsque ad horam, qua cæteri reficiebantur, expectare nequaquam poterat, sed etiam donec Euangelium legeretur à cibo abstinere nequiuerat, qua suggestione vehemēter affectus, & vltra quam credi potest erubescens, ad solita confugit auxilia. In festiuitate quippe beati Aidani Episcopi audiuit, cum illius imploraret adminicula, huiuscemodi vocem ∵ ∵ ∴ qua voce statim tentatio ipsa sedata est.

*Mirū in modum gulæ vitio & tentatione affligitur.*

*Precibus & meritis S. Aidani liberatur.*

Inclusus verò tantam multitudinem spirituum immundorum noctu conspexit, vt terram simul & arbores, quas Rhenus hinc inde cingit, implere viderentur: cumque diu horrisonas darent voces, sancti viri precibus disparuerunt, & vlterius illi nusquam comparuerunt.

*Videt innumerabilem multitudinē dæmonum.*

In festiuitate S. Brigittæ Virginis, non mōdicam pauperum turbam, vt sibi moris erat, collegit: carnem totam, quam habuit, iuxta numerum aggregatorum, particulatim incidi præcepit. Hoc autem facto, ecce tanti pauperes vt aderant improuisè venerunt. Vir verò beatus in aduentu eorum, Deo gratias agens, particulas, quas ad numerum prius commeantium parare iussit, in Dei largitate confisus, qui quinque panes inter quinque millia virorū multiplicauit, distribui fecit. Sed licet numerus geminaretur egenorum, & nihil de carnibus vel ab illo, vel à quoquam adderetur, vnicuique tamen sua particula ex eadem caruncula inueniebatur.

*Cæco ad sustentationem pauperū miraculosè multiplicatur.*

Findanus igitur patronus noster arctissimo loco inclusus, qui situs est ad septemtrionalem plagam basilicæ S. Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi XXII. annos incomparabiliter corpus perdomuit. Nam post primum supradictorum annum, cilicio indutus erat, calore ignis nunquam refectus, non pausans in lectulo, balnei lenitatem deuitans, ieiuniis, vigiliis, orationibusque indesinenter insistebat, pane verò post primum annum ingressionis eius, & post XVI. ab omnibus quæ mandi possunt, exceptis piscículis, & his paucissimis, se Domino confortante abstinuit, aliæque præfati sanctissimi viri virtutes, quæ multis sciendo veraciter testibus sunt prænotatæ, in alio miraculorum volumine, ex parte videntur fore cum cautela exaratæ.

*Nota singularē viri sācti vitæ austeritatem.*

*Cætera desunt.*

## NOTÆ.

B Vir quidā nomine Findanus. ] *Aliàs Fintanus dicitur. Ipsum omiserunt Trithemius & Vvionius. Eius vita prolixiori stylo protensa habetur tom. 1. Rerum Alamannicarum.*

*Inde reuersus quendam nobilem virum in Alamannia adiuit, cum quo in Clericatu quatuor annis permansit. Tunc senior eius in proprio monasterio, quod Rinangia vocatur, eū monachari fecit anno Dominicæ Incarnat. DCCC. Quis iste nobilis in Alamannia vir, cui pro Clerico Findanus? Ego puto Vvolfehardum Comitem Kyburgensem fuisse, quem Rhinaugiani Monachi fundatorem cœnobij sui frequentant. Vt ita de origine huius Monasterij nihil porro sit, quod multum laboremus. Exsertim namque ait, Dominum ipsum in suo* C *proprio Monasterio, hoc est, in suo territorio ab se constructo Monachum eum constituisse. Vide Melchiorem Haiminsfelensem tom. 2. Hist. Alamannicarum.*

In natali S. Columbæ. ] *Est ille cuius vitam paulo superius descripsimus ex Adamanno, estque omnino diuersus à S. Columbano Abbate, qui etiam Columba appellatur.*

# S. THEODORI EREMITÆ, De Vita Sancti Magni Abbatis Sodalis sui,

*Habentur tom. 2. Rerū Alamannicarū.*

## LIBER PRIMVS.

## AB ERMENRICO ELEVVANGENSI Monacho emendatus, & distinctus.

### CAPVT I.

D IN tempore illo cum B. Columbanus, simul cum beato Gallo diuersa loca perlustrarent, ad diffamandum verba Dei, & peregrinandi causa in Hybernia peruenirent, quidam frater nomine Magnoaldus ex præfata patria Hyberniæ procreatus, pulsare cœpit aures B. Galli discipuli S. Columbani, ita loquens: Beate magister & Domine, video vos in seruitio Dei tantum sollicitari, vt Eremum concupiscentes, E aliquantisper ibi morantes, feræ, bestiarum scilicet, vrsorum, bubalorum, luporum multitudo frequenter ad vestrum imperium recedant. Vnde vestris vestigiis prouolutus, deposco, vt spretis phalerāmentis seculi, & præsentium pompam facultatum temnēs, æterna præmia capere merear. Quod B. Gallus cernens eum ad medicamenta concurrere, vniusque cœnobij septa, vbicumque Dominus iuberet, per eius orationem concupisci, B. Columbano hoc indicans, obtulit eum illius obtutibus, scisciātans ab eo consilium & voluntatem. Cui B. Columbanus respondit. Pergentes, fili, in Eremum voluntatem probemus, vtrum desideratum arripias iter, an non.

*B. Magnoaldus seu Magnus natione Hybernus.*

Pergentes



Pergentes ergo simul tertium adolescentem nomine Soniarium, in comitatu sumunt, & ad destinatum locum peruenerunt, vnius tantum panis cibo contenti. Cumque iam tertius transisset dies, nec quicquam panis fragmentum remansisset, horaque refectionis appropinquaret, imperantur à patre, vt per prærupta ruris eant, atque ad ima vallis perueniant, & quicquid ad cibum opportunè reperiant, deferant. Ouantes illi per concaua vallis transeuntes, inuenerunt capturam piscium olim à pastoribus confertam in amne, qui vocatur Lignona, vndisque oppositam. Quod inspicientes, & Deo gratias agentes, sumentesque tres, quos repererant pisces, venerabili patri præsentauerunt. At ille Spiritu sancto plenus, nouerat sibi à Domino dapes paratas, & cum gratiarum actionibus sumpserunt cibum, & post cibum iterum gratias conditori egerunt. Quod inspiciens Magnoaldus, sequens B. Gallum læto animo promittit se eorum imperiis pariturum, & Christo Domino iugiter seruiturum. Quem vir S. Columbanus suis beatis manibus receptum, in obedientia posuit, donatumque iuxta magnificentiam suam nomen imponit dicens: Magnum te facier Dominus in sapientia & astutia, à cuius magno nomine Magnoaldus voceris, addens iterum; cognita tibi sunt omnia ministeria Monastica, à quibus cognomen habebis Magnoaldus, factoque Monacho, tradidit ei clauem cellarij, statimque in eo diuinum manifestatur miraculum.

*A SS. Colūbano & Gallo assūmitur & deducitur ad Eremum.*

*S. Magnoaldo Magni nomē imponitur à S. Colūbano.*

*Suscipit habitum Monasticū, ipsique demandatur cura cellarij.*

Nam cum hora refectionis appropinquaret, & minister refectorij Soniarius ceruisiā administrare conaretur, vas, quod tiprum nuncupant, ad cellariū deportauit, & ante vas, quo ceruisia condita erat, apponit, tractoque serraculo meatus in tiprum currere finit, quem subitò patris imperio Magnoaldus Soniarium celeriter vocauit. At ille ardens obediē- tiæ igne, obserare meatum oblitus, pernici cursu ad beatum pergit virum, & serraculum, quod dulciolum vocant, manu ferens, ante conspectum B. Magnoaldi adstitit, videntibus sanctissimis viris Columbano & Gallo.

*Notabile obedientiæ exēplum Soniarij Monachi.*

Postquam autem sibi vir Dei Magnoaldus quæ voluerat imperare deprompsit, interrogauit eum: D Quid est Soniari quod tenes in manu tua? At ille viso serraculo, recordatus negligentiæ, velociter ad cellariū rediit, æstimās nihil in vase, de quo ceruisia decurrebat, remansisse. Intuitus ergo vidit tiprum intantum ceruisiam creuisse, vt non iam plus profunditatis in vase quam supra vas cumulata altitudinis habere videretur, & nec minimā stillam foris cecidisse. Præfatus verò Soniarius, illud miraculū magnum inspiciens, ad pedes B. Magnoaldi accessit, narrans ei quæ de sicera vidit. Ille pauore perculsus, quid agere deberet ignorans, concitus perrexit ad Vviniachum Presbyterum, quem assumens secum ad cellarium duxit, & omnia secundū narrationem pueri Soniarij inuenit. Corruens ergo ad E pedes eius ita locutus est. Domine Vviniache, quid dicturi sumus Domino patri B. Columbano, si hæc audierit? At ille respōdit: Absit frater, vt misericordia Christi tam sanctum virum, tā pium patrē nostrum debeat celari, qui absque nostra narratione, per spiritum, & cum Deo omnia, quæ facta sunt, se cognouisse lætatur. His dictis concito gradu perrexerunt ambo, veneruntque ad pedes B. Columbani, & narrauerunt ei omnia quæ acciderant. Quibus B. Columbanus ait. Fratres, hoc non meis meritis factum est, sed intercessione viri istius Magnoaldi. Ille hoc audiēs prostrauit se ad pedes eius, & dixit: Domine, noli hoc dicere, quia scio pro vestris sanctis

*Humilitas SS. Columbani & Magnoaldi.*

A meritis hoc actum esse, non meis. Respondit B. Columbanus, tace frater, scio vtique. Nā ego vidi Angelum Dei præcedentem te, quādo Soniarium vocabas, qui facto signo Crucis supra tiprum, stetit sicera in modum coronæ, sicut vidistis. O magnum diuinæ potentiæ donum, qui adhuc neophito suo seruo tantam gratiam conferre dignatus est, vt iam Magnus inter fratres voceris! Ad hæc B. Magnoaldus gratias egit Deo in corde suo de tanta misericordia sua.

### CAP. II.

*Sancti Columbanus & Gallus degūt in Eremo sub quodā scopulo, in rerum omnium penuria.*

EO itaque tempore, cum sub quodā scopulo inter vasta Eremi, ieiunio corpus afficerēt B. Colo- B lumbanus, & Gallus, nihilq; aliud præter ruris poma in cibos capere valerent, venit quadam die assueta auidę voracitatis fera vrsus, cœpit necessarios delambere cibos, ac passim poma ore detrahere. Cumque hora refectionis aduenisset, dixit Columbanus ad B. Magnoaldum, frater Magnoalde, cognita sunt tibi poma meliora, & defer nobis consuetā mensuram pomorum. Qui cum abiisset, vrsum inter densas frutices ruboſque peruagari perspexit, ac poma lambendo carpere, videsque eū Magnoaldus iussa patris implere volens, timuit valde, sed cōfortatus in Domino, muniens se signaculo S. Crucis, ait ad feram. In nomine Domini nostri Iesu Christi sta pauliper, vsque dum eligam poma, quæ patribus C nostris ferenda sunt, & tibi partem ex aliis dein comedendi. Mira in fera obedientia, seueritatis suæ oblita, stetit caput inclinatum tenens. Tunc ille diuisit virga frutices, & rubos, quæ poma ferebāt, elegitque partem ex his, quæ iuxta viri Dei imperium meliora erant ad opus suum ferenda, aliāque partē dedit feræ, vt comedat. Aiebat itaque, comede ista tu, aliaque in vsus viri Dei Columbani & Galli reserua. Fera ergo in tanta obedientia extitit, vt nequaquam ex prohibita sibi parte ausa esset capere cibos, sed in segregata permissa sibi fruticum parte tantummodo pabula requisiuit.

*Vrsus obedit B. Magnoaldo.*

Alia verò die B. Magnoaldus requirens poma inuenit salua, & bene reseruata, gratias agens Deo ait ad feram: In nomine Domini ita age quotidie. Audiens autem fera, poma proculdubio salua reseruauit, quoadusque vir Dei in illo loco commoratus est. Quarta verò die iterum Dominus cibū præbens suis discipulis, tanta copia alitum aduenit, vt omnem planiciem loci illius adimpleret. B. verò Magnoaldus hoc videns intellexit ob necessitatem patris suorumque à Deo has dapes terræ diffundi, & ait ad beatum Gallum. Iubeat hæc pater altilia capere ad opus fratrum, si placet, quoniam à Deo data sunt. Hæc Gallo ad magistrum suum deferēte, ait B. Columbanus, tu Magnoalde, qui in nomine Domini Vrso iussisti reseruare poma ad opus nostrum, fac iterū iuxta tuum nomen magnū opus, & impetra à Deo vt volatilia maneant, donec capiantur à fratribus ad vsus necessarios. Ille mirans quomodo palam factū fuisset beato viro de fera, tameri non audebat interrogare, sed iussu eius prosternens se in orationem pariter cum B. Columbano & Gallo orabat. Erigens autem se Abba dixit Magnoaldo; surge, præcipe capere aues. Surrexit Magnoaldus gratias agens conditori, cœpitque aues capere cum reliquis fratribus. Miraculum valde mirum & stupendum, capiebantur aues, prout patris imperium erat, nec abscedere pennigera fuga nīē tebantur, donec beatus Magnoaldus ait: *Si* patri nostro placet, habemus per triduum aues sufficienter, & ideo bonum est vt cedant. Sicque alitum

*Miraculosè capiūtur aues ad sustentationem fratrum.*

phalanges abire iubet, & sumpto volatu, quæ remanserant, recesserunt. Sicque diuina misericordia ex vicinis vrbibus frumenti copiam per bonos viros in gyro manentes ad B. Columbanum per manus fælicis Galli & B. Magnoaldi direxit.

## Cap. III.

*S. Columbanus cogitat prædicare Sclauis verbum Dei.*

INterea venit cogitatio in mentem, quatenus terminos Sclauorum adiret, eorumque cæcas mentes euangelica luce illustraret. Cumque hæc beatis Gallo & Magnoaldo narrasset, & ita patrare se velle profiteretur, beatus Gallus dixit Magnoaldo, quid tibi videtur de isto itinere Abbatis nostri? Respondit, Domine perquirite in primis voluntatem Domini, & postea si dignum duxeritis ad proficiscendum, proficiscamini. Hoc audiens B. Columbanus iussit triduanum ieiunium fieri, Domini misericordiam implorans, vt eis indicaret suam voluntatem. Tertia verò nocte Angelus Dei per visum illis tribus apparuit, & ambitu paruo, quasi solet paginali stylo orbis describi, circulum mundi compage mõstrauit dicens: Cernitis, inquit, quod maneat totus mundus desertus? Dicite Columbano, perge dextra læuaque vt comedas laboris tui fructus, non est tibi opus illuc properare. Hæc audiens B. Columbanus intellexit per visionem similiter sibi monstratam, non esse gentis illius in promptu fidei profectum, & ideò quieuit in loco, solummodo contentus vnius ministri Magnoaldi, qui & Magnus, famulatu, donec aditus ad Italiam viam panderet.

*Diuinitus detinetur.*

## Cap. IIII.

*Discordia inter Theodoricum, & Theodebertum Reges.*

INterea orta est lis inæstimabilis inter Theodoricum Regem, & Theodebertum, vtrisque namque gentium robore in inuicem superbientibus. Inter quæ vir Dei ad Theodebertum venit, isque eum infra suos fines libentissimè recepit, deditque ei optionem, quacumque in parte voluisset experimento quærere locum, qui sibi & suis placeret ad habitandum. Inquisitoque loco audiuit à beatis viris Gallo & Magnoaldo, qui iam perlustrata habebant spatia locorum, laudabilem locum fore infra Germaniæ terminos situm in Alemannia circa Rhenum fluuium, oppidũque olim dirutum, quem Brigantium nuncupabant, quem proculdubio ratum ducebant fore vt impetraretur à Rege, & partem saltus ipsius iuxta ipsum oppidum stantem, vbi apta loca inuenire quiuerant ad manendum. Dedit ergo eis Rex iuxta petitionem ipsorum præfatum oppidum, locaque vasta intus in saltu consistentia, sed non plurima, nisi pauca, vbi inuenire potuissent apta ad cellulam construendam. B. verò Gallus cum S. Magnoaldo, fratribus qui iam ex Luxouio venerant, ad eum simul cum Abbate relictis, ipsi ingressi sunt in saltum, & in eo huc illucque pergentes, diuersaque loca circumeuntes, repererunt infra ipsius saltus terminos loca venusta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximaque nationes vndique haberi ad prædicandum. Reuersi ergo iterum ad virum Dei, laudauerunt loca, quæ inuenerunt. Quibus vir Dei ait: Pergamus illuc, & moremur aliquod spatium temporis ibi, & construamus cellulam, vsque dum Dominus det nobis aditum proficiscendi in Italiam. Perrexerunt ergo ad lacum Brigantinum, in cuius littore inuenerunt locum antiquum destructum, qui vocatur Arbona, ibique morati sunt, construentes cellam, expectantes euentum inter Theodoricum & Theodebertum.

*Accipiunt sancti viri locum habitationis in eremo à Theodeberto Rege.*

*Construunt Cellam.*

## Cap. V.

*Bellum inter Theodoricum & Theodebertum Reges.*

CVmque hæc agerentur ab illis, seditione firmata inter Theodoricum & Theodebertum ortum est bellum iuxta Tulbiacense castrum, ibique prælio inito, innumera hominum multitudo ex vtroque exercitu perierunt. Victus tamen Theodebertus fugit. Ea ergo hora qua apud Tulbiacum illud bellum commissum est, vir Dei Columbanus operantibus sanctis Gallo & Magnoaldo cum cæteris fratribus, qui ex Luxouio venerãt, supra truncum querci putrefacti sedens librum legebat, quem sopor oppressit. Sopitus dormiensque, inter duos quid ageretur Reges vidit. Expergefactus ministrum vocat Magnoaldum, qui & Magnus, cruentamque Regum pugnam indicat, & humanum sanguinem multum fundi suspirat. Respondit Magnoaldus, prostratus ad pedes eius; & ego Domine pater, sopore oppressus iacebam subter vnam arborem abietis, & videbatur mihi simul eos inter se cõflictum habere, arreptoque baculo volebam perlutere Theodoricum, & liberare Theodebertum, sed prohibuit me species quædam dicens, non est necesse, quoniam Dominus citò vindicabit magistrum tuum Columbanum de eo in interitum ignis. Ilicò euigilans festinabam huc ad vos venire, & narrare hanc visionem vobis interim me clamante.

*Videt visum B. Magnoaldus de successu belli inter Theodoricum & Theodebertum Reges.*

Dum ergo mirarentur ambo de his visionibus, alius minister astans Eunochus nomine, temerario conatu ait: Pater mi tuis precibus præbere debes suffragium Theodeberto, vt hostem communem Theodoricum debellet. Cui B. Columbanus ait, stultum ac religionis alienum administras consiliũ. Non enim Dominus ita vult, qui nos pro inimicis nostris orare præcepit. Et Magnoaldus inquit, verè Domine, vestra sanctitas bene de hoc sentit, quoniam in arbitrio iusti iudicis esse debeat, quid de eis fieri velit. Theodoricus ergo persequutũ Theodebertum deprehendit, & ad auiam Brunechildam direxit. Ipsa eum Clericum factum, non post multos dies impiè nimis perimi iussit. Theodoricus itaque morans penes Metense oppidum, diuinitus percussus inter flagrantis ignis incendia mortuus est, & beatus Columbanus à Deo vindicatus.

*Theodoricus Rex persequitur Theodebertũ, qui factus Clericus paulo post iussu impiæ Brunichildis auiæ perimitur.*

Porrò Lotharius collecto exercitu fines regni, qui suæ ditioni debebantur, recepit, perempto Sigeberto, qui ei resistere volebat, cum quinque filiis Theodorici, Brunechildam verò captam, indomitorum equorum caudis ligatam, miserabiliter vita priuauit. Memor verò prophetiæ viri Dei funditus radicitusque deleta Theodorici stirpe, tũ regnorum solus potitus est Monarchia. Cognoscẽs quippe in hoc facto viri B. Columbani propheriam in omnibus impletam fore præfatus Lotharius voluit beatum Columbanum magnis honoribus ditare, sed ille hoc respuens relicta Gallia atque Germania, Italiam ingressus est, vbi ab Agilolpho Longobardorum Rege honorificè susceptus est, largita ei optione, vt infra Italiam quocumque in loco voluisset, habitaret. Qualiter autem B. Gallum & Magnoaldum in Alemannia reliquit, non est silendum, quoniam hoc Dei consultu actum est.

*Mala mors Theodorici Regis. Lotharius Rex occidit Sigebertum Regem. Necnon & Brunichildim Reginã horrẽda morte perimit. Relicta Gallia & Germania venit in Italiam S. Columbanus, & honorifice ab Agilulpho Longobardorum Rege suscipitur.*

Cap.



## Cap. VI.

PEragratis ergo locis circa lacum Turicinum, & peruenientes ad caput laci ipsius, in locum qui Tucconia dicitur, inde venerunt ad lacum Brigantinum, ad præfatam cellulam, quam antè construxerant, prædicantes populo Christum colere, & simulacra vana & surda in frusta comminuere. Ob quam causam zelo diabolico populus inflãmatus, propter simulachra diruta, & in frusta comminuta, cœperunt cum Sigeberto principe tractare, vt eos à finibus suis eiiceret. Egit autem hoc arte sua diabolus, vt populum, quem in præsentia lucis per prædicationem beatorum virorum amittere cœpit, discedente sanctitatis fulgore, tenebris occuparet antiquis. Igitur sancti viri molestè ferentes, quod sede pellerentur amabili, consilio communi inito, Italiam petere decreuerunt, dicentes: Deus cui seruiuimus, Angelum suum mittet nobiscum, qui nos perducat ad Agilolphum Longobardorum Regem, vbi eius clementia præparante, humanos affectus, & pace plenum habitationis locum inueniemus.

*Sancti Colũbanus, Gallus & Magnoaldus, pulsi ab idololatris, in Italiam se recipere disponunt.*

## Cap. VII.

*S. Gallus febre correptus ab incepto desistere cogitur.*

IGitur cum iam proficiscendi tempus instaret, beatum Gallum repentina febris inuasit. Pro qua re aduolutus Abbatis suis pedibus, indicauit se infirmitate vehementi laborare, ideoque propositum iter non posse perficere. Ille verò existimans eum pro laboribus ibidem consummatis amore loci detentum, viæ lougioris detrectare laborem, dixit ei, scio iam frater, tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fatigari, tamen hoc decessurus denuncio, ne me viuente in corpore missam celebrare præsumas. Et cum ei licentiam per se conuersandi dedisset, viam ingressus est abeundi. Audiens hoc Magnoaldus procidit ad pedes eius, & dixit. Domine quid me vis agere? si reliquero eum absque adminiculo erit, & deficiet, tamen te sequar, si volueris, ipso relicto, sicut Petrus secutus est Deum relictis retibus suis. Respondit ei B. Columbanus, scio te, Magnoalde, magnum futurum esse, & lucrari Deo ex populis orientalibus plurimum, ideoque noli mecum proficisci, sed relinquo te, & Theodorum fidelissimum nostrum Galli obsequiis parituros, vt cum omni diligentia eius recuperationi seruiatis. Dico tamen tibi Magnoalde quod te volo esse acturum, & quomodo cum eo morari debeas. Futurum est enim, vt peractis aliquot diebus, Diaconatus officium ab Episcopo Constantiensi accipias, sic volo, vt moreris cum Gallo vsque dum tempus veniat, me ab hac luce discessurum. Itaque si fieri potest, vt me ægrotante, tibique Spiritu sancto reuelante, ad me venire potueris, gratum mihi est, aliàs me defuncto, quoquomodo sit, Domino annuente, tibi reuelatum erit, sicque accelerare festina ad sepulchrum meũ, & ad fratres meos, vt inde accipias epistolam meã, & cambocam, quam affer Gallo, vt eum absoluas à meo iudicio. Nuncio autem tibi, quia defuncto Gallo, post triennium vastandum erit sepulchrum eius à raptoribus, te & Theodoro inspiciente, & vt hoc actum fuerit, restaurato sepulchro eius, festina properare ad locum, vbi auditum habemus quod S. Narcissus Episcopus diabolo præcepit draconem interficere, ibique Domino cooperante plurimos ad fidem Christi conuertens lucraberis, atque habebis nomen tibi à Deo impositum, & vocaberis à populo terræ illius Magnus, propter fidem, quam prædicaturus eris, conuertens eos ex inanitate & cultura dæmonum ad fidẽ Christi. Ibi enim occurrent tibi dæmones multa mala tibi ingerentes, sed tu confortatus eris à Domino, qui te illuc deputauit atque morandum atque manendum. Et his dictis profectus est.

*S. Columbanus multa futura prædicit de Magnoaldo.*

## Cap. VIII.

*S. Gallus Guntzonis ducis filiam à fauo dæmone liberat.*

NOn multum post temporis B. Gallus diuina pietate conualescens, postquam filiam Ducis Guntzonis à dæmonio liberauit, oblatumque sibi ab eodem Principe Constantiensis Ecclesiæ pontificatum humiliter recusauit, misit Epistolam ad Ioannem Diaconum rogans eum ad se venire. Qui cum venisset ad eum, erudiuit eum diuinorum librorum scientia, & cooperante gratia Dei, constituit eum coram Duce plenum scientia & virtute, atque diuinarum scripturarum intelligentia, dicens: Hic est indigena vicinorum locorum, cui meritò testimonium potest aptari, quod sanctum virum decet, diuino eum credens electum iudicio, vobis profero eum promouendum. Cumque hac attestatione vir sanctissimus Ioannem laudaret, Dux cum electione populi congregatione collecta cæterorum Episcoporum, Pontificatum Constantiensis ciuitatis ei tribuit, & à vicinis Episcopis ductum ad altare solemni benedictionis officio ordinauerunt Antistitem.

*Ioannes discipulus S. Galli creatur Episcopus Constantiensis.*

Doctor itaque venerabilis, his perpetratis, memor prophetiæ sancti viri Columbani, quam prædixerat de Diaconatus officio B. Magnoaldo fore futurum, à Constantiensi Episcopo, inter multa salutiferæ consolationis verba hæc sæpius inculcauit, vt beatum Magnoaldum, qui erat iam cum eo omnium veneratione sublimis congruo tempore adueniente, initio quadragesimali, primo Sabbati ieiunio transacto, diuino eum commendaret iudicio ad Diaconatus officium peragendum. Cui Ioannes Episcopus ita respondit: Magister, paterna solicitudine mecum his diebus eum relinque, vt adueniente ieiunio quadragesimali, faciam quod hortaris. Quo audito beatus Gallus Ioannis familiaritate confisus, ei Magnoaldum paterno commendauit amore. Perueniente autem sancta solemnitate venturæ quadragesimæ, B. Magnoaldus accepta à Ioanne Antistite sacra benedictione Diaconatus officij, reuersus est cum gratiarum actionibus ad cellulam beati Galli Abbatis.

*B. Magnoaldus ordinatur Diaconus à Ioãne Episcopo Constantiensi.*

Die itaque quadam dum post laborem matutinalis officij quiescendi gratia lectos suos reuiserent, primo diluculo vir Dei vocauit Magnoaldum Diaconum suum dicens illi: Instrue sacræ oblationis ministerium, vt possim diuina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille, num (inquit) tu pater Missam celebrabis? Dixit ergo ad illum, post huius vigilias noctis, cognoui per visionem, Dominum & patrem meum Columbanum de huius vitæ angustiis hodie ad paradisi gaudia commigrasse. Pro eius itaque requie sacrificium salutis debeo immolare. Et signo pulsato cœperunt Missas agere, & precibus insistere pro commemoratione B. Columbani. Finito sacræ deuotionis officio, venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum Diaconum: Fili, non tibi graue videatur petitionis meæ pondus, & arripe viam, & Italiam petito, pertransiensque vsque ad Monasterium quod Bobium nominatur, diligenter perquirito, quid actum sit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam, vt si eum

*S. Gallus diuinitus cognoscit S. Columbanum migrasse ex hoc seculo.*

compereris defunctum, possis agnoscere, vtrum visio mea veritatis fulciatur effectu.

*Iussu S. Galli B. Magnus pergit in Italiam.*

Hæc ergo omnia solicita inuestigatione perdiscēs, regressus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes magistri prouolutus, ignotum sibi iter conquestus est: sed vir benedictus voce blanda, eum ne timeret, admonuit, & perge, inquiens, & Dominus diriget gressus tuos. Hac consolatione roboratus pij doctoris alūnus præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico, viam festinanter aggressus est, memor prophetiæ B. Columbani, qui asseruit, eū venturum esse ad sepulchrum suum in Italia, & baculum suum assumere, sanctumque Gallum per eum absoluete. Cumque peruenisset ad Monasterium, vt volebat, inuenit omnia contigisse, sicut patri suo per visionem fuerant reuelata. Mansit autem ibi vna nocte, & accepit epistolam à fratribus ad beatum Gallum continentem transitum beati venerādi Columbani, qui & baculum ipsius per manum Diaconi transmiserunt dicentes, S. Abbatem ante transitum suum iussisse, vt per hoc notissimum pignus absolueretur. Dimissus autem ab illis iter accelerauit, & prosperè in omnibus agens, die octaua peruenit ad Dominum suum & patrem, ferens epistolam relationis & absolutionis iudicium. Lecta Epistola S. Gallus, charissimi patris amoré pleno retinens corde lacrymas vberrimas profudit, & collectis fratribus, causam mœroris aperuit. Deinde tanti patris memoriam precibus sacris & sacrificiis salutaribus frequentarunt. Commoratus est autem beatus Magnoaldus cum Sancto Gallo ferè annos decem post perpetratum iter ab Italia, decimo verò anno defunctus est B. Gallus.

*Bobiēses Monachi mittūt B. Gallo baculum S. Columbani.*

*Obitus S. Galli.*

## S. THEODORI EREMITÆ, De Vita Sancti Magni Confessoris Sodalis sui, LIBER SECVNDVS.

*Habetur tom. 2. Rerū Alamannica.*

*Ab Ermenrico Eleuuangensi Monacho emendatus & distinctus.*

### CAP. I.

POST transitum igitur B. Galli relictus est Magnoaldus & Theodorus in cella ipsius. Prostrauerunt se in orationē, Domini misericordiam implorantes, vt disponeret iter eorum secundum suam voluntatem partibus orientis, ne quasi fraudulenter abscedentes, B. patris corpus relinquerent, memores iterum prophetiæ B. Columbani, quia prædixerat venturum fore B. Magnoaldum in Eremo orientali ad fontes Alpium Iuliarum, vbi B. Narcissus Episcopus Tholozanæ ciuitatis iussit diabolo draconem interficere, quando Sanctam Aſram conuertit ad fidem. Sequenti verò nocte per visionem B. Magnoaldo demonstratum est, vt fiducialiter pergeret, Dominique sibi adminiculū semper nosset adesse. Facto igitur manè iterum orationibus attentius exorati sunt, vt Dominus eis demonstraret viam & voluntatem suam. Aduenientе ergo meridie Presbyter quidam ex ipso pago, nomine Tozzo, qui iam auditam habebat famam B. Galli, & ideo ad sepulchrum eius veniebat ferens ardentem cereum in manu, quem quidem miro modo illuc attulit, scilicet vt quando noctu proficiscebatur, cereus ardebat, & nullo modo à vento extingui poterat; die verò adstante, lux ab ipso cereo per se illicò subtracta est.

*Narcissus Episcopus Tholozanus præcipit diabolo interficere draconem.*

*Nota insigne miraculū de cereo allato ad sepulchrū S. Galli.*

Cumque viderent eum B. Magnoaldus & Theodorus venientem, & cereum nihil per ardorem minui, admirantes obuiauerunt ei, & interrogauerunt vnde veniret. At ille per ordinem exposuit vnde erat, & quomodo ei reuelatum fuit vt visitaret sepulchrum B. Galli, imò eos, quos inueniret, velle proficisci ad partes orientales, recto itinere duceret, vsque dum ad locum desideratum venirēt. Illi autem hæc audientes prostrauerunt se in orationem Domino gratias agentes, qui talem ducem eis ostendere dignatus est, & neque per angustam viam errare permitteret, & tunc demum suscipientes Presbyterum deosculati sunt eum, & duxerunt in Ecclesiam ad sepulchrum B. Galli, factaque oratione miserunt eum in hospitium suum tribuentes ei, prout poterant, necessaria, & conuiatorem eligentes. Sicque præfatus Presbyter pernoctans cum eis, orto manè orantes coram sepulchro B. Galli, & benedicentes Deum, atque valedicentes fratribus, qui ibi erant, simul profecti sunt. Arripientes verò iter iuxta lacum Brigantinum relinquentes eum in sinistra parte, vsque ad locum qui dicitur Brigantium, peruenerunt, ibi morati sunt duos dies. Tunc verò illis ibi commanentibus, cæcus quidam qui multorum hominum cognitioni pago in illo consistentium notissimus erat, obuius fuit B. Magnoaldo, postulans ab eo alimentum necessarium. Ille autem reminiscens Apostolicæ sententiæ dixit: Non sum ego dignus, me æquiparari eius sanctitati, qui dixit, argentum & aurum non est mihi, sed in nomine eius, qui & ipsam potestatem dedit, vt faceret, quod fecit, & cæcum illuminauit, aperire oculos tuos imploro, vt videas, & manibus tuis laborando victum acquirere possis. Et hoc dicto liniuit oculos cum saliua sua, nec mora, plurimo sanguine ex eius oculis prorumpente aperti sunt, & videns corruit ad pedes eius, & dixit: Domine, quoniam Magnus es tu, & magna opera tua, ideoque si vis, sequar te, quocumque ieris. Ille respondit. Si vis Domino seruire, sequere me. Sicque post signum hoc perpetratum ab incolis terræ illius vocatus est Magnus, & profecti sunt ambo, scilicet B. Magnoaldus & Theodorus, sequutusque est eos cæcus Domino gratias agens de recepto visu, comitaturque cum eis dux itineris præfatus Presbyter nomine Tozzo.

*Cæcus quidā illuminatur à Sācto Magnoaldo.*

### CAP. II.

VEnerunt itaque post aliquot dies ad locum, qui vocatur Campidona, ibique repererunt oppidum valde amœnum, sed penitus desertum. Tunc interrogauit B. Magnoaldus Presbyterum, quomodo ille locus vocitaretur, vel fluuius, qui ibi defluebat. Ille respondit. Locus iste ab incolis terræ huius sæpissimè visitatur & vocatur Campidona, sed non ausi saltem vna nocte hic manere propter genera diuersa vermium, qui hic sunt. Fluuius verò vocatur Hilara: hilaris autem non est, quoniam multos homines conturbat propter velocissimum cursum suum, eosque potius in mœrorem vertit quàm hilaritatem. Nos autem oportet velociùs transire, ne vermes nos hic esse sentiant: quoniam si senserint, magnum impetum facient super nos ad deuorandum. Plurimos namque homines, qui causa venationis huc venerunt, deuorauerant, non permittentes eos saltem vna nocte hic iacere. Respondens B. Magnoaldus dixit, verè





*Fides magna S. Magnoaldi.*

Dominus noster Iesus Christus potestatem habet similiter hos vermes de isto loco eiicere, sicuti habuit eiiciendi vrsos & lupos, cæteraſque feras, imò & vermes, necnon & dæmones per orationem Domini & magistri nostri Galli de loco, quem ipse elegit ad construendam cellulam, & ad corpus suū sepeliendum. Nos ergo permittente Domino, oportet hac nocte hic manere, & dixit ad Theodorum, frater tuum est orare, & Domini misericordiam implorare, vt nobis auxilium præbeat, ad eiiciendos vermes de isto loco, & dæmones qui in eis latitant; quoniam à te est iste locus construendus, & ædificandus. Ideoque oremus pariter, vt Dominus nos exaudire dignetur, & mundemus istum locum, qui est ab hominibus propter timorem vermium inhabitabilis. Et hæc dicens prostrauerunt se in orationem. Dum verò orarent, egressus est de oppido serpens magnus, qui dicitur Boa, impetum faciens super beatos viros iacentes in oratione. Presbyter ergo, qui eos ducebat, videns eum exclamauit voce magna, dicens: Heu mihi, quia huc vos adduxi, & in fugam versus simul cum eo, qui cæcus fuerat, festinabat ad vnam arborem, vt se liberaret.

### CAP. III.

BEatus verò Magnoaldus confisus de Dei misericordia, surrexit, & faciens signum Crucis coram se, arripiensque cambocam, quam à S. Gallo acceperat, & crucem quam secum gerebat, perrexit in occursum vermi, & dixit. Impero tibi in nomine Domini mei Iesu Christi, vt hic iaceas, & diabolus qui in te latitat, ipse te interficiat adiuratus per Deum viuum, & verum. Et cum hoc dixisset, percussit eum cum camboca in caput, & confestim vermis crepuit medius, & mortuus est. Cæteri verò vermes qui intus in oppido, & circa ipsum oppidum, morabantur, omnes in fugam versi sunt, & nusquam comparuerunt. Sicque mundatus est locus, & morati sunt ibi vnam hebdomadam Domino agentes gratias, qui eos exaudire dignatus est.

*S. Magnoaldus Draconem ingentem interimit.*

### CAP. IV.

THeodorus itaque vt vidit tam magnum signū factum à Domino, & à B. Magnoaldo, surrexit de loco, in quo iacebat, orans, & eleuatis manibus ad cælum dixit: Domine Deus omnipotens, qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, tibi gratias refero, te inuoco, te adoro, tibi laudes psallo, qui nos liberare dignatus es à tanto periculo, & à tali deuoratione vermium. Et cum hoc dixisset, concurrit ad beatū Magnoaldum, flexoque poplite osculatus est genua eius, necnon quasi lingens manus suas, & oculos, dixit, verè non vocaberis vltra Magnoaldus, sed Magnus, quoniam tibi Dominus tantam gratiam contulit, vt per te iste locus purificaretur non solum à vermibus, verùm etiam à dæmonibus. Ad hæc B. Magnus; noli dicere, frater, non sum ego magnus, sed minimus seruus seruorum Christi, qui nos liberare dignatus est à tali periculo. Quæ ergo orationes à Deo exauditæ sunt, & ideo non meis meritis, sed Dei iussione isti vermes recesserunt. Nunc ergo voca conuiatorem nostrum, & purgemus locum istum, quia Dominus vult eum præparare ad ædificandam cellam. Memento quomodo patri nostro S. Gallo accidit in loco, quem ipse elegit ad manendum, ita, & nobis suis meritis interuenientibus à Domino concessum est. Idcirco nulli dubium sit, quin Dominus velit præparari sibi locum istum. Presbyter verò vt vidit eos ambos esse incolumes, descendens de arbore ad quam confugerat, & cæcus, qui visum receperat, simul cū eo prostrauerunt se ad pedes eorum, & ait Zozzo, verè Dominus est in loco isto, quia B. Magno talem gratiam contulit, vt cum sua camboca tale signum inauditum faceret. Nunc autem fiduciali-ter ducam vos per deserta, & angusta loca, vsque ad locum quem elegistis ad manendum, quia video vobis à Deo tantam potestatem tributam, vt per vestra merita iste locus purificetur, & qui nunc est inhabitabilis, habitabilis efficiatur.

*Humilitas Magni, aliàs Magnoaldi.*

Respondens B. Magnus dixit, præsentem hebdomadam hic moremur, vt ædificemus oraculum paruulum, vt discat populus terræ istius, qualem misericordiam eis Dominus conferre dignatus est, manseruntque ibi ipsam hebdomadam. Presbyter verò cucurrit per vicina loca sibi cognita ad homines, qui ibi morabantur, diffamans hoc signum. At illi venerunt illuc, & attulerunt alimoniam præfatis fratribus sufficientem nimis, admirantes de tanta virtute Dei, & plurimi per prædicationē B. Magni Diaconi ad fidem cōuersi, baptizati sunt à præfato Presbytero Zozzone, & Domino gratias agēntes, manserunt ibi colentes illam terram, & construentes cellulam, simul cū B. Magno & Theodoro. Transactis igitur illis diebus, pernoctātibus illis in oratione, die verò laborantibus cum matutinale officium tertia nocte oriente aurora diei surgentes celebrare vellent, subitò dæmones in aëre volitātes, eiulantes, & cum magno strepitu & fremitu voces emittentes, atque impetum quasi supra Zozzonem Presbyterum faciētes clamabant, tu inimice senioris nostri, & noster, vt quid induxisti virum istum cum socio suo in locum istum, qui & nos & membra nostra per quæ multas animas lucrabamur, à loco isto expulit?

*Multi ad prædicationē B. Magni cōuertuntur.*

*Dæmonū lamentationes & cruciatus ob conuersionem animarum.*

### CAP. V.

MAgister autem illorum semper nos cum suis maleficiis, sicut & iste, inuocato nomine Domini vincere consueuit. Iste verò nō solum nosmet-ipsos, verum etiam membra nostra cum terribili nomine Adonai victos habet & expulsos. Hoc audiens præfatus Presbyter tremefactus est, tamen muniens se signaculo S. Crucis festinus ad virum Dei perrexit, & indicauit illi quæ viderat & audierat.

### CAP. VI.

TVnc S. Magnus pariter cum Theodoro prostrauerunt se in orationē, & huiusmodi verbis Dominum deprecatus est dicens: Deus omnipotēs, ineffabilis bonitas, & in æstimabilis pietas, qui nos secundum misericordiam tuam, non secundum merita nostra à membris istorum dæmonum, & à venenis mortiferis illorum eripere dignatus es, tu auditu placido has à nobis susci-pe preces, sicut suscepisti in his ipsis verbis magistri nostri Galli, & iube hos dæmones hunc locum deserere, vt sit sanctificatus in honore nominis tui. Et surgentes ab oratione, egrediētesque de oratorio audierunt dæmones clamantes, atque dicentes; tu Magne cum Trinitate tanta mala nobis obiicis, & tu Theodore, quid tibi est nobiscum? Venient dies

*Oratio SS. Magni & Theodori.*

*Dæmones minau intendit Theodoro.*

dies quando non habebis Magnum iuxta te,& tũc pugnaturi erimus aduersum te per varios errores homines terræ istius aduersum te excitantes.S. verò Magnus respondens dixit. Miseri, confitemini, scitis Sanctam Trinitatem Dei? Et illi dixerunt,scimus eam ineffabilem esse & immensam. Et B.Magnus, nunc iam quia confessi estis B. Trinitatem, impero vobis per immensam potentiam Trinitatis, vt hunc locũ deserentes, in montes desertos eatis, vbi Dominus voluerit, & huc reuertendi vlteriùs potestatem non habeatis. Ad hanc vocem continuò dæmones eiulantes dixerunt. Heu quid faciemus? Alium Gallum hic habemus. Iste Gallus peior priore est, quia cũ suis gallicinijs nos & membra nostra pariter eiicit, sed nec in Eremo manere permittit. Porrò ex illa die tam pleniter abscesserunt, & in fugam versi sunt,vt postea ibi non comparerent, sicque factum est vt ab illo die homines in illo loco tranquillè Domino gratias agentes habitare permissi sint.

*Expelluntur à B. Magno.*

## Cap. VII.

His ita gestis, B. Magnus Diaconus dixit ad Theodorum, Deo age gratias frater,quia dæmones recesserunt. Nunc bonum est vt locus iste à te custoditus & constructus sanctificetur, ne populus istius loci, & qui deinceps venturi sunt huc ad orandum potiùs quàm ad venandum conueniant. Theodorus respondens dixit, mi Domine iuxta præceptum tuum facio, sed vt audiero te consolidatum in loco à Deo tibi electum veniam, & visitabo te. Et his dictis valedicentes,seque inuicem deosculantes, profectus est B.Magnus,accepto secum conuiatore & duce itineris Zozzone Presbytero, relinquens cum Theodoro cæcum qui visum receperat. Cœpto itaque itinere, transitoque fluuio, perrexit recto tramite sicut cum viator ducebat; sicque venerunt ad locum qui vocatur Epthaticus, & inuenerunt ibi Episcopum S. Augustæ Ecclesiæ nomine Vvichpertum. Zozzo igitur propter notitiam quam habebat Episcopi præcessit beatum Magnum, venitque ad eum, & narrauit ei omnia de sancto viro, quæ audierat & viderat, seu de itinere eius, necnon de aduentu suo ad eum, imò & de loco ad quem Dominus eum destinauerat ad manendum.

*Vvichpertus Episcopus Augustensis honorificè Sanctũ Mognoaldum & socios suscipit.*

Præfatus autem Episcopus interrogauit de qua origine esset. Et respondit Presbyter.Domine sicut audiui à Theodoro, qui nunc est relictus ad Campidonam, de Hybernia prouincia est ortus. Vt autem audiuit Episcopus eius famam bonam,suscepit eum benignè, cœpitque cum eo loqui, atque cum honore fouere.Et moratus est cum eo paucos dies ciscitans ab eo quotidie de B. Columbano & Gallo. Deinde interrogauit eũ vbi volũtas sua esset proficiscendi. Respondens B. Magnus dixit,Domino auxiliante directus sum ad locum qui vocatur Fauces, vbi propè sunt fontes Alpium Iuliarum, & vbi Draco fuit, qui iubente Narcisso Episcopo, à diabolo interfectus est,quatenus Domino annuente quicquid boni ædificare potuero faciam. Nunc igitur paternitas tua decernat quomodo tua volũtas me sit agere, quoniam ad tuum imperium prõpto animo debeo facere, sicuti mihi Dominus reuelauerit per os tuum. Ego autem iam senex & grandæuus cupio in vltimo meo tempore illum locum, si tuæ paternitati placet, inuisere, & Deo ad inseruiendum præparare. Ad hæc Vvichpertus Episcopus respondit, locus ille valde est angustus & inhabitabilis populo, etiam feræ diuersæ ibi morantur, id est, cerui, apri multi, plurimi vrsi, & propter illorum multiplicationem Dominus Rex Pipinus ad suam venationem exercendam illum saltum tenet, serpentes etiam plurimi ibi morantur.

## Cap. VIII.

Beatus Magnus Diaconus Spiritu sancto repletus dixit; pater, talem gratiam habuerunt magistri mei Columbanus & Gallus, vt quando ad talia loca venerint,Dominus noster Iesus Christus feras diuersi generis per orationes illorum ilicò expulerit ab illis locis, in quibus manere decernebãt. Similiter ego credo in Dei misericordia,quod non permittet eas manere in ipso loco dum aduenero. Acquieuit autem Vvichpertus Episcopus verbis ipsius, & dedit ei solamina ciborum, præbens ei conuiatorem supra scriptum Presbyterum Zozzonem, & duces itineris qui eum perducerent ad locum à Deo sibi destinatum. Cumque venissent ad locum qui dicitur Caput equi,iacebat ibi in quodã loco Draco magnus, qui nõ permittebat vllum hominem per illam viam transire, neque equum, & idcircò vocatus est locus Caput equi,quia omnes viatores reliquerant ibi caballos suos, & pedestres ibant ad venandum. Cum ergo B.Magnus Diaconus in vicino loci illius veniret, dixit ad Presbyterum, frater, constituamus nobis hic tabernaculum hac nocte ad manendum, & oremus Dominum vt expellat præsens membrum diaboli ab isto loco, atque aditum permittere dignetur nobis ad transeundum. Fecerunt itaque vt imperauerat, & manserunt ibi. In tota autem nocte non cessauit beatus Magnus orare, & Domini misericordiam implorare,vt Draconem subuertere dignaretur.Circa verò mediam noctem surgens B. Diaconus, dixit ad Presbyterum, mitte mecum hominem, qui me ducat ad locum angustum vbi Draco iacet, & respondit Presbyter, timeo ne si illuc induxero, ab eo deuoreris. Ad hæc vir sanctus, non possum timere, quia Deus illum tradet in manus meas. Pergamus ergo fiducialiter, quia qui liberauit Danielem de lacu leonum, potest & me eripere de manu huius bestiæ.Itaque cum hoc dixisset,misit in peram suam panem sanctificatum, & in manu sua sumens picem & resinam, atque Cambocam S.Galli crucemque pendens collo suo perrexit,& dixit: Deus omnipotens, qui eduxit me de regione longinqua,ipse sicut Tobiæ famulo suo mittat Angelum suum mecum, qui me liberet ab ore istius Draconis,& ostẽdat nobis locum desideriis aptum salutaribus. Et hæc dicens muniuit se signaculo S.Crucis,& de pane sanctificato misit in ore suo, & paululum aquæ, sicque venit ad locum vbi Draco iacebat,relinquẽs omnes socios in tabernaculo præter vnum solum ducem itineris.

*Caput equi locus quidã vnde sic dictus.*

Cumque vidisset eum Draco, ilicò surrexit impetum faciens super eum. Ille habens in manu picem & resinam proiecit in os eius inquiẽs: Adiuua me Domine Deus meus, & cum hoc dixisset, confestim Draco cœpit ardere, & crepans mortuus est. Vt autem ille vidit qui cum eo erat hoc peractum, surrexit continuò, & peruenit ad socios, & dixit, surgite, egredimini, & venite, quia iste magnus vir Draconem interfecit. Surrexerunt ergo, & inuenerunt beatum Magnum Diaconum iacentem in oratione, & gratias Deo referentem:dignum quippe erat, vt qui tale opus diuino inchoabat amore, instantissima prece semetipsum Domino commendaret,quoniam Dominus sicut per os beati Narcissi Episcopi

*Alium Draconem interficit S. Magnus.*



Episcopi diabolum compulit vt alium draconem interficeret, ita & per manus tanti viri fecit socium eius per ardorem ignis interire.

## Cap. IX.

Vt viderunt autem Draconem mortuum descenderunt ad rupem, de qua idem Draco impetum facere visus est super sanctum virum. Presbyter dixit, gratias tibi agimus, Domine, qui nobis talem virum, & tam magnum ostendere dignatus es, vt per merita sua ista purificentur efficianturque habitabilia, quæ antè erant inutilia. Facta verò oratione transierunt illum angustum locum, & venerunt per viam iuxta Licum flumen ad locum quendam amœnum.

*Gestat Reliquias S. Magnus qui & Magnoaldus.*

Habebat autem B.Magnus Diaconus pendentem in collo crucículum, in qua continebantur reliquiæ B.Dei genitricis Mariæ, & de ligno S.Crucis, atque sanctorum Martyrum Mauricij, & sociorum eius, necnon beatorum Confessorum Columbani & Galli. Inuenit ergo supra præfatum flumen locum valde amœnum, & à littore præfati fluminis spatio quasi cubitis triginta arborem pomiferam valdè decoram,suspenditque cruciculam in ipsa,& vocauit presbytẽrum, atque prostrauerunt se pariter coram crucicula in orationem. Tum venerabilis vir preces ad Dominum emisit dicens: Domine Deus meus Iesu Christe qui in hunc mundum venire dignatus es, ne despicias deprecationem meã, sed permitte nobis construere in hoc loco oratorium in honorem nominis tui, & S.genitricis tuæ. Finita oratione cœperunt iacere fundamentum, & ædificauerunt Ecclesiam.Qua perfecta rogauerunt Vvichpertum Episcopum vt veniret, & eam Domino & S. Mariæ consecraret. Venit ergo præfatus Episcopus ad illum locum,admirans valde quomodo illuc peruenire potuissent. Dedicauit ergo Ecclesiam in honore B. Dei geniticis Mariæ, & S.Floriani Martyris, & sic administrari cœperunt ad laudem Domini Iesu Christi in illo loco diuina officia.

*Construit Ecclesiam in honorem S. Dei genitricis.*

## Cap. X.

Igitur cum fama virtutum per confessoris sui merita, quas Dominus in illo loco exhibere dignatus est, venerabili Episcopo nota facta esset, quosdam religiosos Clericos in discipulatus eius curam commendauit, qui diuino amore succensi, per vigintiquinque annorum curricula obsequia præbentes, laudem Christi die ac nocte, horis atque momentis iussu eius administrabant. Relictis itaque patri venerabili quæ necessaria erant, profectus est suprascriptus Episcopus Vvichpertus ad gloriosum Regem Pipinum, qui tunc temporis totam Germaniam Galliamque regebat, cum epistola B. Columbani, quam ipse quondam ad Lotharium direxit, flagitans pro sanctis viris Gallo & Magno in regno suo consistentibus, vt eos benigne in amore Dei foueret, eisque familiaria loca prout opportunum foret,pro sua gratia tribueret,& quoniam Lotharius minimè hoc adimplere voluit propter diuersorum inimicorum Dei infestationes præfatus Rex propter amorem, & petitionem fratris sui chariſſimi Carlomanni, qui propter Deum relinquens temporalem regalis gloriæ pompam, Monasterio se tradidit, & eleemosynæ suæ largitem, necnon & petitionem præfati Episcopi ipsum locum sublimare in aliquo largitionis suæ solatio dignaretur. Cumque gloriosus Princeps accepisset epistolam, compunctus ex petitione fraterna diligenter interrogare cœpit suos proceres ex Alamannia qualis ille locus esset, quem præfatus Episcopus postulabat sublimari. Tunc Dux eius Cuntzo ex prouinciis Augustæ & Rhetiæ respõdens dixit: verè Domine Rex ille locus tenuis quidem est facultate, sed optimus ad venandum, si fœuitia serpentium non impediret. Vvichpertus verò Episcopus cœpit narrare de virtutibus B.Magni, quomodo Domino adiuuante Draconem interfecit,& cæteras virtutes,quas Dominus per merita & orationes ipsius in illis locis ostendere dignatus est, vel quomodo ille locus purificaretur vbi vir Dei morabatur.

*Cuntzo Dux Augustæ & Rhetiæ.*

Hæc audiens glorioſus Rex Pipinus commotus valdè animo,dixit. In veritate comperi,quia quamuis ille locus tam tenuis sit facultate, tamen pro meritis tanti viri celebri erit diffamandus rumore, sicut auditum habemus iam locum esse vbi corpus B.Galli requiescere videtur. Inquisiuit ergo à præfato Duce quomodo in vicinis locis potuisset tributarios inuenire de eodem pago, qui vectigalia annuatim redditibus Regiis inferre deberent. Et inuenit in ipso vicino loco pagum, qui vocatur Keltinstein sibi per omnia annuatim tributa persoluere. Inter cætera ergo munificentiæ suæ dona, quæ impertiuit beato viro dedit ei totum ipsum saltum cum marcha, firmitatemque in epistola sua fecit conscribi, & vectigalia centum & tredecim, quæ ex præfato pago inferri debeant annuatim, quatenus pró memoria beneficiorum eius perpetuo ibi permanerent.

*Pipinus Rex multas possessiones largitur B. Magno.*

His regiæ pietatis Vvichpertus Episcopus adornatus solatiis, & sublimatus honoribus, impertitisque donis optimis B. Magno à Rege Pipino, lætus ad patriam regreditur, tribuens beato viro ea cum omni diligentia, dansque ei potestatem vt in loco sibi commendato ad supplenda B.Mariæ obsequia omnem ordinem canonicæ institueret vitæ. Et ex illo tempore ipse locus à B.Magno exordium sanctitatis accipiens, augmentatus autem & sublimatus à pontificibus Augustensibus Christi nomen vsque hodie laudabiliter dilatare non desinit.

*Carlemannus spreto temporali regno fit Monachus.*

## Cap. XI.

His itaque prælibatis cum audisset Theodorus qui apud castrum Campidonense morabatur, beatum Magnum consolidatum in loco quem Dominus disposuerat, cœpit properare in illas partes vt videret qualiter, & quomodo Domino annuente in his locis moraretur. Vt autem ad eum peruenit cum salutassent se inuicem, & deoscularentur oculos pariter & manus, narrauit ei Theodorus diuersa & innumerabilia quæ passus est à paganis Hilargaugensibus: sed tamen quamuis tantas iniurias, & calamitates ab eis sustineret, ædificasse se Ecclesiam paruam super littus Hilaræ,quam postulabat vt apud Vvichpertum Episcopum impetraret; quatenus illuc proficiscens ipsam basilicam Domino in honore sanctæ Mariæ genitricis eius consecraret. Venerunt quippe ambo ad locum qui vocatur Epthaticus, repereruntque ibi supra scriptum Episcopum in oratorio suo sedentem, & orantem. Ergo vt obtutibus eius præsentati sunt, narrauit

*Theodorus Eremita hucusque historiæ Auctor multa patitur à paganis.*

*Cõstruit Ecclesiam in honorẽ B. Dei genitricis Virginis Mariæ.*

rauit ei B. Magnus Abbas de Theodoro, qualiter cum magno labore Eccleſiam conſtruxiſſet in loco Campidonenſi, & quomodo deprecabatur vt ipſe illuc pergeret, & ipſam Eccleſiam Domino dedicaret.

Audiens hæc venerabilis Epiſcopus dixit ad eos, dicam vobis ego prius quæ nunc cogitabam, & ſic congruo tempore Domino annuente proficiſcar. Verè chariſſime pater Magne, nunc hic ſedens cogitabam, vt quia iam te Deus omnipotens ita magnificatum habet in illo loco per multa miracula eius, accerſirem te proximo venturæ ſolemnitatis ieiunio ſeptimi menſis, & ad ſacerdotij dignitatem ſuperna gratia fauente te promouerem. *Humilitas S. Magni.* Inclinato denique capite, B. Magnus inquit, cur hanc obiectionem aſſeris pater? peccatorum meorum ſqualoribus & flagitiis fœtere me video: idcircò vita mea non eſt talis, vt amabilis paternitas tua me ad tantam dignitatem promouere queat. Ergo noli deprecationem meam abiicere, ſed Domini prouocatus mandatis incipe ſalubre iter, viamque veritatis deſiderãtibus aperi, poſtea mihi ſeruo Dei indigno, quando paternitati tuæ placuerit, ſanctum benignitatis munus impende, ne refutare videar quæ à Domino diſpoſita ſunt ſuper me ſeruum eius. Et cum hæc diceret, viderunt ambo, id eſt, Vvichpertus & Theodorus, coronam ſplendidiſſimam adhærentem capiti eius in modum rotæ circa ſolem in nubibus fulgentem. *Corona reſplendens diuinitus apparet ſupra caput S. Magni.* Continuò ſurgẽs Epiſcopus amplexatus eſt eum, & oſculans oculos & os eius dixit, Deus omnipotens qui per potentiam maieſtatis ſuæ in te tantam virtutem oſtendere dignatus eſt, vt pro eius amore patriam tuam derelinqueres, & præcepta eius conſeruares, ipſe te faciet locum ab eo tibi deſtinatum cuſtodire, & ſublimare cooperante gratia Spiritus ſancti. Et reſpondit Theodorus, Amen.

Ad hæc iterum inquit Epiſcopus; Bene vocatur locus iſte Epthaticus, quia in medio conſtat inter Monaſterium B. Afræ, & cellulam tuam. His dictis ſurrexit venerabilis Epiſcopus, & profectus eſt ad caſtrum Campidonenſe, deſcenditque cum illo B. Magnus comitante ſimul cum eis Theodoro, & venerunt ad caſtrum. Conuocata autem multitudine populi, in die ſolemni dedicationis huius Eccleſiæ vir venerabilis Epiſcopus prædicationis dulcedine auidorum corda refecit, ſicque petitione eius B. Magnus poſtea quæ ipſe dixerat, tanta ſapientiæ luce veſtiuit corda populorum, vt cum ſumma gratulatione auditus, & ineffabili veneratione, ac cunctorum ſit honore ornatus. Biduo itaque ibidem manentes cum gratiarum actione, populoque tanti patris benedictione armato, & ab Epiſcopo oſculo pacis tributo, ad ſua reuerſi ſunt, venerabilis ſcilicet Epiſcopus, & S. Abbas, relinquentes Theodorum ad cuſtodiendam Eccleſiam Campidonenſem.

## Cap. XII.

*S. Magnus Abbas Monaſterij ad Fauces.*

BEato itaque Magno morante in cœnobio ſuo quod ſibi parauerat ad Fauces, per viginti quinque annos magnas virtutes ibi operatus eſt Deus per eum, illuminans cæcos, præbens ſurdis auditum, dæmonia à plurimis eiiciens, claudicantibus tribuens greſſum. Sicque docuit populum, & conuertit ad fidem Chriſti & ad credulitatem eius, vt relinquerent idola vana & ſurda, & crederent in Dominum Ieſum Chriſtum, inſuper etiam per orationem eius oſtendit Deus venas ferri in montibus gyro poſitis, ita. Poſt ſuſceptam enim benedictionem ſacerdotalem, cum ipſe circuiret montes & colles per diuerſa loca explorans & intuens plurima loca apta ad manendum, quadam die aſcendens in montem excelſum, qui vocatur Svviling, inuenit ibi plurimos vrſos commorantes in maxima ferocitate, ſed facta oratione, cœperunt ante eum tam mites incedere, veluti boues qui ante bubulcum pergunt ita irẽt ante eum. Vir ergo ſanctus proſtrauit ſe in figuram Crucis ad terram, & preces deuotas Domino effudit, vt populo in illo pago moranti aliquod adminiculum præberet ad victualia acquirenda. Interea vrſus vnus appropinquans ad eum cum magna mitigatione, cœpit cum pede monſtrare abietem magnam, quaſi ſignificans quod ſub ipſa arbore copia venarum ferri eſſet. Hoc vt homo Dei vidit, dixit ad feram: Præcipio tibi in nomine Domini mei vt ad ipſam abietem eas, & quia ſecurim non habemus, neque foſſorium, vt poſſimus radices eius incidere, neque effodere; tu in nomine Domini, cum pedibus & dentibus tuis radices eius euelle, quatenus nobis Dominus demonſtret ſuam voluntatem in adiutorio populi iſtius terræ. Ad eius ergo præceptum bellua conuerſa cœpit radices arboris rumpere, & cum dentibus frangere. Illa verò cum radice funditus ab vrſo effoſſa corruit. Vir denique benigniſſimus gratias Deo agens, aſſumens panem de pera ſua integrum famulanti porrexit, & ei ita præcepit: In nomine Domini mei Ieſu Chriſti, panem iſtum manduca, & ſequere me, atque ad iſtum locum hominem, quem tibi monſtrauero, abſque vlla læſione adducere ſtude, defendens eum ab aliis feris ſi eum lædere voluerint, & hoc facto circumpoſito, montes & colles cum aliis feris habeto communes, ita vt nullum hic hominem lædatis, neque pecora eorum. Et his dictis reuerſus eſt beatus Magnus ad cellulam ſuam, ſecutuſque eſt eum vrſus ſicut canis qui ſequitur dominum ſuum.

*Venæ ferri diuinitus ipſi reuelantur.* *Eius precibus Vrſi manſuefiunt.*

Ergo vt ad cellam appropinquauit, vocauit hominem ſuum, nomine Luitonem, & præcepit eum venire & afferre ſecum ſecurim & foſſorium, atque aſciam, & commendauit eum vrſo, & ait: Iſtũ hominem ſanum & incolumem perduc ad locum quem Dominus oſtendit nobis, & caue ne aliquam læſionem ab aliis feris patiatur. Bellua itaque conuerſa obediẽs iuſſioni eius, cœpit pergere ante hominem, & aperire viam, atque monſtrare ſemitam, adduxitque eum ad locum incolumem, vbi arbor corruerat, nullam aliam feram permittens ad eum appropinquare, donec vir effodiens, ſaccum ſuum metallo impleuit, & per eandem ſemitam vſque ad cellulam viri Dei reduxit. Hoc facto Vrſus ad ſaltum reuerſus eſt. Homo verò proſtrauit ſe ad pedes B. Magni, & dixit: Verè domine nunc cognoſco, & certus ſum, quia Dominus omnino eſt tecum, quoniam & beſtiæ Eremi obediunt tibi. Nam me Vrſus ita prouidit & cuſtodiuit, vt nec alias feras ad me accedere permitteret. Ille dixit ei, caue diligenter ne alicui hoc dicas dum ego vixero, ſed præpara aditum cæteris hominibus, ſicut ipſe Vrſus te duxit, quatenus viam noſcant illuc proficiſcendi, & Domino annuente deinceps opem habeant ad victualia cæteraque neceſſaria per ferum acquirenda. Ab illo ergo die, notæ factæ ſunt incolis terræ illius in illo loco & gyro diuerſæ venæ ferri per merita & orationes B. confeſſoris Chriſti Magni.

*Nota quid mirum.*

Cap.



## Cap. XIII.

*Vvichpertus Epiſcopus moritur, cui ſuccedit Zozzo presbyter.*

CVmque tranſiſſent viginti quinque anni, & Dominus illum locum per merita tanti viri ſublimare decreuiſſet, Vvichperto Epiſcopo defuncto 14. Calendarum Maiarum, Zozzo per electionem B. Magni ad pontificatus honorem à Pipino glorioſo Rege iam in vltimis ſuis diebus perductus eſt. Sed finitis 26. annis, beatus pater ægrotare cœpit, atque in infirmitate febrium langueſcere. Miſit ergo ad Theodorum ſodalem ſuum, qui tunc temporis in Campidonenſi cellula morabatur, & accerſiuit eum, vt acceleraret, atque eum viſitaret, & ſua viſitatione fideliſſimum refoueret amicum. Audiens hoc Theodorus, commotione maxima de infirmitate tanti viri, animoque mœſto, celeriter in illas partes profectus eſt, ſumens ſecum prout poterat ea, quæ infirmitate laboranti nouerat congruere. Veniens autem ad præfatam cellulam, inuenit beatum virum in maxima infirmitate detentum, & miſit celeriter ad Zozzonem Epiſcopum, intimans ei vt veniret, & tantum patronum priuſquàm ab hac luce diſcederet, viſitaret.

*Ægrotat B. Magnus.*

*Viſitatur à B. Theodoro Eremita.*

Cum audiſſet hoc præfatus Epiſcopus, velociter in illas partes profectus eſt, & peruenit ad cœnobiũ beati viri. Videns autem beatum Magnum in maxima infirmitate, cœpit flere, & dicere: cur ſanctiſſime pater, me in his periculis quaſi orphanum dimittis? Ad hæc beatus Abbas inquit, noli flere venerabilis Præſul, quia me in tot mundialium perturbationum procellis laborantem conſpicis, quoniam credo in miſericordia Dei, quod anima mea immortalitatis libertate ſit gauiſura, tamen deprecor, vt orationibus tuis ſanctis me peccatorem, & animam meam non deſinas adiuuare. Inter hæc verba B. Magnus per dies tredecim laborans, expletis viginti ſex annis orationis ſuæ in illo cœnobio, ætatis verò ſuæ annis ſeptuaginta tribus in die * S. Dominici, & in octaua Idus Septembris commendans ſe Deo, & venerabili Pontifici, in ſenectute bona, circa horam nonam diei ipſius ſanctam animam Domino reddidit, de huius vitæ liberatus ergaſtulo. Flentibus Epiſcopo & Theodoro coram lectulo eius, exaudita eſt vox; veni Magne, accipe coronam quam tibi Dominus præparatam habet. Audita ergo hac voce dixit Epiſcopus ad Theodorum: ceſſemus flere frater, quia potius nos oportet gaudere de animæ eius immortalitate in hoc ſigno audito, quàm luctum facere. Sed eamus ad Eccleſiam, & pro tam chariſſimo amico ſalutares hoſtias Domino immolare ſtudeamus.

** Hoc eſt in die Dominica.*

*Tandem moritur S. Magnus.*

Finito itaque fraternæ commemorationis obſequio, inuenerunt ambo ſarcofagum optimum lapideum à quodam Duce antiquis temporibus nomine Abuzaco conſtructum, qui & ipſum conſtruxit, & à ſuo nomine ſimiliter Abuzacum vocauit: ſed non fuit in ipſo ſarcofago quiſquam poſitus neque ſepultus. Purgato ergo ipſo ſarcofago, aſſumpſerũt ſanctum corpus, & recondiderunt in loco, vbi ipſe pater ſibi oratorium conſtruxerat, & cooperuerunt humo, ponentes eius vitam ad caput eius ſcriptam, virtutibuſque plenam ſub auctoritate Theodori, ita. Ego Theodorus Monachus S. Galli, iuſſu Zozonis Epiſcopi, ſicut à Theodegiſilo Monacho S. Columbani audiui, & poſtea ipſe oculis meis vidi, & autibus audiui, ſeu poſtquam me reliquit in cellula Campidonenſi plurima, ſed non omnia in pictatio meo ſcribere curaui, & ad caput eius repoſui recondito eo in ſepulchro, quatenus futuris, A temporibus, quando Domino reuelante corpus eius ſanctum inuentum fuerit, ſicut Domino annuente illi, qui tunc paſtores & rectores ſanctæ Eccleſiæ fuerint, inuenerint iuſtum & dignum: ita ea quæ corrigenda ſunt, corrigant, & quæ emendanda, emendent, necnon pro me ſeruo Chriſti intercedere non dedignentur, quatenus orationibus tanti patroni ſuffultus, anima mea in requiem ſempiternam procedat.

*Honorificè ſepelitur à Zozzone Epiſcopo & Theodoro.*

*Theodorus Monachus & Eremita huius Hiſtoriæ auctor.*

## ERMENRICI ELEVVANGENSIS Monachi Supplementum.

VEnerabilis verò Epiſcopus poſt obitũ beati patroni Magni, prout potuit ipſum cœnobium ſemper cum ſuis cuſtodiuit, ſecundũ facultatem loci regens & gubernans, atque diſponens ea, quæ ad ipſum Monaſterium iure pertinere debebant, cuſtodiens ſanctum corpus cum Clericis, & officiis diuinis, atque luminaribus, vſque ad obitum ſuum, qui permanens poſt diſceſſum B. Magni in pontificatu annos quinque, & menſes tres, ſeptima decima Calendarum Februarij vitam ſecularem finiuit, tradens ante obitum ſuum hæreditatem ſuam ad ſepulchrum B. Magni, cum firmitate & aſtipulatione ſecũdum legem Alamannorum, ſepultuſque eſt à Clero ſuo ſub teſtimonio in eadem hæreditate.

*Zozzo Epiſcopus moritur.*

## Cap. XIV.

DEnique poſt obitum glorioſi Regis Pipini, filiis eius litigantibus, erectus eſt Huotilo in ducatum Baioariorum, & Gotefredus in regimine Alamannorum, ſicque orta magna ſeditione inter Baioarios, & Alamannos, deuaſtantibus, & deprædantibus, ſeu ſpoliantibus omnia, quæ in marchis duorum regnorum conſiſtebant, minimè quiuit Theodorus fidelis Monachus S. Galli cuſtodire locum Campidonenſem propter varias perſecutiones, ſed relinquens iſtum locum profectus eſt iterũ ad Monaſterium S. Galli, inuenitque beatum Othmarum Abbatem ipſius Monaſterij iam ſenem & grandæuum, prouectæque ætatis, ſed ſpiritu ſancto plenum, & virtutibus diuinis imbutũ, narrauitque ei omnia de B. Magno confeſſore Chriſti, quæ acciderant, & de loco Campidonenſi, & de perſecutione plurima quam paſſus eſt à paganis, vel à malis Chriſtianis.

*Seditio inter Baioarios, & Alamannos.*

*S. Othmarus Abbas Monaſterij S. Galli.*

Hæc audiens B. Othmarus dolens & mœrens de tanta perſecutione, ſeu etiam de ſua quam iam à peſſimis Comitibus Vvarino, & Ruodhardo patiebatur, quendam de fratribus eius Perechtgozum Monachum, virum prudentem, cum quatuor Monachis aliis illuc direxit, qui ipſum locũ cuſtodirẽt, donec Domino opitulãte pace reddita iterũ à Rege Carolo ſublimaretur, permittens Theodorũ morari in Monaſterio B. Galli vſque ad obitũ ſuum. Igitur Carolo Rege conſolidato & cõfirmato in prouinciis Galliæ, reſtaurans, & reædificans Eccleſias quæ à malis inuaſoribus deſolatæ erant, totam Germaniam Dominus eius ſubiugauit imperio, interfectis Principibus Germaniam poſſidentibus. Cũque audiſſet de B. Othmaro multa iniuſtè acta, eumque per cõtumelias impiorum ad finem vſque perductum, necnon cœnobium Campidonenſe, &

*Carolus Rex totam Germaniam ſubiugat.*

ciuitatem Augustensem, quippe & Monasterium S. Magni, & cellam S. Afræ penè destructam & desolatam, compunctus corde iterum reædificare cœpit ipsas Ecclesias, & sublimare. Constituit autem Episcopum Sintpertum nomine in ipsa ciuitate, restituitque omnia, quæ ab antecessore suo Pipino illuc tradita fuerant, insuper & addidit plurima, susceptoque Episcopatu * Sintpertus profectus est ad Augustam Vindelicam, & per annos ferè triginta rexit ipsa Monasteria construens basilicam S. Afræ, & restaurans cœnobium S. Magni. Parrochiam verò ambarum partium Lichi fluminis per auctoritatem Domini Leonis tunc temporis Papæ, & cõfirmationem Domini Caroli iam facti Imperatoris in vtroque regno, simul Domino fauente coadunauit. Qualiter ergo corpus B. Magni repertum sit, & inter cæteras virtutes, quæ ante sepulchrum eius Dominus per merita sua reuelare dignatus est, & quam maximam partem reperto corpore suo manifestauit, non est silendum.

* *Fuit iste Sintpertus nepos Caroli Magni, cuius vitam supra lib. 3. descripsimus.*

## CAP. XV.

DEfuncto autem Sintperto Episcopo, Lanto Episcopatum suscepit, sed cum non amplius quàm septem annos in Pontificatus honore ipsam Eccleſiam regere videretur, minimè quiuit aliquid ex his rebus sublimare, nisi tantum in Baioaria propter suam progeniem, quam ibi præsentem habebat, ea quæ potuit ad ipsam Eccleſiam acquisiuit. Transactis autem post acceptum Episcopatum septem annis, successores eius, qui in ipsa sancta Eccleſia constituti sunt, primus Nitkarius cœpit à fundamentis Eccleſiam beati Magni construere; cæteri verò Præsules eum subsequentes prout potuerunt similiter construxerunt, tamen non fuit aula basilicæ ad perfectionem operis perducta, donec Domino annuente à glorioſissimo Rege Ludouico filio Ludouici clarissimi Imperatoris, Lanto ipsam sanctam sedem, eo tribuente, adeptus est.

*Nitkarius Episcopus primus incipit cõstruere Eccleſiam Sancti Magni.*

Consecratus ergo B. vir in Pontificatus dignitate, quinto anno Episcopatus sui Eccleſiam perfecit, & omni pulchritudine decorauit, sanctumque corpus infra mediam Eccleſiam requieſcere sinẽs, sicuti prius positum fuerat, cum omni diligentia & honore, donec cum Aschiepiscopo suo, & cum cæteris fratribus suis inueniret, si eum auderet ab illo loco, ad aliam transferre. Consilio autem inito cum Archiepiscopo suo Maguntinensis Eccleſiæ nomine Otkario, & cæteris Episcopis suis suffraganeis, inuenerunt dignum fore sanctum corpus ab illo loco in meliorem & sublimiorem si Deus vellet transponere. Sicque reuersus cum licentia piiſſimi Regis Ludouici ad propria, ad cœnobium B. Magni accelerans, gratiſſimum omnibus qui adetant, manifestauit se cum Episcopis suis reperiſſe consilium.

*Eam perficit Lãto Episcopus.*

*Otkarius Arch. Maguntinus.*

Erat autem quidam frater in eodem Monasterio ex pago Duria, & quamuis pauperculus, tamen ex liberiori genere ortus. Cumque ibi moraretur, & assiduè quasi quotidianum victum suis laboribus quæritaret, graui quodam dolore in latere percussus, per spatia temporum longa infirmitate contabuit, ita vt ab humero vsque ad dexteram corporis partem in vno latere vlcera saniem emittentia paterent quamplurima. Qua infirmitate adeò grauatus est, vt vix sine aliorum adminiculo gressum mouere potuiſſet. Lanto verò Episcopus conuocatis plurimis Presbyteris ex parrochia sua indixit triduanum ieiunium Domini misericordiam implorans, vt transactis tribus diebus sanctum corpus reuelare dignaretur, cuiusque meriti esset ostẽderet. Sequenti itaque tertia nocte dum corporale medicamentum illi ægro adhibitum nihil prodesset, & à semetipso atque à cunctis eum conspicientibus, iam iamque in desperationem lapsus esset: vidit in somnio sibi assistere grauitatis senem, placidoque vultu, blandis sermonibus, infirmitatis suæ causas inquirentem. Cumque æger se interroganti ex ordine infirmitatis suæ replicaret euẽtum, dixit ad eum senex: postula fili Episcopum præsentem, vt quando hodie corpus meum inuenerit, illudque à crypta in qua iacet abstulerit, ipsam cryptam tibi osculari permittat, & dum osculata fuerit, sume cineres de ipso loco, & misce cum aqua, atque ex oleo sancto simul, & ante altare nouum quod constructum est, prout poteris te prosterne, necnon vlcera tua omnia perungere cura. Et si hoc feceris, Dominus te continuò priſtinæ sanitati restituet.

*Apparet S. Magnus cuidam ægroto.*

Euigilans ergo æger, facto manè venit ad Eccleſiam, & quod in somno audierat, custodi Eccleſiæ retulit, & cum illo basilicam ingressus, ad pedes Episcopi prostratus, sicut edoctus fuerat, Episcopo narrauit. Pontifex ergo diutius cum presbyteris orans inter angustias & gemitus assumpto fossorio cœpit fodere, & inuenit sarcofagum lapideum splendentem, in quo sanctum corpus iacebat more carbunculi optimi. Aperto itaque eo, inuentum est corpus eius totum illæsum, & vita eius ad caput posita, sed membrana tantum fuerunt tabida, vt vix à quoquam legi potuiſſent. Corpus verò tantum quasi colore mutato, iacebat candidum, & congruo satis miraculo indicia sanctitatis eius primo claruerunt. Nam Episcopus eleuato corpore de sepulchro, permisit custodi Eccleſiæ, vt ægrum afferret, quatenus ipse secundum visionem sibi ostensam perficeret. Custos verò Eccleſiæ ablato corpore, puero permisit locum osculari in quo sanctum corpus iacuit, sumensque cineres de ipso sarcofago miscuit cum aqua & oleo sancto, & perunxit puerum ægrum ea parte quam dolor possederat. Die verò altera scisitatus est Episcopus à custode Eccleſiæ, quid de ægro puerulo actum esset. Custos itaque arrepto cursu ad mansiunculam eius cucurrit, vt videret quid de eo Dominus per promissionem Sancti Magni ostensum haberet. Mirum opus diuinæ operationis actum, rem cognitam fecit, quia sicut præterita die vlcera patebant quamplurima, ita alia die absque aliqua læsione sana sunt reperta, ac si vix saltim cicatrix inueniri potuiſſet. Tunc demum Episcopus ante sepulchrum B. Magni sanum incolumemque adduxit, sicque gratiarum actionibus Domino de tanto miraculo peractis, ob memoriam redditæ sanitatis, ipse puer Domino semetipso & S. Magno obtulit, quatenus reliquum vitæ tempus in eiusdem sancti loci excubiis diebus vitæ suæ fideli deuotione transigeret.

*Inuentum corpus S. Magni.*

*Sanatur puer.*

## CAP. XVI.

HIs igitur ita transactis de corpore beati Magni, assumpsit præfatus Episcopus Lanto pictatium penè putridum, sed tamen diuina sanctiente prouidentia paginæ licet obscuræ, tamen ad legendum sunt conseruatæ, & accersiuit quendam Monachum prudentem & industrium ex Monasterio



*Ermenricus Monachus iussu Lantonis Episcopi, corrigit, & in meliorem formam redigit vitam S. Magni.*

nasterio Eleuuanga nomine Ermenricum, tradiditque ei ipsos quaterniones ad legendum & corrigendum, atque emendandum. Ille autem asserens se minimè ita doctũ esse vt tale innouaret, atq; prout dignum erat inserere valeret, necessitate obediẽtiæ constrictus suscepit illud pictatium, & secundum virium suarum consideratione iussionem Pontificis contemnere nolens adimpleuit, quæ ibi inuenit scripta reuocans & corrigens omnia, atque Domino annuente seriem confusam capitulorum luminibus emendauit.

*Inquirera miracula patrata ad sepulchrum S. Magni.*

Quanta verò & quamplurima signa ante sepulchrum B. Magni post orationem eiusque corpus reconditũ, Dominus ibi reuelare dignatus est, si omnia scribi valerent, fastidium potius faceremus, nauseamque legenti, quàm à studiosis propter copiam possent comprehendi memoria. Nunc ergo ad laudẽ Domini nostri Iesu Christi, qui semper sanctos suos glorificat, hæc pauca inserta sunt, quatenus lectoris animus deuotus existat ad legendum. Itaque sufficiant ista de tanto patrono conscripta. Sed obsecremus eum, vt sicut sanitatem corporum animarumque orantibus eum, multis suis meritis à Domino contulisse credimus: ita nostris mentibus diuinæ miserationis medelam implorare dignetur, vt peccatorum nostrorum remissionem consequi mereamur, & vitam æternam adipisci, præstãte Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, & gloriatur sine fine Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

*Auctor viri sancti opẽ & auxilium implorat.*

## NOTÆ.

Quidam frater nomine Magnoaldus.] *De quo agunt Trith. de Viris Illust. Ord. S. Benedict. lib. 3. c. 107. Vvion. in Mart. Monastico, Molanus in Add. ad Vsuar. Maurol. & Galesinus. Magnus Monachus (inquit Trithemius) discipulu S. Galli, Abbas (vt fertur) in faucibus, vir sanctus & Deo dilectus, multis in vita miraculis claruit, sicuti in gestis eius, quæ diligenter scripta sunt, legitur. Magnam prædicandi gratiam à Deo consequutus, multorum corda populorum ad diuinum amorẽ conuertit. Claruit anno Domini 660. &c. cuius festiuitas 6. Septẽbris celebratur. Meminit eiusdem Democh. de sacrificio Missæ tom. 2. c. 35. Plura etiam de eodem in vita SS. Columbani & Galli. Cognominatus est autem Magnus ob fidei magnitudinem, & magna miracula, quæ per ipsum Deus operari dignatus est. Fuit & alius Magnoaldus Monachus Luxou. & Archiep. Bitur. cuius meminit Trithem. de Viris Illust. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 52.*

Vas quod typrum vocant.] *Ionas Abbas in vita S. Columbani legit, seraculum quod ducticulum vocant, & rectius, id est, σίφωνα, fistulam dolio immissam ad promendum vinum: Seraculum ab obserando vase: Ducticulum, quia ducitur, hoc est extrahitur, cum vinum est promendum.*

De sicera.] *D. Hieronym. ad Nepot. Sicera est genus potus, quod vinum imitatur, vel ex frumento, vel pomis, vel palmulis, vel ex frugibus decoctum. Vulgò* de la Biere, ou dũ Cidre.

Tu inimice senioris nostri.] *Vide de hac re multa notatu digna apud Melchiorem Haiminsfeldium in suis Glossis quæ extant in Historiis Alamannicis tom. 1. parte 2.*

Ipsum saltum cum Marcha.] *Marcham vocat, quem paulo prius pagum dixerat, scilicet Keltinstein.*

Quæ in Marchis duorum Regnorum consistebant.] *Marchæ, sunt termini, & limites. Vnde Rhegino lib. 5. Chronic. Carolus Ratisbonam venit, ibique Marchas & fines Baioarium disposuit.*

Serpens qui dicitur Boa.] *Vide egregia & notatu digna apud Heribertum Rosweidum Societatis Iesu in Vitis Patrum Orientis, in Annotat. in Vit. Sancti Hilarionis.*

Arripiensque cambocam.] *Est Reliquarium, vel illa incrastatura, vbi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, Gallicè* vn Reliquaire.

Reliquias S. Dei genitricis.] *Hæ Reliquiæ poterant esse quædam particulæ capillorum, lactis, & vestimentorũ eius, non autem corporis, quia iam resurrexit statim triduo post mortem, & est gloriosum cum anima in cælo Empyreo, exaltatum & collocatum supra omnes choros Angelorum & Sanctorum. Vnde Ecclesia: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna.*

Ne vermes nos hic esse sentiant.] *Nomine vermis intelliguntur non solum ipsi vermes, sed pediculi, pulices, muscæ, serpentes, dracones, & alia huiusmodi animalia repentia & omninò deformia, vel imperfecta.*

Lanto Episcopus.] *Fuit 16. Episc. Augustanus.*

Pictatium penè putridum.] *Est Pictatius vel Pictatium verbum inusitatum, sumiturque pro libro ex membranis confecto.*

## VITA IOANNIS GVARINI Eremitæ. Ex Matthæo Oliuerio Monacho Montis-ferrati.

*Habetur in lib. miracul. B. Mariæ.*

IN TEMPORE Gofredi Piloſi Barcinonensis Comitis, sanctus quidã Anachoreta, Ioannes Guarinus nomine, in quadam spelunca Montis-ferrati solitariam vitam in magna vitæ austeritate ducebat. Ita autem de mundo, diabolo, & carne triumphauerat, & in tanta puritate anteactam vitam suam composuerat, vt nulla eam mortali macula fœdasse credatur.

*Gofredus Piloſus Comes Barcinonẽsis. Ioannes Guarinus viuit solitarius in Mõte-ferrato. Puritas Magna B. Ioãnis Guarini.*

Quam puritatem & sanctitatem hostis humani generis ferre non valens, cum suis suggestionibus non potuiſſet cum à sancto proposito deiicere, & ad peccati consensum perrahere, per antiqua eius arma, quibus Adam de paradiso eiecit, machinatus est eum superare. Duo enim dæmones à principe suo missi, egressi sunt ex inferno vt sanctum virum deiicerent. Quorum vnus, in habitu & forma Eremitæ, cœpit habitare in quadam spelunca dicti montis, quæ non multum longè aberat ab illa in qua vir Dei Ioannes morabatur. Vt autem facilius virum Dei deciperet, quadam die ipsi inopinatè occurrit, & cum primum obstupuiſſet, eumque salutaſſet, cœpit gratias agere Deo quod in tam virum sanctum incidere meruiſſet. Cœpitque eũ rogare ne moleſtè & ægrè ferret si aliquando eum visitaturus esset, quatenus secum de spiritualibus rebus colloqui posset. Ioannes nullam fraudem suspicans, dictis statim fidem adhibuit, atque pseudo Eremitam illum pro sancto habebat.

*Duo dæmones mittuntur à Principe dæmoniũ, vt virum Dei deiiciant.*

*Diabolus in specie cuiusdam Eremitæ occurrit viro Dei.*

Tunc etiam alter dæmon, qui cũ isto missus fuerat à principe dæmoniorum, Richildim puellã elegantiſſimam Comitis Barcinonis filiam cœpit grauiter torquere. Cumque vi exorciſmorũ egredi cogeretur, respõdebat semper, se nunquam egressurũ, nisi à Ioanne Guarino Eremita sanctiſſimo qui in Monte-ferrato solitariam vitam ducebat, eiiceretur. Hæc autem cum fuiſſent Comiti nunciata, statim cum filia itineri se dedit vt virum inquireret. Quem cum inueniſſet, rogauit vt misereretur filiæ suæ quæ malè à dæmonio vexabatur. Ioannes autem hæc audiens vltra quàm credi potest, mirabatur, & neſciebat, quid ageret. Verum-

*Richildis filia Comitis Barcinonis obsidetur à dæmone.*

*Virtutẽ Guarini Eremita diabolus prædicat. Inquiritur à Comite Guarinus.*

*Humilitas Eremita.*

tamen patris,& omnium circunſtantium precibus, & puellæ doloribus motus, cum diu ſe indignum proclamaſſet, tandem flexis genibus cœpit rogare pro ſalute & liberatione puellæ. Vix orationem compleuerat, & diabolus abſcedens, in pace & tranquillitate modicum puellam reliquit, vnde Comes, & omnes qui cum ipſo erant, Deo, & ipſi gratias egerunt. Sed quid inde? Audierat Comes ſæpe dicentem diabolum,ſe quidem egreſſurum de corpore filiæ, ſed paulo poſt reuerſurum. Timens ergo diaboli reditum, & filiæ renouationem dolorum,rogauit Eremitam,vt ſecum filiam ſaltem per ſpatium nouem dierum retinere dignaretur. Diſplicuit primò hæc petitio Ioanni, & inquantum potuit excuſationem prætulit,dicẽs,hoc omnino profeſſioni Eremiticæ eſſe contrarium, oſtẽdens etiam anguſtiam ſpeluncæ ſuæ quæ vix duos poſſet capere. Verumtamen auctoritas Comitis,aſſiſtentium preces, lacrymæ puellæ vicerunt: quibus motus Ioannes puellam ſecum detinuit ſolam, Comite interim cum ſuis ad vicinam vrbem recedente, qui quotidie ſeruos ſuos mittebat,& afferebant puellæ neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ.

*Vi precum eius diabolus diſcedere cogitur.*

*Adoleſcentulæ viam ſalutis demonſtrat.*

Eremita autem non præuidens malum quod accidere debebat,ſæpius accitam adoleſcentulam,ſuis exhortationibus ei viam ſalutis demonſtrabat, & ad virtutem hortabatur, cum interim diabolus,qui omnia iſta fuerat machinatus,libidinis ardorẽ cœpit in corde & corpore ipſius vehementer accendere. In tanto conflictu conſtitutus, ſæpe orationi inſiſtebat,ſigno Crucis frontem armabat,& cupiebat relinquere puellam,& inde recedere, vt ſic fugeret periculum. Attamen nihil audebat aggredi abſque conſilio pſeudo-Anachoretæ, ad quem acceſſit, & ei tentationem ſuam aperuit, inſuperque quod locum ſuum deſerere vellet declarauit. Tunc diabolus cœpit eum verbis demulcere, eique diſſuadere talem receſſum, reprehendereque animi ſui leuitatem. Et quomodo,addebat, coronaberis niſi legitimè certaueris?Nam reuera Chriſtiani parum tentati parua erit remuneratio, reſpectu illius qui audacter tentationibus reſtiterit. His & aliis rationibus maledictus ille in tantum Ioannem faſcinauit, quod eis fidem quaſi diuinitus prolatæ eſſent,adhibebat, & ſic aliquantulum conſolatus ad cellam rediit,credens omnino ſe tentationem illam ſuperaturum eſſe. Sed contra accidit. Nam ſtatim atque acceſſit ad puellam, grauius bellum ex nimia pulchritudine ipſius cœpit eum adoriri,neſciẽſque quid vltra ageret, nunc ſeruos Comitis qui puellæ victum quotidianum afferebant, rogabat, vt eam tollerent, & ad patrem reducerent:nunc recedendi viã captabat, ſed pſeudo-Eremita eum ſemper impediebat, bono animo eſſe ſuadens. Perſeuerante tentatione, cum ſæpius viriliter egiſſet, tandem poſthabito timore Dei,conſenſit peccato, vi opprimens virginem.

*Graniter tẽtatur Eremita.*

*Diaboli in ſpecie & forma Eremitæ malignum conſilium.*

*Captus pulchritudine puellæ Ioannes Guarinus, ipſi vim infert.*

Tunc nimio mœrore confectus, conſiderans ſe Dei gratiam, & quicquid vnquam boni fecerat, amiſiſſe, deſperabundus perrexit ad pſeudo-Eremitam conſiliarium ſuum,eique reatum ſuum aperuit, & quid acturus eſſet conſilium obnixè poſtulauit. Tunc diabolus vt eum in grauius peccatum demergeret, cœpit eum conſolari,atque ad ſperandum in miſericordia Dei quæ non vult mortem peccatoris, animare. Et ſubiungens dixit. Cum ſecretum peccatum minus præiudiciabile,& nociuum ſit quàm publicum, ne mundus qui te pro ſancto habet ſcandalizetur, optimum & neceſſarium eſſe puto vt puellam interficias, & hoc modo ſcelus tuum poteris occultare. Miſer Ioannes qui iam peccato conſenſerat, violando virginem, alteri multo maiori ingreſſum dedit, ſtatimque abſque vlla dilatione, arrepto cultro innocentis puellæ transfixit iecur, & ſub quodam ſcopulo eius corpus ſepeliuit. Diabolus autem qui prius eum ad veniam ſperandam hortabatur, nunc incipit ei deſperationem ſuadere, proponens ei excellentiam vitæ præteritæ, atque enormitatem peccatorum. Et ſic eum irridendo, & ſubſannando, diſparuit. Ioannes hoc videns, tanto pudore ſuffuſus eſt, quod ſeipſum ex altis illis rupibus præcipitaſſet, ni eum gratia, & miſericordia Dei præueniſſet. Vnde reatum ſuum cognoſcens amarè cœpit flere, & à Deo veniam poſtulare. Tunc quaſi de graui ſomno euigilans, decreuit Romam pergere,partim vt pœnitẽtiam ageret, partim etiam vt manus Comitis effugeret. Nona igitur die tranſacta, Comes cum ſuis aſcendit in montem vt filiam reduceret. Sed cum neutrum inueniſſet, per totum eos montem perquirere fecit. Et cum nec ſic inuenti fuiſſent,Comes cum magno dolore Barcinonam redire coactus eſt.

*Eam interficit.*

*Diabolus ei ſuggerit deſperationem.*

*Deflet peccatum.*

Interim Ioannes pergebat Romam.Vbi cum perueniſſet,& ſe ſummo Pontifici præſentaſſet, confeſſus eſt ei peccata ſua, & ab eo abſolutionem, & pœnitentiam percepit, quæ talis erat:vt ſcilicet rediret ad ſpeluncam ſuam, ad inſtar beſtiæ manibus & pedibus gradiendo, nunquam ad cœlum oculos leuaret,& hoc pœnitentiæ genus ſeruaret quoadusque trium menſium infans iuberet ei ſurgere, in ſignum quod ſibi Deus peccatum remiſiſſet. Humiliter igitur hanc ſuſcipiens pœnitentiam, paulatim gradiendo more beſtiarum ad ſpeluncam ſuã rediit,ibique aſperrimam vitam duxit.Nam herbas & radices ſylueſtres comedebat,aqua pluuialis eius ſitim extinguebat, humique cubabat.Succeſſu temporis veſtimenta vetuſtate conſumpta, iam nudus incedebat, inclementiæ aëris, ardori ſolis, & frigori expoſitus. Vnde tam niger & piloſus euaſit, quod non homo, ſed beſtia ferociſſima credi poſſet.

*Pergit Romam.*

*Grauem ei iniungit pœnitentiam ſummus Pontifex.*

*More beſtiarum graditur.*

*Nudus incedit.*

Accidit autem circa finem ſeptimi anni pœnitentiæ ſuæ,hoc ſtupendum, & memorabile. Cum Comes Barcinonis venaretur ad radices montis iuxta fluuium, præmiſiſſetque venatores ſuos in cacumine montis, vt ſic ceruum vel vrſum inferius deſcendere cogerent,cum ij forte veniſſent ad ſpeluncam Guarini, canes vehementer latrare cœperunt, non tamen auſi ſunt ingredi, nec virum Dei lædere.Venatores autem exiſtimantes aprum quendam eos reperiſſe,ſtatim cucurrerunt, & intrantes in ſpeluncam, Guarinum repererunt ad inſtar vrſi totum pilis coopertum,non loquentem,nec ſe quidem mouentem. Vnde valdè mirabantur ignorantes quænam eſſet hæc beſtia. Huius autem prædæ ſtatim Comitem certiorem facientes, multo plures viros miſit, vt beſtiam viuam poſſent apprehendere,& eam ad ſe adducere. Illi ergo Ioannem quem feram putabant, ligatum duxerunt ad Comitem, qui tam inſolitum monſtrum admirans, ſecum duxit Barcinonam, reponique iuſſit in ſtabulo equorum, victuſque ei ad inſtar feræ miniſtrabatur.

*Inuenitur à venatoribus Comitis,& ab omnibus pro fera habetur.*

Cum autem Comes prolem maſculinam tunc ſuſcepiſſet, conuocatis omnibus nobilioribus prouinciæ,fecit eis celeberrimum conuiuium. Vt autem epulantes redderet iucundiores, iuſſit adduci ſylueſtrem illum hominem, qui ad inſtar quæ ipſi porrigebantur rodebat. Adueniente autem hora, in qua miſericordiam ſuam Deus Ioanni manifeſtare



ſtare debebat, ipſo permittente & volente, nutrix ingreditur cubiculum, tenens in vlnis infantem trium menſium, qui attentius in eum dirigens oculos, quem omnes feram putabant, alta & clara voce dixit ei. Surge frater Ioannes Guarine, ſurge, & ſta rectus: nam Deus remiſit tibi peccata tua. Quibus auditis, ſtatim ſurrexit, & deinde flectens genua gratias Deo egit. Mirantibus omnibus tam inſolitas res, Ioannes acceſſit ad Comitem, ipſique coram circunſtantibus,totam hiſtoriam & rem geſtam inter ipſum & filiam ſuam enarrauit: qualiter ſcilicet eam violaſſet,& poſtea occidiſſet, & quod Deus pœnitentiam ſibi à ſummo Pontifice iniunctam habuerat acceptam & gratam, quemadmodum ipſi cernebant. Veniam igitur cum multis lacrymis poſtulauit, & ſeipſum obtulit morti & ſupplicio, ſi Comiti placeret vindictã ſumere. Ille è contra ſurgens amplexatus eſt eum,iuſſitque eum indui dicens:poſtquam à cæleſti & ſuprema Curia dimiſſus fuiſſet abſolutus,inferior nihil amplius poterat.

*Infans trium menſium declarat peccata Ioãnis eſſe dimiſſa.*

*Narrat Comiti Ioannes totam rẽ geſtam inter ſe & filiam.*

*Petit veniam à Comite. Egregia ſententia.*

Poſt aliquot autem dies, rogauit eum Comes quatenus ſecum pergere dignaretur ad montem, vt viderent locum vbi ſepelierat filiam, quatenus eius oſſa in honeſtiori loco ſepelire, ſimulque beatæ Dei genitricis imaginem recenter inuentam viſitare poſſent. Cuius precibus annuens Ioannes, cum Comite perrexit, & oratione facta coram imagine, oſtendit Comiti locum vbi poſuerat filiam. Sed ô ſtupendum miraculum!Quam putabãt à vermibus fuiſſe corroſam,& in cineres redactam, inuenerunt viuam, ſanam, & pulcherrimam, habentem tantum in collo cicatricem vbi Ioannes infixerat gladium, in teſtimonium miraculi. Dixit autem puella ſe fuiſſe præſeruatam à beata Virgine, cui ſeipſam ardenter commendarat, cum eam occideret Ioannes. Quis ergo exprimere poterit gaudium, quod tunc Comes & Ioannes habuerũt, ob tam euidens & ſtupendum miraculum? Voluit ergo filiam ſecum adducere,ſed illa renuit, dicens, ſe hic velle vitam ſuam, quam de miſericordia & bonitate B.Virginis tenebat, in eius obſequio impendere. Tam iuſtis precibus Comes contradicere nolens, vt facilius puella Deo ibidẽ inſeruire poſſet,Monaſterium puellarum conſtrui curauit, puellaſque Monaſterij S. Petri ciuitatis Barcinonenſis Ordinis S. Benedicti, tranſtulit, quibus filiam Abbatiſſam præfecit,& conſtituit: quæ poſtquam diu ſanctiſſimè Monaſterium rexiſſet, ſancto fine quieuit. Ioannes etiam Guarinus reliquum vitæ ſuæ in Dei, & ſanctimonialium illarum obſequio, & in magna auſteritate & abſtinentia tranſigens,tandem in pace quieuit,& ad præmia cæleſtia percipienda, veris pœnitentibus repromiſſa, conuolauit.

*Inuentio Imaginis B. Mariæ Monaſterij Montiſſerrati.*

*Inuenitur puella viua & ſana,præſeruata à B. Virgine Deipara.*

*Fit ſanctimonialis & Abbatiſſa.*

*Sancto fine quieſcit.*

*Item & Ioãnes Guarinus.*

## NOTÆ

Tempore Gofredi,&c.] *De quo plura ſcribit Belforeſt tom. 2. Annalium Franciæ. Videre etiam poteris Matthæum Oliuerium in lib. Miraculorum B. Mariæ Montis-ſerrati.*

Quidam Anachoreta Ioannes Guarinus.] *Barcinone in antiquo Palatio Comitum (teſte Oliuerio prædicto) adhuc oſtenditur figura lapidea, hiſtoriam iſtam repræſentans. Ex vno enim latere nutrix tenens paruulum infantem, cernitur: ex alio verò homo totus piloſus flexis genibus puerum reſpiciens. Deinde etiam hodie in Claſtro Monaſterij Mõtis-ſerrati tota hiſtoria iſta in perantiqua tabula cernitur depicta anno Domini 1230. In perantiquis etiam MS. Codicibus dicti Monaſterij reperitur ſupradicta hiſtoria, ex quibus eam Gallicè reddit Oliuerius, hodiéque oſtenditur ſpelunca Ioannis, quæ ferè per milliare diſtat ab ea in qua diabolus inhabitauit vt eum deciperet. Oſſa inſuper V. Ioannis Guarini honorificè in ſacriſtia prædicti Monaſterij aſſeruantur in capſa lignea. Scripſerunt præterea hiſtoriam iſtam celebres hiſtorici; Marieta de Sanctis Hiſpaniæ, Vincentius Domenech de SS. & Illuſtriſs. viris Cataloniæ, Franciſcus Diego Ord.S.Dominici in Chronico Comitum Barcinonenſium, Petrus Antonius Beuter in Hiſt. Hiſpaniæ lib. 2. cap. 13. vbi ſcribit filium Comitis Gofredi, eo quod miraculosè loquutus ſit, fuiſſe vocatum Myronem, ab admiratione, cognominatumque fuiſſe vulgò* le Comte Myron. *Vixit autem Ioannes Guarinus tempore Ludouici Balbi, circa annum Domini 871. Fuit & quidam Guarinus, vulgò* Guerin, *celebris Abbas, de quo plura in vita Sancti Romualdi ſuprà lib. 5.*

## VITA SANCTI CANNATI EPIſcopi ex Anachoreta. Ex Breuiario Eccleſiæ Maſſilienſis.

*B. Cannatus filius Regis Aquenſis.*

BEATISSIMVS Cannatus illuſtriſſimis natalibus ortus fuit. Regis enim Aquenſis fuit filius & Reginæ: ſiquidem qui modo Comes Prouinciæ appellatur:Rex Aquenſis antiquitus dicebatur. Tantam ergo nobilitatis lineam fælix Cannatus moribus extulit, virtutibus ſublimauit. Cœpit namque puer bonæ indolis eſſe, vtpote qui à Deo ſortitus eſt bonam animam, & in tenera ætate gerebat cor ſenile: vt præſagium nominis ſui interpretatione veriſſima oſtenderet ſe implere. Cannatus quippe etymologicè vertitur, canus natus, id eſt, ſapiens natus. Iuxta quod dicit Spiritus ſanctus in Sapientia: Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.

*Etymologia ſeu interpretatio nominis Cannati.*

*Catalogus virtutũ eius.*

Non enim vacabat,vt aſſolet ætas illa, laſciuiis, ſed ſcientiis, & præcipuè ſacræ Theologiæ litteris animum docilem imbuebat. Mobiles affluentias contemnebat, fælicitatem appetebat,mentem ſanctam virtutum exercitiis illuſtrabat, iuſtitiæ cultor, rigidus ſeruator honeſti: pudicitiæ eximius zelator, eam laicis commendabat & Clericis, doctrinis pariter, & exemplis. Implebatur in eo ſententia Spiritus ſancti in libro Sapientiæ,qua dicitur: *Sap.14.* O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius.

Sed quoniam in paterna domo regia,beato viro de laude hominum periculum imminebat, præcipuè cum legiſſet,egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui. Et in Euangelio; *Luc. 14.* Qui non odit patrem & matrem,& vxorem, & filios,& fratres,& ſorores,non poſt meus eſſe diſcipulus. Et ibidem. Qui non abrenunciauerit omnibus quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus. Nolo, inquit,nec appeto,ſed contemno exhibitiones reuerentiæ ſuperfluas famulorum, nec ſuperſtitioſis honoribus agitari,nec adulatorũ laudibus aures dare. Laudes cauebo, & ſpectacula ſacrilega hiſtrionum:laus mea ſit in cælis, vbi regnat turba fidelis. Repentè igitur vir beatus ductus eſt à ſpiritu in deſertum.

*Genes.12.*

Regnũ enim mundi, & omnem ornatũ ſeculi digno gerens cõtemptui propter amorẽ Domini Ieſu Chriſti,ipſius ſolius caſtis amplexib. adhærebat;ipſi ſoli

soli toto corde, & tota anima seruiebat. Erat au- A
*Viuit solitarius in deserto Sanzeto.* tem desertum quoddam, quod dicitur Sanzeto, distans quinque aut sex ferè milliariis à sede paterna Aquensi ciuitate. Siquidem locus amœnus, & decorus, arborum multitudine consitus diuersarum. Nam salices ibi virent in ripis, ibi fontes scaturiũt, terra pratis vestitur virentibus. Hunc autem locum aptum cælestibus studiis præferebat. Quo perueniens beatus Cannatus suo exitu de Ægypto, sæpius recolebat, quod Saluator noster vbi cognouisset quod venturi essent vt raperent eum, & facerent eũ Regem, fugit in montem ipse solus. Quapropter exultabat vberius sibi datum diuinitus vt regnum fugeret, quod sibi ex successione congruebat. Subiit itaque præfatum locum, gratias agens Deo, in B hymnis & confessionibus Dominum benedicens. Mira res. Quis vnquam audiuit talia? Filius Regis factus est solitarius, factus est Eremita. O stupenda, & sic gratuita diuina electio quæ à regij solij arce
*Vescitur herbis & radicibus.* summa, Reges trahit ad humillimum mundi statũ. Et qui prius cibariis delicatis nutriebatur, nunc radicibus herbarum contentus est. Interea Massiliensis Ecclesia suo orbata pastore, omnipotentem Dominum gemitibus exorabat, quatenus Præsulem sanctum concedere dignaretur. Dominus autem
*Diuinitus creatur Episc. Massiliensis.* eius auriculæ reuelauit quod Regis filius Cannatus, esset Massiliensis Episcopus. Dantur ergo laudes Deo. Mittuntur nuncij, qui diu eum perquirentes, tandem inuenerunt. Cumque rogaretur vt C
*Ex humilitate respuit honorẽ oblatum.* electioni consentiret, ait: Nolite fratres obsecro me grauare, dico vobis & assero in nomine Domini, quod prius hæc arundo arida, quam videtis, viresceret, germinans folia emittendo, quàm Cannatus Episcopatum recipiat Ilicò postquam verbum
*Canna arida miraculosè viresc it in signum diuinæ electionis suæ.* protulit beatus Cannatus, canna arida integrè reuiruit: & admirantes legati dixerunt; Benedictus Deus qui dedit misericordiam suam, & recto itinere nos perduxit. Vrgentes ergo vt veniret dixit: Ex quo à Domino egressus est sermo, non possum extra eius placitum quicquam loqui. Ingrediente illo in suam ciuitatem noua lux oriri visa est, & subditorum curam sollicitius adimplebat, hæreticæ-
*Tandem electioni consentit, & pergit ad suam Ecclesiam.* que pestis adinuentiones mortiferas condemnauit, D
*Hæreses comprimit.* & ciuitatem suam muniuit, & templi diruta resarciuit, & sic demum vita & miraculis clarus
*Moritur.* migrauit ad Dominum.

*Nam loci præ angustia,*
*Eius aquæ sunt pocula.*
*Vt tibi Christe seruiret,*
*Regnumque mundi sperneret,*
*Quod eidem veniebat,*
*Verbum tuum audiebat.*
*Sit laus patri, &c.*

*Oratio autem propria talis est. Omnipotens sempiterne Deus qui sanctum Cannatum de stirpe regia prodeuntem miraculosè Massilienſi Ecclesiæ, dum in deserto pœnitentiam ageret, pontificem præfecisti, eius meritis, & intercessione, nobis concedere digneris cælestium donorum omnium fulcimentum. Notandum etiam quod simul cum solemnitate S. Cannati celebratur etiam festiuitas S. Antonini Massilienſis Episcopi.*

Regis Aquensis, &c.] *Dicta est Aquensis ciuitas ab aquis, de qua Plinius.* Vulgò Aix en Prouence.

## *VITA S. NILI ABBATIS.*

*Baronius to. 9. Annalium.*

*Ex iis quæ scripsit Illustrissimus Cardinalis Baronius.*

*S. Nili patria.* IVIT Nilus ab origine Græca, Rossani in Calabria ciuitate natus, doctrina atque pietate insignis, ab infantia Dei cultor eximius, & post matrimonium vitam Monasticam sectatus, C breui omnes eius instituti professores facile antecelluit: notus vbique tam in Oriente quàm in Occidente conspicuus fulgore virtutum. Cuius res gestas cõscriptas ab eius discipulo Latinitas hactenus nunquam vidit. Qui prius ex antiquo codice Monasterij Cryptæ ferratæ tradidit Latinitati, fuit *Federicus Metius Episcopus Thermularum vitam S. Nili Latinitati primus tradidit.* noster Federicus Metius Episcopus Thermularum, à quo ego primus accepi, & nonnulla ex eis pro ratione temporis nostris Annalibus opportuna occasione contexui. Et quod ad præsentem pertinet annum, qui res ab eo gestas scripsit, primum cum Imperatoris Magistratibus cõgressum magni ponderis ita narrat.

*S. Nili cum Imperatoris Magistratibus congressus.* Venit Metropolita Calabriæ Theophylactus, & D cum eo Domesticus Leo, viri litteratissimi, & doctissimi. Sed beatus pater noster Nilus fugiens populi tumultum, & dilectum sibi silentium semper complectens, exiuit à ciuitate ad templum S. Ioannis Baptistæ Eremi cultoris, cuius etiam vitam imitabatur, & ibi cum Deo conuersabatur, & meditationi operam dabat. Ingressi sunt autem ad eum alloquendum Metropolita & Domesticus, & principes ciuitatis, & multi Sacerdotum, & populi magna pars. Inierunt autem consilium in via, quisnam ipsorum interrogare deberet, quodue ex arcanis scripturæ, non tam cognoscendi causa, quàm periculum faciendi cupidi.

Cum verò ex aduersa parte sederet B. Nilus, & E vidisset eos ad se venientes, dicit intra se: Cur nunc isti accedentes, ad vana colloquia nos coniicient? Sed ô Domine Iesu Christe, libera nos à laqueis alienis, & concede nobis intelligere, & loqui quæ oportet, & facere quæ tibi sunt placita. Et cum orasset, aperit quem manu habebat librum, & forte fortuna inuenit reuelationem factam S. Simeoni in admirabili monte. Cum igitur illi appropinquassent, & post salutationem sedissent, beatus Nilus tradidit librum Domestico, vt legeret, vbi erat signum. Ille verò aperiens os suum, cœpit valdè diligenter, & attente legere. Cum verò venisset ad locum illum, vbi dicit, quod ex decem mil- *Quàm pauci saluentur.* libus vix reperitur vna anima his temporibus quæ ad

## NOTÆ.

Beatissimus Cannatus.] *Cuius festiuitas 15. Octobris cum Octauis solemnibus Massiliæ celebratur. Eius vitam suprà lib. 4. folio 226. summatim descripsimus, vbi quia malè informati fueramus, scripsimus eum fuisse Græcum, eius festum 8. Octobris celebrari. Videnda præterea quædam quæ ibi annotauimus. In 9. Responsorio fit mentio eius translationis, in hunc modum. Cum igitur ad oppidum S. Cannati peruenissent vt sumerent glebam beati corporis transferendam, facta est subitò immutatio aëris magna nimis. Quapropter conturbati & conterriti qui aderant vniuersi, seruum Christi Cannatum inuocant vt eos ducat, qui eius corpus sanctissimum deferebant. Extat hymnus prorius ad laudes in Breuiario Ecclesiæ Massil quem hic etiam cum oratione apponeret libet.*

*Rex Christe ô piissime,*
*Qui es formator machinæ:*
*Cui seruiuit Cannatus,*
*Bonus, sanctus atque castus.*
*In deserto comedebat*
*Radices, dum consistebat:*



ad manum Sanctorum Angelorum peruenire, cœ- A
*Nullus ab operibus misericordiæ excusatur.* perunt omnes quasi vno ore dicere: Absit, hoc non est verum: hæreticus est qui hoc dicit. Nos igitur frustra baptizati sumus, & Crucem adoramus, & communicamus, & Christiani dicimur: Hæc & his similia cum omnes obiicerent: cum videret B. Nilus quod Metropolita & Domesticus nihil illis dicunt, humaniter ipse respondit, & dicit: Si verò demonstrauero vobis magnum Basilium, & Chrysostomum, & Ephrem beatissimum, & Theodorum Studitam, sed & Apostolum ipsum, necnon sanctum Euangelium eadem sentientes, & dicentes: quid patiemini vos, qui inconsultè aperientes ora loquimini, & Spiritui sancto aduersamini, & sanctorum Patrum metuenda verba hæreticis tri- B
*Eupraxius præfectus in S. Nilum cõmotus* butis propter vitæ vestræ iniquitatem? Dico autem vobis fratres, quod ex omnibus quæ fecistis, nulla eris vobis gratia apud Deum: quæ enim idola, aut quam hæresim vos reliquistis, & Christo adhæsistis? audetne aliquis vestrum dicere, quod hæreticus sum, & ingressus ciuitatem non ab omnibus lapidibus obrutus interficietur? Intelligentes, quod nisi virtute præditi fueritis, & magna etiam virtute præditi, nullus vos liberabit à pœnis inferni. Hæc cum omnes audissent, valde perterriti cœperunt suspirare, & dicere: Væ nobis peccatoribus & miseris. Dicit autem illi Nicolaus Protospatharius. Pater, quare dicit Euan- C gelium quod quicumque paruum calicem aquæ frigidæ dederit, non amittet mercedem suam? Respondit illi: Propter hoc dictum est illis qui nihil habent, vt nullus excusetur, quod nec habeo ligna quibus calefaciam aquam. Quid verò facietis vos, qui pauperibus frigidum calicem aufertis?

Illo verò tacente, surgit alius, & ait: Scire vellem sancte Pater, an saluus sit admirabilis ille Salomon necne? Cum verò spiritu cognouisset Pater, adulterij vitio illum detentum, respondit ipsi. Scire ego etiam vellem de te, an saluus sis necne? Quæ enim vtilitas mihi, vel tibi ex salute vel damnatione Salomonis? Non enim illi, sed nobis præceptum fuit illud, Quicumque respexerit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus D est cum ea, & illud: si quis templum Dei corru-
*Sententia S. Nili de salute Salomonis.* perit, corrumpet illum Deus. De Salomone autem nihil vsquà reperimus in sacra Scriptura, quod pœnitentiam egerit post peccatum sicut Manasse. Quis igitur de illo dicere poterit quod saluus sit?

Non multo pòst accedunt ad eum Nicolaus Protospatharius & Domesticus Leo, cupientes audire vtilem eius doctrinam, & admonitiones ab eo, & cum satis confabulati essent, & illos admonuisset Nilus, ingressus est ad cellulam suam, vt iterum Deo incumberet. Illi verò extra in quodam loco cum super herbam reclinassent, & paruum caputium cuiusdam fratris cùm inue- E
*Eupraxius morbo percussus humiliatur.* nissent, ponebant illud super capita sua Domesticus ille & Protospatharius ridentes simul & ludentes. Quod cum vidisset Nilus per fenestram, & vehementer increpasset illorum scurrilitatem, grauiter illos reprehendit dicens: Hoc quod nunc vos irridetis, ecce veniet hora, in qua cupietis vehementer illo indui, & non eritis digni. Hæc ille, cum & vnà cum prophetico sermone hoc, rigor & capitis dolor Domesticum occupauit, qui domum
*Vltio diuina in irrisores & contemptores habitus Monastici.* suam quamprimum reuersus, ad cubile se deiiciẽs, præcepit ad se vocari aliquem ex Religiosis sacerdotibus, qui cum venisset, & ad cubile appropinquasset, vt diceret quanam de causa ab eo vocatus esset, inuenit illum iam mortuum. Qua re cognita, timor occupauit eos qui cum ipso venerant à Monasterio, & omnes admirati sunt Sancti Nili prædictionem.

Cum autem quidam Eupraxius, præfectus Calabriæ constitutus fuisset, beatus Nilus cum ipso haud leue certamen habuit: sed gratia Dei summa gloria victor euasit, fuit huiusmodi. Cum (vt dictum est) ab Imperatoribus constitutus fuisset Iudex Italiæ & Calabriæ, omnes quidem præpositi Monasteriorum regionis illius accedebant ad eum cum muneribus, & adulationibus, orantes eum singuli, vt ipsos protegeret, & sibi opem ferret. Beatus verò Pater Nilus, ne videretur vel comminationes hominum metuere, vel confidere Principibus, quos præ contumelia filios hominum propheta vocauit, in quibus non est salus: neque accessit adulaturus, neque donis comminationes superbiæ illius & audaciæ lenire quæsiuit, sed in suo manens Monasterio, & quieti incumbens, Deum rogabat pro totius mundi salute, & pro anima Eupraxij præfecti. Quod quidem ad maiorem furorem & insaniam accendit cor superbi illius: quia cum ab omnibus honoraretur, & coleretur, à beato Nilo apertè contemni videbatur. Quapropter non destitit quærere iniquitatis occasionem aduersus iustum illum cum non inueniret. Non enim cognosci potest vestigium colubri super petram, quemadmodũ nec Principis iniquitatem in homine coronato est facile reperire. Interea dum ille animo conflictaretur, multa mala aduersus Nilum meditatur. Repentina imminebat illi mors, sed beati Nili oratio illum præoccupauit.

Morbus quidam qui gangrena dicitur, circa glandem virilis membri cum illi ortus esset, medicorum inutilem artem esse arguebat: pœnas autem dabat luxuriæ instrumentum, propterea quod incontinentia sua naturæ legem afficiebat iniuria. Ad hæc itaque conuersus, & temeritatem suam, qua aduersus sanctum vsus fuerat, detestatus (erat enim satis prudens vir ille, licet pote- statis magnitudine satis fuerat elatus) supplex efficitur, qui antea comminationibus obstrepebat, si quo pacto fieri posset, vt eius aspectum tantum obtineret, & benedictionem & absolutionem ab eo accipere mereretur. Beatus verò Nilus in præsentia quidem procrastinabatur coram cum illo agere, cum nec eum ipse reciperet venientem ad Monasterium, nec vellet illum adire, & eius preces perficere, & adimplere, hoc pacto illi salutem procurando. Sciebat enim congruo tempore grauitate & seueritate vti, vt par est, aduersus eos qui sensu rationis carent. Cum igitur tribus annis morbus ille à Deo immissus paulatim absumpsisset occultas partes: accessit tandem principi membro, & mortem illi comminabatur eius corruptione. Tunc accessit ad eum spiritualis medicus, precibus, aduentu, & epistolis humanissimis.

Cum igitur vidisset Eupraxius beatum Nilum, & reuerendos eius pedes amplexus esset, tantam lacrymarum abundantiam effudit, illos deosculando, vt & ipse sanctus Pater, & omnes qui aderant collacrymarentur cum eo vehementer. Nihil enim aliud licebat videre in ipsis, vel alicui comparare quam peccatrici illi Euangelicæ in contritione tenenti pedes Domini, & remissionẽ ab eo petenti delictorum suorum. Cum itaque beatus Nilus vidisset ipsum lacrymis satiatum, quasi in-

fantem proprio vbere; extende ns manum,eum fuscepit, & subleuauit. Ille verò c um omnibus præcepisset vt egrederentur, cœpit denudare ei morbum animæ per corporis morbo s,& lacrymans dicebat: Ecce venerande pater, t ribus annis noctu diuque torqueor hoc morbo gra uissimo,doloribus maximis,& ineffabili fœtore afflictus, quem neque multis vnguentis adhibitis,neque vestium frequẽti mutatione (septies enim in die mutor) vitare potui. Erat enim morbus (vt beatus dicebat) *∴∴

* Desunt aliqua.

Iterum igitur manus beati Nili Eupraxius tenẽs lacrymis illas abluendo, aiebat: Miserere mei per Dominum, ô imitator Christi Domini,& dignare venerandis hisce manibus tuis me tondere licet omnibus vitiis plenum & inquinatum. Voui enim Deo fieri Monachus. Dixit autem illi beatus Nilus. Non licet tibi viro prudenti & valdè perito vulgarium hominum verba sapere, atque proferre, omnes enim qui sacro baptismate sunt insigniti, & illud immaculatum ab omni peccato non custodierint,debent absque voto aliquo iterum suscipere pœnitentiæ baptismum, quem pro magna sua misericordia, & bonitate Deus hominibus largitus est, diuitibus, pauperibus, Regibus & Principibus, Sacerdotibus, & Pontificibus, & omni animæ quæ voluerit in temporis momento regenerari, sicut aquilæ iuuenta, & liberari ab omnibus præteritis peccatis. Quod autem dixisti vt te tonderem,humilis Monachus ego sum, nullum Sacerdotalem gradum adeptus. Hic autem est Metropolita (aderat enim ibi tunc temporis Metropolita sanctæ Seuerinæ) sunt etiam hic Episcopi, & Archimandritæ, ipsi desiderium tuum impleant. Ego enim quid sum vt hoc mihi sumam? Ille verò iterum manus deosculando beati patris Nili, illum obtestando, vt hoc opus non demandaret alteri, sed per eum sanctum & Apostolicum habitum susciperet, & mediator & protector sibi esset coram Deo. Victus igitur beatus Nilus lacrymis & precibus eius suis manibus ipsum totondit,& induit eum vestibus venerandæ humilitati statutis,eum videlicet qui mollibus & latis vestibus paulo ante induebatur, præsente Metropolita Stephano, cum Episcopo Castri,& Præpositis Monasteriorum non paucis,& aliis Sacerdotibus.

Eupraxius fit Monachus.

Humilitas S. Nili.

Aderat & Iudæus ille Domnulus medicus, spectator omnium quæ fiebant. Qui egressus inde,& quod gestum erat admiratus, dixit illis qui aderãt, vidi hodie mirabilia,quæ olim facta audiui. Nunc vidi Prophetam Danielem cicurantem Leones. Quis enim vnquam potuit huic Leoni manus imponere? Iste verò iunior Daniel & comam totondit illi, & caputiũ iniecit. Et hæc quidem dicebat Hebræus.Eupraxius verò, postquam totum Angelicum officium peractum fuit in seipso, hortatus omnes ad prandium,cum seipsum composuisset, & accinxisset instar famuli, illis seruire satagebat, qui ante multos dies è cubili surgere non poterat, confirmatus virtute Spiritus sancti,& gratia manuum beati Nili. Cum verò imperatum illi esset, vt sederet prope ipsum, petiit iterum, vt sibi liceret instar famuli ministrare mensæ, & hoc facto, omnes stupebant præ vigore & promptitudine viri illius, & Deum glorificabant. Post hæc autem cum omnia bona sua pauperibus dedisset & Ecclesiis, & omnibus egenis & domesticis cum aliquid legasset, & seruos libertate donasset, tertia die ad Dominum profectus est cum contritione,& gratiarum actione, fide & spe secura ad illum properans, qui per prophetam dixit: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.

Cum autem B.Nilus oculo suo prophetico præuidisset Sarracenos sc. Calabria potituros, diuinæ indignationi locum dare volens, ad Orientales partes se conferre noluit, veritus opinionem quam de ipso habebant Orientales (ad ipsos enim etiam Imperatores Christo dilectos fama peruenit virtutis Nili) & honorem fugiens, elegit inter Latinos agere, vt ignotus apud eos. Quo verò magis ille hominum gloriam fugere studebat, tanto magis cælestis gloria ipsum exornabat, & omnes vt vnũ ex Apostolis illum excipiebant, & parem venerationem illi tribuebant. Cum enim Capuam venisset (vt alia omittam propter copiam) & maximo honore affectus esset tũ à Principe ipso Pandulpho, tũ ab aliis nobilibus ciuitatis, adeò vt de creuerint ipsum sibi Episcopum instituere, & res iam secuta fuisset, nisi mors Principem præoccupasset. Tunc verò cum vocassent Præpositum Monasterij Mũtis Cassini (Aligernus erat iste, ille beatus) illi significarũt,vt daret beato Nilo Monasteriũ aliquod sancti patris nostri Benedicti,quodcumque ipse vellet.

*Ob futuram Sarracenoꝝ in Calabriã irruptionem, in Campaniã cum suis descendit.*

*Aligernus Abbas Montis Cassini.*

Beatus itaque Nilus cum ad inclytum illud Monasterium accessisset, obuiam illi venit vniuersa Monachorum turba vsque ad montis radices, Sacerdotes, & Diaconi, sacris vestibus, vt in die festo induti, cereos & thuribula præ manibus habentes, & ita beatum Nilum ad Monasterium deduxerunt, nec aliud quidpiam videbantur audire, & videre, quàm si magnus Antonius Alexandria ad ipsos veniisset,vel è mortuis magnus Benedictus surrexisset, diuinus ille ipsorum legislator & magister.Et rectè quidem iudicabant, & à scopo non aberrabant. Omnes enim qui ex ipsis vel corporis, vel animæ aliquo detinebantur morbo, curati sunt, & vtilia ab ipso sunt lucrati, & qui speculationi incumbebant,doctrinam adepti sunt,qui in bonis erant operibus, ducatum, qui in peccatis, correctionem, qui benè valebant,abstinentiam,qui malè, salutem. Et vnico verbo, quemadmodum olim Israëlitis singulis ipsum manna ad eorum gustum conuertebatur, & commodum,quapropter non erat in tribubus eorum infirmus, talem se etiã istis Monachis,miraculis,Nilus præbuit,cum ipsos curasset præsentia sua à Deo missa, & omnes spirituali lætitia cumulasset. Valdè etiam ipse gauisus est bono ordine, & eorum statu magna disciplina exornato. Et cum res ipsorum suprà quàm res nostras, Græcorum scilicet,esset admiratus deducebatur iterum ab ipso Abbate,& ab insignioribus,eius fratribus ad Monasteriũ, in quo vna cum filiis suis permanere deberet. Illud autem erat S. Michaëlis Archangeli Vallis lucis nuncupatum.

*Cum magno honore excipitur à Monachis Casinensibus Nilus.*

*A Cassinensibus Monasterium Vallis lucis habitandum accipit.*

Precati sunt autem ipsum tum Abbas, tum fratres vniuersi,vt ad maximum Monasterium descenderet, & Græca lingua in eorum Ecclesia diuinum officium peragret, vt hoc pacto fieret, vt inquit Apostolus,Deus omnia in omnibus,quod etiã propheta prænunciauit inquiens, quod leo & bos simul pascentur, & simul stabunt eorum filij. Beatus verò Nilus initio quidem abnuit præ humilitate dicens: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, qui hodie humiles sumus, & abiecti in vniuersa terra propter peccata nostra? Nihilominus vt consolemur inuicem nostra fide, & magnum Christi nomen glorificetur, contentus fuit hoc facere.Et cum hymnũ condidisset proprio ore in sanctum patrem nostrum Benedictum, qui complectebatur omnia miracula quæ in eius habentur vita. Cumque omnes fratres supra sexaginta

*Isa. 11.*

*Hymnũ Græcè scribit de laudibus S. Benedicti.*



ginta suscepisset ascendit ad Cassini Monasterium, & vigilias peregerunt in hymnis & canticis ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

*Quid de ieiunio Sabbati interrogantes respondent.*

Quæsierunt etiam de ieiunio Sabbati. Ille verò breuem responsionem cum dedisset, ita se explicuit dicẽs: Qui comedit,non comedentem nõ spernat, & qui non comedit, comedentem non iudicet, Deus enim vtrosque suscepit. Tu verò quare iudicas fratrem tuum? Siue igitur comedamus nos, siue vos ieiunetis, omnia ad Dei gloriam faciamus. Si verò accusatis nos, quod Sabbato non ieiunemus: videte ne contraria sanctis patribus & columnis Ecclesiæ facere inueniamini, Athanasio videlicet, Basilio, & Gregorio, & Ioanni Chrysostomo, & sexcentis aliis sanctis, sanctis etiam synodis, qui quod non fecerunt, illud ipsum neque lege sanxerunt, Ambrosio præterea doctori vestro, de quo scriptum est in eius vita, quod per totam hebdomadam ieiunabat, præter Sabbatum, & Dominicum diem. Ego verò neque sanctum Syluestrum puto aduersatum sanctis patribus sanxisse hoc ieiunium: neque potestis afferre rationem, vel canones de hac re, præter auctores eius vitæ, cui nullus ita facilè crederet, cum nulla eius rei aperta appareat demonstratio. Nos nihilominus, omittentes verborum vanitatem (non enim malum est ieiunium) dicamus illud Apostoli,quod cibus non commendat nos Deo, & quæ sequuntur.

1. Cor. 8.

Vrinam verò etiam miseri Iudæi Dominum nostrum Cruci affixum adorarent, etsi ieiunarent,vel ipsos Dominicos dies, & non esset mihi cura de hoc. Tunc illi respondent. Et non est peccatum ieiunare Dominico die? Respondet Nilus: Quomodo Sanctus Benedictus ieiunans Dominicis & festis diebus, vel ipsum Pascha ignorabat quando esset? Quapropter sciendum quod omnia quæ fiunt propter Deũ,bona sunt,& non cõtemnenda,nec ipsum hòmicidium,Phinees & Samuël re ipsa ostenderũt. Nos igitur benè facimus non ieiunantes Sabbato, vt Manichæis execrandis aduersemur, qui eo die plorant, & vetus testamentum accusant quasi non sit à Deo traditum; non abstinemus verò ab operibus,ne similes simus impiis Iudæis Dei interfectoribus. Vos meritò ieiunatis, expiantes vos ipsos pro sancto resurrectionis die rectè celebrando.

*Capuæ Principatus Aloaræ datus.*

Igitur mortuo Pandulphò, qui erat Princeps Capuæ, eius vxor Aloara dicta, non secus ac si maritus viueret, vniuersæ illi regioni præerat, & dominabatur. Hæc dominij zelo, vel potius sathanica inuidia occupata, instigat duos filios suos qui remanserant, vt interficerent vnum ex Comitibus nepotem illius existentem quasi potentia præstantem, & ab omnibus honoratum. Quod illi effecerunt: ipsa enim illius consanguinea cum illum allocutura ad se vocasset, & ipse absque malitia ad eam intrasset: occasionem opportunam eius rei nacti, eius filij prosilierunt in ipsum, & gladio interfecerunt. Horum mater pœnitentiam simulando, accersit supplex beatum Nilum ad se tanquam acceptura ab eo peccati dignam pœnitentiam. Beatus verò Nilus eius precibus annuens, cũ ad ciuitatem venisset, currebant omnes ad vias publicas, vt viderent reuerendum eius aspectum, & obtinerent eius benedictionem. In quibus Diaconissa quædam Monasterij præposita, cum suo sacerdote iuuene existente, & ætate florente ac robusta, cum collegisset etiã alias virgines suas quibus ipsa præerat, exiit vt obuiam iret beato Nilo. Ille verò cum prophetico spiritu conspexisset eorum gesta,

*Diaconissam cum sacerdote inambulãtem leuitatis reprehendit.*

occursum ipsarum non curauit, sed potiùs vt gladius ignitus austera voce & terribili vultu se ipsis obiecit, inquiens: Quid vobis & iuueni isti, vt vos quæ videmini virgines, cum ipso simul habitetis? An ignoratis quod hic est vir, & ipse ignorat quod vos estis mulieres? Si Deum non timetis? homines cur non reueremini? Reuera in vobis non video iustitiæ fructum. His illæ auditis, cum oporteret vereri & horrere beati Nili ingenuitatem, recesserunt dicentes: Non est hic seruus Dei, sed diabolus. Et statim sequenti die inuentus fuit Presbyter ille cubans cum Diaconissa illa sua consanguinea, & hoc auditum est per vniuersam ciuitatem illam.

*Venit euocatus ad Aloaram Capuæ Principissam, eique optimũ consiliũ dat.*

Venit itaque beatus Nilus ad palatium Aloaræ. Quæ cum illum vidisset, tremens facta, procidit ad pedes eius, errorem suum confitendo, vt veniam obtineret. Ille verò cum ipsam subleuasset: Ne facias hoc, dixit, quoniam ego etiam homo sum peccator, nec habeo facultatem ligandi & soluendi. Vade ad Episcopos, qui hæc iudicare possunt, & quodcumque tibi dixerint illi, facito. Illa verò respondit:Episcopis peccatum meum cõfessa sum, & illi præceperunt mihi, vt psalterium legerem ter in hebdomada, & eleemosynas facerem indigentibus. Precor etiam sanctitatem tuam, serue Dei, vt à te audiam, quod vtile est, vt veniam obtineam peccati mei. Beatus Nilus respondit: Psalterium percurrere, & dare eleemosynam, tibi & indigentibus vtilitatem affert, illi verò qui occisus est, salutem non confert, neque mœrorem eorum qui plorant interitum eius soluet: quid enim tantum das quantum offendisti? Si verò omnino volueris etiam à me humili consilium accipere, & facere voluntatem Dei, ecce dico tibi;Trade vnum ex filiis tuis propinquis defuncti,vt de eo faciant quodcumque voluerint, & ita à peccatis eris absoluta. Dixit enim Deus, quod ex manu hominis fratris eius requiram animam, ipsius videlicet hominis. Et, quicumque fuderit sanguinem hominis, pro illius sanguine sanguis ipsius fundetur. Et iterum: Quicumque gladium apprehenderit, gladio morietur. Non enim tu es impotentior Saül Rege, nec Iudice Iephte, qui propria voluntate filios suos morti tradiderunt. Ad quæ illa respondit. Non possum hoc facere: vereor enim ne aliquo pacto ipsum occidant. Tunc beatus Nilus zelo diuino plenus respondit: Hoc dicit Spiritus sanctus. Sanguis filij tui effundetur pro illo sanguine, quem tu iniustè effudisti, & peccatum hoc non delebitur è domo tua in seculum: nec vllus ampliùs ex semine tuo imperabit huic ciuitati: sed eiicietur & conculcabitur ab hostibus suis, eo quod confisa es potentiæ tuæ, & non didicisti, quod Dominus pauperes facit & ditat,humiliat & subleuat.

*Num. 15.*

*Matth. 26.*

Quibus illa auditis cœpit flere, & lamentari, & cum implesset manus suas auro,offerebat illud beato Nilo, putans se illum ita placaturum. Ille verò ab omni affectu alienus, reuera neque lacrymis mulieris fractus, neque captus auri copia, neque potentiam eius veritus, cum dirupissetcubiculi velum, vt ceruus prosiliens, abiit, hoc secum cogitans, (vt ipse dixit) quod diabolus ita affirmauit: Iste Monachus puluis est, irrigabo illum aqua lacrymarum mulieris,& iam efficiam ipsum lutum,vt eũ effingere &formare possim vt volo.Et hoc pacto Nilus opere perficiebat illud:Estote prudẽtes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Simiciter implens Apostolicum præceptum, quod ait: Ne

*Reſpuit munera Aloaræ.*

*Matth. 10.*

communices peccatis alienis. Et tunc beatus Nilus ſeceſſit in Monaſterium ſuum. Nec multum interceſſit temporis,& eius prædictio effectum eſt conſecuta : filius enim iunior prædictæ Aloaræ principatus zelo maiorem fratrem in Eccleſia orantem, gladio interfecit.Ille verò è contra à Rege Francorum hac de cauſa vinctus agebatur. Et tandem breui tempore tota illorum ſuperbia defecit,& eorum potentia periit.

*1. Tim. 5.*

*Deficit poteſtas & principatus Aloaræ & filiorũ, iuxta viri Dei vaticinium.*

Eodem tempore Philagathus Archiepiſcopus,& conciuis beati Nili, Romanam ſedem occupauit inſatiabili quodam deſiderio, non contentus mundi gloria, qua Deus ipſum mirabiliter exaltauit:in vtroque enim Imperio gloriam fuerat aſſequutus. Beatus verò Nilus futura prænoſcens, ſcripſit illi eum orans, vt valediceret mundi gloriæ,cum iam hac ad ſatietatem potitus fuiſſet, & in quiete ad Monaſticam vitam declinaret. Ille verò non deſtitit ab inſtituto ſuo, quouſque egreſſus eſt Imperator cum priore Præſule iam eiecto, & eorum indignationis opus factus eſt Philagathus, orbatus enim ab ipſis membris ſuis maximè neceſſariis, oculis inquam, & lingua,& naſo,in carcerem coniectus eſt, miſerabilis factus, & omni ope deſtitutus. Hæc cum audiſſet beatus Nilus corde afflictus, coactus fuit, ſenio & morbo confectus licet, (nonagenariam enim excedebat ætatem) & non ſatis tempore congruo, Quadrageſima enim erat, Romam venire, & Imperatorem adire, pro gratia impetranda.

*Philagathus Papa ſchiſmaticus quã malè habitus.*

*It Romam S. Nilus,& honorificè à ſũmo Pontifice & Imperatore excipitur.*

Imperator igitur & ſummus Pontifex cum eius aduentum intellexiſſent, iuerunt illi obuiam, (magna ſiquidem erat eius vbique ſpectata tam Orientalibus quàm Occidentalibus fama) & cum illum tenuiſſent hinc inde è manibus, duxerunt illum ad Patriarchium, & cum illum medium collocaſſent, & ſalutaſſent, alter à dextris, alter à ſiniſtris, eius manus deoſculabantur. Sed beatus Nilus, licet hæc omnia obſequia ægrè ferebat, & moleſtè, tolerabat tamen omnia, ſi quo pacto obtinere poſſet quod petebat. Et inquit illis : Ignoſcite mihi peccatori (per Dominum) ſuper omnes homines, & ſemimortuo ſeni : indignus enim ſum tanto honore, quin potius meum eſt adorare venerandos pedes veſtros, & venerari dignitates veſtras. Veni autem ad gloriam veſtram non honorem cupiens, vel munera, vel prouentus magnos, ſed gratiam pro eo qui vobis multum inſeruiuit, & malè à vobis tractatus fuit : qui vtrumque veſtrum ex fonte baptiſmatis ſuſcepit, & à vobis oculi ſunt eruti. Precor pietatem veſtram, vt illum mihi dono detis, vt mecum in poſterum ſedens, ambo peccata noſtra deploremus.

*Pro Philagatho apud Imperatorem intercedit.*

Tunc Imperator modicum lacrymatus (neque enim reuera tota res eius conſilio peracta eſt) reſpõdit B. Nilo. Præſtò ſumus, vt omnia quæ videretur ſanctitati tuæ perficiamus, ſi etiam tu exaudies petitionem noſtram, & dignaberis accipere Monaſterium in hac ciuitate, quodcumque volueris,& eſſe nobiſcum ſempiterno tempore. Cum verò B.Nilus renueret in vrbe morari, propoſuerunt illi S.Anaſtaſium extra turbas exiſtentem, & ſemper noſtro generi, Græcis ſcilicet,attinentem. Et iã accepiſſet beatus Nilus conditionem, ſtudens, vt quam petebat gratiam, obtineret. Sed durus ille Papa non contentus malis quæ aduerſus prædictũ Philagathum patrauerat, cum illum adduxiſſet, & ſacerdotales veſtes ei dilaniaſſet, per totam vrbem circumduxit. Quod cum ſanctus ſenex audiſſet, & magnopere triſtatus eſſet; non amplius petiit ab Imperatore Archiepiſcopum Philagathum. Quod cum animaduertiſſet Imperator, miſit vnum ex ſuis Archiepiſcopis valde loquacem, vt ſenem Nilum placaret. Cui dixit beatus Nilus. Vade, & dic Imperatori & Papæ: Hæc dicit ſenex ille ∴ ∴ Donaſtis mihi cæcum iſtum non mei mei timore, nec magna mei potentia, ſed tantum Dei amore. Nunc igitur quæcumque inſuper feciſtis, non illi, ſed mihi feciſtis, vel potius Deum ipſum contumelia affeciſtis. Scitote igitur, quod quemadmodum vos non pepercistis illi, neque miſericordiam oſtendiſtis erga illum, qui à Deo manibus veſtris traditus eſt; ita neque pater veſter cæleſtis parcet peccatis veſtris. Sed Archiepiſcopus ille loquax non deſinebat excuſare Imperatorem & Papam. Tum beatus Nilus, inclinato capite, dormitare ſimulabat. Vbi verò ille vidit beatum Nilum ſuis verbis mentem non adhibere, ſurgens abiit. Beatus autem Nilus quamprimùm cum fratribus quos ſecum habebat, conſcenſis equis, tota illa nocte ad ſuum peruenit Monaſterium, iuxta Caietam in loco arduo conſtructum, orationi & ſibi incumbens, & Deum indeſinenter placans precibus.Non multos poſt dies, Papa quaſi tyrannus quidam inde vi eiectus fuit (vt à quibuſdam audiui qui hæc dicebant)& oculis orbatus, ſepulturæ traditus fuit. Imperator verò pœnitentiam pollicitus, pedes ab Vrbe ad Garganum montem iuit ad Sanctum Michaëlem Archangelum.

*Renuit Romæ morari S. Ni-*

*Ad Archiepiſcopi cuiuſdam verba Otthonẽ Imperat. & Põtificem defendentis obdormire ſe fingit.*

Inde autem reuerſus, per beati Nili hoſpitium tranſiuit. Cum igitur veniſſet ad Monaſterium, & vidiſſet fratrum tuguria circa oratorium conſtructa, dixit : Ecce tabernacula Iſraël in deſerto : ecce habitatores regni cælorum. Iſti non vt habitatores, ſed vt peregrini manent hic. Beatus verò Nilus cum percepiſſet thuribulum ſuum (quod moris erat) obuiam illi iuit cum vniuerſis fratribus, & cum omni humilitate & veneratione ipſum excepit honorificè. Imperator autem ſuppoſita manu, Nilum ſubleuans, & ſuſtentans, ingreſſus cum eo in oratorium : deinde facta oratione, dixit Imperator Sancto Nilo. Dominus noſter Ieſus Chriſtus dum erat cum Apoſtolis præcepit illis ne peram, aut baculum, aut duas veſtes poſſiderent. Cùm verò accederet paſſioni, iterum dixit illis : Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimul & peram. Tu igitur quoque cum iam ſenueris, & debeas proficiſci ad regnum cælorum, ſit tibi curæ de tuis alumnis, ne poſt te anguſtiati loci difficultate, recedentes diſſipentur. Nos dabimus tibi Monaſterium & prouentus, vbicumque volueris in vniuerſa prouincia noſtra. Cui beatus reſpondit. Dauidem audi dicentem : Salua me Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam defecit veritas à filiis hominum. Et iterum : Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Si omnino ſunt Monachi fratres mei, & cuſtodient pro virili mandata : ipſe qui vſque adhuc mecum curam geſſit de ipſis, multo maiorem geret abſque me de iis qui ſperant in eius miſericordia. Hæc & alia multa cum dicta eſſent, ſurrexit Imperator, vt diſcederet. Et iterum conuerſus ad ſenem, dixit illi : Pete à mè tanquam à filio tuo quodcumque volueris, & cum omni alacritate perficiam tibi. Beatus verò Nilus cum extendiſſet manus ad pectus Imperatoris, dixit illi : Nihil aliud peto ab imperio tuo, præter ſalutem animæ tuæ. Licet enim Imperator exiſtas, tanquam vnus de hominibus debes mori, & ad iudicium venire, & rationem reddere eorum quæ feciſti, bonorum ſiue malorum operum. Hæc cum audiſſet Imperator, guttas lacrymarum profundebat ex oculis ſuis. Deinde coronam ſuam in manibus S.Nili deponẽs, ab ipſo benedictionem adeptus, cum omnibus qui cum illo erant, iter ſuum proſequutus eſt.

*Otthoni III. Imperatori cũ omnibus Monachis it obuiam.*

*S. Nilus recuſat poſſeſſiones.*

*Quid petat ab Imperatore.*

*Ita plane S.Nilus, ſe, ſuoſque ad Monaſticam vitam compoſuit, vt nuſquam firmas fixerit ſedes, ſed peregrinantium more, vbi aliquo in loco aliquandiu manſiſſet, aliqua occaſione captata, vna cum ſuis aliò tranſmigraret, ita expedire iudicans ad omnes numeros perfectiſſimæ Monaſticæ obſeruantiæ exoluendos, vt affectus liberos ab omnibus terrenarum rerum compedibus conſeruaret.*

*Varias mutat ſedes.*

## NOTÆ.

Nilus.] *De quo Mart.Rom.cum Baronio 26.Septembris. Meminit eiuſdem Vuionius in Mart. Monaſtico hac die, ſed valde fallitur cùm eum inter Monachos & Sanctos Ordinis S. Benedicti reponit. Ipſe enim, vt conſtat & colligitur ex ſuperioribus,numquam Regulam S. Benedicti obſeruauit, licet Monaſterium Vallis lucis à Monachis Caſſinenſibus inhabitandum acceperit, id tamen diu non habitauit, quia varias mutauit ſedes. De eodem plura apud Surium nouiſſimè valde auctum & locupletatum, & Coloniæ impreſſum. Omnino debebat Baronius vitam eius integram reponere, cum eſſet, & ſit adhuc omnibus incognita, multumque feciſſet ad Dei, ſancti, Eccleſiæque honorem ampliorem,innumeroſque viros doctiſſimos ipſam vitam deſiderantes, à magnis ſuſpiriis & ſingultibus liberaſſet. Obiit autem vir ſanctus in Monaſterio Cryptæ ferratæ, quod eſt in agro Tuſculano.*

Eorum indignationis opus factus eſt Philagathus.] *Iſte Philagathus, vt pulchrè annotat Baronius tom.9. Annalium ad annum 996. vocatus fuit Ioannes XVI. poſt arreptum Pontificatum,& ante erat Epiſcopus Placentinus.*

Orbatus enim ab ipſis membris ſuis maximè neceſſariis.] *Quàm miſerrimè ſedem Romanam inuaſerit iſte Philagathus ex Petro Damiano refert Baronius vbi ſuprà. Quàm grauem autem pœnam pro ſuis ſceleribus luerit fuſius deſcribit Petrus Damianus in hunc modum. Eiecto itaque Gregorio Imperatoris Otthonis vtique conſanguineo, Romanæ Eccleſiæ cathedram, non vt Sacerdos magnus,ſed vt fur & tyrannus obtinuit. Sed paulo poſt reſipiſcente Quiritum populo, atque in zelum dignæ vltionis vnanimiter exardeſcente, irruentes in eum manus iniiciunt, oculos eruunt, aures nareſque præcidunt, &c. Et paulo inferius. Poſtquam Romani (vt dictum eſt) reſpondiſſent Pontifici, mox ante retrò conuerſum in aſello glorioſum equitem poſuerunt, tenentemque ſui vectoris caudam in manibus, per publicam totius Vrbis viam, hæc vt caneret, impulerunt.* TALE SVPPLICIVM PATITVR, QVI ROMANVM PAPAM DE SVA SEDE PELLERE NITITVR.

Papa quaſi Tyrannus quidam inde vi eiectus fuit, &c. & oculis orbatus, ſepulturæ traditus fuit.] *Baronius vbi ſuprà hæc ſcribit. Quod autem de ſucceſſore Philagathi dictum eſt, eum ſcilicet poſt paucos dies vi pulſum, & excæcatum, mortuumque etiam ac ſepulturæ mandatum, cum iſta quidem de Gregorio V. dici aliquo modo non poſſint, neceſſe eſt, vt dicamus vel duos ſucceſſiuè iſta tunc paſſos eſſe Pontifices, vel quod haud adeò ſecurè aliorum teſtificatione auditum, vt aſſerit, (Auctor ſcilicet Vitæ S.Nili) liberans fidem ſuam,minimè verum fuerit; cum nullus alius auctor inueniatur, qui de alio aliquo iſta teſtetur. Hæc Baronius.*



## *VITA S. FRANCISCI PAVLENſis, Ordinis Minimorum Inſtitutoris. Partim ex Ioanne Chappoto, & Franciſco Victonio, eiuſdem Ordinis.*

FRanciſcus Paulæ quod eſt in Calabria oppidum, honeſtis parentibus natus eſt anno Domini 1416. ſedem Petri tenente Ioanne Papa XXIII. imperante Sigiſmundo,& regnante in Gallia Carolo ſexto, & in Caſtella Ioanne II. Pater eius vocabatur Iacobus Bartolilus d'Alexius, mater verò Vienna, ambo timentes Deum & ambulantes in iuſtificationibus Domini ſine querela, qui etiam auſteriſſimam vitam ducebant, linteamina reſpuentes, & abſtinentiam Quadrageſimæ per totam ferè vitam ducentes.

*Patria S. Franciſci.*

*Parentes.*

Ipſi igitur cum ſine prole multos annos in matrimonio vixiſſent, tandem voto piè facto, & precibus S. Franciſci Aſſiſinatis, filium ſuſceperunt, quem propterea Franciſcum appellauerunt. In cuius conceptione, & natiuitate, magna luminaria ſupra domum parentum cælitus viſa ſunt. Cum autem in pueri oculo tumor creuiſſet, timens mater ne lumen amitteret, quia res deſperata erat à medicis, votum etiam vouit cum marito, quod ſi ſanitatem reciperet puerulus, per ſpatium vnius anni vt habitum Ordinis S. Franciſci geſtaret, curaret. Et ſic emiſſo voto, ſtatim puer conualuit. Nec diu poſt pij parentes cum filiam ſuſcepiſſent nomine Brigittam, votum perpetuæ caſtitatis vouerunt, quod & impollutum ſeruarunt. Poſtquam autem mortua eſt Vienna S.viri mater, non multò poſt Iacobus pater ipſius, habitum Ordinis de manibus proprij filij ſuſcepit, & ſenex plenuſque dierum inter brachia ſancti Franciſci exſpirauit. Qui vir ſanctus Franciſcus etiamnum puer vitam quadrageſimalem obſeruabat, miſſuſque vt prima elementa diſceret, valdè profecit, licet propter domus ſuæ paupertatem, vel propter ſchiſmata Eccleſiæ, quæ tunc multa vigebant, non dederit operam artibus liberalibus, ſed Deus vt potentiam ſuam manifeſtaret, in tempore & loco ſcientiam ei infuſam miraculoſè diſpenſabat. Valdè à teneris annis cœpit amore beatæ Virginis flagrare, cuius roſarium, & officium cum incredibili deuotione genibus flexis, & nudato capite recitabat. Vnde cum aliquando iuſſus eſſet à matre propter frigus, & aëris incommoda in tam prolixis precibus tegere caput, tale admirabile reſponſum ab eo audiuit. Mater, ſi Reginam alloquerer, quid velles me facere? Certè præciperes vt depoſito galero reuerentius loquerer. Sic ergo decet & neceſſe eſt vt Imperatrici cæli & terræ flexis genibus & nudato capite ſeruiatur. Quod reſponſum audiens mater, valde mirata eſt.

*Ex ſterilibus parentibus naſcitur.*

*Pater ſancti viri habitum Ordinis à proprio filio ſuſcipit.*

*Habet ſcientiam infuſã vir Dei.*

*Eſt deuotus beatæ Virgini.*

*Not. egregiũ dictum.*

Poſtquam autem attigit decimumtertium ætatis annum, apparuit ei S.Franciſcus, hortans eum ad executionem voti parentum. Expergefactus autem viſionem parentibus narrauit, qui duxerunt eum ad quoddam Monaſterium S.Franciſci, vbi & habitum aſſumpſit, & per ſpatium vnius anni in magna vitæ ſanctitate illud geſtauit. Anno elapſo, quia ad amplius non tenebatur, depoſuit habitum,& profectus eſt Aſſiſiũ, deinde Romam: deinde reuerſus in patriã ſtatuit valedicere mundo,& cum valdè ad ſolitariã vitam anhelaret, anno 14. ætatis ſuæ, in parua

*Apparet ei ſanctus Frãciſcus.*

*Geſtat per vnius anni ſpatium habitum Ordinis S.Franciſci, vt ſatisfaciat voto parentum.*

vinea patris sui, non multum longe à ciuitate Paulensi, sibi angustam cellulam ædificauit, vbi per spatium quinque aut sex annorum ab hominum conuictu seiunctus, durissimam vitam, sed meditationibus suauem & cælestem duxit. De eius autem sanctitate cum celebris fama esset, ideoque multi se ei in disciplinam tradidissent, inde vt aliis prodesset, exire coactus est annum agens ætatis 19. circa annum Domini 1435. Quare prope Paulam suis manibus, ac laboribus magnis Ecclesiam ædificare aggressus, multorumque eleemosynis adiutus perfecit. Cumque breuis Ecclesiæ fundamenta iecisset, S. Franciscus ei apparens, monuit vt maiorem construeret, quam & Deo iuuante opere formaque notabili ad finem vsque perduxit. Nam multi tum pauperes, & nobiles certatim laborabãt. Cum aliquando ad scindenda ligna in syluam trecentos homines duxisset, Euangelium scripturæ currentis ita doctè & luculenter eis exposuit, quod non habebant vltra spiritum. Multi ex partibus Græciæ, audita S. viri miraculorum fama, ad eum visendum properarunt, quibus prædixit Constantinopolitanam ciuitatem à Turcis capiendam, cuius prophetiæ veritas accidit anno Domini 1453. in pœnã & vindictam hæresum & schismatis Græcorum, quas hæreses ex parte abiurauerunt in 16. synodo generali Florentiæ habita anno 1439. sub Eugenio 2. cui interfuerunt Ioseph Constantinopolitanus Patriarcha & Ioannes Palæologus Imperator penultimus, Christianus.

*Viuit solitarius in Eremo in vitæ austeritate.*

*Construit Ecclesiam.*

*Iterum ei apparet S. Franciscus.*

*Prædicit excidium Constantinopolitani Imperij.*

Cum aliquando quidam operarius furatus esset ficus viri Dei, & à quodam socio accusatus, rem negaret, vir Dei stans iuxta caldariam bullientem, nuda brachia immersit, nihilque mali passus est. Conuersusque ad latronem dixit: fac sicut me vidisti facere, confido enim in Domino quod si non abstuleris ficus, nihil mali patieris. Ille autem hæc audiens confusus recessit. Consuerat præterea vir sanctus artificũ suorũ cibos coquere absque igne, accendere miraculosè cereos & lampades Ecclesiæ, incedere nudis pedibus quasi supra mollissimas rosas, per medios ignium & flammarum globos, ignem tractare manibus, quasi delicatissimos fructus.

*Brachia nuda in caldariam bullientem immergit, sed nihil lædituꝛ.*

*Cibos absque ignis adminiculo coquit.*

Puer quidam nobilis laborans in fabrica Monasterij Paulensis, inopinatè trabs magna corruens, quæ quandam machinam sustentabat, ipsum oppressit, & omnino contriuit. Cum hoc autem nunciatum fuisset viro Dei, qui tunc in cella orationi instabat, ad locum accessit, & cum iussisset omnes abire, ipse cœpit ardentius orare, deinde accedens ad corpus exanime, ad instar Elisæi posuit membra sua super membra defuncti, & cum insufflasset in os eius, statim vitæ restitutus est, cœpitque laborare cum aliis.

*Suscitat puerum mortuum.*

Quidam adolescens ex parentela beati Francisci valde diligebatur à matre sua, sed nihilominus valde aspirabat ad vitam Monasticam. Cuius propositum cum resciuisset mater, eum omnibus modis impediebat, neque correpta à viro sancto desistebat. Accidit autem vt in vltionem peccati moreretur adolescens, quem vir sanctus (licet rogante matre) nec sanare, sed nec videre quidem voluit. Celebrantur exequiæ, quibus etiam vir sanctus interfuit, vsque dum corpus ad sepulchrum portaretur. Tunc præcepit ne vlterius procederetur, omnesque abire iussit etiam ipsosmet fratres & religiosos suos. Quibus recedentibus, corpus ad cellam portauit, vbi per triduum absque cibo & potu mansit in oratione. Tertia autem die aduocans matrem,

*Vltio diuina in matrem auertentem filium suum à Religione.*

vir Dei interrogauit eam num voluntatem suam voluntati diuinæ resignare vellet, permittendo filium religiosum esse. Cui cum assensum præbuisset, vir sanctus properans ad cellam iuuenem suscitauit, ipsique habitum Monachicum tribuit, & ad matrem adduxit, dicens: Mulier, istene filius tuus? & tu fili, hæc estne mater tua? Mater præ gaudio gestiens clamabat, verè filius meus est, sed reuera magis tuus quàm meus. Tunc omnes assistentes valde attoniti laudauerunt Deum.

*Suscitat & alium iuuenem mortuũ.*

Quidam nomine Marcellus de Cardilla Cusantinus, horribili lepra percussus, ductus est ad virum Dei. Quem cum conspexisset cœpit lacrymari. Cumque hortatus eum esset vt speraret in misericordia Dei, solo tactu leprosum sanauit. Innumeros dæmones ex obsessis corporibus eiecit, quos tamen nullo modo sinebat loqui, omnemque ostentationem, & vanitatem in exorcismis fugiebat, cum ab ipsis dæmonibus valdè timeretur, & laudaretur. Quidam dæmoniacus nomine Dominicus ita crudeliter torquebatur, quod vix decem homines eum detinere poterant. Vir autem Dei tres ficus ei dedit ad manducandum, & statim liberatus est. Hydropicum etiam sanauit, qui tanti beneficij memor, habitum Ordinis suscepit.

*Solo tactu leprosum horribilem sanat.*

*Sanat dæmoniacum.*

*Item & hydropicum.*

Quidam etiam religiosus Ordinis S. Augustini missus in syluam per obedientiam vt scinderet ligna, forte sibi pedem truncauit. Tunc nescio quo modo affuit vir sanctus, qui cum videret Monachum in magnis doloribus constitutum, ad eum accessit, & dixit: Quid habes frater? multum profudisti sanguinem? Heu, inquit Monachus, amisi pedem. Tunc vir Dei dixit: Videamus. Respicienſque plagam dixit ei: vide frater miraculum obedientiæ, tu tibi præcideras pedem, & ego nullam læsionem video, neque in neruis, neque in venis, neque in musculis, hoc tamen sine bonitate Dei fieri non poterat: Scito ergo fili quod per meritum sanctæ obedientiæ ab hoc ineuitabili malo præseruatus fuisti. Nam alioqui actum erat de pede tuo.

*Nota meritũ obedientiæ.*

Quidam presbyter cancro impeditus missam celebrare non poterat. Nam hic morbus fere eius nasum & labia corroserat. Vir autem Dei, tanto beneficio frustratam esse Ecclesiam, necnon & purgatorium tanto adiutorio priuatum esse videns, pauxillum xilli madefaciens in aqua frigida, tegit partem morbidam, præcipiens vt sequenti die Missam celebraret. Vix peruenerat ad Monasterium viri Dei, cum omnimodam sanitatem recipiens, Missæ sacrificium obtulit.

*Sanat morbum cancri.*

Alius quidam presbyter dolore dentium nimio affectus, aliquando deliberabat, & laborabat, num Missam celebrare deberet. Nam vi morbi & doloris omnes dentes commouebantur. Nihilominus fiduciam habens in Deo, non obstante hoc dolore celebrauit, absque vlla aut pauca molestia. Veniens autem ad virum Dei narrauit ei quid egerat. Eum autem valde laudauit, & commendauit vir Dei, accedensque ad eum tetigit dentes eius, & deinceps nunquam talem dolorem sensit.

*Item & dolorem dentium.*

Quidam cæcus iussus à viro Dei vt Missam audiret, cum tremendum & adorandum Christi corpus leuaretur, subitò visum recepit.

*Cæcus audiẽs Missam visum recuperat.*

Infans recens natus viro Dei præsentatus fuit qui nec oculos, nec os habebat. Quem cum vidisset vir Dei, cœpit lacrymari propter miseriam quã propter peccatum contraximus. Saliua igitur partes oculorum & oris liniens: statim cunctis mirantibus, oculi & os apparuerunt.

*Infans natus sine ore, & oculis, viri Dei saliua tandem apparent.*

Priusquam



Priusquam constructum fuisset Monasterium Paulense, vir sanctus habebat capream, quæ insequuta à venatoribus ad virum Dei confugerat. Hæc autem bestia valde virum Dei diligebat, nam sequebatur eum quocumque ibat, saltãdo & lusendo coram ipso, & de manibus eius cibum sumendo. Quadam autem die cum artifices nihil haberent ad manducandum, petierunt eam à viro sancto, quam libenter eis tradidit, nam etiam tunc datus ei fuerat paruus capreolus. Artifices autem qui capream bonam inuenerant, voluerunt etiam gustare de carnibus capreoli. Capientes ergo eum latenter sine licentia viri Dei eum comederunt. Et ne cognosceretur furtum eorum, pedes & ossa proiecerunt in fornacem calcis quæ erat in Monasterio, existimantes quod citò ab igne consumerentur. Vir autem Dei cum non amplius capreolum suum videret, voluit scire quid de eo factum erat. Audiuit autem à quodam operario eum fuisse comestum ab artificibus, qui eius ossa in clibanum & fornacem calcis proiecerant. Tunc primò doluit vir sanctus. Deus autem qui voluntatem timentium se facere consueuit, breui consolatus est seruum suum, qui plenus fide & spe accedens ad os fornacis, quamprimum clamauit, Martinete (hoc enim erat bestiæ nomen) veni, egredere hinc: statim capreolus rediuiuus & resuscitatus, per medios flammarum globos transiens, inter brachia viri Dei saltauit.

*Suscitat cãpreoli, cuius carnes comesti, & ossa in cineres redacta erant.*

Cum construeret Monasterium apud Paternum, nec locus esset aptus, præcepit montibus, qui longius recedentes, magnum & amplum spatium præbuerunt. Cum rupes impediret ne riuulus transiret prope muros Monasterij sui, dixit rupi: Soror per charitatem recede hinc, & sine venire fratrẽ riuulum. Vix verba compleuerat, & statim rupes longiùs recessit. Longum esset recensere quàm sæpius solo Crucis signo & portauit, & portare fecit onera, sicut trabes & lapides, excessiui ponderis. Arbores tortuosas solo tactu rectas reddebat, in duas partes nimis magnas findebat & diuidebat: nimis paruas, & minus aptas, in vnum redigebat & coniungebat.

*Solo verbo montes lõgius transfert.*

*Item & rupes.*

*Onera excessiui ponderis, signo Crucis leuia facit.*

Quadam die sustentauit tria millia hominum qui ad eum visitandum venerant, vnico cophino panis, & paruo vini poculo; nec tamen ex vtroque aliqua diminutio apparuit. Quadã vice cum egrederetur de cella, offendit operarium, cui ficum demonstrans dixit: putasne me posse tibi, sociisque tuis omnibus ex hac ficu particulam dare? Operarius hoc impossibile putans, per modum ioci respondit ridendo: Pater si omnibus dederis, quid tibi restabit? Cui vir Dei; Charissime, inquit, gratia Dei non deest indigentibus ea, iis præcipuè qui digni sunt eam recipere. Tunc ergo diuidens ficum, frustulum vnicuique tradidit, (erant enim viginti viri) & nihilominus ficus integra, & absque diminutione vlla in eius sacris manibus mansit. Pauit etiam viginti artifices quos duxerat ad scindenda ligna in syluam vnico paruo pane, & lagena vini. Cum fundamenta Monasterio de Paterno foderentur, duo artifices sub magna congerie terræ & lapidum sepulti sunt. Clamantibus autem omnibus & lamentantibus, consolabatur eos sanctus, qui cum terram amouere fecisset, inuenti sunt viui sani & illæsi. Suscitauit præterea hominem quendam qui mortuus repertus fuerat inter niues. Quidam artifex nomine Leonardus Philippus ex suprema absidis Ecclesiæ parte decidit in terram, & totus contritus mortuus est. Vir autem

*Viginti homines ficu satiat, & integra remanet.*

*Item & viginti artifices vno pane & lagena vini.*

*Mortuos & omnino cõtritos suscitat artifices.*

Dei cui Deus vitam & mortem posuerat in manibus, aduenies leuauit brachium totum contritum & confractum, dicens: per charitatem surge. Tunc reuixit qui erat mortuus, totumque corpus eius consolidatum est. Suscitauit præterea & alium artificem qui ex alto ceciderat.

Quædã mulier nomine Maria horribiliter torquebatur à spiritu immundo. Ducta ergo ad virum Dei, statim sanata est. Rusticus etiam obsessus à dæmone, ductus est ad virum Dei, qui statim præcepit diabolo vt per totum diem laboraret in opere constructionis Monasterij de Paterno. Cum autem serò factum esset, potenter eum vir Dei expulit cum aliis dæmonibus qui in corpore obsessi latitabant, permisitque eos egredi in forma venti & tonitrui magni, cuius fragore tota Ecclesia contremuit. Domus etiam præoccupatæ à dæmonibus, per preces viri Dei liberatæ & mundatæ sunt. Quin etiam mittebat fratres suos qui ex parte Dei, & sua, ipsis præciperent relinquere loca quæ ipsi occupabant & molestabant, & hoc modo nobilis quædam puella ab incubo die noctuque afflicta, liberata est.

*Mulierem à dæmone vexatam liberat.*

*Iussu viri Dei diabolus laborat in fabrica Monasterij.*

*Puella ab incubo liberatur.*

Quadam vice cùm trecentos operarios in cauanda quadam rupe occuparet: eosdem vnica ficu sustentauit. Cum Siciliæ fretum strato super fluctibus pallio cum duobus discipulis transmitteret, etiã Scyllæ & Charybdis barathrum illæsus transiuit. Et quia loca illa omnino periculosissima erant, ita vt rarissimè naues euaderent naufragium: postquã vir Dei illac transiuit, desierunt esse periculosa, audacterque transmittuntur à nauigantibus, paucæque naues pereunt. Archiepiscopus Cusentinus misit viro Dei pisciculos mortuos, quos volebat cũ ipso comedere. Accipiens ergo vir Dei de manu ministri pisciculos inuolutos, fortè vnus ex eis quamprimũ decidit in manus eius, & motum & vitam recepit. Tunc dixit ministro: Deus non vult vt modo comedatur pisces iste, ponamus ergo eum in Viuario. Quod miraculum cum audisset Archiepiscopus, accessit, & vidit piscem saltantem & nauigantem in aqua. Admirationi fuit omnibus propter cibi abstinentiam. Numquam enim quamuis in infirmitate constitutus, carnes, oua, butyrum, lac, & caseum comedit. In præcipuis festiuitatibus natiuitatis, Paschæ & Pentecostes, & aliis comedebat in refectorio cum fratribus fabas. Numquam etiam comedit pisces, neque aliud habens vitam. Cum aliquando proficisceretur per cãpos, petiit à quodam eleemosynam, qui dedit ei panem, quo accepto, statim in pratis & campis cœpit colligere syluestres herbas, quas cum pane manducauit. Cum autem qui ei dederat eleemosynam hoc miraretur, diceretque proprium esse bestiarum comedere crudas herbas, vir sanctus respondit læto vultu: per charitatem herbæ istæ valde bonæ sunt. Aliquando per spatiũ totius vnius quadragesimæ integræ, sine vllo cibo & potu vixit, neque progressus est extra cellã suam. Decem vel duodecim diebus antequã solemniores festiuitates aduenirent, nihil omnino comedebat, sed manebat inclusus in cella, vt sic animam præpararet & disponeret. Semper durissimum gestabat cilicium, nudis pedibus incedebat, & tamen Deo dispensante, neque transiens per niues & glacies, petras, & spinas, læsus fuit vnquam, neque luto pedes eius commaculati. Cum adhuc iuuenis degeret in Eremo, humi cubabat, & pro ceruicali habebat lapidem. Inter fratres, in nudis tabulis dormiebat, tegula pro ceruicali vtens: per campos verò super fœnum aut paleam dormiebat. Totam ferè noctem

*Piscis mortuus solo tactu viri Dei reuiuiscit.*

*Abstinentia viri Dei incomparabilis.*

*Mendicat per campos eleemosynam.*

*Integrã quadragesimam absque cibo & potu transit.*

*Nota vt se præpararit ad solemnitates celebrandas.*

in

in oratione transigebat, & singulis diebus post Matutinas flagris & disciplinis corpusculum atterebat. Habebat autem catenam ferream, cuius extremitates dentatæ, & in modum serræ acutæ erat, qua ad disciplinam vtebatur. Licèt autem sibi rigidus esset; tamen cæteris fratribus valde misericors erat & benignus, neque permittebat eis aggredi vltra id quod in regula præscriptum erat. Cũ esset aliquãdo in palatio Regis Neapolis, missi sunt ei à Rege pisces assati. Vir autem Dei nunquam ex eis comedere voluit, sed faciens signum Crucis, eos suscitauit, visique sunt saltare in catino, quos remisit Regi dicens; Tu misisti mihi mortuos, ego tibi reddo viuos, volo si tibi placet hanc charitatem exhibere erga incarceratos. Rex autem tam celebre miraculum cernens, dedit ei potestatem liberandi in carceribus detentos. Similiter alia vice recusauit comedere pisces quos ipsi miserat Ludouicus XI. Galliæ Rex.

*Ferrea catena dentata & acuta corpus excruciat.*

*Suscitat pisces assatos.*

*Captiuos liberat.*

*Virginitatem perpetuò seruauit S. Fraciscus.*

Virginitatem perpetuò illibatam seruauit. Et vt eã amitteret sæpiùs ei diabolus in forma egregiarũ & formosissimarum puellarũ ei apparuit, gestibus impudicis eum ad nepharia prouocans: sed vir hanc tentationem continua oratione & maceratione superauit. Dolens autem diabolus, sæpe eum atrociter verberauit, & in horribili forma ei apparuit. In hoc conflictu Deus seruum suum non relinquebat sine consolatione. Nam sæpe misit ei Angelos suos qui visibiles se præbebant, eumque consolabantur, & ad eum recreandum laudes Dei in cellula ipsius suauissimè decantabant. Suauitas autẽ hæc & harmonia audita fuit à multis, quæ talis & tanta erat, quod omnium musicalium instrumentorum, & totius mundi dulcedinem superabat. Rarò mulieribus loquebatur, & fratres ad custodiam oculorum sæpius hortabatur.

*Damones eũ atrociter verberant.*

*Audit cantus Angelorum.*

*Humilitas eius admirabilis.*

Humilitas eius fuit admirabilis. Nam nunquam voluit fieri sacerdos, licet summus Pontifex eum ordinare vellet, dicens se indignum esse viuere inter homines. Minores etiam Ordines recusauit, neque coronam more Clericorum sui Ordinis ferre voluit, vt magis laicus & cõtemptibilis hominibus appareret. Seipsum Minimum Minimorum & dicebat, & subscribebat, quamuis totius Ordinis superior generalis existeret. Res abiectissimas & viles facere non dedignabatur, verrere domum, lauare & resarcire vestimenta fratrum, etiam nouitiorum, ministrare mensæ, cibos parare & coquere, pedes lauare hospitum, ministrare cæmentariis. Miracula sua occultabat, & ea sæpius B. Virgini tribuebat. Aliquando mulier ægrotans accessit ad eum ipso existente in Ecclesia Monasterij sui Turonensis, clamans & dicens: Vir sancte, salua me. Cum autem audisset hoc verbum tantum doluit, quod fugam arripiens, concitè exiuit de Ecclesia. Cumque fratres misericordia moti accurrissent, rogantes vt rediret, & sanaret hanc mulierem: quamuis omnino benignus esset & misericors, nec iracundiæ subiectus, vix poterat ad se redire. Et quis est (dicebat) sanctus nisi solus Deus? Estne hominum facere miracula? Commendet seipsam Deo, & adiuuabit eã. Verumtamen sciens quod mulier dixerat hoc ex simplicitate, reuersus cum fratribus, eam sanauit. Quidam ipso nesciente, voluit fimbriam vestimenti eius præscindere: sed ille nõ permisit dicẽs: Amice, deuotio in pannorum frustulis non consistit, sed in bonis operibus, & in obseruatione mandatorum Dei. Sacerdotes summo prosequebatur honore, nam eorum manus osculabatur, & in rebus etiam parui momenti consilium à fratribus suis petebat.

*Sacerdotium & minores etiã Ordines recusauit.*

*Occultat sua miracula.*

*Fugit se sanctum appellari audiens.*

*Deuotio in quo consistat.*

Paupertas etiam eius non facilè potest explicari. Nam Regum Galliæ & Neapolis dona largissima etiam ad construenda Monasteria recusauit. Aliquando Rex Galliæ Ludouicus X I. obtulit ei imaginem B. Virginis Dei genitricis Mariæ, quæ septemdecim millium aureorum pretio æstimabatur. Dicebat aurum Religionum esse corruptionem, & ideò fratribus suis ne illud tangerent. In cella sua nihil habebat aliud præter vnam tabulam, & tegulam, in qua reclinabat caput. Vili & vnica tantum tunica resarcita vtebatur. Noluit loqui cuidam domisellæ parenti suæ, eo quod superfluè & pomposè vestita erat. Mendicabat per campos ostiatim panem suum. Et quamuis paupertatem amaret, tamen fordida in vestibus suis reiiciebat, ne forte seculares paupertatem renuerent & contemnerent. Ludouicus X I. Galliæ Rex misit ei aliquando armarium argenteum deauratum, rogans vt in sui memoriam eo vteretur. Vir autem Dei perfectus paupertatis amator illud omnino respuit, dicens non esse proprium Eremitæ habere vasa & vtensilia argentea, & quod vnica tantum scutella lignea contentus erat.

*Paupertatis amator egregius S. Franciscus.*

*Septemdecim millium aureorum imaginem sibi à Rege oblatã respuit.*

*Item & armarium argenteum.*

*Egregia sententia.*

Idem Rex alia vice obtulit ei sacculum plenum auro ad construendum Monasterium: sed vir non solum illud recusauit, verùm etiam iratus respondit Regi dicens. Melius esset vt nummos istos restitueres iis quibus eos furatus es, minusque aggrauare & molestare subiectos tuos, quàm eleemosynam ex iis quæ ad te non pertinent, facere. Non sunt hæc bona opera quæ Deus de te expostulat.

*Sacculũ aureis nummis plenũ rejt.*

*Liberè arguit Regẽ Gal.*

Quid verò de patientia eius dicemus? Persecutionem magnam passus est à Rege Neapolis à Duce Calabriæ, & à Cardinale Hungariæ, qui prohibuerunt ei ne Monasteria construeret. Nam ille Cardinalis expulit fratres de Monasterio quod habebant in quadam ciuitate prope Neapolim. Rex etiã sexaginta milites misit, qui virũ Dei caperent, & vinctũ ad se adducerent. Cum autem vir à fratribus, & amicis rogaretur vt seipsum occultaret, noluit, dicens. Per charitatem, si est voluntas Dei capient me: aliàs nolite timere, quia nullus mihi nocere poterit. His dictis ingressus est Ecclesiam, prostratusque ante maius altare, cœpit rogare Deum, cum interim milites per totum Monasteriũ ipsum quærerent, venientesque in Ecclesiam, & ante maius altare circa eum transirent, eum tangerent, & in eum impingerent, Deo illum inuisibilem inimicis præbente. Cum diu eum quæsiissent, sanctus tandem seipsum manifestauit. Dux autem qui ad eum capiendum cum quinquagita militibus missus fuerat, ex lupo agnus effectus, procidens ad pedes viri Dei, veniam petiit. Sanctus autem reddens bona pro malis, dedit Duci quædam Rosaria, & quasdam candelas benedictas Regi & Reginæ perferendas. Et cum Dux ipse cum suis discedere vellet, vir Dei eis charitatem fecit. Nam apponens mensam eos ex duobus panibus, & poculo vini, sustentauit, nec tamen propterea panes, seu vinum, aliquam minutionem acceperunt.

*Perfecutiõi patitur à Rege Neapolitano.*

*Redditur inuisibilis inimicis.*

*Tandem ipse capit qui ad eum capiendũ venerant.*

*Sexaginta viros ex duobus panibus & poculo vini sustentat.*

*Noctes in oratione consumit.*

Tantopere autem orationi deditus erat, quod totas ferè noctes in eis transigebat. Cum fratres refectionem sumerẽt, ipse interim in cella orationi instabat. Meditationi & contẽplationi ita assuefactus erat, quod sæpe à sensibus raptus in aëre suspensus & eleuatus videbatur. In Curiis & Palatiis Regum & Principum exercitia sua non omittebat. Vnde à Regibus Galliæ Ludouico X I. & à Rege Neapolitano visus est in ectasi sursum eleuatus in aëre. Et cum aliquando transiret Prouinciam, quadam die feruentiùs



feruentius orationi insistẽs, Deus eum inuisibilem reddidit, ne eius orandi studium perturbaretur. Vt autem magis orationi incumbere posset, quærebat loca deserta, vnde hac de causa prima Monasteria construxit in locis remotis, & solitariis. Cella eius visa est tota ardere cum orationi incumberet. Visus est etiam à tribus fratribus cum orationi instaret, habere thiaram in capite tres coronas habentem, faciemque solis ad instar lucis radios emittentem. Cum Carolus octauus Galliæ Rex venisset ad eum, forte tunc degebat in cella orationi vacans, in qua ita absorptus erat, quod nec tumultum sensit, nec eius cella aperiri potuit. Eo quadam die orante apparuit ei Angelus deferens ei insignia Ordinis sui. Alia etiam vice didicit ab Angelo formam habitus qua fratres ordinis sui nunc vtuntur. Nunquam se à diuino officio absentauit, nisi grauissima infirmitate & occupatione præpeditus.

*Orationi incumbens colloquium Regis Caroli respuit.*

*Habitus forma & Ordinis insignia ab Angelo ipsi reuelantur.*

Cum ædificaretur Monasterium Turonense, tanta multitudo serpentum & colubrorum inuenta est, quod operarij laborare non poterant. Vir autem Dei eos omnes in manibus accipiens, & in brachiis circumuoluens, longius sine læsione aut molestia ipsos detulit. Similiter cum examen vesparum fratres laborantes insequeretur, vir Dei ipsas muscas vnam post aliam accipiens, easdem detulit in syluam, & in caua arbore deposuit.

*Serpentes, apes, & vespas illæsis manibus portat.*

Aliquando colloquens cum personis honestis, statim auis quædã aduolauit, & in humero viri Dei sedit, & ludebat in manibus eius, ipse autẽ vicissim ei applaudebat, & manu eam demulcebat. Tandem ipsam accipiens in manica sua reposuit cunctis admirantibus, & Deum in sancto suo laudantibus.

*Eius innocentia auis congratulatur.*

Cum aliquando operarij magna siti laborarent iuxta fornacem calcis, vir Dei precibus suis fecit scaturire fontem, qui adhuc hodie permanet. Transiens etiã per Delphinatum vt veniret in Franciam, à quibusdam rusticis ostensa est ei incõmoditas, & ariditas loci. Misertus autem eorum vir Dei, precibus eis impetrauit fontem, qui etiam hodie videtur, & per multos annos febricitantes sanauit.

*Fontes suis precibus scaturire facit.*

Anna de Britannia Regina vxor Caroli octaui, valdè diligebat sanctum Franciscum, multasque eleemosynas ipsi, & Ordini contulit, insuper & Monasterium construi curauit. Hæc cum aliquando grauiter ægrotaret, misit ad virum Dei vt Deum pro salute sua rogaret. Tunc vir sanctus iis qui missi fuerant tria poma dedit dicens. Dicite Reginæ quod ex his pomis comedat, & Deus ipsi benefaciet. Medici autem prohibebant ne gustaret ex eis, eo quod morbus ex indigestione procedebat. Sed illa confidens in Deo, & in verbis serui sui, comedit, & statim sanata est.

*Anna Britannia à viro sancto sanatur.*

Eius sanctitatis famam cùm audisset Ludouicus X I. Galliæ Rex valdè desiderabat eum videre. Nam cum esset senex, & continuis morbis attritus, & mortem extraordinariè timeret, audiens quod sãctus ille Eremita morbos incurabiles sanabat, misit insignem nobilem vt eum quæreret & ad se adduceret. Quem diu quæsitum dum inuenisset, & ex parte Regis eum rogasset venire in Galliam: ille primò renuit, rogatus insuper à Rege Neapolis, vt voluntati Regis Galliæ satisfaceret, seipsum excusauit, nolens Claustri, & solitudinis quietem, & commoda relinquere, & seipsum implicare curis, & rebus secularibus. Tunc Rex scripsit summo Põtifici Sixto quarto, qui ei in virtute sanctæ obedientiæ præcepit ire ad Regem Galliæ. Videns ergo esse voluntatem Dei, itineri se dedit. Cumque venisset Neapolim honorificè à Rege susceptus est, qui ei processit obuiam, cum filiis & tota Curia, in pompa, & solemnitate magna. Qui aliquando rogauit virum Dei vt permitteret construi in ciuitate sua Monasterium Ordinis sui. Cui respondit sanctus. Melius esset, inquit, vt pro salute animæ tuæ restitueres bona aliena, quàm tam magnas faceres eleemosynas. Rex verba hæc ægre & indignè accipiens, dixit ei. Et putasne me posse idere aliquid malè acquisitum? Respondit sanctus & dixit, quod per alienum intelligebat impositiones & tributa quibus populum opprimebat, quod sanguinem ipsius sugebat, qui postulabat & clamabat vindictã. Et cum iussisset sibi afferri aureum nũmum, illumque fregisset, statim ex eo multæ sanguinis guttæ processerunt. Rex tam celebre miraculum videns, emendationem promisit.

*Anna Britannia ex aureo nummo prodire facit.*

Cum autem vir sanctus venisset Romam, à summo etiam Põtifice honorabiliter multum exceptus est, & ter eum ad colloquium habuit, eum prope se in cathedra sedere faciens, & in singulis vicibus trium horarum spatium ei ad colloquendum indulsit. Omnes etiam Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, nobiles viri, domicellæ, pauperes & diuites, omnes currebant ad hospitium viri, vt eum videre & honorare possent Tãdem summi Pontificis benedictione accepta, iter cepit in Galliam, in quo itinere innumera fecit miracula, nam tempestates sedauit, ciuitates à peste liberauit, infirmos curauit. Per omne autem regnum quo iter habuit, præmissis sacris, ceu si Cardinalis cum legationis honore illuc tenderet exceptus fuit. Et quamuis Ludouicus Rex eum summo honore prosequeretur, tamen peccata eius non dissimulabat, sed ea seuerius arguebat, & intantum viri Dei admonitiones præualuerunt, quod Rex ipse ante se uerus, humanus, & docilis euasit, sæpiusque in cellula viri Dei, cum magna profusione lacrymarum, flagris & disciplinis seipsum attriuit, tandemque viri sancti precibus, receptis omnibus Ecclesiæ Sacramentis, magna salutis suæ signa omnibus reliquit. Cui successit filius suus Carolus octauus, qui virum Dei mirificè coluit, ita vt nunquam ei locutus sit nisi detecto capite. Ipse est qui tractauit pro pace Ecclesiæ, & totius regni, inter ipsum Carolum VIII. & Annam Britanniæ. Ipse inquam est, qui prædicto Regi duas celeberrimas victorias reportare fecit. Cum enim esset in conflictu S. Albini, beatus vir per spatium viginti duorum dierum inclusus remansit in cella, pro ipso Rege orans, in quibus diebus duos tantum panes quatuor denariorum comedit.

*Liberè arguit, & increpat Regẽ Neapolis.*

*Sanguinis guttas ex aureo nummo prodire facit.*

*Honorificè admodum à summo Pontifice excipitur.*

*Item & per omnes ciuitates Regni Gallia.*

*Arguit Regem Ludouicum XI.*

*Flagris & disciplinis seipsum pro contritione atterit Ludouicus Rex in cella viri Dei.*

*Tractat matrimoniũ inter Carolum VIII. & Annam Britanniæ.*

*Per spatium 22. dierum inclusus in cella duobus paruis panibus sustentatur.*

Idem ipse Rex cum transisset in Italiam pro recuperatione Regni Neapolitani, precibus viri Dei, sine labore, ferè totius Italiæ se Dominũ cõstituit. Et licet viri Dei valde preces ei vtiles fuerint in eũdo, tamen multo vtiliores fuerunt in redeundo. Rediens cum paruo exercitu, cum fortiorem & maiorem partem reliquisset Neapoli, Italiæ Proceres, & potentes simul conuenientes in vnum, transitũ ei claudere constituerunt. Tunc ad conflictum cùm ventum esset, Rex in summis angustiis positus periclitabatur. Viro autem Dei in suo Monasterio prope Turones existenti, diuinitus reuelata sunt omnia, eademque hora, conuocatis fratribus, eos ad preces pro Rege hortatus est. Quæ intantum efficaces fuerunt, quod non solum Rex timidus & delicatus à periculo liberatus est; sed insuper totum inimicorum exercitum superauit & contriuit.

*Carolus VIII. Regno Neapolitanum subingat.*

*Precibus viri sancti à morte præseruatur.*

Donum prophetiæ excellentissimum habuit.

*Habet donũ prophetiæ vir sanctus.*

*Rex Neapolis Regno priuatur iuxta prophetiã viri Dei.*

Nam Regi Neapolis prædixit priuationem Regni, A cui pœnitentiam condignam faceret. Hæc autem prophetia vana non fuit. Nã à Carolo VIII. Galliæ Rege anno Domini 1487. expulsus est à regno, obiitque miser & captiuus in Gallia, sicut ei vir Dei prædixerat, eo quod admonitiones eius contempserat, & eum malitiosè persequutus fuerat. Prædixit Regi Ludouico XI. mortem, prædixit bellum Britannicum, necnon & mortem filiorum Caroli Regis, & Annæ Britannicæ, prædixit Regi Ferdinando victoriam contra Mauros, & Malaquensis ciuitatis captionem. Iulio secundo summum Pontificatum, cum adhuc esset Cardinalis, & B quod Regulam suam approbare deberet. Iter suum in Gallias viginti annos ante prædixerat fratribus. Duobus Doctoribus Sorbonistis institutum suum impugnantibus, prædixit eos futuros Ordinis sui procuratores, & propugnatores. Cogitationes cordium cognoscebat, multaque secreta peccata suis auctoribus patefaciebat; quibus confusi pœnitentiam agebant.

*Iulio 2. summum Pontificatum prædixit.*

*Cogitationes cordium, & peccata occulta ipsi intuebantur.*

Demum vir sanctus, cum in summa vitæ austeritate, & in pacificandis Regum & Principũ dissidiis consenuisset, sentiens sibi mortem imminere, ad eam totis viribus se præparauit. Quod vt facilius præstare posset, seipsum per spatium duorum vel trium mensium inclusit in cella, neminem vi- C dens, & neminem alloquens. Et quia vitam suam per solitudinem inceperat, per solitudinem voluit eam finire. Cumque in morbu incidisset, ad Ecclesiam descendit, vbi cum sacrosanctum Missæ sacrificium audisset, & tremendum Iesu Christi Domini nostri corpus de manibus superioris localis suscepisset in præsentia fratrum, nudis pedibus, & fune collo circumligato, Vicarium generalem nominauit Bernardinum de Cropulatu summæ innocentiæ & puritatis virum. Postridie cum omnes salutaribus monitis cohortatus esset, mox ad mortis cogitationem piè intentus, Crucis imaginem sæpe amplexus, cum sæpe pronunciasset; In manus tuas Domine, &c. iunctis manibus, erectisque in cælum oculis, 91. ann. agens apud Turones migrauit D ad Dominum anno salutis millesimo quingentesimo septimo, die Parasceues, & hora, qua ipse Saluator pro mundi Redemptione spiritum emisit. Dies vndecim insepultus, incorruptus ita permansit, vt suauis odor ex eo mirificè manaret. Cuius etiam corpus SS. ann. ab obitu inuentum fuit incorruptum, & suauolens. Anno autem Domini 1562. cum hæretici ciuitatem Turonensem inuasissent, & omnia sacra violassent, corpusque Sancti Martini concremassent, nec viri Dei reliquiis pepercerunt, sed eas etiam igni tradiderunt.

*Supto sacrosãcto Eucharistia sacramento paulo post moritur.*

*Corpus eius SS. an. ab obitu inuentum incorruptum.*

*Ab hæretic⁹ concrematur.*

Erat autem B. Franciscus egregiæ præstantiæ, vultu graui & serioso, colore rubicundo, & naso aquilino. In pueritia & adolescentia habebat capillos aureos, tanquam aurum, in senectute verò albos sicut nix. Habebat barbam & capillos prolixos, mediocris tamen longitudinis, licet nunquam eos totonderit. Et licet per totum vitæ spatium laborauerit semper, & contrectauerit lapides, calcem, & alia huiusmodi, habebat tamen pulcherrimas & albissimas manus. Et licet nudis pedibus semper incederet: tamen delicatissimos & pulcherrimos eos habuit. Cuius corpus per totam vitam ita suauissimum efflabat odorem, quod omnia pigmenta & vnguenta facilè superabat, vt ex Canonizationis suæ processu colligi potest. Verba autem in ipso contenta sic se habent. Operabatur malleo & ferro vsque ad vesperam, nihilominus fragrabat odore suaui, habebatque manus mundiores, quàm aliquis magnus Dominus, habebatque persona sua odorem musci, capillique eius rutilabant sicut aurum, pedes eius, quamuis nudus incederet, erant albi, delicati, & pulchri, sicut si semper soleas detulisset. Fuit autem vir sanctus sanctorum catalogo adscriptus à Leone X. anno à morte sua vndecimo.

*Forma & effigies viri Dei.*

*Etiam vitæ suauissimum efflabat odorem eius sacrum corpus.*

*A Leone X. in sanctorum numerũ relatus.*

## NOTÆ.

Franciscus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 1. Aprilis. Cuius vitam nimis compendiosius reddiderunt recentiores qui vitas Sanctorum scripserunt. Eã autem refert Surius tom. 2. ex Bulla Canonizationis eius. Plura de eodem agunt, Baptista Fulgosius lib. 2. vbi inter cætera hæc de ipso scribit. A Rege Ludouico, eiusque filio Carolo VIII. consiliis de magnis rebus adhibebatur, & sententia eius præferebatur. Et infra. Alexandro VI. Pontifice hoc præbente, (etiã Iulio II.) Princeps quintæ Regulæ factus fuit, quæ postea ab eo nomen accepit. Multa etiam præclara de eodem scripsit Philippus de Cominis lib. 6. cap. 8. Nos etiam vitã eius supra reddidimus lib. 6. circa finem. Sed multò prolixius eam descripsit Gallicè Ioannes Chappotus Minimus, quam omnino in Latinum sermonem traduxissemus, si nobis per otium licuisset, vnde non paruum dolorem sentio. Multa etiam præclara eloquia de ipso scripsit Hieronymus Platus, De bono statu Religiosi. Et vt finem faciam, libenter consentio, dico, & sustineo, quod iure & meritò Thaumaturgi, hoc est, mirabilium operum patratoris, nomen ei debetur, & tribuitur. Audacter etiam dicam me nunquam tam prodigiosam, & miraculis stupendis vitam plenam legisse. Vnde te deprecor ô sacratissime Francisce, quatenus pro me digneris intercedere ad Dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.*

FINIS.

IN

# INDEX RERVM IN VITAS PATRVM OCCIDENTIS.


A

S. AARON Eremita claret. 45
Abbatissa Ferentinensis paralytica precibus & meritis S. Petri Cælestini sanatur. 367
Abundantia S. Benedicti mater. 10. in Notis.
Abundantia nimia temporalium, sæpe Monachos ducit ad perditionem. 189
Abbo, Abbas Floriacensis. 172
S. Abrahæ Abbatis vita. 79
Abstinentia magna B. Iachelinæ virginis in decrepita ætate. 194
Abstinentia S. Pardulphi Eremitæ. 211
Abstinentia S. Aiberti Monachi. 118
Abstinentia magna S. Emani Eremitæ. 239. item & S. Lauteni. 240
Abstinentia Monachorum Sancti Guidonis Abbatis. 169
Abstinentia S. Domitiani Abbatis. 215
Abstinentiam immoderatam dæmones beato Guthlaco suggerunt. 60
Abstinentia S. Maxentij Inclusi. 79
Abstinentia magna S. Zoërardi Eremitæ. 159
Abstinentia S. Angeli cum adhuc vbera Matris sugeret. 228
S. Adalbertus Monasterium Breunonienſe construit. 163
S. Adalberti eximia charitas. 394. eiusdem pulchra sententia. ibidem.
Adalbero Monachus inobediens arripitur à dæmone. 399
B. Adhelardus singularem habet gratiam lacrymarum. 401
B. Adhelardi sententiæ, infra per totum septimum librum.
S. Adheleidis Virginis vita. 121
Adheleita Salomonis Regis Hungariæ soror. 51
Adhegrini Eremitæ sanctitas & abstinentia. 202
S. Adelelmi Eremitæ vita. 191
Adulatores quantum noceant. 16
Aduersa omnia salutis causa perferenda. 397
S. Ægidij Eremitæ vita. 154
B. Ægidij Minoritæ sententiæ, passim per totum septimum librum. 403
S. Æmiliani, aliàs Victorini vita. 21
S. Æmiliani, Eremitæ vita. 70
S. Æmiliani Abbatis vita. 260
Ætas iuuenum cerea comparatur. 404
Affligenium Monasterium celebre in Brabantia conflagrat. 48
Sancta Agnes Patrona Ordinis sanctissimæ Trinitatis 372
Agobardus consecratur Archiepiscopus Lugdun. 253. in Notis.
Agrippinus Gotthorum Rex sanctos persequitur. 223
Agmunda Salomonis Regis Hung. Mater. 52
S. Aiberti Monachi Inclusi vita. 117. Eiusdem aliæ res gestæ infra lib. 7. cap. 17. fol. 400.
S. Ailuuini Eremitæ vita. 424
S. Aygulphi Episcopi & Eremitæ vita. 226
S. Albani Eremitæ vita. 262
S. Albertus Eremita discipulus S. Guillelmi. 184
Algarus Princeps carnali amore S. Fredesuuidam diligens & persequens, cæcitate percutitur. 59
Alapam Monacho impingens S. Benedictus, fugat ab eo dæmonium. 8
S. Alferij Abbatis vita. 169
Alfredus Rex scholas Oxonienses restituit. 424
B. Alfredæ virginis vita. 42
B. Alexij Eremitæ vita. 338
Alexius Constantinop. Imperator. 327
Almanzor Rex Sarracenorum. 269
B. Aloysij Bertrandi causa perpetui luctus & gemitus. 401
S. Allæus frater S. Gildæ. 37
Alluisa Odolrici Episcopi Aurelianensis Mater. 198
S. Amandi Eremitæ vita. 208
S. Ambrosij Episcopi & Eremitæ vita. 243
S. Amati Eremitæ vita. 43
Ammericus Hyberniæ Rex. 38
B. Amidei Eremitæ vita. 338
S. Amnichadi Eremitæ vita. 119
S. Amonis Episcopi & Eremitæ vita. 258
Amor Dei qualiter acquiri potest. 369
Amorem proprium euacuare debemus, vt Spiritu sancto repleamur. 409
S. Anastasius diuinitus cum aliis fratribus ad cælestia regna vocatur. 17
Angeli duo beato Benedicto ad montem Cassinum proficiscenti, ostendunt iter. 10. in Notis.
Angelicis spiritibus pulchrè comparatur S. Mechthildis. 237
Angelorum cantus in monte S. Heruæi Eremitæ auditi. 115
Angelicæ salutationis pulsationis institutio. 327
S. Angeli Eremitæ vita. 227
Angeli visi in obitu S. Stephani serui Dei. 19
Anglia occupatur à Danis. 167
Anna Orientalium Anglorum Rex tres filias sanctissimas habuit. 58
Anima Regis Hungariæ precibus S. Petri Cælestini à Purgatorio liberatur. 366
Anima sine oratione comparatur militi nudo. 398
S. Antonij Cyri vita. 34
S. Antonini Eremitæ vita. 27
S. Antonij Paduani vita. 320
Antri seu speluncæ Sancti Honorati descriptio. 141. in Notis.

*Ansbertus Rhotomag. Episcopus.* 272
*S. Anselmi Episcopi admirabiles sententiæ.* 464
*Apparet S. Petrus Cælestinus B. Roberto Salentino.* 374. *necnon S. Bernardino Senensi.* 369. *in Notis.*
*Apparitio celebris S. Petri Cælestini.* 369
*Aper insequutus à venatoribus fugit ad cellam S. Deicoli.* 158
*S. Apri Eremitæ vita.* 259
*S. Apollinaris apparet S. Romualdo.* 277
*Apostatæ redeuntes ad Ordinem non sunt reiiciendi.* 404
*Aptonius Engolismensis Episcopus, S. Eparchio reclusionis locum tribuit.* 429
*Aquilana ciuitas per S. Petrum Cælestinum tutelarem suum defensa.* 367
*Arca testamenti vocatus à summo Pontifice S. Antonius Paduanus.* 321
*Archiepiscopi Treuirensis magnificentia.* 122
*S. Arbogasti Episcopi & Eremitæ vita.* 84
*Armelinus Cardinalis Monasterium B. Mariæ de Collemadio Ordinis Cælestinorum, in commendam sibi dari contendit.* 367
*Ariminensis ciuitas reædificatur.* 144
*S. Arnulphi Episcopi & Eremitæ vita.* 91
*S. Arnulphi Episc. Suess. vita.* 173
*S. Arseny Eremitæ vita.* 268
*Asellus cum lupo congreditur.* 434
*Athanasius de Claromonte Patriarcha Alexandrinus.* 333
*S. Auentini Eremitæ vita.* 95
*Auerrois libros valde improbat Ramundus Lullius.* 381
*Aues mansuefactæ ad Sanctum Maxentium conuolant.* 79
*Auis assata precibus S. Guntheri Eremitæ vitæ restituitur.* 435
*Aues vescuntur in manibus Sancti Auentini Eremitæ.* 95
*S. Auiti Eremitæ vita.* 218
*S. Audoënus Rhotomag. Episcopus corpus S. Marculphi transfert.* 222
*S. Aureliæ Virginis vita.* 171


B


*S. Bandaridi Episcopi vita.* 256
*S. Baldomeri Monachi vita.* 245
*Balmensis Monasterij consuetudines.* 203
*Baldemerus Abbas B. Vdegebæ frater.* 120
*S. Blandina apparet S. Claro Abbati.* 247
*Blancha Comitissa Gebennensis humaniter excipit S. Coletam.* 384
*Blasphemi diuinitus puniuntur.* 341
*S. Balderici Abbatis vita.* 136
*S. Barnardi Episcopi vita.* 252
*Brachbantus Dagoberti Regis venator.* 411
*Barbari præsentiam S. Seuerini sustinere non possunt.* 398
*Barbarorum sæuitia.* 325
*S. Bassoli Eremitæ vita.* 250
*Basilius impius maleficus Romæ ignibus concrematur.* 15
*S. Bartholomæus Apostolus S. Guthlacum à dæmonum præstigiis liberat.* 60
*Bathildis Regina corpora sanctarum virginum & martyrum Brigittæ & Mauræ transfert.* 249
*Bathoris equitis fortitudo.* 53
*S. Batfridi Eremitæ vita.* 119
*S. Bauonis Eremitæ vita.* 85. *Eius aliæ res gestæ infra lib. 7. c. 17. fol. 411.*
*S. Baumæ seu antri vbi Magdalena pœnituit, descriptio.* 388
*S. Beati Eremitæ vita.* 162
*Bela Salomonis Regis Hungariæ frater affectat Regnum.* 50. *fraternum Regnum inuadit.* *ibidem.*
*Bellum Suatacopij aduersus Mistibogium.* 55
*Bellum inter Romanos & Ægyptios.* 164
*Bellum inter Theodoricum & Theodebertum Reges.* 30
*Bellum mouet aduersus Cantianos Rex Inas.* 57. *necnon aduersus Aldinium Regem.* *ibidem.*
*Bellum magnum inter Salomonem Hungariæ Regem, Geysam, & Ladislaum fratres.* 52
*Bellum inter ciuitates Anagniæ, & Ferentini.* 368
*S. Benedicti Abbatis vita.* 1
*S. Benedicti Iunioris vita.* 11
*S. Benedicti martyris vita.* 163
*S. Benedictus discipulus S. Zoërardi trucidatur à latronibus.* 159
*S. Benedictus trucidatur ab Hungaris.* 141
*SS. Benedictus & Ioannes discipuli S. Romualdi trucidantur ab impiis.* 293
*S. Benedictæ virginis & martyris vita.* 144
*Benedictini ad Cælestinum conuertuntur.* 356
*Benedictinam Regulam primus in Hispania plantauit S. Æmilianus.* 260
*Benedictus Caëtanus in Papam eligitur.* 303. *S. Petrum Cæleſt. persequitur.* 363
*S. Bennonis Episcopi vita.* 298
*S. Benigni Eremitæ vita.* 262
*Berengarij hæretici horrendus interitus.* 232
*Bericus Agathensis Episcopus.* 151
*S. Bernardi Abbatis laus.* 175
*S. Bernardus prædicat in Germania.* 122. *Venit ad S. Hildegardem. ibidem. Eius sententia de Reuelat. S. Hildegardis.* *ibidem.*
*S. Bernardi Eremitæ vita.* 423
*Bernarido pater S. Francisci.* 317
*B. Bernardi Tolomei vita.* 385
*S. Bernonis Abbatis res gestæ.* 201. 202. 203
*Bertricanus Cœnomanensis Episcop. mittit nuncios ad S. Benedictum.* 10
*S. Bertholdi Eremitæ & martyris vita.* 223
*Bredislaus Dux Sanctum Guntherum Eremitam reperit.* 436
*Bredislaus Princeps Bohemiæ templum construit in honorem S. Procopij.* 111
*S. Brigidda gladium patris dat pauperi.* 395. *Eius egregia sententia. ibidem. Audit famam S. Gildæ.* 38
*S. Brigittæ virginis & martyris vita.* 249
*Britannia deuastatur.* 172
*S. Boamadi Eremitæ vita.* 244
*Bobiense Monasterium à S. Columbano fundatum.* 30
*Bogaris Bulgariæ Rex ob sedatam diuinitus famem fit Christianus.* 265. 453
*Bohemi quonam modo Christianismum susceperunt.* 56
*Boleslaus Poloniæ Rex peregrinatur ad sepulchrum S. Ægidij.* 155
*Bonaiunctæ Eremitæ vita.* 338
*Bonifilij Eremitæ vita.* 338
*S. Bonifacij Archiep. & Martyris discipuli S. Romualdi vita.* 295
*S. Bonifacius Archiepisc. Mogunt. martyrio coronatur.* 427
*Boniuillus hæresiarcha conuertitur.* 321
*S. Bononij Eremitæ vita.* 164
*Burgensis ciuitas olim Episcopalis.* 425. *in Notis.*
*S. Brunonis Carth. Patriarchæ vita.* 305


*Bruni-*




*Brunichildis Reginæ horrenda mors.* 30
*Burchardus Dux Alamannorum bellum mouet aduersus Henricum Imperatorem.* 452
*Buselauinus Rex fit Monachus.* 283
*Buselauus Rex Sclauoniæ petit sibi mittit viros pro sua, totiusque regni conuersione.* 293


C


*S. Cæsariæ Virginis vita.* 240
*Cælestinorum prima obseruantia, Ægyptiorum Monachorum perfectionem æquabat.* 358.
*S. Calogerus Eremita creditur mortem impiissimi Regis Theodorici prædixisse.* 22. *in Notis.*
*S. Caluppani Eremitæ vita.* 73
*S. Clari Eremitæ & Martyris vita.* 262
*S. Clari Abbatis vita.* 246
*B. Claræ de Monte Falconis sententiæ. lib. 7.*
*Claræuallis Monasterium à quo constructum & fundatum.* 188
*Claues S. Sepulchri afferuntur ad Philippum Regem Francorum.* 325
*Candela ab Angelo accensa.* 44
*Candela ad sepulchrum B. Vuiboradæ cælitus est ter incensa.* 453
*Canariæ Insulæ dictæ à canibus.* 438
*S. Cannati Episcopi & Eremitæ vita.* 226. 469
*Canon iciuniorum à S. Romualdo præfixus.* 279
*Camelianus Episcopus Tricassinus.* 95
*Caro comparatur porcis, & scarabeis.* 401
*Carnis tentationem grauissimo tormento sedat B. Ioannes Bonus.* 335
*Carnis tentationes magno tormento compescit S. Vlfricius.* 106
*S. Carilephi Eremitæ vita.* 46
*Carthusia Bonipassus cur sic dicta.* 225
*Carolus Hispaniarum Princeps lethale vulnus è casu accipit in capite.* 441. *Attactu corporis S. Didaci conualuit.* *ibid.*
*B. Caroli Eremitæ vita.* 386
*S. Caprasij Eremitæ vitæ.* 32
*S. Caprasius Episc. Agennensis Martyr.* 33. *in Notis.*
*Castitas similis speculo mundo.* 403
*Castitatis insigne exemplum.* 261
*S. Castoris Eremitæ vita.* 141
*Catalogus operum S. Hildegardis.* 122
*Catalogus operum S. Elizabeth.* 125
*Catalogus operum Ramundi Lullij Eremitæ.* 378. 379
*Cedualla Rex visitat S. Vlmarum.* 83
*Cella S. Auiti.* 46
*Cella Apostolorum à Gisleno extruitur.* 411
*Cellæ S. Solæ descriptio.* 433
*Cella S. Gendulphi.* 241
*Celsa mater S. Grati Episcopi viuit inclusa.* 256
*Cœnobitica vita in quo excellat Eremiticam.* 398
*Ceruus frigidus vnde dictus.* 372
*B. Christiani Eremitæ vita.* 382
*Christiani cæduntur apud Damiatam.* 311
*S. Christini Eremitæ vita.* 163
*S. Christinæ Virginis vita.* 327
*Childeberti Regis aduersus S. Carilephum iniusta indignatio.* 47
*Clodoaldi Eremitæ vita.* 240
*Clotharium Regem honorificè excipit S. Herneus Abbas.* 251
*Clotharius Rex S. Lupum Senonensem Episcopum mittit in exilium.* 97
*Childebertus Rex magno in honore habet S. Marculpum.* 221
*Cithara diuinitus pulsatur.* 309
*Crescentius Senator capite plectitur.* 283
*Chuni fugantur ab exercitu Regis Ladislai.* 54
*Concilium Claromontense.* 325
*Concilium Lugdunense.* 355
*Confusio parua patienter tolerata, æternam confusionem delet.* 397
*Congregationis S. Hieronymi Fesulani initium.* 386
*S. Columbani Abbatis vita.* 28
*S. Columbæ Abbatis vita.* 420
*Columbæ occurrunt S. Paterno in signum amoris.* 413
*B. Coletæ Virginis Inclusæ vita.* 383
*Vidit animam B. Ioannis Bassandi Cælestini ab Angelis in cælum deferri.* 385. *in Notis.*
*Colus S. Libariæ Virginis crescit in arborem, fila & fusos proferentem.* 255
*Coniugij incommoda.* 93
*Connanus Sadorensis Episcopus S. Fiacrij ab infantia institutor, & director.* 41
*Conomeri Tyranni horrenda crudelitas.* 39
*S. Corentini Episcopi vita.* 27
*Coronæ Domini inuentor Michaël Inclusus Ord. Camald.* 385
*Coronæ B. Mariæ inuentor Petrus Eremita.* 327
*Corui persequuntur homicidas.* 67
*Constantij Imperatoris Arriani persequutio describitur.* 418
*S. Constabilis Abbas ob mansuetudinem operimentum fratrum dictus.* 404
*Crux mirifici operis cælitus beatæ Landradæ mittitur.* 93
*S. Cuthberti vita.* 22
*S. Cuthbertus apparet B. Godrico.* 103. *Aliæ eius res gestæ infra lib. 7. cap. 17.* *fol. 410*
*Crucem accipit à S. Ioanne Baptista contra dæmones S. Iuan Eremita.* 162
*Crux aureo coruscans fulgore apparet S. Victori Eremitæ.* 96
*Crux aurea visa in aëre suspensa, S. Petro Cælestino moriente.* 366
*S. Cypriani Abbatis vita.* 415
*Cyprianus Arelatensis Episcopus.* 101
*S. Cyrillus Moraviæ Apostolus.* 56
*S. Cyriaci Martyris de capite sanguis miraculosè profluit.* 445
*Cyrilla S. Benedicti nutrix.* 10


D


*Dagobertus Rex benedicitur à S. Gisleno.* 411
*Dagobertus Rex commendat se precibus S. Richarij.* 64
*Damiata obsidetur à Christianis.* 311
*Dani vastant Ecclesias.* 417
*Dani parant obsidere Cantuariam.* 167
*Dæmones quare tam infesti orantibus.* 397
*Dæmon cogitationes cordis qualiter cognoscere potest.* 106
*Dæmonum rabies, & crudelitas.* 423
*Dæmones prædicant virtutes S. Galli.* 101
*Dæmones cur antiquis patribus visibiles apparebant, nobis non item.* 409
*S. Decumani Eremitæ, & Martyris vita.* 262
*S. Deicoli Abbatis vita.* 10
*S. Deodati Episcopi, & Eremitæ vita.* 132
*Desiderius Strigoniensis Episcopus pacem inter Salomonem, Geysam, & Ladislaum tractat.* 51
*Desiderius Ebroicensis Episcopus.* 271
*S. Desiderati Inclusi vita.* 151. 448

Diabolus apparet S.Seuerino in forma egregiæ puellæ. 31
Diabolus B.Elizabeth suggerit desperationem. 128
Diabolus assumpta figura S.Leufredi Abbatis sedet in cathedra Ecclesiæ, vt à transeuntibus Monachis honorari possit. 273
Diabolus in specie corui aufert panem, & effundit aquam S.Amati. 43
Diabolus apparet S.Guillelmo Eremitæ in forma proprij genitoris. 183
S.Didaci vita. 437
Dietlandus princeps Sueuorum sit Monachus. 223
Discordia grauis inter Monachos Hirsaugienses. 123
S.Disibodi Episcopi, & Eremitæ vita. 88
S.Domitiani Eremitæ vita. 214
S.Dominici Eremitæ vita. 304
S.Dominici Calciatensis vita. 296
S.Dominici Loricati vita. 295
S.Dominici Instit.Prædic.sententiæ passim per totum librum septimum.
S.Domicij Eremitæ vita. 88
S.Donati Eremitæ vita. 243
Donealdi Eremitæ vita. 56
S.Druoni Inclusi vita. 192
S.Dulchardi Eremitæ vita. 238
S.Dympnæ Virginis, & Martyris vita. 63

E

S.Bechardi Eremitæ vita. 120
S.Ebrulphi Eremitæ vita. 113
S.Ebrulphi alterius vita. 249
S.Edburga mittit sancto Guthlaco plumbeum sarcophagum. 61
S.Edmundi egregiæ sententiæ. 396
Effigies S.Iuanis Eremitæ. 162
Egreas frater S.Gildæ. 37
Eboarn Eremita trucidatur à latrone. 410
S.Elphegi Episcopi macies corporis. 401
S.Elesmis Eremitæ vita. 304
B.Eliæ Eremitæ vita. 388
S.Eliphius martyr frater S.Libariæ Virginis. 254
S.Elizabeth Virginis vita. 125.& 127
S.Eloquij Abbatis vita. 416
S.Eleutherij serui Dei vita. 18
S.Emani Eremitæ & martyris vita. 239
S.Enremundi Eremitæ vita. 249
S.Eparchij Inclusi vita. 75.& 428
Episcopalis dignitas quàm periculosa. 408
Episcopi qui Synod. Hierosolym. interfuerunt. 224
Episcopi quomodo antiquitus creabantur. 418
Epistola Eugenij Papæ ad S. Hildegardem. 123
Epistola S.Elizabeth.ad S.Hildegardem. 125
Epistola S. Hildegardis ad Monachos Hirsaugienses. ibid.
Epistola Monachorum Hirsaugiensium ad S.Hildegardem. 124
Epistola S. Hildegardis ad Manegoldum Abbatem. 123
Epistola Manegoldi Abbatis ad S. Hildegaldem. 123
Epitaphium suum composuit S.Amatus. 44
Epitaphium S.Aureæ Virginis. 157
Epitaphium S.Aureliæ Virginis. 171
Epitaphium S.Richardi Regis. 64
Epitaphium S.Ventilæ Eremitæ. 271
Epitaphium S.Clodoardi. 241.in Notis.
Epitaphium S.Brunonis. 307. in Notis.
Epitaphium S. Cæsariæ Virginis. 240
Epitaphium S.Georgiæ Virginis. 447
Equus imminentem S.Columbæ mortem deflet. 422
S. Equitij Abbatis vita. 15
Eremita quidam sanctissimus habet reuelationem de sanctitate S.Seuerini Colonienſis Episcopi. 142
Eremita quidam de conuersione S. Guillelmi edocetur. 178
Eremita sanctissimus mortem impiissimi Theodorici Regis prædicit. 21
Eremitæ multi tempore S.Bernardi. 178
Eremitica vita radix vitæ Monasticæ. 89
S.Ermelendis Virginis vita. 91
S.Ethbini Eremitæ vita. 156
Ethelbertus Rex Anglorum occiditur. 42
S.Etheldridæ Virginis vita. 58
S.Eucharius martyr Tullensis Episcopus. 254
S.Eucherij Episcopi vita. 32
Eugenius Papa 3. venit in Alemaniam. 122
Eugenius Papa III. discipulus S. Bernardi. 179. Fugit in Galliam. ibid.
Eugenius Scotorum Rex pater S.Fiacrij. 41
Eugubinenses ciues à lupi crudelissimi rabie meritis S.Francisci liberantur. 316
S.Euspicij Episcopi vita. 217
Eusebius Arelatensis Episcopus,corpus S.Lauriani Episc. & martyris tradit sepulturæ. 249
Eusebius Episcopus Aurelianensis. 217
S.Euschij Eremitæ vita. 78
S. Eutichius Abbas vacat conuersioni animarum. 11
S.Eutichius alius Abbas singularem habet gratiam lacrymarum. 202
Excommunicationis vis. 45
Exercitia Monachi quæ. 401
Exercitia S. Goluени Eremitæ. 85
Exercitia B.Roberti Salentini Cælestini. 374
Exemplar electionis S.Petri Cælestini in summum Pontificem. 359

F

B.Fælicis Eremitæ vita. 171
B.Felicis Ord.sanctissimæ Trinitatis Institutoris vita. 371
Fœminum sexum Deus valde honorauit. 407
Ferdinandi Gundisalui Comitis magnanimitas. 269
Ferentinus Episcopus solo tactu Reliquiarum S.Petri Cælestini à graui morbo liberatur. 368
Fequhardus Rex Scotiæ Pelagianæ hæresi totus addictus. 41.Eius negligentia Scotiæ Regnum cædibus,& depopulationibus discerpitur,ibid.à suis detruditur in carcerem. ibid. Sibimetipsi mortem infert. 42
S.Fiacrij Eremitæ vita. 40
S.Findani Inclusi vita. 455
S.Flauiti Eremitæ vita. 97
Flaminea puella pulcherrima ex Hispania abducitur captiua in Franciam. 258
S.Florentij Episcopi & Eremitæ vita. 84
S.Florentij Eremitæ vita. 11
Flores apparent frusta panum danda pauperibus à S. Didaco. 438
S.Frambaldi Eremitæ vita. 141
S.Francici Ord. Minorum Institut.vita.308. Eius sententiæ passim per totum librum septimum.
S.Francisci de Paula vita. 390.475
Francisco Regi Galliæ impetrat prolem S.Franciscus Paulensis. 397
Francorum Monarchia cum fide Catholica accreuit. 38
Fratricelli excommunicantur. 376
S.Fredesuuidæ Virginis vita. 58
Fredegondis Regina summo in honore habet S.Ebrulphum. 250
S.Fre





S.Fremundi Eremitæ & martyris vita. 262
S.Friardi Eremitæ vita. 73
Frideburga Gunzonis Ducis filia grauiter à dæmone vexatur. 100. Precibus & meritis S.Galli Abbatis liberatur. 101
Fridericus Imperator interest eleuationi corporis S.Elizabeth. 127
Fridericus Imperator in terra sancta moritur. 326
Forma renunciandi Papatui. 302
Forma horribilis Draconis, quem S. Martha occidit. 388
S.Frontonis Episcopi vita. 143
Funus S. Marthæ curat.ibid. in Notis.
S.Fructuosi Episcopi vita. 275
Item S. alterius Fructuosi. 276
Fuldense Monasterium inchoatur. 426

G

S.Galli Abbatis vita. 100
S.Gallicani martyris vita. 81
Galliæ Rex visitat S.Victorem Eremitam. 96
Gallorum Regum laus. 326
Gandauenses conuertuntur per S.Amandum. 85
Garsia Rex Nauarræ corpus S.Æmiliani transferre conatur,sed miraculosè impeditur. 261
Grallo Rex Britanniæ. 27
Gaudentius Constantiensis Episc. 100
Gaudentius Ariminensis Episc. 144
Gausfredus Carnotensis Episcopus. 177
Guarinus Abbas per diuersas mundi regiones peregrinatur. 278
Gebderinus Episcopus Cabilonensis. 255
S.Gendulphi Episcopi vita. 241
S.Gerebernus Sacerdos trucidatur. 63
Germen fœniculi circa tumulum B.Vviboradæ creuit tempore hyemali. 453
S.Gerontij vita. 20
S.Gertrudis Virginis vita. 121
Geyza Rex Hungariæ declaratur. 52
S.Georgius primus Anicienſis Episcopus. 143. in Notis.
S.Georgiæ Virginis Aruernicæ vita. 77.447
S.Gerlaci Eremitæ vita. 304
S.Gerardi Episcopi & martyris vita. 333
S.Gerardi Episcopi & Eremitæ vita. 425
Gerardus Eremita confratriam B.Mariæ instituit Florentiæ. 340
B.Gerardi Eremitæ vita. 389
Gerardus Engolismensis Episcopus schismaticus. 176
S.Gildæ cognomento Sapientis vita. 37
S.Gillenus consanguineus S.Fiacrij. 41
Girbadus Episcopus Tullensis. 132
S.Gisleni Eremitæ vita. 116. Eius aliæ res gestæ infra lib.7.cap.7. fol.400
Gisa Regina crudelis, & superba. 395
S.Grati Episcopi vita. 255
S.Gregorij Arch.& Eremitæ vita. 197
S.Gregorij Eremitæ vita. 120
S.Gregorius Papa in infirmitate constitutus precibus S. Eleutherij obtinet gratiam ieiunandi in vigilia Paschæ. 18
S.Gregorius Episc. Hostiensis claret. 296
Gregorius Episcopus Lingonienſis. 108
S.Goaris Eremitæ vita. 25
S.Gobriani Episcopi vita. 102
S.Godonis Eremitæ vita. 276
B.Godrici Eremitæ vita. 102
S.Goluени Episc.& Erem.vita. 83
Goslinus Abbas Floriacensis, deinde Episcopus Bituricensis. 172
Gotfredus Panormitanus Episc.ab incurabili morbo oratione S.Angeli sanatur. 232
Gothifridus Bolionus Dux militiæ sanctæ. 326
Gualterus S.Theobaldi Eremitæ socius. 137
S.Guidonis Abbatis vita. 168
S.Guillelmi Monachi vita. 224
S.Guillelmi Abbatis vita. 261
S.Guillelmi Ducis, Comitis & Eremitæ vita. 175. Eius sententiæ per totum librum septimum.
Guillelmus Episcopus Pictauiensis à schismaticis sua sede pellitur. 176
S.Gundulphi Episcopi & Eremitæ vita. 213
S.Guntheri Eremitæ vita. 263.434
S.Gudualli Archiepiscopi & Eremitæ vita. 36
Gulam vt castigarit S.Romualdus. 288
S.Guthlaci Eremitæ vita. 59
Eius aliæ res gestæ infra lib.7.cap.17. fol.412

H

Hatto Basilienſis Episcopus. 65
Hæresis Martiani Ecclesiam turbat. 144
Hæretica prauitas humilitate, & vitæ austeritate superatur. 393
Hæreticus separatus à Deo dicitur. 199
Helibertus Eremita vir magnæ abstinentiæ. 221
S.Hilarini Monachi vita. 81
S.Hildegardis Virginis vita. 121
S.Heriberti Colonienſis Episcopi humilitas. 393
Heriberchtus Eremita impetrat vt moriatur cum B.Gudeberto. 25
S.Hermagoras apparet S.Theobardo Eremitæ. 137
S.Hermelandi Abbatis puritas. 397
Hermeteus Aurelianenſis Episcopus transfert corpus S.Læti. 140
S.Hernei Abbatis vita. 251
S.Heruæi Eremitæ vita. 115
Henricus Imperator cum magno exercitu venit in Hungariam. 52
Henricus Imperator S.Guidonis Reliquias veneratur. 169
Henrici quarti cum Gregorio septimo discordia. 299
Henricus Imperator Sclauos subiugat. 298
Henricus Imperator excommunicatur. 299
S.Hildutus Monachus, & doctor claret. 37
S.Hildulphi Archiepiscopi & Eremitæ vita.131.necnon 133.134
S.Hilarij Eremitæ vita. 152
S.Hiltrudis Virginis vita. 125
Hispaniæ defensor & patronus S.Æmilianus cum S.Iacobo Apostolo. 260
Homini lubrico præstat reuerentiam S.Antonius Pad. & quare. 321
S.Honorati Abbatis vita. 13
S.Honorati Episcopi vita. 140
S.Hospitij Inclusi vita. 80
S.Hugonis Gratianop. Episcopi sententiæ passim per totum librum septimum. 403
S.Hugonis Lincolnienſis Episcopi sententiæ passim per totum librum septimum.
S.Huldricus Sueuiæ Princeps fit Monachus. 223
Humilitas Dei genitricis. 394
Humilitas S.Marculphi. 220
Humilitas S.Ebrulphi. 113
Humilitas S.Ebrulphi Abbatis. 250
Humilitas S.Hospitij. 80
Humilitas magna S.Francisci. 393
Humilitas S.Godrici Eremitæ. 104
Humilitas fulmini comparatur. 393. necnon etiam & torrenti. 394

*Hungari vastant Ecclesias & incendunt.* 452
*Humilitatem præcipuè sectatur S. Syluester Abbas.* 444
S. *Hymerij Episcopi vita.* 418
*Hypocrisis Ciliæ Inclusæ cognoscitur.* 450
*Hysicheus Gratianop. Episcopus.* 260

*I*

B. *Iachelinæ virginis vita.* 193
S. *Iacobi Eremitæ vita.* 244
S. *Iacobi Archiep. Tharentasiensis vita.* 141. *in Notis.*
*Ieiunium feriæ sextæ in Italia restituit* B. *Petrus Damianus.* 298
*Ima Insula.* 44
*Imago Crucifixi annuit* B. *Ioanni Gualberto.* 300
*Imago* B. *Virginis, cum Reliquiis* B. *Ioannis Baptistæ transferuntur in Italiam.* 233
*Imaginis* B. *Virginis caput ab Angelis depictum.* 337
S. *Inachi Eremitæ vita.* 304
B. *Inæ Regis vita.* 57
*Infans recens natus iussu* S. *Goaris, patrem & matrem dicit.* 26
*Innocens Cœnomanensis Episcopus.* 251
*Insignia Ordinis seruorum* B. *Mariæ.* 338
*Intentio actiones magis meritorias reddit.* 408
*Inuentio Imaginis beatæ Mariæ Vallis veneris.* 34
*Inuentio corporis* B. *Gildæ.* 40
*B. Ioachini Ordin. seruorum beatæ Mariæ vita.* 343
S. *Ioannis Syri vita.* 31
S. *Ioannis Calabytæ vita.* 149
*Ioannes & Benedictus discipuli* S. *Romualdi, veniunt ad Buscluum Regem.* 293. *Iugulantur à latronibus. ibidem.*
S. *Ioannis Cassiani vita.* 148
S. *Ioannis Gualberti vita.* 300
S. *Ioannis Eremitæ & martyris vita.* 163
*B. Ioannes frater* S. *Angeli claret miraculis.* 229. *Creatur Patriarcha Hierosolymitanus.* 230
*Ioannis Abbatis discipuli Sancti Odonis egregia sententia.* 400
*Ioannes Tungrensis Episcopus ob morum simplicitatem cognomento Agnus.* 90
*Ioannes Dolensis Episcopus, corpus* S. *Leufredi transfert.* 274
*Ioannis Gradenici Eremitæ virtutes.* 281
*Ioannes Episcopus Constantiensis discipulus Sancti Galli.* 102
S. *Ioannis Orthecæ Eremitæ vita,* 105
B. *Ioannis de Monte mirabili vita.* 226
*Ioannis Guarini Eremitæ vita lectu digna.* 467
B. *Ioannis de Matta Ordinis sanctissimæ Trinitatis Institut. vita.* 371
S. *Ioannis Reomaensis vita.* 108
B. *Ioannis Boui Eremitæ vita.* 335
B. *Ioannis Gandauensis Eremitæ vita.* 385
B. *Ioannes Bassandus Celest. Magister S. Coletæ virginis, & director in vita spirituali.* 385. *in Notis.*
B. *Ioannis Ord. Canonic. Regul. elegans & pulchra sententia.* 397
*Ioannes insignis Eremita.* 400
*Ioannes Vincentinus doctrina & sanctitate clarus.* 408
B. *Ioannis Inclusi vita.* 447
B. *Iordanis sententiæ passim per totum librum septimum.*
S. *Isaac Eremitæ vita.* 24
S. *Isaac Eremita martyrio coronatur.* 163
*Italia à Longobardis desolata.* 146
S. *Iterij Episcopi vita.* 237
S. *Itisberga filia Pipini Regis sæpe visitat* S. *Venantium Eremitam.* 271
S. *Iuanis Eremitæ vita.* 162
*Iuera Inclusa claret.* 331
S. *Iudoci Eremitæ vita.* 48
S. *Iuliani Eremitæ vita.* 78
*Iulianus Apostata Monachos militare iubet.* 214
*Iulianus Apostata primo Subdiac.* 253. *promulgat legem contra Christianos, vt omnibus cedant facultatibus. ibidem. relicta Italia venit in Galliam.* ibidem
*Iulius I. Papa* S. *Pancharium Vesont. Episcopum ordinat.* 418
*Iumentum auferentibus, etiam flagellum dat* S. *Libertinus.* 14
S. *Iuniani Eremitæ vita.* 208. 448
S. *Iusti Episcopi vita.* 94
S. *Iuttæ virginis vita.* 305

*L*

*Lacrymarum gratiam habet* S. *Romualdus.* 282
*Lacrymarum magnam gratiam habet* S. *Franciscus.* 309
*Lacrymarum gratiam habet* S. *Antonius Monachus.* 20
S. *Lati Eremitæ vita.* 138
*Ladislai Regis sanctitas.* 52
S. *Landradæ Virginis vita.* 93
S. *Lannomari Eremitæ vita.* 35
B. *Laurentij Iustiniani sententiæ passim per totum librum septimum.*
B. *Laurentij Eremitæ vita.* 192
S. *Lauriani Episcopi & martyris vita.* 248
*Laudus Constantiensis Episcopus.* 222
*Legati à Scotis missi ad* S. *Fiacrium.* 41
*Leidradus Archiepisc. Lugd. relicto Episcopatu fit Monachus.* 253. *in Notis.*
*Leporius Gratianop. Episcopus.* 260
*Lerinensis Monasterij primus fundator* S. *Honoratus.* 140. *in Notis.*
S. *Leobardi Inclusi vita.* 70
S. *Leobinus Carnotensis Episcopus.* 219
*Sanctus Leodegarius martyrio affectus ab impio Ebroino.* 134
S. *Leonis Eremitæ vita.* 144
*Leo Papa visitat* S. *Ioannem Gualbertum.* 301
S. *Leontius Episcopus Xantonensis.* 45
S. *Leonardi Eremitæ Lemouicensis vita.* 211
S. *Leonardi Abbatis vita.* 209
S. *Leubatij Abbatis vita.* 415
S. *Leufredi Abbatis vita.* 271
S. *Libariæ virginis & martyris vita.* 253
S. *Libertini Monachi vita.* 13
*Libri omnino Religiosis perutiles.* 407
S. *Liphardi Eremitæ vita.* 194
*Litteræ Cardinalium ad* S. *Petrum Cælestinum in summum Pontificem electum.* 360
*Locutio longa multa mala parit.* 409
*Longobardi deuastant Italiam, necnon Monasterium Cassinense, iuxta* B. *Benedicti prophetiam.* 27
*Longobardorum in Gallia aduentum prædicit* S. *Hospitius Inclusus.* 80
*Loqui multum cum magnatis periculosum.* 409
*Lotharius trium Regnorum Rex.* 158
*Lotharius Sagiensis Episcopus corpus* S. *Eremundi Eremitæ sepulturæ mandat.* 249
*Lucius Lunensis Episcopus* S. *Venerij Eremitæ corpus transfert.* 147
S. *Ludouicus Tholozanus Archiep. eximius paupertatis amator.* 400. *Eius sententiæ passim per totum librum septimum.*
*Ludouicus de Goruoz primus Episcopus Burgensis, in Bressia.*



*Bressia.* 425. *in Notis.*
*Lullo Archiepiscopo Mogunt. traditur Monasterium Fuldense.* 427
S. *Lupi Lugd. Episc. vita.* 254
S. *Lupicini Inclusi vita.* 69
S. *Lupicini Abbatis vita.* 68
*Lupi crudelissimi rabiem compescit* S. *Franciscus.* 315
*Lupus onera asini baiulat.* 45
*Lupum habet sibi obsequentem* S. *Syluester Abbas.* 443. *Et custodem fidum cellæ.* ibid.
S. *Lyduuina per multos annos ab omni prorsus cibo, & potu abstinuit.* 390

*M*

S. *Machutis Episcopi vita.* 44
S. *Mactildis Virginis vita.* 121
S. *Mandeti Eremitæ vita.* 238
*Magellæ mons Cælestino gratus.* 348
S. *Maglorij Episcopi, & Eremitæ vita.* 145
S. *Magni Episcopi vita.* 146
S. *Magni Abbatis vita.* 456
S. *Malachiæ animi fortitudo.* 405
B. *Maneti Eremitæ vita.* 338
*Manichæorum hæresis viget apud Florentiam.* 337
*Mansuetus Tullensis Episcopus.* 259
*Marcus Aurelianensis Episcopus.* 195
S. *Marcij Eremitæ vita.* 12
S. *Martij Eremitæ vita.* 72
S. *Marculphi Eremitæ vita.* 219
S. *Margaretæ Reginæ Scotiæ proles.* 248
*Margaretæ de Miolano fit sanctimonialis.* 423
*Maria virgo apparet* S. *Syluestro Abbati.* 443
*Maria virgo apparet* B. *Godrico Eremitæ.* 104
*Maria virgo latroni conuerso in extremis apparet.* 207
*Maria sæpe apparuit* B. *Elizabeth.* 129
*Maria virgo apparet parentibus* S. *Angeli.* 228
*Maria & Ioannes Euangelista psalterium concinebant cum* S. *Petro Cælestino.* 344
*Maria virgo multoties apparuit beatis Philippo Florentino, & Ioachino.* 441
*Maria virgo* B. *Bernardo Tolemæo visum restituit.* 385
*Mariam virginem matrem misericordiæ appellare consueuerat* S. *Odo, & quare.* 207
*Maria Magdalena apparet* B. *Eliæ Eremitæ.* 388
S. *Mariæ Oegniacensis vita.* 307
*Maria virgo* S. *Guillelmi Eremitæ vulnera sanat.* 183
S. *Mariani Eremitæ vita.* 77
S. *alterius Mariani Eremitæ vita.* 242
*Marianus Scotus Monachus Fuldensis Inclusus.* 119
S. *Marini Eremitæ vita.* 144
S. *Martiani Abbatis vita.* 242
S. *Martij Abbatis vita.* 415
S. *Martini Abbatis vita.* 258
*Martinus Papa* S. *Iudocum ad se euocat.* 49
*Martinus Eremita claret.* 168
*Mater* S. *Heruæi viuit solitaria in deserto.* 115
S. *Matthæus Eremita trucidatur.* 163
S. *Mauri Monachi & martyris vita.* 154
S. *Maura virg. & mart. vita.* 249
S. *Maura relicta patria, venit ad* S. *Martinum Turonensem Episcopum.* 223
S. *Maurus Monachus discipulus* S. *Benedicti ambulat super aquam.* 3
*Mauri totam ferè Hispaniam possident.* 160
S. *Maxentij Inclusi vita.* 79
S. *Maximini Episcopi, & Eremitæ vita.* 417
S. *Maximini Abbatis vita.* 217
S. *Maximini Episcopi Aurelianensis fama.* 46
*Mazotæ virginis insigne miraculum.* 57
S. *Mechthildis virginis vita.* 233
S. *Medardi Viromandensis Episcopi exequias curat* S. *Bandaridus Suession. Episc.* 256
S. *Mederici Abbatis vita.* 432
*Medici aberratio in* S. *Sturmis curatione.* 428
*Mediolanensem Ecclesiam hæretica labe infectam, ad sanam fidem reducit* B. *Petrus Damianus.* 298. *in Notis.*
S. *Meinradi Eremitæ vita & passio.* 65
S. *Mellitus miræ simplicitatis vir.* 20
*Melodia admirabilis inter pectus & guttur* S. *Christinæ virginis resonat.* 331
S. *Menæ Eremitæ vita.* 13
*Menna, Libaria, & Susanna sorores sanctæ.* 254
*Mescho Princeps Poloniæ visitat sanctos Eremitas.* 163
S. *Methodius Moraviæ Apostolus.* 56
S. *Metronis Eremitæ vita.* 146
*Micæ panis in margaritas conuersæ.* 204
*Michaël Archangelus apparet* S. *Caprasio Abbati.* 33
*Michaël Arch.* S. *Guduualo apparet.* 36
*Michaël Arch. apparet* B. *Mariæ Magdalenæ.* 389
*Michaël Arch. appatet* S. *Padulph. Abbati.* 211
B. *Michaëlis Inclusi vita.* 385
*Miraculum insigne de mandibula* S. *Athanasij.* 446
*Miraculum ad Sepulchrum* S. *Stephani Regis Hungariæ.* 54
*Miraculum de Reliquiis* S. *Hospitij Inclusi.* 44
*Miraculum in translatione corporis sanctæ Vvitburgæ.* 58
*Miraculum insigne.* 47
*Misericordia semper ad bonum finem perducit hominem.* 330
*Mistibogius Regnum Moraviæ vastat.* 55. *Suffocatur à diabolo.* ibid.
*Modus suscipiendi hospites.* 39
*Monachus comedens carnes, moritur morte subitanea.* 206
*Monachus insolens hirco comparatur.* 402
*Monachus inobediens captiuus abducitur à Barbaris.* 398
*Monachus detentus in carcere ab Angelo liberatur.* 294
*Monachi duo à Longobardis suspensi, auditi sunt psallere.* 19
*Monachus qualiter se in Refectorio gerere debet.* 407
*Monachorum* S. *Ioannis Gualberti zelus in sanctæ Regulæ obseruatione.* 302
*Monachi extra horas refectionis comedere non debent.* 153
*Monachi superbi arripiuntur à dæmone.* 393
*Monachi cuiusdam erga furem mansuetudo.* 14
*Monastica Religio sanctæ obedientiæ studio perficitur.* 399
*Monasticus habitus affertur diuinitus* S. *Aiberto.* 117
*Monasterium Vertanense construit* S. *Martinus Abbas.* 258
*Monasterium Molismense à quo constructum.* 189
*Monasterium Cauense fundat* S. *Alferius Abbas.* 170
*Monasterium Gellingense.* 263
*Monasterium Glasconiense construit Inas Rex.* 347
*Monasterium* B. *Mariæ de Fœsulis.* 347

*Monasterium S. Ioannis in Plano Ord. Cæles.* 364
*S. Mononis Eremitæ & martyris vita.* 89
*B. Montani Inclusi vita.* 86
*Moraviæ descriptio.* 55
*Mors gloriosa beatorum Sosthenij & Vguccionis.* 338
*Mors sancta & mirabilis beati Roberti Salentini Ord. Cæles.* 377
*Mors horrenda crudelis Comitis.* 280
*Mortis meditatio ambitionem tollit.* 408
*Mos Ecclesiæ Lugd. in eligendo Episcopo.* 32
*Mundus totus B. Benedicto Abbati ostenditur.* 9
*Mundi Dominus efficitur, qui propter Deum aduersa patitur.* 397
*Mundi ingratitudo erga creatorem.* 331
*Mulier peccatrix solo aspectu S. Petri Cælestini, immunda vita relicta petit Eremum.* 364
*Mulier insana in specu B. Bened. sanata.* 10
*Mulieris cuiusdam sapientia & prudentia Ramundus Lullius conuertitur.* 378
*Mulieris adulteræ & homicidæ pœnitentia.* 451
*B. Munionis Oniez vita.* 33
*Mulus adorat Eucharistiam.* 322

N

*Neapolitani ciues S. Petro Cælestino deuoti.* 361
*Nicephorus Græcorum Imperator.* 54
*S. Neoti Eremitæ vita.* 424
*S. Nicomedes Patriarcha Hierosolym.* 227
*S. Nicolaus apparet Bernardo Eremitæ.* 424
*B. Nicolai Eremitæ vita.* 387
*Nicolaus Papa sacerdotes & prædicatores mittit in Bulgariam.* 265
*Nicolao Papa defuncto vacat sedes Apostolica per spatium duorum annorum, & trium mensium.* 359
*N. de Chales II. Episcopus Burgi in Bressia.* 425
*S. Nili Abbatis vita.* 470
*S. Nonnosi vita.* 17
*Normanni Britanniam vastant.* 83

O

*Obedientia prompta quorumdam Monachorum.* 29
*Obedientia singularis B. Ioannis de Monte Mirabili.* 226
*Obedientia vera in quo consistat.* 399
*Obedientiæ promptæ meritum.* 189
*Obediens mortuo comparatur.* 399. *Item & armato equiti.* 399
*Oculos impudicos egregia similitudine describit S. Franciscus.* 403
*S. Odiliæ Virginis vita.* 116
*S. Odonis Abbatis vita.* 200. *Eiusdem egregiæ sententiæ.* 201. *& per totum librum septimum.*
*S. Odilonis Abbatis sententiæ passim per totum librum septimum.* 405
*Offa Rex Merciorum Regnum suum Romano Pontifici vectigale facit.* 57
*Officium B. Virginis à quo institutum.* 354
*Officium B. Virginis restituit B. Petrus Damianus.* 298
*Officia exteriora quatuor comitantur.* 408
*Ogniense Monasterium reformatur.* 304
*V. Oidilualdi Eremitæ vita.* 23
*Olibanus Comes fit Monachus.* 280
*Opera bona non sunt omittenda propter cogitationes vanæ gloriæ.* 405
*Opus bonum pro alterius factum voluntate magis meritorium.* 398
*Ordinis Cisterc. initium.* 188
*Ordinis Eremitarum S. Hieronymi initium.* 387
*Ordinis Syluestrinorum initium.* 261
*Ordinis Cælestinorum initium.* 354
*Ordinis Vallis vmbrosæ initium.* 301
*Ordinis Montis Virginis initium.* 261
*Ordinis Montis Olineti initium.* 386
*Ordinis Seruorum B. Mariæ initium.* 339
*Ordinis Carthus. initium.* 305
*Ordinis Minorum initium.* 309
*Ordinis Minimorum initium.* 391
*Ordinem S. Benedicti multiplicat S. Disibodus Eremita,* 89
*Ordinis sanctissimæ Trinitatis initium.* 371
*Ordines diuersi falsæ Religionis.* 355
*Orationes iaculatoriæ cor eleuant ad Deum.* 398
*S. Orientij Episcopi & Eremitæ vita.* 244
*Osculum leprosorum animam sanat.* 405
*S. Otiliæ Virginis vita.* 121
*Otiosa verba fugit S. Nilus.* 402
*Otium malorum omnium sentina.* 401
*S. Othonis Episcopi abstinentia & benignitas in pauperes.* 395
*Ottho Imperator visitat S. Romualdum.* 282
*Ottho Imperator visitat S. Nilum.* 399
*Ouis ante Eucharistiæ sacramentum & ante imaginem B. Virginis genua flectit.* 312

P

*Padua felix Reliquiis S. Antonij.* 324
*Pallium* Episcopale. 90
*S. Pancharij Episcopi & Eremitæ vita.* 418
*Panis in rosas mutatus.* 432
*Pannonia B. Mariæ familia appellata.* 334
*S. Pardulphi Eremitæ vita.* 210
*S. Pappulæ Virginis vita.* 447
*S. Paterni Episcopi vita.* 150
*S. Patricius claret sanctitate in Hybernia.* 107. *Apparet S. Vvinualoco.* *ibidem.*
*S. Patricij Eremitæ vita.* 241
*S. Patrocli Eremitæ vita.* 75
*Patientia S. Nonnosi.* 17. *Item S. Stephani viri Dei.* 19
*Patientia S. Romualdi.* 278
D *Patientia S. Libertini.* 14
*Patientia S. Pardulphi in infirmitatibus.* 210
*Patientia S. Hermelandi Abbatis.* 396
*Patientia S. Adhelardi Abbatis.* 396
*S. Paulæ egregia sententia.* 395
*S. Pauli Tricast. Episcopi vita.* 257
*S. Pauli Leonensis Episcopi vita.* 134
*S. Pauli Episcopi Virdunensis vita.* 59
*S. Paulinæ inclusæ vita.* 120
*Paupertatis amator egregius S. Stephanus seruus Dei.* 19
*Paupertatis inopiam veru benedicto leuat S. Columba, quo per pauperem combusto, iterum ad pristinam inopiam redit.* 421
*Paupertatis egregium exemplum.* 164
*Paupertatis donum quis noscere potest.* 400
*Peccatum porta inferi dicitur.* 408
*Pecten B. Vviboradæ inuenitur suspensum in aëre.* 453
*Pega S. Guthlaci Eremitæ soror.* 61
*S. Pelagij Eremitæ vita.* 268
*S. Peregrini Monachi vita.* 258
*Peregrinatio Boleslai Poloniæ Regis ad sepulchrum S. Ægidij.* 155
*Peteona S. Gildæ Episcopi soror Eremiticam vitam ducit.* 37
*Petrus Vrseolu Rex Dalmatiæ fit Monachus.* 278





*Petrus Abbas illæsus ignem ingreditur.* 303
*S. Petrus Veronensis reuelationem habet de septem primis Patribus Ordinis Seruorum beatæ Mariæ.* 337
*B. Petri Ferdinandi vita.* 387
*S. Petri Cælestini vita.* 344
*Petri Eremitæ vita.* 325
*Petrus Blesensis S. Ailuuini Eremitæ vitam scripsisse fertur.* 424
*S. Petri Damiani Eremitæ vita.* 297
*Petri Leonis schisma.* 176
*Petrus de Papia Episcopus Florentinus simoniacus.* 302
*S. Philippi Ordinis Seruorum beatæ Mariæ Institutoris vita.* 339
*Philippus Archiepiscopus Viennensis sanctitate clarus.* 431
*Philippus Galliæ Rex, Crucem assumit.* 326
*Philomela cantans ad fenestram Ioannis Eremitæ, eius obitum præsignat.* 413
*Philosophi antiqui etiam vanam gloriam contempserunt.* 405
*Philagathus Papa schismaticus quàm male habitus.* 474
*S. Pirminij vita.* 151
*Pipinus Rex Francorum Ecclesiam S. Mononis Eremitæ & martyris visitat, & ornat.* 90
*Pipini Regis obitus.* 428
*Pietas B. Godrici erga matrem.* 102
*Pœna fratricidij.* 138
*Pœna homicidæ.* 410
*Pœna parricidarum in Gallia.* 157
*Pœna inobedientis Monachi.* 7
*Pœna inobedientium Monachorum.* 29
*Pœnitentia Otthonis Imperatoris.* 283
*Pœnitentia magna S. Seuerini.* 31
*Pompa vestium respuenda.* 393
*Pomposianum Monasterium curæ B. Martini Eremitæ demandatur.* 169
*S. Poppo Abbas.* 399
*S. Portiani Abbatis vita.* 414
*S. Possessor Constantiensis Episcopus.* 219
*Possessiones Ecclesiæ ad quem finem.* 167
*Prælatorum discretio.* 404
*S. Principini Eremitæ & martyris vita.* 223
*Princeps bonus capiti comparatur.* 398
*Principes qui tempore Caroli Magni sanctitate claruerunt.* 223
*Priuilegium singulare impetrat à B. virgine B. Simon Stock.* 233
*Probus S. Benedicti Pater.* 10. *in Notis.*
*S. Procopij Abbatis vita.* 109
*S. Prothasius Inclusus claret.* 414
*Proximus non leuiter irridendus, vel increpandus.* 409

Q

*Quæstiones difficiles dissoluit & explicat S. Didacus.* 440
*Quendreda impia Regina.* 42
*S. Quiteriæ virginis & martyris vita.* 145

R

*S. Rachonis Episcopi vita.* 246
*B. Rachildæ virginis Inclusæ vita.* 452
*Radicis cuiusdam mirabilis proprietas.* 199
*S. Radulphi Eremitæ vita.* 48
*Ramundi Lullij Eremitæ vita.* 378
*Rauennas Archiepiscopus aduersus S. Guidonem commotus tandem pœnitet.* 169
*Regnum Hierosolymitanum recuperatur.* 327
*Regnum suum Romano Pontifici vectigale facit Inas Rex.* 57
*Regna multa data in manus infidelium propter peccata.* 230
*Regula D. Benedicti S. Petro Cælestino data.* 355
*Regula S. Francisci approbatur.* 309
*Regula Carmelitarum à multis summis Pontificibus approbata.* 233
*Regulam S. Benedicti Fuldenses Monachi suscipiunt.* 427
*S. Rhemigius Rhemensis Episcopus mulierem à dæmone obsessam sibi à B. Benedicto missam, liberat.* 10
*Remedium contra tentationes carnis.* 403
*Religionis gratiâ quare Deus hominibus occultauit.* 406
*Reliquias sanctorum gestat S. Gallus.* 100
*Reliquias sacras visitat & veneratur S. Syluester Abbas.* 445
*Reliquiæ S. Petri Cælestini Aquilæ asseruantur.* 368
*Reliquiæ sanctorum cum magna reuerentia seruandæ.* 276
*Res mira.* 26
*Responsio S. Fiacrij ad Legatos Scotiæ.* 42
*Responsio pulchra B. Iordanis ad Oratores Bononienses.* 408
*S. Richardi Regis vita.* 63
*S. Richardi Episcopi liberalitas in pauperes.* 395
*S. Richarij Eremitæ vita.* 64
*Richildis filia Comitis Gofredi Pilosi arripitur à dæmone.* 467
*Risus inter faciendū opus humile, signum superbiæ.* 394
*Ritus condonandi iniuriam.* 427
*S. Roberti Cisterc. Abbatis vita.* 189
*S. Roberti Casædei Abbatis vita.* 190
*S. Roberti Salentini vita.* 373
*Rodohardus Laudunensis Episcopus.* 417
*S. Rodulphi Episcopi vita.* 294
*Rogationum dies.* 40
*S. Romani Abbatis vita.* 68
*S. Romualdi Eremitæ vita.* 277
*Rosa miraculose inuenta in sarcophago S. Gundulphi Eremitæ.* 213
*B. Ruffinus S. Francisci discipulus grauiter de prædestinatione tentatur.* 317
*S. Rumoldi Eremitæ & martyris vita.* 173
*Rumores audire, vel referre Monachis non licet.* 402
*Rurisius Lemouicensis Episcopus.* 208
*Russorum Rex baptizatur.* 293

S

*Salutatio Angelica miraculosè pulsata.* 439
*Salutatio Angelica super omnes beatissimæ virgini gratissima.* 234
*Salomonis Regis Hungariæ vita.* 50
*Salomon Rex Britanniæ interficitur.* 172
*Salomon Episcopus Constantiensis.* 451
*Sanctimonialis lactucam comedens signum Crucis facere oblita, arripitur à dæmone.* 15
*Sanctimonialis maleficiata precibus S. Equitij sanatur.* *ibid.*
*Sarraceni vastant Prouinciam & Aquitaniam.* 225
*Sarraceni fugantur à Sanctis Iacobo Apostolo, & Pelagio Eremita.* 270
*Sarraceni vastant Aquitaniam.* 211
*S. Sauiniani martyris corpus diuinitus reuelatur.* 248
*Suatacopij Regis Moraviæ vita.* 55. *Eius opera Bohemi ad fidem conuersi.* 56
*Saxones ad fidem conuersi.* 428
*Scandalum sæpe ex sensuum incustodia venit.* 403

*Scientia scientiarum quæ.* 394
*Scientia vera quæ.* 393
*Scientia sine deuotione parum prodest.* 409
*S. Scholastica B. Benedicti soror.* 9
*Scholastici Philosophiæ studentes quare potius ad statum Religionis conuolant, quàm Theologi & Iuristæ.* 406
*S. Sebaldi Eremitæ vita.* 224
*Sententia S. Ebrulphi.* 115
*Sententia egregia S. Guthlaci Eremitæ.* 61
*Sententia S. Nili de salute Salomonis.* 471
*Sententia egregia S. Eparchij Inclusi.* 430
*Sententia egregia S. Isaac Eremitæ.* 24
*Sententia pulchra S. Carilephi.* 48
*Sententia memorabilis.* 313
*S. Senoch Abbatis vita.* 112
*S. Spei Abbatis vita.* 18
*S. Sequani Abbatis vita.* 416
*Sergius pater S. Romualdi fit Monachus.* 280
*Sergius Papa euocat ad se Sanctum Iterium Episcopum Niuernensem.* 237
*Serpens iussu Monachi custodit hortum.* 14
*S. Seuerini Abbatis vita.* 151
*S. Seuerini Inclusi vita.* 243
*S. Seuerini Monachi Noricorum Apostoli vita.* 195. *Eius aliæ res gestæ infra lib. 7. cap. 2.* fol. 395
*S. Siberti Eremitæ vita.* 225
*Siciliæ fretum strato super fluctibus pallio transmittit Franciscus Paulensis.* 392
*Sichlarij detestanda cupiditas.* 415
*Sigebertus Rex precibus S. Galli se commendat.* 101
*Sigebertus Rex mittit legatos ad S. Goarem.* 26
*Sigebertum Dagoberti Regis filium à mortuis suscitat S. Arbogastus.* 84
*Signa mortem Ethelberti Regis portendentia.* 42
*S. Sigismundi Regis testimonium de S. Lupo Lugdun. Archiep.* 245
*Silentium districtum Monachorum S. Roberti Abbatis.* 190
*Silentium districtum Monachorum S. Bernonis Abbatis.* 203
*S. Simeonis Armeni vita.* 118
*S. Simeonis alterius Eremitæ vita.* 165
*B. Simonis Stock vita.* 233
*Simon Monachus indoctus, sed vir magnæ virtutis.* 444
*S. Simperti Episcopi vita.* 223
*S. Sindulphi Eremitæ vita.* 119
*S. Siuiardi Abbatis vita.* 119
*Sobrietas S. Lupicini Abbatis.* 68
*Societas Laudantium B. Mariam.* 337
*S. Solæ Eremitæ vita.* 195.433
*Somnolentiam viri spirituales summopere fugere debent.* 399
*Sophia vxor Salomonis Regis Hungariæ.* 52
*S. Stephani viri Dei vita.* 19
*S. Stephanus Rex Hungariæ beatæ Virgini deuotissimus.* 333
*S. Stephani Abbatis Cisterc. vita.* 188
*S. Stephani Grandimontensis Ordinis Institutoris vita.* 186
*Studij fructus quisnam.* 409
*S. Sturmionis Abbatis vita.* 425
*Superbia perniciosa Monacho.* 393
*S. Suiradi Eremitæ vita.* 141
*S. Surani Abbatis vita.* 19
*S. Syluani Eremitæ vita.* 268
*S. Syluestri Abbatis vita.* 161.& 441
*S. Syræ Sancti Fiacrij soror.* 42
*S. Syriæ Virginis vita.* 268

*T*

*Telericus primus Bulgariæ Rex Christianus.* 265
*Terra sancta sub potestate Sarracenorum.* 325
*Terra sancta quare in manus Sarracenorum tradita.* 331
*Trebellij Regis Bulgariæ vita & conuersio.* 264
*S. Trechinorus à Britannis vocatur S. Gildas.* 40
*Treuerensis ciuitas totius Europæ antiquissima.* 87
*Tria à quolibet Christiano exigentur in iudicio, & quæ.* 406
*S. Theobaldi Eremitæ vita.* 136
*Theobaldus Viennensis Episcopus, S. Theobaldi Eremitæ sanctitatem prædicit.* 136
*Theodenaldus & Guntharius filij Clodomiri Regis, à Childeberto & Clothario Regibus regnandi cupiditate crudeliter occiduntur.* 240
*S. Theodulphi Eremitæ vita.* 87
*Theodoricus Rex deuastat omnes terminos Aruernenses.* 414
*Theodoricus Rex S. Hilarium Abbatem diuino iudicio venerari cogitur.* 153
*S. Theodorici Eremitæ vita.* 87
*S. Theuderij Abbatis vita.* 431
*S. Thomæ Aquinatis sententiæ.* 407. *passim per totum librum septimum.*
*S. Thomæ Cant. Episcopi martyrium B. Godrico Eremitæ reuelatur.* 104
*Thomas à S. Cæcilia Cardinalis Ordinis Cælestinorum.* 365
*Totila Gothorum Rex experimentum facit num S. Benedictus polleat spiritu prophetico.* 5
*Totila Rex S. Lauriani reliquias veneratur.* 249
*Tullensis ciuitas ab hæreticis depranatur.* 259

*V*

*S. Valerici Abbatis vita.* 156
*Vana gloria à sanctis viris studiosè fugiëda.* 405
*Vanæ gloriæ initium sibi placere.* 406
*Vana gloria dæmonium meridianum.* 179
*S. Veredemi Episcopi vita.* 160
*S. Veredemi alterius vita.* 161. *in Notis.*
*S. Venantius frater S. Honorati Archiepiscopi Arelatensis.* 140
*S. Venantij Abbatis vita.* 111
*S. Venantij Eremitæ & martyris vita.* 271
*S. Venerij Eremitæ vita.* 147
*B. Venerij alterius Eremitæ vita.* 282
*S. Ventilæ Eremitæ vita.* 270
*S. Victorini Episcopi & martyris vita.* 31
*S. Victoris Eremitæ & martyris vita.* 160
*S. Victoris Eremitæ vita.* 96
*Victoria Salomonis Regis Hungariæ de Bohemis.* 52
*S. Vincentius Ordin. Prædicatorum diuinitus cognoscit sanctitatem B. Coletæ Virginis.* 383
*Virginitatem in coniugio seruat S. Cæsaria.* 240
*Vita animæ in quo consistat.* 407
*Vita Monachi sine silentio nihil est.* 407
*Vitam suam scripsit S. Petrus Cælestinus.* 349
*Vitalianus Papa honorificè excipit S. Godonem.* 276
*Viuentius Abbas Monasterij Sancti Iusti Lugdunensis.* 246
*Vldarricus Princeps Bohemiæ.* 109
*S. Vlfiæ virginis vita.* 88
*S. Vlfricij Eremitæ vita.* 105
*Vltrogodis Regina.* 47
*Vltio diuina in virum & mulierem diem Dominicum non sanctificantes.* 79
*Vltio diuina in calumniatricem ancillam.* 449
*Vltio diuina in impudentem mulierem.* 12
*Vrsa obedit S. Gisleno.* 411
*Vrsi*





*Vrsidungus vnde dictus locus quidam.* 411
*S. Vrsi Abbatis vita.* 415
*Vrso custodiam pecorum committit S. Florentius Eremita.* 11
*Vrsos à suis apibus ferula fugat S. Menas Eremita.* 13
*Vrsus obedit B. Gallo.* 100. *necnon S. Magno Abbati.* 457
*Vsus antiquus altaria thurificandi.* 277
*S. Vualderrudis consilio S. Gisleni accipit sacrum velamen.* 116
*S. Vualpurgis virginis vita.* 121
*S. Vuiberadis virginis vita.* 120.448
*Vuighardus Princeps fit Monachus.* 223
*Vuerocus Princeps & Comes Venetensium.* 39
*S. Vuinebaudi Eremitæ vita.* 97
*S. Vuireburgæ virginis vita.* 58
*S. Vuendelini Eremitæ vita.* 107
*Vuinterus Medicus Caroli Magni.* 428
*S. Vuitburgæ virginis vita.* 57
*S. Vuinunaloci Eremitæ vita.* 107.394
*S. Vulgisi Eremitæ vita.* 250
*S. Vulmari Eremitæ vita.* 82
*S. Vulphi Eremitæ vita.* 76

*Z*

*Zambonitæ fratres vnde sic dicti.* 336
*Zelus & audacia Ramundi Lullij pro fide Catholica.* 380
*S. Zoërardi Eremitæ vita.* 159
*Zolmirus Rex Dalmatiæ.* 51

INDEX ANNOTATIONVM

# IN VITAS PATRVM OCCIDENTIS.


A

Abdomen. 199
Absinthium. 370
Absis. 112
Acœmetorum Monasterium. 150
Ædituus. 275
Æsernia. 370
Agatensis ciuitas. 152
Agnus Insula. 222
Alba ciuitas. 55
Alabastrum. 87
Alemanus. 67
Alpes Apenninæ. 67
Aluta. 296
Ambianensis ciuitas. 88
Amerina ciuitas. 419
Amiternum. 31
Amphora. 79
Anathema. 186
Anitium. 191
Antisiodorensis ciuitas. 156
Antiquarij. 17
Apostema. 371
Apulia. 320
Apta ciuitas. 243
Aquila ciuitas. 370
Aquileia. 55
Arduena sylua. 90
Armenia. 199
Arar fluuius. 245
Arausica ciuitas. 225
Aretium. 386
Area ciuitas. 144.386
Aries. 168
Arimimum ciuitas. 144
Artocreas. 199
Aruernia. 241
Asbania. 333
Assisium. 320
Asylum. 370
Athesis fluuius. 147
Auctura fluuius. 274
Auxitana ciuitas. 245

B

Bacca. 55
Balteum. 86
Basilica. 77
Beneuentum. 88
Bethlehem. 156
Bidentes. 434
Bipennis. 83
Birrum. 159
Britannia. 62
Boreas. 186
Brutij populi. 419
Bubalus. 31
Bulgaria. 266
Burgum ciuitas. 425

C

Caballus. 15.78
Caldaria. 79
Calculus. 371
Caligula. 15
Callus. 188
Camboca. 467
Campania. 11
Camerarius. 371
Cantabrum. 295
Capisterium. 10
Carectum. 62
Carnotum ciuitas. 36
Carruca. 55
Capulus. 371
Capua. 10
Cataста. 293
Caturcum ciuitas. 243
Cespes. 86
Clocca. 422
Chirurgus. 370
Chuni. 55
Cicer. 292
Cilicium. 195
Cippus. 86
Cistercium. 189
Cithara. 320
Colurna virga. 102
Cornus. 111
Conus. 422
Cothurnus. 96
Croylandia Insula. 62
Cucullæ. 67
Culmus. 75
Cutiliæ aquæ. 31
Cyrnus Insula. 148

D

Dacia. 224
Dactyli. 81
Dalmatia. 163
Damiata. 120
Diabolizare. 454
Diapason. 292
Diatessaron. 292
Diœcesis. 97
Draco. 370
Dulia. 370
Dumæ. 371

E

Duenses populi. 249
Epydeten. 96
Ephippium. 370
Equuleus. 154
Eulogia. 248
Europa. 87
Examen. 75
Exedra. 386

F

Fabianis ciuitas. 196
Fagus. 86
Fanum. 102
Fecialis. 42
Fermentum. 370
Florentia ciuitas. 339
Frutex. 370
Fustis. 67.154
Fundis oppidum. 15
Furunculus. 217

G

Gallia Belgica. 86
Gallus gallinaceus. 370
Gibellina factio. 343
Grandis ciuitas. 255
Glogga. 418
Gothi. 80

H

Hemisecla. 454
Hetruria. 165
Hexaphorus. 55
Hispania. 160
Horreum Monasterium. 87
Hybernia. 63
Hydra. 73
Hydrus. 113
Hypocrita. 370

I

Iberus. 186
Idioma. 62
Iordanis fluuius. 166
Italia. 25
Istria. 55
Iura mons. 244

L

Latex. 73
Leodium. 308
Lemures. 111
Lerinensis Insula. 35
Lepra. 370
Ligeris fluuius. 140
Longobardi. 20
Luca ciuitas. 64
Ludus litterarius. 83







Luna ciuitas. 147
Lusitania. 388
Luxouium. 31
Lycaonia. 166

M

Mancipium. 15
Mandrita. 434
Maguntia. 268
Marca. 467
Mauri. 160
Meldricis villa. 91
Melancholica passio. 217
Milliare. 195
Missilia. 55
Mista. 163
Molossus. 111
Mosa fluuius. 333

N

Neapolis. 199.370
Nicia, vel Nicea. 81
Noëmicus vicus. 238
Nonna. 102
Norica Regio. 428
Notaria. 424
Nursia. 19

O

Orexis. 111

P

Padus fluuius. 169
Palmaria Insula. 147
Pannonia. 334
Phanaticæ opiniones. 84
Phantasma. 370
Papa. 317
Paralysis. 55
Parasitus. 292
Papyrius. 292
Penum. 79
Petragorica ciuitas. 75
Phreneticus. 370
Picenum. 446
Pictatius. 467
Picti populi. 57
Pierius. 454
Pithiueris oppidum. 199
Pola ciuitas. 55
Polyandrum. 274
Portio canonica. 88
Pontinium. 49
Protoplastus. 67
Pumilio. 116
Pulpitum. 334
Pustula. 77
Pyacium. 10

R

Rauenna ciuitas. 291
Rhæti populi. 67
Rhegium ciuitas. 148
Rhenus fluuius. 26
Rhetia. 196
Rutheni populi. 55

S

Sabbathum. 343
Sagmarius. 292
Saginarium. 296
Samnium. 15
Sardinia. 148
Satrapæ. 73
Sathanas. 73
Seburgum. 193
Seges. 370
Septimania. 225
Sicera. 464
Sigalis. 434
Situla. 13
Scapha. 62
Scopæ. 296
Scutica. 292
Scrophula. 371
Spoletum. 18.25
Stellio. 370
Storea. 292
Solarium. 292
Sonipes. 96
Sorbitiuncula. 292
Sudes. 75.334
Sueui populi. 64
Sulmo ciuitas. 370
Sulthanus. 320
Suppuratio. 441
Sura. 67
Syrenes. 186
Syrmicum vinum. 55

T

Aurea flagella. 168
Teda. 434
Thermæ. 31
Theristrum. 454
Tigurinus lacus. 67
Tilia. 333
Theologium Monasterium. 59
Throclea. 75
Trabea, 55
Treuerensis ciuitas. 87
Tomentum. 370
Tonsura capitis. 81
Theutones. 55
Tussia. 152
Tyna. 454
Typus. 217
Typrum. 467

V

Valeria prouincia. 20
Venetia. 386
Vermis. 467
Verona. 147. 169
Vespa. 75
Vngula. 154
Vimen. 31
Viterbium. 343
Vosagus. 30
Vlyssbona. 325
Vulturanus. 15
Viuaria ferarum. 55

X

Xerodochium. 274


FINIS.

INSIGNIVM

# EREMITARVM ORIENTIS VITÆ.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

# INSIGNIVM EREMITARVM ORIENTIS VITÆ.

*EX GRAVISSIMIS GRÆCORVM Auctoribus collectæ, & Annotationibus exornatæ.*

## LECTORI.

*QVAM excelluerit R. Pater Herisbertus Rosweidus Societatis* IESV, *in scribendis Historiis Patrum Orientis, omnes qui eius librum attentiùs legerint, mecum fatebuntur. Valde tamen miratus sum, & adhuc miror, & multi etiam mirantur, cur cùm omnes Græcorum Auctores qui Vitas Eremitarum scripserunt, apposuerit, solum sanctum Simeonem Metaphrastem omiserit. Existimo de industria ipsum hoc fecisse: ne scicet volumen eius nimis excresceret: vel certè, quia Vitas à Metaphraste conscriptas apud Lippomanum & Surium reperiri non ignorabat. Cùm igitur non omnia possimus omnes, vt omnium Eremitarum Orientis & Occidentis historias in duobus voluminibus habere possemus: quod ille prætermisit, ego vtcumque supplere volui. Et ne tædiosus essem, consuetam breuitatem in illis præcipuè historiis valde protensis seruare, & elegantiora quæque scribere volui; lectorem plura desiderantem, ad prædictos Auctores remittere contentus.*

---

## VITA SANCTI MARTINIANI
### *Eremitæ. Ex Simeone Metaphraste.*

PROXIME ciuitatem Cæsaream Palæstinæ, mons est qui vocatur locus Arcæ. In eo ergo monte sita est solitudo in qua habitant multi viri qui vitam agunt Monasticam. Inter quos cognouimus etiam beatum virtute præditum Martinianum, habitantem in hoc monte. Hic ergo beatus cum ab ineunte ætate Deũ amasset, multa suscepit certamina aduersus inimicum.

*S. Martinianus octodecim annos natus, vitam solitariam amplectitur.*

Insignis itaque specie corporis, & ætate iuuenis, vt qui esset octodecim circiter annos natus, relicta ciuitate, & iis qui in ipsa habitabant, se tradens quietæ, & solitariæ vitæ, venit ad hanc solitudinem, & in ea habitauit viginti & quinque annos, vitam in ea agens Angelicam. Quamobrem dignus quoque fuit habitus, qui à Deo acciperet

*Habet gratiã curationum.*

dona curationum, multosque curauit Dominus per sanctas eius preces. Multi enim qui vexabantur à dæmonibus, cum ad eum veniissent in monte liberati sunt ab insultu dæmonum. Multi quoque qui tenebantur febribus, ab hoc viro benedicti assecuti sunt curationem, & multa alia fecit Dominus per eius preces. Indies autem proficiebat hic beatus Martinianus in optima sua exercitatione, & in omnem partem peruadebat optima & pulcherrima fama huius sancti viri, omnesque audientes ad eum veniebant in monte, vt ab eo iuuarentur.

*Multos liberat obsessos à dæmone.*

Sed bono infestus humani generis hostis diabolus non passus est videre in adolescente canam virtutem, & primum quidem cœpit ei diuersas excitare tentationes, & per multiplices visiones visum est ei terrere hominem. Deinde etiam per antiqua eius arma, quibus Adam eiecit è paradiso, machinatus est eum quoque eiicere è bono proposito. Quodam itaque die psallente beato Martiniano, inimicus mutatus in maximum draconem, eius cellam subtus subiens, cœpit acriter, & vehementi studio fodere partem eius cellæ à fundamentis, tanquam qui vellet eam euertere. Beatus cum sine vlla perturbatione impleret preces, per fenestram aspiciens dixit

*Varias ei tẽtationes immittit diabolus.*

*Diabolus in draconis specie apparens, conatur sancti viri cellã euertere.*

dixit ei. Verè te decet serpere supra terram. Diabolus autem cum hæc audiisset, in turbinem mutatus
A mi. Dixit ei sanctus. Et quanam de causa est mutatus tuus habitus, vt quæ esses vesperè miserabilis, & nunc superba? Illa verò dixit. Ego, Domine mi, sum ex Cæsarea ciuitate Palæstinæ, quæ cum audiuissem de tua iuuentute, & quod talem habeas corporis pulchritudinem, sisque adeò speciosus, & formosus, cor meum valdè exarsit propter tuam pulchritudinem, & accessi, vt te viderem, & explerer tua pulchritudine. Quodnam est autem, Domine mi, hoc vestrum importunum ieiunium, & quanam de causa talem vestrâ iuuentutem, & nitidam ætatem maceratis afflictione, & intempestiua abstinentia? Quænam scriptura dicit non esse comedendũ, & bibendum, nec legitimum ineundum matrimo-
B nium? Non dicit Paulus Apostolus, honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum? Quis ex prophetis, aut Patriarchis non fuit iunctus matrimonio? Hæc, & similia dicens mulier, & virum tentans, eiusque manus contrectans emolliit, & eneruauit eius bonam cogitationem, & cœpit eum deturbare peccati, & interitus.

*Veibis sanctũ inuenem emolire contendit.*

*Meretrix impudens promittit se virum Dei ad peccatum pertractura.*

Respondens itaque dicit ei. Si te accepero vxorem, quò te ducam, aut vnde alam, cum nihil habeam? Ego enim, vt vides, pauperem vitam nihil possidẽs vixi hucusque omnibus diebus vitæ meæ. Respondens autem mulier dixit ei. Domine mi, tu solum mihi assentire, & mecum habita, & fruar tua pulchritudine, & iuuentute. Habeo enim domũ,
C & aurum, magnasque & præclaras possessiones, seruosque, & ancillas. Quorum omnium ego te Dominum constituam, solummodo assentire meo scopo, & mecum habita: magno enim amore tui cor meum vritur. Hæc ea dicente, cœpit vir dimoueri à sancto proposito, & inflammari ad carnis cupiditatem, & de cætero de peccato cum ea loquebatur, vt id cum ea faceret. Deinde dicit ei, mulier expecta me parumper. Quoniam solent aliqui huc ad me venire, & à me benedici, spectabo iam vias ne fortè aliqui ad nos veniant, & nos inueniant in hac actione. Et si Deo celare non possumus hoc peccatum, inter homines saltem ne nos indecorè geramus eos offendentes. Hæc cum dixisset egressus est
D è cella sua, & stans supra excelsam rupem vias considerabat.

*Meetricis verèis inflammatus, de peccato perpetrando cogitat, & cum ipsa verba habet.*

*In omnibus vitandum scandalum.*

*Viſa muliere vir ſanctus in magnam animi turbationem incidit.*

Illo autem considerante, & diligenter quoquo versus spectante, benignus, & clemens Deus, qui non vult aliquem perire, non despexit eius laborem susceptum à iuuentute, sed ei tulit opem. Nam cum staret supra rupem, & vias cõsideraret, auertit cor eius vt mutaretur à mala eius cogitatione, & immisit in eũ bonam mentẽ, & descendens ex petra inuenit sarmenta arida. Quæ cum accepisset, ingressus est cellam suam, & cum ea iecisset in medio, accepit ignem, & accendit sarmenta. Magna autem flamma accensa, & in altum sublata, solutis calceis in medium ignem insiliens, cœpit comburi to-
E to corpore, & cum valdè esset ab igne combustus, & ei dolerent pedes, egressus est è fornace, & veluti secum depugnans dicebat. Quid est Martiniane? Rectè te accepit hic ignis qui est ad tempus. Si autem potes hæc pati, accede ad hanc mulierem. Cogita ergo æternum illud supplicium ô Martiniane, vermem, qui non potest sopiri, stridorem dentium. Cogita hæc omnia ô Martiniane, & si ea potes sustinere, accede ad mulierem. Hæc autem dicebat ille sanctus, ei in memoriam reuocans æternum supplicium. Cúmque parum remisisset labores, rursus ingressus est in fornacem, & stetit in medio ignis. Et valdè combustus exiit, & cecidit humi, non poterat enim stare, cum se omni ex parte vsisset.

*Deo adiuuãte à mala cogitatione respiscit.*

*Nudis pedibus in medios flammarum globos ingreditur, vt sic libidinis incentiua superare possit.*

*Tandem charitatis causa eam introducit in cellam, & cibum ei præbet.*

Cum igitur orasset, aperuit ostium, & eam introduxit in cellam, & cum ignem accendisset, dicit ei. Mulier calesce, & attende tibi ipsi, tecum enim non manebo. Et cum attulisset dactylos quibus ipse reficiebatur, stabant enim duæ palmæ extra cellam, ei apposuit, & dixit: Comede, & cura teipsam, mane hic, & cras vade domum in pace. Deinde cum eam sic siuisset, ingressus est cellulam interiorem, & clausit ostium. Et cum psalmos ceciniisset tertia hora noctis & orasset, humi dormiit,
E vt consueuerat. Illa autem nocte ingressus satanas, cum valde conturbauit in carnis inflammatione. Et cum manè surrexisset, egressus est è sua cella vt mulierem emitteret, & deduceret. Illa verò cum circa mediam noctem surrexisset, & omnia sua ornamenta è pera eduxisset, se ornauit ad decipiendum beatum Martinianum, laceris pannis iniectis in peram. Vir autem sanctus, cum eam vidisset sic ornatam, non agnouit eam, & cum obstupefactus diu obmutuisset, dicit ei. Quænam tu es, & vndenam huc es ingressa, & quis hic est diabolicus habitus?

*Ornat se mulier ad sanctum iuuenẽ decipiendum.*

Illa verò respondens dixit ei. Ego sum Domine

Tunc



Tunc ad se rediens mulier, & veluti surgens è
A su. Toto enim tempore suæ exercitationis, vinum non bibit, oleum non comedit, nec vuã, nec alium fructum, sed solum panem & aquam, eaque non ad satietatem, sed solum vesperè comedens, & nonnunquam secundo die. Ea autem humi quoque dormiebat. Hic est finis huius beatæ, & hæc sunt eius certamina.

*Nota insignẽ abstinentiam B. Zoë pœnitentis.*

Sed necesse est vt nos reuertentes ad vitam beati Martiniani, narremus præclara eius facta ad multorum vtilitatem. Post septem ergo menses, curatus fuit à plagis vstionis, & ratiocinari cœpit apud se dicens. Re vera nisi ex hoc loco recessero, & iuero in locum ignotum & occultum, non me sinet malignus requiescere. Deinceps ergo debeo talem locum habitare, ad quem fieri non potest vt
B mulier ingrediatur. Cumque hæc apud se esset ratiocinatus, surrexit, & egressus est è cella sua, profectusque est ad mare.

*Tandem infœlix mulier respiscit, & conuersionem promittit.*

Exclamauit autem dæmon ante eum dicens. Fortitudinem suam iactent meæ virtutes, & sit nomen meum præclarum, quod contra te fui fortis. Nam & te è cella expuli, & corpus tuum igne combussi, teque fugitiuum effeci & captiuum. Et rursus dæmon. Fugis Martiniane, quocumque autem ieris illic adero, & quomodo te hinc fugaui, ita etiam te fugabo vbicumque volueris habitare. Beatus verò respondens dixit. Imbecille & miser, exi-
C stimasti me esse à te depulsum ex mea cella, an putasti me angore confectum recedere? Absit, sed vt te magis conculcem, & nihili faciam. Eoque hæc dicente, ab eo euanuit diabolus. Beatus autem cœpit hunc psalmum psallere. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, &c. & psallens inibat viam quæ ducit ad mare.

*Gloriatur diabolus impudenter se præualuisse contra Martinianum.*

*A sancto viro audacter contemnitur, & irridetur.*

Cum autem veniisset ad portum, inuenit Nauclerum quendam timentem Deum, & cum accessisset dixit ei. Frater, scisne aliquam paruam insulam in medio mari in qua nemo habitat? Nauclerus respondens dixit ei. Quanam de causa me interrogas, & quid vis? Dicit ei beatus. Volo quietem agere ab hoc mundo, & ab hac vana vita, & non inuenio locum in quo quiescam & fugiam
D maligni offensiones. Dicit ei Nauclerus. Est in mari rupes angusta, admodum excelsa & terribilis, & quæ satis longo spatio distat à terra. Si quis enim proxime fuerit illam rupem, terram non videt amplius. Dicit beatus. Tali loco valde delector, & eum desidero, ad quem maximè non possit mulier accedere. Et Nauclerus. Et vndenam es habiturus nutrimentum? Pactum faciamus, (inquit beatus) inter nos. Tu mihi victum suppeditabis, & ego pro te ad Deum intercedam. Quinetiam operabor sedens super rupem, ad me solum affer ramos palmarum, & eos contexam meis manibus, quos tu à me tolles & vendes, & ad me afferes alimentum. Porrò autem mihi quoque afferes amphoras, in
E quibus aquam reponamus, & cum panem fregerimus & refrigeruerimus, eum immittemus in amphoras. Venies verò tu in anno bis aut ter ad me afferens panem & aquam. Hæc cum audisset Nauclerus, & cognouisset eum esse virum spiritualem, prompto & alacri animo cum eo conuenit se omnia esse facturum. Et cum paruam accepisset nauiculam, & beatum in ea accepisset, rectà contenderunt ad rupem, cum ventus esset secundus, & vesperè ad locum peruenerunt. Beatus autem cum vidisset locum valde aptum, lætatus est, & cum Deo egisset gratias, & Nauclero benedixisset, ascendit super rupem. Et cum precatus esset dixit Nauclero: Abi in pace frater, & affer ad me amphoras & panem,

*Audit à quodã Nauclero esse in mari excelsã rupem, vitæ solitariæ ducendæ conuenientem.*

*Agit cum Nauclero vt ille victum ei administret: ipse verò pro eo ad Deum intercedat.*

*Mittit eam ad S. Paulinã in Bethleem.*

*Precibus pœnitẽtiæ, cuiusdam mulieris oculi à graui dolore liberantur.*

*A Paulina in Monasterio suscipitur.*

*Facit fructus dignos pœnitentiæ.*

Illa cum audisset, Deum glorificauit, & eam lubens accepit in Monasterium: eamque indies instituebat in iis quæ pertinent ad salutem. Ea verò vsque adeò perseuerabat in fortitudine & exercitatione, vt beatissima Paulina sæpe eam admoneret, & diceret. Parce tuam carnem tanta affligere abstinentia, vt possit vsque ad finem sufficere. Itaque circa eius finem petiit à Deo hanc gratiam, vt
E ei ostenderetur, an accepta esset eius pœnitentia. Benignus ergo Deus curationes effecit per eius preces. Quadam enim die mulier quædam cui grauiter dolebant oculi, in Monasterium venit vt curaretur. Volens ergo beata Paulina probare eius pœnitentiam, dicit ei. Filia accede ad Christum, & ora pro ea, vt per tuam interceſſionem ei Dominus præbeat sanitatem. In paucis itaque diebus, cũ ea precata esset, sanata fuit mulier. Quæ etiam mundo renuncians, seipsam collocauit in eodem Monasterio. Hæc autem beata Zoë, hoc enim erat nomen eius, cum duodecim annos vixisset in Monasterio, fuit in Christo consummata peracto cur-

nem, & aquam. Qui respondens dixit, visne affe-
*Degit sub dio supra excelsam rupem sanctus Martinianus.*
ram tibi ligna, & faciamus tibi paruum tabernaculum: Sanctus autem non passus est, sed erat sub dio sedens supra petram, & æstu quidem torrebatur, algore verò concrescebat. Tunc Nauclerus ad suos reuersus, attulit omnia quæ ei iusserat beatus, & ad eum ter quotannis afferebat panem, & aquam. Beatus autem Martinianus veluti requieuit egressus è mundo, lætabaturque, & Dominum glorificabat in meditatione scripturarum, & bona vita.

*Etiam his diabolus eum persequitur, sed frustra.*
Sed sceleratus, & malignus diabolus nec sic quidem cessauit iustum bello lacessere. Sed illic quoque cœpit ei inferre tentationes. Nam cum vna nocte mare mouisset, & fluctus excitasset, ei ostendebat, quod fluctus super eius caput ferebantur quindecim cubitos, & dæmon clamauit dicens. Nunc te suffoco in aquis Martiniane. Beatus verò respondens dicit citra vlla perturbationem: Imbecille, & infœlix cur frustra laboras? Tua spectra non me terrent, neque tuæ minæ me terrore afficiunt. Hæc ergo eo dicente, & orante, euanuit diabolus, & mansit ab eo illæsus. Sex itaque annos sic degebat sanctus supra petram, omnem laborem, & perpessionem sustinens pro salute suæ animæ. Sed sic quoque ab eo non quieuit malignus, sed ei aliam intulit tentationem priore grauiorem. Nam
*Opera diaboli conquassatur nauis, & omnes in ea existentes submerguntur, egregia quadam puella exceptæ.*
cum quodam die obseruasset malignus, & immundus dæmon nauem venientem quæ portabat viros, & mulieres, vento confregit nauem, & allisit ad petram, & suffocauit omnes qui erant in naui, præterquàm vnam puellam. Vna enim puella quæ erat longè formosissima, potuit apprehendere tabulam, & seruari. Et cum appropinquasset petræ vbi sedebat beatus, ab ea pependit, & cœpit clamare, misere mei serue Dei altissimi, & porrige mihi ma-
*Formosissima puella apprehensa tabula à naufragio saluatur, & peruenit ad rupem viri Dei, cuius opem expostulat.*
num, & serua me ab hac aqua, neque sinas me perire in profundo. Beatus autem Martinianus videns non aliunde eam posse habere salutem, aut auxilium dixit subridens. Hoc quoque est maligni machinatio. Reuerà non vinces promptum meũ & alacre animi studiũ ô diabole. Deinde dicit apud se, væ mihi peccatori, rursus mihi adest cordis probatio. Quid ergo faciam? Si eam dimisero in aquis, in eis suffocabitur, & maculabit meam animam in die iudicij. Sin autem eam assumpsero, non expedit mihi esse cum ea. Reuera hæc est in longè grauiori necessitate quàm prima. Nam illa quidem cum esset in terra, poterat seipsam saluare, hæc verò non potest aliunde seruari. Et cum oculos in cœlum extendisset, dixit: Domine Deus meus, in quem speraui à iuuentute mea, ne sinas me perire, sed prouide id quod est vtile animæ meæ. Cúmque hæc dixisset, tradidit ei manum, & eduxit eam ex aqua.

*Misericordia motus extrahit eam de aqua.*
Cum autem animaduertisset eam esse speciosam, dixit ei. Igni cum fœno nequaquam benè conuenit. Non possum ego, & tu hic simul esse. Sed tu hic mane, neque quicquam timueris, habes enim panẽ, & aquam, & quomodo comedebã ego, tu quoque comede, vt tibi sufficiat donec veniat Nauclerus qui affert ad me panem, & aquam: adhuc enim restant duo menses, post quos huc veniet, & cum huc venerit narra ei quid acciderit. Is verò te hinc educet, & deducet in tuam ciuitatem. Cumque hæc dixisset, mare obsignauit signo Crucis, & dixit: Domine Deus meus qui increpasti ventos, & mare, eaque tibi cum tremore obedierunt, me quoque aspice, & mei miserere, & ne sinas me perire. Ecce enim
*Oratione facta, & mari cruce signato iactat se in*
Domine, confidens in sancto tuo nomine, me in mare proiiciam. Malo enim mori inconsideratè, quàm cum corporis perturbatione, consuetudinem

habere cum muliere. Ad puellam autem conuersus, dixit. Esto salua mulier. Dominus custodiet animã tuam filia ab omni insultu diaboli, & te conseruabit in finem. Quæ cum dixisset, statim se iecit in mare. Subitò autem duo Delphines exceperunt eũ, & in terra deposuerunt. Puella verò, donec excessit ex oculis eius, videbat ipsum ferri super aquas, neque sciebat amplius quid factum esset. Beatus autem Martinianus in terram egressus, gratias Deo omnipotenti egit.

*mare, vt fugiat occasionem peccandi.*
*Delphinorum tergũ ad litus deducitur.*

Quibus peractis dixit apud se. Quid faciam nescio. In montibus non me siuit satanas, nec in mari. De cætero bonum est mihi meditari dictum Euangelij, & hoc facere. Docet enim Dominus sic dicẽs: Si persequãtur vos in hac ciuitate, fugite in aliam. Amen dico vobis non finietis ciuitates Israël. Quæ cum dixisset, cœpit fugere, & dicere: Euge Martiniane, ne te comprehendat tentatio, fuge Monache, sicque fugiens, & seipsum persequens, finiit dies vitæ suæ, nunquam ferens, neque peram, neque virgam, neque duas tunicas, neque aliud portans ad vsum corporis, ex iis quæ debent inseruire homini. Sed vbicumque ingrediebatur in ciuitatem, aut in pagum, quærebat quisnam esset in ea vir pius, & illuc veniebat, & sumens quæ necessaria erant ad alimentum, exibat, & sic fugiens, & persequens, perfecit dies suos, & vbicumque eum deprehendisset vespera, seu in monte, seu in solitudine, seu in petra, illic manebat. Duos ergo annos currens, & se persequens, pulchrum impleuit cursum, cum centum, & sexaginta quatuor ciuitates obiisset.

*Statuit deinceps vir Dei semper peregrinari.*

Cum autem esset migraturus ad Dominum, venit Athenas. Porrò beato Episcopo, qui illic erat reuelatum est de decessu beati. Beatus verò Martinianus ingressus Ecclesiam, cum præsciuisset horam mortis suæ, cadens supra scamnum, dicit iis qui illic erant: Vocate citò ad me vestrum Episcopum. Illi autem existimauerunt eum esse stultum. Eo verò adhuc magis rogante, ei obedierunt, & iuerunt ad Episcopum dicentes ei: Domine, homo quidam iacet in Ecclesia super scamnum, & nescimus sitne stultus, aut quis sit. Nobis certè dicit, vocate ad me citò Episcopum vestrum. Pius autem ille Episcopus dicit eis: Stulti estis vos. Ille enim & me, & vobis est altior, & surgens protinus properè iuit in Ecclesiam. Beatus verò cum eum vidisset, non potuit quidem surgere, sed manus suas extendit supra solum, & sic debitum honorem ei reddidit. Episcopus autem abundantiorem ei honorem tribuit dicens: Iamprudem Deus mihi est pollicitus se suum seruum mihi esse ostensurum, & qui est à mendacio alienus impleuit quæ dixerat. Tu autem quando habitabis in regno cœlorũ, meæ quoque animæ recordare rogo te. Sanctus verò respondens dixit ei. Benedic me venerande pater, & ora pro me, vt inueniam fiduciam dum sistar ante terribile tribunal Christi. Hæc cum dixisset sustulit oculos suos in cœlum, & dixit; In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Et cùm totum corpus suum obsignasset, dixit Episcopo. Commenda me Deo pater. Quod cum dixisset subridente vultu Domino emisit spiritum, cum cursum consummasset, & fidem seruasset propositæ coronæ accepta promissione, dignatus regno cœlorum.

*Reuelatur obitus viri Episcopo Athenarum.*
*Præscitus mortis suæ B. Martinianus intrat Ecclesiam, & semiuiuus iacet supra scamnum.*
*Venit ad eum Episcopus.*
*S. Martinianus prout præst honorem Episcopo impendit.*
*Subridens emittit spiritum S. Martinianus.*

Sed oportet nos de illa quoque puella quæ fuit relicta super rupem marinam, vobis narrare quemnam finem acceperit: & quemadmodum finem vitæ suæ peregerit citra vllam quæ in eam caderet repre-



reprehensionem; etenim propter eam rursus conceptæ beati preces non manserunt inefficaces: sed eam ad finem vsque conseruauerunt. Ipsa enim relicta supra petram, sic comedebat sicut ei iussit sanctus. Cum autem venisset Nauclerus qui afferebat panem & aquam, & appropinquasset petræ, & vidisset puellam stantem, existimauit esse spectrum, & timore affectus, cœpit à petra recedere, remis agens nauiculam. Illa autem clamans dicebat Nauclero. Ne timeas, ô frater, sum enim reuera mulier, & sum Christiana, veni prope me propter Dominum, & narrabo tibi verum. Illo autem minus fidente & magis timente, ipsa iurabat dicens: Per regem Christum sum Christiana. De cætero ve-
*Nota antiquam consuetudinẽ Christianorũ consignandi se signo Crucis.*
ni prope me, & tibi narrabo quid acciderit. Tunc nauem suam adduxit Nauclerus, & dixit ei. Vbi est qui hic erat Monachus, aut quid ei factum est quod recessit? Quis verò te huc adduxit? Puella autem cum se signasset, narrauit ei quæ ipsis acciderant. Nauclerus cum audisset dixit. Veni huc, vt te hinc educam, & ibis in tuam ciuitatem. Mulier autem respondens dixit ei: Ne rogo te Domine mi, ne me eiicias ex hac petra, sed fac mecum misericordiam & clementiam, & vadens in tuam ciuitatem affer ad me pileum & virilem tunicam contextam ex pi-
*Puella à naufragio & salute, pœnitẽtiam in rupe viri Dei peragere desiderat.*
lis, & panem & aquam, quomodo afferebas ad beatum, & eandem mercedem accipies à Domino. Ne ergo me abomineris humilem & abiectam quæ volo salua fieri. Age ergo rogo te, vade in tuam ciuitatem, & quomodo prædixi tibi, adfer ad me virilem tunicam & pileum, & panem & aquam, & lanam, & adhuc vxorem tuam, vt cum illa verba faciam de lana, & vt illa me induat virili habitu, & Dominus meus erit tecum omnibus diebus vitæ tuæ, & dabit tibi in hac vita misericordiam & remissionem. Hæc cum audisset Nauclerus, & vidisset eius in Deum desiderium, dixit ei. Ecce ego faciam omnia quæcumque mihi mandasti, solum esto fortis & strenua, & Dominus implebit desiderium tuum. Quæ cum dixisset, mouit suum nauigium, & iuit in suam ciuitatem, & accipiens vxorem secundo die, & quæcumque ei iusserat accessit ad puellam. Et cum mulier ascendisset super petram, adorauit puellam procumbens in faciem: & eduxit omnia ex naui. Puella verò rogauit virum vt secederet in nauiculam, vt virili habitu
*Reiectis muliebribus vestimẽtis, induit viriles puella à naufragio liberata.*
indueretur. Cum ipsa autem secessisset, simul exuit vestes muliebres & induit vestes viriles, nempe pileum & virilem tunicam contextam ex pilis. Post hæc dixit mulieri. Rogo te Domina, dum panis & aqua ad me affertur, fac vt lanam quoque ad me afferas, & cum parauero reddam tibi, ne panem gratis comedam. Has quoque meas vestes tibi habe ad mei monimentum. Hæc cum dixisset, dimisit eos in pace.

*Afferũtur ipsi necessaria à Nauclero, eiusque vxore.*
*Nota abstinentiã huius puellæ.*
*Ætas sanctæ Photinæ puellæ cum venit ad rupem.*
*Moritur.*
*Nota decentissimã compositionẽ corporis mortui B. Virginis Photinæ.*

Tertio autem quoque mense accedebant ad eam Nauclerus & vxor eius, ei afferentes quæ necessaria erant ad alimentum. Beata autem fundebat interdiu duodecim preces, noctu autem viginti-quatuor. Alimentum autem eius erat in duobus diebus libra panis, & aquæ poculum vnum. Sicque perfecit ocursum suum. Erat autem cum venit ad petram, nata annos vigintiquinque, in petra verò vixit sex annos. Duobus autem mensibus antequam veniret Nauclerus & vxor eius, tradidit B. Photina Christo suum spiritum.

Postquam autem impletum fuit tempus duorum mensium, accessit Nauclerus, cum vxore sua, & inuenit eam mortuam, & decorè honestéque iacentem, & manus habentem in formam Crucis, os-

que habentem honestè clausum, & similiter oculos diligenter clausos, & vt semel dicam, eam tam honestè iacentem, vt ipsi putarent eam dormire. Erat autem eius vultus post tot dies tanquam flos matutinus, suauem odorem emittens. Attulerunt autem eam Cæsaream ciuitatem Palæstinæ, & renunciauerunt Episcopo. Quamobrem iussit ipse Episcopus eam sepeliri in loco honesto & insigni, cum lampadibus & hymnis, ad gloriam Dei omnipotentis. Amen.

*Vultus eius viuidus.*
*Adducitur Cæsaream, & sibi honorificè sepelitur.*

## NOTÆ.

Proxime ciuitatem Cæsaream, &c. ] *Est Cæsarea vrbs Palæstinæ in littore maris magni, quæ turris Stratonis vocabatur: sed postea ab Herode in honorem Cæsaris nobilius ædificata, Cæsarea est appellata, in qua idem Herodes in honorem Cæsaris magnificam domum albo marmore construxit. Vbi nopos eius Herodes ab Angelo percussus eo quod non dedisset honorem Deo, consumptus à vermibus expirauit. In hac Cornelius Centurio à Petro baptizatus est. Altera est Cæsarea Philippi, à Philippo Herodis filio, in honorem Cæsaris ad radices montis Libani ædificata, vbi duo fontes, Ior scilicet & Dan oriuntur. Tertia Cappadociæ, sic à Tiberio nominata, pulso Archelao, cum ante Masaca diceretur. Quarta Mauritaniæ, nobili portu insignis, ante Iol vocata, quã cum Iuba Ptolomæi Pater muniret, Cæsaream appellauit. Auctor Strabo lib. 17.*

Virtute præditum Martinianum, &c. ] *De S. Martiniano agunt Lippom. Surius, Ribad. & quidam alij recentiores 13. Februarij.*

## VITA S. IACOBI EREMITÆ.
### *Ex Simeone Metaphraste.*

VIR quidam vir, qui solitarium in locum secessit prope oppidum Porphyrionem. Erat verò illi nomen Iacobus. Hic cum breuis huius vitæ vanitati renunciasset, in spelunca quadam quindecim annos habitauit. Tantos autem in virtutis exercitatione progressus fecit, tamque insignis & Deo gratus extitit, vt gratia contra dæmones dignus effectus fuerit, multasque alias curationes Saluatoris nostri Iesu Christi nomine hominibus attulerit. Cum omnes igitur hominis vitam admirarentur, ad eum concurrebant, quorum plerique erant ex impiorum Samaritarũ superstitione. Illos cum ad se venientes diuinus ille vir animaduerteret, ex diuinarum litterarum lectione ipsos multum eruditendo, ad veram fidem conuertebat. Sed qui humano generi inde vsque à principio aduersari cœpit diabolus, & iis præcipuè, qui Christo seruiunt, cùm ex multa illius hominis virtute ac perfecta vita se fugari videret, aggressus est eum persequi, & ex iis locis, quæ supra diximus, expellere. Cùm enim in vnum quempiam Samaritam ingressus fuisset ex eorum numero, qui ab initio veritatem ipsam auersabantur, fecit vt ille vniuersos ad se pertinentes amicos, consanguineos ac seruos ad insidias sancto viro struendas, in vnum colligeret, quò eum ita irretitum, posset è regionibus illis propulsare. Omnes igitur cum ad sacerdotis sui diuersorium conuenissent, & multa essent machinati, vna omnium sententia hæc fuit, vt impudentem atque inhonestam mulierem ad se accerserent, si ipsa Dei seruum Iacobum illecebris suis corrumpere posset, vt ansam aliquam arripientes, virum cum dedecore è sua regione fugarent.

*S. Iacobus relictis mundi vanitatibus degit in spelunca.*
*Habet gratiã expellẽdi dæmones.*
*Multos infideles ad fidẽ conuertit.*
*Diabolus infidiatur viro Dei.*
*Impij quidam ciui meretricem agunt, vt virum Dei, possint effugare.*

His

His promissis mulier illa inducta, multam noctem obseruans, ad ipsum adiit, ac ianuam pulsans cum rogabat, vt ipsam intromitteret. Cúmque ille moraretur, & diutius id se facturum recusaret, illa nihilominus impudenter ianuam pulsare pergebat, & multis precibus eum obsecrare, vt ipsam admitteret. Cum igitur ille ianuam patefecisset, & eam vidisset, spectrum aliquod cernere sibi visus est, seque Crucis signo muniens, ianuam ipsam cum impetu clausit, atque in cellam reuersus, ad Orientem solem se conuertit, & Deum attentè precatus est. Non multo autem tempore postea cum media nox præteriisset, non desinebat mulier illa pulsare ianuam, quintiam magna voce, Miserere, inquit, mei tu qui Dei seruus es, & aperi mihi ianuam, ne ante cellam tuam ferarum cibus efficiar.

*Impudens mulier viro Dei fit molesta, vt introducatur in cellam ipsius.*

Cúmque iustus ille vir hęc cõsiderasset, & ferarũ multitudinem, quæ erat in illis locis animaduerteret, ianuam ipsam inuitus, vt ita dicam, patefecit, eique dixit, vnde huc venisti? Quem quæris? Et vnde es? Cui mulier. E Monasterio, inquit, hoc propinquo ego sum, meque Monasterij præses ad ferendas benedictiones in hoc castellum misit, ac dum reuerterer in Monasterium, hoc in loco nox me oppressit. Rogo igitur te, vt miserearis mei, & apud te accipiat ne ferarum præda efficiar. His igitur verbis ille commotus, eam ad se introduxit, panemque, & aquam illi apposuit, & interiorem cellam ingressus, seipsum illic inclusit, mulliere in exteriore cella relicta. Illa verò cum cibum sumpsisset, voluit paulisper quiescere. Posteà cœpit vociferari, & cum lamentis ad ianuam se diicere, virumque sanctum implorare. Ille verò è fenestra prospiciens, eamque videns angustiis, & multo dolore compressam, dubitabat quidnam ei diceret, aut faceret. Tunc illa. Precor te, inquit, vt me respicias, & signo Crucis munias, quoniam dolore cordis opprimor. His ille auditis exiit, & statim igne multo accenso, prope mulierem sedit, ac sinistra manu igni admota dextera sacrum oleum sumpsit, & eam calefacere cœpit propriæ manus calore, neque desinebat eius pectus Crucis signo munire.

*Tandem admittitur ne ferarum dentibus pateat.*

*Fingit se vrgeri doloribus, vt magis decipiat.*

*Ex simplicitate credens eam dolere, aliquod leuamen ei afferre satagit.*

Illa igitur impudentiæ stimulis impulsa, cum irretire eum vellet, & in turpem libidinem concitare; Rogo, inquit, te diutius cor meum vngas, vt dolor, qui me comprimit iam desinat. Ille, quæ erat eius simplicitas, mulieri credens, quæque ad eam curandam pertinebant, attendens, simulque fraudem praui dæmoniis sciens, ac metuens, ne fortè ex multa in eam commiseratione sempiternam infirmitatem sibi afferret, duabus, vel tribus horis constanter sinistram manum in ignem iniectam detinuit, ita vt digitorum compages combustæ deciderint. Hoc ille faciebat contra diabolicas machinas militans, vt propter intolerabilem illum dolorẽ, ex ignis flamma proficiscentem, nulla pessima cogitatio in eius animum irreperet. Quod cum admirabiliter ab eo fieri mulier videret, & ipsa respiceret (totam enim sancti viri manum ferè igne consumptam videbat) lacrymans atque ingemiscens, ad sancti viri pedes se deiecit, & propriis manibus pectus pulsans, clamabat: Hei mihi miseræ, & excæcatæ, hei mihi, quod diaboli domicilium facta sum. Hæc cum sanctus vir audiret, atque obstupesceret: Surge, inquit, mulier. Hoc dixit, & admodum festinanter è solo illam erexit, & attentas preces ad Deum mittens: Nuncia, inquit, mulier quid hoc sit. Vixque ad se reuersa, quo pacto res se habebat, singulatim exposuit, aperiens quas praui Samaritæ, vel diabolus

*Trium horarum spatio iniectam manum in ignẽ detinet, vt sic vincat tentationem carnis.*

*Videns mulier tantam viri Dei constantiam respicit, & deflet peccatũ suũ, & narrat ad quid venisset.*

potius, aduersus iustum virum insidias machinatus fuerat. Qua re audita, Dei seruus magnopere ingemuit. Cúmque Dei gloriam celebrasset, & lachrymas multas emittens, Deo gratias egisset, illam catechismo instruxit, eique benedictiones impartitus, misit ad sanctissimum Alexandrum Episcopum.

*Catechizata à beato Martiniano mulier remittitur ad Alexandrũ Episcopum, à quo sacrum baptisma suscipit, & in Monast. virginum collocatur. Fugãtur impij Samaritæ.*

Mulier verò cum ad Ecclesiam venisset, totã vnãquãque rem ordine Deo ipsi primũ, deinde, & sanctissimo viro cõfessa est, qui & ipse cum plurimum eam instruxisset, & eorum malorum quę cõmiserat, valdè pœnitentem videret, immortalitatis lauacrũ ei dedit, & mulierem ipsam ad virginum Monasterium misit: omnem verò populum religiosum, & Christi amatorem clerum cum congregasset, ex vrbe, & regione illa omnes Samaritas expulit, ac postea Dei seruum Iacobum adiit, eumque vt bonus pater multum confirmauit. Ita verò, & mulier supradicta per pœnitentiam Christo seipsam obtulit, vt & chara Deo esset, & aduersus dæmones gratiam acciperet.

*Signo Crucis dæmonem de corpore puellæ expellit beatus Martinianus.*

Facto autem interuallo quodam temporis, filia cuiusdam viri, qui principem locum in senatu obtinebat, impuro spiritu agitata nominatim sanctum virum illum inuocabat. Cum igitur eius parentes ad Dei seruum eam duxissent, ipsum rogabant, vt puellæ iuuentutem misericordia prosequeretur, & impurum spiritum ab ea expelleret. Cúmque sanctus vir pro ea Deum precatus esset, & manus super illam imposuisset, statim diuina ope dæmonem expulit, & puellam curauit. Eius igitur parentes cum & Deo, & ipsi gratias egissent, trecentos aureos nummos ei miserunt, quos non solum iustus ille vir accipere ausus non est, sed ne videre quidem eos passus fuit, dicens eisque persuadens, non decere diuinarum rerum mercaturam facere, sed pauperibus illos potius dare. Ego enim, inquit, eos non accipio, nam in solitudine degens, istis non indigeo. Itaque gratias Deo agentes homines illos in eorum domos remisit.

*Sanat paralyticum.*

Aliquando verò cum adolescens quidam à dæmone tentatus fuisset, vtroque pede dissolutus fuit, quem eius consanguinei baiulantes, ad sanctum virum tulerunt, eum rogantes, vt pro ipso Deum precaretur. Ille autem cum tres dies ieiunasset, & diuinis precibus operam dedisset, paralyticum hominem sanum restituit, cui & benedixit, iussitque propriis pedibus in suam domum reuerti. Multi alij ad eundem veniebant, qui cum diuersis morbis laborarent, omnes diuina ope per ipsius preces curati, ad suas domos reuertebantur.

*Item & alios diuersis morbis laborantes.*

*Fugit honores.*

Cum autem ille Dei seruus se ab hominibus multum honorari videret, & casum qui ex honore ipso multis euenire solet, valdè metueret, locum illum reliquit, & fugiens abiit procul ab vrbe illa quadraginta milliaribus. Cumque apud petras, quæ sunt ad ripam fluuij, spelunca magnam inuenisset, triginta annos illic habitauit, in precibus & hymnis totos dies ac noctes insumendo. Nutrimenta verò ipsa multo tempore ex herbis, quæ prope fluuium nascebantur, sibi cõficiebat, postea paruũ quendam hortum ad ripam fluminis eleganter constituxit, atque in eo aliquot horis diei opus faciens, ex eo ipso cibum sibi comparabat. Ita verò eius vita celebrabatur, vt è viginti, & triginta Monasteriis Monachi, & clerici ad eum venirent, multique alij ex iis qui mundi rebus occupantur, ad eũ se conferrent, vt eius benedictionem acciperent, & ab eo confirmari possent.

*Habitat in spelunca.*

*Vescitur herbis.*

*Multi ad ipsum confluunt, vt possint ab eo benedici.*

Sed talis ac tantus vir, tantaque gratia dignus effectus



effectus, fortasse elatione vel superbia captus, in ipsum, eumque omnium grauissimum incidere permissus fuit. Nam sceleratissimus humani generis inimicus, qui contra homines rectam & Deo gratam vitam degẽtes, propriam exercet inuidiam, in puellam quandam ingressus, cuiusdam diuitis filiam, cœpit clamare, & Sanctum Iacobum nominatim appellare, ita vt parentes puellæ circumirent, & vbique diuinum illum hominem inuestigarent, neque Monasterium, neque desertum aliquem locum relinquentes. Quem cum inuenire non possent, postea solitarium quendam hominem in eo loco, quem supra diximus, esse cognouerunt. Pater igitur seruos suos secũ habens, & puellam iubens vna cũ matre in iumento sedere, & eum sequi, venit in eũ locum, de quo audierat: vbi & ille vir sanctus vitam degebat. Quem cum vidisset, & ad pedes eius se abiecisset: Miserere, inquit, filiæ meæ, quoniam grauiter ab impuro spiritu cruciatur: nam viginti dies sunt, quibus neque cibum, neque potum sumpsit, sed clamat seipsam lacerans, & nomen tuum appellans.

*Ducitur ad eum puella à dæmonio vexata.*

*Nota vim orationis viri Dei.*

Tunc iussit puellam illuc duci. Cumque se diutius precibus dedisset, sic ardenter pro ipsa precatus est, vt & locus in quo stabant, contremuerit. Finitis verò precibus, infudit in illum impurum spiritum, & ait: In nomine Domini nostri Iesu Christi exi ab ista puella. Statimque dæmon ipse, tamquam igne aliquo impulsus, è puella discessit. Illa verò cum in solum cecidisset, multis horis iacuit sine voce: sed sanctus Deum precatus, eam, manu apprehensa, erexit, & parentibus suis reddidit. Qui cum miraculum illud vidissent, diuinam gloriam collaudarunt. Sed metuentes ne impurus ille dæmon reuersus, in eam ingrederetur, ipsum rogarunt, vt puella apud eum duos dies remaneret, quoad omnino à dæmone liberaretur. Puella igitur apud eum relicta, parentes in domum suam reuersi sunt.

*Pellit dæmonem in Christi nomine.*

*Relinquitur puella sola cũ solo Martiniano, vt perfectius curetur.*

Decet autem, sicut initio diximus, ad multorum cautionem, & cælestem hanc vitam exercentium ædificationem, non solum perfectorum hominum rectè facta narrantes, bona tantùm colligere: sed ne malarum artium & laqueorum sceleratissimi illius hostis imperiti sint, qui Deo seruiunt, quemadmodum maximas & veras huius hominis virtutes enumerauimus, ita, inquam, conuenit, & fluctuationem in eum illatam, & inde maximum eius lapsum, enarrare. Dicemus autem deinceps, vt decet, & ea miracula magna atque ingentia, quæ post perfectam eius pœnitentiam, & generosam confessionem per eundem edita sunt. Quo enim nobiliorem exercitationem ac vitam antea egerat, eo maior postea ipsius fuit lapsus. Quanto autem grauior fuit lapsus, eo maior postea ipsius fuit emendatio.

*Etiã sanctorũ lapsus & peccata conuenit enarrare.*

Ille enim pessimus & impius Dei seruorum inimicus, cum puellam quæ curata fuerat, illic solam cum solo relictam vidisset, & velut ansam quandam aduersus iustum hominem arripuisset, libidinosum spiritum in eum immisit: qui tantopere ipsum adortus est, vt qui exercitationis initio, quo tempore impiorum Samaritarum laquei per mulierem, quam suprà diximus, parati fuerant, generoso & forti animo restiterat, quique vt diabolum superaret, per quem mulier aduersus ipsum impulsa fuerat, sinistræ manus iacturam perferre maluerat: is, inquam, vir libidinis stimulo percitus, diuini timoris, & tantæ sanationum gratiæ, ac tam diuturnæ exercitationis, totque laborum oblitus fuerit: &

*Grauiter à spiritu libidinis tentatur.*

*Tentationi succumbens cum puellæ peccatũ perpetrat, licet iam senex, & grandæuus.*

quamuis ad multam senectutem veniisset, victus tamen dæmoni succubuerit, & in eum locum qui ante cellam erat, egressus, puellam ipsam vitiauerit, & impietatis cœno seipsum commacularit. Deinde verò tanquam primordiis quibusdã dæmoni oblatis, coactus est superiori malo & alterum addere. Cum enim corruptor ille serpens verereretur, ne Iacobus ipse resipiscens ad emendationem veniret, quæ per pœnitentiam his præbetur, qui eam syncero animo inquirunt, ei viro, quem, vt sibi videbatur, captiuum ducebat, suggessit vt superiore peccato maius quiddam perpetraret. Quasdã enim timiditatis cogitationes cum in eius mentem iniecisset, auctor illi fuit vt puellam à se vitiatam interficeret.

*Puellã quam corruperat, interficit.*

Eo igitur peccato superatus, eius quoque cædem patrauit, sperans scilicet ea re fieri posse, vt eius puellæ parentum molestiam vitaret. Sed neque eo scelere contentus fuit vetus ille malorum auctor diabolus, sed aliud etiam addidit, vt non solùm interfectæ puellæ reliquias sepulturæ non mandaret, sed eas etiam in aquas fluuij sine misericordia aliqua proiiceret. Talis est superbiæ & arrogantiæ fructus. Nisi enim eiusmodi peccato Monachus ille se subiecisset, prauus hostis, tanquam in breue aliquod nauigium vim omnem ac ventorum æstum effundens, eum senem nequaquam dedecorasset, à quo adhuc iuuene victus fuerat: quem postea & ipse vicit, eo quod nimis elatum sensit.

*Corpus extinctæ puellæ in flumẽ proiicit.*

Sed tamen egregia Christi, summorum bonorum largitoris, in homines beneuolentia, qui omnes homines mauult saluos esse, quàm perire, ei qui lapsus fuerat atque humi iacebat, manum porrexit, & pœnitentiæ remediis insanabilia & graueolentia proprij figmenti, hoc est, eius viri vulnera curauit, iisdem ac maioribus gratiis post pœnitentiam eum decorauit. Hæc autem in medium proferre coacti sumus, vt sicut superiorem eius vitam cognoscentes Deum laudauimus, & quomodo lapsus fuerit audientes in tristitiam incidimus: ita & synceram ipsius pœnitentiam ediscentes, non nobis ipsis confidamus, sed in benignissimo Deo, ex quo gratiæ omnes proficiscũtur, spem collocemus, qui & nobis stantibus dat pœnitentiam, vt perfectè stare possimus, & pigritia cadentes sua manu sustentat, ac pœnitentes pro sua in humanum genus charitate amplectitur. Etenim qui tot & talia mala patrauit, quorum vnumquodque gehennæ obnoxium eum faciebat, Dauidis exemplum imitandum sibi proposuit, quo à lapsu erigi posset. Nã & Dauid post adulterium rerũ ordinem peruertit, & pro eo quod adulterij sui pœnas dare debuisset, cædem etiam addidit eius viri, cui prius iniuriam fecerat.

*Corpus extinctæ puellæ in flumẽ proiicit.*

*Datur ei à Deo pœnitentiæ locus.*

*2. Reg. 11.*

Ille igitur cum animaduerteret, quemadmodum Deus ipse ac benignus Dominus, Dauidis oratione placatus, statim peccata ei condonauit, ad pœnitentiæ portum confugit, sola spe ad animæ ipsius emendationem gubernatrice vsus. Cùm enim ad se rediisset, & è somno, vt aliquis diceret, excitatus esset, in cellam suam ingressus est, seque in terram cum abiecisset, intolerabiles gemitus emittebat, pectus suum valde percutiens, & lacrymarum riuulos emittens. Sed neque sic ab eo discessit impurus & sceleratissimus diabolus. Nam cum eius viri propositum ac voluntatem ferre non posset, cœpit desperationis cogitationes in eius animum iniicere, cum eiusmodi pessima initia aduersus humanum genus ex Iudæ ipsius desperatione inferre co-

*Mirũ in modum deflet peccatum suum.*

*Diabolus ei desperationẽ suggerit.*

*Cogitat redire ad ſeculũ.*

natus eſſet. Ille igitur ad ſeculi conſuetudinem ire decreuit. Sed benigni Chriſti voluntate factum eſt, vt iter faciens, in Monaſterium quoddam veniret.

Ad eos igitur Monachos, qui illic erant, ingreſſus, ipſos ſalutauit: qui cum eius pedes lauiſſent, & panem ei appoſuiſſent, rogabant vt cibum ſumeret. Ille verò cum neque eos ferè audire pateretur grauem gemitum emittens: Hei mihi, inquit, miſero, quomodo potero in cælum oculos erigere? Quomodo ipſius Chriſti Domini nomen audebo inuocare, quem reprobaui ac dereliqui? Quomodo audebo aliquid ex ipſius bonis attingere, qui anima & corpore adultero contra ipſum fui, & intemperantiæ libidinibus meipſum commiſcui? Cũque cœpiſſet narrare, quo pacto res ſe habuerat, illis omnia confeſſus eſt: qui multa triſtitia ob eam rem affecti, & his quæ diuerſis modis paſſus fuerat, commoti, pro viribus eum conſolati ſunt. Cumque benedictiones ei dediſſent, & multas atque attentas preces pro eo ad Deum miſiſſent, illum à ſe dimiſerunt.

*Quibuſdam Monachis cõfitetur peccatum ſuum.*

Cum autem iter faceret, frater quidam ei occurrit, verè Chriſtum in ſeipſo habens. Qui cum eum ſalutaſſet, coëgit in ſuam cellam diuertere. Cũque eius pedes lauiſſet, & omnia charitatis officia illi præſtitiſſet, panem appoſuit, ipſum adhortatus eſt, vt particeps fieret harum benedictionum, quas Deus miſiſſet. Ille verò cum peccatorum ſuorum ſibi conſcius eſſet, pectus ſuum pulſans, diu recuſabat cibum ſumere. At Dei ſeruus, apud quem ille diuerterat, ad ipſius pedes ſe abiecit, eum conſolans, & iureiurando affirmans, ſe non prius è terra ſurrecturum, quàm promiſiſſet, ſe illorum quæ appoſita fuerant, participem futurum. Id cum ille promiſiſſet, Dei ſeruus è terra ſurrexit vt cibum ſumeret.

*Benignè excipitur à quodam fratre.*

Poſtea verò quàm ambo panem guſtauerunt, & Deo gratias egerunt, rurſus vna ſedebant. Tunc is à quo Iacobus hoſpitio acceptus fuerat, ipſum affatus: Inſtrue, inquit, pater, me in Chriſto filium tuum, & cor meum confirma, quoniam multis & variis cogitationibus valde ſolicitor. Tunc vlulans Sanctus Iacobus, & cum lacrymis, gemitibus, & lamentis ſuum pectus verberans: Sine, inquit, frater me flere, & grauia peccata mea, quæcumque impiè aduerſus Deum auſus ſum, lamentari: quoniam in hac mea vana, & turpi canitie, tanquam puer, à diabolo ſupplantatus, in interitum omnino immerſus ſum. Malis enim, quæ iuuenis toleranter vici, nunc in ſenectute inhoneſtè me gerẽs, ſuccubui, cum in graueolentis ſtupri cœnum meipſum coniecerim, & alia his grauiora peccata commiſerim. Hæc cum ille audiſſet, multo dolore affectus eſt: eumque rogauit, vt ſingulatim fraudem diaboli narraret, hæc duo ex ea re procurans: primum, quod ſperabat peccati confeſſione ad pœnitentiam illum virum prouocandum: deinde, quod ex fratris lapſu cautionem ſibi in poſterum parare cupiebat. Ille igitur ſic narrare cœpit.

*Rogatus ab eo cauſam dolorum edicere cogitur.*

Cùm exercitatione accurata & valde laborioſa vſus fuiſſem, & Deo ipſi quinquaginta annos innocenter ſeruiuiſſem, poſtquàm multam à benigno Deo gratiam accepi, multaque miracula per me ſceleſtum facta ſunt, poſtremò ſatanas in puellam quandam ingreſſus fuit: cuius parentes cum audiuiſſent Chriſti gratiam mihi adeſſe, illam ad me duxerunt, vt curari poſſet. Cumque me rogaſſent, vt pro illa Deum orarem, id feci, & diuina ope factum eſt, vt impurus ſpiritus ab illa recederet. Illi cum omnino eam curari cuperent, duos dies puellam apud me reliquerunt, ipſique in domum ſuam reuerſi ſunt. Mente verò excæcatus ego, ad illam exij, & libidinis ſtimulo ſuperatus, neque Deum illa hora in mente habens, neque quod tam diuturnæ exercitationis labores perderem cogitans, ſed omnia (vt ſummatim dicam) oblitus, & gehennam contemnens, ad ſtupri pernicioſam ruinam cecidi. Cumque puellam vitiaſſem, malo malum curare volui: quimmò minori malo maius addidi. Nam dedecoris illius auctor dæmon me inuadens, eiuſdem puellæ cædem in mentem ſuggeſſit. Itaque poſt ſtuprum, quod intuleram, illam ipſam interfeci, eiuſque corpus in fluuium proieci. De mea igitur ſalute deſperans, diſceſſi, & nunc in mundũ reuertor. Quomodo enim in cœli altitudinẽ oculos erigere potero? Nam ſi Chriſtum ipſum nominare auſus fuero: nunc ignis de cælo deſcendens, ſtatim me conſumet.

Hæc & talia cum ille multis lacrymis & gemitibus enarraret, alter Dei ſeruus hæc audiens, diuina gratia compunctus, in eius collum cecidit, eũque oſculans: Quæſo, inquit, frater, ne animo decidas, neque de ſalute tua deſperes: ſed credẽs pœnitentiæ locum eſſe, lacrymas fundẽs benigno Deo confitere. Multum enim miſericors eſt Dominus, & multa eſt miſericordia, qua nos ſemper proſequitur. Quoad tempus habemus pœnitentiam agamus. Nam ſi pœnitentia non eſſet, quomodo Dauid poſt prophetiæ donum, poſt regnum, poſt Domini teſtimonium, in adulterij & cædis barathrum lapſus, verbis & re pœnitentiam oſtendens, talium peccatorum remiſſionem aſſequi potuiſſet? Si pœnitentiæ locus non eſt, quomodo B. Petrus Apoſtolorum princeps, primuſque diſcipulus, qui claues cæli à Deo accepit, cùm Dominum Chriſtum, non ſemel, non bis, ſed ter negaſſet, & poſt hæc amarè fleuiſſet, non ſolum peccati eius remiſſionem impetrauit, ſed maiore etiam honore dignus fuit habitus rationalium Chriſti ouium paſtor effectus? Niſi pœnitentia eſſet, quomodo eum, qui apud Corinthios fornicatus fuerat, aſſumi Apoſtolus mandaſſet? Ne, inquiens, circumueniamur à ſathana. His & talibus verbis cùm eius animum valde confirmaſſet, verus & miſericors frater, eum rogauit, vt ſecum vna maneret. Cumque ille nollet, ad eius pedes Dei ſeruus ſe abiecit, eoſque oſculatus, illum orabat, ne ab eo ſepararetur, cogitans ac metuens, ne aliquo modo in deſperationem incideret, & animam ſuam omnino perderet. Cum verò vehementer eum admonens, rogans, atque obſecrans, illi perſuadere non poſſet, ſanctus vir anguſtiis compreſſus, & ſpiritu ingemiſcens, atque pro eo magnopere Deum precatus, illum dimiſit, cum benedictiones etiam dediſſet, quibus in via vteretur. Cumque vna cum illo vſque ad quindecim milliaria iuiſſet, non deſinebat ipſum hortari, longam de pœnitentia orationem habens. Eum deinde amplexus, & cum lacrymis oſculatus, ac pro ipſo Deum precatus, in cellulam ſuam reuerſus eſt.

*Conſolatur à fratre, & ad pœnitentiam adhortatur.*

*2. Corinth. 2.*

*Nota fratris erga Iacobum inſignẽ charitatem.*

Iacobus autem cùm viæ quæ in mundũ ducebat, ſe dediſſet, in itinere erat: cúmque partem quandã viæ tranſegiſſet, & paululum declinaſſet, vetus quoddam ſepulchrum inuenit, ad figuram ſpeluncæ factum, in quo plurima mortuorum oſſa repoſita erant, quæ temporis vetuſtate ferè vt puluis euaſerant. Quò ingreſſus, cum oſſa illa in vnum collegiſſet,



*Pœnitet incluſus in ſepulchro.*

ſet, in quodam monumenti angulo ear epoſuit, cũque veterem ſpeluncæ ianuam occlùſiſſet, & genua in terra poſuiſſet pectus verberans, magno cum eiulatu ac lamentatione ita Deo cõfitebatur. Quomodo ad te Deus oculos erigam? Quale confeſſionis meæ initium faciam? Quo animo quaue conſcientia fretus, impiam linguam, & labia ſordibus plena mouere aggrediar? Primum cuiuſnam peccati remiſſionem petere audebo? Da veniam benigniſſime Domine, eſto propitius mihi indigno, bone Domine, neque perdas me cum turpiſſimis factis meis, non enim paruæ ſunt impietates meæ. Stuprum commiſi, cædem feci, ſanguinem innocentem effudi. Ad hæc omnia miſerum corpus aquis, feris, ac volucribus eſcam dedi. Et nunc Domine, tibi ſcienti omnia confiteor harum rerum veniam à te poſtulans. Ne me deſpicias Domine, ſed pro tua miſericordia, & in homines charitate, miſerere mei hominis impij atque indigni, & mihi copioſam miſericordiam tuam impertias, omnemque iniquitatem meam remitte, ne in peccati profundam voraginem demerſum obruat me vaſtatoris inimici procella, ne draco abyſſi me deuoret.

*Per ſpatium decem annorum de ſepulchro non proceſſit, nec quemquam allocutus eſt.*

Hac conſtanti pœnitentia, & confeſſione vſus decem annos in ſpelunca tranſegit, vel in ſepulchro potius duram vitam tolerans, è loco nõ exiit, neque cum aliquo verſatus eſt, neque quenquam allocutus, ſed amaris lacrymis, gemitibus, & lamẽtis intolerabilibus, multaque compunctione omne tempus tranſegit, bis in hebdomada ianuam ſpeluncæ aperiens, & olera, quæ erant prope oſtium ſepulchri, vbi ipſe manebat colligẽs, ex quibus tantum comedebat, quantum ſibi ſatis eſſe putabat, atque in ſpeluncam reuertebatur, multas Deo gratias agens, omnique tempore precibus, vigiliis, & confeſſionis perſeuerantiæ dans operam. Quamobrem benignus Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed conuerſionem, & vitam tantum, tam multum laborem non inanem, neque inutilem paſſus eſt. Eius enim puram, & diligentiſſimam pœnitentiam attendens, & tantorum & talium peccatorum veniam ei dedit.

*Veſcitur herbis iuxta ſepulchrum naſcentibus.*

*Tota regio magna ſiccitate laborat.*

Cúmque, & ſancto illi homini, & omnibus aliis pœnitẽtiam manifeſtã Deus ipſe facere vellet, permiſit vt vehementiſſimus ſqualor, & pluuiæ penuria totam illam regionem detineret. Itaque poſt multa ieiunia, preces, & ſupplicationes, reuelatum fuit ciuitatis illius Epiſcopo viro ſancto, & Deum metuenti, eſſe quendam hominem ea in regione in ſepulchro habitantem, habitu quidem humilem, ſed ſpiritu, & animo ſanctum, qui ſi ab ipſis perſuaſus, Deum precatus fuiſſet, omnia mala quæ illi regioni imminerent, auerteret. Sanctiſſimus igitur Epiſcopus cum toto clero iuſſit omnes congregari ad viſionem illam audiendam, quam eis narraturus erat, vt cum ſupplicationibus ad ſpeluncam ſibi reuelatam, ad eum diuinum hominem adirent. Cum id factum fuiſſet, & ad eum locum veniſſent, iuſtum illum hominem inuenerunt, multiſque precibus ab eo petierunt, vt eorum regionis miſereretur, & Deum precari vellet, ab eoque impetrare, vt populo ſuo reconciliaretur, & præſentem ſqualorem depellens, pluuiam in eorum terram demitteret. Ille nihil omnino eis reſpondens, ſuum pectus verberabat, neque in cœlum oculos erigere audens, id tantum dicebat: Propitius eſto, Chriſte, multis meis impietatibus.

*Reuelatur Epiſcopo Iacobi ſanctitas, & vt ad eum cum populo pro impetratione pluuiæ pergeret admonetur.*

Epiſcopus verò cum in ſupplicationibus atque hortationibus perſeueraret, neque reſponſum aliquod ab eo reciperet, illo relicto, qui eo venerant lamentantes reuerſi ſunt. Cumque ad Eccleſiam veniſſent, illi rurſus lacrymantes, & ſupplices à benigno Deo malorum liberationem quærebant. Cum verò multis diebus lamentantes, atque ieiunantes Deum implorarent, vt eis ſubuenire vellet, iterum eidem Epiſcopo reuelatum eſt, & clara vox audita fuit, quæ ita dixit: Abi ad ſeruum meum Iacobum, quem tibi iam reuelaui, eique perſuadeas, vt de his rebus me orare velit, eo enim orante, iis malis, quæ regioni impendent, liberi eritis.

*Rogatus ab Epiſcopo, & populo, vt oratione beneficium pluuiæ impetraret, tactus dolore peccatorum nullum eis dat reſpõſum.*

*Iterum monetur in viſione Epiſcopus, vt cum populo ad virum Dei redeat.*

Reuerſus igitur cum toto clero, & populo ſanctus Dei Sacerdos, pergebat diuino homini ſupplicationes offerre. Tunc ille inuitus (vt breui dicam) & multis ſupplicationibus adductus, & ab illo ſancto Epiſcopo perſuaſus, quod diuina reuelatione ad eum miſſus veniſſet, erectis in cœlum oculis multo tempore attentas preces habuit, cumque adhuc in eius ore preces eſſent, bonus & miſericors Deus, qui omnia ſe metuentibus abundè, & facilè largitur, re ipſa illud diuinarum litterarum dictum implens: Adhuc te loquente, dicam, Ecce adſum, pluuiam multam in terram demiſit. Quam maiorem in modum admirati, hymnum pro gratiis agendis miſericordi Deo, & eius magnificentiæ cecinerunt, ac reuerſi ſunt; diuinam verò gloriam celebrantes, eius ſeruos beatos prædicabant, qui per virtutis exercitationem, tali ac tanto honore, & gratia digni efficerentur.

*Orante Iacobo Deus pluuiæ beneficiũ elargitur.*

Eo igitur maximo beneficio à benigno Deo adiuti, & diuina illa plaga liberati, quæ per Dei ſeruũ Iacobum repulſa eſt, ad hodiernum vſque diem per ſingulos annos illius diei memoriam celebrãt, quo ariditate illa aërea libertati ſunt, & hymnos, ſupplicationes, & gratias aſſiduas Chriſto agunt. Multi verò diuerſis morbis detenti è populo ipſo, vna cum Epiſcopo conſolationis, & curationis cauſa ad Dei ſeruum Iacobum confugiebant, quos ille oleo ſancto vnctos, & Chriſti nomine benedictos, ita ſanabat, vt domum reuerſi, gloriam Deo collaudarent, qui per ſeruum ſuum curationem ipſis attulerat. Omnes igitur qui ciuitatem ac finitimã regionem habitabant, ægrotos ſuos ad eum ferebant, vel rogabant, vt ipſis abſentibus, pro eorum ſalute ipſe Deum oraret, ac ſtatim diuina ope curationem aſſequebantur, tanta enim illi gratia collata eſt, vt vel ſolo ſermone ſtatim impuros ſpiritus fugaret.

*Multos ægrotos, & languidos deinceps ſanat beatus Iacobus.*

*Etiam ſolo verbo fugat dæmones.*

Eodem autem ipſo anno, quo acerbiſſima illa ſqualoris plaga repulſa eſt, Dei ſeruus Iacobus accerſiuit ſanctum Epiſcopum, eumque rogauit, vt ſpeluncam, hoc eſt, ſepulchrum curaret, & ab eo petiuit, vt mortuus illic ſepeliretur. Id cum ille ſe facturum promiſiſſet; & in vrbem reuerſus eſſet, poſt paucos dies beatus Iacobus in ſenectute bona obiit, quintum & ſeptuageſimum annum agens. Quod cum religioſus Epiſcopus cognouiſſet ad eũ cum toto clero, & probis laicis acceſſit, qui cum aromatibus pretioſis eum condiiſſent, venerandas eius reliquias in ipſo monumento depoſuerunt. Quo in loco vſque ad hodiernum diem multi curantur, ac tota ciuitas, & finitima regio eius memoriam ſingulis annis celebrat.

*Tandem moritur in ſenectute bona B. Iacobus, & ab Epiſcopo, & Clericis honorificè ſepelitur.*

## *N O T Æ.*

Prope Porphyrionem.] *Eſt Porphyrio, vel Porphyreon, vel Porphyrete, Oppidum in ea parte Arabiæ, quæ Ægypto contermina eſt. Eſt etiam Porphyrio, auis collum habens oblongum, & anguſtum, crura prælonga, eaque rubentia, quemadmodum & roſtrum, ſola auium morſu bibens, cibumque prius aqua tinctum altero*

 *pede,*

*pede, veluti manu ad rostrum afferens. Auctor Plin. lib. 10. c. 46. Ælianus lib. 14. cap. 35. tradit Porphyrionem muliebris pudicitiæ obseruatorem esse, matrisque familias adulterium suspendio, suo Domino indicare.*

Iacobus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis 28. Ianuarij. Agunt de eodem Surius, Lippomanus, & quidam recentiores.*

## VITA ALTERIVS S. IACOBI EREMITÆ. Ex Procopio lib. 1. de bello Persico.

*S. Iacobus inclusus in cella vacat cōtemplationi.*

IACOBVS inter Syros vir admodum iustus, qui & in rebus diuinis exercebatur in vico ab Amida vnius diei iter distante, iampridem sese incluserat, vt affatim quæ sunt ad pietatem, meditari posset. Hic ei addicti homines, in breui spatio cancellis interseratis, vt videri ab audientibus, ac passim consuli posset, ipsum incluserunt, vbi neque æstus, neque frigus curans, tantum ex seminibus victitabat, non quotidie, sed interuallo dierum multorum sumptis. Hunc igitur Persæ quidam excurrendo ad ea loca, sagittis petere tentantes, diuino portento, manus arcusque immobiles visi sunt cōsistere, ac fama in castra Persarum perlata, Cabades eum visum statuit, quo animaduerso, horrore simul cum Persis qui aderant captus, Barbarorum noxam deprecari cœpit.

*Viuit in sūma abstinentia.*

*Impij quidā eum sagittis confodere tētantes, redduntur immobiles.*

Ille verò tantum verbo malum hoc perpulit, ex quo homines illi liberati, & in pristinum restituti fuere statum. Tunc Cabades pro meritis ei quod vellet optionem dedit, putans eum magnas opes petiturum, tantum ab eo postulauit, vt homines qui in hoc bello ad eum visendum secederent, saluos esse vellet, quod Cabades facilè concessir: insuper syngrapham pignoris loco ac tutelæ dedit. Hoc itaque rumore peruagato, plurimi ad eum confugientes seruabantur.

*Venit ad eum Cabades Rex Persarum.*

*Solo verbo eos qui eum confodere voluerant, liberat.*

*Postulat & impetrat à Rege vt omnes ad se confugientes salui fierent.*

### NOTÆ.

Iacobus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio 6. Augusti, & in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 503. tēpore Anastasij Imperatoris. Amida tamen capta fuit à Cabade Rege post sex mensium obsidionem. Inueniuntur & alij eiusdem nominis Sancti Eremitæ, de quibus Theodoretus in Philotheo.*

## VITA S. ANTHVSÆ VIRGINIS. Ex Menologio Græcorum.

*Constantinus Caballinus Imper. Iconoclasta.*

*S. Anthusa diu Anachoreticam vitā duxit.*

TEMPORE quo Constantinus Caballinus Græcorum Imperator, persecutionē aduersus sanctas imagines, & earum cultores mouebat, erat quædam virgo Anthusa nomine, quæ Anachoreticam diu exercuerat vitam. Cognita autē quod coleret venerandas imagines, cogebatur negare cultum earum. Cum autem acquiescere nollet, dirè percussa fuit. At postea Imperatoris vxori parere non valenti, prædicens duos filios eam genituram, masculum alterum, alteram fœminam, à tormentis eximitur, & erga eam Regina sic affecta fuit, vt eam loco matris haberet, & filiam quam peperit, eius nomine Authusam nuncuparet. Demum verò ipsa in pace quieuit.

*Crudeliter verberatur ob cultū sanctarum Imaginum.*

*Prædicens vxori Imperatoris liberos liberatur, & magno in honore habetur.*

*Moritur S. virgo Anthusa.*

### NOTÆ.

Anthusa.] *De qua Mart. Rom. cum Bar. 27. Iulij, & in Annal. Eccle. tom. 9. Est & alia eiusdem nominis martyr, quæ dicitur senior, de qua Mart. Rom. 22. August.*

## VITA S. PAVLI EREMITÆ. Ex iis quæ ex quodam S. viri discipulo collegit Illustriss. Cardinalis Baronius tom. 9. Annalium.

*Patria & parentes S. Pauli Eremitæ.*

BEATISSIMVS Paulus patriam habuit Elæam ciuitatem Pergamo vicinam, patrē Antiochum Comitem naualis exercitus, matrem Eudociam, quæ sanguine propinqua erat Sancto Ioannicio Anachoretæ. Sequutus est autem fratrem Basilium vitam Anachoreticam agentē in Brachianis montibus, quo defuncto, ipse Paulus verticem montis Latri nominati conscendit, in cuius vertice saxum attollitur, columnæ instar, in quo vitam Angelis parem exercuit annis pluribus: locus haud ignotus, quem antea incoluerat S. Athanasius Anachoreta, qui temporibus Michaëlis Imperatoris vixit, eius qui insanam Iconomachorum hæresim complexus est. Ea ergo hæresi sæuiente, reginam vrbium deserens, Latrum montem petiit, & columnam hanc nullius manu laboratam conscendit. Saxum id præcelsum erat, nubes ipsas penè attingens, in cuius vertice natiua spelūca visebatur, quam subiens, duos & viginti annos inclusus in ea mansit. Postea hinc exiens, Monasterio exceptus est, quod Phrygiæ adiacet, nomine Aphapsis, vbi vitam clausit maximis & pluribus miraculis illustrem.

*Basilius S. Pauli frater, vitam agit Anachoreticā in Brachianis montibus.*

*Michaël Imper. Iconoclasta.*

*S. Athanasius persecutionē Iconoclastarū declinās, vitam Eremiticam in spelunca Latrēsis montis, altissima ducit.*

Beatus autem Paulus in hac spelunca degens, in continuis precibus se exercebat, vtebaturque pro cibo quibusdam herbis, & arborum radicibus. Neque ita latere potuit, quin à multis frequentaretur & honoraretur. Nam egregia eius sanctitas conspicuum eum fecit, non Orientali tantum orbi, sed etiā Occidentali; frequentatus enim est vndique Principū legationibus, quod sciretur in primis fide esse Catholicum, & communicatione iunctum Apostolicæ sedi, ad eo vt Petrus Bulgariæ Princeps perhumanis illum epistolis modestissimisque crebrò salutaret, & vt pro salute sua Deum deprecaretur, oraret. Papa etiam Romanus, cum eius aures tanti viri fama implesset, Monachum quendam prouectū ad eum misit, non alia de causa, quàm vt eum salutaret, vitamque ipsius & formam penitus agnosceret: reuersusque postea omnia ipsi vt se haberēt, explicaret. In primis autem coluit eū Constantinus Imperator huius nominis octauus, cuius complures epistolæ adhuc integræ ad eum missæ conseruantur. Omnia quidem detexerè eidem contingebant Imperatori, quæ ex Pauli eiusdem sententia ageret, infœliciter vero si contra. Nam cū pararet classem, quam ille instruxerat sanè numerosissimam, aduersus Cretenses mittere, qui iamdiu insulam illam occupatam adhuc detinebant: scripsit autem ad magnum hunc patrem, vt de illo consuleret bello scilicet. Rescripsit is: nullo modo ex sententia Dei expeditionem illam videri, & hoc quidem ipse.

*S. Paulus in prædicta spelunca solitarius viuit in magna abstinentia.*

*Vndique frequentatur Principum legationib.*

*A sūmo Pontifice Romano etiam honoratur.*

Imperator autem immensarum opum sumptus quos in paranda classe fecerat causatus, consilio non paruit. Quos verò neglecti consilij fructus acceperit, & quomodo missæ copiæ à Cretensibus habitæ sint, norunt omnes, & Imperatorem ipsum haud leuiter pœnituit. Sed haudquaquam in hoc vno pœnitentia stetit; sed quo etiam tempore ad celeberrimū illum inter Sarracenos, Chaundam dico, nomine ipso notissimum pro

*Constantinus Imperator nō parens viri Dei consilio, multa damna & incommoda patitur.*



pro captiuorum Christianorum permutatione Basilium Rhodium misit: tunc etiam monuerat sanctus ne mitteret, inutilemque, & sine fructu suum conatum fore, ex his verò, quæ legato aduersa obtigerunt, didicit ille, quàm inconsulto fecerit, non obtemperando.

*Visitat virū Dei Photius Patriarchā.*

Cum aliquando Photius, qui Patriciatus honore clarus, moribus etiam clarior fuit, afferret litteras huic beato viro, easque illi dedisset, & postmodum ad reditum accingeretur, vnum ab eo Sanctus petiit, vt non manufactæ Christi imagini, quam Mantile sanctum appellare mos est, lineum æquale velum applicaret, idque sibi mittere ne grauaretur. Factum est quod postulabat, missumque velum ex animi sententia, quod cum expandisset, Christi effigiem in eo adamussim expressam, & figuræ figuram exactissimam vidit, aliis autem nihil tale apparebat.

*Nota de sacro Christi sudario.*

Patricio huic Photio, dum apud diuinum hunc patrem versaretur, curæ fuit, externa etiam hæc obseruare, qualis eius facies esset, quales oculi, vox, gressus, & alia: tum in primis quales oculi, & aspectus. Etenim hoc etiam illi in mandatis dederat Constantinus Imperator. Conatus est itaque iussa exequi, sed nulla ratione potuit. Discedens enim deducenti se Simeoni arcanum prodens, fassus est: Conatus, inquit, persæpe in eius faciem oculos defigere, nunquam potui. Nam ex ea tanquam radius quidam solis emissus oculos meos perstringebat, & clandere cogebat.

*Radij lucis ex oculis Pauli prodeunt.*

Demum cum multis, & admirandis claruisset miraculis, tandem prænouit suum exitum fore decimaquinta mensis Decembris, cuius rei causa lætior effectus Sanctorum dies natales hilarior celebrauit. Et aliorum quidem sanctorum memoriæ hilaritatis ansam Paulo dabant: Martyris verò Æchatherinæ non solum voluptate Sanctum replebat, sed propemodum exultatione, & tripudio. Etenim celebrabat illam, non corporis tantum sensu, sed admixta simul spirituali lætitia, aut potius præcipuum id erat, quod spiritui dabat. Ferianti igitur, & sub dio epulanti cum fratribus (multi enim ad eum confluxerant sese suo magisterio subdentes) largus imber imminebat, monachosque surgere parantes ipse inhibuit, & pluuia cursum tanquam iussa repressit, ne gutta quidem, vel tenuis lapsa quoad sublatæ sunt mensæ. Idem verò surgendi initium fuit, & pluuiæ cadendæ: mox enim magno impetu, & copia ferri quasi tessera data cœpit.

*Prænoscit suū obitum.*

*Præcipua deuotione S. Catharinam virginem & Martyrem prosequitur.*

*Pluuiæ cursum prohibet.*

Demum verò sancti Nicolai die, spirituali tantum epulo celebrata mystagogia, cum suis refici voluit, vbi febre correptus, quod reliquum fuit vitæ temporis vsque ad obitum in Dei laudibus perseuerans, & hortationibus ad suos, versum illum Dauidicum insonans: In manus tua Domine commendo spiritum meum, ex hac vita ad Deum recessit: cuius in cœlum migrationis visiones haud dubiæ factæ sunt pluribus, simulque miracula post eius obitum edita.

*Migrat in cælum sanctus vir.*

### NOTÆ.

Paulus, &c.] *Tam de Paulo quàm de Athanasio, plura scribit Baronius tom. 9. Annalium.*

Patriam habuit Elæam.] *Est Elæa ciuitas in Creta Insula, cuius meminit Plinius lib. 4. c. 12.*

Martyris verò Æchatherinæ.] *A Latinis vocatur Catharina, cuius festiuitas 25. Nouemb. celebratur.*

Quasi tessera data.] *Hic tessera sumitur pro signo.*

## HISTORIA INTEREMPTIONIS sanctorum Patrum, qui erant in Syna, & Rhaiti Regione. Ex ea quam scripsit Nilus Monachus. Habetur in Simeone Metaphraste.

CVM post incursionem Barbarorum errarem ego veni in Pharam. Quidam autem ex iis qui aderant, cum audissent me laudare vitam eremiticam, ipsi quoque ex se multa adiiciebant encomia. Dicentes eam esse plenam trāquillitate, liberā ab omni perturbatione, vt quæ animæ statum atque de iis quæ videtur philosophatur silentio, & quiete amplificet, & hac via progredientem ducit prope Dei cognitionem. Quam quidem esse extremum expetendorum, & extremam beatitudinem, omnes qui fuerunt à seculo sapientes, tanquam vna lingua, & vno animo opinantur. Cum lacrymantibus autem defixisque oculis eos attenderem, & miserabiliter admodum eiulassem, sedebam enim valde conturbatus propter eas quæ mihi acciderant molestias, ipsoque vultu manifestè annunciabam meam calamitatem. Postquam illi hæc viderunt, adhuc fortasse volentes producere seriem orationis, cum à recta paululum declinassent, & simul in orbem circumsedissent, & deinde paululum siluissent, rursus loqui aggredientes diligenter, & cum quadam cōmiseratione me rogarunt causam cur sic essem perturbatus. Vbi autem ad eorum rogatum fleui adhuc lamentabilius, (maiorem enim mihi cōmouit animi perturbationem interrogatio eorum quæ acciderant, & rursus coëgit cogitationem res tanquam præsentes intueri; illi rursus statim, Nunquid, dixerunt, ô senex, eorum quæ à nobis dicta sunt aliquid fuit tibi causa doloris? An errotem nostræ deferēs sententiæ, nos dicere falsum deprehendisti? Non paruam enim intrinsecus tristitiam ostendit, & ipse aspectus, & lacrymæ oculorum. Sed sic illi quidem. Ego autem eis dixi.

*Vitæ Eremiticæ encomia.*

*S. Nilus ob passas molestias in magno dolore cōstitutus.*

*Cogitatio præteritarum afflictionum, dolorem auget.*

O patres, & fratres, quid vobis primum dicam? Ad quid autem respondebo, cum iam nubes mœroris menti meæ offundat tenebras? Nam sum quidem ipse quoque vestræ, vt videtis, sententiæ. Solitudinis autem quanta sit vtilitas eam olim sum admiratus. Et cum propter eius desiderium statuissem omnia relinquere, domum, patriam, cognationem, amicos, consanguineos, & facultates, sed ea mihi eum perdidit, qui erat omnium charissimus, & solum, vt videre licet, reliquit desertum ab omni consolatione, & propter eam non finit omnino laudare animi perturbatio, cum desiderij veluti tyrannidem vicerit graue malum, quod accidit. Sed ô stultitiam, progressus sum ad philosophandū relicta filij lamentatione, & mihi inuenit otium cogitatio, quæ nunc quoque nihil aliud suscepit cogitandum præter * Theodosij cædem Mihi enim perpetuo remanet eius simulachrum, alias aliter visione apprehendens variis modis fuisse factam interemptionem, & flebilem vocem mihi audire videor, & eum ob ictum humi se temere volutatem aspicio illa mente apprehendens qua par erat præsentem eū visu didicisse. Hei mihi miserande fili, etiamsi adhuc vixisses esses mortuus. O acerbam seruitutem etiamsi mortem effugisses. O insepultam sepulturam si barbaricus ensis te confecisset. Quid seruitutem lamentabor? Quid mortem deflebo? Nam si viuis superstes (quod non finit vt existimem

*Solitudinem, vt amplecteretur Nilus omnia mundana reliquit.*

** Meilus Theoduli.*

*Lamentatur absentiam quondam filij sui Theoduli.*

existimem probabilitas. Quando enim non fuit manus barbarica prompta ad occidendum, inseruiens iræ quæ semper sitit humanum sanguinem? Quis est tuus vitæ status? Flagella omnino quotidiana, & iussa planè inhumana, minæque citra veniam, & violentia. His quoque accedunt opera grauissima quæ tuas vires excedunt, & custodia quæ caueri nō potest, & libertas quæ omnino est à spe aliena, immò verò metus mortis quotidianus, qui propè habet ensē, eo enim scit barbarus metiri suam iram: vt qui non loris, nec viminibus vti solent ad verbera, sed paruis & magnis delictis vnam pœnam imponat, mortem, quando etiam absque peccato, aut ebrietate debacchans, aut temerario cedens impetui, & inconsideratæ appetitioni facilè aliorum ludere interitum didicit consuetudine.

*Barbarorum describit sæuitiam.*

Sin autem es mortuus: vbinam accepisti occisionem corporis? Vndenam processerunt fluenta tui sanguinis? Quomodo palpitasti atro cruore conspersus, & miseris pedibus mortiferam saltans saltationem? Quomodo supplex fuisti ei qui te interimebat barbaro, eius sæuitiam volens emollire miserabilibus gestibus? Nam alter alterius vocem minimè intelligebatis, in qua quis aptè & concinnè componens precationem, iratam animam sæpe flectit ad misericordiam. Quisnam locus tuum cepit corpus? Quænam feræ tuum corpus dilaniarunt? Quænam aues repletæ fuerunt tuis carnibus? Quodnam sydus oriens vidit tui ventris mysteria, & aspexit ad tua effusa viscera? Quidnam feros ferarum vicit dentes, vt quod vel fuerit reliquum satietati, aut propter duritiem manserit non confectum? quod quidem aprico est soli expositum, & propter solitudinem, sepulturam minimè est consecutum. Si quis hoc allatum mihi dedisset, aut me duxisset, & iuxta id statuisset, haberem saltem aliquam paruam doloris consolationem, tanquam viuum & sentiens relictum membrum alloquens, seu os, seu caro, seu pilus esset, id quod visum fuisset. Nam quorum in calamitatibus moderatæ sunt res aduersæ, habent magnum vt in malis commodum, & se reuera secunda quadam explent voluptate, dū eos qui ad ipsos attinēt in morbo diu curant, & videndi satietatem tempore accipiunt, eisque assident dum deficiunt & agunt animam, & extrema verba audiunt, eosque dum efferuntur sequuntur, & sepulchro vident extremum impositum signaculum. Quæ quidem omnia ei qui luget magnam afferunt consolationem: deductio inquam, & sepultura, & amicorum commiseratio, leuantia animi ægritudinem.

*Quænam lugenti mortuū consolationē afferre possunt.*

Ego autem quonam horum consolabor dolorem, qui nec sciam quidem quomodo sit mortuus, neque mortui habeam simulachrum visione expressum, quale esset in fine? Quorum enim adspectus memoriæ non mandauit figuras, eorum sunt formæ instabiles & minimè terminatæ, & alias aliter expressæ, & simulachrorum varietatibus deceptam cruciantes cogitationem. O malorum incertitudinem, ô dubiam & inopem calamitatem. Nescio quid primùm defleam, quid conquerar ignoro, mortuum lugebo an viuum? vinctum an omnino sublatum è medio? O qui mihi in hodiernum vsque diem fuisti omnium quæ erant in vita socius, & solus captiuus seruitutis fecisti periculum, fuisti socius lōgæ peregrinationis, sensisti mecum ærumnas in terra aliena, fuisti in solitudine particeps afflictionis. Quomodo ergo nunc solus subiisti extremam calamitatem? & solus exantlas mala captiuitatis? Cur ergo propter clementiam ensis, cuius periculum? Cur non me aliis quoque mortuis adiecit crudelis dextera? Sed mihi parsum est, vt mala fortasse maiora experirer. Sed magna quidem animi ægritudo hæc mihi præbet dicenda. Quoniam autem vos quoque video mecum tangi misericordia, & non aliter esse affectos, quàm ipse qui est passus, eius autem quod dico signum est & intensa auditio, & continui luctus, omnia mea vobis sigillatim vt se habent, narrabo, & maximè si vos ad me audiendum breue otium accommodaueritis, & nulla res necessaria vos vocet ad propria.

*Dolet se non fuisse cū aliis Patribus mortis traditum.*

Hæc cum ex illo audiuissent, & vultu, & voce ostendentes se ægrè ferre quod rogassent: Quod aliud, dixerunt, est otium præstabilius, quàm curare cor excruciatum, & exinanire dolorem animæ quæ molestia afficitur? Leuatur enim anima ægritudine, cum narratione eorum quæ sunt molesta, veluti exinanitur animi ægritudo, non secus ac nubes aliqua distillant gutta pluuiæ, vtpote quod caligo paulatim expurgatur, sicut rursus feritur silentio, perinde ac si pus aliquod humidum inflammaret, & in vulnere saliret & palpitaret, & nesciret quonam modo posset egredi & exinaniri. Visi sunt itaque dicere probabilia. Cū illi certè sic dixissent, ego sic promissum exequi incipio, sic dicens.

Mihi misero, ô amici, fuere duo filij, & hic qui mihi modo fuit luctuum occasio, & alter qui remansit apud matrem. Post hos susceptos dissolui cum mea vxore consuetudinem: siue ad successionem generis, siue ad curam gerendam senectutis arbitratus hos sufficere. Me autem traxit quoddam vehemens desiderium vt huc venirem, eramque toto animo erectus ad quietem & silentium, neque aliud poteram animo cogitare aut aspicere præter hoc. Cum ergo iuberet mihi animus vt peregrinarer, nec liceret sic iubenti tyrannicè, accepi filios, erant autem paruuli & planè infantes, & adduco ad matrem, & vnum quidem ei trado, alterū autem apud me detineo, & dixi quod constitueram, & cōstanter asserui fore vt nequaquam ab hac traducerer sententia.

*In seculo duos filios ex legitimo matrimonio suscepit, quorum vnum ad solatiū vxoris reliquit, alterum verò quem lamentatur secum assumit.*

Illa autem prius quoque erudita minimè contradicere, & tunc meum videns vultum rogari minimè ferentem, vim non ferens, sed nec omnino valens continere lacrymas, permittit vt peregrinarer, potius cedens necessitati, quàm voluntate consentiens. Cum enim videret firmum ac stabile iudicium, & apud se consideraret dolorem separationis, eo neglecto quod sibi esse posset molestum, id spectabat quod mihi futurum esset gratum. Ea me fecit amatorem huius quietis & silentij, & deduxit ad eam quæ desiderabatur solitudinem: effecitque vt diu iucundè viuerem, donec procella quæ nescio vnde, & quomodo spirauit, illam inuexit tempestatem, quæ sanctorum corporum vexauit cateruas innumerabiles, etiamsi non profundo obruit.

*Cōsensu vxoris peregrinatur, & Eremiticam vitam amplectitur.*

Illi autem rursus excipientes; Et quomodo, dixerunt, ô frater, fuerunt sancti interempti? Et quomodo qui Deo seruiebant citra reprehensionem, traditi sunt impiis & scelestis hominibus, & fuerunt dexteræ ludibrium barbaricæ, & cessauit virtus prouidentiæ in actu tali silens, neque insultum prohibere aggrediens, neque rursus impudentes ferire cæcitate, aut etiam iniquas exiccans dexteras, qualia beatis viris sæpe facta esse narrant scripturæ?

Ego autem rursus loqui aggrediens, sed quid vobis



vobis est opus, inquam, rationes mouere prouidentiæ? Quis est autem idoneus ad comprehendēdum arcana Dei iudicia? Imbecilla enim est humana ratiocinatio ad ea perscruranda. Multa enim sæpe eiusmodi facta sunt, & finem acceperunt malorū insidiæ, cum interim iustitia silentio præterierit vlrionem eorum quæ fuerunt perpetrata, quandoquidem omnino tempus iudicij expectat talium rerum inquisitionem. Sed hæc quidem nec sunt præsentis temporis, nec meæ dicendi facultatis, quæ autem vrgent, vt eloquar id quod mihi accidit, ea iam dicam. Necesse est autem, cum consequentia postulet orationis narrare prius vitam sanctorum qui erant in illis locis, & exponere vitam barbarorum qui inuaserunt, vt concinnè compactum vt par est, sit corpus historiæ, nullo prætermisso ex iis quæ debeant cognosci à studiosis.

*Humana ratio imbecillis ad diuina perscrutanda iudicia.*

Atque gens quidem quæ dicta est, habitat solitudinem quæ ab Arabia vsque ad Ægyptum rubro mari, & Iordane hinc inde terminis distenditur, quæ non artem, non mercaturam, non agricultrā vnquam exercet, sed solum habet gladium, quo sibi victum suppeditet. Aut enim feras venantes solitudinis, viuunt vescentes carnibus, aut prædas agentes de iis qui incidunt in eas vias quas insident, quæ sunt ad vsum necessaria sibi quoque comparant. Quando autem eis vtraque defuerint, & rerum necessariarum laborarint inopia, tunc iumentis, sunt autē ea Cameli Dromades, pro cibo vtuntur, belluinam, & sanguinoram vitam omnino eligentes. Per cognationes enim aut per contubernia, ipsi vnum occidentes, & modico ignis calore carnium mollientes duritiem, vt solum cedant eorum dentibus, ita vt semel dicam, aluntur instar canum. Deum non cognoscentes, nec qui intelligentia apprehenditur, nec qui fuerit fabricatus manibus, astrum autem adorantes matutinum, & orienti ei sacrificantes ea quæ meliora iudicant ex spoliis, quando ex incursione quæ fit pro prædis agendis, ad eos peruenerit aliquid aptum ad occisionem. Pueros autem offerre est eis magnum studium, qui præstant, & specie, & vigore ætatis. In quibusdam autem congestis lapidibus eos mane sacrificant. Quod quidem, ô amici, me valde conturbat, & angit, ne forte forma pueri habens aliquid quod sceleratos moueret, & alliceret ad impium cultum de more faciendum, ad id quod videbatur visa fuerit vtilis, & castæ corpus animæ ab impuris oblatum, sit hostia sæuis, & qui cæde delectantur dæmonibus. Quamobrem qui hæc offerunt sacrificia, nulla solent moueri misericordia puerorum qui occiduntur. Quod si quando eis ad sacrificium tale corpus defuerit, Camelum colore album, & minime vitiosum in genua inclinantes, ter circumeunt iacentem cum tota populi multitudine in orbem obeuntes. Præit verò, & circuitionem, & canticum quod ab eis in astrum factum est, aut ex regibus quispiā, aut ex Sacerdotibus, qui sunt senectute venerabiles. Qui post tertiam circuitionem, cum nondum canticum finierit populus, & extremam hymni partem adhuc in lingua habeat, stricto ense valde percutit tendinem, & primus magno studio gustat sanguinem, & sic reliqui cum gladiis accurrentes, alij quidem aliquam paruam pellis partem excindunt cum pilis, alij autem quodlibet rapientes ex carnibus abscindunt, alij autem vsque ad viscera procedunt, & intestina, nullam hostiæ partem relinquentes non confectam, quæ possit deinde videri à sole apparente, neque enim abstinent ab ossibus, & medullis, perseuerantia vincentes fortitudinem, & tandem diuturnitate superantes repugnantiam. Atque hic quidem est barbarorum ritus vitæ, & religionis, & sic viuentes in solitudine loca locis commutant, illic castrametantes vbi iumentis luxuriantia inuenerint pascua, & aquam copiosam.

*Barbari nullam artē exercentes solo gladio sibi victum acquirunt.*

*Adinstar canum carnibus semicrudis vescūtur Barbari.*

*Adorant astrum matutinum.*

*Pueros sacrificant.*

Qui autem vitam solitariam exercent, & quietam, cum pauca quędam loca elegerint solitudinis, vbi possint necessitatē corporis vtcumque recreare aquæ abundantia, alij quidem fixis tuguriis, alij verò absconsi in antris, & speluncis, sic viuunt virtutem persequentes. Et pauci quidem norunt alimentum ex frumento, nempe quicumque sterilem solitudinem possunt cogere studio, & diligentia, vt producat frumentum, qui paruo quodam ligone parum terræ eiusque malæ operantur, & quantum cogit vsus ad viuendum cum egestate. Multi autem vescuntur crudis oleribus, & baccis, mensam minimè artificiosam, & nullis condimentis instructam amplectentes, eorum qui obsonia condiunt, & panem conficiunt curiositatem multum valere iubentes, ne si in curando corpore multum temporis ponerent, negligentes essent in eo in quo oportet perseuerare, sed pura mente Deum colerent, nec carnium crapula grauatam habentes cogitationem, neque ciborum varietate ventris voluptati blandientes. Propterea alij quidem cibum capiunt die Dominico, totos septem dies ieiuni permanentes. Alij verò tempus dimidiant, bis in hebdomada alimenti recordantes. Alij verò post vnam diem.

*Anachoretæ communiter ignorant triticum, solis herbis, & radicibus vescentes.*

Faciunt autem suas habitationes non sibi inuicem propinquas, sed satis procul distantes, vt qui viginti, & eo amplius stadia absint alius ab alio. Diebus autem Dominicis ad vnam veniunt Ecclesiam, & inter se conueniunt post vnam hebdomadam, ne rursus perfecta separatio disrumpat vinculum concordiæ. Diuinis itaque communicant Sacramentis, & se inuicem excipiunt conuiuio exercitationis eorum quæ conuenit eloquiorum, & se inuicem instruunt adhortationibus quæ ad mores pertinent.

*Eremitarum cellæ longius, à se inuicem separatæ.*

*Diebus Dominicis ad Ecclesiam cōueniunt Eremitæ.*

Iis sic affectis, & sic Deum colentibus, repentè inspirata veluti procella eis alicunde phalanx ingruit barbarica, & summo manè cum paulo ante desiissent hymnos canere, pios inuaserunt impij. Ego autem tunc quoque illic aderam cum filio, à sancto enim monte descenderam visitaturus sanctos qui erant in Rubo, quod iamdiu ante facere consueueram, & statim instar canum rabidorum irruentes inconditis vocibus, & nihil significantibus aërem repleuerunt, & rapuerunt quæcumque hyeme sanctis parata erant ad cibum. Frigunt enim illi ex fructibus quicumque sunt vtiles, & possunt omnino permanere, & eis cōsolantur naturæ necessitatem. Cum ergo nos ipsos eos fecisset afferre, educunt omnes ex Ecclesia, & cum exuissent centonibus, nudos ad occidendum per seriem ordinant eos qui ætate præstabant. Deinde verò circumsistentes stringunt enses, & cum oculos ira replessent, & ardentem aspectum obliquè quodammodo circumagerent, & sancti loci Sacerdoti iussissent primum collum porrigere, inferunt non ambo (duo enim erant circa eum) sed alius post aliū, vtrinque enses in eius tergum infligentes, cum is neque præ dolore eiulasset, neque vultū auertisset, & nec vel paruum doloris ostendisset vestigium, sed se tantum signasset, & oris susurro dixisset, Benedictus Dominus. Arque peruasit quidem vnus ictus à dorso vsque ad maxillam, cum per aurem transiisset.

*Sancti patres inuaduntur à Barbaris, necnon & Nilus cum filio, qui ad eos inuisendos venerant.*

*Nudi ad occidendum per seriem ordinantur.*

*Ritus, vita, & religio Barbarorum.*

*Pueros sacrificant.*

transfiisset. Alter verò ab humero peruenit ad mammillam. Et sic vir diuinus sensim conuersus honestè ac decorè cecidit, nihil nec interfectionis, nec nuditatis quod turpe esset ostendens. In eius autem corpore florebat quædam gratia, & nuditatis tegebat deformationem. Hoc autè vespere, & rebus, & verbis propemodū prædixerat vir ille admirabilis, eos qui in cœna aderāt benignius quàm consuesset alloquens, & dicens. Quid scimus an rursus ante mortem nos simul congregatura sit mensa & conuiuium? Deinde post illum capiunt & interimunt eum qui vnà cum sene habitabat, qui ipse quoque erat & senex tempore, & satis afflictus laboribus exercitationis, & rursus puerum qui eis ministrabat. Hic autem fuit modus interfectionis.

*Incursio hac barbarica ab huius Cõgregationis Presbytero prædicta.*

Iubebat vnus ex barbaris colligere aliquem ex iis qui erant effusi fructibus. Ille autem vt placebat ei qui iusserat, diligenter terræ assidens sinum relaxabat, manibus attrahens ea quæ erant apposita, vt ei qui iusserat videretur aptus ad ministerium, & ideò vita ei concederetur. Sed nihil profuit, neque sic barbaricam emolliit impudentiam. Alius enim qui ponè stabat ensem è vagina clam strinxit. Ille verò siue eum trahi sensisset, siue etiam cædem habuisset alioqui suspectam, tanquam perterritus vultum parumper circumagit. Qui autem astabat, eum terruit, & clamore barbarico & contortis oculis. Et sic quidem cum is rectum ensem in iugulū defixisset, magnis viribus eum ab hepatis cremastere ad thoracē adegit. Ille verò priusquam is euelleretur iacebat mortuus, vt qui vel timore periisset, aut propter certitudinem & opportunitatem vulneris non peruenisset ad mortis cognitionem: quæ à vasis corporis citò exemit animam, & eam repentè liberauit à vinculis, à quibus vix recedit, vt quæ sit colligata violentis nexibus Creatoris. Reliquos autem nos, nescio quanam re impulsi, abigunt, gestu manus fugere permittentes. In ea autem cruentos adhuc enses gestabant. Et alij quidem currebant per conualles,

*Tandem Nilus cum aliis capeat fugã.*

festinantes ad montem peruenire. Eis enim ad illum non patebat aditus, propterea quod Deus super ipsum stetisset, & populo aliquando respondisset.

Ego autem ore aperto planè hæseram obstupefactus, vt quem retineret inopia consilij, & ab adolescentis vinctus essem visceribus, & nec omnino poteram recedere, nec volebam omnino conseruari, vt qui constrictus essem firmo naturæ vinculo. Donec puer annuens oculis, & vt recederem, hei mihi significans, vix persuasit vt abirem. Et pedes quidē anteriùs processerunt, & eos nescio quomodo sequebatur corpus quod ferebatur; cor autem nolebat recedere, vultum ad puerum assiduè conuertens, & iactum oculorum ad se minimè valens congregare, qui non ad iter ingrediendum erat attentus, sed ad tergum conuertebatur miserabiliter.

Ego igitur cum nescio quomodo peruenissem ad montis cacumen, etsi non haberem mentem, quæ vna cum corpore ambularet, volens videre filium, veluti è specula, non poteram amplius aspicere, vt qui propter longum interuallum absconsus esset à meis oculis. Barbari autem cum multos alios interemissent, & depopulati essent in solitudine, satis magnam viam confecerunt. Et cum die iam inclinato, præbuisset nobis nox de cætero potestatem ambulandi sine metu, de monte descendentes conuersi sumus ad sepelienda corpora. Et alios quidem inuenimus diu ante mortuos, sanctum autem Theodulum adhuc spirantem, &

*Barbari multos occiderunt patres in solitudine.*

*Noctu occisorum corpora sepeliuntur.*

*Inuenitur S. Theodulus adhuc spirãs.*

qui posset vtcumque loqui. Ei itaque assidentes, & quæ acciderant deflentes pernoctauimus, rogante nos sene, ne hæc nobis viderētur aliena. Hæc dixit, & præsentes salutauit oculo, quandiu loqui & linguam mouere ei virtus præbuit. Mortuum autem nos multis lacrymis prosecuti, terræ cum aliis mandauimus, & cum tenebræ adhuc incertum ad vos facerent aditum, huc venire potuimus.

*Nomina quorundam patrum occisorum.*

Ex iis autem qui fuerunt interempti, duo quidem vocabantur Paulus & Ioannes. Presbyter autē Theodulus. Mortui autem, sunt consummati septimo die post Theophania, qui est 14. mensis Ianuarij. Interempti verò sunt quoque alij multis antè temporibus, quorum ipsorum quoque commemorationem, propter viæ longitudinem, & eorum qui congregantur multitudinem, eodem die peragunt.

*Quidam euasionis suæ narrat seriē.*

Nobis hæc adhuc loquentibus, nunciatur quidam saluus euasisse è castris, & paulo post ad nos accedit, timoris vestigiis nondum ex oculis depositis: nec animi perturbationem adhuc valens reprimere, & magno adhuc cursu & animi angore anhelans & conturbatus, perinde ac si prope essent, & futurum esset vt assequerentur ij qui persequebantur. Deinde rogatus quomodo effugisset. Me, aiebat, & tuum filium in cœna loquentes denunciabant fore vt diluculo astro sacrificarent, aramque excitarunt, & ligna apposuerunt, ignorantibus nobis cur hæc fierent. Mihi autem hæc dixit clanculum vnus è concaptiuis, qui eorum vocē intelligebat. Ego autem illi significaui consilium barbarorum, & quod nisi nobis fuga salutem peperissemus, nō nobis viuis manè sol illucesceret. Ille autem reueritus ne cōprehenderetur, remansit, dicēs: Quod Deo visum fuerit, vbicūque sit non effugiet aliquis, etiamsi lateat in abditis. Ego autem in tenebris cum vidissem omnes somno grauatos, torpefecerat enim eos nimia ebrietas, humi pronus primum serpens, ne si quis vigilaret recta corporis vmbra proderet: deinde à castris parum remotus, cursu ad hunc scopum contendi, timoris pennis portatus velociter, quæ apud illos statuta erat cædem me ratus fuga euasurum, vel si etiam comprehenderer, constituta morte, me nihil grauius passurum esse ratiocinatus, & alioqui certo malo præferens spem incertam. Ecce ergo me mea non fefellit opinio, & adsum apud vos, vt videtis, nullo malo affectus.

*Etiã multos faculares ducunt in captiuitatem.*

Meis autem oculis adhuc insidet metus crudelitatis barbarorum, & eorum facta scelerata me in stuporem adducunt, & impleor horrore, propter ea quæ ab eis facta sunt. Cum Dominum enim meum vnà cum Prætore munus obeuntem Reipublicæ, & ad vos reuertentem offendissent in solitudine, ad se abduxerunt cum omnibus eorum facultatibus, & alium quidem qui restiterat cum famulis membratim discerpunt, meum autem vnà cum filio, erat autem is valde iuuenis, sequentem abduxerunt. Sole autem iam appropinquante horizonti occasus, figunt tabernacula vbi eos vespera apprehenderat. Et cum ex nostris spoliis magnum fecissent conuiuium, eum & filium adhibent conuiuam, iubentes eum bono esse animo, & nihil extimescere. Saluus enim, aiebant, & illæsus domum reuerteris cum filio, cùm sufficiant alij, vt sint duarum animarum pretium redemptionis. Et videbantur paulo pòst impleturi promissum, permittendo vt ad sua redirent, aquam autem portari, & ad viaticum panes afferri iubebant, ad hoc vt commentum videretur probabile, vt spes vitæ

*Nota perfidiã Barbarorum.*

ex



ex viatico apud eos fraudem habèret fide dignam. Duos autem ephebos iuuenes, procurantes, vt eis esset iter securum, vna emittunt qui eos deducerent. Quibus iusserunt clanculum, vt cum essent aliquantulum, remoti à castris, eos concideret. Cum eos ergo circumstitissent, qui eo modo quo dictum est deducebant, illicò ij qui esse videbantur seruatores, & si alij inuasissent, eorum, vt par erat, propugnatores, ij ipsi fiunt præter spem occisores, & mactant quidem filium ante patrem, vt videndo mortem filij sui, & suæ mortis faciendo periculum, ei dolorem conduplicarent. Protinus autem illum quoque multis interimunt vulneribus eorum infidelitatem & insidias magna voce deflentem. Atque ipse quidem bonis promissis sic deceptus, miserabilem passus est interitum.

Die autem sequenti postquam hoc fecissent, ambulantes in solitudine non recta via, sed aberrante, locaque aspera & difficilia, modo hic, modo illic obeuntes, altosque & arduos montes circumeuntes, & per non tutas & confragosas, & propemodum inuias valles pedibus ingredientes, longè remotum spatio vident locum paulatim herbescentem, & cum ex viriditate coniectassent esse locum aptum ad diuersandum, aut etiam existimassent, illic aliquos habitare Monachos, scopum suum eo conuertunt, tanquam à mari ad portum iter iumentis dirigentes. Cum autem venissent, vident locum qui nihil erat deterior quàm putarant, nec falsa visione eorum spem fefellerat. Nam & erat aqua in eo copiosa, & antequam gustaretur, sua visum delectabat puritate. Ori autem allata, paruam arguebat esse visus delectationem, si conferretur cum voluptate gustus, eratque fœnum aptum ad pascendum animalibus. Cum ergo Camelos exoneassent, illos quidem liberè dimittunt ad pascendum. Ipsi autem statim currunt ad aquam eam bibentes, se aspergentes, lauantes, & nescientes, vt semel dicam, quomodo vterentur illa liberali & profusa aquæ abundantia.

*Choros ducunt ad fontem Barbari.*

Dum autem ad eam choros ducerent, & fontem laudibus celebrarent, vident in latere montis quoddam paruum domunculæ vestigium, omnesque vno spiritu eò currunt, cursu alius alium superare contendentes. Et cum appropinquassent, circunfusi sunt speluncæ. Ea autem erat in ostio paucis extructa lapidibus, ne si esset nimis magnus hiatus, feris facilem præberet ingressum. Deinde cum intro accurrissent pauci & singuli, non capiebat enim multos, virum educunt specie & venerandum, eumque ducebant trahentes nihil omnino conturbatum, & qui neque expalluerit, neque illiberale, aut triste aliquid ostenderit, aut locutus sit. Et cum eum supra quandam petram posuissent, lapidibus, (non enim habebant ensem) interficiunt scelerati, ridentes, & sua voce Pæana decantantes. Deinde rursus parum progressi, alterum comprehendunt adolescentem, pallidum, macilentum, & qui aspectu aperta præ se ferebat vestigia abstinentiæ, & ipsum similiter lapidibus interficiunt, multas voces emittentem, quibus agebat gratias, & fatentem se eis debere, quod qui virtutem sequebatur è vita eduxissent.

*Quendam Anachoretam lapidibus obruunt.*

*Item & alterum.*

Non multum illinc processerant, & ecce apparet locus quidam herbidus, & multis comatus arboribus, & rursus quā maxima potuerunt celeritate barbari ad ipsum cucurrerunt. Cum autem appropinquassent, in paruam quandam incidunt domunculam, in qua exercebatur adolescens, cuius magnus & excelsus animus existimatus vel ab ipsis barbaris dignus admiratione. Neque enim his ostendere latentia quædam Monasteria, & ea ratione mortem effugere sustinuit. Hoc enim ei pollicite erāt barbari. Sed neque in hoc vt exiret è domo neque vt omnino tunicam exueret, obediit: indicare quidem eos qui poterant, latere dicens proditionem: omnino autem obedire quicquid per vim cogeretur pusilli & abiecti dicebat esse animi. Iis enim qui exercentur dicit, oportere adesse magnum & excelsum animum, & non fas esse cedere aut metui, aut minis: etiamsi id videatur magnum habere periculum. Quocirca cum planè vobis denegetur ea quæ speratis consequi, ne cunctemini ea quæ vultis facere. Neque enim loca in quibus viri pij habitant, etsi sciam, indicabo, sed nec extra ostium vobis iubentibus egrediar: neque vestem exuam, vt me quis adhuc sentientem & mei liberi arbitrij adhuc compotem cernat nudum, & contueatur corpus quod in hodiernum vsque diē meis non est conspectum oculis. Post mortem autem in me non sentientem faciat deinceps vnusquisque quod velit. Eorum enim qui faciunt crudelitatis, sed non eius qui patitur, animi est ea reprehensio. Intus enim moriar indutus, vt constitui, neque faciam quicquam præter sententiam, meipsum prodens vt mancipium, & in hac cauea in qua decertani potiùs interficiar, & erit mihi sepulchrum hæc domuncula, quæ prius virtutis sudores, & strenuitatis ac probitatis nunc accepit sanguinem. Sic eum liberè loquentem cum non tulissent scelerati, sed aduersus generosum eius animum essent acerrimè commoti, tot eum plagis interficiunt, quot potuit eius corpus capere. Cum plures itaque mortuum quàm viuum illum magni & excelsi animi virum sauciassent, ita recesserunt animis ægreferentes, quod non ad maius supplicium eis suffecisset corpusculum.

*Cuiusdã iunioris Anachoretæ mirabilis constantia.*

*Crudeliter interficitur.*

Post eum autem tres nobis occurrunt ingrediētes per solitudinem, qui adhuc feruentem eorum iram paululum sedarunt: vt qui eorum in illum furoris defectus suppleuerint. Quomodo enim agrestes feræ, aut canes venatici, si ostensa solum fuerit præda, & euaserit, ad maiorem prouocantur insaniam, quod eam non fuerint consecuti, & quod rursus inciderit maiori studio persequuntur, secunda cautione priori medentes ludibrio: Ita ad eos qui apparuerant currentes cædem spirantes scelerati, cum enses strinxissent, priusquam appropinquarent, cum tanta in ipsos processerunt crudelitate, cum quanta si ipsum accepissent qui eos irritauerat. Cum autem nondum enses in vaginas misissent, sed nudos manu tenerent, calidoque & exhalanti sanguine inquinatos, in eo loco in quo ambulabant, vident posita duo Monasteria, non ex aduerso quidem itineris, sed ex obliquo ad alteram manum. Erat autem quod inter se inuicem quidem intercedebat spatium, triginta stadia; inter eum verò locum in quo eramus, quindecim, vnumquodque tanquam à centro ad circuli lineas quæ sunt in circunferentia, pari mēsura distantia. Diuisi itaque processerunt dimidia pars ad vtrumque eorum, tota præda quam collegerant, in regione relicta cum iumentis. Et eos quidem qui erant ad austrum, quomodo interfecerint, aut quosnam, nequaquam cognoui. Ex iis autem qui erant ad clima boreale, postquam iam propè accessissent, illum qui ex multo cursu tela in pharetris sonantia sensérat, & fugere cœperat, ipsi

*Egregia similitudo.*

c arcus

arcus intendentes multis iaculis transfixerunt. Deinde cum ipsum qui pronus ceciderat comprehendissent, non sinunt eum mori cum iis solis quæ prius acceperat vulneribus: cum tot haberet plagas quæ ad id sufficerent, sed cum adhuc spirantem & animam agentem supinum conuertissent, statim dissecant à pube ad thoracem; respirantia autem per dissectionem viscera, & lateribus circunfusa, contis vtrinque conturbabant, donec ea quoque dilacerauerint priusquam recederent.

*Quendã crudeliter dissecant.*

Visum est autem consilio eorum qui Pharan incolebant, postquàm audiissent quæ renunciata fuerant non præterire silentio, id quod ausi fuerant, sed hoc significare Regi Barbarorum. Et ad eum quidem mittunt duos ex iis qui apud ipsos vocantur Hemerodromi, accusantes quod inita fregissent fœdera. Sunt autem adolescentes ephebis paulo ætate maiores, barbæ propemodum primam emittentes lanuginem, qui his rebus inseruiunt, & nihil ferunt præter arcus telaque, & iacula, & silices. Hæc enim eis in via sunt ad vitam vtilia, illa quidem venationem, hi verò ignem præbentes ad coquendum. Lignorum enim & stipularum est eis vtique magna in omni loco copia, cum nullus quæ nascebantur, secaret in solitudine.

*Mittuntur qui significẽt incursionem Regi Barbarorum.*

Cum ij autem illam viam conficerent, nos egressi sumus ad efferenda corpora. Et cum accessissemus, inuenimus eos qui quinque ante diebus interempti fuerant, nihil passos ex iis quæ verisimile erat passurum esse mortuum qui vno ante die esset mortuus, non malè olentes, non putrefactos, & nihil læsos ab iis quibus innatum est vt perdant, à carnuoris inquam auibus, aut feris agrestibus. Tanto autem ante tempore eos fuisse interfectos dixit filius Megadonis, hoc enim erat nomen Senatori qui à Barbaris fuerat interemptus. Erat verò qui occisus erat in Betrambe quidem Proclus. Hypatius autem qui in Geth. Isaac verò qui in Monasterio Salaël. Macarius autem & Marcus, qui fuerunt occisi in ea quæ est extra Elim. Eusebius autem in Thola. Et Elias in Aze. Porrò autem ipsorum quoque duorum alterum inuenimus qui multa habebat vulnera lethalia, sed adhuc viuebat & spirabat. Quem quidem cum portassemus, in cella deposuimus conuersi ad sepulturam aliorum corporum. Cum autem ad ipsum rediissemus, viuum quidem non amplius offendimus, apud hydriam autem inuenimus iacentem iam mortuum. Nam cum omnino siti laborasset propter inflammationem vulnerum, postquam bibit cecidit pronus in genua, in hoc habitu eum mortuum relinquente anima. Cũque ei vt cæteris iusta fecissemus, egressi sumus vt sciremus quidnam significaretur à principe Barbarorum.

*Occisorũ corpora nec malè olentia, & putrefacta, & nihil læsa ab auibus & feris reperiuntur.*

*Senator quidã à Barbaris interfectus.*

*Nomina Monachorum interfectorum.*

Iam autem nobis Pharan ingredientibus, adesrant qui missi fuerant, ab eo afferentes litteras quę & pacem confirmabant, & ad se venire iubebant eos qui affecti fuerant iniuria, & maximè eos qui attinebant ad captiuos adhuc viuentes. Quod si quis etiam vellet sumere pœnas de iis qui occisi fuerant, dicebat se esse paratum dare auctores ad supplicium. Quinetiam se profitebatur omnia daturum spolia iis quibus prædæ actæ fuerant. Nolebat enim soluere leges pacis, vt qui lubenter esset cum eis confœderatus, propterea quod ex eis vtique accepisset solatium: agnoscebat enim eis non paruum afferre emolumẽtum quod cum eis intercedebat commercium, vt qui in suæ egestatis ne-

*Afferuntur litteræ pacis & fœderationis ex parte Regis Barbarorum.*

*Non soliũ paratus est homicidas dare ad supplicii, verum etiam spolia restituere promittit.*

cessitatibus apertè adiuuarentur eorum abũdantia. Cum dona itaque parassent, & legatos constituissent tanquam ad renouandam pacem quæ iam dissoluta fuerat, die sequenti, & ipsos emittunt, & nos qui bona vtique spe eramus venturi. Octauo autẽ die ambulantes, (duodecim enim diebus iter conficiebatur) aquæ penuria laborauimus, magnaque nos sitis vrgebat necessitas. Dicebant autem prope esse fontem, hi qui locorum habebant experientiã. Currebant itaque multi ante multitudinem, properantes inuenire illud quod quærebatur. Ibam autem ego quoque paulatim sequens eos qui præcurrebant: vt qui nollem nimium inordinato pede facere iniuriam honestati & grauitati morum.

*Honestatẽ & grauitatem semper & vbique Monachi seruare debent.*

Ex aduerso itaque mei itineris erat fons positus. Latebat autem in medio cuiusdam collis. Iis itaque qui ex vtraque eius parte dispergebantur semper relictis, pergebam in medio eius quæ hic aut illic futura erat inuentionis, coniectans me non procul abfuturum. Cum verò me paululum inclinassem, quando accessi ad dorsum collis, & primus vidi fontem, & barbaros multos ei circunfusos. Et cũ sic in immanes incidissem hostes, neque conturbatus sum eo quod acciderat præter expectationem: neque mágno fui timore affectus. Sed cum essem medius inter timorem & gaudium, de eo quod euenerat me tali solabar consideratione. Aut enim dicebam me apud ipsos inuenturum filium, & prompto & alacri animo cum ipso seruiturum, seruitutis molestiam leuando voluptate aspectus, aut omninò esse interimendum, & sic esse liberandum à graui quæ me premebat molestia. Sed ij quidem exilientes ad me permixtim accurrunt. Cumque me comprehendissent, inhumanè trahebant. Qui autem ad inquirendam aquam mecum missi fuerant, cum vidissent ab ipsis nondum fuisse conspectos, sensim conuersi, clam statim redierunt, pronos non secus ac serpentes se per terram trahentes, & sic se fuga subripientes. Ego verò etsi ab eis vincirer, traherer, conuellerer: quid enim non graue patiebar? eorum quidem nullam ducebam rationem, neque vllum sensum accipiebam: sed tota mente versabar in inquirendo filio, illudque oculis scrutabar in omnem partem circunspiciens, sicubi viderem eum qui desiderabatur.

*Nilus à Barbaris comprehenditur, & inhumanè trahitur.*

Cum autem hæc fierent, non multum tempus præteriit, & ecce ex nostris copiis aderant viri bellicosi. Qui cum super tumulum sublimes apparuissent, magnam perturbationem attulerunt barbaris. Postquàm enim clamore significarunt aduẽtum, nullus fuit qui in loco manserit: nudus autem totus repentè ostendebatur, qui paulò ante plenus erat corporibus. Qui autem accesserant, cũ ex iis quæ inuenerant magnam accepissent vtilitatem, illic reliquum diei transegerunt. Deinde cum sequenti die cœpissemus ambulare, & quatuor dierum iter cõfecissemus, in castra peruenimus. Cumque significatum esset aduenisse legatos, ij vocati sunt, vt conuenirent Amanen, hoc enim erat nomen Regi Barbarorum. Ad quem cum attulissent munera, benignum responsum nacti sunt, & acceperunt prope illum tabernaculum, benignéque & comiter ab eo sunt tractati: donec diligens & accurata perscrutatio omnia manifesta reddidit, quæ ad illam iam factam pertinebant incursionẽ. Atque illa quidem ab eis breui peracta sunt tempore.

*Qua ratione liberatur.*

*Amanes Rex Barbarorum benignè recipit, & tractat legatos Christianorum.*

Mihi autem cor vehementer palpitabat, & ad nuncium suspenso animo erigebar; omnis autem sonus cuiuslibet rei mihi videbatur susurrare famã eius de quo eram sollicitus. Cum itaque iureirando affir



*Nuncij affirmant Theodulum Nili filium non esse occisum, sed venundatum.*

do affirmassent nuncij non esse mortuum Theodulum, venire autem venundatum cuidam in ciuitate Eluza, consulebant vt irem in ciuitatem. Dicebant enim me illic inuenturum filium. Profectus sum autem ad eam quæ mihi significata fuit ciuitatem, cum duobus quos mihi dederant viæ ducibus. In via autem quidam nobis occurrit adolescens, qui sequebatur animalia, quæ onera portabãt. Is autem me prius viderat in castris, & quæ ad me pertinebant omnia accuratè didicerat. Is cũ fuisset Eluzæ, & quæ de filio meo dicebantur audiisset, quod sc. captiuus abductus esset à barbaris, ei de me significauit, acceptisque literis, veniens eas afferebat tanquam bonum nunciũm. Cum autem me vidisset eminus cœpit accedere subridens, & ego quoque cum virum agnouissem. Vbi verò prope fuimus, ipse quidem me læto vultu alloquitur, & dexteram extendens eam ponè diuertit, & volam manu applicans humero, epistolam summis digitis extraxit ex pharetra, & eam mihi reddit, filium meum nuncians viuere, & hortans vt essem bono animo, & non perinde ac si esset seruus spem haberem bonis vacuam. Nam is qui emit, inquit, est Sacerdos Christi Sacramentorum, & filius cœpit quidem esse in ordine sacro, vt cui sint credita prima munera ædituorum, magnam autem mox futuri profectus spem ostendit, vt qui breui tempore magnam virtutis dederit periclitationem, & morum bonitate effecerit, vt hoc omnes statuerent. Ego autem vt qui essem inops, & domo carens eum benignis verbis sum prosequutus, & ei multa bona sum precatus.

*Venditus fuit Theodulus cuidam Sacerdoti Christiano.*

*Templum cĩ aliquò veniunt Monachi, prius visitare debẽt.*

Postquam autem veni in ciuitatem, primum quidem sanctum templum quæsiui, tanquam causam bonorum, & ei eum quem par erat honorem tribui, solum rigans lacrymis, & implens Dei ædem vocibus lamentationum. Et illinc deductus veni in domum in qua manebat filius multis præcedentibus, & mei aduentus fœlicem nuncium significare studentibus. Nouerant enim omnes ex fama quæ præcesserat me esse, qui vulgo iactabar, patrem pueri qui apud ipsos fuerat venundatus, nec vllus erat qui non vultu signa gaudij præ se ferret. Postquam autem ianuæ appropinquauimus, cum eum vocassent, & me venire dixissent, ducunt salutaturum. Cum nos verò, alterum ego, & ille vidissemus alter, neque lætari, neque admirari primũ cœpimus, sed ambo potius lamentari, vultus lacrymis inquinantes. Et ille quidem accurrit non admodum cognoscens, eram enim, & capillis, & veste sordidatus, ita vt non possem facilè cognosci. Ego autem etsi multi essent circa eum ipsum, agnoui protinus, vt qui adhuc eandem haberet vultus figuram, quæ assidua eius meditatione apertè erat meæ impressa memoriæ. Et cum non potuissem continere gaudium, mihi repentè dissolutum fuit robur corporis. Et cum cecidissem, hianti ore humi iacebam, existimatus à nonnullis esse mortuus. Cum me autem comprehendisset, & esset complexus, qui defecerat animum vix mihi restituit, fecitque vt cognoscerem quis essem, & vbi essem, & quemnam meis cernerem oculis. Eum ergo vicissim complexus eisdem excepi nexibus insatiabiliter diuturnum explens desiderium.

*Nunciatur Theodulo aduentus patris.*

Deinde ad loquendum conuersus, ego me excusabam, & persuadere volebam me fuisse authorem omnium quæ senserat malorum, vt qui eum eduxissem, è patria, & eum fecissem incolere regionem quæ continenter diripitur. Ipse autem cum grauem è profundo gemitum edidisset. Quid iuuat, inquit, ô pater, eorum quæ sunt molesta reminisci? Sed quoniam scio fore, vt nequaquam cesses, donec tibi enarrem euentum meæ salutis, incipiam. Atque magnam quidem actus partem omnino vobis apertè narrauit filius Megadonis, illa ergo rursus referre simul, & superuacaneum fuerit, & molestum. Quæ autem post fugam illius euenerũt, necesse est, quoniam tu hoc mihi iubes dicere.

*Narrat Theodulus patri totam seriem euasionis suæ.*

Visum fuerat barbaris, (vt dixit) nos mactare, & quæ pertinent ad sacrificia iam vespere parata erant omnia, ara, ensis, libamen, phiala, & thus. Summo ergo mane certa erat mors, nisi Deus erat prohibiturus, sicut certè prohibuit. Postquam autem ille cum me suam non celauisset fugam, aufugit, surgunt barbari repleti tumultu, vt pote quod sacrificij tempus præteriisset, iam enim sol lucebat super terram. Et cum non inuenissent alterum, neque scirent quidnam eo factum esset, me interrogarunt. Postquam autem respondi me nescire, siluerũt, & neque minati sunt, neque ostenderunt vlla signa iracundiæ. Tunc quietus ac compositus fuit mihi spiritus, & Deo benedixi, qui non despexerat mei humilis orationem. Cumque iuberent, vt nefariis vescerer, contradixi, & vt luderem cum mulieribus, non parui imperantibus, donec venimus prope terram quæ habitatur. Tunc enim cũ nescio quid communiter consultassent, introducũt in vicum qui dicitur Subaita, & iis qui illic erant significant se me velle vendere. Cum autem nihil agerent, sed re infecta sæpe reuersi essent, vt pote quod nullus vellet dare plusquam duos aureos, tandem vbi eduxissent, & vt mos illis erat, nudum ante vicum statuissent, ensem collo meo imponunt, si nullus me emat, dicentes se me statim interfecturos. Ego autem iis qui ad emendum veniebant supplex eram manus extendens, vt darent quãtum petebant barbari, & ne viderentur parci, cum pretium darent humani sanguinis, dicens me esse pretium propediem redditurum, & ei qui emisset, lubenter, si vellet esse seruiturum. Quidam itaque mei misertus clamantis, & lacrymantis vix tandem me emit, & ex eo, vt vides, emptus sum. Hæc quidem passus sum pater, & fui liberatus. Te autem deinceps Deum glorificare conuenit pro mea hac inopinata, & quæ præter spem, & expectationem reddita est salute.

*Theodulus nudus à Barbaris exponitur, vt nisi ematur, statim occidatur.*

Eorum autem qui illic erant verè pius, & religiosus Episcopus, cum nos diu curasset, & à priori afflictione nos non parum recreasset, rogabat, vt nos apud eum maneremus, benigneque pollicebatur se nostri curam habiturum in omnibus. Ne videretur autem vim afferre, quod reputaret pretium datum pro filio, nec nimis iure Domini exigere, vt maneremus, permisit vt faceremus quicquid videretur ex nostra animi sententia, in hoc solo in nos exercens tyrannidem, quod sacri Ordinis iugum, vel inuitis nobis imposuerit: volentes autem discedere, & domum proficisci liberali viatico prosecutus, vt pote quod longa esset via, & vt Dei gratia nos comitaretur precatus, sic dimisit. Mihi autem hic desinat oratio, vbi rerum grauium cessauit periclitatio, quæ Dei gratia post multam afflictionem lætioris vitæ præbuit principium. Qua detur nobis omnibus frui, & nunc & in futuro seculo virtute, & bonitate sanctæ, & consubstantialis Trinitatis. Amen.

*Honorificè, & Nilæs, & Theodulus ab Episcopo Eluzæ tractantur.*

*Sacerdotij honore decoratos, cum liberali viatico eos à se dimittit Episcopus.*

## NOTÆ.

De sanctis Monachis in incursionibus Barbarorum interfectis.] *Agit Martyrol. Rom. cum Baronio*

19. Februarij. *Passi sunt sub Rege Amane, & Alamundaro Duce, qui quidem postea ad fidem Christi conuersus fuit, vt scribit Nicephorus lib. 17. hist. cap. 35.*

Pus.] *Est sanies, & quicumque humor in putredinem versus.*

Ab Arabia.] *Regio inter Iudæam & Ægyptum, ab Arabo Apollinis & Babyloniæ filio. Est autem triplex, vna felix, altera petrea, tertia deserta.*

Ad Ægyptum.] *Est Ægyptus Aphricæ regio, ab Ægypto Danai fratre sic appellata, prius Aëria dicta. Ægyptij autem lingua Hebraica interpretantur affligentes, quia afflixerunt populum Dei, priusquam diuino auxilio liberaretur.*

Rubro mari.] *Quidam à solis repercussu existimarunt rubrum colorem reddi, alij ab arena terraque, quia omnis terra quæ illi circunstat rubea est, & sanguineo colori proxima, aqua quæ terram illam abluit, colorem trahit. Cur. ab Erythro Rege mari rubro inditum esse nomen existimat. Quod Latini mare rubrum nuncupãt, Græci Erythreum vocant. Erythros enim rubrum Latinè dicitur.*

Cameli Dromades.] *Camelus est animal quadrupes, quod crura prolixa, collũ longum habet. Sitim sustinet per triduum, sed cum inuenit aquam, intantum bibit, vt præteritæ & futuræ siti sibi sufficiat. Bactri Camelos mittunt, & Arabia, vt scribit Diodor. sed in hoc differunt, quod Arabici bina in dorso habent tubercula, quos Dromedarios vocant.*

Exuissent centonibus.] *Cento quoddam velum laneum, vel potius genus quoddam vestimenti interioris, quod super subucula superindui solebant Monachi.*

Post Theophania.] *Est Theophania insignis illa solemnitas quæ 6. Febr. celebratur, aliàs Epiphania, vide Baronium in Notis. Mart.*

Duos ephebos iuuenes.] *Ephebus idem est, quod pubes, ab ὀπὶ & ἥβη, pubertas, vnde ephebia pubertas dicta est, id est, prima ætas adolescentiæ. Censorinus separat ephebos ab exephebis: tanquam ephebi dicantur in 16. ætatis anno, exephebi vltra illud tempus appellentur.*

Pæana decantantes.] *Pæan hymnus erat in Apollinem, qui non solum in auersione malorum decantabatur, sed etiam in victoria. Interfecto enim Pythone, laudibus & carminibus laudatus fuit, quæ Pæana dixerunt. Abusiuè tamen pro omni Deorum laude ponitur. Virg. Lætum Pæana canentes.*

Contis deturbabant.] *Contus est sudes, siue hasta longior duriorque ad percutiendum apta.*

Hemerodromi.] *Dicuntur cursores, qui die vno ingens spatium cursus emetiebantur. Inter huiusmodi Hemerodromos clarissimus fuit Philonides Alexandri magni Cursor.*

Munera Ædituorum.] *Ædituus est sacræ ædis tutor, id est, curam gerens, ab ædibus sacris quas tuetur.*

## HISTORIA ALIORVM PATRVM à Sarracenis interfectorum. Ex Cassiano collat. 6.

*Thecue, patria Amos Prophetæ.*

IN Palæstinæ partibus iuxta vicum Thecue, qui Amos prophetam meruit procreare, solitudo vastissima est, vsque ad Arabiam & mare mortuum (quo ingressa deficiunt fluenta Iordanis & cineres Sodomorum) amplissima extensione porrecta. In hac summæ vitæ ac sanctitatis Monachi diutissimè commorantes, repentè sunt à discurrentibus Sarracenorum latrunculis interempti. Quorum corpora licet sciremus tam à Pontificibus regionis illius, quàm ab vniuersa plebe Arabum tanta veneratione percepta, & inter reliquias martyrum condita, vt innumeri populi, è duobus oppidis concurrentes grauissimum sibi certamen indixerint, & vsque ad gladiorum conflictum, pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum pia inter se deuotione decertant, quàm iustiùs eorum sepulchra ac reliquias possiderent: illis scilicet de vicina commoratione ipsorum, aliis de originis propinquitate gloriantibus.

*Monachi in huius loci vastissima solitudine habitantes, trucidantur à Sarracenis.*

*In magna veneratione habentur eorum reliquiæ.*

### NOTÆ.

Iuxta vicum Thecue.] *Distat hoc oppidum à Bethleem sex milliaribus. Vide Præfat. Diui Hieronymi in Amos Prophetam.*

Summæ vitæ ac sanctitatis Monachi.] *De quibus Martyr. Rom. cum Bar. in Notis, & in Annalib. Eccles. tom. 5. ann. 410. Plura de eis D. August. Epist. 159. ad Victorian. & in vit. SS. Patrum 3. part. cap. 47.*

## VITA S. QVIRIACI ANACHORETÆ. Ex Simeone Metaphraste.

*Sanctorũ virtutes imitanda.*

EIS qui te benedicunt, inquit Deus Abrahæ, benedicam, & iis qui tibi maledicunt, maledicam, non solum eos qui virtutem exercent, hinc remunerans, sed etiam ad eos qui ipsos laudant, traiiciens benedictionem. Hinc fit, vt oporteat beati huius Quiriaci pro virtute certamina, & sudores, non solum feruentissimè audire, admirari & excipere: sed etiam ad eum pro viribus imitandum excitari, & parari ad similem zelum suscipiendum, vt non solum consequamur benedictionem, sed etiam simus cum eo coronarum participes, & præmiorum socij. Quem tulit quidem, quæ est in Græcia Corinthus: parentibus autem fuit nomen, patri quidem Ioannes, matri autem Eudoxia. Tempus autem eius ortus fuit finis Imperij Theodosij, iunioris scilicet. Sancto verò fuit auunculus Petrus Episcopus Corinthiorum. Qui Petrus beatum Quiriacum cooptat in gradum lectoris eiusdem Ecclesiæ adhuc in tenera ætate.

*Patria & parentes S. Quiriaci.*

*Adhuc puer à Petro Episcopo Corinthiorũ Lector ordinatur.*

Quodam itaque die Dominico cum diuinam audiisset vocem in Euangelio, si quis post me vult venire, tollat crucem suam & sequatur me: rem minimè distulit. Itaque tacitè egressus ex Ecclesia, venit Cenchreas, & ascendens nauem quæ veniebat in Palæstinam, summo studio accedit Hierosolyma, iam decem & octo natus annos, nono anno imperij magni Leonis, octauo autem Anastasij Hierosolymorum Pontificatus. Cum illinc ergo venisset in sanctam ciuitatem, diuersabatur apud magnum Eustorgium. Ille autem eum, vt par erat, magna accipit affectione. Et cum hyemasset apud eum, rogat magnum Eustorgium, vt eius dignatus precibus cum pace dimitteretur. Hoc autem facto, cum accessisset ad Lauram mirabilis Euthymij, hospitio excipitur à quodam Anatolio Presbytero, & Olympio Monacho. Et cum multos dies apud eos degisset, deinde etiam magnum aspexit Euthymium, & beatæ illæ manus sacrum eius caput tetigerunt, simul quidem eum Monastico induentes habitu. Eum tamen hoc in loco manere non siuit Euthymius propter ætatem. Valde enim cauebat imberbium, & adolescentum in sua Laura conuersationes, ne aliquam offensionem afferrent reliquis fratribus ad turpes cogitationes. Sed cum magnus iam Theoctistus excessisset ad Iesum, quem desiderabat, ipse emittit Quiriacum ad Sanctum Gerasimum ad Iordanem.

*Audita Euangelica sententia, si quis vult venire post me, &c. mundo valedicere disponit.*

*A S. Euthymio Abbate Monasticum suscipit habitum.*

*Iuuenes in Laura nõ permittitur mirari, & quære.*

Cum



Cum ergo reuera præclarum munus accepisset A dit, & eum placide recreat à timore. Paulo post autẽ Quiriacum, & eum vidisset ea ætate, statuit, vt ipse ministraret in cœnobio. Sic autem in eo degebat ille admirabilis ligna scindens, aquam & alimentũ parans fratribus, & coci fungens officio. Sed quamuis ita se haberet, & in tantis laboribus totum diem transigeret, in colloquendo cum Deò tamen, & precatione totas noctes consumebat, & pane, & aqua solum, idque secundo quoque die alebatur. His inductus est Gerasimus, vt eum valde diligeret, & sic vita delectabatur iunioris, vt eum assumeret in diebus ieiuniorum ad solitudinem Ruba, & eum haberet socium eorum, qui illic suscipiebantur laborum, hic etiam magnus dicebatur versari Euthymius, & eos diuinis impertire Sacramentis singulis B Dominicis, donec venisset dies Palmarum.

*Vilia exercet officia S. Quiriacus in initio conuersionis.*

*Noctes in oratione consumit.*

*Victus eius panis, & aqua.*

*In diebus ieiuniorum comitatur S. Gerasimum in deserto Ruba.*

Cum breue autem tempus effluxisset, abit quidẽ pulchro illo ad Deum itinere magnus Euthymius, videt autem sacram illius animam Gerasimus deduci ab Angelis. Cum ergo statim assumpsisset Quiriacum, ascendit in eius Lauram, & sanctum eius corpus sepelit, cum ea qua par est reuerentia. Et cum omnia fecisset, quæ de more fiebant, reuersus est. Nono autem anno postquam Quiriacus venit in Palæstinam, admirabilis etiam moritur Gerasimus. Vigesimum autem septimum annum iam attingebat Quiriacus. Et cum illinc recessisset, accessit in Lauram Euthymij, susceptus quidem ab Elia, is enim tunc ei præerat, à quo etiam accepit cellam, C & abundè optato fruebatur silentio. Sed cum videret fratres in diuisione, & discordia maxima esse, recedit illinc, & venit in Lauram Sucam. Cum longo ergo tempore in ea esset versatus, & his quatuor ministeriis, nempe panis, ægrotorum curatione, hospitum exceptione, Lauræ administratione diuersis annis esset perfunctus, quadragesimo anno ætatis prouehitur ad honorem presbyteratus. Dicuntur autem hæc quoque de Quiriaco, quod spatio tot annorum non modò sol non occiderit super eius iracundiam, sed neque fuerit omnino vnquam iratus, neque eum vnquam viderit dies comedentem, & quod tempore diuinorum hymnorum, non prius fratribus significauerit sonum.

*Moritur S. Euthymius, eiusque animam vidit ab Angelis deferri in cælum S. Gerasimus.*

*Etiã migrat in cælum S. Gerasimus.*

*Venit ad Lauram Sucæ S. Quiriacus, & ibi varia exercet officia. Ordinatur Sacerdos.*

*Numquam sol vidit Quiriacum iratum, & comedentem.*

Septuagesimo autem septimo anno suæ ætatis secedit ad solitudinem Natupha, eum autem sequebatur discipulus. Cum autem eis deesset alimentũ, & non haberent vnde recrearent vsus necessitatẽ, Deum rogat Quiriacus, vt eis det talimentum ex Scillis, quæ illic erant: erat enim magna earum copia in solitudine. Et conuersus ad discipulum. Collige, inquit, fili, ex his Scillis, & sale eis iniecto, coque in olla, & efficiet benedictus Deus, vt his quoque nobis vesci liceat. Hæc mandat quidem discipulo. Deus autẽ audiuit ex alto preces, nam ipsæ Scillæ innatam mutarunt amaritudinem, & quatuor annos ex illo tempore fuerunt cibus beatis.

*Degit in solitudine Natupha.*

*Scillæ innatã mutant amaritudinem orante viro Dei.*

Vir quidam ex vico Thecoorum, cum ex iis, qui illic pascebant pecora, audiisset de Quiriaco, panibus calidis asino impositis accedit, & onere apud eũ deposito recessit. Hisque deinceps Quiriacus vixit cum discipulo. Sed tunc quidem discipulus, cum vt cõsueuerat, coxisset Scillas, non iussisset autem beatus Quiriacus, eas in cœna apposuit. Deinde ei cum non tulisset earum amaritudinem, vires cum voce sunt extinctæ, & iacebat tanquam mortuus. Cum ergo diuinus coniecisset Quiriacus causam eius quod acciderat, & sustulisset manus ad precandum pro discipulo, eum facit surgere, & cum eum diuinis impertiisset Sacramẽtis, sanum protinus reddi-

*Quidam ei panes defert.*

*Discipulus viri Dei non iussus apponens Scillas, & comedens præ amaritudine earum deficit.*

*Signo Crucis S. Quiriacus, aufert à Scillis amaritudinem.*

*Pellit dæmonem de corpore adolescentis.*

*Interiorem penetrat solitudinem, vt magis lateat.*

*Cibus Quiriaci, & discipulorũ eius. Multos à spiritibus immundis vexatos sanat.*

*Fugit in incognitam, & inhabitatã hactenus solitudinem.*

*Fame totam regionem opprimente, ad Lauream redire cogitur.*

Mota itaque misericordia bona illa, & clemens anima, rursus descendit ad Lauram. Et cum ad beati Charitonis cellam quinque transegisset annos, vehementissimè decertauit aduersus eos, qui eadem E sentiebant quæ Origenes. Atque tunc quidem admirabilis quoque Cyrillus, qui à magni Euthymij Laura ad beati Sabæ Lauram accesserat, vt videret Silentiarium Ioannem Episcopum, fit ei minister litterarum ad hunc beatum Quiriacum. Litteræ autem significabant bellum tunc fuisse suscitatum aduersus sanctam ciuitatem, & eum obsecrabant vt Deum oraret intensius, vt qui erant in noua Laura cum Nonno, & Leontio, qui Origenis dogmata defendebant, & aduersus rectam fidem militauerant, vincerentur, & aduersus illam amitteret arrogantiam. Cyrillus itaque cùm venisset in Suos, & incidisset in Zozimum, & Ioannem primos illius discipulos, cum eis venit ad magnũ Quiriacum, &

*Decertat cõtra Origenistas.*

*Cyrillus monachus egregius defert beato viro litteras.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ei tradit epistolam, & narrat omnia quæcumque illi coram dicta fuerant. Illc autem cum ardenter, & ex corde ingemuisset, & lacrymasset. Dic ei, inquit, qui te misit. Ne animo angamur, ô pater, cito enim videbimus Nonnum, & Leontium è vita excessisse miserrimè: lupos autem qui versati sunt in Laura, turpissimè illinc expelli, & oues ratione præditas, sine molestia eam rursus habere, & sine metu in ea ali & pasci. Quod & postea euenit sicut prædixit. Cyrillus autem cum omnia quæ in corde habebat proposuisset, discessit in pace.

*Nonni, & Leontij mortem prædicit beatus Quiriacus.*

Quoniam autem, quando legum Origenis diligens custos Nonnus turpissimo exitu expulit animam, & fractæ fuerunt omnes eorum vires, & cessauit bellum aduersus Orthodoxos, & illi inter se inuicem prælia cierunt, multi venientes in antrum Charitonis, diuino Quiriaco non paruam exhibebant molestiam, eius silentium & quietem interturbantes, redit rursus ad Sucam, iam agens nonagesimum nonum annum ætatis. Cum ille autem octo annos in ea mansisset, incessit aliquando Cyrillum quoddam desiderium conueniendi Quiriacum. Et cum venisset in Lauram Sucam, & eius discipulum assumpsisset Ioannem, veniunt ambo Susacim, qui locus non minus quàm nonaginta stadia aberat à Laura. Cum autem iam prope essent, eis Leo occurrens, & magnitudine maximus, & visu terribilissimus, Cyrillum conturbauit, & metum ei intulit. Cũ discipulus ergo Ioannes eum sic vidisset affectum: Ne timeas, inquit. Leo autem cum vidisset eos euntes ad sanctum, via eis cessit protinus, & transierũt ipsi nullo malo affecti. Eos cum sacrum illud caput aspexisset: valde protinus est lætatus, cosque suauiter, & familiariter intuens, similiter admodum & scitè. Ecce, inquit, meus quoque in cœnobio sodalis Cyrillus. Deinde nonnihil quoque ludens discipulus Ioannes, sed eum, inquit, Leo, ô pater, grauiter terruit, & timidum apertè reddidit. Hilaris autem illa anima. At tu noli timere, fili, hic enim Leo iste manet diligens custos olerum, qui nulli bestiæ in ea permittit ingredi. Quapropter nec agrestis capreæ, nec alterius animalis impetũ, vt puto, timuerint olera hoc vigilante custode. Deinde cum multa narrasset de patribus qui erant in solitudine, & sic eos excitasset, & eis ad virtutem acriorem iniecisset amorem, mensam ipsis apponit. Tunc accedit Leo. Ille autem bestiæ manu præbet panem, & dimittit eum ad custodienda olera. Eis autem, qui simul cum eo accumbebant, habeo, inquit, ô filij, bonum agri custodem. Neque enim hic vrsus, neque vlla alia bestia, neque latro, neque barbarus, inuadit eos qui ad me accedunt. Eos namque castigat Leo, & graue eis affert exitium. Atque illis quidem cum totum diem apud illum transegissent, & illius doctrinã, & benedictionem eis impertiisset eos dimisit in pace. Et sic læti iuerunt viam quæ ducit ad eorum regionem.

*Leo cedit viã Cyrillo, & Ioanni euntibus ad virũ Dei.*

*S. Quiriacus habet Leonẽ custodem olerum.*

*Eidem manu præbet panẽ.*

Hic autem diuinus Quiriacus adhuc permanens in Susacim, cum aqua ei non adesset ex fontibus, vt simul quidem ipse vteretur, & rigaret olera, eã, quæ in petrarũ concauitatibus colligebatur, exhauriens, & æstate ea irrigabat meridie, & non amplius concedebat ea sitire. Tempore enim autũni, ipsum tempus ea satis irrigabat. Cum magna autem siccitas fuisset aliquando æstate, & eæ quæ sunt in petris concauitates, ne vestigium quidem haberent aquæ, ille oculis in cælum sublatis, à Deo petit aquam. Ecce autem repentina quædam nubes super caput condensata erupit in pluuiam, & repleuit eius hydrias, & omnia petrarum concaua, eaque & sancti vsui, & olerum irrigationi diu suffecit. Hoc in loco illud mihi venit in mentem, quod, etsi non cohæret de sancto narrationi, si tamen dicatur, non mediocrem afferet vtilitatem.

*Impetrat à Deo aquam.*

In solitudinem aliquando venienti huius sancti discipulo, cum cõdiscipulo suo Paramono, apparet circa myricas agrestes stans quoddam spectum hominis. Illi autem existimantes id, quod videbatur, esse vnum ex Anachoretis, (eo enim tempore multi hanc habitabant solitudinem) ad eum statim sunt conuersi. Cùm autem iam propè fuissent, & nusquã esset, quod apparuerat, illi existimantes esse malignum spiritum, precati sunt, & cum precationi, Amen subiunxissent, spectant huc & illuc, & quædam subterranea eis apparet spelunca. Quod quidẽ cum existimassent esse signum dexterum, & esse aliquem Dei seruum, qui apparuerat, rogabant vt eos impetriret benedictione, & pace. Vix tandem ergo vox intrinsecus resonuit ex spelunca dicens: Quid ex me vultis? Sum enim fœmina. Sed quò proficiscimini? Illi autem, ad Anachoretam, dixerunt Quiriacum. Sed dic nobis quomodo voceris, & quinam modo sis hic, & quanam de causa huc accesseris. Illa autem. Nunc quidem abite, dicam autem redeuntibus. Cum illi autem instarent, & ne tantillũ quidem dicerent se esse abscessuros, nisi de beata illa prius audiissent: Nomen quidem mihi est Maria. Cum autem essem psaltria, scio me multis præbuisse causam offensionis. Deum itaque rogaui, & suppliciter obsecraui, vt liberarer à laqueis diaboli. Aliquando autem corde contrita, & in anima diuino igne accensa descendi ad sanctum Siloë; & cum hoc vas implessem aqua, quod apud me adhuc manet, lupinis in sporta acceptis, huc accessi. Nihil autem horũ est diminutum vsque in hodiernũ diem. Sed nec ab illo tempore vidi hominem, neque vllum sum allocuta. Vos igitur nunc abite, & reuertentes me visitate.

*Discipuli B. Quiriaci, sanctam quandã fœminam in Eremo degentem reperiũt. Maria solitaria narrat vitam suam discipulis S. Quiriaci.*

*A die conuersionis Mariæ, nec vas aquæ, nec lupini imminuti.*

Illis his auditis recedunt. Et cum ad beatum veniissent Quiriacum, ei omnia renunciant. Ille, vt par erat, fuit admiratus, & vt eam visitarent, ipse quoque reuertentibus mãdauit discipulis. Cum itaque in reditu venissent in speluncam, & aditum de more pulsassent, nemo autem eis responderet interius, ingressi, inueniunt eam iam consummatam & corpus iacens in spelunca. Cum itaque ascendissent in Lauram Sucam, & ea accepissent, quæ erant eis vsui ad eam sepeliendam, redeunt in speluncam, & cum ea quæ de more fiunt, beatæ peregissent, demum ei faciunt sepulchrum, in ipsa spelunca depositis reliquiis. Sed huc quidem nos deduxit suauissima & vtilissima narratio: rursus autem redeundum est, vnde digressi sumus.

*Mortua inuenta à prædictis discipulis sepultura mandatur.*

Cum octo iam annos, vt diximus, in Susacim transegisset beatus Quiriacus, qui erant Lauræ Sucæ, post perfectam liberationem ab iis, qui tenebãt sententiam Origenis, cum illuc rursus veniissent, in magni Charitonis antrum eum reduxerunt: quò etiam cõtinenter beatus accedebat Cyrillus, & magnum ab hoc sancto percipiebat emolumentum, & vtilitatem. Iam autem vixerat Quiriacus pluspquàm centum & septem annos, vt testatæ sunt ipsius in diuersis locis mansiones, & obita itinera. Venit enim in sanctam ciuitatem decem vtique & octo annos natus: mansit autem nouem apud beatum Gerasimum. Transegit decem annos in Monasterio magni Euthymij. Ministrauit autem triginta & nouem annos in Laura Suca. Quinque anni præterierunt, dum vesceretur Scillis in solitudine Natupha, & totidem alij rursus in Ruba. Et quod ipse septem annos

*Degit in antro S. Charitonis.*



annos manserit in Susacim iam relatum est. In sancti autem Charitonis spelunca quinque annos degit; & rursus octo in Susacim, duobus verò annis ante tempus mortis ascendit rursus ad antrũ Charitonis. Quamuis autem ad tantam peruenisset ætatem, & esset tam profunda senectute, ne tantillum quidẽ remittebat de sua statione ad diuinos hymnos, & ministerio eorum qui ad ipsum accedebant, sed quo erat ætatis prouectioris, eo magis florebat, & exultabat animi alacritate, acriusque, & fortius diuina aggrediebatur certamina.

*Nihil sibi blanditur propter senectutem.*

Erat autem vir mitis, & hilaris, & facilis ad eum patebat aditus, statura erat procerus, & erectus, colloque adhuc recto, & iuuentutem quodam modo præferente, & nec omnino victo à senectute. Moribus ad docendum erat accommodatus, religioneque maximè orthodoxus. Cum tandem itaque incidisset in corporis infirmitatem, & debitum naturæ exsoluisset, apud Iesum quem desiderabat suum deponit spiritum.

*Forma, & mores S. Quiriaci.*

## *NOTÆ.*

Quiriacus.] *De eodem Martyr. Rom. cum Baronio 24. Septemb. & Græcorum tabulæ, & Menologium, vbi habetur hunc vixisse temporibus Theod. Iunioris. Vitam eius Metaph. descripsit, quam Surius refert tom. 5. Mẽtio de eodem habetur in vita S. Euthymij abbatis, cuius fuit discipulus, quam scripsit Cyrillus Monachus, qui & de Euthymio multa didicit à Quiriaco. Quod autem spectat ad rectam rationem temporum, constat ex eiusdem actis, eum anno 9. Leonis Imp. ingressum esse Monasterium annos natum 18. vixisseque ætatem annorum centum, & septem, sicque peruenisse vsque ad Iustiniani Imperatoris tempora. Hic cum esset Diaconus in Laura S. Sabæ, venit cum aliis ad Concil. Constantinop. celebratũ post Consulatum Belisarij anno Domini 536. subscriptusque reperitur libello quem Synodo obtulerunt Archimandritæ, vt eius Synodi acta significant.*

Corinthus.] *Vrbs Achaiæ, quæ primo à Sisypho latrone Æoli filio fertur condita fuisse, & Corcyra nominata autore Strab. postea Ephyre. Deinde euersa & instaurata à Corintho Oresti seu Iouis filio, Corinthus est appellata. Egregia de hac ciuitate scribit Villamonius.*

In sua Laura.] *Est differentia inter Cœnobium, & Lauram: nam Cœnobium est illud in quo Monachi viuũt socialiter, & in commune, sub abbate, in Laura verò licet monachi subditi sint abbati, tamen monachi solitariam, & eremiticam vitam ducunt, in longè ab inuicem separatis cellis habitantes.*

Ex Scillis.] *Scilla est genus cepæ. Suidas scribit eam amaram esse, & comedentibus letalem. vide Plin. lib. 21. c. 17. & lib. 24. c. 8.*

Circa myricas.] *Myrica est genus humilis virgulti, quæ alio nomine genesta dicitur, & nascitur in deserto, & saxosa humo. Hierem. 17. Quasi myricæ in deserto.*

## *VITA S. SABÆ ABBATIS.*

### *Ex Simeone Metaphraste collecta.*

SANCTISSIMVS, & diuinus Sabas patriam quidem habuit Cappadociam. Natus est autem in vico Mutalasca (hoc est enim ei nomen) quæ prius erat vilis, & ignobilis, & sita sub Metropoli Cæsarienſium, ex eo autem postea euasit insignis, & longè clarior illa Armathen, quæ olim tulit diuinum Samuelem. Pater Ioannes, mater Syphia vocabatur, qui erant ambo clari genere, & pietate. Natus est autem decimo septimo cõsulatus Theodosij. Cum verò iam quintum ætatis annum ageret hic vir admirabilis, eius autem parentes migrassent Alexandriam, nam necessariò eos vocabat tunc futura quædam expeditio, ipse in Cappadocia diuina quadam prouidentia, apud auunculum cui nomen erat Hermias, cum paternis relinquitur facultatibus. Sic ergo apud auunculum manens Sabas iam ætate proficiens, cum vxoris illius malignitas molestia afficeret adolescentem, illinc recedens accedit ad quendam Gregorium, qui ipse quoque erat patruus, in quodam vico nomine Scandos, statim ab initio ostendens, quanto odio haberet malos, & se maiorem curam gerere virtutis, quàm cognationis.

*Patria S. Sabæ.*

*Parentes.*

*Degit apud auunculum.*

Postquam autem ageret apud Gregorium, vidit hoc patruo, & auunculo magnam afferre dissensionem & discordiam: cõtendebat enim vterque, & ipsius Sabæ, & rerum eius esse dominus,) ille omnem offensionis auferens occasionem, repentè despiciens diuitias, cognatos, & pecunias, seipsum tradit cuidam Monasterio, quod vocabatur Flauianæ, quod distabat viginti stadiis à Mutalasca. Benignè itaque acceptus ab eo qui tunc præerat Monasterio, & cooptatus in numerum Monachorum, illic deinceps se exercet in doctrina sacrorum psalmorum, & accuratè instituitur in omni regula monastica.

*Fit Monachus.*

Operabatur aliquando horum Monasterij. Mala autem quædam pendebãt ab iis, quæ illic erant arboribus, & eius incitabãt appetitionem, & mouebãt advescendum ante tempus. Atque fuit quidem victus ab aspectu pomorum, erant enim pulchra visu, vt qui ipse quoque esset homo. Victus est autem vsque adeò, vt malum manu caperet. Deinde cum intellexisset esse maligni insidias, & cogitasset primos parentes à voluptate, & cibo eiectos fuisse ex paradiso, hæc cum ille mente agitasset, & seipsum increpasset, malum statim iecit humi, hanc in posterum sibi legem imponens, vt toto vitæ tempore, malo non vescatur amplius. Ab illo ergo tempore perpetuò in summa rerum omnium vixit abstinentia.

*Calcat pedibus pomum quod appeterat comedere.*

*Proponit nũquam vesci pomis.*

Porro autem hoc quoque dicitur de conuersatione eius in hoc Monasterio. Cum pistor hyeme aliquando vestes haberet madefactas, nec eas posset exsiccare ad solem, relinquit in clibano. Deinde oblitus se ea illic reliquisse, vt exsiccarentur, cum vt repente panis fieret esset opus, ipse Sabas, & alij Monachi vnà cum pistore fermentum commiscebant, & clibanum accendebant, intus relictis, vt diximus, vestibus. Flamma verò iam sublata recordatus pistor quando nihil poterat efficere, cor eius sauciabat tristitia, & angebatur animo. Non ferens autem Sabas fratrem, qui ita angebatur, munitus signo Crucis continuo ingreditur clibanum, flammaque conculcata sicut prius voluptate seruat ex igne vestimenta, & ipse egreditur illæsus.

*Illæsus ardentem clibanũ ingreditur.*

Quædam autẽ in corde agitans, cum diuini desiderij nullũ modum nosset, nec satietatem in animo habebat ire in sanctam ciuitatem, & contemplari loca sancta, lustrareque, & visere patres, qui erant in solitudine, & ea frui quæ ex ipsis percipitur vtilitate, aut etiam incitatione eorum vitæ institutionis, ostendere acriorem impetum ad virtutem. Accedit itaque ad præfectum Monasterij, & animum aperit, & ab eo petit, vt liceat secedere. At ille non permittens omnino conabatur eum detinere. Deinde cum ad eum è superis diuina quædam aduenisset visio, mandat vt Sabam dimittat, nec prohibeat quomi

quominus peregrè proficiscatur. Ille ergo persuasus visione, eum dimisit. Ille autem id quod desiderabat consecutus, Deo duce tendit Hierosolyma, cũ

*Et Hierosolymam.*

in hoc quidem Monasterio annos decem transegisset, ætatis verò annum ageret octauum decimum, quo Marcianus & Iuuenalis ambo pij ac religiosi, ille quidem ab imperio, hic autem à Pontificatu, morte desistunt.

*Hospitio excipitur in Monasterio S. Passarionis.*

Cum verò hyeme venisset Hierosolyma, & à quodam sene Cappadoce in Monasterio Sãcti Passarionis hospitio esset exceptus, tunc quidem apud ipsum hyemat. Sed cum accepisset de magno Euthymio, (virtus enim eius vbique prædicabatur) captus est vehemẽti desiderio cũ eo congrediendi. Et quoniam ille non secus ac hesperus in solitudine B quæ est ad orientem, clarus erat miraculis, & doctrina, desiderabat Sabas frui luce bonorum Euthymij, & cum eo lætari, ad eum tanquam filius ad

*Venit ad S. Euthymium.*

patrem accedit. Cum ergo aliquot illic dies mansisset, ad synaxim, de more eunte Euthymio, ad eius pedes procidit, rogans vt fieret eius ouis rationis particeps, & ab ipso pastore pasceretur cum aliis. Magnus autem Euthymius qui in exercendis pueris erat præstantissimus, vt qui omnium certaminũ spiritualium fecerat periculum, cum vidisset Sabam adhuc iuuenem, non prius permisit vt habitaret cũ Monachis qui erant in Laura, quàm totam Monasticam persecutus esset vitæ institutionem quæ est

*Remittitur sub disciplina B. Theoctisti.*

in cœnobio, & ostendisset eam quæ exigebatur C absolutionem. Remisit itaque eum ad Abbatem Theoctistum.

Cum sic ergo diuinus Sabas fuisset in B. Theoctisti potestate, seipsum totum purè Deo tradidit. Nam nunc quidem dies transigebat in laboribus, nunc verò integras noctes in somnis peragebat in

*Noctes integras in oratione expendit.*

precibus. Erat enim cum animi fortitudine, procera quoque corporis magnitudine, & admodum robustus. Igitur iã decem annos illic diuinus trãsegerat Sabas, & beatus è viuis excesserat Theoctistus, Quem cum magnus sepeliisset Euthymius, pro illo quendam Marin, virum non parui faciendum, elegit præfectum Monasterij. Cum autem is duos annos vixisset post susceptam præfecturam D Monasterij, è vita excedit. Post quem diuinus Euthymius cuidam Longino viro bono Monasterij committit rectionem. Illo autem tempore admirabilis Sabas iam triginta annos natus, cum resplenduisset in vniuersa Monasticæ vitæ institutione, capitur amore solitudinis. Et cũ non posset ferre vim desiderij, accedit ad Longinum, petens quem desiderabat secessum. Ille verò nesciebat quomodo hoc ei ex se permitteret, de eo refert ad magnũ Euthymium. Is autem cum oppletas haberet aures Sabæ virtutibus, continuò scribit ad Longinum, ne ei esset impedimento quominus suum exequeretur E institutum: sed ei permitteret vti quiete & silentio quinque dies hebdomadæ. Sciebat enim fore, vt omnino rectè vteretur solitudine, & haberet occasionem ad Deum ascensionis. Sic ergo ei permisso

*Degit in spelunca in magna abstinentia.*

silentio, ingressus est Monasterij speluncam, quinque quidem dies hebdomadæ intus degens, & nihil cibi sumens: sed solùm vacans precationi & labori manuum. Sabbatho autem egrediens, & quinquaginta numero confectas sportas, quas solent vocare μδλωχια, afferens. Die autem Dominico cum collegisset tot ramos palmarum, quot sciebat sibi in hebdomada sufficere ad operandum, ingrediebatur speluncam. Et hoc modo perpetuos quinque annos se exercuit.

Deinde diuinus Euthymius cum eum vidisset sic A viuentem, eum sumpsit cum Domitiano socium decertationis ad certamina quæ suscipienda erant in solitudine, cum de eius mente factus esset certior, & eum vocaret puerum senem. Et quoniam consueuerat Euthymius decimoquarto mensis Ianuarij egredi cum Domitiano in vastam solitudinẽ Rubæ, & illis transigere sanctissimos dies ieiuniorum, egressus quidem est vt consueuerat. Ei autem aderant Domitianus, & Sabas, ingrediebantur verò per solitudinem quæ vergit ad meridiem, vltra mare mortuum. Et cum iter diu produceretur, ipsa solitudo quæ est arida & aquæ expers, Sabæ sitim

*S. Euthymius accipit eum socium solitudinis tẽpore ieiuniorum.*

accendebat vehementem, & viæ prolixitate & sic-citate efficiebat vt iam defatigaretur & deficeret: neque pedibus vti posset ad ingrediendum. Cùm autem sic affectum magnus vidisset Euthymius, parum ab eo recedit, & humi procidens dixit: Domine Deus da aquam in in terra sitienti, iam deficiẽtem iuuenis huius consolans animam. Sic dixit, &

*S. Euthymius diuinitus impetrat aquã ad sitientem Sabam reficiendum.*

cum protinus Sabam accersiuisset, ter fodit ligone, & quæ erat deserta, & aquæ expers, aquam genuit, & protinus aquam emisit limpidissimam. Sabas autem cum illam bibisset, tunc restinxit sitim, & satis est recreatus.

Cùm sic ergo S. Sabas se gereret in solitudine, & magnum imitari Euthymium studeret diligentissimè, parum temporis interceſſit, & cum ille magnus Euthymius ibidem obdormiisset, verè beatam quietem est assecutus. Sed cùm post illius decessum Monasterium otio & socordiæ paulatim se dedisset, longo tempore aufugit beatus Sabas, & habitabat in solitudine: cùm Gerasimus eam quæ est circa Iordanem solitudinem, non secus atque stella illuminaret. Sabbas verò tunc attigerat tricesimum quintum annum suæ ætatis. Iam autem aduersus cum cœpit bellum dæmonum, non obscurè, nec latenter, sed apertè. Nam cum illam Deo gratam moram traheret in solitudine, esset autem nox media, humi verò accumbebat, vt labores parumper remitteret, videt quosdam dæmones, qui scorpionum, qui serpentum speciem erant imitati, & eum inuadebant, & omnibus modis tentabant eum perterrefacere. Deinde cùm intellexisset cuiusnam esset machinatio, audacter surgit ad precationem, canens illud psalmi, non timebis à timore nocturno: sed super aspidem & basiliscum ambulabis. Solummodo ergo sic locutus est Sabas, & venenata illa animalia, tanquam fumus statim euanuerunt.

*Post mortem Euthymij, Monastica tepescente disciplina, aliò migrat.*

*S. Gerasimus Anachoreta claret.*

*Dæmones Sabam terrere niituntur.*

Cum aliquot dies deinceps interceſſissent, rursus eum adoritur Satanas, leonis formam suscipiẽs, torueque & furiosè intuens, & tanquam qui impetum esset in eum facturus. Ille autem cùm cognouisset esse maligni insultum, visione minimè est conturbatus. Si accepisti, inquit, contra me potestatem, cur reprimis impetum? Ego sum paratus, Dei cedens nutibus, & non inuitum me offerens vt deuorer. Sin minus, cur fremis, & exultas inaniter? Hæc dixit Sabas, & protinus aufugit bellua quæ latebat sub specie Leonis. Omnes autem feræ ab illo tempore fuerunt magis mãsuetæ & obedientes: adeò vt ipse vnà cum eis versaretur, & nihil omninò ab eis læderetur. Cùm verò sic se gereret Sabas, ei prætereunti in via quatuor occurrunt Agareni, qui fame valde laborabant, & indigentia vehementer erant afflicti. Cùm autem iam propius accessissent, illi quidem qui fame vrgebantur, eum diligenter circunspiciebant, & scrutabantur, & naribus quodammodo odorabantur, an aliquid cibi afferret. Ille verò, ô misericordiã & paternum animum,

*Apparet ei diabolus in forma Leonis.*

*Secure degit inter feras.*



mum, placidis eos intuens oculis, cum nihil haberet aliud quo ipsos aleret esurientes, ea quibus ipse alebatur, in commune proposuit. Et extensa pelle ouilla, melagriorum radicibus, & arundinum, eos

*Charitatem Agarenis exercet.*

excepit. Mirati autem barbari eius promptum, & liberalem animum, tunc quidem vrgentem famem, vt licuit, sedauerunt. Postea verò remunerantes eius hospitalitatem, venerunt afferẽtes caseos, & dactylos. Ille autem qui sicut apes laboriosæ, sciebat ex omni parte colligere id quod est vtile, ex eo cepit occasionem maioris modestiæ, & ad sui condemnationem, & compunctionem deuenit vehementiorem. Hei mihi, dicés, ô anima, ecce enim hi barbari, vel parui illius nostri fuere memores beneficij, &

*Ingratitudinem summopere fugere debemus.*

referre gratiã studuerunt tam prẽclarè, & munificè. B Nos autẽ quotidie fruimur bonis creatoris, & nullã ei studemus vicissim referre gratiã per mandatorũ obseruationem. Quẽnam ergo de cætero excusatio, quænam nobis dabitur venia? Et sic multos dies compungebatur animo. Sed hæc quidem facta sunt à Saba admirabili cùm degeret solus in solitudine.

Postea autem accedit ad eum quidam Monachus nomine Anthus, vir amicus virtutis, qui ipse quoque longo tẽpore versatus fuerat cum beato Theodosio. Is cum Saba vinculis spiritus tunc colligatus permansit de cætero, ab illo inseparabilis. Cum verò essent sic inter eos coniuncti, inuadunt eos quidam Agareni plane barbari, & animo malignissimi. C Qui quidem volentes honestam accipere occasionem, vt perinde ac iniuria affecti se viderentur vlcisci, non autem priores facere iniuriam, mittũt ad sanctos vnum ex suis veluti quandam escam, vt si illi vel minimum impetunt fecissent in eum qui missus fuerat, ipsi ambos inuaderent, & interficerent. Illi verò cum periculum protinus præuidissent, nulla re alia quam ea in qua poterant sola cõfidere, nempe precatione, aduersus eos armabantur. Et cum simul inclinassent genua, & animos, Deum rogabant ardentissimè, vt liberarentur ab illorum

*Agarenus in insidias struens viro Dei absorbetur à terra.*

insidiis. Cum finiissent preces, terra dehiscens, quomodo olim Dathan, ita etiam tentatorem illum qui ad eos missus fuerat, in illorum conspectu deuo- D rauit. Illi autem nouum videntes miraculum, statim magno timore afficiuntur, & se coniicientes in pedes, longè recedunt. Ab illo verò tempore diuina à superis ad Sabam aduenientes gratia ita eum affecit, vt deinceps nihil faceret barbarorum insidias.

Iam quatuor annos transegerat hic admirabilis Sabas in solitudine. Cum fuisset autem aliquando in excelso illo colle, in quo celeberrimi Theodosij doctrinæ fructum percepisse dicitur beata Imperatrix Eudocia, in consueta precatione pernoctans,

*Videt visionem.*

videt visionem admirabilem, splendore coruscantem, & veste lucida ei ostendentem torrentem qui à Siloë defluit ad austrum, & denunciantem, vt ha- E bitaret torrentis speluncam quæ vergit ad Orientem, & ei pollicentem auxilium ex sancto. Ipse igitur magna ex visione affectus lætitia, cum statim è colle descendisset, diuina prouidentia deducitur vsque ad speluncam. Quadragesimo itaque anno suæ ætatis cœpit habitare hanc speluncam, quando

*Anastasius Hierosolymitanus Arch. moritur.*

Anastasius Archiepiscopus Hierosolymitanus cum implesset decimum annum sui Patriarchatus cum eo quoque excessit, sui Põtificatus successore relicto Martyrio. Zeno verò Imperator Romanorum,

*Zeno Imperator, interfecto Basilisco, rursus accipit Imperium.*

interempto tyranno Basilisco, cum viginti menses obtinuisset tyrannidem, rursus accepit imperium.

Cum ergo speluncam habitasset magnus Sabas, quoniam ea in ascensu magnam habebat difficultatem quando vellet egredi aquatum (fons enim distabat quinquaginta stadia) ab eo desuper appendens funem, sic suum ascensum, & descensum effecit faciliorem. Cum is autem rerum necessariarũ

*Vescitur herbis agrestibus S. Sabas.*

nullam aliam curam gereret, sed contentus esset herbis quæ nascebantur prope speluncam, Deus qui mandauit Sabæ, vt subiret speluncam, ipse ea quæ promissa fuerant deducit ad exitum. Quomodo enim Eliæ Prophetæ, qui olim ingressus erat montem Sidoniæ, & seipsum abscõdebat, ita nunc quoque mittit ad iustum eos qui res necessarias erant

*Pascitur à quibusdam.*

suppeditaturi, nisi quod ad illum quidem coruum, ad hunc autem quosdam homines, licet barbaros, mites tamen, & moderatos, qui ipsi quoque tanquã ab aliquo quem non videbant manuducti, rectà peruenerunt ad speluncam. Et cum per funiculum ascendissent ad sanctum, vbi viderunt illic vitam planè illaboratam, & nulla omnino supellectili instructam, nec vllis ornatam vtensilibus, virtutem adeò iure sunt admirati, vt magnificarent vel illius solum seruire ministeriis. Et certis quibusdam diebus illuc venientes ad eum afferebant caseos, panem, & dactylos, & si quid erat aliud ad vsum necessarium. Atque quinque quidem annos sic Saba transegit in spelunca, solus cum solo Deo conuersans, & fruens bono quietis ac silentij. Agebat autem tunc ætatis annum quadragesimum quintum.

*Multi sub eius disciplina congregantur.*

Cum sic solitarius degeret beatus Sabas, cœperunt multi ad eum confluere, quos ille benignè suscipiebat. Quamobrem videre licebat viros circiter septuaginta numero omnes breui ad eum conuenisse. Cum hos ergo omnes diuini Sabæ virtus pro-

*Construit Lauram.*

cul inuocasset, illic quoque statuit maximam Lauram construere, vt per hanc solitudinem eis compararet supernam Hierusalem. Et primum quidem in loco qui est in fontibus torrentis, qui sunt ad boream, turrim ædificat. Deinde verò inter torrentem domum excitat oratoriam, & cum in ea sacram mensam statuisset, & templum dedicasset, cum videret ex sacratis aliquem ad eum accedentem, eum faciebat in eo diuinum celebrare mysterium, ipse propter magnam in Deum reuerentiam,

*Ob humilitatem Sacerdotium differt.*

modestiamque insignem, & humilitatem rem fugiens, & omnibus modis differens Sacerdotium. Cum templum autem sic excitasset, & Lauram illic constituisset, in cura gerenda fratrum deinceps studium, & operam ponebat. De rebus enim necessariis eis prouidere satagebat, & precibus eos sæpe adiuuabat, quod quidem è vestigio declarabit oratio.

Nam procul quidem à spelunca, vt iam prius diximus, fluebat aqua. Hoc verò malè habebat monachos, & in ea importanda magna afficiebantur molestia. Ille ergo beatus non sustinens eos

*Precibus monachis impetrat fontem.*

videre id tam molestè ferre, Deum orauit, vt alicunde eis scaturiret aqua, finita oratione quidam sonus statim eius pulsat aures. Videbatur autem sonus inferente emitti ex torrente. Et cum respexisset, luna iam illustrante terram pleniſſimo lumine, videt quendam onagrum vngula pulsantem solum, & fodientem, deinde postquam terram satis fodisset, & cauasset ore fossæ impositio bibentem. Ille autem statim descendit, vbi vidit onagrum fodientem. Cum autem ipse quoque parum fodisset, inuenit aquam quæ ab illo tempore vsque in hodiernum diem fluit per mediam Lauram, & neque crescit hyeme, nec deficit æstate, idque cum hauriatur ferè ab omnibus qui sunt in regione.

*Apparet ei columna ignis.*

Rursus verò cum is aliquando solus noctu deãbularet circa torrentem, & psalmos caneret Dauidicos, ei apparet columna ignis apud ipsum præcipitium, quod erat dirutum ad occidentem torrentis. Videbatur autem columna in terra quidem fixa, capite verò cælos tangere. Cùm ergo perseuerasset in oratione donec luceret lux diei, pergit versus orientẽ vbi ab eo visa fuerat columna ignis, & offendit quoddam magnum antrum, quod seruabat effigiem templi Dei. Ad orientem enim erat quædam concha, quæ non humanæ, sed diuinæ manus videbatur esse opus. In eo autem à tergo erat apertus latus quidam ingressus. Solis verò radius illinc influens implebat domum copioso lumine. Cum sic ergo ædem illam inuenisset, constituit Sabas, vt Sabbathis diebus & Dominicis in eo consueta fieret glorificatio. Cum autem vidisset quandam petram quæ templo supereminebat ipse quidem delegit eam ad habitandum.

Cum autem multitudo Monachorum quotidianis accresceret accessionibus, & breui peruenisset ad numerum centum & quinquaginta, auctam quoque ex vtraque parte torrentis cellularum ædificatio, Sabæ cura & diligentia perfectum est, vt & iumenta ad ministeriũ, & alia quæ sunt apta ad vsum corporis, possiderent Monachi: ne necessariarum rerum indigentia, eis sæpe specie pulchra & honesta esset occasio pergendi ad mundum, neglecta quiete & silentio. Sed postquam Martyrius Patriarcha, qui in virum sanctum optimè affectus erat, & ei familiaritate coniunctus, octauo anno sui Pontificatus è vita excessisset, & Salustius post eum sedem accepisset, iam quadragesimum octauum ætatis annum agente beato Saba, quidam ex Laura prauis animis, menteque peruersa, mala meditantes aduersus diuinum Sabam, veniunt in sanctam ciuitatem, & Salustium Episcopum linguis dolosis, aut vt melius dicam, cordibus, accedentes, quærebant qui esset ei præfuturus. Ille autem cum esset sapiens, & aures non haberet faciles, accuratè rogauit, quinam essent & vnde. Illi verò dicebant se habitare prope quendam torrentem, & illic peragere certamina excercitationis, celantes nomen Sabæ. Sciebant enim eum ex virtute notum esse omnibus. Cum ij autem sæpe rogarentur vt dicecerent cuiusnam esset torrens, & quomodo vocaretur, cum non possent effugere interrogationem: Qui ab aliquibus, dixerunt, vocatur torrens Sabæ. Ille autem cum intellexisset eum esse præfectum, aduersus quem isti struebant calumniam, rogauit rursus vbi est hic Sabas? Illi verò mittentes respondere ad propositum, dixerunt, eum non posse sufficere curæ de tam multis suscipiendæ propter simplicitatem nimiam & rusticitatem: lenitatem illius & moderationem simplicitatem vocantes improbi, eo quod nollet hic populus, vt admirandus dixit Esaias, aquam Siloë quæ fluit silentio. Porrò autem illud quoque addiderunt accusationi, nempè nimiam in suscipiendo sacerdotio cautionem; dicentes neque ipsum velle esse sacerdotem, neque alteri vt fiat sacerdos, concedere. Sed hæc quidem illi.

*Martyrius Patriarcha Hierosolymit. moritur, cui succedit Salustius.*

*Improbi Monachi struunt ei calumnias.*

*Quiricus Presbyter pulchra ratione cõfutat & retundit calumnias Sabæ illatas.*

Quiricus verò quidam sacerdos, & virtutis amator ardentissimus, cum tunc adesset apud Episcopum, & quæ dicta sunt audiuisset: Quid verò, inquit, vos primi Sabam suscepistis, an ille vos? Cum illi autem respondissent illum quidem ipsos suscepisse, & congregasse, eis verò regendis eum minimè sufficere, cum esset agrestior & simplex. Excipiens rursus Quiricus: Si ille, inquit, vos ab initio congregauit, & locum qui erat desertus construxit ad habitandum: quanto magis & locum ipsum iam constructum & habitatum, & vos qui estis congregati, erit is aptus ad regendum? Ad hæc illi cum nihil possent respondere, tunc dimisit Episcopus: Considerate, inquit, in præsentia: crastino autem die accuratius de his inquiremus. Et statim quidem accersit beatum Sabam, nescientem cur esset accersitus. Porrò eos quidem adducit ad probandum, vt putabant, suam accusationem. Postquàm igitur adstiterunt, rectus ille & incorruptus iudex, nihil illis omnino dicens, non arguens, neque alio egens testimonio, vt qui de virtute Sabæ optimè esset certior factus, eum quidem ordinat sacerdotem in conspectu omnium: hac autem apud eos nititur admonitione. Ecce, inquit, habetis vestrum patrem, & Lauræ vestræ præfectum, quem Deus desuper & non homo elegit. Nos verò solum Spiritui sancto manus commodauimus, non ipsum, sed vos potiùs ipsos afficientes beneficio. Sic dixit. Et cum statim assumpsisset beatum Sabam, & ipsos seditiosos, & pium ac Religiosum, qui tunc aderat Quiricum, cum eis in Lauram proficiscitur. Et primum quidem sanctum illud templum consecrat. Deinde etiam aram in eo constituit, & glorioforum Christi martyrum illic multas recondit reliquias.

*Ordinatur Sacerdos beatus Sabas.*

Atque tunc quidem agebat Sabas quinquagesimum tertium annum suæ ætatis, quo tempore Anastasius quidem sedem tenebat Imperatoriam, cùm è viuis iam excessisset Zeno. Eodem autem anno ad Lauram accedit vir quidam diuinus, quem dona decorabant spiritualia, genere Armenius, nomine Hieremias, quem duo quoque sequebantur discipuli, qui vocabantur Petrus & Paulus, qui cognoscebantur eius vitam apertè referre & exprimere. Cum ergo hi ad Lauram accessissent, magnam ex iis voluptatem accepit beatus Sabas, & tunc paruam cellam ad borealem speluncæ partem: in qua prius ille versabatur in exercitatione, quando solus torrentem incolebat, eis tribuit, & eis paruum reliquit oratorium, vt diebus Dominicis & Sabbathis sua lingua consuetam peragerent glorificationem.

*Anastasius Imperator.*

*Hieremias Anachoreta ex Armenia venit ad S. Sabam.*

Cum itaque soleret Euthymius quarto decimo Ianuarij semper proficisci in vastam solitudinem, & illic versari in diuinis diebus ieiuniorum, beatus Sabas facere consequenter, tempore solum parum mutato, quandoquidem ille quarto decimo, sicut diximus, hic autem vicesimo die mensis secedebat. Nam post diuini Antonij memoriam, magni Euthymij diem festum vicesimo die mensis celebrans Sabas, sic se conferebat ad solitudinem, & illic morabatur vsque ad festum palmarum, non secus atque ille, se purum conseruans ab omni humana cõgressione. Et sic quidem semper faciebat vnoquoque anno vertente. Cum mortuum autem mare aliquando obiret, & in eo paruam quandam vidisset insulam admodum desertam & horridã, eius statim captus fuit amore, animum verò induxit, in ea perferre dies ieiuniorum. Inter eundum autem dæmonis inuidia cecidit in quandam fossam, quæ ex fornace cum igne emittebat caliginem, fuitque ei vultus & barba exusta, & multæ aliæ partes corporis: adeò vt cum multis post diebus rediisset, ad Lauram, signis tantum suorum morum & voce, iisque valde exiliter & obscurè agnosceretur, eius forma omninò mutata, barbaque effecta rariore. Nam nec loqui omnino poterat, donec vis quædam diuina eum visitans à superis ei vires immersit

*S. Euthymij festum tempore B. Sabæ iam celebratur.*

*Deo permittente cadit in foueam sulphureã ignem & caliginem emittentẽ, & vultus eius, barba, & alia corporis partes comburũtur.*

aduersus



aduersus malos spiritus infirmum, & languentem renouauit ac recreauit. Propter barbæ autem rarefactionem Deo quoque Sabas egit grãtias, vt qui modestiæ ei causam præbuerit, ne propter barbæ densitatem sibi nimis placeret.

*Oratione seruat discipulũ dormientem ne à Leone lædatur.*

Quadam vice cum assumpsisset vnum ex discipulis, cui nomen erat Agapetus, pro more exibat in solitudinem. Non multi itaque dies præterierant, & Agapetus quidem cum se somno dedisset, supinus iacebat, confectus labore, & inedia. Vigilans autem Sabas, & vacans orationi, videt quendam Leonem iacenti discipulo adstantem, & omni ex parte odorantem. Ille verò cum hoc vidisset, valde suo timuit discipulo, & cor eius cœpit vehementer trepidare, & pro eo ardentem fudit precationem, & statim leo fuit trophæum orationis, & se proripuit in fugam discipulo nihil læso, nisi quod cauda solum sensim eius vultum percussit, & eum à somno excitauit. Atque ille quidem apertis oculis cum vidisset leonem, caligans confugit ad Sabam. Is autem primum quidem eum metu liberat: deinde etiam admonet, ne tam facilè vincatur à somno, & socordia, ne capiatur ab his feris, & multo magis ab iis quæ sub obtutum non cadunt.

*Ieiuniorum tempore, nullo corporali cibo vtitur.*

Alia vice cum de more esset iturus in vastam solitudinem, Agapeto pellem tradit ouillam, & panes siccos ad eius vsum. Nam ipse Sabas toto ieiuniorum tempore erat ieiunus, nihil omnino cibi attingens, nisi quod Sabbathis, & diebus Dominicis diuina sumebat Sacramenta. Ineuntes autem viam quæ ducit ad Iordanem, & eius eam partem quæ vergit ad Septentrionem, inueniunt locum quendã præruptum, & præcipitem, in cuius cacumine erat quædam spelunca aditu difficilis. Ad quam cum nõ sine magna difficultate peruenissent, Deo vtique Sabam ad hanc latenter attrahente, inueniũt quendam Monachum, qui vtebatur vita ab omni præparatione aliena, & planè Anachoretica. Erat verò is dignus habitus gratia perspiciendi. De more ergo factis precibus cum sermones cœpissent conferre, rogauit Sabam Anachoreta, cum admiratione etiam nomen adiiciens. Vndenam, dicens, motus, ô admirande Saba, aut quonam tibi locum indicante ad nos venisti? Ecce enim iam Dei gratia hic annos egi quadraginta, duobus solum demptis, & cũ nullo homine non modò sum locutus, sed ne vllum quidem aspexi, quod me quidem magna afficit admiratione, quonammodo ipse, aut vnde motus huc veneris. Beatus autem Sabas excipiẽs, Deus, inquit, qui meum nomen tibi notum reddidit, is quoque me in eam quæ huc fert viam, quomodo ipse scit, deduxit. Cum hi ergo sermones inter eos essent habiti, & Anachoretæ dixissent ea quæ consueuerunt, egressi sunt. Cum autem se satis longo tempore cõtulissent ad lustrandam solitudinem, reuertuntur, vt visant Anachoretam, & rursus benedictionem ab illo consequantur. Ingressi itaque speluncam, videt eum genibus flexis iacentem ad Orientem. Existimantes verò eum vacare solitæ orationi, diu expectauerunt. Cum autem iam esset tempus vespertinum, & ipse adhuc humi iaceret, beatus Sabas accedens dixit: Commenda nos Christo pater. Cum verò nec sic quidem respondisset, sed longum illud silentium in aliam adduxisset opinionem, accedens Sabas, & tangens inuenit eum iam expirasse, & excessisse. Conuersus itaque ad eum qui sequebatur discipulum: Adesdum, inquit, ô fili, sancti componamus reliquias. Ad hoc enim fortasse nos Deus conuocauit. Hæc Sabas quidem dixit discipulo, & cum iusta fecissent mortuo, & quæ de more cani solent,

*Quidã Anachoreta beatum Sabam proprio nomine vocat.*

*Per spatium quadraginta annorũ nullũ hominem, præter Sabam viderat hic Anachoreta.*

*Sepulturæ mandat prædicti Anachoretæ corpus.*

cecinissent, & cum sanctè, & honorificè composuissent, depositurũt in quadam parte speluncæ, magnis lapidibus aditum obstruentes. Deinde illinc recesserunt, & pridie palmarum (vt solebant) ad Lauram reuersi sunt.

Eodem anno in quo aucta est Laura, & diuinũ illud templum fuit consecratum, & Sabæ fama manabat in omnem partem, accidit, vt ex parentibus, qui, vt prius à me dictum fuit, erant Alexãdriæ, pater è vita excederet, mater verò Sophia cum ante oculos vidisset mortem mariti, & eam valde traheret fama filij, venditis facultatibus, continuò venerit ad filium, magnam vim auri afferens. Quæ quidem cum eum libenter adspexisset, & libentissimè apud eum diuersata esset, ei persuadet filius, vt omnibus quæ sunt mũdi renunciet. Deinde paulo post mater quoque decedit in filij suauissimis manibus, iam prouecta ætate, & vitæ ex Deo agendæ institutionem studiosè, & acriter persequens. Sed eam quidem sepeliuit sanctus Sabas, & in communi omniũ matre condit venerabiliter. Illius autem pecunias omnes Deo consecrat, eas opportunè, vt par erat, expendens.

*Moritur pater S. Sabæ.*

*Persuadet matri vt mũdo renunciet.*

*Sepelit matrẽ B. Sabas.*

Cum solitus esset magnus Sabas iis qui à viris bonis desiderantur diebus ieiuniorum peregrinari, (sicut diximus) venit ei aliquando in mentem in colle quoque habitare, qui dicitur Castellium, qui quidem distat à Laura viginti stadiis. Ad eum autem hominibus propemodum nullus patet aditus, tam propter multitudinem dæmonum qui eum incolunt, quam propterea quod sit locus valde asper, & agrestis. Cum in eo itaque colle fuisset, & Crucis oleum tanquam terrorem in omnem partem diffudisset, & altissimum esse suum statuisset refugium, collem habitauit toto vertente tempore ieiuniorũ. Sed primum quidem graue bellum quotidie in eũ excitabatur, & tam vehementer eum aggrediebãtur dæmones, vt continentibus malis propemodũ fractus, & defessus esset exercitator, & iam considerasset quomodo è colle recederet. Sed qui olim magno apparuit Antonio, ipse quoque Sabæ nunc apparens, & eum bono iussit esse animo, & aduersus malignam illam caternam tantum ei dedit audaciæ, vt nec possent amplius illum videre orantem.

*Degit in quodam loco à dæmonibus occupato.*

*Propter dæmonum molestias cogitans recedere confortatur à Christo.*

Cum autem iam præteriisset tempus ieiuniorum, reuertitur Sabas in Lauram, vt solebat. Cum præclarum verò paschatis festum in ea celebrasset, quibusdam secum assumptis fratribus venit in Castellium, collemque repurgauit, & quæ erat in eo materia vsus est ad cellas ædificandas. Interim autem dum cum fratribus intentus erat operi, inuenitur domus quædam pulcherrimo lapidè constructa, tecto excelsa, magnitudine ampla, ornata copiosis gratiis, & elegantiis. Cum eam ergo inuenisset diuinus Sabas, ex ea templum efecit. Hinc arbitratus fore, vt res ei succederet, ex Dei voluntate, statuit plura ædificare habitacula, & locum redigere in cœnobium, quod & fecit. Dum autem cum suis laboraret, & magnam pateretur egestatẽ, Angelus Domini apparuit Marciano, qui præerat iis quæ sunt in Bethleem cœnobiis, & præcepit vt afferret Sabæ quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria. Quod ille continuò opere complet. Cum sic ergo se gereret Sabas, & Lauram, & Castellium quotidie augeretur ędificiis, & fratrum accessionibus ij qui fuerant prius eius discipuli, nõ ferẽtes Lauram videre sic florentem, sed etiã adhuc maiore inuidia flagrantes, & cum aliis fratribus conspirantes, & mala synagoga effecti circiter qua-

*Construit Monasteriũ.*

*Marcianus Abbas monitus ab Angelo Sabæ, & fratribus mittit cibaria.*

*Patitur inuidiam magnã quorundam discipulorũ suorum.*

draginta, dolos aduersus sanctum consuebant, & ei omnibus modis parabant insidias. Hæc autem cum cognouisset ille mitis ac mansuetus, ne esset fratribus causa offensionis, à Laura recedit. Deus autem cuius causa hæc Sabæ acciderant, Sabam non habuit despicatui, & ipse quidem subit speluncam quandam sitam prope flumen. In ea autem habitabat leo insigni magnitudine. Cum in ea ergo versaretur, & post preces se sopori parum dedisset, ad eum media nocte accedit fera illa terribilis. Et cum eum sensim veste apprehendisset, eum foras trahebat, & quodammodo iubebat eum exire è spelunca. Ille ergo excitatus, & illius consp- A ctu minimè conturbatus, nocturnos hymnos protinus est aggressus. Leo verò, ô magnam in Saba B operationem spiritus, statim extra recedens dum preces fierent expectabat. Peractis autem precibus, ille quidem humi sedens vbi solebat leo decumbere, paululum requieuit. Is autem aduenies trahebat eum similiter, & tentabat eum è spelunca expellere. Quid deinde consequitur? Cum leo sic eum contenderet expellere, & vehementer instaret, & Sabam vi traheret, ille labris apertis, ô fera, (inquit) hæc quidem spelunca ambobus si velis sufficit ad habitandum. Tibi verò si hoc non videtur, at tu mihi potius cede spelunca. Ego enim Dei manu sum formatus, & eius sum honoratus imagine. Hæc admodum leniter & placidè dixit Sabas, & fera perinde ac sermonem reuerita, statim abiit, Sabæ cedens spelunca & cubili.

*Degit in spelunca Leonis.*

*Leo non audet Sabam orantem interrumpere.*

*Conatur Sabam de spelunca expellere, sed viri Dei constãtia & in Deum fiducia præualuit.*

Cum is ergo illic versaretur, multi ex finitimis ad eum ventitabant, & maximè quicumque habitabant Scythopolim & Gadara. Eos enim vndique vocabat illius fama. Quo quidem in loco quidam ex Scythopolitanis genere clarus, iuuenis ætate, nomine Basilius, à Deo motus ad ea quæ sunt honesta, cum humana omnia iussisset valere, ad ipsum accedit. Et ille quidem versabatur cum Saba, & apud ipsum viuebat, & eo vtebatur præceptore. Quidam autem latrones, pecuniis abundare arbitrati Basilium, circa mediam noctem spe pleni ad eos accesserunt. Postquam verò nihil inuenissent D eorum quæ sperarant, recesserunt, & pro alio lucro sibi pararunt animæ vtilitatem. Nam cum vidissent vitam adeo tenuem, & cui etiam deerant quæ sunt necessaria, obstupuerunt, & admirati sunt quod nihil Sabas possideret. Suum itaque facinus animo versantes, & ne aliquo graui malo à Deo afficerentur dubitantes recesserunt, audacis sui cœpti magna ducti pœnitentia. Tale etiam aliquid quod contigerat, iniecit eorum animis maiorem eius quod bonum & honestum est, æmulationem. Cum enim iam essent in medio itinere, in eos incidunt leones ingenti magnitudine, & visu terribiles. Quorum aspectu timore perterriti, & vitæ spem non habentes amplius, vnam solã prospexere salutem, si ad Sabam & illius orationis virtutem confugissent. Bestias ergo per illum adiu- E rarunt dicentes: Per preces Monachi Sabæ, via nobis cedite. Et statim leones tanquam graui aliqua plaga percussi, nomine Sabæ, in pedes se coniecerunt. Latrones autem insigni miraculo obstupefacti ad Sabam reuertuntur, ei gratias referentes quod à bestiis non essent læsi. De cætero latrones non fuerunt amplius latrones, sed dimissa omni iniusta & iniqua actione, operam dabant agriculturæ, & occupati erant in terræ laboribus.

*Basilius quidam vir diues, & clarus valedicens mundo S. viri efficitur discipulus.*

*Latrones videntes pauperta tem S. Saba compuncti recedunt.*

*Latrones S. Saba nomen nominantes nihil lædũtur à leonibus.*

Cum hoc autem miraculum ad multorum aures breui peruenisset, vexatus ille multitudine eorum qui confluebant, desiderabat rursus priorem quietem & silentium. Cùm Deo ergo commendasset fratres qui illic erant congregati, & eis tradidisset cellam quam nuper construxerat, ad desideratum reuertitur silentium. Ille autem cum longo post tempore reuertisset ad Lauram, existimabat se inuenturum qui prius erant seditiosi ex fratribus, ira remissiore, vtpote quod tempus quod interceserat, inuidiæ vigorem multorum tabefecisset, & cum eius è Laura peregrinatione, vnà quoque eorum de ipso abiret cogitatio. Hoc autem non ita habebat, magis enim vigebat & amplificata erat perturbatio, & erat acrior inuidia. Cùm verò videret eos vltro magis effici viriles, & nulli rei magis fidere, quàm impudentiæ, quoniam non poterat eis aliter mederi, rursus secedit ad partes Nicopolis: & diuertit ad quandam arborem quæ fert siliquas, alimento quidem vtens illius fructu, tegumento verò ramis. Sed Deus propter quem hæc sustinebat Sabas, non dereliquit eum. Nam cum hoc curasset vt veniret ad cognitionem Domini agri, effecit vt is mox ad eum accederet, & tum in cæteris eius curam gereret ac prouideret, tum cellam quoque ei excitaret, quæ postea Deo opem ferente constructa fuit Cœnobiũ. Sed cum Sabas in eo loco sic degeret, sceleſti illi homunculi, & maligni, accedunt ad Patriarcham, dicentes, Abbas noster in solitudine mortui maris fuit deuoratus à leone. C Deinde quærebant aliquem qui esset eis præfuturus. Ille autem qui nihil temerè & inconsideratè neque dicere didicerat, neq; alios audire, & alioqui Sabæ vita qualis esset à puero non ignorabat, quod dictum fuerat mentis iudicio permittebat. Sed non possum, inquit, facilè credere quod dictum est: Scio enim quod cum Deus sit iustus, & iustitiam diligat, non sic dimisit seruum suum deuorari à bestiis. Abite ergo vos potius ad illum quærendum: aut si vobis videtur, expectate aliquantulum temporis, donec Deus nobis de eo aperiat. Cùm illi ergo sic à scopo excidissent, & vacuis manibus reuertissent, quieuerunt in præsentia.

*Fugit homines conspectum.*

*Improborum fratrum ergà virum Dei, processu tẽporis nõ minuitur inuidia, sed magis augetur.*

*Habitationẽ sibi deligit supra ingentẽ quandam arborem, cuius fructu ad cibum vtitur.*

*Improbi fratres Sabam fuisse à bestiis deuoratum falso iactitãt.*

Cùm autem aduenissent dies festus dedicationis, S. venit, vt solebat, diuinus Sabas in sanctam ciuitatem cum quibusdam fratribus Monasterij quod ab eo constitutum fuerat Nicopoli. Cùm verò vidisset eum Episcopus, & quod eum præter spem vidisset, fuisset gaudio repletus, eum accepit seorsum, & rogauit vt ad suam rursus rediret Lauram, & non sic rectore destitutam eam derelinqueret. Quinetiã Patriarcha hæc scripsit Monachis Lauræ. Vos qui estis fratres in Christo, scire volo patrem nostrum, non vt à vobis auditum fuerat, fuisse à bestiis consumptum: sed eum adhuc viuere & esse superstitem, & ad nos venisse ad festum. Ego verò eum detinui, non æquum esse censens vt ipse Lauram relinquat quam suis construxit laboribus. Prompto ergo & alacri animo vos eum quo par est honore suscipite, & ei omnibus modis cedite. Sin autem sunt apud vos aliqui arrogantes, & contumaces, & superbi, & se ei nolentes submittere, nos eos iubemus quamprimùm à Laura recedere.

*S. Sabas venit Hierosolymã ad festum dedicationis.*

*A Patriarcha honorificè excipitur, & ad Lauram suam remittitur.*

Acceptis itaque litteris, diuinus Sabas descendit ad Lauram. Cum veniisset autem ad Lauram, & omnibus audientibus lectæ essent litteræ in Ecclesia: illi qui nihil non audebant, vbi quæ lecta fuerant audiuissent, suo impetu incitati, alij quidem secures, alij dolabras, & ligones sumentes in manus, & ad eam quæ à Saba ædificata fuerat turrem cum ira ascendentes, eam euertunt ab ipsis fundamentis. Et alij quidem ligna & lapides iaciebant



*Pseudofratres Sabæ præsentiam æquo animo non ferẽtes, Lauram propriis manibus destruunt ex parte, & recedunt.*

iaciebant in torrentem: alij verò monachorum in- A mus, vt optatum ieiunij stadium peragat in solitudine. Iacobus verò quidam ex discipulis, moribus arrogãs, inita societate cum aliquot aliis monachis, apud eum lacũ qui septem habet ostia aggressus est propriam Lauram constituere. Valde verò irascentibus fratribus, ille adiiciens mendacium iniquitati, dixit hæc fieri de sententia patris Sabæ. Quod cũ audissent Monachi, destitere eum prohibere ædificare. Post completos autem illos dies ieiunij, ipse quoque diuinus Sabas ad Lauram reuersus, cum vidisset ea quæ facta fuerant, continuò accersit Iacobum, & paternè admonet, vt à cœpto abstineat.

*Nota insignẽ viri Dei erga inimicos charitatem.*

Cum autem Iacobus minimè acquieſceret, pro- *Pœna inobedientis Monachi.*
tinus eum inuasit tremor totius corporis, & vehe- B menti febre correptus vexabatur, & premebatur. Interim verò cum omnem spem vitæ amisisset, recordatus est suæ in patrem inobedientiæ, & vehementer rogat eos, qui aderant, vt eum ita vt erat in lectulo tollant, & portent ad sacros beati Sabæ pedes, vt eum roget, vt de ei veniam suæ inobedientiæ. Cum hoc autem factum esset, qui erat verè mitis, & misericors Sabas: Nosti, inquit, ô frater, quis sit fructus arrogantiæ. Et porrigens ei manum erexit eum, & sanatus est.

*Bonitate, & mansuetudine seditiosos Monachos reddit tractabiles.*

Aliquanto autem post tempore in cella silentiũ *Iacobus Mõnachus grauiprossus carnis tẽtatione, amputat sibi genitalia.*
agens Iacobus, grauiter vexatus fuit à fœdis carnis cogitationibus. Is verò cum eis diu fortiter resti- C tisset, nec putasset fieri posse, vt vnquam sedarentur fluctus, à maligno inductus, fortasse verò sacrorum canonum oblitus, stricto gladio amputauit sibi genitalia, malum malè medicans. Cum dolorem autẽ ferre non posset, & fluxum sanguinis, eos qui propè erant implorauit, & conuocauit eos qui erant opem laturi. Illi verò cum accurrissent, & hoc graue malum ab eo sua sponte susceptum aspexissent, arte medẽdi, vt potuerunt, opem tulerunt, & doloré sedauerunt. Cæterũ res peruenit vsque ad aures sacri Sabæ, & cum conualuisset Iacobus, expellit eum è *Expellitur à Laura.*
Laura, vt qui sibi esset insidiatus, & manus improbè attulisset. Cùm sic ergo esset affectus, accedit ad beatum Theodosium grauia illa bella carnis enuntians, & à se sibi allatas manus exponens, & Lauræ D deflens alienationem. Ille ergo ab eo flexus, cum ipso venit ad beatum Sabam, & rogat vt fratri ignoscat, & eum rursus in Lauram admittat, iis pœnis quas par est impositis. Amici itaque precibus motus Sabas, admittit Iacobum: hoc inter cætera ei præcipiens, vt cum nemine sermonem conferret, neque aliquem aspiceret, præter eum qui illi ministrabat necessaria. Quiescentem ergo, & silentium *Agit pœnitentiam Iacobus.*
agentem Iacobum rursus habebat cella, & plurimũ ostendentem pœnitentiam, & Deum vehementer rogantem, donec ei desuper remissum fuit crimen. Quomodo autem statim dicetur.

*Cõstruit Ecclesiam, & Monasteriũ.*

Visus est aliquando huic diuino Sabæ vir qui- E dam visu splendidus, & vndique emittens dulcem radium lucis, propè stare, & ante pedes Iacobi iacentem ostendere mortuum: Iacobum verò orãtem pro mortuo. Deinde vox quædam desuper audiebatur, Iacobe, dicens, preces tuæ sunt exauditæ. Tange *Habet reuelationem Sabas de salutari pœnitentia Iacobi, eiusque peccati remissione.*
ergo mortuum, & resurget. Deinde cum Iacobus tetigisset, vt iussus fuerat, mortuus resurrexit. Vir autem ille luminosus dixit Sabæ. Ecce surrexit mortuus. Tu quoque de cætero relaxa à vinculis cum qui susciatuit. Hæc cum vidisset Sabas, & celerrimè coniecisset quidnam sibi vellet illa visio, protinus egressus est è cella, & cum vocasset Iacobum, iussit vt deinceps accederet ad diuinam synaxim. Cum ille ergo venisset in Ecclesiam, & deinde descen-

*Duos Monachos Nestoriana hæresi infectos precibus, & monitis ad Catholicã fidem conuertit.*

Cum igitur fratres sic conciliasset, & nouam Lauram extruxisset, & ad suam Lauram sic reuersus rediisset, non satis habuit tam multa præclarè gessisse in construendis Monasteriis, sed adhuc vehementer spirans aduersus dæmones, contendebat efficere, vt reliqua solitudo fieret habitabilis. Ea de causa tempore ieiuniorum accedit ad quẽdam torrentem, qui à maxima Laura distabat decem stadiis, cum quodam Paulo ætate quidem sene, florenti ve- D tò virtute. Et cum ostendisset quandam speluncam in torrentis parte quæ est ad boream, in ea quidem totam transegit quadragesimam. Cum vidisset autem locum omni ex parte tranquillum, silentioque, & quieti valde aptum; postquam illinc reuersus fuit ad Lauram, & ad præclarum, & diuinum festũ resurrectionis, & cum alios fratres assumpsisset, illuc rursus reuertitur, & ex spelunca construit Ecclesiam, circa Ecclesiam autem insigne Cœnobium.

Cum aliquando sciret duos Monachos sentire quæ Nestorius, & neque Dominum nostrum Iesum Christum vnum esse sanctæ Trinitatis, neque rursus virginem confiteri Deiparam, valdè angebatur, E & intra viscera magnam habebat perturbationem. Ille pro eis vehementiores ad Deum fundebat preces, vt eis immitteret aliquem radium cognitionis. Sed nec ipse fuit negligens in eo faciendo quod potuit pro viribus, sed assiduè ad eos ventitabat, docens, rogans, admonens, increpans, supplicans, nihil non faciens, donec Dei auxilio eos à graui morbo liberauit, & effecit vt rectè saperent.

Sed nobis rursus venit tempus ieiunij, beatum Sabam vocans ad consuetum secessum solitudinis. Operæ pretium est autem nec illud prætermittere quod contigit fieri in ea peregrinatione. Nam è Laura quidem egreditur hic vir diuinissi-

*Tandem moritur Iacobus.*

disset ad beatum Theodosium, septimo die post visionem è præsenti vita lætus emigrat. Aliquando veniebat beatus Sabas ea via quæ fert à Ruba ad Iordanem. In via autem incidit in leonem ingenti magnitudine, cui pes erat paxillo transfixus, & magnum sentiebat dolorem. Sic ergo affecta fera, quando vidi Sanctum Sabam prætereuntem, ad eum accedit protinus pedem tollens sublimem, & paxillum quodammodo ostendens, & rogans vt misereretur, & eum illa liberaret molestia. Ille ergo cum rem statim intellexisset, & leonis doloris esset misertus, illum quidem humi facit sedere. Cũ pedem autem apprehendisset eximit paxillum, & sic leonem liberat à dolore. Verum enimverò ipse quoque beneficio affectus, & quasi magno & excelso animo volens referre gratiam, ferinæ quidem naturæ obliuiscitur, ei autem adhæret tanquã gratus & beneuolus famulus, studiosè in omnibus inseruire desiderans.

*Paxillum de Leonis pede extrahit Sãctus Sabas.*

*Leo ob acceptum beneficium Sabæ adhæret.*

Nam erat quidem huic venerando discipulus quoque nomine Phlais, aderat autem quoque quidam asinus, per quem inseruiebat Phlais magnis ministeriis. Si quando verò contigisset discipulum emitti ad aliquod ministerium, leoni asini custodiam, & aliam etiam eius curam pater leoni committebat. Cernebatur itaque leo asini capistrum ore accipiens, & manè ad vesperam vsque ipsum ducens ad pascua, vespere autem ducens ad aquam, & sic domum reducens, & discipuli implens omnem curam in asinum. Dies aliquot interim transierunt, & leo sic assiduo fungebatur ministerio. Deinde quid accidit, & efficit inuidia? Phlais missus ad aliquod ministerium, & à diuina gratia desertus, fortè propter aliquam mentis elationem, cadit in lapsum fornicationis. Illo verò die asini quoque custos leo ferociter insurgit in eum quem custodiebat, & eum deuorat. Cum hoc autem intellexisset Phlais, & animaduertisset peccatum suũ causam fuisse vt deuoraretur asinus à leone, non ausus est amplius venire in conspectum suum: sed reuersus in locum vnde trahebat genus, tristitia afficiebatur, & seipsum affligebat. Non tamen despexit eum diuinus senex: sed cum eum diu quæsisset inuenit, & ad se rursus reuocat. Deinde admonitionibus eum ducit ad pœnitentiam ex animo agendam, & efficit vt abluat peccatum multis & calidis lacrymis.

*Leo asinum ad pascua ducit, & reducit.*

*Leo ob peccatum discipuli S. viri asinũ deuorat.*

*Discipulum lapsum, & fugitiuũ quærit, & reducit sanctus vir, & ad pœnitentiam prouocat.*

Post hæc quidam senex qui ortus quidem erat in Bethania, vocabatur verò Anthimus, cum multis ex Deo sudoribus vitam suam ornasset, erat vltra torrentem ad Orientem ex aduerso turris quæ à beato Saba fuerat extructa cella ædificata, & triginta annis illis peractis. Deinde cum morbo quodam postremò fuisset implicatus, iacebat senex in lecto doloris. Cum ergo Sabas admirabilis eum & morbo, & longa senectute sic vidisset omnino resolutum, rogauit vt transferretur ad aliquam cellam ex iis quæ sunt iuxta Ecclesiam: vt sic possent eum fratres visitare, & seruire ei minore labore. Hæc ille quidem rogabat. Senex autem non patiebatur, dicens debere eum in Deo confidere fore vt illic consumeretur, vbi habitauit ab initio. Deinde cum noctu aliquando surrexisset Sabas, ante eam quæ fit mane congregationẽ visus est audire quandam symphoniam & modulationem tanquam multorum canentium. Arbitratus itaque cani ea quæ cantari solebant in matutino cantica, apud se dubitabat, quomodo non vt consueuerant præter eius sententiam peragerentur cantica matutina. Cum ocyssimè itaque venisset in templum, & portas inuenisset clausas, reuertitur, & rursus videbatur audire priores voces, quæ canebantur cum maxima voluptate. Erat autem hoc quod canebatur. Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. In voce exultationis & confessionis, soni eorum qui festum celebrant. Cũ ergo didicisset vndenam sit sonus canticorum illorum admirabilium, è somno repentè excitat eum qui sub eo erat ordinatus, & iubet vt ligni pulsu conuocet fratres. Qui cùm repentè fuissent congregati, assumens aliquos Sabas, venit ad cellam senis cum suffitibus & lampadibus: (illinc enim audiebatur canticum.) Et cum fuissent intra cellam, nullum quidem alium inueniunt nisi solum senem, eumque iam consummatum. Quem cum reuerenter complexi essent & ei iusta fecissent: sacrum illius corpus mandant sepulturæ.

*In obitu Anthimi Eremitæ, Angelorũ melodiã audit S. Sabas.*

Verum enimverò se offert narranda res lepida & amœna. Cum aliquando ad Iordanem beatus iter ingrederetur, secum autem quendam adduceret ex suis discipulis, ætate iuuenem, eis fit obuiam multitudo mundanorum: inter quos etiam erat adolescentula specie venusta, vagis & lasciuis oculis; laqueus qui non poterat facilè superari. Postquàm verò illi præteriissent, Sabas veluti tentans discipulum: Tibi, inquit, qualis visa est puella? Mihi visa est vnum solum habere oculum. Nequaquam, inquit, ô pater, sed duos habet oculos. Ille verò, falsum est, ô fili, erat enim re vera orbata altero oculo. Discipulus autem ignorans hanc fieri interrogationem à sapiente Saba, vt ipsum tentaret: dum quærit vt rectè cognosceretur, quod non ab ipso rectè cognitum fuerat. Nequaquam, inquit, ô pater, sed valde lucidos habet oculos, & visu iucundissimos. Sabas autem: Quî factum est, inquit, vt hoc scires tam accuratè, vt hoc etiam tam constanter audeas asseuerare? Ego, inquit, eam pulchrè attendi, & apertè noui eam ambos habere oculos. Cum verò iam esset discipulus laqueis implicatus, tunc diuinus eum apertè arguens: Vbi, inquit, tibi positum est illud præceptum, Ne ad eam attraharis tuis superciliis? De cætero ergo non amplius mecum versaberis, neque mecum in cella manebis, donec assuefeceris oculũ non sic vagari, sed in loco manere. Cùm sic dixisset, illum statim mittit in Castellium. Deinde cum illic satis longo tempore esset versatus, & pulchrè castigatus, & pro oculis satis luisset supplicij, non fallaci pœnitentia, sed cordis doloribus, eum rursus suscipit beatus, & refert in numerum suæ cellæ.

*Egregiã facto probat, num discipulus mortificationem oculorũ habeat.*

*Fratrem oculis vagum à se repellit, donec discat mortificationem oculorũ.*

Atque sufficiunt quidem hæc quæ iam dicta sunt, ad ostendendam huius viri virtutis magnitudinem, & quanta Dei gratia esset locupletatus. Operæpretium tamen est se oblectare in iis bonis narrandis quæ fecit Byzantij, & quidnam eum impulerit, vt relicta Palæstina ad vrbem venerit regiã.

Anastasio & Elia, illo quidem Imperij, hoc verò Ecclesiæ quæ est in Palæstina, sedem administrante, oritur interim quoddam scandalum, quod Imperatorem & aduersus multos alios, & aduersus Eliam adeò irritauit, vt eum damnaret exilio. Dicatur autem primum quidnam eum ad iram incitauit: vt sic quæ sunt deinceps dicenda facilius intelligãtur. Tertio anno Imperij Anastasij, incidit grauis seditio inter eos qui præerant Ecclesiis, Romanis quidem Pontificibus dissidentibus à à Byzantinis, quod Acacium qui Constantinopolitanus fuit Episcopus, de rebus autem Christianis non rectè sentiebat, inscriptum haberet in sacris diptychis.

*Acacius Episc. Const. hæreticus.*



diptychis. Byzantinis rursus infestis Alexandrinis, qui synodum Chalcedonensem feriebant anathemate: Dioscori autem admittebant cõmunionem. Cum ergo inter eos inuicem magna esset dissensio, qui prius dictus est Elias, qui præerat Palestinæ Ecclesiæ, solius Euthymij qui erat Cõstantinopoli amplectebatur communionem. Occidentalibus quidem, (vt diximus) depugnantibus; Palladio verò Antiocheno ad gratiam intuente Imperatoriam, & ideo Chalcedonensem synodum feriente anathemate, ea autem amplectente quæ tenebant Alexandrini, vt pote quod Anastasius eadem quæ Alexandrini sentiret. Cum sic ergo se haberet Elias, & statuisset soli communicare Euthymio, Euthymius quidem propter rectam de fide sententiam, ab Imperatore impiè pellitur, à sedis rectione, & in eius locum euehitur Macedonius. Cum ergo indies augeretur dissensio, Elias qui Palæstinæ præerat Ecclesiæ, legatos misit ad Imperatorem pro reconciliatione. Legati autem erant multi patres, & ipse Sabas iam septuaginta annos natus. Cum hi ergo diuini patres venissent Constantinopolim, deducuntur ad Imperatorem. Cum autem iam fuissent omnes intra aulam Imperatoriam, Sabas solus à custodibus arcetur ab ingressu, seu propter vilissimã & contritam tunicam, seu Deo potius eum sic volente facere insignem, & glorioſum. Cum illos ergo benignè esset intuitus Imperator, & ea dixisset, quæ dici solent in aduẽtu, & deinde requireret quisnam esset is qui erat præcipue in literis positus Sabas. Cum Monachi autem in omnem partem circumcurrarent, (neque enim sciebant, quonammodo ille esset ab eis disiunctus, & vbinam mansisset,) stat timque Imperatoris satellites ad eum quærendum quoquouersus obirent, inuenitur stans in quodam angulo ante aditũ regiæ, & psalmos canẽs Dauidicos. Cum illinc ergo eum diripuissent satellites, & per regiam eum festinanter introducerẽt, cum iam esset ascensurus limẽ vbi præsidebat Imperator, videt ille circa eum insignem quandã, & plane admirabilẽ visionem. Nõ vt qui dignus esset talia videre, sed vt ei fieret manifestũ quantũ honorẽ Sabas apud Deum consecutus esset. Visio autẽ erat huiusmodi.

*Sabas legatus mittitur ad Anastasiũ Imperatorẽ.*

*Prohibetur à custodibus, ne intret ad imperatorem.*

*Quæritur, & tãdem inuenitur in angulo, ante aditum aulæ regiæ, canens psalmos Dauidicos.*

*Videt Imperator Angelũ circa beatum virum.*

Quidam specie Angelicus, veste splendidus, eum in orbem circumiens, & ingressus illum præcedens. Hæc cum vidisset Imperator, & virum vere esse diuinum censuisset, ei assurgit, seque in eum ostendit valde officiosum, & magno eum habet in honore. Deinde iussit omnes sedere, reuera enim erat ei magna in Monachos reuerentia. Aures ergo præbens omnibus, iussit vt vnusquisque diceret de quo vellet. Illi autem veluti obliti communis Ecclesiarum legationis, & cuius causa missi fuerant, vnusquisque proprias proponebat petitiones. Imperator verò cum eorum postulata benignè concedens, quæ volebat impleuisset, quoniam petentibus omnibus silebat Sabas, nec omnino quidquam rogabat, ad eum vultum conuertens Imperator. Tibi autem, ô pater, inquit, quid sibi vult tantus labor itineris, cum nihil omnino roges nec postules? Ad hæc ille respondens. Hac de causa, inquit, veni, ô Imperator, primum quidem vt tuam venerer pietatem, donec sum adhuc in corpore. Deinde vt regem pro sancta Dei ciuitate, & eo qui illic est præfectus, vt nullam tuæ potentiæ subeat indignationem, sed pax potius concilietur Ecclesiis. Ita enim & ipse Deum habebis propitium, & tibi præclaras præbebit victorias aduersus inimicos. Eius ergo libertatem admiratus Imperator, & quod nihil peteret ex terrenis, sed quæ ferunt ad Dei cultum, & Ecclesiæ constitutionem, aliis quidem concessit, vt recederent, ei autem largitur munus mille aureorum, dicens ea distribuenda esse Monasteriis, quæ sunt ab ipso constituta, & simul iussit eum manere, statuens, vt ad se posset ingredi citra vllum impedimentum. Cum verò non sustineret sedare iram, quã iampridem conceperat aduersus Palæstinæ Pontificem, & decreuisset Imperator eum sede expelli, incipiens diuinus Sabas Eliam defendere Patriarcham, eius iram ita compressit, vt non solum illam latam rescinderet sententiam, sed etiam Patriarchæ magis caueret, & iuberet ei de cætero remanere sedem minimè auferendam. Illinc autem cum ad Imperatricem veniisset Ariadnam, eam multum rogauit, vt patris Leonis tueretur sententiam, & leges conseruaret pietatis. Hinc exercitatorem subiit amor vehementior quietis, & silentij, & valdè desiderabat reditum. Quoniam verò menti eius tempus minimè congruebat, tũc enim vigebat hyems, statuit vrbanos tumultus in præsentia declinare, & egressus in quendam locum non procul ab vrbe, remotum, hyemauit illic reliquo tempore. Cum post hæc autem ver aduentasset, ille quidem, vt qui iam diu teneretur magno amore quietis, & silentij, paratus erat de cętero proficisci in solitudinẽ. Contigit verò aliquid in pagis qui sunt Hierosolymis, quod eius repressit impetum, & fecit eum rursus venire ad Imperatorem. Deinde paulo post magno cum desiderio ingressus est viam quæ ducit in solitudinem. Verumenimuerò non ingratum fuerit hoc quoque addere iis quæ dicta sunt, quod magnã iusti illius significat misericordiã in pauperes quibus fiebat iniuria, & zelum aduersus eum qui contendebat prohibere misericordiam, & admirabilem in eum prædictionem.

*Iram, & odiũ Imperatoris contra Eliam Patriarcham reprimit.*

*Ariadnam Imperatricẽ, ad fidem Catholicam, & pietatem adhortatur.*

*Magno quietis, & solitudinis desiderio tenetur.*

Nam cum fames, & pestis inuasissent nonnulla loca ex iis quæ sunt sita sub Imperio Romanorum, multas domos exinanierunt hominibus, totos autem pagos, & habitationes, & agros reddiderunt vacuos habitatoribus. Cum ergo considerassent communium curatores, quinetiam ipse Imperator, quanam ratione commune nõ pateretur damnum vectigalium annuorũ, decernunt, vt à finitimis, qui attriti fuerant, & perierant ea exigerentur, & hoc locum habuit per vniuersam regionem quæ parebat eorum Imperio, & quicumque habitabant in locis vicinis, cogebantur etiam pendere vicinorum vectigalia, siue periissent fame, & inopia, siue etiam essent suis bonis euersi propter necessitatem. Beatus ergo Sabas pro re tam iniqua ciuitatibus, accedit ad Imperatorem annuncians rei absurditatem, & ostendens pauperum interitum, dicens commune nihil hinc lucrifacere, sed potius extremo damno affici omnibus qui grauẽ illam famem, & inopiam effugere potuerunt, afflictis ab hac graui exactione, & quæ essent in posterum soluturi. Deinde fit etiam supplex, nempe vt pauperibus iniustum illud vectigal remitteret. Cum is autem, & iustum esset reueritus, & propter illius preces esset motus pudore, & nesciret, quid ageret, & pauperibus vellet præbere immunitatem, à crudeli illo munere. Marinus autem quidam, qui tunc magnam habebat potentiam, agebat autem, & ferebat, quò volebat leuitatem Imperatoris, honestam illam, & sanctam euertit sententiam. Cum autem eum increpasset Sabas, illud etiam subiunxit. Nisi velox propter ea quæ dixisti subierit pœnitentia, tibi monimentũ peribit cum sonitu. Illc verò cum Imperatori valedixisset, & alias ab eo drachmas accepisset, vt distribueret iis qui sub ipso erant Monasteriis, profi-

*Fames, & pestis sæuissima grassatur.*

*Ingreditur ad Imperatorem, vt eam famem pauperũ, & afflictorũ agat.*

*Increpat Marinum causam pauperũ impedientem, eique prædicit mala.*

ciscitur

ciscitur statim in Palæstinam, & eas quæ sunt in ea solitudines. Hæc autem magna in pauperes iniustitia mansit incorrecta tempore Anastasij. Non multum intercessit temporis, & finem acceperunt venerandi huius viri ad Marinum prædictiones. Nam cum quædam rerum innouatio occupasset ciuitatem, & mota esset popularis seditio, facultates omnes Marini raptæ sunt à seditiosis, & domus fuit igne exusta, & parum abfuit quin ipse periret.

*Populus seditione facta Marini facultates diripit, eiusque domũ exurit.*

Diuinus autem Sabas cùm emisset quidem parte auri sibi data ab Imperatore, paternam domum quæ erat in Mutalasca, extruxit in templum martyribus Cosmæ & Damiano: quod reliquum verò erat, Monasteriis. Venit autem deinceps oratio ad id quod fuit caput certanimum quæ suscepit Sabas pro recta in fide sententia. Iam enim Sothericus & Philoxenus cum suis improbè ascenderunt in Sidona, vt anathemati subiicerent Chalcedonensem Synodum: Flauianum autem & Eliam de sede deponerent. Quæ autem sunt consequuta, sunt potius lacrymis scribenda quam litteris. Nam cum Flauiano omnem adhibuissent necessitatem, & quid non graue & molestum ei intulissent, cogunt eum anathemate notare synodum Chalcedonensem, deinde è sede & ciuitate turpiter eiiciunt. Seuerum verò caput prophanum Acephalorum, eius loco sufficiunt. Qui cum apprehendisset sedem Antiochenam, innumerabilia mala fecit iis qui non ei communicarent. Mittit quoque sua synodalia ad Eliam Patriarcham. Quibus minimè admissis, non mediocriter ad iram accendit Imperatorem. Et hæc synodalia rursus mittuntur Hierosolyma, simul missis etiam quibusdam Clericis, & non parua manu militari: vt iis quibus non persuadebantur eadem tenere quæ ipsi, vim etiam afferrent.

*S. Sabas ex pecunia imperatoris emit paternã domum & in ea construit templum ad honorem sanctorii Cosmæ, & Damiani.*

*Flauianus Episc. ab hereticis sede & ciuitate sua pellitur.*

Cum hæc autẽ ita se haberent, & tam acerba in fidem orthodoxam exerceretur tyrannis, & iam Eliæ graue immineret periculum: cum congregasset diuinus Sabas eximios omnes & electos Monachos, & cum illis accedens, & illam quæ circunsistebat Eliam perrumpens multitudinem, Satellites Regis, & Seueri ministros illinc fugat tanquam quædam mancipia. Hoc dedecus & hanc ignominiam volens delere Imperator, contra eos mittit Olympium quendam Cæsariensem, ei traditis copiis quæ erant in Palæstina, regia vtens auctoritate. Qui cum primum ascendit Hierosolyma, Eliam de sede deponit, & eum damnat exilio. Ioannem autem filium Marciani, qui Seueri quidem confessus fuerat communionẽ, anathemati verò subiecerat synodum Chalcedonensem, reponit in illius sedem. Quod quidem cum didicisset beatus Sabas, non licuit ei cunctari: sed cum rursus accepisset sacrum illum exercitum Monachorum, tanquam Imperator quidam præstantissimus, irruit in certamen. Et Olympium quidem non offendit: iam enim ille, tanquam res ei rectè successissent, reuersus est in ciuitatem. In Ioannem autem incidens nouum Patriarcham, testificatur & denunciat ne Seuerum admittat in communionem: sed tueatur potius synodum Chalcedonensem, & pro ea ad sanguinem vsque periclitetur. Quod quidem facit ille reueritus patrum protestationem, omnino oblitus conuentorum cum Olympio.

*Heretici Imperatoris fulti præsidio, Catholicos persequũtur.*

*Elias Patriarcha deponitur, & mittitur in exiliũ.*

*Nota insignẽ viri Dei zelum pro fide Catholica.*

*Agit cũ Ioãne Patriarcha, ne Seuerii Hæresiarcham in communionẽ admittat.*

Cum autem beato Sabæ sic processisset è sententia certamen quod pro recta fide susceptum fuerat, sciens ille Imperatorem hæc non esse passurum, sed pro ignominia & dedecore id habiturum, & omnibus modis operam daturum vt se vlciscatur: congregato toto cœtu Monachorum, vbi cum eis rem contulisset, simul scribit Epistolam ad Imperatorem quæ hoc modo habebat. Dominus noster Iesus Christus, omnium Rex æternus & Deus, excelsi post illum regni sceptra piæ vestræ potestati sua benignitate tradidit: reuera volens omnibus sanctissimis Ecclesiis bonum pacis conciliare per vestram in Deum pietatem. Sciunt verò omnes quod cum ab hac Ecclesia cœpisset verè magnum veræ Religionis mysterium, peruasit vsque ad fines orbis terræ, quod quidem nos horum diuinorum locorum habitatores, ab alto à sacrosanctis acceptum Apostolis, sanum & integrum in hodiernũ vsque diem conseruauimus, & in æternum Christi gratia conseruabimus, à recta verbi semita minimè deducti ab aduersariis, aut corrupti prophanis & vanis eorum vocibus. In hac ergo intemerata, & in quam nulla cadit reprehensio, fide cum nutritum & eductum ab ineunte ætate fuerit vestrum Imperium, venit nobis in mentem admirari, quemadmodum in diebus vestræ pietatis tantus tumultus, & tanta perturbatio inuaserit matrem harum Ecclesiarum, vt ne parcatur quidem iis qui Deo ministrant: sed sacerdotes Monachi qui virtutem sequuntur à pueris, modestéque & silentio vitam transigere delegerunt, in conspectu Iudæorum & quorumdam aliorum Gentilium, ab ipsa Sancta Sion, per mediam ciuitatem turpiter trahantur, & intemperanter, & in prophana quædam loca expellantur, quinetiam cogantur nonnulla facere ad rectæ fidei labem & reprehensionem, adeò vt qui huc veniunt voti causa, pro vtilitate animæ, recedant repleti scandalis & offensione. Rogamus ergo vestram potentiam, vt nos quoque aliquando à tantis malis relaxemur, quorum omnium auctor & origo est Seuerus. Quomodo enim non est absurdum, nos qui sumus Hierosolymitani, modò doceri de fide, & qui fuimus omnium patres ad verbum pietatis, tam sero videri didicisse veram religionem? Nos ergo nec patiemur aliquid addere, præter ea quæ decreta sunt à trecentis & decem & octo patribus qui fuerunt Niceæ, & tribus quæ postea consequutæ synodis, neque quicquam aliter innouare, sed pro eo etiam animas profundere, & innumerabiles, si fieri possit, mortes parati sumus suscipere. Pax autem Dei quæ superat omnem intelligentiam, fidem nostram custodiet sanctam, & sedabit tempestatem quæ est aduersus eam excitata, nutu vestræ potentiæ, ad eius gloriam & decus pij vestri & religiosi Imperij.

*Epistola S. Sabæ ad Imperatorem.*

*Tyrannis & crudelitas magna hæreticorum in Presbyteros, & Monachos Catholicos.*

Cæterum Imperator, cum hanc accepisset Epistolam, in aliud tempus distulit respondere: eum enim tunc vocabat quædam barbarica expeditio. Nobis autem sunt reliqua adiicienda huius viri narrationibus. Post iniustum illud Eliæ Palæstinæ Antistitis exilium, fames quædam, & penuria rerum necessariarum, siccitas quoque & locusta, & graues quædam plagæ, integris quinque annis oppresserunt Palæstinam. Cum verò essent septem quæ ab ipso constituta fuerant Monasteria, & quorum ipse curam gerebat, nulli eorum redditum ac prouentum prouidit: sed cum Deo eorum omnem mandasset curam, ille non modò nihil vile & abiectum est locutus: sed etiam conuocans præfectos, suadebat vt propter hæc nihil angerentur animo, neque de corpore quicquam essent solliciti. Cum sic ergo statuisset Sabas, magnoque & excelso esset animo præditus, in ea quæ ei parebat Laura adeò defecerant necessaria, vt ne suppeteret quidem panis

*Fame, siccitate, aliisque grauioribus plagis opprimitur Palæstina.*

*Tãta penuria opprimitur S. viri Monasterii, vt ne panis quidem ad sacrificiũ inueniatur.*



panis ad Deo sacrificandum, & offerendum. Accedit ergo is cui commissum fuerat ministerium, significans ei calamitatem, & simul appropinquare diem Dominicum ei in memoriam reuocans, & quod non poterit celebrari diuinum mysterium, cũ neque panis sit in Laura ad oblationem, neque aliquid aliud ex rebus necessariis. Magna autem illa, & admirabilis anima nec sic quidem desperauit de Dei curatione, & arcanis, & ineffabilibus viis prouidentiæ. Et cum nondum aduenisset dies Dominicus, veniunt quidam ad ipsum tanquam consultò missi à prouidentia, simul ferentes onus triginta iumentorum. Onus autem erat frumentum, & vinũ, & oleum, & alia Monachis apta ad alimẽtum, adeò vt Laura propemodum esset angusta ad capiendum res esculentas. Hinc magnus ille à superna motus prouidentia, venit ad visitandum Eliam Patriarchã annos iam natus octoginta. Erat autem (vt iam diximus) Elias in exilio. Cum ergo vidisset Sabam Patriarcha, qui erat in exilio, & gaudio fuit repletus, & omnium præsentium malorum quodammodo est oblitus. Cum illum ergo, & socios lubenter vidisset Patriarcha, eum multos dies apud se detinuit, neque eum volebat omnino dimittere, sed eis quotidie circa horam nonam iam è domo procedens, (toto enim alio tempore in grato permanebat silẽtio) sermone, & alimento eos impertiebat, amicè, & sincerè cum eis vitam agens. Cùm vno itaque die illi venissent vt consueuerant, cunctabatur egredi Patriarcha. Et illi quidem expectabant, cibum minimè tangentes. Patriarcha verò media iam nocte egressus, lacrymosos habens oculos: ait eis, cibum sumite. Non est enim mihi otium. Illis autem diligenter sisitãtibus, quidnam ei accidisset, quod tam tardè esset egressus, & cur tristis esset, & essent eius oculi suffusi lacrymis, ille acerbè eiulans, ô beate pater, inquit, ad Sabam intuens. Heu, inquit, hac hora mortuus est Imperator Anastasius, & oportet me quoque omnino decimo die post eum excedere, vt causam nostram agamus ante horribile tribunal: hoc ipsum quoque apertum fuit beato Sabæ. Et illa nocte qua visione dignatus est Patriarcha, dicitur quoque ipsum vidisse fulmina quæ desuper immittebantur in Imperatorem, & eum veluti persequebantur, vt interimerent. Eum autem fugientem in regiæ penetralia, turpiter effundisse animam. Sed mors quidem Imperatoris, vt quæ apparuerant visiones significabant, statim fuit audita. Deinde vita quoque excessit Elias Patriarcha, sicut ab ipso prædictum fuerat.

*Diuinitus Monachis asseruntur cibaria.*

*Visitat Eliã Patriarcham in exilio degentem.*

*Elias Patriarcha Imperatoris mortem, suãque breui futuram denunciat.*

*Anastasius Imperator fulmine percussus moritur.*

Cum ergo post Anastasium Iustinus piè assumpsisset Imperium, & per vniuersum orbem terrarũ misisset edictũ, vt Orthodoxi quidem remitterẽtur ab exilio, Chalcedonensis autem synodus scriberetur in sacris tabulis, & veteres honores redderentur Orthodoxis, his sic factis, & Iustino Imperatore reuersa rursus fide Orthodoxa, erat quidem beatus Sabas natus plusquàm octoginta annos ætatis, & corporis imbecillitate, & senectute, & longa illa, & intensa virtutum exercitatione afflictus, & maceratus. Verumenimverò etsi ita se haberet, prompto tamen, & alacri animi studio florebat ac vigebat, & quos propter Christum susciebat labores, præferebat omni quieti, & animi relaxationi: vnde etiam omnia postponens zelo quo ducebatur pro fide Orthodoxa, statim profectus est per Cæsaream, & Scythopolim, vbique prædicans pium illud edictũ Imperatoris, & in tabulis Ecclesiarum inscribens quatuor synodos, & alios quidem ex iis suasionibus, & admonitionibus, alios autem reprehensionibus reuocans, & omnes perfundens suaui melle suæ doctrinæ, & optimè inducens ad fidem Orthodoxam.

*Iustino Imperatore. Catholi ab exilio reuocantur.*

*S. Sabas Imperatoris edictum multis in locis prædicat.*

Atque sic quidem Sabæ animæ diuina quædam insidebat gratia, & corpus semper habebat cedens eius voluntati, vt neque defatigaretur laborum assiduitate, neque voluptate rursus remitteretur. Nã toto quidem tempore ieiuniorum permanebat ieiunus. Solebat autem semel tantum vesci in hebdomada. Erat autem summa modestia præditus, & moribus lenis ac facilis. Et ad eum conueniendum facilis patebat aditus, erat verò in sermone iucundus, & moribus simplicissimus, prudentia autem constantissimus, charitatem non fictam, sed sincerã apud omnes conseruans. Erat verò valde affectus in Theodosium, adeo vt quotidie ad se inuicem ventitarent, & inter se de virtute conferrent, & essent ambo instar luminarium omnibus qui vitam amplectebantur monasticam.

*Semel in hebdomada, etiã senex, cibo vtitur S. Sabas.*

*S. Sabæ modestia, & virtutes.*

Sed eò reuertendum est vnde digressi sumus, & iis quæ dicta sunt addenda quæ sequuntur. Appetente iam fine anni quarti, quo aquæ penuria, & siccitas, & alia mala his cognata, Palæstinam inuaserant, accedunt ad Sabam Monachi speluncæ, petentes vt illinc recederent. Neque enim amplius se posse manere, neque resistere tantæ aquæ inopiæ. Quocirca ille partim adhortatus, vt forti, & excelso animo ferrent quæ ingruebant, partim autem eos paternè admonens, persuasit, vt rursus permanerent in Laura. Ad vos enim, inquit, veniet Dei misericordia, & ros ab eo citò descendet. Tertio deinceps die finẽ acceperunt quæ promissa fuerãt. Repentè enim erumpens vehemens pluuia, eis impleuit aquarum receptacula, & quod est maximè incredibile, illis solis delapsa est pluuia qui cogitarant à Laura recedere. In omnibus autem illius quæ circumcirca erant Monasteriis ne minima quædam gutta descendit. Hinc factum est, vt Monasteriorum, quæ erant circumcirca, præfecti ad eum confluerent, deflentes, & lamentãtes, & dicentes. Quid peccauimus pater, quod non ad nos quoque per tuas preces aqua cecidit? Ille autem paucis verbis eos liberauit à magna illa animi afflictione, sic dicens. Nunc quidem misit Dominus benedictionem ad eos qui egent maximè, sed neque vos diu despiciet. Iam verò instabat Dominica dedicationis, & cum aquæ penuria diutius produceretur, omnis autem fons propemodum deficeret, & ideo multi miserè perirent: Ioannes Antistes Hierosolymitanus valdè suspectam habens multitudinem (solet enim cum laborauerit inopia alicuius rei necessariæ, seditionem protinus agitare, & aliorum facultatibus parare insidias) omnes partes obibat, loca locis mutans, & puteos fodiens, humidiora loca proscindens, & fossas perscrutans, & à nullo abstinens quod ei occurreret. Sed hoc nihil proficiebat. Omni itaque spe abiecta, sedebat de cætero mœstus, & apud se deflens communem vrbis calamitatem.

*Monachis aquam suis precibus impetrat.*

Cùm is ergo ita esset affectus, & communem casum, suum luctum esse duceret, quidam ex eius amicis, volẽs esse particeps solicitudinis, accedit ad eum, narrans de pluuia quæ eruperat, & de diuinis illis signis quæ facta fuerant Sabæ precibus, & consulit vt eum ad se accersat, & vehementer roget vt hanc eis alleuet calamitatem, & cessare faciat plagam quæ tam grauiter infligitur. Ille autem persuasus cum eum accersissent, & ad eius pedes procidissent, omnes adhibuit preces, vt sanctas manus ad Deum tolleret. Cum is autem differret, &

e rem

rem suas vires superare diceret, Episcopus nō cessat obsecrare. Nesciens deinceps quid ageret mitissimus Sabas, se includit in domuncula, iubens illos quoque simul preces fundere. Tertius iam dies præterierat, & circa primam noctis vigiliam, repentè conuertūtur nubes, & ex serenitate mutato aëre in profundam caliginem, vehemens erumpens pluuia replet quidem aqua fontes: torrentibus autem sua reddit fluenta: & vniuersam simul ciuitatem ad vno animo & vno ore gratias Deo agendum excitat. Et hæc quidem sic.

*Etiam toti prouincia pluuia beneficiū precibus impetrat.*

*Iustinianus Imperat.*

Cùm iam autem Imperium assumpsisset Iustinianus, & rerum suscepisset administrationem, agebat quidem beatus Sabas nonagesimum & vnum annum: finem verò vitæ acceperat diuinus Theodosius. Qui in Palæstina erat populus Samaritanorum, cum Iulianum quendam, qui ipse quoque erat Samaritanus, sibi Regem creassent, multas iniurias faciebant Christianis, Ecclesias depopulantes & exurentes, Christianos afficientes supplicis innumerabilibus, & deinde etiam occidentes, & in vicos finitimos facientes incursiones, & capsas sanctorum rumpentes & igni mandantes. Quæ quidem maximè fecerunt in locis quæ erant circa Napolim: vt qui Episcopum quidem gladio interemerint, quosdam autem Presbyteros comprehenderint, & primum quidem membratim & frustatim eos dilacerauerint, & deinde eos cum Martyrum reliquiis frixerint in sartagine, & nulli probro & contumeliæ parserint in Christianos. Hæc postquā renunciata fuerunt Imperatori, aduersus illos magnas emittit copias, quæ cum eis manus confligētes, & multos alios interimunt, & ipsum Iulianum. Quidam autem Arsenius nomine, illustris dignitate, cum post tetrum Iuliani interitum venisset Constantinopolim, & accessisset ad Imperatorem, & cum eius coniuge nescio vnde ei magna intercessisset familiaritas, multa quidem dicit, ad magnam autem iram eos accendit aduersus Christianos qui erant in Palæstina, dicens eos vel maximè fuisse auctores & causas seditionis Samaritanorum, & dignos grauissimo supplicio.

*Samaritani multas Christianis infert iniurias.*

*Iustinianus Imperator exercitū mittit cōtra Samaritanos, vnde Iulianus eorū Rex interficitur.*

Hæc postquam in Palæstina renunciata fuere Patriarchæ, eum statim subiit misericordia eorum qui falsò accusabantur, & accedens ad beatum Sabam eum vehementer rogauit vt abiret & fungeretur legatione apud Imperatorem, & excogitatam refelleret calumniam, & Christianos liberaret à tantis periculis. Ille autem paruit, & nullo interiecto spatio iter statim arripuit, eratque re vera præter fidem id quod cernebatur, nempe hominem qui in tam imbecilla lababat senectute, & quem par erat in lecto se quieti dedere, citra moram tantum iter inire. Cum iam autem peruenisset ad suburbia Cōstantinopolis, Imperatori significatur aduentus. Et ipse statim mittit vnum ex iuuenibus Imperatoriis, & quosdam ex suis satellitibus, aduentum illius maximè honorans. Deinde eo quo par erat comitatu stipatus, Sabas ad ipsum deducitur. Deinde Patriarcham quoque Epiphanium, & quicquid erat apud se clarum & illustre emittit, vt ei procederent obuiam. Quem postquam adhuc procul procedentem agnouit Imperator, ille quoque cernebat aliquid simile ei quod viderat Anastasius. Videbat enim quandam coronam eius capiti impositam, eleganti quoque splendore decoratam, & micantem luce omnis generis gratiarum. Visione ergo Rex obstupefactus è cathedra surrexit, & sacrum illud caput reuerenter & iucundè est complexus. Deinde cum ab eo accepisset benedictionem, orauit, vt sua quoque coniux esset eius particeps.

*Legatione fūgitur ad Iustinianū Imperatorem S. Sabas.*

*Cum summo honore excipitur ab Imperatore.*

*Epiphanius Patriarcha ei procedit obuiam.*

*Imperator videt coronā capiti Sabæ impositam.*

Cùm ea autem adfuisset, adorauit & rogauit vt solueretur vitium eius matricis, (erat enim petra sterilior,) & vt ex se natum posset habere filiū, quod quidem illa pluris faciebat quàm ipsum Imperium. Ille autem ad hæc tacens, solum illi precabatur vt sospes & salua esset eius potentia. Illa verò rursus instabat, petens preces liberorum procreationis. Ille autem pergebat easdem rursus preces dicere, & apertè præ se ferebat, se recusare petere ne ipsa fieret mater filiorum. Vbi verò cum illa hoc sæpe petiisset, ipse nihilo magis annuit orationi, neque edidit preces conuenientes eius desiderio: tandem abiit Imperatrix magna affecta tristitia, quod id quod volebat non esset assecura. Deinde cum qui in preces incidissent, & maximè quicumque solent principum gratificari cupiditati, etiamsi sint inutiles & nihil iusti habeant, eum criminarentur quod preces recusasset, & dicerent id quod Imperatricem maiori molestia afficeret, ille ægrè ferens causam apertè protulit. Sinite, dicens, ô beati. Non enim sinet aliquem fructum ex ea edi: ne ipse quoque gustet Seueri dogmata, & deteriores quàm priùs ab Anastasio tumultus, Dei conturbent Ecclesiam.

*Ab Imperatrice etiam honoratur.*

*Recusat orare pro sterilitate Imperatricis, & quare.*

Imperator autem Iustinianus in sanctum tantā ostendit pietatem & reuerentiam, vt cum eum cōuenisset, non solùm remiserit iram quam iam olim conceperat aduersus Christianos qui erant in Palæstina, sed etiam Samaritanos plenè expulerit è ciuitate, & eorum synagogas deinceps prohibuerit, & de illis hanc legem tulerit, ne essent alter alterius hæredes, ne per successionem opes eorum crescerent & amplificarentur. Quin etiam vt interficerentur quicum que eorum fuissent auctores seditionis. Quamobrem timore affectus Arsenius, qui erat ipse quoque vnus ex Samaritanis, cum humano metu quoque diuino concurrente, supplex à Saba contendit vt ab ipso baptismum suscipiat: & tam piam impetrat petitionem. Imperator autē cum talem sanxisset legem aduersus Samaritanos, & sic ea propter quæ venerat esset sancto gratificatus, non hucusque stitit promptum & alacrem animum, sed se extremum damnum accipere existimabat, si non eum regalibus & splendidis afficeret beneficiis. Cum eo certè assiduè colloquens & eum honorans sicut prius Anastasius, vehementer instabat, vt aliquod pecuniæ vectigal subiectis ei Monachis constitueret.

*Opera viri Dei ab imperatore Samaritani expelluntur.*

*Arsenius quidam Samaritanus sacrum baptisma suscipit à Saba.*

*Iustinianus valde desiderat muneribus afficere S. Sabam.*

Ille autem; Vectigalium quidem, inquit, & pecuniæ quantum satis est ad vsus necessarios ille nobis prouidebit, qui populum inobedientem copiosè aliquando aluit in deserto. Tibi autem ô Imperator, si tantæ est curæ vt nobis gratificeris, adsunt aliæ non paruæ & contemnendæ occasiones, per quas poteris in nos tuam exercere liberalitatē. Nam & Palæstini qui malè sunt affecti à Samaritanis, & quorum magnæ prædæ sunt abactæ, multa verò ædificia & diuina templa, & mancipia præterea, & greges, frumentumque & alios fructus viderunt exuri ante oculos, & nunc non habent vndenam sibi victum quotidianum comparent, supplices petunt aliquam ad tempus immunitatem, vt se parum recreent ac reficiant, & rursus possint sufficere annuis soluendis muneribus, & qui ad adorādum viuificum sepulchrum veniunt in sanctam ciuitatem, ipsi tecto opus habent, vt se parum recreent à labore itineris. Quin etiam quod à Patriarcha Elia prius cœptum est ædificari Deiparæ virgini templum, multis adhuc indiget, & quæ sunt meis

*Communes S. Sabæ apud Imperatorem petitiones.*



meis constructa manibus Monasteria, cum nullum è propinquo habeāt præsidiū in quod se recipiant, nullo negotio capi possunt ab inimicis, & prima incursione venire possunt in manus hostium. Ante omnia autem Arrij, Nestorij, & Origenis dogmata conturbant Ecclesias, nec sinunt eas pura tranquillitate frui, & ideo à tua potentia magnum est adhibendum studium, vt omnibus viribus ea tollas de medio, & tantum malum procul expellas. Hæc si feceris, bonam spem concipio, & in Deo confido, fore vt mox dies sequatur remuneratio: Romaque & Carthago, & quæcumque amiserunt qui ante te imperarunt, cernentur rursus partes tui Imperij. Et fuerunt hæ quidem in commune vtiles beati Sabæ petitiones apud Iustinianum.

*Promittit Imperij dilationem.*

Cum diuinus Sabas proposuisset tales apud Imperatorem petitiones, illis perinde ac iam diu stiens gratificari sancto, statim scribebat, imperabat, decretum in omnem partem mittebat, omnia faciebat ne hæc differrentur. Hæc quidem Imperator. Qui autem ei qui frigidum solum aquæ calicem dedisset in nomine suo, pollicitus est, scilicet se daturum centuplum, non distulit remunerari, & referre gratiam, neque promissum suum produxit in longum. Sed vt magnus pollicitus est Sabas, simulatque Imperator per Præsides prouinciarum impleuit quæ fuerat pollicitus, Aphrica vniuersa, & Roma eius accesserunt Imperio, & qui erant in vtraque Tyranni, Vittiges Romæ, & Gellimera Carthagine, eos pro liberis seruos, & pro regibus captiuos, & supplices accepit pro inimicis. Sed cum huc deducta sit oratio, venit mihi in mentem huius viri constantia, & animi generositas, quod nulla eum temporis necessitas coëgerit ad illiberalem aspicere adulationem, aut se aliqua in re gerere seruiliter, sed vsus est conuenienti aduersus omnes moderatione. Nam cum in eius petitionibus occupatus esset Imperator simul cum Tribuniano Quæstore circa eam quæ vocabatur Magnaura, & in consilium eum adhibuisset, ille cum iam venisset hora tertia, relicto Imperatore, Deo seorsum reddebat preces solitas, vacās sacris diuini Dauid psalmis. Cùm Hieremias verò vnus ex discipulis ad eū accessisset, & dixisset: Quid hoc sibi vult pater? Cum Imperator tātum adhibet studiū, vt tuas impleat petitiones vehemēter laboret, tu eo relicto nunc agis alibi? Ille admodum ingenuè respondens. Non est hoc alienum, inquit, ô fili. Nam ipse facit quod conuenit, & nos omnino id quod debemus.

*Imperator gratificans viro Dei, petita concedit.*

*Aphrica, & Roma iuxta viri Dei promissum, accedunt Græcorum Imperio.*

*Egregium, & mirabile S. viri responsum.*

Imperator ergo tanto studio affectus aduersus huius viri petitiones, per vniuersum orbem terræ mittit decretum, & statim Episcopis Antonio Ascalonitano, & Zachariæ Pellæ, litteris præcipit Imperatoriis, vt visant loca Palæstinæ quæ fuerunt exusta à Samaritanis, & habita ratione eorum tributa alleuent. Visant autem templa quoque Sanctorum, & quantum ipsa damnum acceperint à scelerata, & audaci manu Samaritanorum, per illorum ipsorum facultates, aut publicas reparent pecunias, & in sancta ciuitate extruant Nosocomiū, & annuos ei dent redditus mille octingentorū, & quinquaginta aureorum. Quin etiam aliam quoque domum, vt in ea habitarent, qui procul illinc veniebant, & Deiparæ templum eleganter extruāt, & ornent, & præsidium prope Lauram muniant, vt in inimicorum insultibus esset tutum Monachis refugium. Præter hæc verò nominatim quoque declaratas hæreses tollant de medio, & præclaro subiiciant anathemati.

*Nota studiū Imperatoris pro adimplēdis S. Sabæ petitionibus.*

*Templū Deiparæ eleganti opere construi iubet Imperator.*

Cum has ergo constitutiones diuinus Sabas ab Imperatore accepisset in litteris, & recessisset Cōstantinopoli, venit Hierosolyma. Cum autem illuc venisset, & magistratibus tradidisset litteras quas habebat Imperatorias, illinc venit Scythopolim, vbique prædicans decreta Imperatoris, docens ciuitates, componensque, & instruens ad fidem orthodoxam. Postquam verò hæc rectè gesta fuissent à magno Saba, reuersus Hierosolyma, adoratis sanctis locis, venit ad maximam suam Lauram. In qua cum parum esset moratus, morbus quidam ingruēs, illum verè fortem adamantem lecto tradidit. Quod quidem cum significatum fuisset Pairiarchæ, repente venit ad illum visendum. Cum verò venisset, & sic vidisset eum in cella iacentem, egenum omnium rerum necessariarum, supplex ab eo contendit, vt exportetur ad sibi subiectam Ecclesiam, vt possit illic frui aliquo ex iis quæ pertinent ad remissionem. Ille autem Patriarchæ reueritus supplicationem, & illuc exportatus, iacebat cum ipso morbo luctans, & ab eo similiter confectus. Cum verò aliquantum temporis intercessisset, ad eum diuina quædam venit visio significans illius hinc futurum excessum. Statim ergo reportatus in cellam cum vltima verba dixisset fratribus, & postremum eis dedisset osculum, & cuidam Melite illorum commisisset præfecturam, à terrenis migrat ad cælestia, suam animam in manu Dei deponens iam natus nonagesimum quartum annum. Erat verò quintus dies Decembris quo mortuus est vir ille sanctus.

*Ciuitates cōponit, & instruit ad fidē orthodoxam.*

*Tandem rediens ad Lauram suam morbo corripitur.*

*Migrat ad Christum vir sanctus.*

Cum ergo mors sancti viri breui tempore in omnem partem peruasisset, concurrit ad sacrum illius corpus multitudo innumerabilis. Concurrit autem vniuersus quoque ordo monachorum, & quicumque erant Episcopi, qui cum quo par erat ornatu corpus composuissent, hymnos, & cantica ei de more canentes, piè admodum, & sanctè inter duas Ecclesias in media Laura deponunt, vbi cum ille esset superstes, vidit columnam lucis. Atque talis quidem fuit vita beati Sabæ, & eius tam admiranda, & quæ naturam superabant rectè facta.

*Honorificè ab Episcopis & Monachis sepelitur.*

*Subiungit Cyrillus miracula post mortem ipsius facta, quæ videre poteris apud Surium tom. 6. & Lippomanum tom. 5.*

## NOTÆ.

Sabas.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio 5. Decembris, & Græci in Menolog. hac die. Scripsit eius vitam Cyrillus Monachus, qui eodem sæculo vixit sanctitate clarus, testatur id auctor in Actis S. Euthymij, vbi in fine ait, se duobus annis cum in Laura quieisceret, vitam prædictorum Sabæ, & Euthymij scriptis mandasse. Descripsit easdem Metaphrastes, aliqua superaddens. extat apud Lippom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Plura idem auctor de Saba in vita SS. Euthymij, & Ioannis Silentiarij. Obiit anno Domini 503. vt rectè annotauit Baron. in Notis Martyrol. & in tom. 7. Annalium, ætatis verò suæ 92. Vidi eius gesta manuscripta, sed quæ multa absurda, & falsa continebant. Citantur Acta Sabæ in Nicæno Concilio 2. Act. 1. & 4. Vetus est Romæ memoria Sabæ, eiusdemque nominis Monasterium, cuius meminit Ioannes Diaconus in vit. S. Gregorij lib. 1. cap. 9. Porrò sanctum eius corpus Venetias successu temporis translatum fuit.*

Cappadociam.] *Cappadocia est Pontica regio, dicta à Cappadoce amne, antè Leucosyria vocata.*

Non secus ac hesperius.] *Hesperus dicitur stella occidentalis, quæ in vespere post solem apparet. Vnde Virgilius: Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ. Huius meminit Cicero lib. 2. de Natur. Deorum.*

Quinquaginta sportas. ] *Sporta est quoddam genus vasis iunceum vel virgeum : diciturque à sparto fructice, vnde in quibusdam locis texitur.*

Quatuor Agareni. ] *Dicti sunt proselyti & aduenæ ab Agar ancilla Abrahæ, quæ fuit Ægyptia, genuitque ex Abrahã Ismaëlem, vnde Ismaëlitæ dicti sunt, & corrupto nomine dicuntur Sarraceni.*

Quædam concha. ] *Hoc loco concha non sumitur pro ostreis, sed pro sanctuario Ecclesiarum ad conchæ similitudinem constructo.*

Quæ fert siliquas. ] *Siliqua est fructus arboris. Vnde Horat. viuit siliquis, & pane secundo. Prædulcis est, & cortex ipse (vt Plinius scribit lib. 15. c. 24.) manditur, digitorum hominis longitudinem habet, latitudinem verò pollicarem. Arbor ipsa à Græcis Ceratonia dicitur.*

Strabo. ] *Dicitur ille qui oculos habet distortos, vulgò* louche, bigle.

Inscriptum sacris diptycis. ] *Inscribere in sacris diptycis, idem est quod scribere in sacris tabulis : diptycha enim est tabula manualis, vnde in decret. 24. q. 2. Nonne sanè profertur, circa principium dicitur. Et in sacris diptycis scripserunt : quod glossa ibidem exponit.*

## VITA S. IOANNIS SILENTIARÏ & Episcopi. Ex Cyrillo Monacho.

PRIMVM mihi propono dicendum de Ioanne Abbate Lauræ beati Sabæ Silentiario, vt qui & tempore & vitæ splendore omnes alios antecedat. Hic ergo illuminatus pater noster Ioannes ducit originem ex Nicopoli, quæ est in Armenia, natus ex parentibus qui nominabantur Eucratius,& Euphemia. Erant autem insignes opibus, & claritate generis, multosque magistratus præclarè gesserant, ducesque fuerant exercitus, & populi rectores, & in aulam regiam magnam habuerunt potentiam.

*Patria & parentes S. Ioannis.*

Natus est itaque, vt ipse mihi narrauit, octauo mensis Ianuarij, septima indictione, quarto anno Imperij pij, ac religiosi Martiani. Cumque essent Christiani, qui eum genuerant, fuit Christianè cum suis fratribus educatus. Cum autem præteriisset aliquantũ temporis, & essent consummati in Christo eius parentes, & diuisæ essent parentum facultates, hic vir diuinus Deo seipsum consecrauit, & ædificauit in ipsa Nicopoli Ecclesiam, semper laudãdæ & semper virginis Mariæ,& huius vitæ rebus renũciauit, octauo decimo anno suæ ætatis. Assumptisque decem fratribus, illic construxit cœnobiũ. Toto autem tempore suæ iuuentutis, multum posuit studij vt ventri imperaret, & superbiam contemneret. Cùm autem intrasset trigesimum octauum suæ ætatis, Sebastiæ metropolitanus, à bona eius fama commotus, & à ciuitatis quæ dicitur Colonia, habitatoribus rogatus, cum eum tanquam ad rem aliam accersiuisset, vt qui Ecclesiasticorum graduum iam omnem peruasisset consequentiam, ordinat Episcopum, dictæ ciuitatis mortuo Episcopo. Cumque sic Pontificatum susceptisset inuitus, Monasticæ disciplinæ non mutauit regulam, sed decertabat in Episcopatu, tanquam in Monasterio.

*Morituũ parentibus, de suo patrimonio extruit templum in honorem Dei genitricis.*

*Iuuenis studet sobrietati & humilitati.*

*Ordinatur Episcopus nec propterea mutat Monasticam disciplinam.*

Cum hic ergo diuinus Ioannes transegisset iam decem annos in Episcopatu, accidit vt maritus sororis eius, qui vocabatur Pasinicus, Armeniorum haberet administrationem, qui instinctu Satanico incepit damno afficere & conturbare eam, quæ illi credita fuerat Ecclesiam : iis quidem, qui eam administrabant, non permittens vt Ecclesiasticarum rerum curam gererent. Eos autem qui intra eius fines confugiebant, vi auellens, & ius asyli soluens, ac violans. Qui cum sæpe rogaretur à Dei seruo, euadebat deterior, Maria eius sorore mortua. Cum autem ex eo vir iustus in grauissimam incidisset afflictionem, cogitur venire Constantinopolim. Cum verò illic fuisset, & quæ erant eius Ecclesiæ vtilia peregisset, circa finem Imperij Zenonis, Euphemio Archiepiscopo Constantinopolitano pro ipso decertante, Deo gratum init consilium : nempe vt in sanctam secedat ciuitatem, & per se quiescat ab omnibus huius vitæ negotiis. Cumque dimisisset eos, qui cum ipso erant Presbyteros, & clericos, ac diuinis iussis peractis, & omnibus inscientibus, solus nauem ascendisset, venit Hierosolyma, & manet in primo sanctæ ciuitatis gerocomio. In quo gerocomio est oratorium sancti martyris Georgij. Cumque illic fuisset, & mundanam turbam illic aspexisset, magno dolore est affectus, & Deũ rogauit cum lacrymis, vt deduceretur in locum sibi gratum, & quietum, & aptum ad salutem consequendam. Postquam ergo in dicto gerocomio mansit venerandus pater noster Ioannes, in fundendis noctu ad Deum precibus versans longo tempore, cum vna nocte ex omnibus solus gerocomij in pluuium cælum suspexisset, aspicit repentè stellam lucis quæ habebat figuram Crucis, & ad ipsum veniebat : & audit vocem ex illa luce dicentem : Si vis esse saluus, sequere hanc lucem. Is autem cum credidisset, protinus est egressus, & illam lucem secutus, venit in maximam Lauram Sancti patris nostri Sabæ, cum eo tempore esset Hierosolymitanæ Ecclesiæ Pontifex Salustius, quarta decima indictione, tricesimo octauo suæ ætatis anno.

*Pergit Constantinopolim vir sanctus.*

*Deinde Hierosolymam.*

*Lucis cælestis ministerio venit ad Lauram S. Sabæ.*

Cum venisset ergo ad maximam Lauram, inuenit beatum Sabam, qui habebat conuentum centum & quinquaginta Anachoretarum, qui degebant in magna penuria eorum, quæ ad corpus pertinent : erant verò diuites spiritualibus gratiis. Cum eum autem suscepisset beatus Sabas, tradit eum Lauræ Oeconomo, vt ei mandaretur ministerium vnius ex arcariis, ignorans thesaurum qui erat in eo reconditus. Ne miretur autem quispiam venerabilem senem Sabam latuisse thesaurum bonorum factorum Ioannis : sed potius is reputet, quod quando vult Deus suis sanctis reuelare, ij sunt prophetæ : quando verò noluerit reuelare, vident ad omnium similitudinem. Diuinus autem Ioannes omnem implebat obedientiam Oeconomo, & reliquis patribus inseruiens cum omni humilitate, & alacritate animi, aquam ex torrente afferens, coquens iis qui ædificabant, eisque ministrans in lapidibus, & cæteriis ministeriis ædificationis, quando construebatur Lauræ Xenodochium. Secundo autem anno eius in Lauram aduentus, purgato Castello ab habitatione dæmonum, ( vt iam à me dictum est in vita Sancti Sabæ ) multum cum patre nostro Saba hic laborauit cum quibusdam aliis, vt ipse mihi narrauit. Cum verò tempus mutationis ministeriorum venisset in prima indictione, qui creatus fuerat Oeconomus, hoc magnum lumen præficit excipiendis hospitibus, & culinæ. Quod ministerium cum alacri & læto animo suscepisset : omnium patrum curam gerebat, cum omni humilitate, & mansuetudine, vnicuique ministrans & inseruiens.

*Centum & quinquaginta Anachoretæ in Lauram Sabæ.*

*S. Ioannes scripsitur à S. Saba.*

*Vilia officia exercet.*

Cumque is hoc obiret ministerium, accidit vt conderetur cœnobium, quod vergit ad septentrionem extra Lauram : vt qui vitæ mundanæ renunciabant, in eo prius Monasticã accuratè docerentur disci



disciplinam, deinde sic in Laura habitarent, cum vitam cœnobiacam perfectè didicissent, beato Saba affirmante, & dicente, quod sicut flos fructum præcedit, ita vita cœnobiaca anachoreticam. Cum hoc ergo Cœnobium construeretur, cogebatur hic vir iustus, qui hospitum excipiendorum curam gerebat, præter alia Xenodochij ministeria, coquere artificibus, & secundo ferre onera, portareque cibaria ad eos qui laborabant, qui plusquam decem stadia aberant à Xenodochio. Cum autem hoc anni esset impletum ministerium, omnibus patribus ædificatis ex eius moderatione, & honestate, dat ei pater noster Sabas cellam ad silendum. Venerandus itaque Ioannes accepta cella, cum iussus esset silere, mansit tres annos per quinque dies hebdomadæ à nullo omnino homine visus, neque aliquid sumés. Sabbatho autem & Dominico, ante omnes intrabat Ecclesiam, & exibat omnium vltimus, stans cum grauitate, & timore, & omni pietate, ac reuerentia. Tanta verò ei aderat compunctio, vt ipse vehementer lacrymaretur tempore incruenti sacrificij, & non posset continere, adeò vt patres, qui videbant gratiam lacrymarum, obstupescerent, & laudarent Deum datorem bonorum. Impleto autem tempore triennij, præficitur Lauræ Oeconomiæ, eumque Deus adiuuat in omnibus, benedictaque fuit Laura, creuitque valdè conuentus eius ministerio.

*Egregia S. Sabæ sententia de vita anachoretica.*

*Accipit cellã cum aliis.*

*Habet gratiã lacrymarum.*

Cum autem suum implesset ministerium, voluit beatus Sabas eum ordinare, vt virtute præditum, & perfectum Monachum. Cumque eum accepisset, & duxisset in sanctam ciuitatem, sexta indictione, adduxit ad beatum Eliam Archiepiscopum. Cumque narrasset eius virtutes, rogauit, vt ordinaretur presbyter. Et Archiepiscopus quidem cum hæc audiuisset, procedit ad sanctum cranium, volens eum propriis ordinare manibus. Cum verò hic magnus pater sic teneretur, vt non posset effugere, cum ea, quæ sibi inerat, sapientia, dixit Archiepiscopo, venerande Pater, quoniam quædam me oportet dicere, rogo, vt tuæ beatitudini ea seorsum exponam, & si me dignum esse existimaueris, accipio ordinationem. Cum eum autem assumpsisset ad ascensum sancti Golgotha, dicit seorsum : Parce vitæ meæ, rogo tuam sanctitatem, & nemini annuncies mysterium, ne ego ab hac recedam regione. Cum is autem pollicitus esset, dixit : Ego sum pater vnius ciuitatis ordinatus Episcopus, sed propterea quod multiplicata esset mea iniquitas, procul aufugi, & habitaui in solitudine expectans Dei visitationem. Iustum autem esse putaui, dum sum adhuc robusto corpore, ministrare, & seruire patribus, vt quando ero imbecillis, minimè condemner si mihi ministrent alij. Cumque hæc audiisset Archiepiscopus, & esset admiratus, vocat beatum Sabam, & dicit. Quædam mihi secreta confidenter aperuit, & fieri non potest vt ipse ordinetur. Sed ab hodierno die silebit, ei nemine molestiam exhibente. Et cum hæc dixisset Archiepiscopus, eos dimisit.

*Elias Patriarcha Hierosolymit.*

*Secrèto monet Patriarcham se esse Episcopum, & ideo non indigere ordinatione.*

Beatus verò Sabas magno animi dolore affectus, secessit circiter triginta stadia à maxima sua Laura, ab occidente Castelli in speluncam; vbi postea construxit cœnobium. Cumque se pronum in terram deiecisset coram Deo, dixit cum lacrymis. Cur Domine me tantum despexisti, vt ego deciperer, & putarem Sacerdotio esse dignum Ioannem? Et nunc Domine de eo, quid sit mihi aperi, ( tristis est enim anima mea vsque ad mortem ) an vas quod à me fuit existimatum sanctificatum, & vtile, & dignum, quod diuinum susciperet vnguentum, sit inutile coram tua maiestate. In his, & huiusmodi cum lacrymis sermonibus totam noctem traducente beato Saba, Angelica quædam apparet forma dicens : Non est inutile vas Ioannes, sed vas electionis. Episcopus autem iam ordinatus, non potest fieri presbyter. Pater verò noster Sabas lætitia affectus, venit in cellam diuini Ioannis, & eum complexus dixit : ô pater Ioannes, tu quidem Dei in te donum me celasti, Dominus autem mihi aperuit. Et diuinus quidem dixit Ioannes, tristitia afficior, ô pater, neminem volebam hoc scire mysterium. Nũc autem non potero habitare in hac regione. Senex verò ei promisit per verbum Dei, se hoc nemini omnino enunciaturũ. Ab eo autem tempore siluit in cella, neque procedens ad Ecclesiam, neque vllũ omnino cõuentus spatio quatuor annorum, eo excepto, qui ei ministrabat, ac nisi solũ die dedicationis, quæ fuit in Laura, nona indictione, venerabilis domus sanctissimæ Deiparæ, & semper virginis Mariæ. Tunc enim solum ad Archiepiscopum Eliã, qui accesserat ad dedicationem, coactus est exire, & eum salutare. Qui quidem Patriarcha, cum eum cõuenisset, eum in honore habuit toto tempore sui Pontificatus.

*Educetur S. Sabas ab Angelo Ioannem esse Episcopũ.*

*Per spatium quatuordecim annorum neminem alloquitur.*

*Laura beatæ virgini Mariæ dedicata.*

*Elias Patriarcha magno eum habet in honore.*

Impleto verò tempore quadriennij, cum beatus Sabas à Laura secessisset ad partes Scythopolis, propter insolentiam eorum, qui nouam Lauram postea habitauerant, hic in primis venerandus Ioannes fugiens consilium insolentiæ, secessit in desertũ Rubæ, quinquagesimo anno suæ ætatis, vndecima indictione. Siluit autem illic nouem annos, remotus ab omni humana consuetudine, cupiensque cũ Deo quietè conuersari. Post duos autem aut tres dies, se demittens ad naturalem vsum corporis, exibat è spelunca, & obibat solitudinem ad colligenda melagria, quæ sua spõte nascuntur, quibus aluntur Anachoretæ qui sunt in solitudine. Quodam verò die cum illic versaretur in principio, antequã esset eam expertus solitudinem, egressus ad ea colligenda melagria, aberrans incidit in inuia quædam præcipitia. Cumque non inuenisset viam, per quam rediret in speluncam, neque posset ingredi, cecidit propemodum exanimis. Ecce autem repentè diuinæ virtutis visitatione in altum sublatus non secus ac propheta Abacuch, inuentus est in sua spelunca. Procedente verò tempore cum vastam illam esset expertus solitudinem, & locum didicisset, ex quo sublimis est euectus, inuenit id esse spatium quinquies mille passuum.

*Sevedit in desertum Rubæ.*

*Diuinitus in altum sublatus ad cellam suam reducitur.*

Frater quidam, qui venerat in Rubam, mansit apud eum paruo tempore, vitam cum eo exercens anachoreticam. Quem fratrem cum cœpisset satietas talis philosophiæ, dicit seni. Paschali iam festo appropinquante, eamus ad Lauram, pater, & diem festum Paschæ peragemus cum fratribus. Nam hic nihil habemus, quod edamus præter hæc melagria. Diuinus autem Ioannes nolebat ire, cum non esset illic pater noster Sabas, sed à Laura (vt dictum est) recessisset : fratrem verò, qui vt eo iret, vrgebat, admonuit dicens. Quiescamus frater, & credamus, quod qui sexcenta hominum millia quadraginta annos aluit in solitudine, ipse quoque nos alet, non solùm frater minimè persuasus, recessit, & iniit viã, quæ fert ad Lauram. Cum is verò recessisset, venit homo quidam omnino ignotus ad senem, qui habebat asinum multis bonis onustum. Habebat autem eius sarcina panes mundos, & calidos, vinum, & oleum, & recentes caseos, & ona, & vnam mellis. Cumque eum exonerassent, recessit. Et venerandus quidem pater noster exultauit spiritu propter Dei visitationem. Frater autem qui recesserat, cum

*Diuinitus ei afferuntur cibaria.*

à via aberrasset, valdeque fractus fuisset, & afflictus, tertio die rediit esuriens, & resolutus, & fructum capiens suæ inobedientiæ. Cumque tot bona inueniset in spelunca, & se damnasset incredulitatis, & inobedientiæ, pudore affectus, procidit ad pedes senis petens veniam. Senex autem misertus humanæ fragilitatis, & fratris motus misericordia, eum erexit, & admonuit dicens, Planè scias Deum posse parare mensam in deserto.

*Fratris incredituli & inobedientiæ pœna.*

Eodem verò tempore Alamũdarus Sicicelet, qui accepit Regis auctoritatẽ in Sarracenos subiectos Persis, inuasit Arabiam & Palæstinam cum magna ira in Romanos, omnia diripiens, & multa millia hominum abducens in seruitutem, & multa faciẽs nefaria, postquam capta fuerat Amida. Cumque multitudo barbarorum dispersa esset per hanc solitudinem, iique quibus mandata fuerat custodia solitudinis, denunciarent, vt caueretur barbarorum irruptio in Monasteria, maximæ Lauræ patres, significarunt venerando patri, vt desisteret in Ruba vitam degere, veniret autem ad Lauram, & quiesceret in sua cellula. Et diuinus quidem Ioannes, qui per quietem diuinam gustarat dulcedinem, eam lubenter sequebatur, & non poterat in animum inducere vt eam relinqueret, apud se hæc reputans & dicens: Si Deus curam non gerit, cur viuo? Deus autem qui semper curam gerit seruorum suorum, Angelis quidem mandauit (vt dicit scriptura) vt sanctum suum conseruarent. Voles autem eum securum reddere, vt qui paululum esset territus, misit sensilem custodem, leonem maximum, & terribilissimum, qui eum diu & noctu custodiret ab immanium barbarorum insidiis. Atque prima quidem nocte cum leonem aspexisset propè dormientem, parumextinuit, vt ipse mihi narrauit. Cùm autem vidisset diu noctuque sequentem leonem, & ab eo non auelli & propulsare barbaros, quibus ageret Deo gratias, emisit cantica, qui non dimittit virgam peccatorum super sortem iustorum. Atque beatus quidem pater noster Sabas cum venisset Nicopoli, & nouam Lauram constituisset, & venisset ad speluncæ ædificium, vt à me dictum est in secunda oratione, & in mentem reuocasset eam, quæ in ipso fuit aliquando, visionem de S. Ioanne, iuit ad eum in Rubam, & dicit ei: Ecce te Deus seruauit ab incursione Barbarorum, teque reddidit securum, ad te misso sensili custode. Surge, & tu quoque fac id, quod est humanum, & fuge, sicut patres. Multisque aliis ad eum vsus admonitionibus, deduxit eum ad maximam Lauram secunda indictione, & inclusit eum in cella, cum ageret quinquagesimum sextum annum suæ ætatis, nullo alio ex conuentu cognoscente, eum esse Episcopum. Cùm autem plurimum temporis præteriisset, prouidit Deus, vt aperiretur qui occultus erat, Ioannis thesaurus, hoc mundo.

*Alamũdarus inuadit Arabiam & Palæstinam.*

*Leo diu noctuque Ioannem custodit in deserto.*

*Visitatur Ioannes à S. Saba in deserto.*

*Deducitur ab eo in Laurã.*

Vir quidam qui erat profectus ex regione Asiæ, vocabatur autem Atherius, & Archiepiscopatus honorem consecutus, vt eum gradum decebat, vitam agebat: cum venisset Hierosolyma & loca veneranda cum viuifico ligno Crucis adorasset, & multas distribuisset pecunias pauperibus & Monasteriis, egressus est è sancta ciuitate, properans redire in patriam. Qui cum nauem conscendisset, & parum maris nauigasset, propter ventum contrarium cum magno periculo reuersus est Ascalonem. Cumque post duos dies vellet rursus nauigare, ei in somnis apparet Angelus Domini, dicens: Non licet tibi nauigare, nisi reuersus in sanctam ciuitatem iueris in Lauram Abbatis Sabæ, & conueneris Abbatem Ioannem Silentiarium, virum iustum & virtute præditum, qui est Episcopus, & propter Deum, omnia quæ sunt huius vitæ contempsit, & voluntaria paupertate, & exercitatione seipsum humiliauit. Tunc cum à somno surrexisset Atherius, & esse visionem iudicasset, diligentissimè inquirẽs venit in Lauram Abbatis Sabæ. Cumque visionem renunciasset patribus, deductus est ad Silentiarum. Quem cum salutasset, & duos dies apud eum mansisset, & eum amplissimè conuenisset, iureiurando adigit, vt sua ei planè & liberè narret, & enuntiet. Sicque compulsus genus enunciauit, & patriam & sacerdotium. Quæ cum cognouisset Atherius, & supra modum esset admiratus, dixit: Verè nunc quoque sancti lapides in terra voluuntur. Cum sic iusto valè dixisset, iuit ad beatum Sabam, eique & patribus exposuit omnia de beato Ioanne, & ab eo tempore cognitum fuit patribus Ioannis genus, & Episcopatus, septuagesimo anno ætatis Sancti Ioannis: vicesimo autem quarto suæ in cella inclusionis.

*Atherius quidã Archiepiscopus monetur ab Angelo quærere S. Ioannẽ Silentiarũ Episcopum.*

*Tandem Dei permittente cognoscitur Ioãnis genus, & Episcopatus.*

Sanctus verò pater noster Sabas eodem anno in pace dormiit, die quinto mensis Decembris decimæ Indictionis. Tunc magnum animo accepit dolorem Ioannes, quod non esset egressus è cella, & adfuisset consummationi sancti Abbatis. Ei autem cum esset adeò anxius animo, & se esse patre priuatum defleret, in somnis apparet Sabas, dicens. Ne sis de meo decessu tristis, ó pater Ioannes. Nam etsi sim à te carne separatus, sum tamen tecum spiritu. Eo autem respondente, Roga Dominum, vt me quoque assumat; dicit beatus Sabas, hoc nunc non potest fieri. Grauis enim tentatio est inuasura Lauram, Deus autem vult te esse in carne, ad eos consolandos, & confirmandos, qui se pro fide fortiter gerunt, & decertant. Hæc cum vidisset, & audisset beatus Ioannes euasit quidem lætus, vt qui de patre animi ægritudinem excussisset, sed solicitus erat de tentatione, quæ ei fuerat significata. Eum autem inuasit desiderium videndi, quemadmodum anima separatur à corpore. Dumque de ea re Deum rogaret mente raptus fuit in sanctam Bethleem, & videt in imis ambonis subselliis venerandæ, quæ illic est Ecclesiæ, iacentem virum sanctum hospitem, qui consummabatur, & assumebatur eius anima ab Angelis, & cum diuina quadam hymnodia, & suaueolentia ferebatur in cælos, & petiit, vt ipsis oculis videret, an ita esset, & surgens ea ipsa hora iuit in sanctam Bethleem, & inuenit, quod ea ipsa hora homo decesserat: & eius sanctas amplexus reliquias, cum in eodem loco ei iusta fecisset, & sanctis thecis eas deposuit, & sic in suam cellam est reuersus.

*S. Sabas moritur.*

*Apparet in somnis Ioãni Silentiario Sabas.*

*Raptus in ecstasim, videt cuiusdã animam ab Angelis in cælũ deferri.*

Illuminati huius senis discipuli Theodorus, & Ioannes mihi narrarunt dicentes: Postquam dormiisset Sanctus Sabas, misit nos senex vt præessemus responsis in Libiade. In via autem, cum transiissemus Iordanem occurrerunt nobis quidam dicentes. Videte, leo est ante nos. Nos verò cogitauimus posse Deum nos per preces sancti Abbatis custodire. An non enim eius voluntate hoc mandatum exequimur? Hæc cogitantes ambulauimus, & ecce venit nobis leo in occursum, & valde timuimus, nec nobis vires remanserunt: statimque aspicimus senem in medio nostri venientem, & iubentem nos bono esse animo. Tunc leo tanquam qui esset actus flagello, recessit fugiens à nobis: nosque sine damno ambulantes, venimus ad senem, qui prior dixit nobis. Videtis quemadmodum inuentus sum vobiscum in necessitate? Hoc autem mihi

*S. Ioannes absẽs adest fratribus, ad leonis occursum pauentibus.*



mihi quoque dixit vnus ex discipulis, eum multos annos vixisse solo pane vescentem, & ei admiscuisse cinerem thuribuli, & sic comedisse.

*Cyrillus Monachus, tentatus à dæmone, precibus viri Dei liberatur.*

Aliquo autem tempore conueni hunc sanctum senem grauatus à cogitatione aliqua satanica. Quã cum ei exposuissem, & preces ab eo accepissem: sum statim relaxationem ab ea consecutus. Me verò fenestræ eius assidente, & diuina fruente doctrina, quidam Georgius adduxit filium suum, qui vexabatur à dæmone. Quem cum ante eius fenestram proiecisset, recessit. Puero autem iacente, & lacrymante, cum cognouisset senex eum habere immundum spiritum, motus est misericordia, fusisque pro eo precibus, cum eum vnxisset oleo sanctissimæ Crucis, eum sanum reddidit.

*Puerũ à dæmone obsessum liberat.*

Locus autem in quo fuit inclusus hic sanctus senex, habuit altissimum ab occidente præcipitiũ, quod instar muri erat, in quo fixum erat cellæ tectum. Præcipitij autem petra est adeò sicca, & succo vacua, vt nullo modo possit cellæ ingenerare humiditatem. Quadam verò die cum accepisset semen vnius caricæ, dicit discipulis suis Theodoro, & Ioanni. Si Dei clementia donauerit huic semini, & huic petræ virtutem, vt fructum ferat, cognoscetur quod mihi Deus dono largitur regnum cælorum. Cumque hoc dixisset, infractæ illi petræ admouit caricam. Deus autem qui Aaronis virgam, quæ erat sicca, pullulare & germinare annuit: ipse quoque iussit, hanc infractam & aridam petram germinare, vt ostenderet posteris, qualem eius seruus gratiam sit assecutus.

*Descriptio Cellæ sancti viri.*

*Petra arida germinat.*

Hæc quidem pauca ex multis selecta mandaui literis, mittens narrare eius de fide certamina quæ suscepit aduersus Origenis, & Theodori Mopsuestiæ dogmata, & eorum qui ea defendebant, & persecutiones quas congruenter Euangelio pro decretis sustinuit Apostolicis. Vt autem audiui eius linguam narrantem, tricesimo octauo suæ ætatis anno fuit ordinatus Episcopus, & transegit decem annos in Episcopatu. Mansit autem in Laura prius nouem annis, & in cella sedens, in qua silet vsque ad hodiernum diem, impleuit Dei gratia quadraginta septem annos, & ecce iam peruenit ad centesimum quartum annum suæ ætatis. Estque licet valde senex, læto vultu, promptoque & alacri animo, & diuina plenus gratia. Oramus autem nos quoque humiles & abiecti, vt Deus eum magis confirmet & corroboret, & eius cursum in pace consummet. Deo autem nostro gloria in secula seculorum. Amen.

*Laborat pro fide Catholica aduersus Origenistas, & alios hæreticos.*

*Summaria descriptio totius vitæ sancti viri.*

### *NOTÆ.*

Ioannes Silent.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 13. Maij. Huius vitam fidelissimè scripsit Cyrillus Monachus. Descripserunt eam Lipp. tom. 6. & Sur. tom. 3. Floruit temporibus Zenonis Imperat. agénsque iam tunc quartum supra centesimum annum adhuc erat in humanis, cum Cyrillus scriberet eius res gestas.*

In primo sanctæ ciuitatis gerocomio.] *Gerocomium, alias gerontocomium, est locus venerabilis, in quo pauperes & propter senectutem solam infirmi homines curantur & pascuntur. Et videtur compositum à gerõn, & comos est villa, vel comedo, quia talis locus in villis solet esse, vbi gerontes comedant & reficiantur. Vulgò hospitale appellatur.*

Xenodochium.] *Hospitale, locus publicus, quo peregrini, & hospites, hospitaliter recipiuntur, ξένος, hospes, δοχεῖον, receptaculum, quasi hospitum receptaculum. D. Hieronym. Xenodochium in portu Romano situm totus pariter mundus audiuit.*

Sanctum cranium.] *Cranos seu cranium apud Græcos significat capitis caluariam.*

Alamundarus.] *Mart. Rom. 19. Febr. agit de Sanctis Monachis à Sarracenis sub Principe Alamundaro occisis. Hic postmodum ad Christi fidem conuersus fuit, vt scribit Niceph. hist. lib. 17. Vide Baron. in Not. Mart. 19. Febr. c. 35.*

## *VITA S. BARSANVPHII EREMITÆ. Ex Euagrio historiographo lib. 4. c. 32.*

*S. Barsanuphius primò in Monasterio prope Gazam vixit.*

BARSANVPHIVS genere Ægyptius, vixit in Monasterio propè Gazam, & in carne vitam carni aduersariã degit, adeò vt multa memorabilia ederet miracula. Creditur porrò eum in ædicula quadam clausum ætatem egisse, atque à tempore quo in eam ingressus est, ad spatium quinquaginta annorum & amplius, neque à quoquam visum, neque quidquam alimenti vel aliarum rerum in terra accepisse memoratur. Quibus rebus cum Eustochius Hierosolymorum Episcopus minimè fidem adhiberet, cumque ædiculam in qua vir ille diuinus conclusus fuit perfodere constituisset; parum aberat, quin ignis ex ea erumpens, omnes qui cum eo illuc venerant combussisset.

*Degit Inclusus in cella per spatium quinquaginta annorum nullo cibo corporali vtens.*

*Ignis erũpens de cella viri Dei, eam perfodere volentes fugat.*

### *NOTÆ.*

Barsanuph.] *De eo Martyrolog. Romanum cum Baronio in Notis 11. Aprilis. Et in Annalib. tom. 7. ad annum 548. Scribit de eo etiam Nicephor. lib. 17. c. 22. floruit tempore Iustiniani Imperat.*

## *VITA S. IVLIAMI ANACHORETÆ. Ex ea quam scripsit Sanctus Ephrem Diaconus.*

*B. Iulianus primò vitam in multa lasciuia & intemperantia duxit.*

PTIMVS hic atque fortissimus inter pietatis pugiles, seruus adhuc sub Dominis sæcularibus cum esset, antea quidem, sicut ipse postea nobis enarrauit, vitam in multa lasciuia peragebat, tandem ab intemperantia ad agnitionem veritatis deueniens, optimè vitam suam traduxit: ac multa à propriis Dominis in ciuitate Heliopoli passus est, quippe cum idololatrarum furore atque insania participabant. Cæterùm defuncto iam eius hero, vitæ priori renuntians, effectus est Monachus. Dominũ autem Deum tota anima ac corde diligebat, ita vt in omni penè genere virtutũ se exercuerit, perfeceritque. Magnam enim possedit compunctionem, & humilitatem eximiam: non tamen vt quidam post vitæ abdicationem atque secessum facere solent, qui negligentiæ ac otio contemptionique mandatorum Dei sese tradiderunt, lumbisque suis haudquaquam per continentiam ac pudicitiam præcinctis, in abyssum malorum suas ipsi animas defixerunt, ita vt aliqui nec de rebus quidem ad suum institutum, salutemque petinentibus, instrui se finant: sed eas etiam respuere propter suas concupiscentias non dubitarunt: soloque pietatis ac Religionis habitu amicti seipsos domicilium phalangis dæmonum effecerunt.

*De quodam qui proprium filiũ dæmoni ex auaritia obtulerat.*

Negligens quoque in iis, quæ residebam locis, quidam erat Monachus, qui filium valde paruum habebat, & hunc tanquam inobedientem & immorigerum in sacrificium dæmoni propter suam auaritiam offerre non verebatur: verùm diuino auxilio assumptus præseruatusque est puer. Cùm enim deduxisset

deduxisset eum miser & ignauus homo in quendam subterraneum locum, vbi multum auri dicebatur reconditum ab iis qui sacra sepulchra parabant, dæmon conspecto Crucis signo, quo puer amictus ac consignatus erat, non est ausus ei nocere: nam cum analabo adduxerat eum vir ille, quē patrem hic appellare piget, pudetque. Sic igitur re explorata, & ex euentu cognita, surgens abstulit à puero analabum. Rursusque vox ex locis abditis atque secretioribus audita est, cum omnino consecratus is sit Deo, frustra mali quid contra ipsum tentari. Puer igitur admirabiliter liberatus ac conseruatus, enarrauit quæ successerant omnia, simulque quomodo à Domino nostro Iesu Christo assumptus protectusque esset. Celebris quippe de eo increbuerat sermo ac rumor: ita vt etiam concilium à sanctis patribus, occasione rei quæ acciderat, colligeretur.

*Concilium occasione rei miraculosæ congregatū.*

*S. Iuliani mores.*

Beatus verò Iulianus mortificans in se mundanas concupiscentias, quantum Monastica viuendi exigebat ratio, in sua residebat cella: prope autem eiusdem cellam, etiam mea cella sita erat, nam eramus eiusdem congregationis ambo. Accedebat igitur is ad cellam meam, & ego vicissim ibam ad ipsum, proficiebam enim ex colloquio ac conuersatione viri, mirabarque cùm viderem tantam in homine barbaro cognitionem, quippe ex partibus occidentalibus oriundo, glorificabamque Deum, qui non vult quenquam perire, sed omnibus per pœnitentiam ignoscere.

*Iulianus vt Barbarus & occidentalis.*

*B. Iuliani cōditio ac forma.*

Beatus verò Iulianus, corpore quidem erat robustus, sed nimio labore atque exercitatione conficiebatur, patrum vestigiis insistendo. Illiteratus autem cum esset, addiscere conabatur. Hic pietatem atque religionem colens, cellam habebat in qua per se quietam atque tranquillam vitam ducebat, & cubile tenebat: sed cum illi non sufficeret angustia cubiculi, intus sibi illud in modum sepulchri ædificauit, angustissimum quoque eius ingressum reddens, per quem cum introiret, in eo velut in monumēto aliquo orabat lugēs ac plorans. Operabatur autem & propriis manibus carbasa, ac vela nauium. Compunctionem porrò & planctum amabat, si quis etiam alius: ita vt prætereuntes cellam ipsius, vocem ploratus eius audirent, eiulabat enim sicut solent qui filium, aut filiolam sepeliunt vnigenam. Sua quippe peccata ipse sibi ante oculos constituens, anxiè dies noctesque deflebat, ipsas noctes breuissimo somno transigebat. Quam multas porrò tribulationes sustinuerit propter negligentiores fratres, non dici potest: cunctas verò eas per humilitatem, & patientiam, absque detrimento præteribat. Valde quoque erat pacificus, temperans, ac continens, tolerans & constans, mansuetus & clemens, pius atque religiosus, & voluntariæ paupertatis amator. Quin & impiger, & ad opera extraordinaria promptus & expeditus hic vir beatus erat, & à maledicentia conuitioque omni alienus, humilis quoque in sermone, in opere, in vestitu, in ingressu atque incessu, neque enim vt ego, & mei similes pigri, in negligentia suos percurrit dies: sed in omni compunctione dies vitæ suæ perfecit. Et quemadmodum qui carcerali detinentur custodia, dum coram tribunali Iudicis sunt, præ timore & angore plorant: sic & beatus Iulianus assiduè tremendi tribunalis Christi recordabatur, quare & continenter flebat iudicium futurum cogitans. Vbi autem compunctio, & lacrymæ, & humilitas, ibi nequaquam instabilitas, & quæcumque res peruersa, ac improba regnat, sed optimus ordo viget ac disciplina, & omnis res bona. Vbi verò ista non adsunt, multum à scopo, qui quæritur, aberratur. Euitabat is quoque colloquia atque commercia mulierum, occasiones omnes inanium voluptatum amputans. Quando verò pulsus ad Synaxim audiebatur ante omnes alios fratres occurrere contendebat. Sic verò in Synaxe consistebat, absque vlla oculorum distractione, quasi iam ipsi tribunali Domini nostri Iesu Christi assisteret.

*B. Iuliani extremi iudicij memor.*

*Habet gratiā lacrymarum.*

*Synaxis obseruatio.*

Quadam autem die ad ipsum dixi: Quis, obsecro, hosce libros corrumpit, quippe in quibus, vbi scriptum erat Deus, aut Dominus, aut Iesus Christus, vel Saluator, litterarum elementa deleta reperiuntur? Beatus verò ad me. Nihil, inquit, à te penitus absondā. Fornicatrix mulier ad Saluatorē accedens, lacrymis pedes ipsius rigauit, & capillis capitis sui abstersit, & ego vbicumque nomen Dei mei scriptum comperio, lacrymis meis rigo, vt & ego remissionem ab eo peccatorum accipiam. Ego verò gratiosè ad eum dixi: Deus qui benignus est & misericors, bonum illud tuum suscipiat propositum, verumtamen libris parcas, obsecro. At ille dixit. Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo. Ardenter porrò in Religione se gessit, atque exercuit, vltra vigintiquinque annos, & interea moritur in Domino, in obedientia, & persecutione quam passus est, dignus æterna factus beatitudine.

*Catalogus virtutū eius.*

*Res notatu dignissima.*

*Moritur.*

## *N O T Æ.*

Iulianus.] *De quo Mart. Rom. cum Baronio in Notis apud Surium auctum, & nouissimè Coloniæ impressum. Claruit anno Domini 350.*

In ciuitate Heliopoli.] *Est Heliopolis ciuitas montis Libani. Alia etiam eius nominis est ciuitas Ægypti, altera etiam in Cilicia.*

Quidam erat Monachus, &c.] *De hoc vide Vossium in Scholiis ad cap. 38. S. Ephrem, de humilitate comparanda.*

## *VITA SS. SIMEONIS COGNOmento Sali, & Ioannis Eremitarum. Ex Leontio sanctissimo Episcopo Neapolis insulæ Cypri. Apud Metaphrastem.*

IN TEMPORE Iustiniani Imperatoris, cum accederent ij, qui Christi erant amantes, & pro more sancta Christi loca cupiebāt adorare, quæ sunt in sancta ciuitate, in exaltatione pretiosæ, & viuificæ Crucis (norunt autem omnes, qui illic adesse consueuere in hoc sancto, & omnibus laudibus celebrādo festo, quod ferè ex vniuerso orbe terrarum, concurrit multitudo populorum) accidit vt in hoc venerabili festo duo quidam iuuenes, qui erant ex Syria, Dei prouidentia se inuicem conuenirent. Vni nomen erat Ioannes & alteri Simeon. Peracto autem sancto Dei festo, recessit deinceps vnusquisque in suam ciuitatem. Hi verò duo iuuenes postquam clementis Dei voluntate simul conuenerunt, & se mutua complexi sunt beneuolentia: non sunt amplius à se inuicem separati. Quocirca dum etiam reuerterentur in patriam, iter ingressi sunt vnanimes cum suis parentibus. Nam habebat quidem Ioannes patrem senem, sed non matrem: coniunctus quoque erat matrimonio, eratque circiter viginti quatuor annos natus. Simeon autem patrem quidem non habebat,

*Festū Exaltationis Sanctæ Crucis.*

*Ioānes & Simeon occurrunt sibi ad festum Exaltationis.*

*Ioannes prius matrimonio coniunctus.*



habebat, sed solam matrem vetulam circiter octoginta annos natam. Postquam ergo descenderunt in vallem Hierichuntinam, & transierunt ciuitatem, contemplatur Ioannes Monasteria quæ erant circa Iordanem, & dicit Syriacè Symeoni. Scisne quinam habitent in his hospitiis quæ sunt ex aduerso? Ille ei dicit. Quinam? Ioannes autem: Angeli Dei. Et Symeon veluti admirans: Possumusne eos videre? Certè, (inquit Ioannes) si efficiamur vt quidam ex illis. Cum ergo statim ex equis descendissent, eos dederunt seruis suis dicentes: præite nos. Præ se enim tulerunt velle se in eo loco sedere. Contigit autē vt inuenirentur in via, quæ ducit ad sanctum Iordanem. Ambo ergo constiterunt, & dicit Ioannes digito ostendens Symeoni: Ecce via, quæ ducit ad viam sancti Iordanis, & ecce via quæ ducit ad mortem, ostendens ei viam publicam, per quam eorum parentes præcesserant. Agedum ergo oremus, & stemus quilibet nostrum in vna ex ipsis, & sortiamur, & quæ sorte euenerit, illam viam ingrediamur. Genu itaque flexo, suspirantes dixerunt: Deus, Deus, Deus, qui vis totum mundum saluum facere, voluntatem tuam aperi tuis famulis. Cūque sortiti essent sortiente Ioanne, decē sortes obtigere Symeoni. Stabat autem in via quæ ducit ad sanctum Iordanem. Tunc magna affecti lætitia, omnium suarum facultatum & parentum obliti, complexi se sunt deosculantes. Literas autem Græcas insigniter didicerāt: magnaque erant præditi sapientia.

*Solo aspectu cellarū Monachorū animantur ad mundi contēptum.*

*Callent linguam Græcā.*

Eis ergo viam ingredientibus, licebat eos videre exultantes, & lætantes, & currentes, quemadmodum Petrum & Ioannem, ad viuificum sepulchrum Domini, promptoque & alacri animo se inuicem excitantes, & animum addentes. Postquam igitur se excitando plura disseruerunt: perueniunt ad Monasterium, quod vocatur Abbatis Gerasimi. Nam hoc quoque precati fuerant: Domine Deus, in quo Monasterio vis vt mundo renūciemus, ostium inueniamus apertum. Quod etiam accidit. In hoc ergo Monasterio erat vir admirabilis, Nicon nomine, vir qui reuera nomini conueniens vitæ habebat institutum. Vincebat enim omnem dæmonum aciem, clarus signis & miraculis, & prophetiæ dignitate à Deo honoratus: qui etiam præsciuit aduentum horum beatorum. Dicit enim se vidisse in somnis eo die, quo accesserunt, quendam, qui ei dicebat: Surge, & aperi ostium gregis, vt ingrediantur oues meæ. Quod etiam fecit. Postquam ergo accedentes inuenerunt ostium apertum, & sedentem Abbatem, & eos expectantē, dixit Ioanni Symeon. Bonum est signum, ô frater, apertum ostium, & sedens ostiarius. Postquā autem appropinquauerunt, dixit eis præfectus: Bene venerūt oues Christi. Dicit ergo protinus Symeoni. Bene venisti Sale, verè decem tua sunt ab Abbate Ioanne, decem enim te expectant. Dicebat autem propter perfectionem vitæ, quæ est ex virtute. Cum eos ergo excepisset, refecit ac recreauit, vt qui essent missi diuinitus. Et cum eos diutius admonuisset vt in sancto perseuerarent proposito, comam eis totondit, & habitum tradidit. Duobus autem diebus postquam ipsi sanctum cepissent habitum, dixit Symeon Ioāni. Ex quo Dei seruus nos induit, intrinsecus inflammor nescio vnde, & quærit anima mea neminem videre, & alloqui, & audire neminem. Si me audieris hæc faciemus. Et cum multa adinuicem dixissent, faciamus, (inquit Ioannes) vt volueris. Sed quomodo exibimus? Noctu enim sunt clausæ fores. Dicit ei Symeon: Qui nobis interdiu aperuit, ipse quoque noctu aperiet.

*Nicōnis Abbatis sanctitas.*

*Prænoscit aduentum SS. Ioānis & Symeonis.*

*Tradit eis Nicon habitū Monachicū.*

*Statim Simeō ad vitam solitariam inflāmatur.*

Postquam ergo firmum ac constitutum fuit eis consilium, statim cum nox aduentasset, videt præfectus quendam in somnis, qui aperiebat fores Monasterij, & dicebat: Egredimini signatę Christi oues ad pascua vestra. Is autē è somno protinus excitatus descendit ad ianuam, & eā inuenit apertam: existimansque eos esse egressos sedebat tristis, ingemiscens & dicens: non sum dignus habitus ego peccator, qui acciperem preces patrum meorum. Cum multa ergo anxius apud se cogitaret, ecce pueri Christi veniebant vt egrederentur, ante quos vidit purissimus præfectus Nicon quosdā Eunuchos, qui gestabant lampades, hos autem sceptra vna manu tenentes. Postquam ergo illi cognouerunt eum esse præfectum, valde lætati sunt, maximè cum etiam ianuam vidissent apertam. Venit enim eis in mentem. Deum quoque id ei reuelasse. Et cum ei gratias egissent quod eis habitum sanctæ conuersationis tradidisset, eosq; optimè instruxisset quomodo aduersus hostes generis humani pugnare deberent, Sancti amplectentes genua dicebant: Memento pater tuarum humilium ouium, quarum Christo obtulisti holocaustum. Memento semper nostri in tuis orationibus, vt purè & syncerè seruiamus Deo, cui nos ipsos consecrauimus. Postquam ergo ambo fleuissent satis longo tempore flexis genibus, & S. Nicon statuens Symeonem à dextris, & Ioannem ad sinistris, surrexit, & manus ad cælum extendens, pro eis orauit vt Deus eos seruaret. Et cum eorū frontes & pectora, & totum corpus signasset, eos dimisit. Et cum exiissent, hoc dicebant: Deus illius magni tui serui, deduc nos qui sumus hospites, & erramus instabiles, quoniam neque loca scimus, nec regionē, sed ad te venientes nos morti tradimus in vasto pelago huius solitudinis. Dicit ergo Ioānes Symeoni. Quid modò est? Quò ibimus? Ille ei respondit: Tendamus ad dexteram, nam quæcumque sunt dextera bona sunt. Euntes autem venerūt ad mare mortuū. Fuit verò hæc omnino Dei prouidētia, qui nunquā deserit eos, qui toto animo in eum credunt. Inuenerunt autem locum in quo habitabat quidā senex, qui paucis antè diebus erat mortuus, in quo parua erant vasa, & herbæ delicatæ ad vescendū, de quibus comedebat senex, qui illic iacebat. Cum ergo locum vidissent viri illi egregij, perinde lætati sunt, acsi thesaurum inuenissent. Postquam ergo manserunt paucos dies, non ferens Christi seruorū virtutem, nostrarum animarum inimicus diabolus cœpit cum eis bellum gerere, Ioannem quidē tentans per suam vxorem: Symeonem autem per magnū sue matris amorem. Quādo ergo vnus ex eis se videbat affligi, statim dicebat alteri: Surge frater, oremus. Nonnumquam etiam eos inflammabat diabolus (quemadmodum narrabat diuinus Salus) vt carnem comederent, & biberent vinum. Rursus autem vt in somnis respicerent, & nonnumquam etiam in visione, suos quidem partim flentes, partim verò conuiuantes, efficiebat forma multiplex serpētis, & multa alia quæ nec possint quidem narrari, nisi quis expertus fuerit easdem tentationes.

*Angeli visi à Nicone cum lampadibus præire Ioannē & Symeonem, pergentem ad Eremum.*

*Commendant se precibus Abbatis.*

*Habitant in cella prope mare mortuum.*

*Varias experiuntur dæmonum tentationes.*

Apparebat autem eis quoque in somnis Abbas Nicon, nonūquam quidē eos admonens, nonnūquā verò orans pro ipsis, nonnumquā autem eos quoq; docens psalmos, & è somno excitabātur, memoriter dicentes quæcumque noctu ab ipso didicerant. Et propterea magna afficiebātur lætitia. Sciebāt enim senem propter ipsos laborare, de quo ex ipsis rebus fiebant certiores. Nam cū hoc ambo ante omnia à Deo petiissent, Symeō quidem vt consolationē cor

*Sæpe eis apparet in somnis S. Nicon Abbas.*

*Obtinet à Deo Symeon, vt mater accipiat consolationẽ: Ioannes verò vt coniux in cælum assumatur.*

matris eius acciperet,& penitus acquieſceret:Ioannes autem,vt Deus ſuam acciperet coniugem,quò è ſuo animo auferretur, quod ad eam referebatur deſiderium,ipſe Dominus vtroſque exaudiit,de quo dicitur : voluntatem timentium ſe facier.Cumque duo anni præteriiſſent,à Deo certior factus eſt Symeon, matrem non amplius propter ipſum moleſtia affici,eumque ei noctu apparere,& eam conſolari, & dicere ei ſermone Syriaco. Ladochre Lichem, hoc eſt, ne te crucies mater. Etenim rectè ſumus ego,& Ioannes, & valemus. Militauimus in palatio Imperatoris, & ecce coronas, quibus nos induit Imperator, & veſtes decoras geſtamus. Sed Ioannis quoque fratris parentem conſolare, quod mecum militauerit, & vos nulla afficiamini moleſtia. Porrò autem Ioannes quoque vidit quendam ei dicere indutum candidis veſtibus. Ecce effeci,vt pater tuus dolere deſineret, vxorem autem tuam his diebus aſſumo. Narrarunt ergo ambo ſibi inuicem ea,quæ viderant:gauiſique ſunt, & cor eorum

*Statim cogitatione parentum leuatur à Deo.*

magna affectum eſt lætitia.Tunc parentum ſuorum cogitatione eos Deus ſtatim leuauit,& in poſterum quieto, ac tranquillo fuere animo, de eis nulla affecti moleſtia, ſed impigrè,& citra vllum laborem, perpetuum exercitationis, & ſilentij curſum nocte dieque peregere,& habebant ſolicitudinem perpetuæ orationis , per quam in breui eò proceſſerunt impigri operatores , vt infra modicum tempus digni ſint habiti viſionibus , & miraculis. Nam cum

*Agunt silentium separati ab inuicem.*

præteriiſſet parum temporis , ambo ſilentium agebant,ſeparati à ſe inuicem ſpatio iactus vnius lapidis.Nam hoc quoque inter ſe conſtituerant,nempe ſeorſum ſecedere,quando vellet vnuſquiſque ex illis ſolus ſigillatim orare. Quando autem ad eum veniſſent cogitationes,aut ſocordia,alter venire ad alterum,& communiter Deum rogare, vt liberetur à tentatione. Cum ergo quodam die ſederet Symeon in loco ſibi conſueto , videt in ectaſi veluti ſe adeſſe apud ſuam matrem ægrotantem Edeſſæ,

*Patria Symeonis.*

(erat enim illinc oriundus)& ei dicit voce Syriaca. Quomodo te habes mater ? Cum ea autem dixiſſet; Rectè, fili:ei rurſus dicit. Vade ad Regem, nihil timens , eum enim rogaui, & tibi parauit honeſtum locum, & quando volet,te illic conueniam. Ad ſe autem reuerſus nouit matrem ea hora eſſe mortuã. Curſimque veniens ad Ioannem ei dicit:Surge frater, faciamus orationem,modò enim bonam & benedictam matrem meam Dominus accepit. Et ei expoſuit viſionem. Cumq; ipſi genua inclinaſſent, orarunt : licebatque Symeonem audire dicentem, dum oraret pro matre;Da ei Angelos qui eius conſeruent animam à ſpiritibus , & feris huius aëris, qui ſunt ſceleſti,& immites,& conantur omnes deuorare,qui per ipſos tranſeunt.Mitte ei Domine cuſtodes fortes , qui increpent omnem immundam poteſtatem, quæ ei occurrerit.

*Symeon in ectaſi cognoſcit matrem obiiſſe.*

Cumque hæc , & ſimilia precatus eſſet, ſurrexerunt ambo ex oratione. Cœpit autem frater Ioannes cum conſolari, & dicere. Ecce frater Symeon, Deus tibi ſatisfecit , & exaudiuit orationem tuam, & accepit matrem tuam : ſed modò mecum collabora, & ambo oremus ad Dominum, vt faciat etiã miſericordiam ſuam cum ea,quæ Dei conceſſione, mea vxor eſt nominata,vt eam quoque Deus deducat ad conſiderationem monaſtici habitus, aut vtatur in eam miſericordia,& eam accipiat. Cumque oraſſent breui tempore , vna nocte videt Ioannes matrem Symeonis venientem, & manu tenentem eius vxorem , & ei dicentem : Surge ſoror , veni prope me : bonam enim mihi domum largitus eſt

A Imperator,qui filium meum duxit in exercitum ad ſeruiendum ſibi,ſed muta veſtes tuas,& geſta mundas.Quæ ſurrexit protinus,& eam eſt ſecuta. Tunc cognouit Ioannes eam quoque eſſe mortuam,duaſque illas eſſe in bono loco , valdeque magno affectus fuit gaudio.

*Cognoscit etiam Ioannes in visione vxorem esse mortuam.*

Illi autem perſeuerarunt in ſolitudine, exercentes ſe in omni exercitatione,afflictioneque,& frigore,& æſtu,viginti nouem annos, vbi multas,& quæ dici nequeunt tentationes ſuſtinuerunt à diabolo, maximè autem Symeon,ex ea quæ ei inerat ſimplicitate, & puritate. Senſit tamen per inhabitantem in ſe virtutem Spiritus ſancti , ſe neque timere vllã affectionem , neque frigus , neque famem , neque

*Multa frigoris, & æstus patiuntur incommoda.*

B æſtum, ſed prope videbatur exuperare modum humanæ naturæ.Quadam verò die dicit Ioanni.Quid nobis deinceps proderit,frater , ſi verſemur in hac ſolitudine ? Sed me audias, ſurge, abeamus, alios quoque ſaluos faciamus. Hic enim nobis ſolis, & nulli alij proſumus. Cœpit quoque ex ſancta Scriptura quædam ei dicere huiuſmodi : Nemo quærat quod ſuum eſt, ſed id quod eſt proximi. Et rurſus; Omnibus omnia factus ſum,vt omnes ſaluos faciã. Et quædam alia huiuſmodi.Reſpondens verò Ioannes dixit ei.Satanas (vt exiſtimo) ô frater nobis inuidet hanc quietẽ, & hanc tibi ſuggeſſit cogitationem.Contra autem ſede,& impleamus curſum noſtrum in hac,in qua nos Deus poſuit ſolitudine.Di-

C cit verò Symeon : Crede,ego non manebo , ſed in virtute Chriſti abibo,& mundum ludificabor.Poſtquam ergo frater Ioannes vidit eum perſiſtere, cognouit à Deo fuiſſe ei ſuggeſtum , vt hoc faceret. Et ſubiiciens Symeon dicebat. Ne timeas ô frater, neque enim à me hoc volo facere,ſed Deo mihi iubente.Ex hoc quoque cognoſces Deo gratum fuiſſe opus,quod per eius operabor auxilium,quod antequam moriar, ad te veniam,te vocabo, & ſalutabo,& paucis diebus me ſequeris.Sed ſurge,oremus. Cumque ſatis diu oraſſent, & ſua inuicem pectora exoſculati eſſent , & ea ſuis lacrymis irrigaſſent, eum dimiſit Ioannes,ſatis longo ſpatio eum comitatus in itinere , & ſic reuerſus eſt in locum ſuum,

*Aperit Symeon Ioanni, se velle mundo illudere,& saluti proximorum intendere.*

*Prædicit Simeon se ante mortem ipsũ visitaturum.*

*Separantur ab inuicem Symeon & Ioannes,non sine multis lacrymis.*

D lacrymis terram irrigans.

Symeon autem recto curſu contendit in ſanctã Chriſti Dei noſtri ciuitatem. Valdè enim (vt dicebat) ſitiebat , & vehementi ardebat deſiderio iam longo tempore fruendi ſacris locis. Cumque peruenisſet ad ſanctum & viuificum Chriſti monumentum,ſuum impleuit deſiderium. Manſit autem tres dies reſidens in ſancta ciuitate , ingrediens , & adorans ex omni parte veneranda loca Domini, & orans.

*Simeon venit Hierosolymã, & sacra loca visitat.*

Vt ergo dictum eſt ſuperius,cum tres dies verſatus eſſet in ſanctis locis , ad Emeſinorum peruenit ciuitatem. Modus autem quo ciuitatem ingreſſus eſt, fuit huiuſmodi. Cum inueniſſet vir inſignis in

*Canem mortuum pede alligatũ currendo trahit per ciuitatẽ.*

E ſterquilinio,quod erat extra ciuitatem,canem mortuum, ſoluta quam habebat zona ex fune, eiuſque pede alligato,eum trahebat currens,& per portam ingrediens prope locum, vbi eſt ſchola puerorum. Cum ergo eum vidiſſent pueri, cœperunt clamare, Abbas ſtultus:& aggreſſi ſunt poſt eum currere, & ei colaphos impingere. Poſtridie autem eius dici, cum eſſet dies Dominicus,accepit nuces, & ingreſſus eſt in Eccleſiam in principio officij, amputans, & extinguẽs candelas.Poſtquam verò vt eum educerent,accurriſſent, aſcendit in ambonem,& illinc nucibus lapidabat mulieres.Cum eum autem multo labore eduxiſſent , dum egrederetur ſubuertit libros placentariorum , qui etiam ei plagas vſque

*A pueris quasi stultus irridetur , & verberatur.*

ad



ad mortem intulere. Poſtquam ſe vidit ita confractum, dixit apud ſe:humilis & abiecte Symeon reuera non viues in horum manibus vna hora. Dei verò prouidẽtia videt eum vnus nomine Fuſcarius. Neſciebat autem cum præ ſe ferre amentiam,& dixit ei : Vis ,ô Domine Abba, pro eo quod circuis, ſtare & vendere ciceré?Ille verò ei dixit.Volo.Poſtquam autem eum vno die conſtituit vt venderet:is

*Accipitur à quodam vt vendat cicerem.*

cœpit omnia erogare hominibus, & ipſe rodere inſatiabiliter. Tota enim hebdomada nihil penitus comederat. Dicit itaque vxor Fuſcario marito ſuo. Vndenam nobis duxiſti hunc Abbatem ? Certè ſi ſic rodit , non opus eſt vt amplius vendamus aliquid. Comedit enim vnam amphoram lupinorum, ex quo ego in eum dirigo oculos. Neſciebant autẽ B quod quæcumque habebant,reliquaſque amphoras erogauerat fratribus,& cæteris, nempe fabam, & lentem,& reliqua legumina:ſed putabant eum illa vendidiſſe. Poſtquam verò aperuerunt apothecam,

*Multis plagis affectus sisitur.*

& penu non inuenerunt, neque pretium venditionis, eum verberarunt , & dimiſerunt, eius quoque barbam vellentes.Cum autem veniſſet veſpera, voluit thuris ſuffitum emittere.Non enim receſſit ab eis veſperè:ſed illic dormiit extra fores. Cum verò non inueniſſet teſtam, manum ſuam immiſit in focum, eamque impleuit,& ſuffumigauit.

Cum Deus autem vellet ſaluum facere Fuſcariũ (erat enim hæreticus ex hæreſi Acephalorũ Seuerianorum)vidit ipſum eius vxor manu ſuffumigantem:Ea verò obſtupefacta dixit.Vnus Deus,ô Abba Symeon,tu manu tua ſuffumigas? Poſtquam autem

*Nec manus eius, nec pallium ab igne læduntur.*

hoc ſenex audiuit,præ ſe tulit ſe comburi,& neſcio quæ lucida è manu ſua tranſtulit in vetus pallium, quod geſtabat , & dixit ei : Si nolis in manu mea, ecce in pallio meo ſuffumigo. Virtute verò Domini qui rubum cõſeruauit incombuſtum, & pueros, nec ſanctus ſenſit flammam,nec eius palliũ. Quonam modo autem ſalui euaſerunt Fuſcarius, & eius vxor, dicetur in alio capite.Conſulto verò hoc faciebat ſanctus , vt quoties alicubi feciſſet aliquid admirabile, & præter opinionem , mutaret protinus illam vicinam, donec ea res, quam fecerat daretur obliuioni. Studebat quoque vt videretur pro- D tinus aliquid à ſe fieri ineptum , & importunum, vt per id contegeret , quod rectè geſſerat.Aliquando verò is qui dabat lupinos in caupona, illum accepit, vt ſibi inſeruiret. Erat autem caupo immitis,

*Inseruit cuidam cauponi.*

adeò vt ei ſæpe ne cibum quidem daret , etiamſi multa venderet propter Salum. Tanquam verò qui eſſent rei nouitate ſuſpenſi, ciues dicebant inter ſe inuicem. Eamus, bibamus,vbi eſt Salus. Ingreſſus eſt autem aliquando ſerpens , & ex vna vrna bibit

*Serpẽs in vrnum venenũ effundit.*

vinũ,& in eo virus ſuum effudit & abiit. Non erat autem intus Abbas Symeon , ſed foris ad tympani ſtrepitum ſaltabat vna cum popularibus. Cum autem ingreſſus eſſet Sanctus,videt vrnam,cui inſcri-

*Confringitur vrna à Symeone.*

ptum erat, ita tamen vt non poſſet videri : Mors. E Statim ergo intellexit , quidnam ei factum fuerat, ſublatoque ligno , eam confregit, ita vt erat plena. Eius autem Dominus ex eius manu tollens baculum , ei incuſſit donec illum debilitaret , & fugaret.Die verò ſequenti venit, & poſt oſtium delituit

*Percutitur baculo à cauponе vir Dei.*

Abbas Symeon. Ecce autem ſerpens rurſus venit potum. Cumque eum vidiſſet caupo , cœpit idem lignum, volens illum occidere. Cùm verò aberraſſet , percuſſit, & fregit omnes vrnas,& omnia poſcet , percuſſit, & fregit omnes vrnas,& omnia poſcula.Tunc ingreſſus eſt Salus, & dixit ei : Quid eſt, ſtulte?Ecce non ſum ego ſolus, caue.Tunc ergo cognouit caupo eum propterea fregiſſe vrnam. Fuitque ædificatus, & eum habuit pro ſancto.

*Etiam serpẽs nititur venenum suũ immittere in pocula.*

*Tandẽ Symeõ à caupone habetur pro sancto.*

A Cum autem vellet ſanctus diſſoluere huius ædificationem,ne de ſe nimis gloriosè prædicaret, quodam die cum eius vxor dormiret ſola , illeque vinum venderet , ad eam acceſſit Abbas Symeon , & præ ſe tulit , ſe veſtem ſuam exuere. Cum illa autem clamaſſet , ingreſſus eſt eius maritus. Illa verò dicit ei. Expelle foras hunc ſceleratiſſimum : nam is voluit mihi vim afferre. Pugnis itaque eum contundens , eduxit eum ex officina ad glaciem. Erat enim magna hyems , & pruina. Ab eo autem tempore non modo exiſtimauit caupo eum eſſe emotæ mentis, ſed & , ſi quem alium audiuiſſet dicentem : Reuera ſe talem eſſe ſimulat hic Abbas , ei ſtatim dicebat. Eſt purus dæmonia-

*Vt fugiat gloriam multa ludicra facit.*

*A caupone non amplius sanctus , sed dæmoniacus reputatur.*

B cus , modo non me fallit homo : nam meæ quoque vxori voluit ſtuprum afferre , ſi potuiſſet:carnes quoque rodit , tanquam qui Deum non habeat. Carnes enim ſæpe deuorabar hic iuſtus, cum tota hebdomada pane non veſceretur. Atque eius quidem ieiunium nemo intelligebat. Ante ipſos autem carnes rodebat , vt eos deciperet. Erat verò omnino tanquam incorporeus , & neque reuerebatur dedecus , nec hominum , nec naturæ. Sæpe enim ventre proprium vſum requirente,ſtatim minimè erubeſcens , in foro ad aliquem locum ſedebat coram omnibus , vel ex hoc volens perſuadere ſe ob id ea facere , quod ſit emotæ mentis. Nam cum ( vt ſæpe dictum eſt) cuſtodi-

*Abstinet à pane tota hebdomada. Nec hominũ, nec naturæ dedecus reueretur.*

*Habet repressam carnis concupiscentiam.*

C retur à virtute ſancti Spiritus , quæ in eo habitabat , inflammatione quæ à diabolo ſuſcitatur,euaſit ſuperior , vt qui ab ea minimè læderetur.

Quodam autem die cum vidiſſet maceratum, & planè conſumptum ab exercitatione(erat enim poſt Paſcha , & omnia ieiunia ieiunauerat nihil comedens) vir bonus & pius Ioannes , qui eius quoque vitam nobis narrauit , miſeratus,& admiratus inexplicabilem eius vitæ auſteritatem,etiamſi eſſet in ciuitate , & verſaretur vna cum mulieribus , & hominibus , volens eius corpus veluti per ludum recreare , dicit ei : Vis venire, & lauari , ô Sale ? Ille verò dixit. Maximè, eamus, eamus. Et ſimul atque hoc dixiſſet ,ſe veſte exuit, D & ſuo capiti imponit , eam alligans non ſecus ac lineam vittam capitis. Ei autem dicit Dominus Ioannes. Indue te , frater : nam reuera ſi ſic nudus incedas , ego non ibo tecum. Dixit autem Abbas Simeon. Vade ſtulte , ego enim ante opus feci : ſi verò non vis venire , ego te parum præcedam. Eoque dimiſſo parum præceſſit. Erant autem duo lauacra ſibi inuicem propinqua , vnum virorum , & vnum mulierum. Virorum itaque lauacrum reliquit Salus , volenſque ac dedita opera profectus eſt ad lauacrum muliebre. Ei itaque clamauit Dominus Ioannes, Quò vadis , Sale ? Mane. Illud eſt lauacrum mulierum. Conuerſus autem vir ille admirabilis ei dicit : Vade,ſtulte. Illic eſt aqua calida , & hic eſt aqua calida, & E neque hic , neque illic eſt amplius. Currenſque ingreſſus eſt in medium mulierum, tanquam eſſet vir inſignis quiſpiam.Omnes autem in eum fecere impetum, & eum verberantes expulerunt. Ab eo itaque eſt ſciſcitatus religioſus Diaconus , quando totam ſuam vitam ei narrauit.Dic propter Dominum pater, quomodo te affectum ſenſiſti, quando es ingreſſus lauacrum muliebre?Is verò ei dixit: Crede mihi fili , vt lignum cum lignis , ſic ego quoque tunc eram. Neque enim quod corpus ferrem,neque quod ad corpora ingreſſus eſſem , ſentiebam : ſed tota mens mea erat in opere Domini, & ab eo non deſiſtebam.

*Totam quadragesimam nihil comedẽdo ieiunat.*

*Nudus incedit.*

*Nudus ingreditur balneũ vbi mulieres lauabantur, & in medio earum degit sicut lignum cum ligno.*

Rursus aliquando fuerunt extra portam pueri currentes certo genere cursus, qui vocatur Lysoporta. Ex quibus vnus erat filius Domini Ioannis Diaconi amici sui, qui paucis ante diebus cum muliere, quæ iuncta erat matrimonio, habuerat stupri consuetudinem. Dumque is è domo eius egrederetur, nemine eum vidente, cœpit vexari à dæmone. Voluit ergo hic Sanctus simul eum castigare, & sanare. Dicitque iis qui currebant. Certè nisi ego vobiscum ludam, non sinam vos currere. Et cœpit lapides in eos iacere. Voluerunt ergo eum accipere in ea parte, in qua is currebat, quem erat curaturus. Cum id autem vidisset Abbas Symeon, magis abiit in partem contrariam. Sciebat enim quidnam esset facturus. Cum autem cœpissent currere, velociter B vadit Sanctus ad puerum, quem dæmon inuaserat. Cumque ad eum veniisset, nemine animaduertēte, eū percutit in maxilla, & dicit: Noli amplius mœchari, ô infœlix, & dæmon ad te minimè accedet. Statim verò eum fregit, & deiecit dæmon, omnesque ad eum conuenerunt. Cum ergo humi iaceret spumans, videt is qui laborabat Salum ab eo tempore persequentem canem nigrum, & eum verberantem cruce lignea. Ad se autem post multas horas reuersus interrogatus est quidnam sibi accidisset, & hoc solo excepto nihil poterat dicere. Dixit mihi nescio quis: Noli amplius fornicari. Cum verò Abbas Symeon fuisset in pace consummatus, veluti ad se rediit, & rem omnibus sigillatim exposuit. Mimi quandoque spectacula exhibebant in theatro. Erat autem ex eis vnus Psephas nomine. Cum verò vellet hic vir iustus à tali malo eum reprimere, ac rescindere, non dedignatus est venire, & stetit in scena, vbi agebant Mimi. Cumque vidisset Psepham incepisse facere res nefarias, iecit in eum lapidem paruum admodum, facto in eo signo Crucis, & percussit dexteram volam manus Psephæ, eamque exsiccauit. Nemo autem animaduertit quisnam iecisset lapidem. Ei verò noctu in somnis hic Sanctus apparet, & dicit ei: Ego te reuera sum assecutus, & nisi iuraueris fore, vt hoc vitæ institutum non amplius exerceas, minimè sanaberis. Iurauit ergo ei per virginem Deiparam, se non amplius ad tale ludicrum agēdum esse venturum. Cumque surrexisset, manum suam inuenit sanam. Narrauitque omnia quæ à se visa fuerant, nisi quod fuisse Salum, qui ei apparuerat in somnis, non poterat dicere. Hoc autem solum dixit: Nescio quis Monachus ferens coronam ex ramis palmarum, hæc mihi dixit.

*Quidam ob perpetratum adulterium arripitur à dæmone.*

*Impingens colaphum dæmoniaco, pellit ab eo dæmonem.*

*Paruum lapidem contra Mimū proiicit, qui percutiens manū eius statim eam arescere facit.*

*In somnis Symeon apparet Mimo promittens ei salutē, si velit ludicrum vitæ institutum velinquere.*

Cum esset aliquando ciuitatem magnus inuasurus terræmotus, quo tempore cecidit Antiochia tempore Mauricij Imperatoris (tunc enim in orbem terræ habitabilem venit hic Sanctus è solitudine) arripuit lorum è schola, & cœpit verberare columnas, & dicere vnicuique: Dixit Dominus tuus: Sta. Cumque veniisset terræmotus, nulla ex iis columnis, quas verberauit, cecidit. Porrò autem venit ad vnam quoque columnam, & dicit ei: Tu verò neque cadas, neque stes. Et fissa est à superiori parte vsque ad infimam, parumque inclinata est, & sic mansit. Nemo autem intellexit id quod beatus hic fecerat, sed dicebant omnes eum præ dementia verberasse columnas. Cum aliquando pestis esset aggressura ciuitatem, veniens in omnes scholas, cœpit salutare pueros, dicens vnicuique illorum, quos salutabat, tanquam ridiculè: vade pulchre, ô mi pulcher. Non omnes autem salutauit, sed quos ei Dei gratia significauit. Dicebat magistro vniuscuiusque scholę: Propter Deum stulte, ne cædas pueros, quos diligo. Sunt enim magnū iter abituri. Magister autem eum ludificans aliquādo verberabat, aliquando verò pueris annuebat, vt ei insultarent, & eum infectabantur. Cum autem veniisset pestis, nemo remansit ex iis quos salutauit Abbas Symeon, sed mortui sunt omnes.

*Antiochia diro terræmotu concussa.*

*Stant columna tempore terræ motus, ab eo fusse stare.*

*Prænoscit pestem futurā.*

*Item mortem puerorum.*

Fuit verò hæc quoque huius Sancti consuetudo ascendere in domos diuitum, & ludere; sæpe autem etiam simulare se eorum ancillas deosculari. Quodam verò die accidit, vt cum quidam ex populo prægnantem reddidisset vnam ancillam vnius ex illustribus, nec vellet ancilla dicere, quisnam esset, qui ei stuprum attulisset, postquam eam rogauit eius Domina, quis eam vitiasset, illa dixit: mihi vim attulit Salus Symeon. Cum is ergo pro more domum veniisset, dicit ei Domina puellæ. Bene habet Abba Symeon, vitium attulisti, & ancillam meā stuprasti. Ille autem statim ridens, & in manum dexteram suum caput inclinans, ei dixit, simul suos quinque colligens digitos: Sine, sine misera, ea tibi modo pariet, & paruum habebis Symeonem. Donec ergo venit dies eius, mansit Abbas Symeon ad eam afferens panes siligineos, carnesque, & obsonia, eique dicebat. Comede vxor mea. Quando autem venit tempus, & hora pariendi, tres dies, vel vsque ad mortem vehementes sensit dolores. Dicit ergo eius Domina Salo. Ora Abba Symeon, nam vxor tua non potest parere. Ille verò ei dicit tripudians. Non per Iesum, non per Iesum misera, nō prius illinc egredietur infans, quàm dixerit quisnam sit pater eius. Postquam ergo hoc audiuit, quæ erat in periculo dixit. Ego hoc in eum confinxi: non est eius, sed est N. ex populo. Tunc ergo statim pepetit. Cumque omnes essent admirati, qui in illa domo habitabant, partim eum habuere pro Sancto, partim verò dixerunt eum diuinare ex Satana, quandoquidem est planè stultus.

*Simulat se ancillas diutum deosculari.*

*Falso quādā ancilla à quodam vitiata, dicit Symeonem sibi vim intulisse.*

*Pascit puellā.*

*Aduenientē partu, diros patitur dolores mulier.*

Cum autem duo quidam patres tunc in quodā Monasterio prope Emesam, inter se quærerent, & perscrutarentur, cur cecidisset Origenes hæreticus, qui tanto ingenio, & tanta sapientia à Deo fuerat ornatus, & vnus quidem diceret, non fuisse à Deo eam, quæ ei aderat scientiam, sed fuisse quoddam donum naturæ, & dexteri ingenij. Nam cum in lectione diuinæ scripturæ, & sanctis patribus maximè esset versatus, & ideo suos libros conscripsit. Alter verò contra diceret, neminem ex dono naturæ posse tales, quales ille edidit, habere orationes, & maximè eas, quæ sunt de iis, quæ dicuntur Hexapla. Quocirca ea vel in hodiernum diem suscipit Ecclesia, tanquam necessaria. Cum ille autem rursus responderet. Crede mihi, sunt Gentiles, qui eo maiorem habuere sapientiam, & qui eo plures libros conscripsere. Quid ergo, oportetne eos laudare propter verbosas eorum nugas? Cum (inquam) non potuissent conuenire, tandem dicit vnus alteri. Audimus ex iis qui veniunt ex sanctis locis, esse magnos Monachos in solitudine Iordanis, eamus, & hoc discamus ex ipsis. Cum itaque ad sancta loca veniissent, & orassent, veniunt etiam in mortui maris solitudinem, in quam secesserant semper memorandi Ioannes, & Symeon. Cum ergo feciisset Deus, vt eum laborem non fruſtrà susciperent, inuenerūt Abbatem Ioannem, qui ipse quoque ad perfectam iam mensuram peruenerat. Postquam enim eos vidit, dixit: Bene venerunt, qui mare reliquerunt, & in siccum lacū venerunt ad hauriendum. Cum longa ergo piaque ac religiosa inter eos fuisset congressio, dicunt ei quanam de causa tantum iter confecerant. Is verò dicit eis. Nondum patres accepi

*Disceptatio inter duos patres de lapsu Origenis.*

*Veniunt ad Ioannem Simeonis quondam collegā, super hac quæstione scisciturī.*

donum





*Remittit eos Ioannes ad Symeonē Salum.*

domum discretionis iudiciorum Dei: sed abite ad Salum Symeonem, qui est in vestra regione. Ipse vobis potest & hoc, & omnia quæ vultis soluere, ei dicentes, precare etiam pro Ioanne, vt illi quoque decem sortes contingant.

Postquam autem venerunt Emesam, & rogarunt vbinam esset ille Symeon, qui dicitur Salus, omnes eos irridebant, & dicebant: Quid ex eo vultis patres? Est homo amens, qui omnes vexat, & subsannat, & maximè Monachos. Cum ij autem qui quæsierant, inuenissent eum apud Fuscarium rodentem lupinos tanquam Vrsum, vnus ex iis statim passus est scandalum, & dixit apud se: Venimus ad videndum virum magna cognitione præditum. Is potest nobis multa dicere? Postquā ergo appropinquarunt dicunt ei. Benedic. Ille verò eis dicit: Malè veniistis, & qui vos misit stultus. Apprehensa ergo auricula eius, qui scādalum passus fuerat, impegit ei talem alapam, vt plusquàm tres dies signū apparuerit, & dicit. Cur vituperatis lupinos. Ij fuerunt madefacti quadraginta diebus. Origenes autē ex eis non comedit, quoniam mare subiit, & nō potuit egredi, & fuit suffocatus in profundo. Iis ergo obstupefactis, quod eis omnia prædixisset, quin hoc etiam, quod decem velit Salus, sed est stultus vobis similis, Accipitisne, ait, plagam in Cruce? Certè, certè abite. Statimque sublata olla, in qua erat lenis vesica, vsit eos duos in labris, ne quid possent dicere, quod eis dixisset.

*Impingit alapā Monacho scandalum patienti.*

*Sententia Simeonis de Origene.*

Cum autem quodam die esset in officina, in qua erant vesicæ, accepit calamum, & cœpit tibia canere, & dicebat orationem magni Niconis, vt ex eo loco effugaret spiritum. Multos enim vexauerat. Postquàm ergo fugit dæmonium, transiit tanquam Æthiops per vesicarum officinam, & confregit omnia. Reuersus ergo ille admirabilis dicit Dominæ: Quis hæc fregit? Illa autem dixit. Vnus Mauritanus sceleratus venit, & omnia contriuit. Is verò dicit ridens: pumilio, pumilio. Illa verò dicit, certè Sale. Ille autem, reuera ego eum misi, vt omnia cōfringeret. Postquàm autem illa hæc audiuit, voluit eum verberare. Ille verò se incuruans, & puluerem tollens proiecit, & oculos eius sanctus obscurauit & dixit: Reuera non me apprehendes, sed aut in Ecclesia mecū communicabis, aut Mauritanus cōfringet omnia. Erat enim ex hæresi Acephalorum. Postquam ergo recessit ab ea, ecce cras eadem hora venit Maurus, & rursus confregit omnia, tam apertè vt videretur oculis. Vires itaque sumpserunt orthodoxi, vt qui Symeonem haberent Dei famulum. De eo autem nemini audentes dicere: quamuis quotidie transiret Salus, & eos irrideret.

*Effugat dæmonium.*

*Hæreticā fœminam ad fidem Catholicam reducere conatur.*

Quidam autem ex iis, qui præerant officinis ciuitatis, voluit eum publicare, cognoscens eius virtutem. Semel enim vidit, cum lauaretur, duos Angelos, qui cum eo conuersabantur. Erat autem is qui præerat officinæ Hebræus, & Christum sæpe blasphemabat. Apparet ergo ei in somnis hic Sanctus dicens, vt nemini diceret, quod viderat. Manè ergo voluit de eo triumphum agere, & eum traducere. Protinus autem astans Sanctus, eius labra attigit, & compressit, nec potuit vllum alloqui. Venit autem ad Salum, & ei manu annuit, vt faceret eum loqui. Simulabat verò Symeon amentiam, & ei contra annuebat, tanquam stultus. Ei autem annuebat vt se signaret, licebatque vtrosque videre inter se annuentes terribili spectaculo. Ei ergo rursus apparet in somnis senex, dicens: Aut baptizare, aut eris mutus. Atque tunc quidem non induxit in animum, vt ei crederet. Postremò verò quando mortuus fuit Abbas Symeon, & se vidit adductum in angustias, maximè autem dum eius transferrentur reliquiæ, tunc ipse baptizatus fuit, & eius domus. Et cum primùm ascendit è sacro lauacro, est locutus.

*Videtur à quodā Symeō inter duos Angelos.*

*Reddit mutū virum volētem reuelare quæ circa ipsum viderat.*

*Mutus suscepto baptismo loquitur.*

Ad eum autem puritatis, & impatibilitatis modum hic Sanctus processerat, vt ipse sederet, & choreas duceret, hinc vnam tenens scenicam fœminam, & illinc alteram, & in medio totius populi versaretur, & luderet, adeò vt impudicæ mulieres in eius sinum sæpe manum iniicerent, eumque irritarent, & titillarent. Hic autem senex, non secus atque aurum purum, nequaquam ab eis polluebatur. Nam quando inflammationem, bellumque sensit in solitudine, Deum orauit (vt dicebat) & magnum Niconem, vt magno fornicationis bello eum leuaret. Semel verò vidit egregium illum virum ad se venientem, & dicentem: Quomodo te habes frater? Dixi autem ei, inquit, Malè, nisi tu succureris. Caro enim mea lasciuit, nescio quare. Subridens ergo, inquit, admirabilis ille Nicon sustulit aquam ex sancto Iordane, & iecit subter vmbilicum, cum venerandæ Crucis eam signasset figura, dixitque ei. Ecce sanus factus es. Ab eo ergo tempore (vt iurabat) nec dormiens, nec vigilans sensit inflammationem corporis. Quocirca vel maximè confidens vir ille præclarus in mundum est reuersus, volens eorum misereri, & seruare illos, qui bello oppugnabantur. Dicebat autem etiam nonnumquam alicui meretrici. Visne te habeam amicam, & dabo tibi centum asses? Multæ itaque ei vel lubenter credebant. Ostendebat autem eis etiam thesaurum, habebat enim quæcumque volebat: vtpote quod Deus etsi non paterent oculis, omnia suppeditaret, propter diuinum eius scopum, & institutum. Et deinde iusiurandum exigebat ab ea quæ accipiebat, eam id non esse infirmaturam.

*Choreas ducit etiam cū impudicis mulieribus.*

*Sanatur Symeon à Nicone ab inflammationibus carnis cum adhuc degeret in Eremo.*

*Meretricibus suppeditat necessaria, vt castè viuant.*

Omnia autem faciebat stultis quibusdam figuris & indecoris. Se enim aliquando fingebat claudicare, aliquando saltare, aliquando sedentem trahi, aliquando verò currenti alicui pedem iniicere, & eum deiicere. Aliquando cum luna oriretur, in terra deuolui, & eam pulsare pedibus. Aliquando autem simulabat loqui temerè. Si quando transgressa esset vna ex iis, quæ reputabantur eius amicæ, statim spiritu intelligebat esse fornicatam, dicebatque loquens, & os suum aperiens & clamans. Da, da ei sancta, & vel precabatur vt ad eam veniret infirmitas vsque ad mortem, vel sæpe si perseuerabat se impudicè gerere, ad eam immittebat dæmonem. Tandem itaque effecit, vt omnes quæ se ei dederant, pudicè viuerent, & minimè transgrederentur.

*Multis modis simulat stultitiam.*

Erat autem prope Emesam manens quidam Protocomes. Qui cum audiisset eius vitam, dixit. Crede mihi, si eum videro, sciam an se stultum simulet, an sit reuera stultus. Cum itaque veniisset in ciuitatem, offendit fortè fortuna, quod vna ex iis, quæ eius curam gerebat, eum portabat, & altera eum cædebat loris. Statim autem fuit offensus Protocomes, & apud se cogitauit, & dixit Syriacè. Nunquid ipse Satanas nūc credit hunc pseudo-Abbatē cum eis fornicari? Eis itaque statim relictis, venit Salus ad Protocomitē, qui ab eo aberat ad iactum vnius lapidis. Incussit autem ei colaphū, & aperuit suas vestes, & ei dixit saltans: hic lude, ô infœlix; nō est enim hic dolus. Ille itaque cognouit eū intellexisse quidnam corde suo agitasset: miratusque cū rē cœpisset dicere alicui, vincta fuit eius lingua, nec potuit eloqui.

*Protocomes experiri volēs num se stultū simularet, in quodā facto grauiter scādalizatur.*

*Cognoscit cogitationes cordis.*

Donum

*Donum sobrietatis, & abstinentiæ supra multos sanctos habuit.*

Donum quoque continentiæ habuit supra multos sanctos. Quando enim veniebat sancta quadragesima sanctorum ieiuniorum, nihil comedebat vsque ad sanctam quintam feriam. Statim autem manè sanctæ quintæ feriæ sedebat in Nitra, rodens adeo vt qui eum videbant, offenderentur, dicentes: Ne sanctam quidem ieiunat quintam feriam. Dominus autem Ioannes Diaconus nouit sanctam esse eius operationem. Cum verò sancta quinta feria vidisset eum sedentem in Nitra, & manè rodentem, dicit ei: Quanti hoc Sale? Ille quoque ei dicit eum manu tenens. Quadraginta nummis cõstitit hoc esculentum, ô stolide; per hoc significans, se vesci post quadraginta dies.

*Impedit dæmonem hominibus nocere volentem.*

Rursus verò versabatur dæmon in quodam cõpito ciuitatis. Quodam autem die eum vidit hic sanctus transiens, volentem pulsare aliquem ex iis qui præteribant. Sumptisque in sinum lapidibus, cœpit eos huc, & illuc in forum iacere, & prohibebat omnes qui volebant transire. Interea transiit canis, & eum percussit dæmon, cœpitque spumare. Tunc sanctus dicit omnibus: transite modo stolidi. Sciebat enim vir sapientissimus, quod si homo transiisset, eum dæmon erat pulsaturus pro cane, & ideo aliquantisper prohibuit ne transirent.

*Puellas choros ducentes efficit strabas.*

Quodam die cum chorum ducerent puellæ, & referrent in catalogum eos, qui erant lusuri, visum est ei transire per illum vicum. Postquam autem eum viderunt, cœperunt eum referre in catalogum eorum, qui erant lusuri calculis. Cum ergo orasset hic iustus volens eas castigare, eas omnes effecit strabas. Cumque cœpissent inter se narrare malum, quod sibi acciderat, cognouerunt quod ipse eas fecisset strabas, ipsumque insectabantur, post ipsum flentes, & clamantes: Solue Sale, solue. Putabant enim eum ipsas strabas fecisse incantatione. Postquam autem ad eum peruenerunt, ipsum vi tenuerunt, & adiurarunt, vt solueret, quod ligarat. Eis itaque dicit ludens. Quæcumque vult ex vobis esse sana, osculabor eius oculum, qui factus est strabus, & sanabitur. Quoquot ergo Deus voluit esse sanas, eæ, (vt dixit sanctus) id permiserunt. Reliquæ autem, quæ non permiserunt, vt eas osculartur, eæ manserunt sic flentes. Postquam verò ipse parum ab eis recessisset, cœperunt reliquæ quoque ipsum insectari, & clamare: Mane Sale, mane per Deum, mane, & nos quoque osculate. Licebat ergo senem currentem videre, & post ipsum adolescentulas. Et alij quidem dicebant, ludunt cum ipso, alij autem putabant puellas quoque esse infatuatas. Sicque perpetuo manserunt incuratæ. Dicebat enim sanctus: nisi Deus eas fecisset strabas, superassent omnes mulieres Syriæ petulantia, & impudicitia, sed propter morbum oculorum ablata sunt ab eis multa mala.

*Quædam remanent strabæ, eo quod impudicitia omnes mulieres Syriæ superasset.*

Semel eum vocauit ad prandium Dominus Ioãnes amicus eius. Eratque lardum illic suspensum. Cœpit autem scindere, & rodere lardum crudum Symeon. Sapientissimus autem Ioannes, nolens ei aliquid dicere cum clamore, ad eum accedens, dixit ei in aurem: Reuera non me scandalizas, si ex camino crudum comedas. Fac deinceps, si quid velis. Nouerat enim Sali virtutem, quoniam ipse quoque erat homo spiritualis.

*Ioannes Diaconus cognoscit sancti viri virtutes.*

Venerunt aliquando tempore Paschali Emeseni quidam in sanctam ciuitatem, vt festum celebrarẽt. Ex quibus vnus descendit ad sanctum Iordanem, vt oraret, & patres circumiens petebat benedictionẽ. Accidit autem, vt Abbas quoque Ioãnes frater Abbatis Symeonis Dei prouidentia huic negotiatori occurreret in solitudine. Cum eum autem vidisset negotiator, humi procubuit ab eo petens benedictionem. Dicit ei Ioannes, Cuiasnam es? Ille verò dixit: Sum Emesenus, pater. Tunc ei respondit. Et cum illic habeas Abbatem Symeonem, qui dicitur Salus, à me humili & abiecto quid petis? Nam & ego illius precibus egeo, & totus mundus. Duxit itaque Ioannes negotiatorem in suam speluncam, eique apposuit lautam cœnam. Diuinitus enim inuenti sunt in illa sicca solitudine mundi panes siliginei, & lautum obsonium, & vinum optimum, & pocula vitrea. Postquam ergo comedissent, dat ei tres eulogias, quæ similiter factæ erant diuinitus, & dixit. Da Salo, & dic ei meo nomine: propter Dominum ora pro fratre tuo Ioãne. Veritate ergo Domini ferente testimonium, postquam Emesam venit negotiator, in porta ciuitatis ei occurrit Symeon dicens: Quid est stolide? Quomodo se habet ille fatuus tui similis Ioannes? Non comedisti eulogias quas dedit tibi? Reuera, reuera, si tres illas comedisses, malè eas concoxisses. Ille autem obstupuit cum audiuisset ab eo omnia, quæ ipse volebat ei dicere. Statim ergo eum duxit Salus in suum tuguriũ. Affirmabat autẽ negotiator sic dicens: Omnia mihi citra vllum discrimen hic quoque sic apposuit, sicut Abbas Ioannes, vsque ad ipsam poculi magnitudinem, quam vidi in spelunca eius. Et postquam comedimus, dedi ei tres eulogias, & recessi in domum meam, erubescens de ipso aliquid vnquam dicere alicui; quoniam pro certo omnes habebant eum esse fatuum. Malefici quidam fecere cædem, acceptumque corpus, per fenestram proiecerunt in domum Ioannis Diaconi viri maximè pij, & Dei amãtissimi. Cum itaque non paruus exortus esse tumultus, res delata est ad magistratum. Is verò tulit sententiam, vt furca suspenderetur Dominus Ioannes. Cum ergo abiret ad mortem, nihil apud se dicebat aliud nisi, Deus Sali, adsis mihi in hac hora. Cum Deus autem vellet eum seruare, venit quidam, & dicit Symeoni. O miser, ille tuus amicus Dominus Ioannes ducitur ad furcam. Certè si moriatur, tu fame morieris. Nam nemo tui curam gerit, vt ille. Dicit verò ei quoque, quemadmodum sit contextum crimen cædis. Cum se itaque tanquam stultum gessisset Symeon, dimisit eum, qui hoc illi dixerat, & secessit in locum occultum, vbi semper orabat, quem nemo sciebat, nisi amicus Ioannes. Flexisque genibus Deum rogauit, vt ipse liberaretur à tali periculo. Cumque ij, qui eum eduxerant ad suspendium, peruenissent ad locum, vbi erant posituri eius furcam, ecce accurrunt equites, & dicunt, vt is soluatur, quoniam inuenti erant, qui cædem reuera fecerant. Absolutus itaque recta cucurrit ad locum, vbi sciebat Symeonem semper orare. Cumque eum vidisset procul manus ad cœlum extendentem, extimuit. Iurabat enim se vidisse globos igneos, ab ipso in cœlum ascendentes, & circa eum in orbem tanquam clibanum ardentem, adeo vt non appropinquarit, donec perfecisset orationem. Cum is autem conuersus eum vidisset, ei dixit: Quid est Diacone Ioannes? Præter dimensum bibisti? Sed vade, ora, hæc autem tibi accidit tentatio, quoniam ad te venerunt duo pauperes, cumque tibi suppeteret, quod eis dares, eos es auersatus. Non enim tua sunt quæ das, ô frater. An non credis ei, qui dixit, illum qui elargitur, esse centuplum accepturum in hac vita, & in futura possessurum vitam æternam? Atque si credis, da. Si autem non das, manifestum est te Domino non credere. Ecce verba Sali, id est, fatui, vel sapientis potius sancti.

*Diuinitus in cella Ioannis inueniuntur cibaria.*

*Salus negotiatori cuidã eadem cibari eandemque populi magnitudinem apponit, sicut antè fecerat Ioannes.*

*Ioannes Diaconus mortẽ condemnatur.*

*Precibus viri Dei à morte liberatur.*

*Videtur Symeon orans, totus igneus à Ioãne Diacono.*

Nam



*Odor suauissimus procedens de ore viri Dei.*

Nam apud hunc quidem Dominum Ioannẽ, quando erant ij duo soli, nihil faciebat quod esset fatui, sed tam moderatè, & cum tanta compũctione cum eo loquebatur, vt sæpe suauis odor exiret ex eius ore, vt affirmabat hic Dominus Ioannes. Quocirca vix credebat illum esse, qui paulò ante erat Salus, id est, fatuus. In alios autem omnes se gerebat aliter.

Nonnumquam autem cum dies sanctus veniret Dominicus, ipse accipiebat seriem farciminum, & ea ferebat tanquam orarium: manu quoque sinistra tenebat sinapium, & sic orto manè tingebat & rodebat: nonnullorum quoque ora sinapio inũgebat, ex iis qui cum eo veniebant. Cum itaque ad eum venisset quidam rusticus, vt cum ipso luderet, vterque autem eius oculus aspera laboraret albugine, is illius oculos inũxit sinapio. Cum is autem dolorem sensisset vsque ad mortem, ei dixit Symeon. Vade stulte, lauare in aceto, & in allio, & statim eris sanus. Ille verò tanquam existimans se aliquid posse efficere, rectà vadit ad medicos, & fuit magis excæcatus. Tãquam ergo furore percitus iurat Syriacè: Per Deum cæli, etiamsi meos statim oporteat exilire oculos, cum fecero quod mihi Salus dixit, tamen id faciam. Cum ipse autem oculos lauisset, vt ei dixerat, fuerunt statim sani eius oculi, & ita mundi, vt quando natus est, adeò vt Deum glorificaret. Tunc ei Salus occurrens dicit ei: Ecce sanus es, fatue, noli amplius furari capellas vicini.

*Monet rusticum ne amplius furetur capellas proximi.*

Cuidam exactori furto surrepti sunt nũmi quingenti. Cumque is eos quæreret, occurrit ei Abbas Simeon. Cũque se vellet conuertere, dixit ei. Potes aliquid facere ô fatue, vt mei nummi inueniantur? Ille autem dicit ei: Certè si velis. Ille verò ei dixit: fac, & si inuenti fuerint, do tibi decem. Dicit ei Salus. Si quid tibi dixero, fac, & hac nocte eos inuenies in tuo armario. Ei ergo dato iureiurando est pollicitus quod si quid diceret, eum audiret, modo ne aliquid diceret importunum. Is autem rursus ei dicit: Abi, nummos tuos seruus Epicernes abstulit. Sed age promitte mihi fore, vt neque ipsum, neque vllum alium è domo tua cædas. Eos enim cædebat acerrimè. Ille autem existimabat, eũ dixisse, neminem esse cædendum pro nummis. Abbas verò Symeon dixit ei, vt neminem vnquam cæderet. Ei ergo promisit cum sacramento formidabili, se nullum esse cæsurum. Abiens ergo seruũ minimè repugnantem prehendit, & pecuniæ summam ab eo accepit. Accidit autem, vt cum ab eo tempore vellet aliquem cædere, non potuerit: sed eius manus statim emarcuerit. Quod quidem agnoscens dicebat: Reuera Salo hoc ego acceptum fero, iuitque ad eum, & dixit: Solue Sale iusiurandum. Ille autem statim stultum agebat, vt nesciret quidem quid diceret. Cùm verò pergeret ei exhibere molestiam, ei apparet in somnis, & dicit ei: Ego verò soluam tuum iusiurandum & tuũ promissum, idque dissipabo. Cur te turpiter, & indecorè geris? Quid vis tuos cædere conseruos, qui in futuro sæculo te præcedent? Postquam ergo hæc vidit, quieuit in posterum.

*Cuidam nũmos furto ablatos, revelat.*

*Quidã assuefactus seruos verberare, deinceps volẽs hoc ipsum præstare, statim manus eius marcescunt.*

Eorum autem qui vexabantur à dæmone, miserebatur supra omnem naturam. Recedens itaque multis modis se faciebat tanquam vnum ex ipsis, & cum eis degens multos ex ipsis curauit sua oratione, adeò vt quidam dæmoniaci murmurarent, & dicerent. O violente Sale, totum mundum irrides, & venisti prope nos, vt nos vexares. Recede hinc, non es ex nobis. Quid nos totam noctem torques & vris? Cùm ergo illic esset Sanctus, multos, tanquam ex Spiritu sancto loquens, conuicit, alios quidẽ esse suffuratos: alios verò esse scortatos, alios clamans reprehendebat, vt qui non frequenter communicarent, & alios arguebat vt periuros: adeò vt vel hac ratione totam ferè ciuitatem à peccato reprimeret.

*Multos curat obsessos à dæmone.*

*Ciuitatem à peccatis reprimit.*

Erat autem illo tempore quædam mulier diuinatrix quæ faciebat amuleta, & vtebatur incantationibus, hanc conabatur hic vir iustus parare sibi amicam, dans ei ea, quæ colligebat ex iis, qui ei dabant, siue escam, siue pultem, siue etiam vestes. Itaque quodam die dicit ei: Vis faciam tibi amuletum, vt nunquam sit tibi lema in oculo? Illa verò dicit ei. Certè Sale, reputans quod etsi sit fatuus, id fortè possit præstare. Abiens itaque scripsit in tabella Syriacè: Deus te faciet cessare & desistere ab auertendis ab ipso ad te hominibus. Dedit ergo ei, & ipsa gestauit: neque potuit amplius alicui diuinare, nec facere amuleta.

*Mulierẽ diuinatricem & incãtatricem impedit ne possit diuinare.*

Rursus autem semel sedebat cum fratribus, & se calefaciebat prope caminum vasorum vitreorum opificis. Erat verò vitreorum opifex Hebræus, dixitque ludens pauperibus. Vultis faciam vos ridere? Ecce quãdo artifex faciet poculum, faciam Crucem, & franget. Postquam ergo septem fregit ordine, cœperunt ridere pauperes, & rem ei dixerunt, is verò illum ira accensus, est persecutus. Postquam autem recessit, clamauit ei dicens. Reuera Manzer, donec Crucem in tua fronte feceris, conterentur omnia. Cumque tredecim alia fregisset ordine, compunctus est, fecitque Crucem in fronte, nec vllum fregit amplius. Hoc ergo modo abiit, & factus est Christianus.

*Nota vim signi Crucis. Ludens opera viri Dei fit Christianus.*

Cum decem populares aliquando suas vestes lauarent extra ciuitatem, ad eos accedens beatus dicit eis: Venite stulti, & faciam vobis lautum prandium. Quinque autem ex ipsis dixerunt: Scit Deus, eamus. Reliqui verò eos prohibebãt dicẽtes: Certè faciet nobis prandium ex tenebris. Ipse mendicat ostiatim, & vndenã habebit? Vult tantum facere vt cessemus. Quinque ergo ei crediderunt & abierunt. Is verò dicit eis. Manete hic. Et ab eis recedit tanto spatio quantus est iactus teli sagittarij, & secretè orauit. Illi autem inter se dicebant: Reuera sumus illusi. Nam, vt puto, vult ad nos fœnum deferre Abbas Symeon, vt pascamur. Ecce ergo cum hæc dicerent, viderunt eum ipsis annuentem. Orauerat enim, vt prius dictum est, & eis mensam diuinitus parauerat. Cum ergo ad eum venissent, viderunt prope eum, tanquam à Deo positos panes siligineos, & placentas, & liba, & sesama, piscesque, & vina diuersa, & vt semel dicam, quæcũque habet vita oppipara & delicata. Cum ij comedissent, dicit: Accipite, ô miseri, etiam pro vestris vxoribus. Quod si non amplius fueritis stulti populares, reuera ex vestris domibus nequaquam deficient hi panes siliginei, donec moriar. Dixerunt autẽ inter se quando recesserunt: Probemus vnam hebdomadam, & si non defecerint, non reuertamur amplius cum nostris sociis in publicum. Postquam ergo viderunt non defecisse panes siligineos, etiamsi ipsi ex eis in dies consumerent, ad malum negotium non accesserunt amplius. Sed tres ex ipsis fuerunt etiam Monachi, compuncti propter institutum vitæ Sali. Quod tamen nulli potuere dicere, quandiu vixit in carne Salus.

*Quibusdã diuinitus cibaria subministrat, vt eos à peccatis retrahat.*

Ægrotauit aliquando quidã ex primoribus ciuitatis. Solebat autem hic sanctus ascẽdere, & ludere in domo eius. Cũque esset grauatus, vidit se in somnis

talis

*In somnis quendã moribundum monet ne deinceps polluat cubile vxoru, vt sic sanetur.*

talis ludere cũ quodam Æthiope. Is autẽ erat mors. Stabat ergo ægrotus, vt deiiceret, & nisi iecisset ter senionem, fuisset victus. In somnis ergo ad eum venit Symeon, & dicit: quid est stulte? Reuera modò te vincet hic Maurus: sed promitte mihi te non amplius violaturum esse cubile vxoris tuæ, & ego eum pro te deiiciam, & non te vincet. Cum ergo iurasset, qui viderat, & talos Symeoni dedisset, ille proiecit, & ceciderunt ter seniones. Cum autem ægrotus è somno esset excitatus, ascẽdit statim Salus, & dicit ei: Pulchra triecta iecisti, stolide. Crede mihi, & si transgressus fueris iusiurandum, Maurus ille te suffocabit. Cumque eum, & omnes eius domesticos affecisset contumelia, descendit currens. Non habebat autem ille sapiens in suo tugurio nisi vnum fascem sarmentorum. Sæpe verò totam noctem vsque ad manè perseuerabat in oratione humum irrigans lacrymis, & manè egrediebatur. Secabatque vel frondes oleæ, vel herbas, & sibi faciebat coronam, & eam gestabat, manuque tenebat ramum vnum, & clamabat; Victoriam Imperatori, & ciuitati. Dicebat autem ciuitatem quidem animam: Imperatorem autem rationem, quæ dominatur animi perturbationibus. Porrò autem hoc quoque Sanctus à Deo petiit, ne crescerent coma capitis sui, vel barba, ne fortè dum tonderetur, planum fieret eum agere stultum. Quocirca toto tempore, quo perseuerauit in hoc vitæ instituto, nemo vidit quod creuerit coma capitis eius, neque quod eam totonderit. Sæpe verò magna, & vtili congressione vsus est cum Domino Ioanne Diacono solo, & minatus est fore, vt si eius bonum vitæ institutum diceret, in magnum tormentum incideret in futuro seculo. Dixit autem ei, quando totam suam ei narrauit vitam, nempe duobus diebus antequam ex hac vita excederet: Iui hodie ad fratrem Ioannem, & inueni eum valdè per Deum profecisse, & grauisus sum. Vidi enim eum gestantem suam coronam, cui erat inscriptum, Corona tolerantiæ solitudinis. Et rursus ait ille benedictus: vidi quando huc venisti Ioannes, quendam mihi dicentem: veni, veni Sale, vt feras non vnam coronam, sed coronas animarum, quas mihi obtulisti. Persuasum autem habeo, eum nihil in me nosse huiusmodi, sed hoc mihi gratis concessisse. Scias autem fore, vt Dominus te quoque breui assumat. Sed pro totis viribus curam geras tuæ animæ, vt possis transmittere absque vlla tempestate principes tenebrarum huius aëris. Scit enim Dominus me magno vexari metu, & sollicitudine, donec ab eorum sæuitia fuero liberatus.

*Sapius totam noctem in oratione expendit.*

*Impetrat à Deo ne crescãt pili capitis, & barba.*

*Duobus diebus ante mortem fatetur se inuisisse Ioannem collegam suum.*

*Si tam sanctus in extremis timuit sæuitiam dæmonum, quid facient peccatores?*

Hæc, & alia plurima ei præcepit, ex quibus iussit quædam nemini vnquam dicere, propterea quod non omnes ea, quæ dicuntur, cum fide accipiant. Fac autem, vt te consoleris. Nam post hos tres dies assumit Dominus Salum hunc minimum, & Abbatem Ioannem fratrem eius. Etenim ego ipse ad eum accedens dixi ei: frater, agedum eamus, est enim tempus. Sed post duos dies veni in meum tugurium, & vide quid inuenias. Volo enim vt habeas aliquod monimentum humilis, & peccatoris Sali. Cumque hæc, & plura ei dixisset, abiens se recepit in suum tugurium.

*Prædicit suũ Ioannisque obitum.*

*Etiã in morte humanum declinans honorem, sub fasce sarmẽtorũ emittit spiritum.*

Nunc autem tempus vocat, ô amici, vt admirabilem eius mortem, vel somnum potius, vobis narrem. Nam cum vir ille magnus communem horam sensisset, volens ne post mortem quidem humanum ferre honorem, quid facit? Ingressus subter fascem sarmentorum in sacro eius tugurio, illic dormiens in pace Domino tradidit spiritum. Eius ergo familiares, postquam eum duobus diebus non viderunt, dixerunt: Eamus, videamus num sit ægrotus Salus. Et inuenerunt eum iacentem mortuum subtus fascem sarmentorum. Et eum portantes duo quidam, absque eo quod eum lauissent, & sine psalmodia, & sine cereis, & sine suffumigationibus, eum sepelierunt in sepulchro peregrinorum. Cum autem transirent per domum illius vitreorum poculorum opificis olim Hebræi, quem quidem ipse fecerat Christianum, ij qui eum portabant, & ibant ad eum sepeliendum, audit is qui dictus est, psalmodiam, cuius erat ea harmonia, vt nulla vox humana eam possit psallere, & tantam multitudinem vidit, quantam humanum genus non potest congregare. Stupefactus ille sono numerosæ, & concinnæ vocis Angelicæ, exit foras, & videt sanctum, qui afferebatur à duobus tantùm, qui venerandum eius corpus portabant. Tunc dixit qui numerosum hunc canticum audierat: Beatus es Sale, quod non habeas homines tibi canentes, habes cælestes potestates, quæ te hymnis honorant. Et statim descendens eum suis manibus sepeliit, & tunc à se audita incorporeorum cantica omnibus narrauit. Audiuit autem hoc quoque Dominus Ioannes Diaconus, & cursu venit cum multis aliis in locum, vbi est sepultus, volens tollere pretiosas eius reliquias, vt eis honorificas faceret exequias. Cum autem aperuisset sepulchrum, nequaquam eum inuenit: eum enim glorificans transtulerat Dominus. Tunc omnes veluti è somno fuerunt excitati, & narrauerunt inter se quænam vnicuique fecisset miracula, & quod propter Deum se fingebat esse Salum, hoc est, stultum.

*Absque vllo honore ad sepulchrum defertur.*

*Angeli innumerabiles corpus sancti viri canentes prosequũtur.*

*Corpus S. viri cum anima sua æterna beatitudine perfruitur.*

## *NOTÆ.*

Symeon, & Ioannes.] *De Symeone agunt Mart. Rom. cum Baron. 1. Iulij, & Græci in Menologio. Scripsit eius res gestas humanum captum excedentes probatissimus auctor Leontius Episcopus in Cypro, quas descripserunt Metaphrastes, Lippom. & Sur. hac die, id etiam testantur acta Synodi secundæ Nicænæ, vbi act. 4. de eodem auctore hæc leguntur: Pater qui lectus est, in vna ex ciuitatibus Cypri decenter & sanctè conuersatus est, multaque encomia, & panegyricas illius orationes etiam habemus, inter quas extat oratio de Transfigur. Domini. Scripsit, & Ioannis Misericordis appellati Episcopi Alexandrini vitam, præterea B. Symeonis, &c. De eodem Symeone agit Euag. hist. lib. 4. c. 33. De Ioanne verò agunt Mart. Rom. 21. Iulij, & Græci in Menologio hac die.*

Ex Syria.] *Est Syria Asiæ regio, quæ ab Oriente fluuio Euphrate, ab occidente nostro mari terminatur, & Ægypto, à Septentrione habet Ciliciam, & partem Cappadociæ, à meridie Arabiam. Cuius insignes ciuitates sunt Laodicea, Hierapolis, Antiochia, Apamea, Palmira, Heliopolis, Ptolemaida, Sidon, Tyrus, Beritus, Botris, Tripolis, &c.*

Mare mortuum.] *Dicitur quia nihil viuum gignit. Lacus est Syriæ in Prouincia Pentapoli, qui nihil præter bitumen gignit, nihil in eo submergitur, ideo etiã Asphaltus vocatur, quod omnia in eo tuta sint. Græcè ἀσφαλτὸν tutamen dicitur.*

Ascendit in ambonem.] *Ambo est pulpitum vbi ex ambabus partibus sunt gradus.*

Vendere cicerem.] *Cicer est genus leguminis, vide Plin. lib. 18. c. 12. de leguminibus.*

Dabat lupinos.] *Lupinus est quoddũ genus leguminis, quod non minus terram appetat, voraxque illius sit, quàm lupus, & tellurem adeo amat, vt quamuis frutetoso solo coniectum inter folia vepresque, ad terram*



*ram tamen radice perueniat. Vel vt dicit Ian. in suo Catholico, Lupinus dicitur quòd sonitu suo terreat lupos. Cũ enim lupus lupinos intrat, ipsi folliculi sonant, & ita ille terretur.*

Dexteram volam manus.] *Est vola caua pars manus, vulgò* la paulme de la main.

In quo erant vesicæ.] *Hoc loco vesica sumitur pro quodam genere leguminis, vulgò* des veisses.

Aspera laboraret albugine.] *Sumitur hoc loco albugo pro subtili membrana vel pelle tenuissima, quæ visum impedit.*

Furari capellas.] *Sumitur capella hoc loco pro parua capra.*

Faciebat amuleta.] *Amuletum à vulgari populo appellatur* vn breuet.

Lema in oculo.] *Apud Græcos lema lacryma dicitur, sed congelata, vulgò* la chassie des yeux.

Manzer.] *Manzeres dicuntur filij scorti, vel adulterini, vel scelerati. Deuter. 33. Non ingredietur Manzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini vsque ad decimam generationem.*

Placentas.] *Placenta est libum, quod fit ex farina, butyro, caseo, melle, &c. dicta quod nobis placeat, vel quod ea solerent Deos placare.*

Sesama.] *Ab aliquibus auctoribus ponitur aliquãdo neutri generis, aliquando fœminini. Est autem sesama (vt vult Columella lib. 2. c. 7.) genus leguminis, vulgò* du sisame, de la Iugioline.

Iecisset ter senionem.] *Senio in talis sex puncta continet. Nam à senario numero dici videtur, vnde & eius iactus perutilis erat, sicut & canis. Nam qui iecerat canem aut senionem, ille denarios singulos conferebat in medium, vt est apud Suetonium in Augusto. Existimant eruditi, senionem significare quaternarium, quod scilicet qui iecerat duos seniones, ille quatuor nummos lucrabatur.*

## *VITA SS. THEODORI SICEORVM Archimandritæ, & Antiochi. Ex Georgio Presbytero, eius discipulo, eiusdemque mansionis præfecto.*

IN Galatarum regione est oppidum, quod Siceon appellatur, subiectum Anastasiopoli primi Ancyrẽsium principatus. Distat autem Anastasiopoli duodecim passuum millibus. In huius oppidi medio est publica regij cursus via, in qua diuersorium erat, vbi puella formosissima, nomine Maria, commorabatur cum matre Elpidia, & sorore Despenia: quæ quidem ibi commorantes quæstum faciebant. Eo tempore imperante piæ memoriæ Iustiniano, contigit vt inter magistratus vir quidam, nomine Cosmas, in equestribus certaminibus clarus ad partes illas iudex mitteretur. Qui cum in diuersorium illud venisset, perspecta Maria, amore illius captus est, & cum ea concubuit. Concepit mulier ex eo, & in quiete stellam vidit ingentem & claram è cælo in vterum suum descendere: experrectaque ac timoris plena, ipsi Cosmæ visum narrauit. Qui: Serua te, inquit, mulier, si fortè te Deus adspiciat, & tibi det fructum, Episcopatus sorte dignum. At mulier cùm ad sanctum quendam senem in loco, sex millibus passuum distante, habitantem venisset, narrauit ei somnium quod viderat. Qui: Magnus profectò vir, inquit, euadet puer, qui ex te nascetur, & plurimum valebit, non apud homines, sed apud Deum. Lucida enim stella regiam significat gloriam, vt

*Patria & parẽtes S. Theodori.*

*In somnis videt Maria Theodori mater quasi stellam in vterũ suum descendere.*

*Quidã Anachoreta prædicit matri Theodorum magnum futurum.*

Iudicant sapientes viri qui somnia interpretantur.

Expleto igitur partus tempore, Dei seruum peperit, & paucis post diebus, vt Christianorum mos est, tulerunt eum ad sanctam orthodoxorum Ecclesiam, & à sacerdotibus baptizatus est in nomine sanctæ Trinitatis, & Theodorus appellatus est. Cum autem ageret sextum ætatis annum cupiebat mater eius, vt in regia ciuitate ad militiam educaretur. Verum qua nocte profectura erat, sanctus ei Dei martyr Georgius apparuit, & quodnam, inquit, mulier, de puero consilium cepisti? Ne frustra laborem suscipias. Rex enim qui in cælis est, ipsum sibi requirit puerum. Cum autem puer octo esset annorum, eum magistro literis imbuendum tradidit. Is cum Dei gratia maximè omnium esset ad discendum aptus, multum profecit in litterarum sapientia, & ab omnibus diligebatur. Mirum est quod adhuc puer sæpissime vsque ad vesperam ieiunabat, & noctes orando transigebat. Cum autem decimum ætatis annum impleret, quodã morbi genere, quod regionem illam inuaserat, ipse quoque correptus est, adeò vt in vitæ discrimine versaretur. Tulerunt igitur eum in templum Sancti Ioannis Baptistæ, quod non longè aberat, & ad altaris introitum collocarunt. Supra autem in ipso Crucis receptaculo erat imago Domini nostri Iesu Christi, ex qua duæ super ipsum morbo laborantem roris stillæ deciderunt: statimque Dei gratia subleuatus conualuit, & rediit domum.

*Baptizatur.*

*S. Georgius apparet matri Theodori.*

*Traditur literis imbuendus.*

*Nota Theodori in puericia abstinentiam, & orãdi studium.*

*Ægrotus miraculosè sanatur.*

Sed quartumdecimum iam agens ætatis annum decreuit omnino domui suæ renunciare, & in oratorio Sancti Georgij viuere. Qua quidem re cum matre constituta, se contulit in oratorium, & in eo commorabatur, & à matre pascebatur. Sed Deus clemens qui sanctis suis Apostolis potestatem dedit vt dæmones eiicerent & morbos curarent: dedit & illi gratiam aduersus dæmones, vt eos ab hominibus expelleret. Nam cum quidam homo ad eum tulisset filium vnicum, à dæmone vexatum, orabat sanctum puerum Theodorum, vt filiolum suum curaret. Verum ille se excusabat, dicens quod esset iuuenis. Sed cum pater vexati eum vrgeret, sumens puer Theodorus ex lucernæ oleo, vexati caput vnxit, & signo Crucis adhibito, dæmonem expulit, & puerum sanum patri reddit.

*Relictis omnibus degit in oratorio Sancti Georgij.*

*Pascitur à matre.*

*Puerum dæmoniacũ sanat.*

Christi igitur præcursorem & Baptistam Ioannem in hoc item imitatus est, manens in solitudine. Superiorem igitur montis partem ascendit, & petram intuitus ad se tegendum idoneam, suffodiens sibi speluncam amplam fecit: obstructoque aditu, in ea latitabat. Tunc autẽ accidit, vt milites illac iter facerent. Quare cum à propinquis puer, tum in oratorio, tum alibi perquisitus, non inueniretur, suspicabantur eum à militibus ablatum esse, commouerunt que principem, vt milites comprehendendos curaret, quò puerũ restituerent. Verùm cum nec sic quidem inuentus esset, à feris deuoratum fuisse iudicarunt. Duos in ea spelunca Christi puer Theodorus annos transegit. Et clericus quidam religiosus Diaconus solus rem nouerat, qui & proprium illi vestimentum asperum dedit (nam antea lineis vestibus induebatur) & paululum cibi ex oleribus & aquæ pusillum (sic enim inter ipsos conuenerat) subministrabat, promiseratque eum se nemini indicaturum.

*Latitat in spelunca.*

*A quodam Diacono in spelunca pascitur.*

Cæterùm videns bonus Deus, qui seruorũ suorum curam gerit, labores ipsius, omnibus eum patefecit. Cum enim propinquæ ipsius mulieres animaduertissent pium Diaconum super montem frequentius ascendere, suspicatæ id quod erat, eum

domi suæ iureiurando obtestatæ sunt, vt quicquid de puero sciret, sibi significaret. Ille verò tum iureiurando coactus, tum aspero pueri instituto commotus, & metuens ne moreretur rem aperit, & locum vbi morabatur indicat. Tunc lætitia plenæ accedentes, reperiunt illum prope mortuum, & ad Sancti Georgij oratorium deducunt. Qui aëre conspecto, sine voce diu mansit. Caput autem eius sordibus fœtebat, & pediculis abundabat, & ossa illius erant nuda, & coma vincta, nec ad eum quisquam præ fœtore vermibusque scatentibus poterat appropinquare. Plorabat mater eius & auia, & reliquæ mulieres. Et cum esset paulisper recreatus, volebant vt ad domum suam descenderet, & corpus curaret. Quibus ipse noluit assentiri.

*Tandem à parētibus seminuus reperitur.*

Cum hæc autem religiosissimus Anastasiopolis Episcopus Theodosius accepisset, statim ad eum in oratorium accessit, & conspecto capitis eius vlcere, contremuit. Et cum illum salutasset, lectorem declarauit. Postridie verò Subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum instituit: Ecce, inquiens, Dei munere omnes Clerici ordines consecutus es, vt diuina possis mysteria peragere, ad eorum qui accedunt ædificationē. Tunc Christi seruus Theodorus duodeuiginti annos impleuerat. Quapropter multi Episcopum incusabant, quod eum ante legitimam ætatem ad Presbyterij dignitatem proexisset. Sed religiosissimus Episcopus Theodosius respondebat, se non ignorare, Canones non permittere, vt quisquam ante legitimum ætatis tempus, & sine testimonio Presbyter instituatur. Cum autem Episcopus eum benedixisset, reuersus est in ciuitatem suam.

*Adhuc iuuenis Subdiaconus, Diaconus, & Presbyter à Theodosio Episcopo Anastasiopolis ordinatur.*

Incensus est autem beatus Theodorus cupiditate visendi & adorandi loca illa sanctissima, vbi Christi pedes stetissent. Cumque communicato cum matre consilio, & inuento ex Dei prouidentia itineris duce, iter suscepit: peruenitque tandem ad optatam sanctorum locorum ciuitatem Hierusalem, & Crucem salutiferam, sanctamque Resurrectionem, & almum præsepe, atque gloriosam Ascensionem, & reliqua omnia salutaris mortis & conuersationis magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi monumenta adorauit: inuisitque cuncta Monasteria, & omnes passim inclusos patres, eos quoque qui interiorem solitudinem incolebant, & ab illis benedictionem accipiens, præstantiorum vitæ rationem, & instituta perdiscebat. Sed cum ad Iordanem, in quo Saluator & Deus noster baptizatus est, descendisset, ingressus est in propinquum Dominæ nostræ Dei genitricis templum, quod Chuzoba vocatur: cumque ibi precatus esset, & Archimandritam, & qui cum illo erant, patres consultasset, habitum ab eis Monasticum atque Euangelicum flagitauit. Archimãdrita verò, cum sciret diuinitus, quis esset, nulla interiecta mora, habitum illi concessit, & simul cum reliquis patribus Deum obsecrauit, vt coram ipso, & coram hominibus probaretur.

*Visitat loca sancta Hierosolyma.*

*Suscipit habitum Monasticum.*

Expleta celebritatis eius lætitia, omnibusque consalutatis, & accepta ab illis benedictione, è Monasterio in Galatiam ad patriam suam reuersus est: repetiitque Sancti Georgij Monasterium, vbi magna cum lætitia habitabat, ieiunando, & humi cubando, vigilandoque & psallendo, se magis in dies ædificabat. Mater autem eius, cum ea quæ carnis, non autem Domini sunt saperet, ea bonorum parte quæ sibi conueniebat, assumpta, viro cuidam nomine Dauidi, in Ancyranorum metropoli claro nupsit. At soror eius Despenia, & mater ipsius Elpidia, & Sancti soror Blatta, ab eo seiungi se non sunt passæ: sed sanctam eius vitam contemplantes, omnique se modestia & castitate, eleemosyniisque & precationibus expurgantes, eum pro viribus studebant imitari. Ac Despenia quidem moriens eum hæredem instituit, & ab ipso sepulta est in templo sancti martyris Gemelli. Blattam autem sororem suam virginem, cum duodecimum ageret ætatis annum, duxit ipse sanctissimus in Ancyranorum Metropolim, & in grauium virginum Monasterio, quod Petrin appellatur, collocauit: vbi Monasticum habitum sumens, Deo consecrata est, vixitque sanctissimè.

*Redit in patriam.*

*Blattam sororem in Monasterio virginū collocat.*

Erat autem in loco illo probatissimus quidam faber ærarius, cui Sanctus Theodorus commisit, vt sibi cellulam angustissimam faceret, vt in eam ingressus, & stans ieiunij dies transigeret. Incolæ autem illius loci, fide impulsi, arma rustica ad opus illud conficiendum contulerunt. Atque ita cellula illa perfecta, est sanctitati eius accommodata. Verum cùm eam vellet statim ad locum suum trãsferri, rogarunt homines illius loci, vt eam illic tantisper esse permitteret, donec alteram ligneam illi similem faciendam curarent, in qua hyeme insequente quiesceret, vt illius formæ exemplum haberent, & postea ipsam ferream cellulam ipsi traderent. Annuit illis Sanctus Theodorus. Demum assumentes eum, supplicationibus perduxerunt eum in locum sanctum ipsius, & in magna salutiferæ passionis hebdomada cum in ea ipsum collocassent, in loca sua reuersi sunt. Cum igitur alteram ligneam cellulam confecissent, insequenti hyeme ad eum cum supplicationibus accedentes, ipsam illuc tulerunt. Ingressus igitur in cellulam ligneam, in templo Sancti Ioannis Baptistæ abstinentiam suam obseruauit à Natali die Christi vsque ad ramos palmarum. Vnde egressum eum, ac ferrea cellula inclusum, ante illam celebritatem in locum eius reduxerunt. Et accepta ab ipso benedictione, ad loca propria reuersi sunt. Stabat autem eiusmodi cellula sine tecto supra speluncam ipsius sub dio. Et iussit vt bini ex ferro sibi fierent ad pedum mensuram calcei, binæque manicæ pro manuum mensura, & crux decem & octo palmarum, & zona circa lumbos suos. Præterea cum grauissimam tunicam haberę cuperet, prouidentia Dei quidam triplicem loricam attulit decem & octo librarum. Hanc ipse sanctissimus accipiens, gratias egit Deo, qui tam celeriter cum fide petentium desiderio satisfacit. Verùm cum seipsum metueret, propterea quod corpus eius nimis crescceret, vt cupiditatibus eius resisteret, vinculum quoddam perpetuum sibi memoriæ causa reperit, & bina vincula pedibus suis circumposuit: decreuitque illa nunquam abiicere, sed ad tumulum vsque retinere. Cum autem aduenissent dies, in qua Dominus noster Iesus Christus ex sanctissima Dei genitrice Matia nasci dignatus est, vestimento solito loricam imposuit, & zona ferrea se cinxit, & super collũ suum crucẽ accepit, & manicas induit, deinde in ligneam cellulam ingressus, abstinentiam vsque ad tempus palmarum celebritatis seruabat. Egressus deinde, se in ferrea includebat, affligens corpus suum, & in seruitutem redigens tum angustia loci, tum etiam ieiunio, & ferreis oneribus, atque ita confundens diabolum, & varios illius impetus frangens. A Christi autem ortu vsque ad ramos palmarum, nec pane, nec leguminibus omnino vescebatur, sed pomis tantum & oleribus, idque

*Nota miram viri Dei tolerantiam, & vitæ austeritatem.*

*Habitat in quadam cella ferrea.*

*In aliam ligneam ingreditur.*

*Iterũ includitur in cella ferrea sine tecto.*

*Gestat ferreos calceos, & manicas ferreas.*

*Necnon & triplicem loricam pro tunica.*

*Vincula pedibus suis circumponit.*

*In humeris gestat Crucẽ ligneam.*

*Pomis & oleribus vescitur solis Sabbathis & Dominicis diebus.*



idque sabbatho solum, & die Dominica hanc in psalmis canendis regulam obseruabat, vt paulisper cessaret, & deinde eosdem repeteret.

Porrò labor eius per hyemem erat incredibilis. Cum enim niues terram operirent, & venti regnarent, ventorum impetu niue contegebatur, & aqua per collum eius intra tunicam penetrans, ad pedes vsque descendebat, & calcei replebantur ac vestimenta, cumque glacie rigerent, non parum illi doloris afferebant. Pedes enim eius congelabant. Nam eam sibi legem præscripserat, vt à galli cantu ad vesperam vsque, pedes non moueret è gradu in quo stabat, neque vllo modo se ad aliquam cellulæ partem inclinaret. Quamobrem cum duobus annis prioribus magna vis frigoris fuisset, arboresque, & dolia congliaciarent, ita pedes eius rigebant, vt eos extrahere non posset. Quare minister eius aqua tepida pedes eius perfundebat, atque ita paulatim è glacie extractos è gradu præfinito dimouebat. Cum autem anno quodam Paschæ celebritas in Aprilis mensis finem incideret, & quadragesimæ diebus sol esset vehementior, accidit, vt tum abstinentia, tum solis ardore, tanquam exanimis in cellula concideret. Quo animaduerso, pius Philumenus sacco cellulam contexit, vt vmbram pararet. Verùm cum Dei miles se collegisset, videretque vmbram, rem ægrè tulit, prohibuitque, ne quid amplius ciusmodi fieret.

*Degens sub dio, multa frigoris, niuis, & pluuiæ, patitur incommoda.*

Deus autem, qui eos, à quibus honoratur, honorat, hæc ab ipso non ambitione geri, sed animo simplicissimo, Deique studiosissimo, multis rationibus omnibus indicauit. Nam & animalia fera mansuetè cum ipso versabantur, & multa ab eo in homines fiebant miracula. Ex quo enim in ferrea cellula se incluserat, terribilis vrsa per triennium ad eum accedebat continuè, acceptaque de manu eius benedictione, neminem lædens discedebat. Lupus item ad ostium cauernæ, in qua Sanctus erat inclusus, cum accessisset, illic expectabat. Quamobrem egressus minister eius Marinus, visa repente fera, pertimuit, & intrò rediens, rem sancto significauit. At ille cum grauitate subridens: Ne verearis (inquit,) homo timide: neque enim venit, vt iniuriam faceret, sed vt ipsi cibus subministraretur. Da igitur ei aliquid, frater, vt non solum in homines, verum etiam in feras Dei mandatum illud: Omni poscenti te tribue, expleatur. Accepit igitur minister panis frustum, & poma, ex quibus solebat sanctus cum benedictione aliquid accedentibus impertiri, exiitque, & poma tantum obiecit feræ, eam propellens. Quæ cum obiecta comedisset, rursum stabat, & non discedebat, tanquam aliquid aliud expectaret. Tunc ei panis etiam frustum obiecit, quo arrepto, lupus statim discessit. Ingressus autem minister sancto rem narrauit.

*Fera agrestes mansuetius cum eo versantur.*

*Vrsam benedicit.*

*Lupo iubet dari cibum.*

Rursus cum in ferrea cellula esset inclusus, accessit ad eum quidam lepram habens in toto corpore, & obsecrans, vt pro se precaretur. Ipse autem precibus adhibitis, & aqua benedicta, & signo Crucis, statim ab eo lepra discessit. Eodem morbo cum esset oppressus presbyter quidam præclarus, nomine Colluras, accessit ad eum cum adhuc teneretur inclusus, & cum sancti tunicam induisset, mundatus est. Cum ad eum quidam ex Ancyranorũ ciuitate nuncium attulisset de matris suæ Mariæ obitu, ac diceret, vt ad dotem repetendam mitteret, quoniam sine filiis defuncta esset, ipse nullo modo assentiens, illi respondit: falleris, nam mater mea defuncta non est. Cumque is propriis eam oculis mortuam affirmaret, conspexisse, rursum respondit falleris, vt dixi: nam mater mea nec mortua est, nec morietur, sed mihi superest, ac viuit, & manet in secula. Preces tamen pro illa effudit ad Dominum, vnius hebdomadæ spatio ieiunans, vt veniam ei Dominus concederet peccatorum.

*Sanat leprosum.*

*Item & Sacerdotem.*

*Egregium S. viri dictum. Orat pro matre defuncta.*

Accessit ad eum in speluncam inuolutum, & quiescentem quodam die sanctissimæ Ecclesiæ Heliopolis procurator Theodorus, cognomento Tzutheus, & per ministrum nunciauit ei cum lacrymis: Miserere, inquiens, mei serue Dei, qui in magna versor calamitate. Misi enim ministrum meum ad Ecclesiæ prouentus exigendos: ille verò prouentibus exactis, fugam arripuit. At ego huc illuc cursitans, & vbique conquirens, eum reperire non potui. Supplico igitur sanctitati tuæ, vt Deum obsecres pro me, quo possim illum inuenire. Omnes enim facultates meæ non sunt satis ad id, quod ille abstulit, Ecclesiæ persoluendum. Sanctissimus Theodorus huic respondit ad hunc modum. Si promittis, te illum sine verberibus dimissurum, & nihil ei amplius, quàm eripuit ablaturum, te Deus consolabitur, & tradet eum tibi, sin id recusas, non inuenies eum. Ille iureiurando se id facturum promisit. Tunc orauit Dominum sanctissimus Theodorus, vt minister ille fugitiuus, quocumque in loco esset, ita retineretur, vt inde non posset discedere. Fugitiuus autem prope oppidum Nicaënsicum coërcebatur, nec inde se poterat extricare. Cumque putaret se magnum itineris spatium confeciſſe, nihil omnino promouerat. Itaque cum ibi essent homines quidam, qui & illum nouerant, & quod ab eo esset factum acceperant, videretque eum se frustra labore itineris defatigare, comprehenderunt eum, & rem procuratori detulerunt. Qui cum ab eo sublatum aurum recepisset, rediit ad sanctum Theodorum, Deo gratias agens. Postea locustas precibus suis interfecit, quæ vt nebulæ totam regionem operiebant, frugesque, & fructus omnes deuorabant.

*Misericordia viri Dei.*

*Eius precibus minister latro, & fugitiuus detinetur.*

*Locustas terram deuastãtes precibus interimit.*

Accidit aliquando, vt in morbum grauissimum incideret, & sancti Angeli ad eum miserandum accederent. Ipse verò cœpit flere, & tristis esse. Erat autem super ipsum imago sanctorum Cosmæ, & Damiani, qui tales se illi secundum quietem conspicuos obtulerunt, quales ea pictura exprimebantur. Et accedentes ad eum, quemadmodum solent medici, venarum pulsum explorabant, atque inter se ita colloquebantur, vt de salute eius propterea quod vires ipsius concidissent, desperare viderentur, & ad eum conuersi dicebant. Quid fles frater? Cur tristis es? Ipse verò respondebat. Quia non egi pœnitentiam, Domini mei, & quia relinquo pusillum hunc gregem, qui nondum est perfectè institutus, & magna indiget diligentia. Tunc illi. Vis vt pro te supplicemus, vt paululum adhuc ad viuendum spatij concedatur? Si hoc, inquit, feceritis, & tempus mihi ad resipiscendum impetrabitis, & meæ pœnitentiæ, & omnium quæ rectè post hæc egero, mercedem lucrabimini. Sancti autem ad Angelos conuersi, rogabant eos, vt illius tantisper curam gererent, dum ipsi supplicatum pro illo ad regem irent. Et cum Angeli se id facturos dixissent, sancti Cosmas & Damianus profecti sunt, & pro Theodori salute omnipotenti Deo supplicabant. Itaque voti compotes reuerterunt, in medio ipsorũ habentes adolescentem, Angelis, qui aderant, aspectu quidem similem, sed gloria præstantiorem, qui præsentes Angelos sic allocutus est: Ab eo recedite, placatus enim est communis omnium Dominus, & permittit vt adhuc in carne maneat,

*Ægrotus visitatur, & consolatur ab Angelis.*

*Apparent ei sancti Martyres Cosmus, & Damianus.*

*Nota insignẽ viri Dei humilitatem.*

Qui statim vna cum ipso in cælum redierunt. Sancti verò Cosmas & Damianus: Surge, inquiunt, frater, & attende tibi ac gregi tuo. Hæc locuti, etiam ipsi discesserunt.

*Precibus & meritis Sanctorũ Cosmæ & Damiani sanitati restituitur.*

Sanctus verò Theodorus, confestim viribus recuperatis, surrexit sanus, & laudabat Deum, maioreque studio abstinentiæ, & psalmis decantandis incumbebat, & pro gratia sibi concessa, multa miracula faciebat: tum in curandis omnibus morbis & languoribus, tum expellendis spiritibus immundis, sola enim ipsius increpatione aut iussu ab hominibus discedebant. Quibus miraculis multi commoti, domos suas relinquebant, & ad eum accedentes, habitum Monasticum & vitam quietam complectebantur.

*Solo iussu dæmones pellit ab obsessis.*

*Iterum pergit Hierosolymã.*

Eum rursus desiderium incessit reuisendi sanctam ciuitatem Hierusalem. Quare cum duobus comitibus iter suscepit. Tunc autem Hierusalem magna siccitate laborabat. Cumque & lacus & cisternæ exaruissent, magnis omnes in angustiis versabantur. Ciues enim & Monasteria aquas pluuias in lacus cisternasque colligunt, cum fontes non habeant. Homines igitur & iumenta aquæ penuria affligebantur. Nec supplicationibus quicquã proficiebant, quoniam eam gratiam Deus seruo suo reseruabat. Erant porrò illic quidã ex Galatiæ regione, qui magnum Dei seruum, & eius miracula cognoscebant, & de ipso in sancta ciuitate, & in Monasteriis quoties occasio id ferebat, loquebantur.

*Hierosolyma magna laborat siccitate.*

C Nouimus, inquiebant, sanctum patrem in nostra regione, qui vnica precatione queat aquis vniuersum orbem explere, quemadmodum Eliam prophetam tempore Achab Regis Israël fecisse legimus. Cum igitur in sanctam ciuitatem Hierusalem ingressus esset, & salutiferam Crucem, & sanctum Christi sepulchrum adorasset, & omnia loca sacra atque Monasteria inuiseret: videntes eum Monachi, qui de illo locuti fuerant, præsentiam eius tam in ciuitate quàm in Monasteriis diuulgarunt. Quamobrem Patriarchæ Hierosolymitani nomine, clerici & Monachi ad eum accesserunt, rogaruntque vt precibus suis Deum sibi proprium redderet, & pluuiam impetraret. Tunc ille se excusare, quod indignus esset. Sed cum illi respondérent,

D se confidere, si suas ipse preces cum aliorum patrum precibus coniunxisset, fore vt Deus pluuiam largiretur. Quando, inquit, dicitis vos fidem habere, sicut creditis, ita fiet vobis. Constituta igitur supplicatione, dixit militibus: Deponite filij stolas vestras, ne madefiant, & vos defatigemini. Celeriter enim, mihi credite, pro fide vestra Deus misericordiam suam vobiscum faciet. Cum igitur

*Precibus impetrat aquã.*

supplicando procederent, & quodam in loco ex mandato eius precandi gratia constitissent, sublatis in cælum manibus, vir sanctissimus satis diu Deum obsecrauit, & obsecrante illo, parua nubes apparuit ab occidente. Facto autem obsecrandi fine, præcepit, vt supplicantes progrederentur. Tunc nubibus totum obtectum est cælum, & ingens cæpit pluuia descendere, adeò vt madefacti, cursu reuerterentur, & Deum collaudando, supplicationi finem imponerent. Qui ne propter miraculi amplitudinem turbaretur, statim ad Monasterium rediit.

*Tiberius Imp. mittit Mauritiũ aduersus Persas.*

Eo tempore piæ memoriæ Tiberius Imperio potiebatur. Qui cum Mauritium sibi à secretis Comitem fecisset, misit eum aduersus Persas. Cumque vicisset illos, in vrbem ab Imperatore reuocatus est. Hic igitur cum per Galatiam iter faceret, auditis quæ de Christi seruo dicebantur, ad eum, qui

A tunc in spelunca quiescebat, cum fratre Petro & sociis accessit, & ad pedes eius prostratus orabat, vt pro se Deum precaretur, vt iter suum ad Imperatorem fortunaret. Beatus autem vir cum vt surgeret præcepisset, & pro illo Deum obsecrauit, & Deo sibi patefaciente, dixit ei: Fili, si sancti martyris Georgij memor extiteris, haud ita multò post cognosces, qua in gloria Imperij collocaberis. Quod cum euenerit, memento, vt pauperes alas atque sustentes. Et cum Mauritius hæsitaret, qua in Imperij gloria se collocatum iri diceret, seduxit eum, & remotis sociis, apertè significauit, ipsum futurum Imperatorem. Mauritius igitur cum sociis accepta benedictione, lætus discessit, & Constan-

B tinopolim peruenit: defunctoque Tiberio, vt vir sanctus prædixerat, Imperium obtinuit: & eius verborum memor, epistolam ad illum misit, rogans vt Deum pro se precaretur, vt Imperium in pace tueri posset, & ab hostibus defendere: addiditque, vt peteret, si quid à se vellet. Sanctus autem Theodorus beatum Philumenum misit, & rescripsit Imperatori, vt in vsus pauperum aliquid frumenti Monasterio tribueret. Addixit igitur Imperator Monasterio singulis annis tritici modios sexcentos, & poculum illi pro munere misit. Verùm defuncto Timotheo Anastasiopolis Episcopo,

C ciues & clerici ad beatissimum Ancyræ metropolis Archiepiscopum conuenerunt, & magnum Dei seruum Theodorum Siceorum mansionis Archimandritam, in sanctissimæ Ecclesiæ suæ Episcopum efflagitarunt. Quorum ille lætatus studio & voluntate, præcepit, vt eum ad se adducerent. Erat autem tempus, quo Sanctus Theodorus in spelunca inclusus, precationi vacabat & quieti. Accesserunt igitur Anastasiopolis clerici & ciues ad Monasterium atque speluncam, & supplicarunt, vt se pastorem ipsis concederet. Quod ille cum ne audire quidem vellet, nedum concedere, ipsi vi quadam pia illata, eum è Monasterio extulerunt, & in lecticam coniectum abduxerunt.

*Mauritius virũ Dei visitat, eiusque precibus se commendat.*

*Prædicit Mauritio Imperium.*

*Defuncto Tiberio, iuxta viri Dei prædictionẽ Mauritius obtinet Imperium.*

*Imperator ad Monachorum & pauperum sustentationẽ Monasterio viri Dei frumentum subministrat.*

*Recusat fieri Episcopus.*

Ancyram igitur metropolim ingressus, à beatissimo Archiepiscopo Paulo cum lætitia susceptus est, & Episcopus constitutus. Egressus igitur è me-

D tropoli Ancyra Sanctus Theodorus, Anastasiopolim venit cum religiosissimo Cinaræ ciuitatis Antistite, à quo in sede constitutus, diuinis curationum gratiis præfulgebat: assiduisque ieiuniis, & precibus, & eleemosynis, & omnibus denique virtutibus & officiis ciuitatem sibi creditam exornabat, & reliquas ad eius æmulationem inflammabat.

*Tandem vi è spelunca eductus, & Ancyram adductus, Episcopus constituitur Anastasiopolis.*

Porrò cupiditate reuisendi sanctam ciuitatem accensus beatus vir, ibique tertiam obsecrationem absoluendi, fratribus duobus assumptis, Ioanne Archidiacono Monasterij sui, & Martino ex loco, qui dicitur Dugaria, à quo dæmonum legionem expulerat, ad sancta loca profectus est, & Crucem

E salutarem, Christique sepulchrum, & omnia quæ illic sancta sunt adorauit. Inuisit & Monasteria, & in patriam non redire amplius decreuit: sed illic in aliquo Monasterio quietè viuere. Putabat enim se suscepto onere Episcopali, à moderatione Monastica defeciſſe, & curis atque solicitudinibus obrui. Profectus igitur in Lauram Sabæ Abbatis, viuebat ibi in cellula pij cuiusdam Monachi, nomine Andreæ. Et cum quietis & silentij sui tempus aduenisset, fecit illi cellam frater, apud quem morabatur, in qua vir beatus sedens, abstinentiam suam à die Christi natali ad ramos vsque palmarũ transegit, nec pedem quidem inde mouens, adeò vt patientiam

*Tertiam subit peregrinationem ad loca sancta Hierosoly.*

*In Laura S. Sabæ, degit inclusus in parua cellula in magna abstinentia.*



tientiam eius omnes illi patres admirarentur. Post Paschæ autem celebrationem, duo illi fratres, quos secum adduxerat, illum assiduè cohortabantur, vt in patriam rediret: sed eos noluit audire, dicens, se illic quietam & pauperem vitam agere. Verùm nocte quadam illi sanctus Dei martyr Georgius in somnis apparuit, tradens illi baculum, atque dicens: Exi celeriter, vt in patriam reuertamur: neque enim licet te, illa relicta, hic commorari. Cumque vir sanctus responderet, se id facere

*A S. Georgio monetur redire in patriam.*

non posse, quoniam Episcopatum recusasset, polB licitus est ei martyr, & affirmauit se ab illa etiam cum afflictione paulo post liberaturum, modò ne patriam desereret. Surge, igitur, inquit, & vade. Multi enim, longis suscepti itineribus, illuc profecti, propter absentiam tuam afflicti tristesque discedunt. Quamobrem ego quoque tibi succenseo. Hæc locutus Christi martyr, è manu eius pignus accepit, quod id nulla interposita mora effet effecturus. Experrectus igitur vir beatus, somnium duobus fratribus narrauit, & ex patrum illius mansionis consilio, cum duobus discipulis suis discessit.

Cum autem ad Galatiæ partes peruenissent apud Druinorum Monasterium, obuiã cum cereis exeuntes Monachi & præfectus, ad eius pedes procideruntque, & eum consalutantes, in proprium cœnaculum adduxerunt, & magna cum lætitia rogarunt, vt apud se diebus plurimis maneret, & vt ipse de

*Honorificè excipitur à quibusdam Monachis.*

C via fessus quiesceret, & maiorem sibi benedictionem impertiret. Petiit autem è contra ille ab eis, vt sibi ministerium, quandiu ibi maneret, assignarent. Et illis recusantibus, illud sibi ipsi onus imposuit, vt fratrum cubilia manè vesperique curaret. Cæterùm cum eius fama diuulgaretur, multi vt ab eo benedictionem acciperent, ad Monasterium ventitabant, & ægrotos suos afferebant. Inter hos mulier accessit, & filium mutum adduxit, vt pro eo vir sanctus precaretur. Qui os suum aperiens, in eum insufflauit, & puer confestim locutus est. Sanauit præterea claudum, paralyticã, & alium mutum. Et cum aliquot dies ibi quieuisset Sanctus Episcopus Anastasiopolim rediit.

*Ex humilitate curat cubilia fratrũ.*

*Puero muto loquelam restituit.*

*Redit ad suã Ecclesiam.*

D Eo tempore suscepit hospitio diuinum & sanctum virum Eremitam Antiochum, qui Constantinopoli in Orientem reuertebatur. Venerat autem legatus ad Mauritium Imperatorem, vt illi Synophrim oppidum à Barbaris direptum commendaret. Erant huic supercilia densa atque coniuncta, cana barba, & capitis coma lanæ instar candida, & ad ilia vsque protensa, similiter & barba, & vngues prælongi: ad centesimum annum peruenerat: sexaginta annorum spatio, nec vinum, nec oleum, nec aliud eiusmodi gustarat: triginta iam annis panem non comederat, oleribus crudis cum sale & aceto vescebatur, & aquam bibebat. Huius fama ad Theodorum, & Theodori pariter E fama ad ipsum, Deo patefaciente peruenerat. Et iustus ille quidem dicebat discipulis suis de Sancto Episcopo Theodoro, se talem virum sanctum ad eum vsque diem non inuenisse: sibi enim vitæ ipsius institutam esse à Deo patefacta. Beatus Theodorus vicissim ita de ipso cum fratribus loquebatur, vt in tota Orientis Eremo tam dignum Dei seruũ vidisse aut audiuisse se diceret neminem. Qui autem hæc audiebant, ex fimbria vestimentorum eius aliquid religionis gratia capiebant. Cumque mansionis fratres ad eum venerandum accederent, eos reprehendebat, & per interpretem recusabat: Cur, inquiens, cum talem stellam, & sanctum Christi

*S. Antiochum Anachoretã legatum ad Mauritium Imper. suscipit hospitio S. Theodorus.*

*Forma S. Antiochi.*

*Eius magna abstinentia.*

*Merita Theodori Antiocho patefacta, similiter Antiochi, Theodoro.*

A Apostolum habeatis, ad me agrestem & vilem, atque nullius pretij hominem venerandum accediti? Ad ipsum verè laudabilem & admirandum, sanctumque virum colendum vos conuertite, qui diuinam in mundo vitam agit, & cupiditates in se proterit, & doctrina sua multos ad Deum conuertit. Cum autem vespera aduenisset, facto diuino sacrificio, accubuerunt, vt paruo & solito cibo vescerentur. Postea voluit Sanctus Theodorus, vt erat solitus, hospiti pedes lauare. Sed ille non permisit. Mutuò igitur manus lauerunt. Postridie verò manè festinabat Dei seruus exire, & iter suum perficere. Quod cum beatus Theodorus animad-

*S. Antiochi Eremita humilitas.*

*Obitus S. Antiochi Theodoro reuelatur.*

uerteret, & obitum eius propinquum esse diuini-

B tus sciret, idque apud se fieri cuperet, rogabat eum, vt itineris labore fessus conquiesceret. Ille contra obsecrabat, vt se dimitteret: Instat, inquiens, mihi è corpore migratio, & idcirco festino, vt in cella mea naturæ concedam. Egressus igitur B. Theodorus, comitatus est eum Anastasiopolim vsque, & afflictiones ac solicitudines, quas in Episcopatu sustineret, patefecit, quibus instituta vitæ ratio, & Monasteriorum suorum cura interrumperetur, rogans eum, vt quid sibi agendum esset, consuleret, & vtrum, relicta Episcopatus dignitate, Monastico tantùm ordini deberet incumbere. Ille verò id quàm celerrimè faciendum censuit, ne apud Deum damnandus esse videretur. Sanctus autem Theo-

*Etiam S. Antiochus obitum suum pranunciat.*

C dorus suum illi iumentum fratremque dedit, qui illum quousque vellet, comitaretur. Mutuò se igitur salutantes & complectentes, discesserunt. Et S. Theodorus in Episcopium reuersus, dixit eum celerius è vita migraturum, quàm vt ad locum suum posset peruenire. Quod & factum est. Paucis enim post diebus nunciatum est, eum in via mortuum esse.

*Moritur S. Antiochus in itinere, cũ rediret ad cellam.*

Quoniam igitur plurima beati Theodori miracula, posteaquam Episcopatum recusauit, visa fuerunt, hæc ego commemorans omittam ea, quæ in ipsa ciuitate gessit Episcopali, quia sunt omnibus nota, illa duntaxat attingens, quæ aliqua ex parte causas & afflictiones indicant, quamobrem

D recusauit Episcopatum. Cum enim necessariò cogeretur inuolui variis Episcopatus negotiis & solicitudinibus, magnis molestiis & angustiis afficiebatur. Cum igitur necesse esset, prædia ad Ecclesiam pertinentia, per procuratores administrare, & ipsi procuratores iniuriis agricolas afficerent, nec poterat vir sanctus non vehementer angi & cruciari. Nam cum id munus ciui cuidam nomine Theodosio dedisset, & ab eo agricolæ iniuria essent affecti, ad Christi seruum lugentes confugerunt. Qui eos commiseratus Theodosium accersendum curauit, monuitque vt ab agricolarum iniuria desisteret. Ille verò inuenta occasione, ab iniuria non destitit. Id cum audiuisset vir sanctus, accersito

*Prohibet officiales suos, ne agricolas iniuria afficerent.*

Theodosio præcepit, ne ad ea loca se amplius con-

E ferret, ne mali quippiam accideret. Tunc ille multa in eum conuicia coniecit, & nefariæ contumeliæ vim addens, sedem, in qua sedebat, pede commouit: ex quo beatus vir coram omnibus supinus concidit. Cum autem surrexisset, mitiori voce iurauit, se apud eos Episcopum non moriturum: sed ad Monasterium suum rediturum. Veneno iterum nescio quomodo tentatus est, & in cellula sua in Episcopio, immobilis iacuit tribus diebus, adeò vt rumor de morte eius iam increbesceret. Post tertiũ autem diem apparuit ei Domina, sanctissima Dei genitrix Maria: quæ sceleratis hominibus exitium comminata, & morbi causam aperiens, & insi-

*A quodam Theodosio post multas iniurias concussa eius sede, coram omnibus in terrã deiicitur.*

*Ob sibi datũ venenũ triebus diebus iacet immobilis.*

*Sanatur à B. Virgine Dei para.*

diatores patefaciens, è manu sua tria illi colococca dedit: hæc,inquiens, comede, & nihil tibi erit mali. Somno solutus vir sanctus, Saluatori Christo gratias egit, & immaculatæ matri eius Mariæ. Et causam quidem morbi significauit, auctores autem reticuit, & pro illis Deum precatus est. Videns autem ciues nihil proficere,sed in vitæ flagitiosæ miseria permanere: eos autem qui in Monasteriis degebant, absentia sua negligentiæ desidiæque vacare: gloriosi Christi martyris Georgij opem implorauit. vt se proprium in locum restitueret, & multis precibus Deum orauit, ne sibi crimini verteret, quod Episcopatum recusaret. Cum igitur eam veniam se à Deo impetrasse certiret, clero & ciuibus conuocatis hanc habuit orationem. Vos me fratres, inuitum, vt scitis & abstractum, hoc iugum subire coëgistis. Et quamuis me ad illud ferendum minimè aptum excusarem, vos tamen me audire noluistis, sed vestræ cupiditati maluistis indulgere. Vndecimus igitur iam annus est, ex quo ego vos affligo, & affligor à vobis. Quamobrem obsecro vos, vt pastorem vobis paretis, qui & vobis placere, & res vestras curare possit. Ego enim posthac Episcopus vester non ero: sed vt abiectus Monachus,ad mansionem reuertar meam, vbi in omni vita mea Deo seruire constitui. Hæc locutus, & assumpto Monasterij sui Archidiacono Ioanne,ad Ancyranorum metropolim se contulit.

*Orat pro inimicis.*

*Relicto Episcopatu, ad Ancyranorũ metropolim se confert.*

Cum igitur ad metropolitanum Ancyranorum Archiepiscopum Paulum peruenisset: rogabat vt sibi successor daretur. At ille tam bono viro dari non posse respondebat. Cumque magna inter eos contentio esset exorta, conuenit inter illos, vt ea res ad beatissimum Constantinopolis Patriarcham Cyriacum reiiceretur, & quod ille constituisset, ratum foret. Beatus igitur Theodorus piæ memoriæ Imperatori Mauritio, & beatissimo Patriarchæ Cyriaco supplicauit, vt decernerent, sibi dandum esse successorem.Metropolita verò recusationi eius rationes suas opponebat. Sed beatissimus Cyriacus Patriarcha, ita etiam iubente Imperatore, Metropolitano respondit, vt beati Theodori preces admitteret, & insignia ei propter vitæ sanctitatem & innocẽtiam relinqueret Episcopatus. Mandato igitur parens Metropolitanus, ab Episcopatus onere beatum Theodorum liberauit, & Episcopatus reliquit insignia. Consuluit autem illi, ne longius discederet, priusquam in eius locum alterum constituisset. Egressus igitur ex Ancyranorum metropoli, in Heliopolis regionem se contulit, prope oppidum Pidri, in oratorium Archangeli,quod est in Ambrena, & seipsum abscondebat. Porrò cum beatus vir accepisset Episcopum esse Anastasiopoli, gaudens & laudans Deum, ad Monasterium rediit, & Dei gratia multa fecit miracula in ægrotos qui accedebant.

*Paulus Archiep. Ancyr. renunciationi viri Dei non assentit.*

*Remittitur causa ad Cyriacum Constantinopolitanũ Patriarcham.*

*Tandem iubẽte Patriarcha & Mauritio Imperatore, viri Dei amico, ab Episcopatus onere liberatur.*

*Redit ad suũ Monasteriũ.*

Eo tempore pius Imperator Mauritius, & beatus Patriarcha Cyriacus, & principes, suis litteris sanctum Christi seruum Constantinopolim accersierunt, vt eis benediceret. Quamobrem cum eo se contulisset, & beatissimum Patriarcham Cyriacum, & Imperatorem atque Senatum consalutasset, eique benedisset, apud eos commoratus est. Magno autem eum studio & honore Imperator & Augusta, & omnes familiares complexi sunt, & Monasteriis eius immunitates tributæ, illudque cõcessum, vt nulli alij Episcopatui subiecta essent, sed sanctissimæ tantùm & magnæ Ecclesiæ Apostolicæ regiæ ipsius ciuitatis, ita prouidente Deo, & sancto martyre Georgio opitulante, propter beneuolentiam in eos, qui in illis degebant & sacrificabant. Paruo autem illo tempore, quo mansit in ciuitate, magna per illum Deus fecit miracula.

*Accersitur Constantinop. ab Imperatore & Patriarcha.*

*Honorificè ab Imperatore & Augusta excipitur.*

*Priuilegia & immunitates Monasteriis eius concessa.*

Contigit eo adhuc Constantinopoli agente, vt vnus ex filiis Mauritij Imperatoris, lepræ morbo laboraret. Cui cum medici nullam possent afferre opem, Imperator virum sanctum accersendum curauit. Qui in palatium, vbi puer iacebat, ingressus, & pro illo preces ad Deum fundens, aquam benedixit. Cumque illum aspersisset, reliquum aquæ dedit,vt rursum conspergeretur, & sancti viri precibus puer sanus effectus est, Imperatoris autem & Augustæ precibus adductus inter ipsos consistens, Deum pro illis obsecrauit, & cùm benedixisset eis,discessit in patriam,ad Monasteriúmque peruenit.

*Filiũ Mauritij Imperatoris leprosum sanat.*

*Redit in patriam.*

Verum antequam Mauritius Imperator occideretur,cum in Dei genitricis Monasterio vir sanctus præfinitum psalmorum numerum legeret, in sanctuario recens ex ædificato lucerna quæ semper ardet, extincta est. Quapropter vni ex fratribus annuit, vt eam accenderet. Sed cum statim rursus,extincta esset, frater rediit, & cum precibus eam iterum accendit. Repenteque rursus extincta,vir sanctus illum reprehendens, tanquam ineptè id fecisset, accessit ipse, & manu sua illam accendit. Sed cum ille adhuc staret, similiter rursum extincta est. Tunc fratribus omnibus congregatis, seuerè locutus est ad hunc modum: Signum hoc fratres, non simpliciter, mihi credite, nec temerè contigit. Vos ergo diligenter explorate, quid egeritis, & in conspectu Dei peccatum vestrum cõfitemini. Cum autem fratres sibi nullius esse culpæ conscios respondissent, ad obsecrandum Deum accessit, vt sibi rem indicaret. Cumque re diuinitus patefacta, tristis esset, & cum gemitu diceret: Verè tu Esaia naturam hominum expendisti cum diceres:Omnis homo fœnum, & omnis gloria hominis,tanquam flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit.Et cum hæc ipse loqueretur, fratres rogabant eum, vt rem omnibus patefaceret. Quibus cum præcepisset, vt nemini rem indicarent, prædixit eis, quo mortis genere Mauritius Imperator esset interiturus. Fratribusque meritò id illi euenturum respondentibus, ob ea quæ improbè gessisset: Sic quidem ipse, filij, inquit, Sanctus Theodorus morietur:sed post eum multo deteriora contingent, quæ hæc ætas non expectat. Paucis igitur post diebus interfectus est Mauritius Imperator, & imperio potitus est Phocas. Qui cum in Orientem misisset Domitium consobrium, vt exercitum duceret aduersus Persas, qui regiones nostras vastabant & prædabantur. Is autem Domitius de hostium impetu, qui Cappadociam vsque peruenerant, deque Sergij Patricij Imperatoris propinqui interitu intellexisset,magno in mœrore & metu versabatur, nec iter susceptum audebat perficere.

*Prædicit mortem Mauritij Imperatoris.*

*Phocas Imperator.*

Audita igitur serui Dei fama, ad eum se in Monasterium contulit, seque ad eius pedes abiiciens, supplex rogabat, vt pro se Deum precaretur, vt scire posset, quid sibi agendum esset: in dubio enim se propter hostium incursum versari. Respondens illi Dei seruus. Abi, inquit, fili, in nomine Dei, & susceptum iter perfice: incolumis enim ad exercitum peruenies. Verùm cum in acie stabis aduersus Persas, & prælium inibis, in magno discrimine versaberis. Sed commendo te Deo, & sancto eius martyri Georgio, vt te à periculo integrum conseruet.

*Domitius pergens cõtra Persas venit ad virũ Dei.*

*Promittit ei vir Dei illæsum se abiturum.*



seruet. Cum igitur te periculum premet, memor eris huiusce precationis, & Deus te à periculo eripiet. Hæc & alia multa tempori congruentia locutus,benedixit ei,atque abire permisit.Peruenit igitur incolumis ad exercitum, vt vir sanctus prædixerat. Cumque inito cum Persis certamine,insidiis peteretur, magnoque esset in discrimine cum vniuerso exercitu,meminit verborum sancti viri,cuius precibus Deo fuerat commendatus. Et pedes in cannetum ingressus,delituit,atque itæ periculo sese subduxit: collectoque exercitu, in Romanorum loca se contulit, & ad Imperatorem peruenit.Quo quidem in itinere virum sanctum inuisit,& magna cum fide ad pedes eius prostratus,gratias egit Deo, qui se precibus ipsius è tanto periculo eripuisset.Et confessus est omnia,quæ beatus vir prædixerat,cõtigisse. Solemni igitur Dominico die celebrato,& suscepta viri sancti benedictione,ad regiam vrbem profectus est, & ex eo tempore magna in veneratione habuit beatum Theodorum,& sanctam eius mansionem, & semper cum ab Oriente ad regiam vrbem iter faceret, ad sanctum virum diuertebat, multaque munera eius mansioni, & sancti Georgij templo & oratoriis relinquebat.

*Rediens Domitius ad Imperatorẽ, iterum venit ad virũ Dei, eique gratias agit.*

Eo tempore Phocas Imperij sceptra tenebat, qui audita viri sancti fama, eum accersendum curauit:manuum enim ac pedum doloribus excruciatus iacebàt. Veniens igitur in vrbem regiam, à beatissimo Thoma Patriarcha honorificè, & cum magno gaudio susceptus est, & deductus ad Imperatorem. Beato autem manus suas illi imponente atque precante,subleuatus Imperator rogauit eum, vt pro se proque Imperio precaretur. Quamobrem admonuit eum vir sanctus, vt ab hominum afflictione, & sanguinis effusione temperaret, si preces suas à Deo vellet exaudiri. Cum autem ab Imperatore discessisset,rogauit eum beatissimus Thomas Patriarcha, vt pro sua in illum beneuolentia apud se diuerteret, & Deum obsecraret, vt in cælesti vita simul inuenirentur. Prædixit autem ei vir Dei multos à religione defecturos, & barbararum gentium incursiones, & magnam sanguinis effusionem, & in vniuerso orbe seditiones fore, & sanctas Ecclesias desertum iri, & diuini cultus atque Imperij interitum.

*Accersitur à Phoca Imperatore vir sanctus.*

*Honorificè à Patriarcha ad Imperatorem deducitur.*

*Precibus sanat Imperatorem ægrotum.*

*Prædicit barbarorum incursiones, & seditiones in toto orbe, Ecclesiarumque destructionẽ.*

His auditis beatissimus Patriarcha,magno timore mœstitiaque correptus, cum lacrymis cœpit rogare sanctum virum, vt Deum obsecraret,quo animam suam tolleret, antequam ab illis calamitatibus opprimeretur. Cumque vellet sanctus Theodorus in patriam redire,quoniam quietis,& silentij sui tempus adũentabat,id illi non permisit beatissimus Patriarcha. Increbuerat enim rumor ciuitatẽ haud ita multo post absorptam iri. Quamobrem voluit vt apud se hyemem traduceret.Namque dicebat se precibus eius apud Deum pro populo indigere, vt saltem mala differat, quæ comminatur. Cum autem vir sanctus locum proprium ad habitandum postularet,iussit vt in sancti Stephani mansione, quæ Romanorum dicitur,habitaret. Natali igitur die Saluatoris nostri Dei illic sese inclusit, vt quietem, & abstinentiam solitam obseruaret. Quo tempore contigit, vt sanctissimus Patriarcha in morbum incideret. Iraque nunciũ misit ad beatum Theodorum,rogans eum,vt Deum precaretur vt sibi daret vitæ finem. At Christi seruus respõdit, quamuis ipse, vt sanctus olim Apostolus Paulus, dissolui & esse cũ Christo cuperet, tamen cum magis esset necessarium,vt pro populi salute in corpore maneret,oraturum potius, vt illi vitam & sanitatem elargiretur. Sed nuncium rursus ad Dei seruum misit sanctissimus Patriarcha: Per Dominum,inquiens, obtestor te,pater, si diligis me, vt pro mutua,& fraterna inter nos beneuolentia,Deũ obsecres,vt depositum suum pignus recipiat è corpore meo, meque ab imminentibus periculis liberet: neque enim spectare possum, quæ tu prænunciasti. Tunc Dei seruus, flexis genibus, & fusis pro ipso precibus, nunciauit ei per Epiphanium ministrum, se quidem vitam eius pro salute omnium ex optasse, verum quoniam tantopere flagitasset pro se preces fundi, vt dissolueretur, & esset cum Christo, iussis ipsius obtemperasse, & Deum illi, quæ cuperet concessurum, & petitionem eius eodem die impletum iri. Quamobrem, inquit, si iubes, vt veniam ad te, statim id faciam: Si minus, nos tamen vicissim apud Christum Dominum conspiciemus.

*Ad preces Patriarchæ hyemat Constantinopoli.*

*Patriarcha incidit in morbum, & mittit ad virum Dei pro eius dissolutione.*

*Impetrat à Deo mortem Patriarchæ, quam tantopere cupierat ipse Patriarcha.*

Hoc audito, beatissimus Patriarcha gauisus est gaudio magno, & Deum laudans, monuit seruum eius, ne exiret, néve à quietis, & abstinentiæ suæ discederet instituto, contentum enim se esse promisso eius, quod se vicissim apud Christum essent conspecturi. Hoc & Imperator cum intellexisset, sanctissimum Patriarcham inuisit. Qui cum omnibus benedixisset, ante horam vespertinam cum prudentia atque constantia mirabili ad Dominum migrauit.

*Moritur Thomas Cõstantinopolitanus Patriarcha.*

Cum autem adhuc in eadem mansione moraretur,multæ turbæ eò concurrebant,vt benedictionẽ susciperent.Et cum quidam ad eum vexatus accessisset,& multa vociferaretur,increpans eum, & pectus eius manu percutiens, spiritui immundo, qui in illo erat, imperauit, vt exiret, & statim egressus est. Alia item complura miracula fecit,dum illic esset,per gratiam Christi Dei nostri. Quare pietatis colentissimus Christophorus mansionis præfectus,& fratres omnes cupientes imaginem ipsius apud se manere, pictorem, accersiuerunt, qui perspecta eius facie, effigiem illius exprimeret. Cum igitur eorum desiderio pictor satisfecisset, antequã virum sanctum dimitterent, duxerunt eum, vbi imago illa erat, vt ei benediceret. Qui cum grauitate subridens, vos (inquit) fures estis. Cur enim hoc fecistis,nisi vt aliquid aliquando furemini? Et cum ei benedixisset, dimissus ab Imperatore, & à Patriarcha, ad Monasterium suum reuersus est.

*Pellit dæmonem de corpore obsessi.*

*Imago, & effigies viri Dei depingi curatur.*

*Ipse suæ imagini benedicit vir Dei.*

Erat autem beatus Theodorus valde clemens,& misericors erga omnes. Et si quis apud Principem, aut Magistratum opprimebatur, accedebat ad eos vir beatus, & diuinæ parebat scripturæ, ita præcipienti:Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.Hæc ego Eleusius, qui & Georgius à sancto Theodoro vocatus sum,& omnia Deo adiuuante conscripsi. Neque verò miraculorũ ipsius expers fui, sed ea maximè omnium expertus sum. Cum enim parentes mei ex oppido Adigermaro oriũdi,diu simul vixissent,nec vllos possent liberos suscipere, ad sanctum virum accesserunt: cumque zonas quibus ille benedixerat,accepissent,ego conceptus sum, & in lucem editus, & infans ipsi oblatus, qui & in sancto eius Monasterio enutritus, à religiosissimo præfecto litteras didici. Cumque parentes mei filium alterum sancti Theodori precibus suscepissent,eius illi nomen imposuerunt.Duodecim igitur annorum spatio,quo apud illum vixi, multorum miraculorum, quæ ab ipso facta sunt, inspector fui.Quæ autem ab illo superioribus temporibus gesta fuerant, ea vel à ministris eius, qui

*S. Theodorus clemens, & misericors erga omnes.*

*Georgius huius historiæ scriptor, ex parentibus sterilibus per preces Theodori in lucem editus.*

specta

spectatores extiterant, vel ab eisdem, qui curati A sunt, accepi.

*Moritur S. Theodorus.* Decessit è vita sanctissimus & beatissimus, ac filiissimus Christi seruus Theodorus tertio Imperij anno pietatis & Christi studiosissimi Imperatoris Heraclij, quo quidem anno filius eius Deo charissimus Constantinus creatus fuit Cæsar, indictione prima, die 22. mensis Aprilis.

## NOTÆ.

Theodorus.] *De eo Martyrol. Rom. 22. Aprilis & Græci hac die in Menologio. Eius gesta fusius reperiuntur apud Lippom. tom. 7. & Surium tom. 2. Plura Baronius habet in Annal. tom. 8. migrauit ex hac vita anno Domini 613. Heraclij Imperatoris anno 3. prout eius acta testantur.*

Archimandritam.] *Dicitur Archimandrita ab archos, quod est princeps, & mandros, ouis, id est, pastor ouiũ. Per translationem verò intelligitur de pastoribus spiritualibus, vnde Alciatus scribit Archimandritam id significare, quod dicimus Abbatem.*

## VITA S. ZOZIMI EREMITÆ.

*Ex Euagrio lib. 4. cap. 4.*

*Patria Sancti Zozimi.* ZOZIMVS genere Phœnix, ex Sinda pago Phœniciæ ortus (qui pagus non abest à C Tyro viginti stadia) qui Monasticum vitæ genus excolens, ita tum abstinentia à cibis, tum iisdem capiendis, tum aliis virtutibus, quæ in eius *Habet spiritũ prophetiæ.* vita elucebant, Dei gratiam sibi conciliauit, vt non modo res futuras præuideret, verum etiam ab omni perturbatione liber & vacuus existeret. Cùm fortè fortuna, cum nobili quodam viro Patricio & prudentia eximio, nomine Archesilao, qui & præclaris honoris insignibus & cæteris vitæ ornamentis egregiè decoratus fuit, Cæsareæ vrbis Palæstinæ primariæ versaretur, ipso temporis articulo, quo Antiochia cecidit, subitò ingemiscere, grauiter lamentari, & suspiria ex intimo pectore ducere cœpit: tantamque vim profudit lacrymarum, *Deflet casum & ruinam ciuitatis Antiochenæ.* vt terrã madefaceret. Deinde thuribulum postulat, D & toto choro, in quo simul constiterunt, thuris incensi nidore perfuso, se prosternit humi, precibus & orationibus Deum placaturus. Tunc Archesilao scisciranti, quid esset, quod eum tantopere perturbaret: liquidò respondit, fragorem ruentis Antiochiæ iam tum eius auribus circunsonuisse: adeò vt Archesilaus, & alij qui fortè aderant, præ admiratione obstupescentes, ipsam horam qua res gerebatur, literis mandarent, reperirentque postea ita se habuisse, vt Zozimus declarauerat.

Sunt & alia complura ab eo edita miracula, quorum maximam partem silentio præteriens, (quippe vix aut ne vix quidem numerari possent) quædã hoc loco percensebo. Eo tempore quo Zozimus, E in magna nominis celebritate, & pari cum Zozimo virtutum excellentia præditus vixit Ioannes in Chuzubica Laura (qui locus positus est in extrema valle ad Aquilonem partem viæ regiæ, quæ Hie- *Ioannes Chuzubites Monachus, quondã Cæsariensis Episcopus.* rosolymis recta ducit ad vrbem Hiericho) vitamque Monasticam, eamque à rebus terrenis quasi penitus secretam & liberam degit, & vrbis Cæsareæ, quam diximus, Episcopatum administrauit: hic Ioannes Chuzubites, postquam vxori Archesilai, de quo supra locutus sum, alterum oculum radio effossum audiuit, propterea ad illam contendit, plagam quam acceperat conspicaturus, Vbi autem vidit pupillam penitus excidisse, & oculum sede dilapsum, cuidam ex medicis, qui eò commearent mandat, vt spongiam afferat, oculum dilapsum in sedem quam commodè posset inducat, & spongiam appositis fasciolis alliget.

Archesilaus verò aberat: si quidem id temporis cum Zozimo erat in eius Monasterio, quod est locatum in oppido Suidena, quod Cæsarea abest ad summum quingenta stadia. Cum maxima igitur celeritate itur ad Archesilaum, vt de his rebus certior fieret. Archesilaus fortè cum Zozimo confidens, sermonem cum eo contulit. Quibus rebus nunciatis flebiliter eiulare, vellere capillum, dilacerare, & eundem cælum versus iacere cœpit. Zozimo verò causam règanti, Archesilaus quid acciderat, lamentis & lacrymis crebris interpositis exponit. Itaque Zozimus illo relicto, solus ad cubiculum properè accurrit, in quo Deum (sicuti fas est id genus hominibus) familiariter compellat. Paulò post egressus ad Archesilaum, gestiens, *Ioannes Chuzubita vxori Archesilai oculum restituit.* & modestè ridens ait: Abito domum lætus, abito: gratia Chuzubitæ tributa est vxori tuæ sanitas, vtrumque oculum habet integrum: nam calamitas ista nihil potuit ei adimere, quandoquidem ita Chuzubitæ placuit. Quæ duo miracula ab vtrisque viris illis iustis vno eodemque momento edita fuere. *Zozimus absens hoc sanitatis beneficiũ denũciat.*

Porrò isti Zozimo iter quodam tempore Cæsaream facienti, secutmque asinum, cui res quasdam sibi necessarias imposuerat, adducenti, occurrit leo, & asino Zozimi abrepto, discedit. Zozimus per syluam vsque eò insequitur, quoad leo voratis asini carnibus satur esset, in quem hilari vultù & subridenti intuitus, dixit: At verò ô amice, iter iam mihi penitus interruptum est: quippe cum annis plurimis onustus sim, & ætate admodum prouectus, nec valeam ea quæ asino erant imposita humeris portare, quare tu hoc onus contra naturæ tuæ consuetudinem gestes necesse est, si modo Zozimum ex hoc loco discedere volueris: postea autem ad pristinam feritatem, naturamque propriam redibis. Tunc leo furoris prorsus oblitus, sublandiri, & placidus extempore ad Zozimum accurrere, & ipso corporis habitu obsequij significationem dare cœpit. Cui Zozimus onus quod *Leo vice asini Zozimo deseruit.* asinus gestauerat imponit, eumque ad portas vsque Cæsareæ deduxit, quò declararet tum virtutem & Dei potentiam, tum quod omnia tandiu hominibus inseruiant, obtemperentque, quandiu secundum eius voluntatem vitam instituimus, & gratiam nobis donatam nequaquam deprauamus.

## NOTÆ.

Zozimus.] *De eo agunt Nicephorus lib. 17. cap. 5. Baron. tom. 7. Annal. ad annum 525. num. 15. 19. 20. 21.*

Oculum radio effossum.] *Radius hoc loco sumitur pro quodam ligno acuto.*

Ioannes.] *Plura de eo in Prato spirituali c. 25.*

## VITA S. ELESBAAN REGIS ET Eremitæ. Ex Simeone Metaphraste.

*S. Elesbaan Rex Æthiopum.* IN TEMPORE quo Iustinus acceperat sceptra Romani Imperij, imperabat etiam Æthiopibus Elesbaan, vir qui propter pietatem & iustitiam apud omnes maximum nomen fuit consequutus, in ciuitate autem Anxume Regiam construxerat, Ditione autem tenebat Arabiam Fælicem, quæ olim quidem Saba, *Arabia Felix dicta olim Saba, nunc Homeritũ.* nunc



nunc autem vocatur Homeritis, Dunaam He- A
*Dunaan Hebræus Christianorũ inimicus.* bræus, vir impius, & Christianorum generi inimicissimus: qui etiam omnes qui erant in sua potestate, habebat circuncisos, partim quidem Iudaicam sequentes superstitionem, partim autem planè gentiles, Soli & Lunæ sacrificantes & dæmonibus, quos etiam more gentis honorabant phanis & columnis. Porrò autem ab Elesbaan odio habebatur Hebræus: quod omnibus ferè qui sunt sub cælo Christum Deum prædicantibus, & verbum Dei filium, & nobis factum carne similem, ipse eum vilipendens inficiabatur hæc omnia, velans & adumbrans suorum maiorum scelus, quod in Cruce admiserant: adeò vt Rex pius sæpe cum eo
*Superatur & fugatur Dunaã ab Elesbaan.* bello congressus, eum fuderit atque fugarit, & tri- B butum pendere coëgerit.

*Rebellat Dunaan contra Regem Elesbaan.* Verum ille quidem non stans pactis conuentis, insurrexit contra Regẽ Elesbaã. Elesbaan autem eũ rursus valido adortus exercitu, fortiter expugnauit, & in fugam conuertit. Denique ad illum cauendum relicto exercitu, in suam redigit ditionem. Inte-
*Iterum bellũ mouens Elesbaan contra ipsum, fugatur.* rim non poterat Hebræus quiescere: sed vt accepta cladis doleret ignominiam, cum suos collegisset, & eos qui erant in præsidio inuasisset, omnes bello perdidit, & iussit omnes qui inueniebantur
*Rebellãs Dunaan omnes Christianos interficit.* Christum esse Deum confitentes, citra vllam interire misericordiam. Quinetiam ciuitatẽ sitam in Homeritide, quæ vocatur Nagran, obsedit, cepit-
*Nagran ciuitatẽ capit fraudulenter.* que eam fraudulenter, & omnem ferè populum C Christum confitentem & prædicantem, crudelissimè occidi præcepit. Quod cum nunciarum fuisset
*Iustinus Imperator & Asterius Episcop. Alexãd. per litteras incitant Elesbaan vt pugnet contra Dunaan Tyrannum.* Iustino Imperatori, sine mora scripsit ad Asterium Alexandriæ Episcopum, vt incitaret Regem Æthiopum ad mouendum arma aduersus Homeritas: eadem quoque ipse Regi Æthiopum per litteras nunciauit, eumque docuit quemadmodum deleuisset Hebræus omnes Christianos qui erant in sua potestate, & quemadmodum Nagran ciuitatem populo frequentissimam fecisset inhabitabilem: postremum adiecit fore, nisi ipse exurgeret in vltionẽ, vt Deus è vestigio ei irasceretur. Et hæc quidem Imperator Iustinus. Ipse quoque Patriarcha D
*Inuenitur Dunaan cum suis vinctus catena aurea.* Alexandrinus posteaquam cũ Monachis orthodoxis, qui erant in Nitria & Scete, multas Deo fudit supplicationes: Regi illi ea significauit, quæ pio videbantur Iustino.

Non latebant autem, nec prius quidem Æthiopum Regem ea quæ facta fuerant: sed tempore anni prohibente, (erat enim hyems) vel inuitus quieuit. Itaque cum validum collegisset exercitum tum ex suis, tum ex auxiliis vsque ad centum & viginti millia, naues autem Indicas septuaginta in ipsa hyeme construxisset; quinetiam ex negotia-
*Colligit exercitum vt dimicet contra inimicos.* toribus Persis & Æthiopibus, qui illuc venerant mercaturæ gratia, naues alias collegisset ad sexaginta, cumque eas quæ ex ipsis collapsæ fuerant, E instauraſſet ac refecisset, & omnia præparasset: veris initio mouet exercitum, armisque & equis, & alio apparatu properabat, vt prælio confligeret cum inimicis. Et per continentem quidem ab inferiori parte Æthiopiæ misit quindecim millia Æthiopum ad Homeritidis partes magis occidentales, vt ipse quidem per mare cum nauibus, illi autem per terram irruentes, hostes in medium coërcerent.

Rex autem cum iam esset nauigaturus, venit in templum, ad cuius fores regia veste aliisque insignibus imperij depositis, ingressus quidem est pri-
*Diuinum implorat auxilium S. Rex Elesbaan.* uato habitu, stãs autem ex aduerso aræ, cum Deum multum orasset, & facta ab ipso miracula in Ægypto, atque in ipsa solitudine pro Hebræis in memoriam reuocasset: Illi, dicebat, fuerunt ingrati in te benefactorem, neque illi solum, sed ij etiam, qui ex eis nati sunt. Tu enim scis Domine, quàm se malè gesserint in vna ciuitate, vt qui populum illum per dolum circumuenerint, & consilium inierunt aduersus sanctos tuos, & in eos qui restant, adhuc mala machinantur. Quod si nostra peccata id merentur: sed ne tu nos tradas eorum manibus. Quod autem ipse volueris, hoc excepto, nobis impone supplicium: ne fortè dicatur. Vbinam est ipsorum Christus, propter quem gloriantur, & crux eius?

Hæc cum precatus esset cum lacrymis, egredi- *Cõsulit quẽdam sanctum Anachoretã de successu belli.* tur de templo & è ciuitate, & ad quendam Monachum, qui propter virtutis opinionem dignus erat habitus, vt præuideret futura, & in angusta turricula iam quadraginta quinque annos fuerat inclusus, pedes venit eodem habitu, de prælio scisciturus: attulit composita quoque thymiamata, in quibus etiam aurum latenter immiscuerat. Quæ cum tradidisset seni, quærebat preces & significationem eorum quæ erant euentura. Ille autem dolo deprehenso cùm quis esset, optimè nosset: Sit tecum, inquit, Deus, qui etiam tecum regnat. Verumenimverò abi, munitus martyrum sacrificio, quod Deus est odoratus, & precibus Pontificis Alexandriæ, & lacrymis Iustini. Hæc *Iubetur bono animo esse, & abire.* cum audisset Elesbaan, & eum non tentasset amplius, benedictione accepta, abiit lætus, & cum iussisset exercitui ne ferrent viaticum plusquam viginti dierum, nauigauit.

Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum, nã ipse quoque & suis auxiliariis collectis copiis, præsidium tenebat in terra & in mari. Verumtamen Deo auxiliante beatus Elesbaan victoriam reporta- *Victoriam reportat Elesbaan.* uit, ingressusque in ciuitatem Phare, in qua erat regia Dumaan, omnes diuitias accepit, & ipsam- met Reginam. Verum cum captam vrbem & Regiam occupatam atque suos bello captos audisset Dunaan: timens ne aliqui ex cognatis deficerent ad Elesbaan, mente ei à Deo ablata, cum aurea catena se & illos alligasset, sedebat nullam rerum curam gerens. Confidentes itaque Æthiopes cum descendissent de nauibus, & manus conseruissent cum hostibus, eos fuderunt, & omnes interfecerunt, & regium ingressi tabernaculum, inueniunt aurea catena vinctum, cum iis qui genere ad eum pertinebant Dunaan Regem Hebræorum. Cum autem intellexissent suum quoque Regem præstantissimum, & omni ex parte optimum Elesbaan illic occupasse Regiam, properè ad eum accesserunt, & omnia quæ gesta fuerant exposuerunt. Ille autem præsidio relicto in ciuitate, maxima abiit celeritate, & cum inuenisset Dunaan aurea illa vinctum catena, ipsum interfecit & cognatos, Deum laudãs, *S. Elesbaan Rex interficit Dunaan cum omnibus cognatis suis.* & insultans Christi hostibus pœnam dantibus omnium suorum facinorum quæ admiserant in Christum, & Christi Crucem.

Reuersus autem Elesbaan in ciuitatem Pare, om- *Omnes Iudæos interficit S. Rex. Templum cõstruit.* nes interemit qui erant in regia, & cum vellet Ecclesiam in ea ædificare, fuit ipse primus opifex ædificij. Significauit autem omnia quæ gesta fuerant Pontifici Alexandriæ, & per illum Iustino Imperatori. Patriarcha autem Alexandriæ ordinatum Episcopum misit ad Homeritas. Qui cum illic conse- *Baptizantur Homeritæ.* crasset templum quod fuerat ædificatum, baptizat quidem omnes qui erant in ciuitatibus & pagis Homeritarum, in nomine sanctæ Trinitatis, & ex eis autem ordinat Diaconos & Presbyteros, Ec-

cleſiis, quæ erant in regione, reddit ſatum ſuum ſolitum.

*Cõſtruit Eccleſiam in ciuitate Nagram S. Rex.*

Diuiniſſimus autem Rex ipſe Eleſbaan ſimul cũ eo venit Nagram Martyrum ciuitatem, & cum illic extruxiſſet Eccleſiam, & quinque poſſeſſiones regias ei tribuiſſet, & deinde ex martyris Arethæ poſſeſſionibus tres addidiſſet, vt ille mandauerat in fine martyrij, & collegiſſet omnes qui redacti fuerant in ſeruitutem, & alios diſperſos in tempore perſecutionis, & Arethæ martyris filium Ducem gentis conſtituiſſet, & curam geſſiſſet loci, in quo iacebant ibi conſummati martyris reliquiæ, & ius aſyli illic conſtituiſſet: vadit iterum in Regiam, vbi cum Homeritis virum pium Abrahamium quendam elegiſſet Regem, & ſanctiſſimum Epiſcopum ad decem millia Chriſtianorum tradidiſſet, lætus rediit in ſuam Regiam cum præda, & ſpoliis, dans etiam exercitui non paruam pecuniæ ſummam.

*Victor ad propria reuertitur.*

Deo autem agens gratias pro tanta victoria, & gratia, volenſque ſeipſum dignum reddere maioribus, cum diadema Regium miſiſſet Hieroſolymã, ipſe indutus cilicio, & noctu egreſſus è Regia ciuitate, aſcendit ad vnum montem ad Monaſterium virorum, qui exercebãtur, & cum ſe in exigua clauſiſſet domuncula, & noluiſſet illinc egredi toto tempore vitæ ſuæ, regulam ſuſcepit monaſticam, ex eis quæ ſunt mundi nihil poſſidens, niſi ſolam ſtoream, & poculum ad aquam bibendam, & pauco pane & aqua viuens, & oleribus viridibus, ſi quis offerret, cum nullum ex mundanis vidiſſet tota vita, non ad aliud aliquid habens mentem erectam, niſi ad ſoli Deo vacandum. Denique cum diu ſic ſe exercuiſſet, ſic etiam è vita excedit, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quem decet omnis gloria, honos, & veneratio, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen.

*S. Eleſbaan relicto regno, fit Monachus & neminem ex ſecularibus toto tempore vitæ ſuæ videt.*

*Moritur.*

NOTÆ.

Eleſbaan.] *De eo Martyrolog. Rom. cum Baronio 27. Octob. Habentur eius res geſtæ fuſius deſcriptæ in vita S. Arethæ Martyris apud Lippom. tom. 6. & Surium tom. 5. De eodem etiam agunt Nicephorus lib. 17. c. 6. in fin. Cedrenus in anno 5. Iuſtini Imperat. Zonaras in eodem Imperatore. Baronius in Annalib. tom. 7. anno Domini 523. Floruit tempore Hormiſdæ Papæ, & Iuſtini Imperatoris anno ſupradicto.*

Ditioni autem tenebat Arabiam Fœlicem.] *Triplex eſt Arabia ſecundum Plinium lib. 2. Vna fœlix, altera Petræa, tertia deſerta. Arabia Petræa dicta eſt à Petra vetuſtiſſimo oppido. Arabia deſerta ſic dicitur, quod gens vaga & ſine ædificiis in tentoriis habitet. Arabia fœlix meridiem verſus, inter duos ſinus Arabicum, & Perſicum, veluti peninſula excurrit, fluminibus ſcatens, quæ (vt Strabo dicit) bis quotannis, vt India, feritur, ob fœcunditatem, vnde & Arabia fœlix dicitur.*

## PASSIO SS. MONACHORVM in Laura S. Sabæ interfectorum. Ex Epiſtola Antiochi Monachi ad Euſtathium.

QVONIAM illud ſcripſiſti, vt tibi aliquid diceremus de ſanctis Patribus noſtræ Lauræ, an vera ſint quæ à nonnullis audiſſe dicis de eorum videlicet vita, & nece, cum vix illa credi poſſint, & ſenſum omnem ſuperent: neceſſarium propterea duxi, breuibus tibi aperire quæ ad illos attinent. De laudabili enim vita eorũ impræſentiarum agere, id temporis non poſtulat, nec mea lingua illa facilè poſſet percurrere. Illud tamen dicam, quod reuera homines erant diuini (ſi homines tantum illos oporteat dicere, potiùs quàm Angelos, cum in exercitatione ſpirituali, & monaſtica vita, & laboribus quos pro pietate ſuſtulerunt à iuuentute ſua, inſenuerint) ſenes quidem venerandi, & canos capillos habebant, ſed mente magis præſtabant, & humilitate honeſti, modeſti, veridici, irreprehenſibiles, iuſti, pij, ab omni turpitudine, & prauitate alieni, omnibus bonis exornati, & diuino repleti amore. Nonnulli ipſorum centum exceſſerunt annos, & quinquaginta ſex in quieta, & monaſtica vita cum peregiſſent, nec è Laura, & Monaſterio vnquam receſſerunt: nonnulli verò, neque ad Eccleſiam proceſſerant, nec ciuitatem amplius viderant, ex quo vitam monaſticam ſemel fuerant amplexati: variis etiam virtutibus emicabant terreſtres ſcilicet Angeli, & cœleſtes homines, quapropter hunc finem ſunt adepti & victoriæ præmium ſunt conſecuti.

*Catalogus virtutum SS. Patrum in Laura S. Sabæ interfectorum.*

Cum enim Iſmaëlitæ ad noſtrum acceſſiſſent Monaſterium vna ſeptimana antequam ſancta ciuitas fuiſſet occupata, & vniuerſa Eccleſiæ ſacra vaſa iam diripuiſſent; plerique Patres aufugerunt quamprimùm, remanſerunt autem in Monaſterio qui fortiores Chriſti fuerant ſerui, ſacrum illum locum deſtituere nullo pacto volentes. Barbari verò cum illos comprehendiſſent, & multos dies illos inhumanè tractaſſent, & tormentis afflixiſſent, pecunias hoc pacto ſe inuenturos putantes, apud quos nihil huius ſeculi reperiebatur.

*Monaſterium ab Iſmaëlitis diripitur.*

*Barbari inhumanè tractant Monachos.*

Illi ſimulatque intellexerunt ſua ſe tandem ſpe, & propoſito excidiſſe, in efferatiſſimã verſi rabiem, ad vnum membratim beatos illos conciderunt. Qui & lætitia incredibili perfuſi, ae proinde alacri vultu renidentes, omni cum gratiarum actione animas reddiderunt Domino, quippe non ita pridem in votis habuerant reſolui, & eſſe cum Chriſto. Corpora verò pluſquam tragicè cæſa, cum non paucos dies in humum diſiecta ſine ſepulturæ beneficio iacuiſſent, ab Arabia illò vſque adproperauimus. Et quidem eximius Abbas Nicomedes ſpectaculum illud miſerabile cæſorum patrum contemplatus, deliquio animi concidit, atque illinc relatus mortuus prope eſt. Modeſtus præterea, & ipſe ſanctiſſimus aduentum noſtrum cum anteuertiſſet, & Sanctorum illorum luſtraſſet prius habitacula omnia, itidem angore animi contractus, multis ſe proluit lacrymis, ac ſancta quæ eatenus reſederant lipſana (hoc eſt Sanctorum reliquias) circumplexus, in Patrum ſuperiorum depoſuit conditoriis. Numerus autem Sanctorum quos tyrannica ſuſtulit impreſſio, eſt quadraginta quatuor. Horum memoria menſe Maio celebratur decimaſexta menſis die.

*Membratim omnes concidunt ſancti Patres.*

*Eorum reliquiæ honorificè in theca, & reconditoriis reponuntur.*

NOTÆ.

Aliquid diceremus de ſanctis Patribus.] *De eis Martyrolog. Rom. 16. Maij. Et Baron. tom. 8. Annal. Eccl. ann. 614. tempore Bonifacij Papæ 4. & Heraclij Imperat.*

Cum Iſmaëlitæ.] *Sunt Iſmaëlitæ populi Arabiæ deſertæ, ab Iſmaële filio Abrahæ, ex Agar ancilla ſic dicti, qui nullam artem, aut ſcientiam addiſcunt, furtis, latrociniis, & homicidiis tantum operam dantes.*

VITA



## VITA S. APOLLINARIS VIRginis. Ex Simeone Metaphraſte.

IMPERANTE in. primis pio Imperatore Anthemo Imperatoris filio, qui habuit duas filias, ex quibus vna habebat ſpiritum immundum, altera autem ab ineunte ætate vacabat Eccleſiis, martyriis & orationibus. Erat verò eius nomen Apollinaris. Cum ea autem eſſet ætatis legitimæ, quærebant eius parentes eam marito cõiungere, illa verò nolebat: ſed è contra dicebat, ſpero fore, vt quomodo Deus ſanctas ſuas virgines cuſtodiit impollutas, me quoque in ſuo timore cuſtodiat impollutam. Nouum autem & admirabile videbatur parentibus, quod cum eſſet id ætatis, talia diceret, Deum deſiderans.

*S. Apollinaris filia Anthemi.*

*Reſpuit nuptias.*

Imperator autem non parua affectus moleſtia ex his verbis, volebat nihilominus eam matrimonio coniungere. Cum ea autem perſiſteret in propoſito virginitatis, & viderent eius mentem eſſe adeò firmam & immobilem, paucis pòſt diebus eam adduxerunt ad Monachos (quoniam id obnixè petierat) quæ eam docuerunt pſalterium, & legere ſcripturas.

Quodam autem die rogauit parentes, vt eam dimitterent ad loca ſancta, vt oraret & adoraret ſanctam Reſurrectionem & Crucem venerabilem. Illi verò non habebant propoſitum dimittendi eã, quoniam eam ſtrictius amabant. Cum autem interiecto aliquo temporis ſpatio eis moleſta eſſet, iuſſit pater, vt ad eam deferrentur pueri, iancillæ, & aurum & argentũ, eaque in nauẽ impoſita his pueris conſequentibus, parentes dimiſerunt eam. Eis autem valefaciens cœpit nauigare. Cùm autem paucis diebus perueniſſent Aſcalonem, paucos dies illic manſerunt propter maris iactationem. Ipſa verò orans in omnibus Eccleſiis & Monaſteriis, eis quoque exhibebat quæ erant neceſſaria. Aliquot autem poſt diebus, cum ſeruis & ancillis venit in ſanctam ciuitatem, & adorauit ſanctam Reſurrectionem, & venerandam Crucem. Ibat verò aſſiduè ad Monaſteria virginum, & ad eos qui vitam agebant monaſticam, & ſuppeditabat eis, quæ erant neceſſaria. Elapſis autem aliquot diebus, cum ſuam compleſſet orationem, venit Alexandriam vſque, vt ad S. Menam oraret. Cùm autẽ in ciuitate manſiſſet pauos dies, ibat vbique in Monaſteria, & aſſiduè eis neceſſaria ſuppeditabat. In eo autem loco in quo habebat domum, inuenit vnam vetulam cui præbuit modicam benedictionem, & dixit ei. Accipe ſoror, & abi in Eccleſiam, & eme mihi vnum lebetonarium monaſticum, & ſimiliter humerale, & cucullam, & accipe etiam cingulum. Abiens verò vetula, ei hac in re inſeruiit. Cum ea autem attuliſſet, & accepiſſet, occultauit propter pueros. Quando autem voluit egredi ad Sanctum Menam, iis omnibus manumiſſis, dedit eis id quod erat ad victum neceſſarium, & eos dimiſit.

*Eccleſiis & Monaſteriis multas eleemoſynas elargitur.*

*Obſequio vetulæ cuiuſdã comparat ſibi monaſticum habitum.*

Cùm autem ſecum accepiſſet Eunuchum vnum, & vnum ſenem, naui venit in Lemnam. Cumque perueniſſent ad ædes Philoxeni, didicit is qui erat illic Paramonatius, venitque cum magno apparatu, dicitque ei procidens. Domina mea vbi iubes me manere donec aſcenderis, & tuam feceris orationem? Ipſa verò eum rogauit cum ſacramento, vt nihil ad ſe afferretur. Dicit autem ei. Fac officium charitatis. Affer ad me quatuor animalia, vt aſcendens adorem Sanctum Menam. Ille autem die ſequenti adduxit animalia. Ea verò dixit. Crede Domino, eis non inſidebo, niſi eorum mercedem dedero. Cumque dediſſet pluſquam dari conſueuiſſet, vale dixit œconomo. Ipſe autem receſſit accepta ab ea benedictione.

*Permiſſu parentum proficiſcitur Hieroſolymam.*

Cum ea autem aſcendiſſet, fecit vt agaſo etiam alterum animal aſcenderet. Cumque perueniſſent ad Sanctum Menam, eius venerabile monumentũ adorauerunt. Poſt hæc aſcendens in lecticam, habens intus veſtes monachicas, fecit vt ponè aſcenderet Eunuchus, antè autem lecticarius. Cœpitque beata orare cum eſſet intus, & à Domino Deo petere auxilium. Circa mediam autem noctem peruenit ad paludem prope fontem qui vſque in hodiernum dicitur fons Apollinaris. Cumque lecticæ pallas aperuiſſet, Dei prouidentia inuenit, ambos dormientes. Cumque ſe veſtibus exuiſſet mundanis, induit ſe monaſticis. Cumque ſe ſignaſſet, deiicit ſe è lectica, & ingreſſa eſt paludem. Deus autem effecit vt quandiu vixit, ad nutrimentum ei palma ſuffecerit. Cum autem lecticarius & Eunuchus excitati eſſent, & cognouiſſent eam non eſſe in lectica, valde ſunt admirati. Inuenerunt enim veſtes quas ferebat in lectica. Redeunteſque venerunt ad ſanctum, & œconomo de ea re retulerunt, eius quoque veſtes ei oſtendentes. Stupefactuſque ingreſſus eſt ciuitatem cum lecticario & Eunucho, & expoſuerunt Præſidi rem vniuerſam. Præſes verò perterritus ſcribit Epiſtolam ad patrem eius, ſignificans ei omnia conſequenter, miſſis etiam ejus veſtibus. Accepta autem eius epiſtola, & lecta fleuit amarè. Cùm verò vidiſſet veſtes filiæ, magis caligauit viſceribus, & cœpit flere cum matre eius & toto ſenatu.

*Latenter ſubtrahit ſe à ſuis, & degit in palude.*

*Palma ei vitam ſuppeditat.*

*Parentes de filiæ fuga certiores redduntur.*

Cum beata autem multos annos manſiſſet in palude, & ſtrenuè decertaſſet aduerſus diabolum, euaſit eius corpus tanquam pellis teſtudinis. Exeſum enim fuerat à culicibus, & conſumptum præ nimia abſtinentia. Quando verò Deus voluit eam facere dignam corona ſanctorum patrum, fecit vt ea egrederetur è palude. Ignorabatur autem ab omnibus eam eſſe fœminam, ſed putabatur Eunuchus. Apparuit verò ei in ſomnis qui dicebat. Si quis te interrogauerit quomodo voceris, dic, Dorotheus. Manè autem facto occurrit ei Sanctus Macarius, & dicit ei, Benedic pater. Illi autem data ſibi inuicem charitate, ambulabant in ſolitudine. Interrogauit verò Dorotheus dicens: Pater quis es? Ille autem dixit: Ego ſum Macarius. Is verò dixit: fungere officio charitatis. Sine me habitare cum fratribus. Annuens petitioni eius B. Macarius cellam ei præbuit. Cœpit autem eam tentare diabolus nocturnis viſionibus. Beata verò illa vehementer aduerſus eum decertabat, ne declararet ſe eſſe mulierem. In hac igitur cellula ſe ſupra modum exercebat, noctu diuque Deum orans.

*Corpus eius dureſcit ad modum pellis teſtudinis.*

*In ſomnis monetur Dorothei nomen accipere.*

*S. Macarius ei occurrit.*

*Accipit cellã à S. Macario inter Monachos.*

Quodam die Abbas Macarius venit in eius cellam, dixitque ei. Fungere officio charitatis bone frater, emitte nobis preces. Illa verò dicebat: Pater à te volo benedici. Cumque feciſſent preces ſederunt. Cœpit autem beatus Macarius inquirere quod eſſet ei nomen, & quam patriam haberet. Reſpondens autem dixit. Vocor Dorotheus, & cũ audiuiſſem de sãctis qui hic ſunt patribus, volui vnà cum eis habitare, ſi ſim dignus. Senex autem ſubiungens: Quodnam opus facis? Faciam, inquit, ſi quid me iubes. Is autem oſtendit ei vt faceret catenam. Deus verò volens oſtendere eius fortitudinem animi, non declarauit Abbati Macario eam eſſe fœminam: ſed is tanquam virum Eunuchũ

*Interrogat eius nomen & patriam S. Macarius.*

*Laborat manibus.*

*Clava miraculis.*

eam esse putabat. Multas autem curationes Deus per eam peregit.

*Soror S. virginis Apollinaris obsessa à dæmone.*

Processu autem temporis, dæmon qui est bonis infestus, aggreditur eius sororem, quæ vexabatur à dæmone: cœpitque eam dæmon lacerare, & dicere: Nisi me acceperitis, & tuleritis in solitudinem, ex ea non egrediar. Volebat enim dæmon eius sororem conuincere, quod esset fœmina. Deus verò obstruxit dæmonem ne de ea diceret. Puellam autem valde vrgebat dæmon, vt iret in solitudinem.

*Impeditur diabolus ne Apollinaris sexum declaret.*

Quidam igitur ex proceribus, videntes puellam tantopere vexari, consulunt Imperatori, vt eam mittat. Tunc Imperator, summopere desiderans filiæ suæ curationem, cum magno comitatu dimisit

*Soror eius vt curetur à dæmone, mittitur in solitudinem.*

ad patres in solitudinem. Cum igitur ij venissent B in Scetem, cognouit Sanctus Macarius propter quam causam aduenissent in loco illo: eisque progressus obuiam, excepit eos, dicens: Quid huc accediti, ô filij? Illi autem respondentes dixerunt: Pius noster Anthemus Imperator misit filiam suam, vt

*Ducitur ad cellam Dorothei.*

per Deum curetur, & preces vestras. Cum eam autem accepisset à cubiculario, deduxit eam ad abbatem Dorotheum, dixitque ei: fungere officio charitatis, quoniam est filia Imperatoris, & opus habet patrum precibus, & vestris. Ora pro ea, vt curetur, hæc est enim merces tua.

*Humilitas S. Virginis.*

Hæc autem cum audiisset cœpit flere, & dicere. Quisnam ego sum peccator, quod de me talem cócepistis opinionem? flexisque genibus dicebat: con- C cede mihi pater, vt peccata mea defleam, multa enim sum. Ego enim sunt imbecillus planeque rudis, & ignarus ad hanc rem. Verum cum multum

*Agnoscit eam esse suam sororem.*

rogaretur à Macario, dixit: fiat voluntas Dei. Et mota pœnitentia, & misericordia, eam accepit in cellam, & nouit eam esse sororem, flensque conquieuit. Eam autem amplexa dixit: Benè venisti soror. Dei verò opere fuit os obstructum dæmoni,

*Compescit dæmonem.*

ne argueret ancillam Dei quod esset fœmina. Cum autem dæmon eam affligeret: per preces eum domuit.

Quadam autem die cum dæmon eam plus solito affligeret, manus extendens in cœlum, & flens, Deum rogauit pro sua sorore. Tunc clamans dæ- D mon voce magna, ô vi pulsus à te egredior. Eaque

*Oratione dæmonem à sorore pellit.*

prostrata est egressus. Cum eam autem accepisset, ducit sanam ad Ecclesiam ad patres: Ignoscite mihi quod inter vos peccauerim. Illi autem data pace vocantes homines Imperatoris, eis sanam tradiderunt Imperatoris filiam, Deumque glorificauerunt videntes magnam puellæ modestiam. Beatus autem Dorotheus se magis humiliauit supra modum exercens in vigiliis, & abstinentiis.

*Apollinaris sororem diabolus prægnantem apparere facit.*

Diabolus autem inuidens eius sanctitati, rursus subit Imperatoris filiam, & facit vt prægnans appareat. Cœpitque Imperator affici magno dolore, & eam interrogauit dicens: Ex quo es prægnans? Ea verò nihil aliud respondit nisi hoc solum: nescio E vndenam hoc mihi acciderit. Imperator verò eam magis vrgebat. Tunc ei Sathanas hanc suggerit cogitationem, quod Monachus qui eam circunducebat, eam prægnantem reddiderit. Tunc magno furore succensus Imperator, misit ad perdẽdum illum locum. Cum autem principes quàm celerrimè abiissent in Scetem, quærunt intelligere ea quæ illic fiebant dicentes: date nobis Monachum, qui prægnantem reddidit filiam Imperatoris. Sanctus autem Dorotheus his verbis auditis in medium processit dicens: Ego sum. Afflicti sunt autem patres, & dicebant: nos quoque tecum ibimus. Illa verò dixit: Domini mei solummodo

*Tãdem fraude dæmonis dicit se stupratam fuisse à Monacho, qui eam curauerat. Mittuntur qui Monachum, & cæteros exterminent.*

Peruc

Cum illi igitur ad Imperatorem peruenissent: procidit ad eius pedes Dorotheus dicens. Rogo tuam pietatem, vt cum silentio audiat de tua filia. Eamus seorsum, & ego vobis narrabo omnia. Non est enim ei allatum vitium, nec habet quicquam mali. Absit. Postquam autem iuerunt seorsum ipsa, & parentes eius, dixit eis. Per Dominum promittite mihi quod si cognoueritis veritatem dimittetis me in locum meum. Quod cum ei promisissent, Imperator nempe, & vxor eius, dixit eis. Qui post Deum sanam fecit filiam vestram, est mea humilitas, per patrum preces. Illi verò his auditis obstupefacti manserunt muti, & attoniti. Ego, inquit, de hac re vos faciam certiores: apertoque collo sui colobij, ostendit suas mammas, & dixit. Pater ego sum tua filia Apollinaris. Audientes autem hoc parentes, obstupuerũt, nec potuerunt se continere quin multas effunderent lacrymas. Adduxerunt igitur sororem eius, & dixerunt ei. Nostine hunc? Illa verò respondens dixit. Reuera hic est ille Eunuchus, qui post Deum me sanauit, & procidens ad eius pedes, rogauit eum de suo vtero. Qui cum eam erexisset, & eius vtero manum imposuisset, eam sanauit. Cum autem vidissent, admirati sunt, & glorificauerunt Deum dicentes: verè hæc est filia nostra Apolli- C naris. Fuit autem fletus cum gaudio in aula Imperatoris.

*Apollinaris quæ & Dorotheus, ducitur ad Anthemum.*

*Declarat suis parentibus se eorum esse filiam, ostendens eis mammas.*

*Agnoscitur à sorore, de qua expulerat dæmonium. Solo tactu vteri sororis tumefactionẽ sanat.*

Cum autem paucos dies versata esset apud parentes omnia eis narrauit. Et rogauerunt eam vt cum eis maneret. Verum propterea quod ei promiserant, eam cum multis lacrymis emiserunt. Quæ cum venisset in Scetem, susceperunt eam patres, & Deum laudauerunt quod rediisset frater eorum sanus, & diem festum ei fecerunt.

*Valedicens, parentibus redit in Scetem.*

Paucis autem post diebus, quando cognouit se esse è mundo exituram, dicit Abbati Macario. Quando contigerit me è vita excedere, ne me componant Monachi. Is verò dixit. Quomodo potest hoc fieri? Ea autem consummata, venerunt sancti patres vt sanctum eius corpus lauarent. Viderunt autem eam esse fœminam, & exclamauerunt dicentes: Gloria tibi Christe, qui multos habes sanctos occultos. Admiratus est autem Abbas Macarius, quod hoc sibi non fuisset reuelatum. Vna verò nocte videt visionem quæ ei dicit. Ne angaris propterea: oportet enim te coronari cum sanctis patribus qui sunt à seculo. Tunc ei narrauit vitam, & nomen beatæ. Allatisque sanctis eius reliquiis, eas posuerunt ad Orientem sanctæ Ecclesiæ, in antro Abbatis Macarij cum gaudio, & gloria vsque in hodiernum diem per Deum, & sanctos patres, & post Sanctæ dormitionem peraguntur curationes gratia, & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria, & potentia in secula, Amen.

*Tandem moritur S. Apollinaris.*

*Reuelatur in somnis eius vita S. Macario. Honorificè sepelitur.*

## *NOTÆ.*

Apollinaris.] *De ea Mart. Rom. cum Baron. in Notis 5. Ianuarij. Eius res gestas edidit Metaphr. de quibus lectorem admonitum velim, inesse ibi errorem dum filia Anthemij Imperatoris dicitur, qui post Seuerum imperauit in Occidente. Sciat potius hanc fuisse genitã ab Anthemio Cõsulari viro Religiosissimo, qui sub Archadio Imperatore gessit Consulatum, ad quem extat Ioannis Chrysostomi Epist. 147. cuius & Theodoretus meminit in lib. de Vita Patr. c. 8. Habitus est autem hic velut Imperator, dum defuncto Archadio, pro Theodosio impubere administrauit Imperium.*



Peruenit Ascalonem.] *Est Ascalon ciuitas Palæstinæ.*

Venit in Lemnam.] *Aliàs Lemnos insula in Ægæo mari; in ea colebatur Vulcanus Deus ignis. A Lemno, teterrima quæque facinora apud Græcos Lemnia appellantur. Et Lemnia terra, exsiccandi vim habens, in eaque caprinus sanguis miscetur, & idcirco rubrica appellatur. Vide Ambros. Calep.*

Dixit œconomo.] *Dicitur œconomus, tam pecuniæ quàm frugum, & omnium quæ Dominus possidet dispensator, & rei familiaris administrator.*

Agaso.] *Est equorum vel asinorum ductor, quem vulgus,* vn laquais, *appellat.*

Venissent in Scetem.] *De Ægypti Eremo Scethi, quæ & Scythiæ dicitur, frequens est mentio apud Palladium in Lausiac. Euagr. Cassian. Sozomen. Nicephorum, & alios. Est etiam Scethis prouincia in Ægypto, item etiã ciuitas. Vide Baron. in Notis Martyr. 21. Martij. F.*

## *VITA SS. ANDRONICI ET Athanasiæ, eius coniugis, Eremitarum. Ex Simeone Metaphraste.*

IN diebus Theodosij magni Imperatoris, erat in vrbe Antiochia iuuenis quidam Argentarius nomine Andronicus, accepit au-

*Andronicus & Athanasia pleni operibus bonis.*

tem vxorem filiam Argentarij, nomine Ioannis. Erat verò eius nomen Athanasia, id est, immortalis, & factis & cogitatione. Erat autem Andronicus valde pius, & plenus bonis operibus. Similiter verò eius quoque vxor, erant autem valde diuites. Sic verò vitam suam agebant. Argentariam & facultates suas in tres partes diuiserunt: vnam quidem in rationem pauperum, & aliam in rationem Monachorum, & aliam in rationem facultatum & officinæ. Vniuersa autem ciuitas amabat Andronicum propter eius modestiam.

*Facultates suas partim sibi, partim Monachis & pauperibus distribuunt.*

Cognouit autem suam vxorem, & cum concepisset, peperit filium, & nominauerunt eum Ioannem. Cùm verò adhuc in vtero concepisset, peperit filiam, & nominauit eam Mariam: neque amplius appropinquauit vxori Andronicus. Dominico, & die secundo, & quarto, & in parasceue, à vespera vsque ad matutinum ibat Andronicus ad lauandos viros suos fratres. Similiter autem eius quoque vxor ad lauandas mulieres. Post tempus verò duodecim annorum ingressa est quadam die Athanasia, à voluntario illo labore ad vidẽdos suos filios, & inuenit eos spirantes. Illa autem conturbata, lacrymabatur propter infirmitatem eorum. Andronicus autem cum hæc resciuisset, iuit extra ciuitatem ad precandum Sanctum Iulianum, (illic enim iacebant eius parentes) & reuersus audit eiulatum & tumultum qui fiebat domi suæ. Ille verò conturbatus cucurrit, & inuenit omnem ferè ciuitatem domi suæ, & pueros mortuos.

*Ioannes & Maria, proles Andronici & Athanasia.*

*Vacant operibus misericordiæ.*

*Moriuntur filius & filia Andronici.*

Andronicus igitur hanc afflictionem patientissimè tulit, licet vxor impatientissimè: verumtamen propter quandam visionem, luctum mutauit in gaudium, narrauitque viro suo, & dixit: Si me audias, coniicies me in Monasterium, & deflebo peccata mea. Dixit autem ei. Abi, proba tuam cogitationem vna hebdomada, & si permanseris in hoc proposito, loquemur. Illa autem cum rursus venisset idem dixit. Beatus verò Andronicus accersit socerum suum, & tradit omnes suas facultates, dicens: Ad sancta loca proficiscimur ad adorandũ. Si quid ergo nobis acciderit humanitus, habebis has facultates, vt de eis facias quod tibi videbitur.

*Athanasia impatientius ferens eorum mortẽ, in visione consolatur, propterea proponit valedicere mundo, similiter & Andronicus.*

Rogo ergo te vt rectè agas cum tua anima, & ex iis quæ hic sunt fac Nosocomium, & Xenodochiũ Monachorum, & manumissis seruis suis dedit eis legata, & acceptâ parua benedictione, & duobus equis, exiit noctu ex ciuitate, ipse & vxor eius soli. Et cum ad loca sancta venissent, adorauerunt, & cum multos patres conuenissent, veniunt ad Sanctum Menam Alexandriæ.

*Ex suis facultatibus Nosocomium, & Xenodochium construi curant. Pergunt Hierosolym. & inde Alexãd.*

Post hæc Andronicus relicta vxore sua descendit ad Scetem. Et cum adorasset patres in Laura, audiuit de Abbate Daniele. Et cum eò accessisset, non sine magna difficultate eum potuit conuenire. Seni verò omnia exposuit. Qui cum dedisset Andronico litteras, iussit vt relinqueret vxorẽ in Mo- B nasterio Tabennesiotarum. Reuerso verò Andronico dedit senex habitum, & docuit quæ ad statum pertinent monasticum, & mansit apud eum annos duodecim.

Post duodecim autem annos rogauit senem, vt se dimitteret ad loca sancta. Ille verò benè precatus eum dimisit. Andronicus autem iter faciens per Ægyptum, sedit sub spina, vt animam recrearet ab æstu. Ecce autem ex Dei dispensatione veniens in habitu virili eius vxor, quæ ipsa quoque ibat ad sancta loca. Cumque se inuicẽ salutassent: cognouit columba coniugem. Ipse verò quomodo potuisset cognoscere talem quæ emarcuerat pulchritudinem, & quæ videbatur vt Æthiops? Dicit C ergo ei. Quò vadis Domine Abba? Ad sancta loca, inquit. Et ipsa: Ego quoque volo illuc ire. Si velis, (inquit ipsa) eamus ambo simul. Sed tanquam non simul simus ingrediamur silentio. Dicit Andronicus. Vt iubes. Et illa. Non es re vera discipulus Abbatis Danielis? Ipse verò, Maximè. Cùm autem simul ingressi essent, & adorassent sancta loca, reuersi sunt Alexandriam. Andronicus verò ex voluntate Athanasij perrexit ad Sanctum Danielem, vt videret eum, interim autem eum expectabat Athanasia, vt simul manerent. Eo autem reuerso D cum inuenisset Abbatem Athanasium, manserunt simul timore Dei muniti, alios duodecim annos, & non cognouit Abbas Andronicus eam esse suam coniugem. Sæpe ergo ascendebat senex ad eos visitandos, ea illis differens quæ pertinebant ad vtilitatem. Semel autem cum ascendisset senex, & eos valere iussisset antequam iret ad Sanctum Menam, venit ad eum Andronicus, dixitque ei. Abbas Athanasius vadit ad Dominum. Reuersus verò senex inuenit eum magnis compressum angustiis, & cœpit flere Athanasius. Ei autem dicit senex. Cum te oportet gaudere, quod migras ad Dominum, lacrymaris? Dicit ei Abbas Athanasius. Non ploro nisi propter Andronicum. Sed fac hanc charitatẽ postquam me sepelieris. Inueniens schedulam sitam ad caput meum, lege eam, & da ipsi Abbati Andronico. Cumque ipsi preces dixissent, commu- *Susceptis sacramẽtis moritur S. Athanasia absente Andronico.* nicauit, & dormiit in Domino. Venerunt autem ad ei faciendas exequias, & ecce inuenta fuit sexu mulier, & auditum fuit in tota Laura. Et mittens senex accersiuit vniuersam Sceté & interiorẽ solitudinem, & venerunt omnes Lauræ Alexandriæ, & conuenit vniuersa ciuitas, & Monachi Scetæ. Cum ramis ergo & palmis extulerunt venerandas reliquias Athanasiæ Deum glorificantes, qui tãtam tolerantiam præbuit mulieri. Mansit autem Andronicus in eadem cella, & quamuis senex eum secum vellet accipere, non sustinuit dicens: Moriar cum mea Domina. Cum autem aliquot dies ibi mansisset, venit ad Danielem frater dicens: laborat Abbas Andronicus, & est redactus ad angustias. Se-

*Occurrunt sibi Andronicus & Athanasia. Ipsa cognoscit virum, sed nõ cognoscitur ab eo.*

*Pergũt simul Hierosolymã.*

*Degunt inuicem per spatium duodecim annorũ.*

*Omnes patres ad exequias eius conueniunt.*

nex hæc audiens misit in Scetem, dicens: Adeste huc venientes. Abbas enim Andronicus sequitur Abbatem Athanasium. Illi autem cum audiuissent, accesserunt, & inuenerunt eum viuentem. A quo cum accepissent benedictionem, dormiit in Domino, sepultusque est à patribus cum magno honore.

*Etiã migrat ad Dominum Andronicus & honorificè à patribus sepelitur.*

N O T Æ

Andron. & Athan.] *De eis Mart. Rom. cum Baronio 9. Octob. & Græci in Menologio hac die. Agunt præterea de eis quidam recentiores.*

Audiuit de Abbate Daniele.] *Existimo hunc esse Danielem, cuius egregiam collationem describit Cassian. Multa præterea de eodem reperiuntur in Vit. Pat. Eusius eius res gestas scripsit Petrus in Cat.*

In Monasterio Tabennesiotarum.] *Fuit insigne Monasterium Virginum in Ægypto, à S. Pachom. constructum.*

## VITA S. EVTHYMII EREMITÆ.
### Ex Cyrillo Monacho.

CVm impius paulò ante Iulianus miserè cum Imperio vitam quoque amisisset, & deinde paulo post Imperium delatum fuisset ad Valentẽ, bella difficilia propter acerbam Arrij communionem circunsistebant omni ex parte Ecclesias; & cum cessasset paganismus, Arrianismus admodum inualescebat, & apertè laborabant Ecclesiæ. Erat autem Melitenæ, quæ est vrbs Armeniæ ad Euphratem, quidam nomine Paulus, cui vitæ consors erat coniux nomine Dionysia, ambo clari & virtute & genere. Cum verò esset sterilis & careret liberis, id ducebat non moderatum esse infortunium, neque parua dignum sollicitudine, sed grauibus curis angebatur. Cum sic ergo se haberet, & tali premeretur calamitate, ad propinquum diuini Polyeucti martyris templum veniens cum coniuge, in eo perseuerarunt multis diebus in oratione. Petebant autem vt sibi soluerentur vincula sterilitatis, & rogabant vt fructum ex se natum viderent. Noctu autem eis aliquando orantibus diuina quædam apparet visio dicens: Estote, estote bono animo. Dat enim Deus vobis filiũ, qui à bono & tranquillo animo, nempe Euthymius, nomen accipiet, & eo dignos mores est habiturus. In illius autem ortu animi quoque tranquillitatem dat Deus suis Ecclesiis. Atque illi quidem domum redierunt, & se quod natum fuerit Deo esse dedicaturos professi sunt.

*Paganismo cessante inualescit Arrianismus.*

*Paulus & Dionysia steriles rogãt pro habenda prole.*

*In somnis promittitur eis filius nomine Euthymius.*

Paulo post autem vteri quoque tumor cõceptum confirmabat, & Dionysiæ animus implebatur lætitia. Deinde cum eis natus esset puer quarto Consulatu Gratiani, eum quidem congruenter visioni nominant Euthymium. Visionem autem res quoque est consecuta: & componi cœpit bellum aduersus orthodoxos, & à difficili tempestate iam respirabant Ecclesiæ, & vir illucescebat pietatis, & ad animi tranquillitatem res tristes eis conuertebantur. Nam cum tempore Constantij Ecclesias vexasset persecutio, & tempore Iuliani tyranni, vt iã prius diximus, & Valentis, qui fuit Imperator oriẽtis, non minus quàm quadraginta annos Arriani ingentes efflassent spiritus aduersus pietatem, Euthymio iam nato, compositæ & sedatæ fuerunt res omnes tristes Ecclesiarum. Valens enim, cum nondum aduenisset quintus mensis post ortum Euthymij, exercitum ducens aduersus barbaros, qui securè vexabant & populabantur Thraciam, cæsis copiis, ipse quoque postea luit pœnas quas eius merebatur impietas. Ad quendam enim vicum fugientem, qui erat circa Adrianopolim, incursiones facientes barbari eum turpiter capiunt, & vnà cum vico incendunt, hic ignem qui est ad tempus accipientem, veluti præmium ignis qui est illic futurus.

*Nascitur Euthymius.*

*Valens Imperator Arrianus capitur à Barbaris, & incendio concrematur.*

Tertio autem post anno Paulus Euthymij pater è vita excedit. Sola verò cum filio mater viduaque relicta, accedit ad fratrem Eudoxium, filium adducens, quem quidem Otreius, qui Melitinensi præerat Ecclesiæ, suum fecerat confessorem, & cum ante eius genua posuisset puerum; rogabat vt & infantis & sui misereretur, & ad Otreiũ puerum adduceret, & ei pro patre dedicaret. Atque mater quidem videt suam petitionem sibi successisse ex sententia, & puer fuit dedicatus Otreio, & per eum Deo sicut antè ab Anna Samuel. Deinde cum eum baptizasset, & pilos, qui ex lege tondentur pueris totõdisset, in gradum lectorum eum cooptat. Atque matrem quidem Dionysiam, vt quæ diuinis vacaret assiduè, Diaconissam ordinat suæ Ecclesiæ.

*Paulus Euthymij pater moritur.*

*Otreio Melitinẽsi Ecclesiæ Episcopo traditur Euthymius.*

*Baptizatur.*

*Lector efficitur.*

*Dionysia mater Euthymij Diaconissa ordinatur.*

Cum itaque Euthymius sic ab ineunte ætate Deo fuisset dedicatus, & in Ecclesiasticum catalogum cooptatus, statim consequenter Theodosius ille magnus potitur Imperio, & sic vno & eodem tempore Deus admirabiliter, & præter opinionem, tam ciuilibus rebus quàm Ecclesiæ pacem conciliat: illis quidem præbens Theodosium, his verò largiens Euthymium, adeò vt in eis consequenter res quoque conuenirent nominibus. Procedente autem tempore cùm iam excessisset ex infantia: litterarum magistris eum tradit Episcopus. Puer itaque his traditus cùm vberem doctrinæ sementem in animi sinus accepisset: breui fructum plurimum & supra ætatem produxit.

*Theodosius Imperat.*

*Traditur Euthymius litteris imbuẽdus.*

Cum sic autem fuisset educatus & institutus, & processisset per omnem graduum consequentiam, & ab eo qui tunc erat Episcopus Melitenes, inuitus eum tradente virtute ordinatur, & eius fidei committitur cura Monasteriorum quæ erant in ciuitate. Sed quoniam quietis & silentij ab ineunte ætate magnum tenebat eum desiderium, veniebat assiduè ad diuini martyris Polyeucti Monasterium, & triginta trium Sanctorum Martyrum, & longissimo tempore in eo versabatur. Porrò autem ab ipsa quoque ciuitate omnino secedebat, & honoratos dies ieiuniorum in monte propinquo transigebat. Cum hæc ita se haberent, & ita diu ante esset quietis amator Euthymius, clàm ex vrbe egressus ætatis suæ anno vigesimonono, ad adoranda sacra & veneranda loca prompto & alacri animo vadit Hierosolyma. Cum autem conueniisset patres qui erant in solitudine, & didicisset institutum vitæ vniuscuiusque, euadit eius impetus acrior, & similis vitæ degendæ vehementiori punctus stimulo, illinc peruenit ad Pharam lauram, quæ sex milliaribus distat Hierosolymis. Et cum extra lauram inuenisset quandam cellam quæ erat valde apposita ad quietem & silentium, illic de cætero versabatur, palmarum ramos in ea texens, sibi & egentibus suos labores communes efficiens.

*Ordinatur Sacerdos S. Euthymius.*

*Valde anhelat ad vitam solitariam.*

*It Hierosolymã, vt visitet loca sancta.*

*Degit in cella, & ex labore manuũ sibi victum acquirit.*

Erat autem quidam ex eius vicinis nomine Theoctistus, qui eandem vitam quam ille exercebat. Amor verò rerum similium, & laborum societas, ita eos colligauit vinculo charitatis, & vsque adeo sunt inter se contemperati dilectione spiritus, vt vterque eorum esset positus in anima alterius, & quæ

*Amicitia inter Euthymium, & Theoctistum.*



quæ alter eorum sentiret, ea etiam cordi essent alteri. Cum ergo esset tam fraternus inter eos consensus, in Cutilæ solitudinem peruenerunt, octauo die post festum luminum separati quidem ab omni humana consuetudine: cum Deo autem solo versantes per precationem, & totum tempus, quod intercedebat transigentes in solitudine, donec aduenisset festus dies palmarum. Tunc enim vterque reuertebatur in cellam. Morum autem benignitate, & simplicitate, & insigni humilitate magnus excellebat Euthymius, & ideo in dies ei crescebat ad Deum fiducia, & abundantiorem gratiam euocabat spiritus. Cum autem quinque annos transegissent in Pharam, illinc recedit cũ Theoctisto consueto eis tempore secessus, & accedentes per solitudinem ad præcipitem quendam, & profundum torrentem, offendunt magnam quandam speluncam ad boreale torrentis præcipitium, veluti tracti à quadam manu deducente. Ea ergo de causa læti animis, illic suam faciunt habitationem, quod quidem cum esset prius ferarum refugium, sacrum templum postea factum est, & Sanctorum habitaculum. Atque diu quidem latuerunt in spelunca, nec vllus ad eos accedebat, nec aliquid eis impertiebat, quod esset ad vsum necessarium, sed solis quæ propè natæ erant herbis, vt licebat, alebantur. Cum autem celari illorum virtutem Deus non amplius sustinuisset, sed vellet potius eos quoque esse aliis causam salutis, hoc in eos vtitur consilio & prudentia. Quidam pastores Lazarij adducunt aliquando oues ad torrentem. Et cum obtutum in speluncam immisissent, vident eos imminentes capiti. Repentino autem, & non solito territi spectaculo, ij quidem se protinus in pedes coniicientes fugiebant. Illi verò eis timorem dementes, voce qua potuerunt benignissima, ne timeatis, ô fratres, dicebant, ne timeatis. Nam nos quoque ipsi homines sumus: etiam propter peccata nostra præsentem locum habitare constituimus. Tunc autem pastores ausi ad eos accedere, & ingressi speluncam, cum nihil inuenissent eorum quæ sunt vtilia corpori, reuersi sunt valde admirantes, & suis singula aperuerunt. Deinde verò non cessarunt de cætero incolæ Lazarij eis ministrare quæ sunt necessaria.

*Habitant in deserto Cutila Euthymius & Theoctistus.*

*Humilitate præcipuè decoratur Euthymius.*

*A Pharam recedentes Theoctistus, & Euthymius, habitãt in spelunca præcipitis cuiusdam torrentu.*

*Vescuntur herbis.*

*Inueniuntur à pastoribus qui eis necessaria subministrant.*

Cum autem de iis quoque quæsiissent Pharæ habitatores, & didicissent vbinam habitarent, assiduè ad eos ventitabant. Et primum quidem duo ex fratribus ad eos accedentes, Marinus, & Lucas, non sunt amplius reuersi, sed à verbis eorum, & virtute captitã quam ab aliquibus Sirenibus, se ipsis tradunt tanquam patribus, & animarum curatoribus. Cum talis fama Euthymij breui tempore in omnem partem peruaderet, multi ad ipsum quotidie confluebant, & rogabat vnusquisque eorum vt cum ipso habitaret. Sed ille volens habere purum, & immixtum bonũ quietis ac silentij, omnẽ eorum qui adueniebant curam beato commisit Theoctisto. Nobis autem iam deinceps incipit oratio pergere res gestas huius viri sancti.

*Multi ad eos confluunt, eorum se magisterio subdentes.*

Erat apud Persas quidam Græcus nomine Aspebetus, qui fuerat dux tribus Sarracenorum. Cum autem circa finem regis Isdegerdi, mota esset à magis persecutio aduersus Christianos, constituunt, vt nullus Christianorum possit confugere ad Imperium Romanorum. Hic itaque Aspebetus, videns tantam in Christianos incursionem, & insaniam, & motus misericordiã eorum calamitatis, non solum non prohibuit quominus fugerent, sed eis quoque manum præbuit adiutricem. Qua de causa accusatus apud Regem Isdegerdem, illius veritus crudelitatem, acceptis protinus suis facultatibus, cognationeque, & puero Terebone, transfugit ad Romanos. Cũ is ergo sic ad Romanos accessisset, eius quidem filius Terebon, cum esset adhuc impubes atque adeo puer, percussus erat flagello dæmonis, vt qui dexteram partem corporis ex dimidio haberet siccam. Hoc autem ei ita se habebat à capite vsque ad pedes, adeo vt cum pater magnam partem facultatum consumpsisset in medicos, Terebon ex arte illorum nullum acceperit adiumentum.

*Perfecutio mota aduersus Christianos ab infidelibus.*

*Aspebetus quõdam Dux Sarracenorũ adiuuat Christianos vt fugiant ad Imperium Romanorum.*

*Declinãs furorem Regis Isdegerdis Aspebetus etiam cum suis transfugit ad Romanos.*

Postquam verò migrarunt in Arabiam, videt puer in somnis quendam Monachum cui barba pendebat hispida, quique iam senescebat, eum rogantem quisnam esset morbus. (Is autem erat magnus Euthymius qui apparuit, iussitque vt ad eum veniret in solitudinem.) Cum autem puer visionem patri narrauisset, statim eum accipit, & multos ex iis qui eius imperio parebant barbaris, venit ad speluncam Euthymij, & Theoctisti. Nam vt eò veniret præcipiebat visio. Atque fratres quidem cum tantam vidissent multitudinem, inuasit animi angor & metus. Sed beatus Theoctistus cum illum timorem eiecisset ex animo, audenti animo accedit ad barbaros, & rogat cuiusnam rei opus eos huc adduxisset. Illi autem, venimus, dixerunt, ad videndum Euthymium. Beatus verò Theoctistus. At ille nunc quiescit, & silet, & neque vsque ad Sabbathum veniet in alicuius conspectum, neque ad colloquium cum aliquo. Tunc Aspebetus manus accipiens ostendit ei filiũ, qui erat semiaridus. Deinde etiam filio annuit superciliis. Ille autem incipiens, rem omnem narrat ordine.

*S. Euthymius in somnis apparet Terebonì filio Aspebeti.*

*Veniũt Aspebetus, & Terebon ad speluncam viri Dei.*

Cum omnia autem audiuisset Theoctistus; & visionem vt apertum Dei gratiæ indicium esset admiratus: Euthymio interrupit quietem ac silentiũ, & omnia recenset ordine. Ipse autem cum sibi persuasisset eam rem diuino quoque geri consilio, statim descendit ad barbaros. Cumque vehementer orasset pro puero, & ei figuram Crucis imposuisset, eum valentem, & omnino sanum efficit. Stupent barbari id quod factum fuerat, & statim fiunt fideles. Quocirca proni humi cadentes rogant illam sanctam animam, vt Christi obsignentur signaculo, & partem Christianorum consequantur, & nomen.

*Crucis signo Terebonem semiariduin sanat.*

*Conuertuntur Barbari.*

Non erat omnino viri pij, & Deum amãtis cunctari in rebus huiusmodi. Neque ergo fuit Euthymio in his rebus vlla cunctatio. Sed cum vidisset eos corde potius quàm ore sacrum baptisma postulantes, iubet paruam piscinam fieri in quodam angulo speluncæ, quæ quidem consistit vsque in hodiernum diem. Cumque dixisset preces quæ dici consueuerunt, primum quidem baptizat Aspebetũ, eum Petrum nominans. Deinceps autem Marin, fratrem vxoris Aspebeti, deinde autem Terebonem, & post ipsum reliquos. Quos cum quadraginta dies apud se detinuisset, & monuisset, pietatemque ac religionem accuratè docuisset, eos dimittit in pace.

*Baptizantur ab Euthymio, & in fide instruuntur.*

Cum autem miraculum esset dispersum per multas partes solitudinis, multi qui morbis laborabant, & ægritudinibus, ad diuinum Euthymium vndequaque confluebant, & sic sine mercede promptamque ac facilem colligentes curationem, læti reuertebantur. Quamobrem sic breui per totam clarus euasit solitudinem, vt ne eius quidem nomen tota caperet Palæstina: sed transiret etiam

*Sanat multos egrotos.*

ad

*Declinans fui nominis famam fugit & latitat in deserto Rubæ.*

ad eas quæ erant circumcirca præfecturas, & in eis valde celebraretur. Et ideo statuit ad Rubam secedere clanculum. Nam assumpto secum quodam cui nomen erat Domitianus, qui erat quidem genere Melitenus, virtutis autem amator, vna cum eo egreditur, cum id nemo sensisset, & in solitudinem Rubæ quæ vergit ad austrum, venit iuxta mare mortuum. Et deinde in altum quendam montem, & remotum ab aliis montibus ascendit, qui appellatur Marda, transmigrans in mõtes sicut passer. Quo quidem in monte cum inuenisset puteum, & humi iacta ædificia, templumque excitasset, & erexisset altare, in eo versatur aliquo tẽpore, ea quæ sunt corpori necessaria ex iis quæ sunt illic herbis comparans, & tanquam mensa splendida eis vtens. Deinde cum eum subiisset quædam cogitatio ingrediendi in solitudinem Ziphon quæ est propè vicum Aristobuliadem, ad videndum illas speluncas, quæ olim Dauid acceperunt cum eum persequeretur Saul: cumque venisset, & locus ei placuisset, illic construxit Monasterium.

*Construit tẽplum, & altare.*

*Vescitur herbis sponte nascentibus.*

*Secedit in desertum Ziphon, vbi cõstruit Monasterium.*

Frater erat in Laura Romanus genere, nomine Æmilianus, qui bonam vitam exercebat, modestiamque ac moderationem, vel maximè ex ipsa amplectebatur adolescentia. Et noctu aliquando cum esset dies Dominicus, inimicus ex carne graue bellum commouit. Qui cum desperasset se posse perpetuo resistere: cessit & succubuit cogitationibus. Cum ita se haberet, & ab ea perturbatione animi obsideretur, mane fit obuius sancto venienti ad synaxim. Ex eo autem quidam teter odor exibat, qui grauem illam animi perturbationem illi magno significat. Cum eum ergo diuinus esset odoratus Euthymius, & cognouisset insidias, increpat malum dæmonem, qui ei exhibebat molestiam. Et statim frater quidem humi iacebat, seipsum conuellens, lacerans, & spumas ore expuens. Ad eum autem multi conuenerunt Monachi. Cum itaque lumen magnus iussisset afferre Euthymius. Videte fratrem, ô patres, inquit eis, quemadmodum cum ab ineunte ætate in virtute viueret, & temperantiæ curam ageret, nunc vexetur, propterea quod parum cesserit impudicis carnis cogitationibus. Efficiamini ergo vos illo meliores. Cæterum, inquit, Deum rogemus, vt is à talibus liberetur insidiis. Et ille quidem statim pro fratre est precatus. Locus autem fuit statim tetro odore plenus veluti ardentis cuiusdam sulphuris, & terrum illum odorem vox est consecuta. Ego sum, dicens, spiritus fornicationis, & deinde surrexit frater temperans & sanæ mentis, vt qui ex illo tempore sit ipse factus vas electionis. Circa illud autem tempus cum terra laboraret siccitate, propterea quod non plueret, & quæ erant in Laura cisternæ essent iutus aridæ, & plenæ puluere: valde afflictabantur fratres. Et cum magno accedentes Theoctisto rogabant Euthymium, vt cœlum per preces aperiret, & illinc aquam ad eos deportaret, qui siccitate mirandum in modum laborabant. Ille autem id non in animum inducebat, eam rem vocans Dei disciplinam, & inflammationem inuectam propter peccata. Et sic differebat Deum rogare propter suam insignem modestiam. Cum autem intenderetur flagellum, siccitasque, & pluuiæ inualescerent defectus, & deinde etiam vici qui erant circumcirca grauiori premerentur necessitate, quãdo erat dies octauus sanctorum Theophaniorum, & iam aduenerat dies præfinitus quo is exibat in vastam solitudinem, innumerabilis ad eum confluit multitudo, cruces habens in manibus, & Kyrie eleyson, id est, Domine miserere, de more, non ore solum, sed labris quoque cordis inuocans. Ille autem flexus illorum precibus, & cùm populo quidem præcepisset, vt intensè oraret, ipse autem assumpsisset ex Monachis eos qui erant præsentes, ingreditur cum ipsis oratorium. Cúmque seipsum humi proiecisset, Deum orabat cum lacrymis. Deus verò exaudiit orationem, statim audiebatur sonus vehementis spiritus, & aër implebatur nubibus, & erumpebant tonitrua, vehemensque magno impetu cadebat pluuia, & affluentibus aquis terra inebriabatur. Cum ille ergo surrexisset, & se turbis ostendisset: Ecce, inquit, Dominus vestris precibus exauditis, visitauit terram sua visitatione, & eius sulcos inebriauit, & vt eam ditaret multiplicauit. Benedicet autem coronam anni huius supra alios, & implebuntur campi pinguedine, & valles multiplicabunt frumentum, & accingentur colles exultatione. Ille autem cum hæc dixisset, dimittit multitudinem. Mox verò secutus quoque est euentus prædictionis, & terra lætata est in suis visceribus germinans.

*Precibus à Deo impetrat pluuiam.*

De hoc admirabili viro refertur, quod erat aduersus omnes qui non rectè sentiebant, magno & ardenti zelo, maximè autem Manichæos, & eos qui nugas tuentur Origenis. Qui cum multi tunc essent in locis quæ sunt circa Cæsaream, & ad ipsum etiam venirent pietatis prætextu, erat, tanquam leo aduersus vulpes, sermone inexpugnabilis, & qui sustineri non poterat, quæ ex diuinis scripturis sumebantur demonstrationibus eos validè comprimens, & suffocans. Quinetiam aduersus eos qui Arrij, & Sabellij laborabant insania ingentis erat spiritus, & vt ait propheta, perfecto persequebatur odio. Septuagesimo autem & quinto anno ætatis Euthymij congregata fuit Synodus Chalcedone. In quam omnes fere totius orbis terrarum vndique conuenerunt Pontifices. Eos enim ad conueniendum vocabant, quæ Epheſi innouata fuerant à Dioscoro Alexandrino, quem simul cum iis qui illius tuebantur dogmata, è sacris eiiciunt catalogis, & accuratum fidei decretum exposuerunt. Ei autem Synodo insignes quoque discipuli Euthymij intererant, Stephanus Iamnee, & Ioannes Episcopus Sarracenorum. Ij ergo cum Synodo interessent, quando fidei decretum iam erat mandatum litteris, id statim arripientes, quam potuerunt celerrimè accedunt ad Euthymium. Quanam de causa? Volentes scire an ipse quoque consentiret iis quæ scripta fuerant. Postquam autem ille legisset, & quæ scripta erant rectè se habere inuenisset, & concinere rectæ regulæ veritatis, persuasit repente fama totam solitudinem, quod magnus quoque Euthymius sequatur synodum Chalcedonensem.

*Hæreticos comprimit, & omnino detestatur.*

*Synodus Chalcedonẽsis congregatur.*

*Probat, & tenet acta Concilij S. Euthymius.*

Hoc autem omnes propemodum Monachos ad eam attraxisset, nisi quidam Theodosius, habitu quidem Monachus, moribus verò præstigiator importunissimus, & mente corruptissimus, veniens in Palæstinam, cùm die dicta synodo quædam improbè confinxisset, quod euerteret quidem dogma rectæ fidei, introduceret autem, vel potiùs reuocaret dogmata Nestorij, cepit Eudoxiam quæ tunc versabatur in Palæstina, & per ipsam induxit omnes Monachos, & deinde etiam sedem Hierosolymitanam inuerecundè, & impudenter inuadit. Et cum ex potestate accepisset fa

*Theodosius Monachus haereticus Eudoxiam, & per ipsam omnes fere Monachos corrumpit.*



*Theodosius Monachus haereticus invadit sedem Hierosolymitanam.*

*Persequitur Catholicos.*

facultatem, bellum gerit aduersus diuinos canones & leges. Hincque factum est vt homines probi & moderati à sedibus & sacris expellerentur, & nonnulli etiam ab eo interimerentur, & manus sceleratas pontificum sanguine, proh dolor, polluerent. Malefici autem & præstigiatores & pestes, & carceribus potius digni quàm sedibus, sacrorum interpretes creantur & sacerdotes, & apud hunc sceleratum & exitiosum hominẽ magnam assequuntur potentiam. Cum verò ipse sic haberet omnes Monachos à se pendentes, & eos duceret quò vellet: ij soli qui erant magni sectatores Euthymij, fugiebant eius communionem tanquam aliquod scelus & piaculum.

*Soli S. Euthymij Monachi fugiunt eius communionẽ.*

Quoniam autem cum quoque tentabat impius Theodosius, & ad se accersebat: illo ne ipsius quidem sermonem audire sustinente, rursus ad eum mittit legationem, Elpidium, & Gerontium, rogantes vt si ad ipsum nollet venire, conueniret tamen vterque in locum aliquem, & de iis quæ vterque haberet inter se, differerent. Ille verò ad hæc grauiter exclamans. Absit, inquit, vt iniustè fuso sanguini Sacerdotum, aut hæresi communicem cum Theodosio. Illi autem, sed necesse est, inquiunt, vt tu communices Nestorio, quoniam & is duas tuetur naturas: quod quidem ne in hodiernum quidem diem ab aliquo accepimus, & eum secuta est Chalcedonensis synodus.

*Recusat colloquium cum Theodosio haretico.*

Magnus autem respondens Euthymius. Quæ ab ea quidem synodo sunt statuta, nondum, inquit, sigillatim consideraui omnia. Sed quod attinet ad decretum ab eis expositum, non possum ea quæ illi visa sunt reprehendere. Statuit enim ipsa quoque sequi sententiam trecentorum decem & octo sanctorum patrum qui Niceæ conuenerunt, & suadet amplecti synodum centum & quinquaginta patrum qui congregati fuerunt Constantinopoli, & iubet eos sequi qui Epheſi conuenerunt aduersus impium Nestorium. Hæc persequente Euthymio, laudabat quidem Elpidius, & fatebatur rectè habere quæ dicta fuerant, etiamsi non recesserit à communione Theodosij, & statim ostendit mutationem. Gerontius autem manebat in eadem sententia, & sic reuersi minimè inter se consentientes, Theodosio responsa annuntiant. Cum ille verò hæc audiisset, maius studium adhibebat, vt eum in suam nassam traheret, magnoque Euthymio assiduè tendebat laqueos, & quotidie aliquos ad eum mittebat, qui bona suaderent & vtilia, nempe vt discederet ab iis quæ rectè & piè sibi visa fuerant: Theodosio autem assentiretur, & amplecteretur illius communionem. Ille verò quod ij quotidie venirent ægrè ferens, quid facit? Conuocat omnes qui sub eo erant fratres, & eis præcipit vt diligenter cauerent, vt nullo modo assentirentur malæ Theodosij sententiæ: postea recedit in vastam solitudinem. Erat autem illic magnus Anachoreta qui vitæ institutũ quod Monachos decet (vocatur autem Gerasimus) in patria ostendisset, multos quoque passus esset sudores aduersus spiritus nequitiæ. Is ergo cum pulchre exerceretur in ea quæ est ad Iordanẽ solitudine, & sæpe dæmones percuteret, pulsatur ipse quoque, vel potius supplantatur ab eorum improbitate, & abducitur ab hæreticis. Cum autem ab omnibus ferè Anachoretis audiret de Euthymio, iisque quæ de eo sermone celebrabantur aures haberet oppletas, aliquando ad eum venit in Rubam. Cumque cum eo diu esset versatus, & illius linguæ bibisset fluentum suauissimum, veluti quendam morbum

*Theodosius ad suam sententiam omnibus modis pertrahere conatur Euthymium.*

*Confirmans fratres in fide recedit in solitudinem.*

*Gerasimus Anachoreta eximia sanctitatis vir, seducitur ab Hereticis.*

euomit hæresim, & ad sanam fidem reuertitur, quod deceptus esset magna ductus pœnitentia, & cor vanis corruptum sermonibus doloris stimulo castigans & puniens. Hunc autem ipsum alij quoque consecuti sunt Anachoretæ. Petrus cognomine Gurnitis, & Marcus, & Iulon, & Siluanus, & ipsi quoque Theodosij noxiam sectabantur communionem.

*Colloquens cũ Euthymio, abnegat hæresim, & pœnitentiã agit.*

*Alij Anachoretæ redeunt ad fidem Catholicam.*

Cum autem secundus post hæc annus intercessisset, ex hominibus quidem excedit Theodosius, à Ruba verò ad Lauram redit magnus Euthymius. Et aliquando cùm vno Sabbathorum incruentum offerret sacrificium, visus est ignis veluti in quodam diffusus linteo, super eum descendere. Aiunt eum quoque aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsum versabãtur, quod sæpe videret terribilem Angelorum visionẽ, vnà secum Deo ministrantem, & sacra contrectantem, & quod in Dominici corporis sumptione, aliquos quidem ex iis qui accedebant, videret ab ipsa illuminari, aliquos autem veluti obscurari & morte affici, quicumque erant indigni ea luce & splendore. Quamobrem non cessabat testificari fratribus, & illud Apostoli optimè admonere, vt vnusquisque attẽdat & seipsum probet, & sic cum tremore sumat panem & calicem, cum bene sciat is qui accedit, quod iudicium sibi comedit & bibit, quia indignè sumit. Sed necesse est vt nos narrationem rursus reuocemus in memoriam. Capta fuit (vt iam antè ostendimus) improbi Theodosij laqueis beata Eudoxia, & à Catholica communione seiuncta, & de cætero toto studio contendebat aduersus orthodoxos. Induxit autem omnes quoque Monachos qui habitabant in solitudine, & in sancta ciuitate, & persuasit vt eadem quæ illa tuerentur & probarent. Postquam verò iustitia aggressa est Theodosium, & ille quidem procul abest, Iuuenalis autem suam sedem recipit, & ea dissoluuntur quæ Ecclesiis afferebant molestiam, Valerij fratris & Olybrij generi sæpe mittuntur litteræ ad Imperarricem hac de causa, vt Eutychianistarum relicta communione, sequatur ea quæ decreta fuerunt ab Ecclesia Catholica. Illa autem primum cunctabatur & differebat mutationem: neque sciebat quemadmodum dimitteret ea quæ sibi visa fuerant. Postquam verò intellexisset suum generum fuisse in Thracia interemptum, filiamque & filios esse in potestate hostium, & captiuos abduci in Carthaginem, corde valde sauciata & rerum charissimarum amissione ea repensa esse arbitrata, inuenit calamitatem magistram eius, quod rectè habet. Ipsa, inquit, tua disciplina me docebit, & ad rectam & veram fidem per eam deducta, statuit deinceps viris diuinis vacare, ab eis instructa, & vtens ducibus ad salutem. Et ideo Anastasium Chorepiscopum cum quibusdam aliis qui ei inseruiebant mittit Antiochiam ad Simeonem στυλίτην, id est, in columna habitantẽ, & verè totius orbis miraculum, ei scopum cordis per litteras significans, roganſque vt ab illo acciperet quænam esset sua sententia. Quidnam autem respondit? Scias, inquit, quod malignus videns opes tuarum virtutum, expetiuit te vt cribraret sicut triticum, & per pestiferum illum Theodosium piam ac religiosam tuam corrupit animam. Sed esto bono animo. Non enim defecit fides tua. Mihi autem succurrit hoc valde admirari, quod cum sit tibi fons propinquus ipsum quidem despicis, procul verò quæris eandem aquam haurire. Habes autem diuinum Eu-

*Iuuenalis sedi suæ restituitur.*

*Eudoxia ob crebras afflictiones sibi cælitus immissas, tãdem ad veram fidem deducitur.*

*Non indignè accedendũ ad sacrosanctum altaris sacramentum monet.*

*Per litteras cõfirmatur in fide à S. Simeone Stylita.*

*S. Simeonis Stylitæ de Euthymio sententia.*

thymium, cuius sequens doctrinam non aberrabis à salute.

His auditis, non fuit negligens Eudoxia, nec supina in boni inquisitione. Sed cum statim de viro inquisiisset, & intellexisset ei esse prohibitum ad ciuitatem aliquã accedere, turrim in solitudine quæ vergit ad Orientem, in altissimo ædificat promontorio, quod non plusquam triginta stadia distat à Laura. Et illa quidem in eam ascendit, vt nullo prohibente frueretur ad satietatem doctrina Euthymij. Statim autem mittit ad eum quærendum Colmam Crucis custodem, & qui à me superius est dictus, Anastasium Chorepiscopũ. Illi autem cum in Lauram protinus peruenissent, & accepissent eum non adesse, sed iamdiu transiisse ad Rubam, nec sic quidem à cœpto destiterunt, sed cum simul beatum accepissent Theoctistum, ad eum abeunt, & eum vehementer simul orant, & obsecrant, & tandem persuadent vt ad turrim veniat. Cum eum autem vidisset Imperatrix Eudoxia, non leuiter accepit, sed vt qui æstate aquam sitit, & ad illius pedes præ gaudio procidens. Nunc cognoui, inquit, quod Deus me visitauit. Ille autem cum eam solita impertiisset benedictione. Sed oportet, inquit, ô filia, te deinceps attendere, & in futurum diligenter cauere. Nam quando abducta fuisti vnà cum Theodosio, propterea tibi molesta euenerunt in rebus charissimis. Sed vt per totam vitam abstineas ab hac à ratione aliena contentione, oportet te præter tres sanctas, & Oecumenicas Synodos, nempe Nicenam, quæ conuenit aduersus Arrium, & Constantinopolitanam, quæ ipsa quoque congregata fuit aduersus Macedonium, & Ephesinam prius aduersus Nestorium, accipere etiam decretum quod fuit editum ab ea quæ nunc fuit congregata Chalcedone. Et cum te separaris à communione Dioscori, Iuuenali Hierosolymitano Archiepiscopo communicare, & cum eo consentire.

Cum hæc quidem dixisset, & precatus esset pro Imperatrice, & deinde ei vale dixisset, recedit. Illa autem re ipsa statim est executa ea quæ mandata fuerant, sanctamque ingressa ciuitatem, Iuuenali, & Catholicæ communicat Ecclesiæ: magnamque, & frequentem inducit multitudinem Monachorum & laicorum, vt quæ sicut dissensionis, ita etiam communionis optimum fuit exemplum.

Octogesimo verò & secundo anno ætatis beati Euthymij accedit beatus Sabas, cum adhuc esset iuuenis, & nec barbæ quidem primam haberet lanuginem quæ genas contegeret. Ille autem primũ quidem accipit, postea remisit ad beatum Theoctistum dicens: Accipe adolescentem, & diligenter sub te exerceatur, & educetur. Nam vt mihi videtur, in exercitationis instituto, & in rectis factis erit insignis. Atque ille quidem hæc de Saba prædixit. Prædictionem autem congruens quoque cõsecutus est exitus. Non est enim nunc, non vrbs, non regio, non solitudo, in qua illius diuini viri res non celebrentur. Nobis autem rursus redeundum est vnde digressi sumus. Cum iam tunc Leo pius & Christi amans Marciani succesisset Imperio: Timotheus quidam nomine Elurus, totam concutiebat, & conturbabat Alexandriam. Deinde etiam cum ipsum Patriarcham ciuitatis, ô iniquas & impias manus, in diuini baptismatis piscina interfecisset, sedem audacter, & impudenter inuadit. Cum ergo in Ægypto omnia plena essent turba, & tumultũ, duo quidam Anachoretæ, quibus erat nomen Martyrius, & Elias, vnus quidem Cappadox, alter verò Arabs, profecti ex monte Nitriæ, ad magnum illum veniunt Euthymium. Et vnusquisque eorum in cella separata apud ipsum longo tempore sunt versati. Quos quidem hic vir diuinus amplectebatur lege amicitiæ, & assiduè inuitabat ad collocutionem, & ad Cutilam, & Rubam secessus, & descensus eos quoque similiter faciebat participes. Cum quibus, & vnà cum Gerasimo, & aliis deinceps Anachoretis sanctæ illæ manus vnaquaque Dominica intemerata sumebãt Sacramenta. Præuidit autẽ magnus Euthymius perspicaci oculo animæ ea quæ erant euentura Martyrio, & Eliæ: nempe fore, vt Iacobi, qui clarus erat choro discipulorum, vnusquisque eorum sedis sit successor futurus.

Beata autem Eudoxia cum quamplurima templa Deo ædificasset, Gerocomiaque, & Ptochotrophia, & Monasteria, quæ ne facile quidem possunt numerari, piè construxisset, iussit in quodam ex iis templis, quæ erant ab ea ædificata, quod est sacrum Petro principi Apostolorum, situm est autem è regione Lauræ Euthymij, non distans minus quàm viginti stadia, cisternam valde profundam simul, & latam fodere, gratia alicuius vsus necessarij. Cum autem aliquando venisset ad eam spectandam, videt Lauram Euthymij positam in media solitudine, & quemadmodum cellæ fratrum erant à se inuicem seiunctæ, & cum illud scripturæ apud se cogitasset; Quàm pulchri sunt pedes Iacob, tabernacula Israël! & ex eo anima esset valdè compuncta, ad eum statim mittit Gabrielium, rogans, vt sibi permitteretur ad eũ accedere, & frui illius sermone, & doctrina, & simul etiã Lauræ, eique dare reditus habebat in animo. Ille verò eã sic prius cõpellat. Cũ tuus decessus sit in foribus, cur sollicita es, ô filia, & distraheris circa plurima? Illa sint tibi solũ parata quæ pertinent ad excessum ex hac vita.

His illa auditis venit ad sanctam ciuitatem, & cum Anastasium accersiuisset Patriarcham, ei exposuit quæ à diuino audierat Euthymio. Et primùm quidem Stephani protomartyris Christi templum, quod nondum erat plenè cõstructum, dedicat quinto decimo mensis Ianuarij. Cum quatuor autem menses iam præteriissent post dedicationem, ipsa quoque humana vita relicta excedit ad Dominum. Longo autem post tempore cum esset Euthymius iam nonaginta annos natus, in grauem morbum incidit Sãctus Theoctistus, & erat morti vicinus, vt cuius iam esset senectus profundissima, & humanorum esset plenus dierum. Cum ergo ad eum visendum magnus veniisset Euthymius, statuit paucos aliquot dies cum eo manere, vt cum iam eius sancta ad Dominum excederet anima, ipse iusta corpori faceret, & ea omnia, quæ mos est, in eo impleret. Cũ autem cognouisset Patriarcha apud Theoctistũ assidere Euthymium, & id existimasset satis opportunam ad eum veniendi occasionem, cum beatus Theoctistus iam ad Deum excessisset, tertio die Septembris ad eum accedit, & communiter ab eis sit reliquiarum sepultura.

Ego autem ad ea quæ cõsequuntur eius rectefacta reuertor. Nam hæc quoque mihi cum aliis Ioànes Silentiarius, & Episcopus, & Thaleleus presbyter narrarunt. Dicebant enim quod versantibus ipsis aliquando in solitudine, in eos incidens beatus Sabas colloquebatur. Deinceps quod cum adhuc esset in cœnobio, ascendisset post mortem Theoctisti simul cum Longino præfecto ad magnũ Euthymium. Cum autem aliquot dies morati essent circa Ruban cum Martyrio, & Elia, & vnà cum eis adesset Sanctus Gerasimus. Quoniam, inquit, prompto & alacri animo videt magnus Euthymius

*Eudoxia Imperatrix turrim in solitudine ædificat, vt possit absque impedimento colloqui cum Euthymio.*

*Mittit viros ad eum quærendum.*

*Inuentus ducitur ad Eudoxiam, quæ statim pedibus eius prouoluitur.*

*Persuadetur à beato viro assentire Synodo Chalcedonensi.*

*Eudoxia sicut dissensionis, ita & cõmunionis magnum fuit exemplum.*

*S. Sabam ad se venientem recipit Euthymius, & de eius sanctitate prædicit.*

*Leo succedit Marciano Imperatori.*

*Timotheus quidam hæreticus Patriarcham Alexandrinũ interfecit.*

*Martyrius, & Elias sancti Anachoretæ veniunt ad S. Euthymiũ.*

*Præuidet S. Euthymius Martyriũ, & Eliam fore Hierosolymitanos Patriarchas.*

*Eudoxia pia Imperatrix multa templa construit.*

*Solo aspecta cellarii Monachorum S. Euthymij cõpungitur Imperatrix.*

*Prædicit mortem Imperatricis.*

*Moritur Eudoxia Imperatrix.*

*Moritur S. Theoctistus.*



Euthymius me & Domitianum, vtroque assumpto transibat per interiorem solitudinem. Cibus autem nobis erant radices melagriorum. Deinde peruenimus ad quandam terram admodum incultam, siccamque & omnino aquæ expertem. Ego autem qui planè eram rudis & imperitus conuersationum quæ fiunt in solitudine, vehementissima siti oppressus deficiebam animo, & nec pedes quidem habebam qui possent itineri conficiendo sufficere. Conuersus verò magnus Euthymius, cum sic deficientem & defessum aspexisset, mea causa est motus animo, & cum se paululum à nobis seiunxisset, & ad terram prostrauisset, orabat dicens: Domine da aquam sitienti, fratris sitim consolans. Et post preces surgens apprehendit ligonem quo herbarum excindentes radices, alimentum nobis comparabamus, & solum parum scindit, & statim aqua scaturit, & bibere permittit. Cum ergo bibisset, Deo egit gratias, qui præter opinionem per suos seruos talia facit miracula.

Cùm ergo apud Deum tantam haberet Euthymius fiduciam, & tantam spiritus gratiam è superis attraxisset, ne communis quidem mortis ei tempus est celatum, nec quæcumque euentura erant in Laura. Nam octauo die post festum luminum quo solebat ad interiorem proficisci solitudinem, conuenerunt quidem ij qui erant ipsum deducturi, & quicumque eius peregrinationis volebant esse socij, inter quos etiam Martyrius & Elias. Cum autem nihil parati inuenissent, & eum offendissent omnino imparatum, rogarunt an esset cras profecturus. Ille verò. Tota, inquit, hebdomada ero vobiscum in Laura, & Sabbathi media nocte à vobis separabor. Hoc autem prius dixit, significans se tunc esse moriturum. Cumque ad eum conuenissent omnes fratres, & eis exhortationem feciisset: eos interrogauit quemnam eis vellent imperare & præesse. Illi autem veluti vno consensu responderunt omnes Domitianũ. Ille verò, At hoc, inquit, nequit fieri. Domitianus enim non hic longo tempore post me manebit: sed cum septimum solum diem transegerit, sequenti me consequetur. Cum de Domitiano itaque spem perdidissent, quendam Eliam œconomum habuerunt. Cum igitur omnes dimisisset præter Domitianum, & tres dies postea mansisset in Diaconio, Sabbatho noctu dormit in pace, & ad eam, quæ illic est transit beatitudinem, reuera senex & plenus dierum, vicesimo die mensis Ianuarij, in anno quidem à mundi creatione, conuenienter temporibus scriptis ab Hippolyto, qui fuit antiquus & ipsis notus Apostolis, & ab Epiphanio Cyprio, & ab Herone Philosopho & confessore, quinquies millesimo quingentesimo & sexagesimo: Domini autem nostri Iesu Christi in carne aduentus quadringentesimo & sexagesimo quinto. Sciantur quoque hæc de Euthymio, quod habitu quidem erat minimè fictus, aspectu autem teres & albus, valdeque lærus & iucundus ad videndum, omnino canus, propter ætatem, paulò breuior, densa barba, & vsque ad zonam promissa, membris sanus & integer, vt cui non digitus, non vnguis, non dens, non parua, nec magna pars abesset corporis.

Cum autem fama celeriter per omnem sparsa esset regionem, Monachorum & laicorum congregata est multitudo quæ non poterat facilè numerari. Quin etiam Anastasius Patriacha Hierosolymitanus, cum simul assumpsisset examen clericorum, & militum accessit. Anachoretæ quoque qui erant in solitudinibus vndique conuenerunt. Quorum vnus erat quoque diuinus Gerasimus. Omnes autem in stuporem adducebat continuatio miraculorum. Cùm ergo conuenissent multitudo propè innumerabilis, prohibebatur sacrum illud corpus à sepultura, cum iam esset hora nona, donec milites vt eis iussum fuerat à Patriarcha, repellunt multitudinem, & sic vix tandem datur aditus diuinis patribus, vt corpori illi quod tam strenuè certauerat, & multa passum fuerat, iusta peragerent, & cum iis quos decet hymnis in locupleti loculo deponerent.

Domitianus verò sancti huius viri discipulus, cum septimus dies aduenisset (sicut prædixerat Euthymius) excessit è vita, vocatus à magistro.

*Impetrat sitienti aquam S. Euthymius.*

*Prædicit suũ obitum.*

*Necnon & Domitiani.*

*Moritur S. Euthymius.*

*Forma, & mores S. Euthymij.*

*Patriarcha cum Clericis, Anachoretis, & laici, vndique ad exequias S. viri conueniunt.*

*Miraculis cõrusçat.*

*Vix propter multitudinẽ concurrẽtium sepulturæ traditur.*

*Domitianus iuxta viri Dei prædictionem moritur.*

## NOTÆ.

Euthymius.] *De eo Mart. Rom. cum Bar. 20. Ianuarij. Hæc dies natalis eius, cum Sanctus agens 99. ætatis annum, sub Leone magno, anno 16. eius Imperij, migrauit in cælum: est 93. annus à Christo, iuxta Fastos Onufrij 472. scripsit eius acta fidelissimè Cyrillus Monachus, quæ extant apud Metaphrastem, & Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. de eodem idem auctor in vita S. Sabæ, vbi & de natali eius hac die celebrari solito agit. De eodem Nicephorus hist. lib. 14. cap. 30. 34. & 52. Spectatissimi sunt huius Sancti labores, quos pro Sancta Synodo Chalced. aduersus hæreticos Eutychianos impendit. Hæc de S. Euthym. Tu verò caue ne in altero fallaris eiusdem nominis Monacho, qui clarus habitus est in Ægypto temporibus Archadij Imperat. sed in veritate non stetit, nam Origenismũ professus, factus est scãdalum est & ruina multorum. Scribit de ipso S. Hieronymus ad Ctesiphontem, & Theophilus in Epistol. ad Epiphanium 68. apud Hieronymum.*

Sabellian.] *Fuit Sabellius quidam hæreticus, vnde Sabelliani vocati sunt ab eo: hi vnam personam Patris, & Filij, & Spiritus sancti asserebant & astruebant.*

Nestorij.] *Nestorius abominandus fuit hæreticus & Episcopus Constantinopolit. qui beatam Virginem, non Dei, sed hominis tantummodo genitricem asseruit, vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec vnum Christum in verbo Dei & carne credidit, separatim & separatim & seiunctim, alterum Filium Dei, alterum filium hominis prædicauit. Ab eo eius sectatores Nestoriani dicti sunt.*

Prochotrophia.] *Sunt diuersoria, siue domus vbi ptochi, hoc est, mendici nutriuntur: πτωχὸν enim Græci mendicum dicunt, τροφὴν, nutrimentum. Alio nomine Xenodochium, à Latinis hospitale dicitur.*

## VITA S. IOANNICII EREMITÆ.

*Ex Simeone Metaphraste.*

QVARTODECIMO anno tyrãnidis Leonis filij Constantini, qui etiam generis seriem traxit ex Isauria, admirabilis Ioannicius procedit ex maternis thalamis. Cui patria quidem fuit prouincia Bithynorum: vicus autem qui vocatur Marycati, situs ad borealem partem Apolloniadis. Parentes qui factis ipsis veram reddebant appellationem, Myritzicius & Anastasia. Statim ergo ab ineunte ætate cum sensibilibus cibis aleretur & educaretur vt puer, non disciplinarum orbem & mundanam elegit sapientiam: sed eam quæ ad Deũ adducit, & ei reddit familiarem, quæ est etiam initium sapientiæ, nempe Dei timorem, & eius mandatorum insistere vestigiis.

*Patria S. Ioannicij.*

Proficiebat ergo in dies in virtute,& diuina disciplina, & pulchro augebatur incremento. Nondum magnus Ioannicius è prima ætate excesserat, & munus obiens, quod ei fuerat mandatum à parentibus, in consueta pascua porcos immittens, ille quidem eos signabat figura Crucis, & ipse consuetas preces Deo reddebat. Illi autem permanebant indiuulsi,nullo nec hominum, nec bestiarum damno omnino affecti, donec vesperè reuersus sanctus eos domum rursus ageret.

*Pascit porcos.*

*Signo Crucis eos indiuulsos facit,vt sic facilius vacet orationi.*

Cum autem ille quidem iam excessisset ex ephebis,tunc cum esset & corpore agilis,& aspectu præ se ferret speciem hominis non ignaui, haberetur verò accuratus militum delectus iussu eius, qui tũc rerum potiebatur,tunc hic quoque vir admirandus relatus fuit in numerum excubitorum. Erat autem exercitui quidem iucundus propter moderationẽ, inimicis verò terribilis propter fortitudinem, vt qui eos sæpe vel solo aspectu in fugam verteret. Cum se ergo sic gereret, & tanti fieret ab exercitu, apud Deum adhuc pluris fiebat: quatenus eius præcepta ad vnguem obseruabat. Hoc ergo videns malignus, in eum latenter comparabat insidias. Quamobrem cum hominibus cõmunem aliquando offudisset caliginem, vt non diuinis imaginibus eum quem par erat honorem tribuerent, peruenit etiam vsque ad Ioannicium, capitque, & expugnat hunc virum præclarum inter exercitatores, & inducit eum ad pernicioſam sectã Iconomachorum. Ab illo autem tempore diuinis imaginibus non modo quem par erat multi honorem non tribuebãt, sed nec earum quidem auditionem auribus omnino admittebant. Totis verò quinquaginta septem annis figura à Christo susceptæ humanitatis,crimini dabatur,& contemptui habebatur ab iis qui pugnabant aduersus imagines. Cum quibus fuit abductus, & captus hic quoque vir admirabilis, & pauci fuerunt qui maligni laqueum effugerint. Atque hæc quidem sic se habebant, & Christi figura nostræ similis, proh dolor, despiciebatur, & nihili omnino putabatur.

*Fit miles.*

*Incidit in hæresim Iconoclastarum.*

Postquam autem huius sceleris operatores cum impietate miserabiliter perierunt, & Romanorum Imperium transiit ad coniugem eius Irenem, quæ res Christianorum tuebatur,& habebat in honore; etiamsi propter metum mariti, non poterat eo superstite liberè eloqui veram religionem. Cum ea verò in Imperio fuisse constituta,tunc ipse quoque Christus,qui propter nos carnem induit,rursus honorabatur figuris, & exoptatæ Sanctorum imagines in Ecclesiis,in foris,in populo cernebãtur. Sed ne sic quidem multi huius Iconomachorum hæresis acerbitatem eluerunt ex animis,sed cum temporis diuturnitate ad mali habitũ peruenissent, ægrè ferebant se ab eo liberari. Quorum vnus erat hic quoque præclarus Ioannicius, qui non erat promptus,nec velox ad mutationem, sed morum ostendens grauitatem etsi in re non laudabili, permanebat in iis quæ sibi rectè opinari videbatur, & diuinis imaginibus nullum cultum tribuebat. Deinde quid fit? Mittitur ab Imperatore ad occidentem cũ toto exercitu. Illinc autem reuertens transiit per quandam partem Olympi,& nutu diuino,iter fecit prope quendam ex Monachis,qui in eo mõte exercebantur. Deinde ille appatens ex sylua. O fili, inquit, Ioannici, si magnum tibi est, Christianũ esse, & nominari,cur Christi imaginem despiciens, effecis vt labor virtutis à te frustra susciptatur? Hæc audiuit vir diuinus, & miratus est quod ei euidentissimè dixisset de omnibus: humi itaque cadens,

*Irene Imperatrix sanctas Imagines restituit.*

*Paulo obstinacius in hæresi perdurat Ioannicius.*

*Opera cuiusdam Monachi se hæresim abiuraturi, & sacras imagines honoraturum promittit.*

petiit veniam, quod ille ignorans fuisset ingratus in Dominum,& affirmauit se deinceps Christi imaginem,& omnium qui ei placuerunt,honoraturum cum omni proposito. Ab illo ego tempore beatus ille Satellitis officio fungẽs in vestibulo Regiæ,recumbebat in nudo solo,eratque orationi intentus in ieiunio. Nam etsi conuiuia inibat cum aliis,cibũ tamen non sumebat vsque ad satietatem, sed eatenus, vt illis quidem non videretur ieiunare, corpus autem ei consisteret, & ad pernoctem illam inseruiret stationem.

*Satellitis fungitur officio in vestibulo Regia.*

Cum ille ergo totos sex annos his vacaret,egreditur gens Bulgarorum Thraciam depopulans. Aduersus eos autem ducit exercitum,qui tũc erat Imperator Romanorum, magna & valida manu coacta, in quorum numero erat hic quoque pietate plenus iuuenis. Magnum itaque prælium fuit inter eos commissum, & ex exercitu Romanorum cadit magnus numerus. Quid ergo ille inter viros fortes magnus,& inter exercitatores pietatis maior Ioannicius? Erat tanquam alius Dauid, alienigenas quidem perrumpens cum multis millibus, plurimos autẽ liberans ex iis,qui erant eiusdem generis,adeo vt quidã ex illustribus Romanis, machina ex loris contexta caperetur à Bulgaris, is verò ea gladio dissecta,à manu hostili hominem liberauerit. Hæc cum tunc ipse aspexisset Imperator,& esset eius virtutem admiratus, cupiebat scire patriam, & quod ei esset nomen. Imperator verò omnia statim, ne memoriæ exciderent, Scribæ iubet mandare scriptis, & magnificentia remunerationum confirmauit defessam manum huius egregij militis. Hinc magis incitatus, vnum quendam ex inimicis, qui steterat in via angusta,& multos occidebat ex Romanis,vir ille strenuus facto in eum impetu, illum priuauit capite, qui multis aliis capita abstulerat. Sic aduersus hostes, qui videntur præclara facinora, erant signum trophæorum, quæ erat erecturus contra inimicos qui non apparent.

*Bulgari vastant Thraciam.*

*Strenuè decertat contra inimicos.*

*Machinam dissecat.*

*Quendã multos ex Romanis occidentẽ, facto in eum impetu priuat capite.*

Vide autem quomodo hinc fuit deductus ad suscipiendum contra illos certamen, & iam ad luctãdum est aggressus, & grauis armaturæ mentem abstinentia à cibis,& oratione pulchrè armauit. Nam cum à pugna aduersus eos qui cernuntur hostes se sensim & paulatim dimouisset,& se deinceps collegisset, versabat animo ea quæ Dei virtute aduersus hostes fortiter gesserat,& se posteriori tempore dicebat acerbum illud damnum accepisse, quo Christi sui imago in honore ab eo non habebatur, & telis pœnitentiæ sauciabatur eius animus, & in hunc modum secum loquebatur. Oportuit me tali Domino seruire,& nõ solum aduersus eos qui cernuntur inimicos, sed etiam armari in eos qui non cadunt sub aspectum. Hinc se dedit totum solitæ orationi,& cum vidisset montem,qui superminet à dextera Bythiniæ,qui apud nos vocatur Olympus, concepit animo vitam quietam & amantem solitudinis.

*Pœnitet propter suum in hæresim lapsum.*

Cum venisset ergo in vrbem regiam, & valere iussisset ea quæ sunt in ipsa oratoria, & emigrationis postremam reddidisset adorationem, despicit quidem referri in numerũ procerum Imperatoris, & profectus est ad iucũdam quietem, & silentium, cum solos viginti quatuor annos se pulchrè gessisset in hac inferiori, & mundana militia. In transitu verò cum accessisset ad Agaurorum Monasterium, accipitur ab iis qui illic erant Monachis, & Monasterij præfecto patri Gregorio aperit suum animum, quod scilicet amet vitam quietam. Ille autem laudat quidem propositum,sed hæc dicebat

*Reliquis omnibus venit ad Agaurorũ Monasteriũ.*

conue





nire iis qui versati sunt in diuturniori exercitatione: deinde obedientiam doceri & modestiam, & sic ad vitam accedere anachoreticam.

Hæc cum ille monita audiuisset, illinc quidem recessit. Cum venisset autem vespera, hospitio excipitur à quodam viro pio & religioso, vt qui pulchrè cognosceret huiusmodi habitacula, & caueret, ne vnquam diuersaretur in ædibus alicuius qui esset diuersæ à recta sententiæ, cui cum animum aperuisset, quoniam erat adhuc omnino ignarus literarum, abducitur ab eo in quoddam propinquum Monasterium quod vocabatur Vtotelas, & cum in eo didicisset solam elementorum institutionem, cum intellexisset hoc Monasterium esse tumultu plenum, ascendit ad aliud Monasterium quod dicitur Antidij. Et cum illius præfecto suũ declarasset propositum, docetur ab eo cuiusmodi sit palæstra in diuinis certaminibus, deprimere scilicet cogitationes & omnem altitudinem quæ extollitur aduersus Dei cognitionem. Cum duos autem annos in eo perseueraſſet, & Dei patris Dauid hymnorum triginta psalmos didicisset, paulo post incessit eum desiderium transeundi ad montem qui supereminebat. Totos ergo septem dies vacans orationi, petebat vt sibi appareret certus dux viæ quam desiderabat. Septimo autem die audit hic nouus noster Moses vocem desuper iubentem, vt patrum accedat ad montem, & assequatur id quod desiderat.

*In Monasterio Vtotelæ discit prima literarum elementa.*

*Discit psalmos Dauidicos.*

*Vitæ solitariæ ducẽdæ causa ascendit in montem.*

Cum ergo ille hanc audiuisset, accessit ad mõtem, & quennam locum inueniret aptum ad suã habitationem, vndique circunspiciebat. Accedens ergo in montem incidit in duos Monachos quibus tunicæ erant confectæ ex pilis: victus autem erat ex herbis quæ illic nascebantur, & tantus vt solum possent viuere, & vt tanquam Angeli in terra viuerent cum corpore. Eis ergo communicauit ea quæ animo versabat & meditabatur. Illi autem postquam preces solitas Deo pro eo obtulissent, sigillatim narrarunt de omnibus quæ interrogabat, adiicientes quod post quinquagesimum annum exercitationis, & circa ipsum finem vitæ, ei inferretur tentatio, esse autem inuidos & malignos qui eam sunt illaturi. Sed illis quidem labor in caput eorum conuertetur. Tu autem,dicebant, nihil graue patieris,quod etiam postea deductum est ad effectum, quomodo etiam suo tempore declarabit oratio. Cum hæc prædixissent,& tunicam, eam Lebetonarium vocat lingua illius regionis, est autem ex pilis contexta, ei tradidissent, recesserunt: hoc aduersus omnes insidias & insultus fuit ei tutamentum inexpugnabile & fortissimum,(vt ille narrauit postea.) Deinde cum illinc emigrasset in montem, qui vocatur Cichalix, degebat sub dio & absque vllo tabernaculo.

*A duobus Anachoretis prædicuntur ipsi futura.*

*Degit sub dio solitarius in monte Cichalix.*

Cum Gregorius autem quidam sancto rude excitasset habitaculum, vt esset ei paruum tegumentum ab imbribus & nubibus, se in eo inclusit. Sed quoniam multi illuc accedebant, eum conuenire cupientes, & illi gratum & familiare silentium interrumpentes, illinc discedens in quendam vicum Hellesponti, in quodam monte nemoroso, & aditu difficili se collocat, in quo cum foramen quoddam angustum & profundum sub terra fodisset, in eo manebat nusquam progrediens,& ibi pascebatur à caprarum pastore. A quo quidem ipse singulis mensibus panem & aquam tanquam nouum planè accipiebat epulum. Tres totos annos silentio in eo transigens,orationibus vacabat. Cum sic ergo se haberet, volens magis latere,peruasit in

*Seipsum includit in cella.*

*Fugiens hominũ consortia latitat in antro.*

montes Conturiæ, in quibus degebant feræ, seorsum cum Deo congrediens.

*Vt magis lateat, pergit ad montes Conturiæ.*

Cum autem fortè fortuna veniſſet in ædẽ oratoriam, incidit in virum quendam & mulierem, qui conuenerant vt festum patrium peragerent. Qui cum sanctum vidissent, in primo occursu, illo insolito & terribili eius spectaculo obstupefacti, ne potuerunt quidem interrogare quisnam esset, nec omnino cum eo conferre sermonẽ. Erat enim vir satis iustæ magnitudinis: pannis autem obsitus, & nudis incedens pedibus, & totus capillatus, & coma mirandum in modum promissa. Illi ergo cũ sanctum vidissent sic affectum, affecti sunt timore. Ille autem placida & miti voce iussit eos esse bono animo,& ab illo timore recreauit. Deinde eos rogauit quænam esset via quæ recta ferret. Illi verò dixerunt ante fluuium fluere qui non erat trãsitu facilis,& tunc maximè cùm tam multi imbres ad eum affluxissent. Tunc enim acciderat vt vehementer flueret,& ideo restagnaret fluuius. Ille autem cum circa mediam noctem surrexisset, aquam ascendit,nec fuit madefactus,& transmittit in continentem qui erat ex aduerso.

*Siccis pedibus transit fluuium.*

Illinc autem venit in templum magistro Christo dilecti discipuli quod erat Ephesi. Ei autem sua sponte apertæ sunt portæ illius templi. Ille verò ingressus cum Domino suas preces reddidisset,rursus egreditur, & cum esset egressus, protinus clauduntur portæ, & rursus reuertitur in Conturiam, & conuenit quasdam Monachas, matrem,inquam, cum filia. Quarum filia quidem erat defessa libidine, mater autem studebat admonitionibus motus eius carnis comprimere. Cum in eas incidisset sanctus, & propter puellæ vitium esset animo perturbatus, puella ad se vocata, iubet eam manum suam collo illius imponere. Quod quidem cum factum fuisset, vt iusserat,rogauit puella vt liberaretur à malo quod eam vexabat: in se autem graue illud malum recideret. Atque illa quidem liberata à bello carnis, ordini Monachorum se vt prius restituit. In sanctum autem graue illud bellum excitabatur. Cum autem intelligeret turpes cogitationes eum ad facta non honesta impellere, inuenit draconem in quadam quæ illic erat spelũca, & seipsum statim præbet ab eo exedendum, vel per vim cogens inuitum eius corpus tangere. Malebat enim mori, quàm animi sui nobilitatem voluntati carnis esse mancipatam.

*Fores templi diuinitus ei aperiuntur.*

*Monachum vitio carnis deditã sanat.*

*Carnis cogitationibus infestatus Ioãnicius se draconi deuorandum præbet.*

Atque ille quidem se præbuit draconi. Malæ autem cogitationes protinus recesserunt, & si qua voluntas carnis ei exhibebat molestiam, protinus flaccescebat. Simul autem morte quoque affectum fuit statim ipsum animal, & ex hinc aduersus omne genus feras, tam quæ sub aspectum cadunt, quam quæ non cadunt, data est potestas decertatori.

Aliquando ille Dauidis psalmos dicebat memoriter,& mouebatur aceruus lapidum, & sancti ad se trahebat oculos. Cum ergo quendam maximum serpentem punicei coloris ex eo vidisset apparentem, & quam in manu habebat virga eum percussisset, eum nihil spirantem reddidit,& morte affecit. Deinde rursus quoque tempore hyberno ille quidem subterraneam quandam & obscuram subiit speluncam. In ea autem habitabat draco. Lucebant verò draconis oculi, & videbatur beatus pater ignem intueri. Neque enim prius quam esset expertus, putasset vnquam draconem ineſſe in spelunca. Cum ergo visum esset sibi ignem in spelunca accendere, ligna collegit, & draconis

*Serpentem interficit.*

oculis imposuit ea volens accendere propter tempus hybernum. Cum is autem excussisset ea quæ fuerant imposita, intelligens pater esse bestiam, non fuit ignauo nec abiecto animo, nec vllo timore est affectus, sed paululum declinans ad dexteram speluncæ nullum malum passus, versabatur simul cum dracone.

*Illæsus, & tutus in spelunca versatur cum dracone.*

Agebatur verò iam duodecimus annus ex quo morabatur in solitudine homo Dei, venit autem ad eum à superis prædictio, vt illinc quidem migraret, habitaret autem in Monasterio, quod vocatur Eriste, & habitum indueret Monasticum. Venit itaque æstate ad prædictum Monasterium, & Stephano præfecto Monachorum aperit reuelationem. Ille autem postridie nihil cunctatus, solitas fundit preces, & sacras dicit orationes, & eum induit veste Monastica. Postmodum se includit in loco qui vocatur Critama, & se ligat catena quæ erat longa sex vlnas.

*In Monasterio Eristæ sumit habitum Monasticum.*

Iam autem erat tertius annus ex quo in eo degebat, & cum ei visum esset ire ad Chelidonem, vt conueniret virum quendam virtute insignem, erat autem is magnus Georgius, venisset autem ad fluuium Goram, incidit in draconem qui cohibebat aquæ fluentum, & transitum ei interrumpebat. Et eum quidem precatione, & signo Crucis mortuum statim tradidit aquis. Tres autem annos cum magno versatus Georgio, cum ab eo totum didicisset psalterium, abiit rursus ad Pastorem Antidij, cum Pachomio discipulo. Et cum illinc rursus venisset in Monasterium Agaurorum, ascendit cũ aliis Monachis in montem prope situm, vt essent spectatores domus, quæ in eo ædificabatur. Cum ergo venisset in montem, hircus insignis magnitudine, alicunde è grege apparuit. Itraque qui cum beato Patre erant Monachi, cum vidissent hircum, animo versabant quonammodo eum caperent, & vt illius pellem in vtrem transmutarent, maximi faciebant. Cum ergo habitante in eo spiritu cognouisset pater ea quæ erant in mente Monachorum, vnum ex iis cui nomen erat Sabas, ad se vocans, iubet hircũ ad se adducere. Illo verò interrogante, si in fugam fuerit conuersus, quomodo eum comprehenderet, vade solum, ô frater, inquit ille magnus, ille autem lubens veniet, & te sequetur. Conuersus verò ad alios Monachos, rogauit an hirci pellis esset apta ad vtrem componendum. Illi autem, maximè, inquiũt, & antequam hoc diceres, id cogitabamus. Interim autem ductus fuit hircus à Monacho Saba, & pater, vel in verbis ostendens benignitatem, transmittit rursus pecudem ad sua pascua, non solum hinc commiserationem, sed etiam amputationem docens suarum voluntatum.

*Precibus interficit draconem.*

*Totum discit psalterium.*

*Cogitationes cordis ipsi innotescunt.*

*Eius mansuetudo etiã erga feras.*

In hoc autem monte versans, iis etiam qui genere attinebant ad Imperatorem, Nicephorus verò tunc Romanum administrabat Imperium, prædicit eius mortem paulò post esse venturam. Nono ergo anno eius Imperij erumpentes Hũni Thraciam populabantur. Satis ergo magno coacto exercitu, Imperator quidem prius eos vicit. Post hæc verò coactis copiis Hunni vexauere Romanos. Quo tempore ipse quoque Imperator sauciatus, cum Imperio ipsam quoque finiit vitam. Sceptrorum autem & Imperij hæredem filium reliquit Stauratium. Cum esset ergo Stauratius in Imperio constitutus, ij quibus de morte Imperatoris Nicephori ab admirabili Ioannicio prius fuerat significatum, paulo post quam Imperator decesserat, recordati eorum quæ prædicta fuerant, accesserunt rursus ad hunc magnum patrem, & rogarunt de filio eius Stauratio an sit longo tempore victurus in Imperio. Ille autem prædixit rursus quoque celerem fore mutationem, & vt aiunt, rem esse in acre nouaculæ. Breue tempus interesset, & imperio translato ad Michaëlem generum, euenerunt quæ prædicta fuerãt. Hic autem Michaël antequam peruenire ad Imperium, dignitatem habebat procuratoris palatij. Nõ multo itaque post tempore Hunni rursus in Thraciam faciebant incursiones. Itaque Imperator erat valde solicitus quonam modo eos graui inuaderet exercitu. Interim autem Leonem Armenum præfecit Orienti. Leo verò qui iamdiu maximo amore tenebatur Imperij, hoc solum animo versabat quomodo eo potiretur, & quicquid non ad id tendebat, id paruum existimabat, & non magni momenti.

*Prædicit mortem Nicephori Imperatoris.*

*Hunni vastãt Thraciã.*

*Vulneratur Nicephorus in bello, & moritur.*

*Prædicit etiã celerem obitũ Stauratij Imperatorũ.*

*Imperium trãsfertur ad Michaëlem.*

Cum ergo rursus bellũ exortum esset aduersus Hunnos, & nec primò quidem cum eis conflixisset Armenus sua sponte tergis datis, Romanos affecit dedecore, vt simul quidem, & Michaëli maculam inureret, & eum afficeret graui animi ægritudine. Cum ergo Leo hoc consilium cepisset, & id fecisset, fraudeque, & simulatione conciliasset animos militum, persuasit vt eum solum spectarent, & in eo solam spem salutis collocarent, vt qui imprudentius, & inconsideratius in his rebus se gererent, & bonis quæ habebant in manibus stultè præferrent ea quæ expectabantur. Leo ergo cum induisset personam beneuolentiæ in Imperatorem, simulabat se eum maximi facere & colere. Post illam autem cladem ab ipso de industria, & voluntariè conceptam, cum reuersus esset Michaël Byzantium, illo tempore proferens quod iamdiu parturierat, & qui intus erat Leonem aperiens, iis relictis, qui Romanorum agros populabantur, quàm maxima potuit celeritate armatur aduersus suos, & ab iis qui aderant renunciatur Imperator, & ad omnium clarissimam peruenit ciuitatem. Michaël verò vel inuitus ei cedit Imperio, cum iureiurando ab eo accepto sibi prius cauisset, & fide dignis, vt putabat promissis se muniisset, quod ei cum vxore, & liberis permitteret agere vitam priuatam.

*Leonis Armeni ignauia.*

*Leo Armenus arripit Imperium fugaro Michaële.*

Ille autem cum primum ascendit ad Imperium, veluti omnium oblitus, & nihil curans eorum quæ Deo teste iurauerat, primum quidem Michaëlem, & eius coniugem condemnat exilio. Paulo post verò habitu Monachorum vel inuitos induit. Non eò autem vsque constitit, sed etiam paucis post diebus eos à se inuicem seperauit, nec eos habitare simul sinit in regione, sed illum quidem in vnum locum, hanc verò in alium relegauit. Vide autem quò procedat improbitas potestatem consecuta. Statim enim qui & nomine, & moribus erat bellua, in ipsum proh dolor, Christum & eius imaginem rabie exagitatur, multis afficit suppliciis veræ pietatis adoratores, ab iis, quæ habebant alienans, & exterminans, quod non Christi & eius sanctorum imaginem cum ipso conculcare in animum induxissent. Quamobrem Nicephorum quoque sanctissimum Patriarcham, si non à Sacerdotali deponeret rectione, graue esse putabat, & sua amentia indignum, & importunitate. Propterea ergo tum à sede dimouet, qui verè erat dignus qui regeret, quoniam nec luci quidem conueniebant tenebræ. Theodoro autem ex Natolia, cui erat cognomen Melissenus, vt qui esset eiusdem sententiæ, & moribus similis, introducto, replet Ecclesiam magna abominatione.

*Mittuntur in exilium Michaël, & eius vxor, deinde inuiti habitu Monachico induuntur.*

*Leo Armenus Iconoclasta.*

*Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum, sua sede pellit.*

Illo



Illo autem tempore cum per montes Prusensiũ magnus hic pater se exerceret, Gurias quidam qui ipse quoque erat vnus ex iis qui vitam susceperãt Anachoreticam, & videbatur præstare aliis in Monachorum certaminibus, & summus exercitator & amator virtutis existimabatur & nominabatur, & cum quis dixisset Guriam; adiiciebat etiam exercitatorem, vtpote quod hinc magis agnosceretur, quàm ex nomine proprio. Is cum videret se longè abesse à vera virtute Ioannicij, & venerandam illam exercitatoris appellationem ad eum transire, ei dissecabatur & laniabatur animus inuidia. Dum autem inuidiam parturiret, cædem peperit. Quomodo autem declarabit oratio. Is enim versans in animo, & quærens ad effectum deducere id quod meditabatur, cum sancto de industria studet vitam agere, cum magnus Ioannicius propter nimiam animi simplicitatem Guriam supinis, vt dicitur, manibus accepisset & foueret. Ille autem in principio magnam simulat pietatem, & erat virtutis histrio præstantissimus. Cum non aliò autem spectaret, quàm vt latenter inuidiæ gratificaretur, sub specie propinandi, sancto venenum porrigit, cum ipse prius bibisset longè acerbius inuidiæ & malitiæ. Insidiosum autem sic epotum poculum sanctum multis affecit doloribus. Sed non est passus Dominus eum diu vexati: ne nimium gloriaretur vitium aduersus virtutẽ. Sed in somnis misso præclaro inter Martyres Eusthatio, ei donat priorẽ habitum & sanitatẽ. Ille autem in honorem eius ædem oratoriam extruxit & Monasteriũ: quod quidem extat vsque in hodiernum diem.

*Gurias Anachoreta inuidet S. Ioannicio.*

*Venenum viro Dei porrigit.*

*Sanatur à S. martyre Eusthatio.*

Cum aliquando constrũi curaret quoddã Monasterium, serpentes morsibus prohibebant eos qui laborabant. Sed illi, oratione facta, nemini amplius nocuerunt. Illo etiam pro viribus opem ferente iis qui laborabant, & ad tollendum lapidem manum porrigente, vipera emersit de lapide, & manum apprehendens ab ea diu pependit, & immisit ei totam veneni acerbitatem.

*Precibus serpentes interimit.*

Sed nobis apparuit alter Paulus: nam ille quidem manum concutit, & vipera humi cadit, & erat ei manus illæsa, adeò vt non appareret, an fuisset omnino percussus. Verùm cum frequentaretur à multis, & gratum eius silentium interrumperetur, rursus migrat in montem Thricalicis, ardentius & fortius adhuc seipsum recreans, & ipse seipso quodammodo effectus magis strenuus ad certamina spiritualia.

*Vipera viri Dei manum mouadẽte, nihil propterea laditur.*

Cum fuisset in hoc monte Thricalicis, non extendit tabernaculum, non fixit tugurium, sed sub dio, & sine domo vitam agere constituit, vt qui magnifico tecto vteretur cœlo. Sed ne sic quidem viuens latuit, sed Eustratius quidam ex Monasterio Agaurorum, eius amore captus, cum non posset manere in regione, quod valde eum inflammaret studium imaginum, cùm ad eum accessisset, & nihil amplius expectasset quàm consuetam precationem, statim est scisitatus, an diu duraturum esset imperium Leonis. Ille autem videns eum magna animi affectione commotum, quod pro diuinis imaginibus magnum caperet dolorem, præsignificauit haud ita diu abhinc futuram euersionẽ. Non multo post eo de medio sublato Michaël arripuit Imperium, qui non auxit quidem persecutionem aduersus Christianos, siuit autem Ecclesiam esse sub hæreticis, vt qui neque Iconomachorum hæresi omnino accesserit, sed in eius zelum effectus sit mollior, vt etiam multis videretur benignus: neque vllum orthodoxum dogma prior in-

*In mõte Thricalicis degit sub dio sine tecto, & tabernaculo.*

*Prædicit mortem Leonis Imperatoris.*

*Michaël arripit Imperium.*

ceperit, adeò vt contingeret neque ipsum à vitio abstinere, neque salutem defendere, sed malitiose potius hæresim quidem fiuit crescere: fidem autem orthodoxam minui & diffluere. Et hoc quidem ita se habebat.

*Malitia Michaëlis Imperatoris.*

Postquam autem Leo fuit interfectus, venit rursus cum quodam alio Eustratius, diuino huic viro renuncians euentum eorum quæ ipse prædixerat. Iã agebatur quintus annus Imperij Michaëlis: quartus decimus autem exquo Bulgari fecerant expeditionem, & decesserat Nicephorus, à quo tempore multi Romanorum cum patria libertate amissa detinebantur captiui manibus Bulgarorum. Venit itaque in mentem illi benignæ & clementi animæ, si quomodo posset eos educere à laboriosa illa & afflicta vita. Interrogans autem accepit carcerem illum in quem illi erant coniecti, esse obscurum & tenebricosum, adeò vt eis vsu veniret ægrè ferre quod nõ cum patria vitã quoque amisissent, quod quidem eum magis angebat. Huic ergo proposito omnibus postpositis, relinquit illam gratam & solitam viuendi rationem, & via quę intercedit confecta, non curauit custodes qui eos circumsidebant, sed non visus ad eos accedens, statim pro omnibus copiis vsus est figura Crucis, & ea perfractis vinculis & clausstris portarum, reuocat eos qui illic sedebant. Deinde cum in luce sicut Moyses tota nocte eos traduxisset, vsque ad nostros fines eos transmisit & conseruauit. Cùm autem vim afferrent & vrgerent ij qui seruati fuerant, & quis es ô homo Dei, sæpe rogarent, non celauit quidem: dixit autem se hanc gratiam soli Deo ascribere.

*Multi Romanorũ captiui in manibus Bulgarorum detinentur.*

*Signo Crucis carceres & vincula rũpit vir Dei, & Christianos captiuos liberat.*

Cum autem oporteret etiam aduersus extrinsecus illatas à maligno tentationes, illius egregij viri in multis ostendi fortitudinem, ita dispensante prouidentia, & tradente iustos in manus eorum qui ipsos affligunt, non vt eos tentet, sed vt reddat illustriores, Epiphanium quendam Monachũ malignus subiens, qui & virtute videbatur insignis, & in monte illo se exercebat, mouet aduersus sanctum. Nam Epiphanius inuidia percitus aduersus sanctum, comatum & frondosum illum montem exussit: vt simul cum sylua, flamma sanctum quoque depasceret. Ille autem cum spiritus quæ in eo erat gratia id præsciuisset, transiit ad alium, & malus fuit deprehensus Epiphanius, & seipso deterior. Quid ergo admirabilis ad hoc Ioannicius? Non fuit excitatus ad vindictam, non ei maledixit, qui parabat insidias, amicè eum adiit, & humiliter est allocutus, & rogauit vt diceret causam, cur ei vellet esse inimicus. Ille autem plaustris probrorum, vt dicitur, & contumeliarum eum est insectatus, & tandem egregius ille Epiphanius virga quã habebat in manu, quæ in extremo ferrum habebat acutum, in medio ventre percutit sanctum, etiamsi illæsus permanserit vir misericors, & ad reconciliationem hortatus sit Epiphanium. Sed ille pernicioso illo animo nihil mutato, permansit in eadem maleuolentia. Hoc autem sancto prædictum fuerat ab illis Monachis, qui ei ab initio dederant illam tunicam pilis contextam. Tẽtatio enim, dixerunt illi, ad te veniet in fine, sed ipsa quoque erit irrita.

*Epiphanius Monachus in virũ Dei inuidia percitus, ipsum cũ monte, vbi degebat comburere conatur.*

*Nota humilitatẽ & mãsuetudinem viri Dei.*

*Ab Epiphanio iniuriis afficitur vir Dei.*

*Virga ferrum actũ habens te percussus in ventre ab Epiphanio, nihil laditur.*

Cum autem sanctus iam ad profundam processisset senectutem: in Monasterio Antidij extructa cellula illic se includit. Si quando autem eum vocaret tempus vt illinc egrederetur transibat per viã publicam, ne ab illis quidem visus magna ex parte à quibus ne volebat omnino aspici. Quinto verò anno

*In Monasterio Antidij degit inclusus in cella.*

anno Imperij Michaëlis, qui Ecclesiam regebat. Methodius, cum magni Ioannicij ad Dominum excessum præsciuisset iam appropinquare, ad eum venit, & vltimas preces ab eo petiit. Ille autem cum maximi fecisset conuenire Methodium, præ-dixit ei quod nec multum tempus post suũ decessum viueret Methodius. Qua quidem in re non fuit falsus. Tertio enim die postquam hæc dixisset, erat verò tertius Nouembris, D. Ioannicius migrat ad Dominum, deductus à choris Angelorum, corpus autem deponitur in loculo. Methodius autem qui clarissimè refulsit inter Patriarchas, ipse quoque octauo mense post illius decessum excessit ex hac vita, quarto decimo Iunij.

*Methodius Patriarcha obitum Ioannicij prænoscens ad ipsũ visitandum accedit.*

*Prædicit Methodij obitum vir sanctus.*

*Moritur S. Ioannicius.*

*Necnon & Methodius.*

Quænam autem sunt ea quæ facta sunt in morte & post mortẽ admirabilis huius Ioannicij? Dissolutorum membrorum confirmationes, homines liberati à malignis spiritibus, si solum ad capsam eius accessissent. Quidni enim erat Ioannicius iis rebus vel post mortem glorificandus, cuius decessum colũna ignis significauit iis qui erant in monte Olympo: quem præcesserunt Angeli paradisi portas ei aperientes, & transmittentes ad eam, quæ est illic beatitudinem?

*Miraculis multis claret post obitum S. Ioannicius.*

## NOTÆ.

Ioannicius.] *Agunt de eo Mart. Rom. cum Baron. 4. Nouembris, & Græci in Menologio, ac pluribus res ab eo gestas referunt, quas plenius prosequutus est Metaphrastes, extant apud Lippomanum tom. 5. & Sur. tom. 3.*

Partem Olympi.] *Olympus est mons cuius vertex vsque adeo attollitur, vt summa eius accolæ cælum vocẽt. Dictus Olympus, quasi ὅλ☉ λαμπρὸς, hoc est totus fulgens, quia solem clarum habet, nullisque vnquam nubibus fuscatur. Sunt autem 4. montes hoc nomine. Primus mons altissimus, inter Thessaliam & Macedoniam, alter in Gallo-Græcia vel in Cypro. Alius apud Mysos. Quartus ad mare rubrum in Æthiopia, haud longè ab Heliopoli oppido, qui Sole oriente vsque ad quintam dici horam flammas emittit.*

## VITA S. THEOCTISTES VIRGINIS. Ex Simeone Metaphraste.

CVM essem aliquando in Paro, nauigabam enim in Cretam, à beato & Pio Imperatore missus, qui fuit re vera fœlix, & fœlicitatem Romanorum simul cum suo sepulchro sepeliit. Mittebar autem partim quidem simul militans cum clarissimo illo Hemerio, viro ducendi exercitus peritissimo, qui vniuersæ classi imperabat. Mittebar ergo cum illo militaturus, & deducendus ad actiones artis imperatoriæ: partim autem legatione functurus ad Arabes qui tunc tenebant Cretam. Cum verò fuissemus in Io insula, & ne vlterius progrederemur ventus aduersus prohibuisset, nauigauimus ad Parum, in transitu visuri situm insulæ, & cõtemplaturi quod illic est templum Dominæ nostræ Dei parentis. Cùm autem delati essemus in portum qui spectat ad Naxum (is verò sensim, & paulatim fit profundus, aptéque & eleganter secedit à fluctu, perinde ac si esset ad hoc cõstructus, & montis concauitate inclusus, vt facilè hyemarent, & æstiuarent nauigia) descendimus. Et cum parum processissemus, ad templum venimus.

*Arabes Cretam occupãt.*

*Templũ Dei genitricis in Paro Insula elegantissimum.*

Cum autem de more precati essemus, admirantes id circuibamus. Erat verò id spectatu dignissimum, & seruans adhuc reliquias veteris pulchritudinis. Erat enim vndique iusta constructum symmetria, & frequentibus erat fultum columnis ex lapide basilico, & secto lapide vestiti erant eius parietes, non secus ac columnæ. Lapidem autem adeo tenuem, & subtilem effecerat artifex, vt viderentur parietes induti textis byssinis. Marmoreus verò nitor lapidum tantum ostendebat candorem & splendorem, vt margaritarum superaret fulgorem. Tam egregius erat lapis, vel potius studium artificis, qui etiam contendit naturæ tribuere pulchritudinem. Cum autem venerandæ & diuinæ mensæ, quod est supra impositum tegumentum intra portam vidimus, stupuimus elegantiam. Ita enim erat tornatum, vt non videretur habere naturam lapidis, neque ferro, & arte, & manibus esse excisum: sed simile erat cuidam succo lactis commixto, cuius suffusio fabrefacta erat ad tecti figuram. Tali ergo lapide vidi aliquando Lunam currum agentem Tauris. Atque iacebat illud quidem confractum, nos autem concurrimus, & propè stetimus, execrantes, & maledictis omnino infectantes eum qui contriuerat. Erat enim id donarium domo Dei planè dignum.

*Descriptio structura templi.*

*Operculi fabricati altaris elegantia.*

Cùm nos ergo adstaremus & admiraremur, & in eum qui confregerat exclamaremus, videmus repẽtè Monachum profectum è solitudine, & progredientem è nemore, & ad nos venientem, vultu pallidum, genis macilentis, nudis pedibus, totum squalidum, tunica è pilis contexta, superhumerali & capiti, tegumẽto tunicæ similibus, zona pellicea cinctum circa lumbos, perinda ac fera hirsutum. Neque erat similis viro qui cibo vescitur: sed carnis propemodum experti & exangui. Accedens ergo nos salutauit, & nos cum vicissim, & rogauimus vt diceret quisnam esset, patriamque & genus, & an solus hic viueret. Ille autem, patriam quidem, inquit, & genus, & alia quibus gloriantur ij qui habitant ciuitates, non possum dicere. Neque enim est mihi curæ aliquid ex iis quæ sunt in terra: neque delector iis quæ fluunt. Pater verò mihi & Dominus est Deus, cui sõli vitam ago, propter quem solus per hanc errans solitudinem plusquam triginta annos perseuero. Est autem mihi nomen Simeon, dignitas autem, humilis Monachus sacerdos, & minister & mysta viui & inc tuenti sacrificij. Nos autem viri virtutem reueriti, tam ex verbis, quàm ex aspectu, & indumentis, præterea verò ex exercitatione, & maximè quod Dei erat sacerdos, ad pedes eius procidentes, preces postulauimus, & veniam quod eum dignouerimus. Ille autem est precatus, & iussit vt nos ipsos attenderemus, & non essemus tristi & anxio animo.

*Simeon S. Anachoreta in Insula Paro.*

Ego igitur cum essem curiosior, & satis pulchrè viri mores intelligerem, rogaui magnum, & supplex ab eo petij, vt nos doceret aliquid ex iiis quæ sunt nobis arcana. Ille verò, de his quidem, inquit, satis nondum enim sum dignatus talibus. Huc enim veni vt mea lugerem, non vt quæ sunt supra me quærerem. Cùm autem me dextera apprehendisset, & demulsisset iam tanquã familiaris, iussit nos sedere in sedibus arte non laboratis, sed quæ se fortè obtulerunt. Erant autẽ lapides & columnæ ex eo quod corruerat, & herba dẽsa & viridis, & fons ex quo scatebat aqua dulcis ad bibendum, & totus locus erat plenus quiete & silentio, & diuinis dignus narrationibus. Cùm ergo sedisset super herbam, & me iuxta sedere fecisset, videbatur lætari quod in nos incidisset.

Fixis



Fixis autem ego intuens oculis, tempus est tibi, inquam, ô pater, narrandi si quid vidisti hic pulchrũ, & dignum quod referatur. Sed iam loqui incipe, & refer quisnam confregit mensæ diuinæ operculũ, & quænam est ea fera, & agrestis anima quæ ausa est tale opus confringere. Ille autem cœpit dicere. Audiuisti de illo Nisiri qui imperauit Cretæ copiis nauali bus. Is cum hic fuisset, & admiratus esset eius elegantiam, in animo habuit id in Cretam transmittere. Postquam autem portas est dimensus, & deinde hoc sacrum, & diuinum tectum, & pulchrè visum est se habere, deiecit humi, & ad portas traxit vt educeret. Id verò repente factum est maius, idque sæpe, donec tandem cessit Arabs. Cum autem frustrà laborasset, & scopum non potuisset attingere (nolebat enim, vt videtur res diuina inquinari, & execrandis seruire sacrificiis studebat enim vt dicitur, id deponere in synaga donariorum Agar) furore correptus cogitauit id confringere.

*Interrogatur Simeon quisnam altaris confregisset operculum.*

*Nisiris Dux Cretæ conatur hoc insigne sibi opus comparare, & de templo educere.*

*Diuinitus sæpe fit maius, vt non posset extrahi de templo. Confringitur ab impio.*

Hæc cum audiissem, maledictis infectabar sceleratum illum & execrandum. Ille autem dicit. Ne cures, dedit is haud ita multo post pœnas insolentiæ, vt qui nauem fregerit in Euboëa promontorio, quod vocatur Xylophagus, & fuerit in eo submersus. Rogaui autem diuinum illum virum vt cibum sumeret, & vt consolaretur nostram animi ægritudinem, susceptam propterea quod non vlterius procederet nauigatio. Videbamur enim tempus terere aduersis ventis nobis spirantibus. Ille verò cibum sumpsit, & nihil celans mihi dixit. Nauigabis quidem Naxum, & cum illic in portu nauem tenueris vno die, secundo die post nauigans, tertio die venies in Cretam nihil aduersi reformidans, & tibi impositum munus obibis vt voles, & vt tibi iussit Imperator, & reuersus pulchrè accipieris ab eo qui te misit. Atque hæc quidem postea facta sunt vt ille dixit, & finem acceperunt. Cum autem precati essemus, & hymnos in templo dixissemus, descendimus in nauem cum magno illo sene. Manè autem transmisimus in Naxum cùm esset fretum solum decem stadiorum. Ipse verò cum Deo diuinum peregisset ministerium, & nos diuinis impertiisset Sacramentis, nobiscum cibum sumpsit. Deinde cœpit mihi dicere.

*Temeritatis, & insolentiæ luit pœnas impius Nisiris submersus in mare.*

*Prophetico spiritu claret Simeon.*

Venatores quidam ex Euboëa huc venerunt nõ multis abhinc annis, habet enim insula magnam copiam ceruorum & caprearum. Eorum vnus vir pius, & qui suæ curam gerebat animæ, narrauit narrationem valdè consentaneam Dei magnificentiæ, qui suo tempore facit admirabilia, & quæ sunt præter hominum opinionem. Veni aliquando (inquit) huc venator, & cum ascendissem ad diuinam ædem Dei parentis, adoraui, & precatus sum, sicut semper mihi erat mos. Cum autem post preces circunspexissem, vidi in solo parum aquæ in fossa, & pauca grana lupinorum quæ madefiebant. Locus enim hic alit lupinos, quomodo reliquæ insulæ herbas diuersas. Vidi ergo, vt dixi, lupinos qui reddebãtur teneri, & me quædã subiit cogitatio, quod esset omnino aliquis qui vos dimisisset in lacum, & quod vt est verisimile, vir aliquis diuinus hanc habiret solitudinem. Hoc ergo reputans, festinabam venire ad socios, qui iam iuerant in syluam. Optabam autem magnam hanc prædam consequi, sperabam enim fore, vt magnum aliquod lucrũ ab eo acciperem. Et cum multum venati essemus tendebamus ad nauem. Sed illi quidem iuerunt ad mare; ego verò me conuerti ad preces. Ingressus itaque hoc templum Dominæ nostræ orabam. Video

*Parus Insula Ceruis, & capreu abundans.*

autem ad dexteram sanctæ mensæ templi veluti quoddam subtegmen, quod vento agitabatur, & visus sum videre telam araneæ. Postquam autem progressus volui discernere quod apparebat, audiui vocem dicentem. Siste gradum, neque vltra progrediaris, ô homo, neque accedas propius. Erubesco enim cum sim fœmina, à te nuda conspici.

*S. Theoctistes virgo, nuda inuenta in Paro insula.*

Hæc ergò cum audiuissem, & obstupefactus fuissem re admirabili volebam fugere. A carne enim mea pili exilierant, & erant spina acutiores. Stabam itaque obstupefactus, & ore aperto. Postquam autem ad me redij confirmatus animo, rogaui quisnam esset, & quomodo hanc habitet solitudinem. Rursus vox extitit, dicens: Iace mihi rogo, tunicam, & cum tecta fuero, quantum mihi iubet diuina voluntas, non dubitabo dicere. Cum me itaque superiore amictu protinus exuissem, eum dimisi, & extra portam sum egressus. Illa autem eum accepit, & se induit. Paulo post verò reuersus video eam stantem vbi prius, & erat figura quidem mulier, id autem quod apparebat erat supra hominem; pili albi, vultus niger ostendens parum alboris, pellis quæ membrorum continebat compagem, cum nulla inesset caro vmbræ similis, forma quæ solum humanam seruabat similitudinem. Hæc ego, inquit, cum vidissem, timebam, contremiscebam, & meam reprehendebam importunitatem, quod cum essem curiosus, meos socios reliquissem. Tremebundus tamen, & pronus humi cadens, rogabam vt precaretur, & obsecrabam, vt ab ea benedicerer. Illa autem primum quidem conuersa ad orientem, vt quæ fortè vellet meum sedare animũ, ne ea videretur esse spectrum, extensis manibus precabatur parum submurmurans. Conuersa autem ad me, dicit. Deus, ô homo, tui misereatur, Sed quanam de causa venisti ad hanc solitudinem, & quo opus habens venisti ad insulam quæ minimè habitatur? Sed quoniam te diuina huc deduxit voluntas, meæ, vt existimo, gratia humilitatis, de me te omnia docebo, vt voluisti. Cum me autem rursus humi prostrauissem, ea sic cœpit loqui.

*Venatoris expostulat pallium, quo tegatur.*

*Figura S. virginis.*

Mihi, inquit, patria est Lesbos, Methymna ciuitas, nomen Theoctistes, vitæ institutum Monachatus. Cum autem essem adhuc infans orbata parentibus, à cognatis tradita sum in Monasteriũ virginum, & induta sum habitu Monastico. Nata verò decem, & octo annos, in diebus Paschalibus excurri in vicum propinquum ciuitati, salutatura sororem, habitabat enim in vico cum coniuge. Noctu autem irruentes Arabes Cretenses, quorum dux erat ille Nisiris, omnes abduxerunt captiuos. Mane verò cum Pæana ceciniissent enauigarunt, & huic insulæ appulerunt. Adductis autem captiuis cum quærerent pecuniam, & pretia statuerent, ego accepta occasione contendens in syluam, cursu feror in intima insulæ, & de cætero non destiti fugere, donec petris, & acutis lignis, pedes perforaui & conscidi, & sanguine terram infeci, & tandem defecta viribus cecidi semimortua, & totam quidem noctem non ferens dolorem vulnerum acerbè transegi. Manè autem cum sceleſtos prædones vidissem nauigantes, liberata sum ab omni dolore, & repleta sum maxima animi voluptate, & nunc iam triginta quinque annos, & paulò plus hic alor perpetuo lupinis, & herbis quæ nascuntur in solitudine, vel potius Dei verbo, recordata diuinorum eloquiorum, quod non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod proficiscitur per os Dei. Nuda autem euasi confractis mihi pannis cum quibus abducta sum

*Patria S. Theoctistes.*

*Infantula Monastico induitur habitu, & in Monasterio virginum collocatur.*

*Arabes Christianos abducunt captiuos.*

*Tandem S. Theoctistes fuga elapsa, in insula Paro delitescit, & solitariam vitam ducit.*

*Confractis vestibus nuda deinceps semper incedit.*

captiua. Indúor verò & regor manu diuina, quæ continet omnia.

Hæc cum dixisset, & manus in cælum sustulisset, egit gratias. Cùm autem parum intermisisset, quoniam videbat me terram tacitum intuentem, & nec audentem quidem eam fixis aspicere oculis, dicit rursus incipiens. Res quidem meæ quemadmodũ se habent narraui ô homo. Peto autẽ vt vna in re mihi gratificeris propter Dominum. Quando anno sequenti nauigaturus es in hanc insulam venandi causa (scio enim te omnino venturum si Deus velit) vt in vase mundo mihi accipias vnum ex intemeratis donis corporis Domini nostri Iesu Christi. Ex quo enim hanc habitaui solitudinem, tali dono nequaquã sum dignata. Hæc ergo cum dixisset, & iussisset, nulli quidquam de iis dicere, cum precatione me dimisit ad socios. Ego autem omnia me impleturum pollicitus, abij lætus quod Deus meum implesset desiderium, quod me dignum censuisset qui talem thesaurum consequerer. Quomodo ergo sancta mihi iusserat quãdo eram cum sociis exiturus ad venandos ceruos & capreas, quas hæc insula alit multas, & aliorum maximas, & visu & narratu admirabiles. Nam ceruis quidem sunt colore similes, ceruis autem maiores magnitudine. Est autem eis cornu longum, nempe duodecim palmorum: non vt ceruorum, ornatum ramis, & adnatis propaginibus, sed totum tectũ, & quod vnum solum habet porrectum stipitem. Cùm ergo essem (vt dictum est) nauigaturus ad venationem, accepta in pyxide parte diuinæ carnis Domini, eam tuli ad beatam. Cùm venissem autem ad Insulam, & declinassem in ædẽ Dei matris, eam non offendi. An autem adesset & lateret, quoniam mecum ascenderant quidam ex sociis: an verò abesset, nescio. Hoc tantùm scio eam non offendisse. Atque alij quidem profecti sunt in syluam venaturi. Ego autem clàm reuersus sum in templum, & protinus sacrosancta mulier apparuit, induta tunica quã à me prius acceperat.

Cùm me autem in terram proiecissem, accurrit & cum lacrymis dixit eminus: Nequaquam hoc facias, ô homo, nequaquam facias, diuinum donum afferens, ne vras me miseram, diuina dedecore afficiens. Me itaque tunica apprehensum erexit. Ego autem eduxi è sinu meo pyxidem cum carne Domini. Cùm illa autem in terram cecidisset diuinum donum accepit, & lamentationibus & lacrymis terram rigans dixit. Nunc dimittis ancillam tuam Domine. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo quò tua me iubet potentia. Hæc ergo cum dixisset, & manus diu in cælum extendisset, me precibus prosequens dimisit ad socios. Cùm paucos autem dies venati essemus, & prædam satis magnam cepissemus, reuersi sumus. Et illi quidem profecti sunt ad nauẽ: ego autem cucurri vt illius beatæ acciperem viæ comites. Cum autem venissem in templum, & deinde circunspicerem vt eam viderem: video eam in loco in quo prius videram emigrasse. Cùm ergo procidissem, & beatos eius pedes essem amplexus, & rigassem lacrymis, stabam mutus, diu dubitans quidnam facerem. Atque videbar quidem sapienter & vtiliter facturus si cum lacrymis Deo supplicans, & sanctæ motus reuerentia, rogarem vt huic rei à Deo prouideretur, & quomodo is ostendisset iussum diuinum exequerer. Quod si hoc non essem assecutus, secunda erat, (vt dicitur) inunda nauigatio, nempe vt hanc rem sociis communicarem, & cum eis sepulturæ mandarem beatæ reliquias, hymnis & canticis prosequens pro viribus. Sed vt videtur, non facile contingit se sapienter gerere.

Ego itaque non sum assecutus id quod erat honestum & decorum, sed iusticitate & ingenij leuitate, quid enim & venator & imperitus noui excogitassem? feci rem audaciorem, fide quidem, vt mihi videbar, sed minimè Deo grata. Nam cum eius manum amputassem, & lineo texto inuoluissem, ascendi in nauem. Cùm profundo autem vespere è terra soluissemus, & velum expandissemus, secundis ventis spirantibus ferebamur, tanquam volantes, & sperabamus nos manè venturos in Euboëam. Cùm autem dies illuxisset, inuenti sumus rursus stantes in eodem portu: perinde ac si ab ancora aut ab aliqua remora teneretur nauis. Metus ergo omnes inuasit, & se inuicem circunspicientes tremebundi quærebamus causam rei, sciscitantes & inquirentes, num nefarium quidpiam à nobis factum sit cur arceremur. Intelligens ego audax meum facinus, inscientibus omnibus in templum sum reuersus, & cum posuissem manum in corpore sanctæ, descendi in nauem. Hortatus autem socios, cœpi iter ingredi.

Cùm verò multum profecti essemus, erat deinceps cymba volucris velum replente vento: fuitque rectus cursus & absque impedimento. Et tunc rem ego narraui sociis, & quemadmodum beatam illam inuenissem, & quemadmodum res eius se habuissent renunciaui, & quemadmodum denum diuinum attulissem, & ea dormiisset, & eius manum habens ingressus sum vespere, & propter eam retenti sumus, & sperabamus nauigare, & nunc recto cursu ferimur, quoniam deposui reliquias. Hæc cum illi audiuissent, & me multum reprehendissent, proram protinus obuerterunt, & magno studio in Parum sunt reuersi. Omnesque simul cursu in templum contendimus, timentes quidem & contremiscentes: fide autem freti tamen accedimus, & vidimus quidem locum in quo erat posita seruantem veluti figuram corporis, corpus autem euanuerat. Atque omnes quidem inuasit admiratio & stupor, & huc & illuc currebamus, considerantes, circumspientes num alicubi cecidisset, aut in vitam esset reuocata, & totam syluam & saltus obibamus eam inuestigantes, sicubi diuinus ille lateret thesaurus. Cum ergo, inquit, sic frustrati essemus venerandis illis beatæ reliquiis ad nauem descendimus, & à terra soluentes domum abiimus, Deum laudantes, & hymnis celebrantes, qui semper facit res magnas & admirabiles.

Hæc cum narrasset ille beatus homo & maximus, sacramento adegit me ne hoc sacramentum mandarem profundo obliuionis: nec aliquam afferens excusationẽ, tacerem miraculum, diuinã timens vltionẽ & sanctæ indignationem. Roganti autẽ mihi tempus & diem eius decessus, vt scriberetur cũ miraculo, & eius perageretur memoria, dixit vir ille sanctus. Multa quidem, vt vides, ô dilecte, prætermissa sunt quæ pertinent ad narrationẽ. Oportebat enim persequi & genus, & omnem eius in Insula exercitationem & afflictionem, & quemadmodum decertauit aduersus insultus inimicorum. Sed quid agã? cum is qui in magnam illam incidit, non esset sicut magnus ille Zozimas, qui sciebat inuestigare vitam, & certamina, & res gestas, sed cõtra nutritus in montibus & crassus, & hæc non audiuerat, sed hoc solum memoria tenebat, vt dicebat, quod esset tempus autumni & mensis Nouembris.

Hæc

*Spiritu prophetico prædicit futurũ venatoris cũ quo loquebatur, in Insulã aduentum.*

*Rogat vt sibi sacrosanctum Christi corpus deferat.*

*Inuenitur mortua.*

*Amputat venator sanctæ virginis manum.*

*Nauigantes se longè esse putantes, inueniuntur in littore.*

*Repertata manu ad corpus, absque impedimento fit nauigatio.*

*Narrat venator sociis totam rei historiam.*

*Redeunt ad Insulã, figurã autem corporis in loco impressam inueniunt, corpus verò multum ab eis quæsitũ nõ reperiunt.*

*Sũpto Christi corpore, paulo post migrat in cælum.*

*Quo mẽse anni, eius festiuitas celebratur.*



Hæc cum ille vir magnus nobis exposuisset, & valde rogasset, nos emisit. Cum secundi autem spirassent venti, die sequenti Diam appulimus, hoc est insigne lucrum nostræ in Paro conuersationis. Hæc est vita beatæ Theoctistes. Ego autem accessi implens obedientiam, & exoluens debitum. Ex quo quidnam efficietur? Multa quidem etiam alia, sed hæc tria maxima. Ipsi quidem suppeditatori, & administratori Deo laus, confessio, & gloria. Sanctæ autẽ ex oratione beatitudo, & anniuersaria cum eius commendatione memoria. Et nobis qui scripsimus, munificus, & magnus noster Deus Iesus Christus, pro prompto & alacri animi studio dabit remunerationem, intercessionibus Sanctissimæ eius matris Dei parentis, diuinorum Angelorum, & omnium Sanctorum. Quoniam ei gloria cum patre & Spiritu sancto, nunc & in secula seculorum Amen.

*Lucrum nauigationis ad Parum Insulam.*

## NOTÆ.

Theoctistes.] *De ea Mart. Romau. cum Baronio 10. Nouemb. & tom. 9. Annal. Agunt præterea Græci de ea in Menologio hac die. Eius res gestas à S. Simeone Metaphraste conscriptas recitant Lipom. to. 5. & Sur. tom. 6.*

Nauigabam in Cretam.] *Creta est Insula in Ponto, centum vrbium fama clara. Habet in longitudine ducenta 70. millia passuum, in latitudine 50. millia. Circuitus eius quingenta 89. millia passuum complectitur. Nullum in Creta animal noxium est, optimique vini fertilissima est.*

Spectat ad Naxum.] *Naxos Græcè est insula in Ægeo mari, vna ex Cycladibus, cæteras superans, antea Strongile dicta. Verum cum Cares ex Lamia profecti, duce Naxo eam occuparunt, à duce Naxon appellarunt. Hanc Dionysiam à vinearum fertilitate dici scribit Plin. vel quia (vt alij volunt) solæ Naxiæ mulieres octauo mense pariant, siue quia fons in ea vino fluat.*

Iusta constructum symmetria.] *Symmetria, commensuratio à Latinis dicitur.*

In Euboïcæ promontorio.] *Est Euboëa nomen Insulæ & ciuitatis in ea sitæ. Hinc Euboicum mare.*

Lesbos.] *Insula est in Ægeo, Æolicarum vrbium Metropolis. Ambitus eius stadiorum centum supra mille, à Borea in austrum protensa quingenta, & 60. stadia longitudinis habens, feraci agro, & multa materia ad classes conficiendas idonea. Dicta est autem Lesbos ab vrbis nomine, quæ in ea potentissima fuit, siue à Lesbo Iapithi filio, qui in eam Insulam nauigauit.*

Methymna.] *Vel Methymne, vrbs Lesbi, apud quam nascitur optimum vinum.*

Ab aliqua remora teneretur nauis.] *Remora est paruus piscículus, spinis, & crustis tectus, à remorando dictus, quod nauem, cui annixus fuerit, remoretur. Vocatur alio nomine Echeneis. Vide Plinium lib. 9.*

Diam appulimus.] *Dia est nomen duarum Insularum, quarum vna Cretæ adiacet, alia in mari Tyrrheno, quæ aliis nominibus Naxos & Strongilos vocatur, estque illa de qua fit mentio in historia.*

## VITA S. AVXENTII ABBATIS.

### Ex Cyrillo Monacho. Habetur autem in Simeone Metaphraste.

TEmpore Theodosij iunioris vicesimo quinto anno eius Imperij, fuit vir quidam nomine Auxentius, qui erat relatus in numerum quartæ scholæ fortissimorum, & Christi amantium scholarium, ex genere quidem Orientali, in pietate autem, & omni Christiana doctrina eruditus, roburque corporis, & fortitudinem in ipsa forma gestans, morumque modestiam, & virtutem gerens animo, dogmaque habens sanum in fide Apostolica, & plurimum studium in generalibus vigiliis pernoctationum. Hic ergo sanctus & diuinus Auxentius habebat patruum Byzantij in militiam relatum, optionem numeri. Quem requirens cum ascendisset ex Syria, & non inuenisset, propterea quod prius decessisset, militauit scholaris. Cum ergo esset in exercitu insignis, frequenter etiam versabatur cum iis quorum celebrabatur exercitatio, & virtus, maximè autem cum quodam Ioanne Monacho, qui prope septimum stabat in Clubo, cuius etiam vestigiis insistebat tanquam nubes Christi.

*S. Auxentius à pueritia in fide Catholica eruditus.*

*Fit miles.*

*Vita spiritualis à quodam Ioanne incluso documenta discit.*

Cum aliquando iret in Palatium, occurrit ei quædam mulier prægnans, passis crinibus, clamans. Oiusquæ affertur ab Auxentio qui comedit dæmonia, viginti annos latui in hac creatura. Beatus autem ne cognosceretur ab hominibus, festinabat transire, celans quæ in se erat gratiam. Immundus autem spiritus sequebatur eum dicens, quid me trahis? egredior. Congregatæ verò sunt circa eum multæ turbæ, adeo vt suspirans, & flens beatus oraverit vt curaretur. Hoc autem facto, illæso fœtu, (erat enim grauida) statim mundata est. Postquam autem hæc facta sunt, non volens Christi miles laudari ab hominibus, spiritu præuidens in sanctissima Ecclesia nascituram vani dogmatis hæresim, Nestorij inquam, & Eutychis, relicta terrena militia & aula Imperatoris, cum magno gaudio peregit id quod olim desiderabat. Nam ab omnibus quæ ad vitam huius mundi pertinent, & ab ipsa regia ciuitate se separans, proficiscitur ad partes desertas Bythiniæ. Et cum ascendisset ex transuerso montis qui vocatur Oxea, qui distat circa decem millia à Chalcedone, stetit supra petram. Cum ipse verò circa vnum mensem fuisset in montis latere supra petram, ascenderunt illuc pueri gementes & clamãtes, quoniam cum pascerẽt oues eas perdidissent, & cum vidissent virum iustum, valdè sunt mirati, existimãtes eum esse feram agrestem, & fugerunt (indutus enim erat veste contexta ex pilis & pellibus) imitans vitam Ioannis præcursoris & baptistæ. Cùm eos autem aduocasset beatus Auxentius dixit. Nolite timere filij: sum enim homo vobis similis. Quid verò quæritis? Dicunt pueri; greges nostros, eos enim amisimus, & ideò affligimur. Christi autem seruus Auxentius misertus, orauit multas horas. Cum verò ipsis pueris benedixisset, dicit eis. Ite ad sinistrum latus mõtis, & inuenietis vestros greges. Respondentes autem pueri dicunt ei. Ter circuiuimus mõtem hunc inaccessum, & non potuimus eos inuenire; & quomodo nunc inuenientur? Sanctus autem dixit eis. Ite, vt dixi vobis, in nomine Domini ad sinistrum latus montis, & eos inuenietis. Euntes verò eos statim inuenerunt, & cum domum venissent renunciarunt suis parentibus.

*Relicta aula regia vitam amplectitur solitariam.*

*Pastores oratione viri Dei, amissos greges inueniunt.*

Cum autem audiuissent parentes illorum puerorum, congregati viri ex iis quæ erant circumcirca prædiis, supplicantes ad eum iuerunt, & inuenerunt beatum solum stantem supra petram, & Deum precantem, & omnes vno ore Deum rogarunt vt ascenderet supra verticem montis, & oratio

*Includitur in cella.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

tationibus, iussit eis ædificare paruam cellam, & Clubum extra cellam, in quo etiam fuit inclusus. Frequenter ergo ascendentes eius precibus fruebãtur. Nam per paruam fenestram eis benedicens, & consulens quæ pertinent ad salutem, lætos dimittebat. Cùm ergo Dei in eo scaturiret gratia, & eius fama in omnem partem peruaderet, quædam Comitissa ad eum venit è Nicomedia, quæ excæcata erat. Sanctus autem cum tetigisset eius oculos, sanata est, & confestim vidit.

*Comitissam excæcam solo tactu sanat.*

Aliquot autem post diebus ascenderunt ad eum duo viri laborantes elephantia, qui à Deo per ipsum petebant sanationem. Sanctus verò dicit eis. Quodnam est vestrum peccatum, quod hæc plaga in vos incidit? Hoc vobis accidit ô fratres, propterea quod frequenter iuraretis. Sed de cætero oportet vos desistere prouocare ad iram Dominum Deum vestrum. Quæ cum dixisset, & omnes esset ad precandum hortatus, ipse quoque flexis suis sanctis genibus, surgens accepit oleum sanctorum, & eos vnxit, & statim sunt sanati.

*Oleo sacto elephãtico morbo laborantes curat.*

Rursus autem duæ mulieres ad ipsum venerunt è Phrygia. Quarum vna habebat coxam percussam ab immundo spiritu, altera autem habebat legionem dæmonum. Earum itaque misertus beatus, cum Deum vehementer orasset cum lacrymis, eas curauit. Illæ autem permanserunt in monte Oxeæ, in quo stabat beatus, domum non reuertentes.

*Pellit à muliere legionẽ dæmonum.*

Paucis autem post diebus venit mulier quædam ex Claudiopoli, filia cuiusdam ciuis, quæ habebat dæmonem formæ serpentis similem, vt quæ sibilaret solum, & non posset loqui, nisi vt canis: propterea quod eam desolasset Satanas. Quam cum vidisset Dei seruus Auxentius fleuit acerbè dicens: Hei mihi, quomodo redactum est genus hominum in seruitutem alieni? Et clausa fenestra cellæ, spatio trium dierum non conuenit aliquem: sed rogabat benignum Deum vt conculcaret draconem. Cum fenestram autem aperuisset beatus post tres dies, & ei dedisset potum ex oleo sanctorum, statim locuta est, & cum surrexisset ambulauit, vsque ad suam senectutem à monte non separata, sed precibus, & sancto perpetuo assidens, & Deo gratias agens qui eam sanauit. Post huius autem decem & nescio quot annos, cum quadraginta ante annis decessisset fidelissimus & orthodoxus Imperator Theodosius minor, imperassetque venerandus & Christi amans Marcianus, fuit magna confusio & perturbatio circa dogma veræ nostræ fidei. Quidam enim Eutyches Presbyter & Archimandrita vnius ex Monasteriis vrbis regiæ, conabatur renouare deliramẽta & verba quæ fuerant refutata & abolita à sanctæ & beatæ memoriæ Episcopis, Basilio inquam magno beatoque, & luminatio orbis terræ, & Gregorio inclyto Theologo, & Ioanne Chrysostomo, & iis similibus. Cum ergo alij eius dogma sequerentur, alij verò eadem sentirent quæ Nestorius, adeò vt venirent in periculum dogmata fidei Catholicæ, videns magnus & orthodoxus Imperator Marcianus Ecclesiam in magna confusione & perturbatione, decernit vt Episcopi totius ferè orbis terræ venirent Chalcedonem ciuitatem Bythiniæ.

*Item ab alia teterrimũ fugat dæmoniũ.*

*Eutyches hæreticus abolitas olim hæreses renouat.*

*Congregatur synodus Chalcedonensis.*

Cum omnes ergo conuenissent Episcopi, adeò vt essent numero sexcenti triginta, iusserunt etiam conuenire beatum Auxentium Episcopi & Imperator. Cum autem magnus & diuinus pater noster Auxentius resisteret & nollet descendere, dicens non esse Monachorum docere, sed potius doceri, hoc verò iis solis conuenire qui sunt honorati pontificatu: misit Imperator Marcianus quosdam ex Monachis & Clericis, simul cum militibus, res eius cognoscentes, & iussit vt nisi vellet sua sponte venire cum eis, inuitum adducerent. Illi autem cum accessissent, eum maximè vrgentes, nequaquam persuasere: adeò vt conuersi sint ad eum incessendum maledictis, & affirmarent eum non sapere. Conabantur itaque eum vi exturbare. Sanctus autem eis cedebat, sed nondum perfecta mente, absque superna voluntate. Nam cum duxissent artifices ad globum in quo erat soluendum, & totum diem permansissent, nihil potuerunt facere. Manè verò dicit eis. Dicite mihi fratres & patres in qua re malè credo, & deinde sic prouidẽtia Dei globus aperietur. Illi autem dixerunt. Quod cum pius Imperator Marcianus pios, qui vbique sunt Episcopos congregauerit ad vtilem considerationem dogmatum sanctissimæ Ecclesiæ, tu non vis venire. Scis enim eam quæ nunc est confusionem: cum alij quidem sentiant cum Nestorio, & schisma moliantur, propterea quod vocem Dei parentis auferant à casta & veneranda Virgine matre Domini, alij verò Eutychis vel Apollinaris potius tuentur dogmata, & confitentur Dominum Iesum Christum non perfectè susscepisse carnem ex semine Dauid: sed visione eum fuisse hominem prodigiosè asserunt. Hæc cum beatus audiisset Auxentius, dixit. Ego confiteor verbum perfectè carnem susscepisse ex Virgine, & ipsum adoro, vt qui sit filius vnigenitus, qui cum patre quidem est expers principij, quod attinet ad diuinitatem: in vltimis autem diebus ex ea visus est, quod spectat ad humanitatem. Solum enim hominem, vt nonnulli nugantur, Filium Dei confiteri, est impium. Hæc cũ dixisset, & vidisset eos instare, & manibus in cælum sublatis iussisset intensam fieri precationem, non tradidit seipsum. Illis autem insultantibus, & globum dissoluere rursus aggredientibus, beatus cum signasset globum, & ter dixisset, Benedictus Dominus, miti voce imperauit artificibus, & sic eius voluntate sublatis tabulis quæ erant clauis affixæ eius fenestræ, eum eiecerunt. Adstiterunt verò iumenta & currus, vt eum colloçarent vbi vellet ascendere. Cum autem recusasset locari super iumentum, strato curru, sanctum in eo reclinarunt: erat enim imbecillus & deiectus toto corpore, ex nimia exercitatione, & maximè ex laboribus, adeò vt exiret sanies cum vermibus. Inter quos quidam nomine Theophilus acri fide accurrens, cum vidisset effluxisse vnguem magni digiti dexteri eius pedis, eum abstulit. Sanctus verò dolens dixit. Frater, ego quoque sum homo obnoxius iisdem passionibus quibus vos, ne mihi exhibeatis molestiam. Cum autem cum magno tumultu imperarent bobus ij qui fuerant missi, vt emouerent currum, & nihil efficerent, diu animalibus manentibus immobilibus, cœperunt eos cruditer verberare, & stimulis pellem eorum sauciare. Ægrè ferens ergo beatus cum iussisset eos cessare, & cruce quam, vt solebat, habebat in manibus signasset animalia, & eis statim imperasset: ea fecit statim iter ingredi.

*Marcianus Imperator mittit qui Auxentium adducant in Concilium.*

*Nestorij hæresis quæ.*

*Eutychis & Apollinaris hæresis.*

*Sana fides S. Auxentij.*

*Tandem eiicitur ab Inclusorio.*

*Sanies & vermes ex corpore S. Auxentij profluentes.*

*Nota S. viri humilitatẽ.*

*Crucẽ semper in manibus portat.*

In via autem occurrit Agricolis deflentibus & lamentantibus propter suas bestias, quod paterentur sicut homines, vexati ab immundis spiritibus. Misertus itaque beatus, cum omnes iussisset intentos esse orationi, & ex imo corde suspirasset, & Deo supplicasset: eas curauit. Quædam autem mulier passis capillis, ei mox occurrit in via, quæ etiã ad eum attulit infantem circiter trium annorum, qui

*Bestiæ obsessæ à dæmonibus, precibus viri sancti liberantur.*



qui possidebatur à dæmone. Iustus verò cum eum vidisset, cœpit manus extendere, & lacrymas effundere, & dicere iis qui aderant. Ne existimetis ô viri qui corde estis submersi, hunc puerum peccasse, & vexari ab immundo spiritu, sed hoc propter nos contigit, & propter nostram conuersionem, erat enim vultus infantis ponè conuersus. Cum ergo precatus esset beatus Auxentius, & increpasset immundum spiritum, inspirans in faciem infantis, eum curauit. Egresso enim maligno, & execrando dæmone, fuit eius vultus sicut prius restitutus.

*Sanat pueriũ à dæmone vexatum.*

Milites autem cum Clericis, & Monachis qui consequebantur ex monte, cum viderent signa quæ faciebat, admirabantur, & magis dubitabant, quàm credebant, dicentes ei. Hæc facis vt oculis appareant, ô illusor Christi. Sanctus autem subridens dicit eis: Ego non sum Christi illusor, sed seruus Dei, credens in sanctam eiusdemque essentiæ, & indiuiduam Trinitatem, confitensque Dei parentem, sanctam & incorruptam virginem. Cum verò peruenisset ad prædium quod dicitur Sycides, iuuenis quidam nomine Gregorius ex pago Lyddorum, habens immundum spiritum, accessit ad sanctum in eandem possessionem, ad eius pedes procidens, & dicens. Miserere mei serue Dei altissimi, quoniam vexor à maligno dæmone. Beatus autem Auxentius, imposita manu eius capiti, cum esset precatus, spiritum quidem non sinit loqui, vt ipse autem exiret per Christi gratiam procurauit. Malus verò dæmon egressus, latebat sub spina prope viam, vt reuertente adolescente ad eum rursus rediret. Postquam autem percussi sunt boues, & ipsi currum erant moturi, cognoscens beatus in sancto Spiritu, dixit adolescenti. Adolescens, caue ne eas per viam sinistram per quam iuisti. Illic enim à spinis est absconsus qui te expectat malignus, sed vade ad dexteram, Deo agens gratias.

*Iniuria afficitur à deducentibus eum Clerici.*

*Iuuenẽ quendã obsessum à dæmone sanat.*

*Nota malitiam dæmonis.*

Cum autem iam accessissent ad Martyrium S. Thalelæi, eũ sequentes pauperes ex monte Oxeæ, simul deflebant, & lamentabantur, & amplectebantur sancta eius vestigia. Videns verò Christi discipulus Auxentius intolerabilem luctum cordis eorum, dixit eis. Abite filij, & sedete in monte in pace: Ego enim sum vobiscum. Nam & si corpus meum abducunt, at meus spiritus est inter vos, nec vnquam vos relinquam. Cum in curru autem venisset ad Monasterium, quod erat in Phelio, iuuenis quidam nomine Isidorus eius oratione à dæmone fuit liberatus. Post hæc beatum introduxerunt in inferius triclinium, vndique clausis ianuis. Nam cum condemnassent eum tanquam maleficum, incluserunt, non concedentes vt quisquam eum cõueniret. Cum verò ad eum accessissent Monachi Monasterij, rogabant tentantes, quare non comederet. Ille autem dixit eis. Quoniam experimentum quæritis Christi, qui in me loquitur, qui non est infirmus, sed potens in nobis. Scriptũ est: Non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod egreditur per os Dei. Quodam itaque die aperuerunt domum in qua erat, & posuerunt in ea sportam betarum, & sportam dactylorum, & sportam diuersorum bellariorum. Omnia autem certa mensura, & eum rogabant vt ex eis sumeret. Cum itaque candelam fecissent, & puerum apud eum manere iussissent, incluserunt eum vna hebdomada. Et candelam quidem inuenerunt insumptam & ardentem. Puerum verò rogarunt, quidnam faceret, & vndenam aleretur. Is autem dixit eis. Cum eo quidem vidi glorificãtium multitudinem, quin etiam ingredientem columbam, & eum pascentem.

*Consolatur pauperes.*

*Degit inclusus in cella.*

*Pascitur à columba.*

Vermes autem qui cadebant è suis pedibus recolligens, eos rursus imponebat vlceribus. Quoniam autem puer à sancto iussus nemini dicere quæ viderat rursus coactus fuerat ea effari, febre arreptus vno post die decessit.

*Minister ea reuelans quæ viderat, moritur.*

Cum hæc autem facta essent, & deductus fuit à Monachis & Clericis, & quibusdam aliis viris præclaris ad Ruffinianas, prope sanctos Apostolos in Monasterio beati Hypatij, illic iussus agere silentiũ. Cum magno verò gaudio eum exceperunt qui illic erant Monachi. Multi etiam qui immundos habebant spiritus, & Lunatici infirmique, & paralytici illic assidebant, & illic curationem petentes per seruum Dei Auxentium omnes curabantur.

*Multos sanat infirmos.*

Post hæc autem pius Imperator misso Dromone ex Hebdomo, quod illic esset Procensus, ad se accersiit beatum Auxentium. Et cum eum vidisset toto corpore afflictum, magnam in eum ostendens reuerentiam dicit ei. Scio te esse Dei seruum Domine Auxenti, & debes consentire sanctæ & œcumenicæ synodo, ad hoc ne tu fias auctor offensionis iis qui eam volunt admittere. Sanctus autem respondens dicit Imperatori. Quis sum ego canis mortuus, quod vt cum sanctis pastoribus connumerer iubet tua potentia, qui non recuso pasci, & doctrina egeo? Imperator verò postquam plurima cum eo esset locutus, dixit. Considera quid expediat, & ne nos afficias molestia. Nam nec nos quidem quidquam præter id quod oportet, sed vt decet, concilium congregauimus. Hæc cum dixisset Imperator, & preces ab eo petiisset, eum dimisit. Cum verò venisset beatus Auxentius in Monasterium sancti Hypatij in Ruffinianis, & vidisset illuc magnam affluxisse multitudinem, cœpit omnibus præcipere vt abstinerent à theatris, vt quæ essent causa impudicitiæ, adulteriorum, & falsi testimonij, periuriique & blasphemiæ, & omnium denique quæ sunt prohibita, & Deo minimè placent, sincerè autem credere in sanctam, & quæ est eiusdem essentiæ Trinitatem, & confiteri Dominum nostrum Iesum Christum susceptisse carnem ex sancto Spiritu, & Maria semper virgine, & Dei parente, & assidere sanctissimis Ecclesiis, in Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus. Quidam verò ex multitudine qui accesserant febricitantes, & horrentes, dignati contactu eius manus, sani sunt redditi. Ei autem significatum est adesse puellam recens nuptam, quæ in thalamo correpta fuit ab immundo dæmone, & se diuellit, & comedit. Sanctus autem lacrymans, præcepit dæmoni vt egrederetur à Dei creatura. Perinde ergo ac si in soporem esset resoluta puella ab ea recessit dæmon.

*Monet ad se confluentem multitudinẽ abstinere à Theatris, & fidem Catholicam inconcussam tenere.*

*Sanctissimum dæmonẽ pellit à puella.*

Cum verò rursus mittens Imperator, eum accersiisset, rogauit an assentiretur sanctæ synodo, & cum sancta communicaret Ecclesia. Dixit autem beatus. Quomodo possum communicare, si non confiteatur Dei parentem semper virginem? Dixit ei Imperator. Si videris quæ sunt rectè confirmata, & stabilita à synodo ad destructionem reliquarum hæresum, tunc quoque assentieris? Si nihil aggressa est hæc sancta synodus quod tendat ad euertendum Concilium trecẽtorum decem, & octo patrum qui erant Niceæ, sed perfectam enunciauit carnis susceptæ œconomiam Seruatoris nostri Iesu Christi, & quæ conuenit virgini Dei parentis vocem non rursus abstulit, communico, & assentior, Deo agens gratias, & vestræ pietati. Hæc cum audiisset Imperator, osculatus est venerandum, & sanctum

*Nota S. viri zelum pro honore beatæ virginis Dei genitricis Mariæ.*

eius caput. Et sic deinde iussit cum magno honore venire in magnam & sanctissimam Dei Ecclesiam. Quamobrem magna eum populi consequebatur multitudo. Significans autem Imperator Archiepiscopo Cõstantinopolitano quæ ab eo dicta fuerant, iubet ei legi omnia quæ à sancta synodo fuerant definita.

*Leguntur ei acta Synodi Chalcedonensis.*

Qui cum diligenter & accuratè acta legisset, & admisisset beatus, in diuina satisfactione & spirituali intelligentia assensus abiit Ruffinianas. Non oportet autem nos inquit ex ignorantia maledictis insectari aut calumniari hãc sanctam synodum: sed potius quod manifestum est & verum agnoscentes admittere.

*Probantur & admittuntur ab eo.*

Itaque cum sancti patres hæc concorditer in synodo declarassent ac definiissent, & vnusquisq; ad suos reuerteretur, noluit beatus Auxentius redire ad priorem montem, sed in alium asperiorem & altiorem, propiorem autem Ruffinianis, nomine Scopem, rogauit eos qui conueniebant ipsum deducere. Sicque in priori habitu eius desiderium implentes, cum fratribus qui erant ex Monasterio in quo est versatus, cum psalmis & hymnis & canticis spiritualibus eum deduxerunt. Et cum globũ ex lignis fecissent, tanquam auem sublime volantem, ipsum incluserunt: vnam solum sinentes fenestram, ad conueniendum eos qui accedebant, eo ritu quo prius.

*Finita Synodo, in montẽ Scopæ deductus, rursus includitur.*

Non alienum autẽ existimamus, atque adeo vtile, sigillatim narrare quæ hic ei contigerunt tentationes ab immundis & malignis spiritibus. Vna enim nocte eo orante, accedentes dæmones innumerabiles diuersarum visionum species præ se ferentes, strepentes, rugientes, minantes, non potuerunt mentem eius terrere. Cum eum ergo plagis affecissent, putabant fore vt se deturbaret per fenestram, cum vi magna tumultum edentes, & seipsos magis quàm illum conturbantes, inconditis vocibus exclamantes. Quid tibi cum nostris desertis? Recede à rebus nostris: malè enim es periturus. Sed beatus Auxentius fortiter ferens, Crucis figuram in eos exprimens, reddidit imbecilliores.

*Innumerabiles dæmones, in variis speciebus nõ possunt eum terrere.*

*Verberatur ab ipsis.*

*Signo Crucis eosdem fugat.*

Cum de more in quadam nocturna vigilia ipse intus precaretur, & reliqui qui ad eum venerant foris permanerent: aperta fenestra beatus dixit. Quod erat in oriente luminare ô filij, Simeon pater noster dormiit. Cum ij autem propter psalmodiam non audiuissent quod dictum fuerat, valde flens beatus dicit eis. Sanctus pater noster, Ecclesiæ columna & firmamentum Simeon, requieuit, & nulli culpæ affinis & munda eius anima, me inutilem & sordibus inquinantum, non est dedignata præteriens salutare. Hæc cũ audiissent & valde essent perculsi, non potuerunt respondere, sed siluerunt, signantes noctem in qua hæc dicta fuerant. Cum autem paucis post diebus hoc ad pium Imperatorem Leonem in principio sui Imperij relatum esset, & omnibus id esset notum, diligenter scrutati qui audierant, inuenerunt fuisse certum quod sanctus dixerat: vt quod diuina gratia prædixisset per reuelationem in consummatione Sancti Simeonis.

*S. Simeonis Stylitæ obitũ declarat.*

Ipse verò postmodum plenus dierum migrauit ad Dominum. Congregata ergo multitudo piorum virorum ex Clero, & iis quæ circumcirca erant Monasteriis, & cum mundanis, ei iusta fecerunt quarto decimo mensis Februarij. Consummatus autem fuit sanctus pater & Presbyter Auxentius in Imperio pij Zenonis Februarij mensis 14.

*Migrat ad Christum S. Auxentius.*

*NOTÆ*

Auxentius.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio 14. Februarij. Agunt de eodem hac die Græci in Menologio. Eius res gestas purè germanéque conscriptas habet Metaphr. ex quo eas Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. conscripserunt. Meminit eiusdẽ Nicephorus. hist. lib. 14. c. 52. in fine. De eius tyrocinio scribit Sozomenus hist. lib. 7. cap. 21. in fine. Peruenit ætate vsque ad Zenonem Imperatorem.*

Byzantij.] *Byzantium est vrbs Thraciæ, quondam à Pausania Spartanorum Rege condita: postea à Constantino magno in maius aucta, gloriosissimi Imperij sedes est totius caput Orientis, vnde à Constantino Constantinopolis appellatur.*

Ad partes Bythiniæ.] *Bythinia, regio minoris Asiæ, aduersa Thraciæ, & proxima Troadi, de ea iam egimus.*

Phrygia.] *Regio minoris Asiæ, à Phrygio amne, qui eam à Caria diuidit, vel à Phrygia Cecropis filia. Duæ reponuntur Phrygiæ ab Ambrosio Calepino, consule eum.*

Quidam Eutyches.] *Fuit hic infœlix hæreticus Archimandrita seu Abbas Constãtinopolitanus, qui in Christo solam diuinam asseruit esse naturam, humanam verò assumptionem negauit existere in duabus naturis. Ab eo eius sectatores dicti fuerunt.*

Duxissent artifices ad globum.] *Genus erat ædificij in quo habitabat S. Auxentius, ad modum globi vndequaque rotundi.*

Apollinaris.] *Execrandus hic hæresiarcha inter cæteros errores Millenariorum hæresim adstruebat, totisque neruis defendere conabatur. Error autem millenariorum dictus est à mille annis quibus post iudicium in initio nascentis Ecclesiæ, cum Christo in hoc mundo iustos regnaturos cũ variis voluptatibus & oblectamẽtis multi credebãt. Addebat autem huic hæresi impius Apollinaris multas impietates, dicebat enim homines resurrecturos esse ad legem, circuncisionem, & Sabbatha seruanda, ad cibos electos, vt olim, & templum materiale constructuros, vt de eo scribit S. Basilius in epist. 74. ad Occidentales. Consulatur Baron. in notis Martyrologij 22. Februarij.*

Sportam betarum.] *Beta hoc loco sumitur pro genere herbæ. Mart. Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ, vulgò appellatur* de la porree, de la iotte des bettes.

Sportam diuersorum bellariorum.] *Bellaria sunt cibi secundæ mensæ, vt sunt poma, pyra, nuces, ficus, racemi*, &c.

## *VITA S. DANIELIS STYLITÆ. Ex Simeone Metaphraste.*

BEATISSIMVS Daniel patriam habuit Mesopotamiam. Natus est autem in quodam vico vicino vrbi Samosatorum, eorum qui illic habitant lingua eum vocat Maratha. Ei quidem pater erat Eliu, mater verò Martha. Fuit autem hic modus conceptionis. Matris eius vterus erat admodum mancus ac mutilus, erat enim sterilis ad liberorum procreationem. Cũ itaque mille probris eam indies infectarentur, maritus, noti, cognati, & omnes alij, & liberorum egestatem ei acerbè obiicerent: illa ab eis malè affecta, & corde cruciata, quid facit? Confugit ad eum qui hæc potest curare, & clam domo media nocte egressa, manus in cælum tollens, & terram lacrymis rigans: Domine Rex, inquit, qui ab initio masculum & fœminam fecisti, qui dixisti, Crescite & multi

*Patria & parentes S. Danielis.*

*Mater S. Danielis ob sterilitatem à viro & cognatis injectatur.*



& multiplicamini, qui dedisti in sterilitate Saræ Isaac, Annæ autem Samuelem, Elizabethæ verò Ioannem, tu quoque meæ similis miserere calamitatis, & sterilis vteri da mihi fructum, vt eum quoque tibi offeram qui dederis, quomodo Anna Samuelem. Cum tam acerbè fleuisset in contritione spiritus, domum rursus ingreditur, & cum parum dormitasset, videt in somnis duo luminaria, præclara pulchritudine, ingentia magnitudine, figura autem disco similia. Ea videbatur videre cœlo relicto sensim descendentia, desuper eius imminere capiti. Cum mane autem surrexisset, & marito visionem, & suis cognatis communicasset, alius quidem aliquid aliud dicebat euenturum, illud verò erat præsignificatio eius quod ex ea erat processurum vel ipsis stellis lucidius.

*Confugit ad Deum.*

*In somnis duo luminaria capiti suo imminere videt.*

Non multum temporis intercessit, & cum concepisset, peperit beatum Danielem. Atque puer quidem quintum annum iam attigerat, nondum autem ei vllum nomen fuerat impositum à parentibus, vt qui hoc quoque ei vellent dari à Deo, quomodo eius quoque in vitam productio ab eo processerat. Duxerunt ergo parentes puerum in quoddam Monasterium. Cum verò accessissent, & dicerent præfecto mandræ spiritalis, quodnam nomen est imponendum puero? Ille vir diuinus, diuino veluti instinctu afflatus dicit, id esse imponendũ quod Dominus reuelauerit. Et cum iussisset afferri vnum ex libris qui erant supra mensam: fortè fortuna affertur liber qui Prophetæ Danielis habebat eloquia. Cum ille ergo vir iudicasset è cœlo datum esse hoc signum, puerum vocat Danielem.

*Nascitur S. Daniel.*

*Diuina reuelatione Danielis nomen accipit.*

Postquam igitur Daniel annum attigerat duodecimũ, cum nemini voluntatem aperuisset, despicit parentes propter Christum, mundunque, & quæ sunt in eo, venit in quoddam cœnobium Monachorum. Procidens autem ad pedes præfecti sacri gregis, rogabat vt ipse quoque cooptaretur in numerum Monachorum. Cum autem ille & corporis imbecillitatem, & teneram ætatem obiiciens, dixisset, non posse ea subire quæ subeunt Monachi: Daniel verò asserebat cum Dei auxilio omnia posse tolerare. Et sic cum multa dixisset, præfectus fratres adhibet in consilium, an oporteat eum in ipsorum admitti Monasterium. Illis verò pueri magnam mirantibus constantiam, & existimantibus esse Deum qui eum moueret, vt admitteretur libenter assentientibus, de cætero cum eis habitauit Daniel: & cum ei præfectus recitasset regulam, & totondisset capillos, eum Monastico induit habitu.

*Anno ætatis duodecimo relictis parentibus fit Monachus.*

Erat ergo illic beatus Daniel proficiens, & inualescens spiritu, & ei crescenti simul quoque crescebant omnia semina virtutis. Et cum ita proficeret, amor diuinus in eo vehemens excitat desiderium videndi loca in quibus Christus pro nobis passus est. Simul autem diuina quoque quædam cupiditas eius animum inflammabat, videndi illum virum magnum in exercitatione Simeonem, qui erat in columna. Et accedens ad præfectum Monasterij, id quod volebat ei communicauit, & rogauit ne quod petebat sibi denegaretur. Ille verò tunc quidem sua sponte non concessit: paulò post autem vel inuitus dimisit. Nam cum ei necesse esset venire Antiochiam, propter curas Ecclesiasticas, secum accepit Danielem, & quosdam alios fratres. Et postquam fuissent in illo vico qui nominatur Telada, vbi magnus ille in sanctitate Simeon peragebat labores exercitationis, cum ad

*Summopere & loca sancta, & Simeonem Stylitem inuisere desiderat.*

*Causa vrgẽte proficiscitur cum Abbate suo Antiochiam, & sic sanctum Simeonem videre meretur.*

ipsam iam veniissent columnam, contemplabantur & columnæ altitudinem, & loci asperitatem, & quemadmodum vir ille generosus, & hyemis ferebat algorem, & æstatis calorem, & minas imbrium, & vim ventorum, & omnem aliam corporis tolerantiam. Cum hæc viderunt alij quidem insipientiores, existimabant sanctum vana gloria adductum, tanta sustinere certamina. Beatus autem Daniel non solum ea stupebat, & mirabatur, sed etiam incitabatur ad imitationem, & boni zeli stimulum accepit animo. Cum verò vbi infernè clamassent, magnus illè desuper prospiciens dixisset oportere admouere scalas, & ad ipsum ascendere, tunc pulchrè licuit videre animorum probationem, & alius quidem causatus pedum debilitatem, alius renum, alius senectutem, alius aliquid aliud, recusabat ascendere. Daniel verò cum cucurrisset, & Magistrum rogasset, & ab eo iussus esset, ascendit prompto, & alacri animo, & magnum salutat Simeonem cum gaudio & admiratione.

*Cupit sancti virt institutum imitari.*

*Ascendit ad Simeonem in columna.*

Neque verò fuit hic labor Danieli inutilis, & ad eum ascensio. Sed primum quidem ad virtutem excitatur & instruitur, & redditur vehementius eius desiderium. Deinde ab eo consequitur benedictionem, & futuri suscipit prædictionem, eum enim audiuit dicentem. Esto fortis fili, & confirmetur cor tuum. Multos enim & difficiles labores propter Christum es suscepturus, qui & sufficiens tibi erit consolatio, & ad eos fortiter ferendos tuũ roborabit animum. Descendit ergo Daniel post hanc suauem cum eo congressionem, & rursus ad sacrum redit Monasterium. Postquam autem Monasterij Præfectum ad se vocauit Deus, Daniel vi trahebatur à suis condiscipulis vt Monasterij præfecturam susciperet. Sed ille qui gratam conflectabatur quietem, & silentium, minimè statuit cedere, sed alium adduxit, qui esset eis vtiliter præfuturus, sibi autem optimè consuluit. Et relinquens Monasterium, cum nulli animi sui arcanum aperuisset, venit ad mandram illam in qua erat sita columna beati Simeonis. Infrà enim circa eam erat quoddam Monasterium, in quo cum totos quatuordecim dies transegisset, volebat Simeon Danielem adhuc apud se retinere. Ille autem non sustinuit, cum alio teneretur desiderio. Desiderabat enim videre sacra loca, & interiorem quærebat solitudinem.

*Pergit Constantinopolim.*

*Recusat Monasterij præfecturam.*

*Iterum venit ad S. Simeonem.*

Cum verò iter esset ingressus, ei in via occurrit quidam, cui erat ætas senis, Monachi vestitus, cana autem coma, & qui erat in omnibus similis Simeoni qui erat in columna. Hic sanctis suis persuasionibus auertit Danielem, ne iter prosequeretur, dicens id quod sibi proposuerat non esse ex Dei sententia, sed potius proficisceretur Constantinopolim. Cum beato autem sic visum esset facere, properè contendebat Cõstantinopolim. Et cum in ostium pontis esset ingressus, septem dies mansit in templo sancti Michaëlis. Sed cum audiuisset aliquos dicentes de alio templo, accepisseque malos in eo habitare spiritus, & nõnumquam submergere nauigantes, reuocans in memoriam magnum Antonium, & quàm multas à dæmonibus sustinuerit tentationes, & eas virtute Domini superauerit, ipse quoque se ad aggredienda certamina exuit. Et cum ingressus fuisset tẽplum: primò Christi Cruce se munit, & cœpit obire omnes angulos, quærens fugientes dæmones, & in vnoquoque eorum flectens genua. Dæmones autem in eum proiiciebant lapides: Ille autem perseuerans in oratione stabat quietus. Non multum interceſſit temporis,

*Habitat in templo à dæmonibus occupato.*

& Christi

*Fugantur ab eo in virtute Dei.*

& Christi virtute deleta est omnis illa mala dæmonum operatio.

Cum cernerent dæmones se ab eo fuisse superatos, aduersus eum commouent calumniatores. Qui accedentes ad Episcopum sanctum vocabant maleficum, simulatorem & deceptorem: dicebantque eius consuetudinem esse intolerabilem, vt qui vel solo aspectu sit molestus, & importunus. Episcopus igitur ad se accersit Daniele͂, & rogat quisnam sit, & vnde, & quibusnam rebus opus habe͂s, & postremò quamnam in Deum tene͂s opinionem, in has partes venerit. Ille autem cum eius quod est maximum & primum nempe Orthodoxæ in Christum fidei, primum meminisset, alia deinde contexuit, patriam, & genus & finem, nempe quod eum diuina mouerit reuelatio vt videret Byzantium, & in hæc loca veniret. Hæc cum audiuisset Episcopus, assurrexit, & eum est amplexus, & eum tanquam virum re vera diuinum honorauit.

*Accusatur cora͂ Episcopo.*

*Habetur ab Episcopo tanquam sanctus.*

Non multi dies præterierunt, & vehemens morbus inuadit Patriarcham, qui etiam efficit vt is fieret sancto supplex, & eum continuò accerseret, & pro ipso Christum rogaret, vt laboranti opem ferret. Cum is autem solum genua flexisset ad orationem, adfuit Christus exaudiens, conualuitque, & sanus euasit Patriarcha. Cum autem multa munera ei offerret Patriarcha: Si vis me, inquit ille magnus, magno studio prosequi, sine me ea facere quæ Deo, & mihi videntur. Et sic ad templum missus cum magno, & præclaro comitatu, cum eadem fecisset quæ prius, & aditum obstruxisset, per paruu͂ quoddam foramen colloquebatur cum iis qui accedebant. Nouem interim anni præterierant, & eum ad vitam perfectiorem vocans prouidentia, apertè ostendit futura. Cum enim fuisset in ectasi, videt columnam nubis, & ea admodum erat sublimè elata, & ex aduerso eius pendebat in aëre, & admirabilis Simeon stabat supra caput columnæ. Simul autem cum eo duo adstabant adolescentes, eratque eis vestis clara & refulgens. Desuper verò ex capite columnæ audit vocem dicentem, huc ad me ascende Daniel. Et quomodo potero ego Domine in tantam extolli altitudinem? Iussit Simeon adolescentibus vt descenderent, & assumptum ad se deducerent. Qui cum imperata fecissent, eum tollunt, & prope ipsum statuunt. Ille autem eum statim amplexus simul in cœlum eum tollebat, & magna voce clamabat. Esto fortis Daniel, te strenuum ac robustum præbe, & sta pulchrè ac generosè. Postquam verò vox admodum clara eum circunsonabat, (visa est enim terribilis & tonitrui similis) Daniel cui percussæ & conturbatæ erant aures, ex somnio quodammodo ad se rediit.

*Precibus infirmum Constantinopolitanum Patriarcham sanat.*

*Degit inclusus in templo.*

*Videt visionem.*

Hoc futurum eius vitæ institutum Simeonis instituto conueniens prius significauit, & quod oportebat eum, & columnam ascendere, & transire ad locum columna excelsiorem. Sic sententia, & voluntate omnipotentis ab eo effecta sunt omnia, & ad eum paulò post missa est pellis ouilla. Sic autem missa est. A Simeone ad Imperatorem missus erat Sergius eius discipulus, ad eum deferens donum omnia mala depellens, nempe tegmen quod habebat in capite, solent autem id vocare cucullam. Cum autem Imperator haberet animum aliis intentum, & esset in curis publicis occupatus, Deo hæc omnia prouidente, hic quem diximus Sergius, statuit nauigare, & redire, & contendebat peruenire ad Monasterium Accœmetorum, id est non dormientium. Cum ergo ipse reuertens cum quibusda͂ A aliis accessisset prope locum Danielis, statim tanquam signo dato beatus erat in ore omnium. Et alij quidem meminerant eius tolerantiæ, alij autem precum, alij curationum. Hæc intelligens Sergius cui commissum fuerat donum pretiosissimum, venit ad eum. Qui cum benignè admodum beatum salutasset, alia quidem ipse exponit, Simeonis inquam hinc decessum, & quod ab ipso donum ferret ad Imperatorem, dicens Danieli id ad eum potius esse missum, quàm ad illum ad quem ipse mitti opinaretur. Alia autem rursus audit à Daniele, quæ ei Deus significauit de Simeone, & de vita, eius vitæ instituto congruenter agenda. Quæ quidem cum audisset Sergius, sacrum statim donum B eiiciens, id donat Danieli, à patre Simeone dicens migrare ad patrem Danielem. Et hæc quidem sic fiebant.

*S. Sime͂o Stylites cuculla͂ suam Imperatori mittit.*

*Imperatore aliis occupato pretiosus hic thesaurus datur Danieli.*

Deus autem rursus consueta faciens, incitabat Danielem visione quadam diuiniore, vt aggrederetur viuendi rationem maiorem, & sublimiorem, apparuit visio Sergio. Videbantur enim tres ad eum venisse adolescentes, & dixisse. Surge Sergi, dic Abbati Danieli. Expletum est tempus tuæ in templo habitationis. Adesto deinceps, & ad maiora parare certamina. Cum ergo Sergius ei diuinam aperuisset visionem, mittitur Sergius vt disceret loca magis solitaria quæ illic sunt, vbi oporteat ponere columnam, & aptum ad agendam vitam in quiete, & C silentio. Qui cum partes quasdam fastigij montis esset perscrutatus, postquam venisset in illum locu͂ in quo oportebat stare columnam, Deus quoque ostendit. Videt ergo Sergius albam columbam, quæ alas frequenter expandens, & parum rursus subuolans, iterum decidebat. Arbitratus ergo eam esse captam, & vinctam laqueis, ad eam festinat, & contendit eam capere manibus. Illa verò cum statim euolasset, ne oculis quidem poterat apprehendi. Cum tam euidens accepisset signum statuendæ columnæ, desce͂dit ad sanctum, & omnia sigillatim renuntiat cum ea quam viderat visione. Ille autem lætatus est cum audiuisset, & ad locum venire cupiebat. Dat verò Marcus quidem ei amicus, & alio- D qui familiaris columnam. Cum autem factus esset is quoque qui solet vocari modius, & capiti columnæ fuisset adaptatus, iubet circa mediam noctem perforari sibi templi parietem, & ita omnes latens ascendit.

*Sergius S. Simeonis discipulus videt visionem, & edocetur de Danielis in columnam ascensu.*

*Col[illegible] locum sta[illegible]da columnæ designat.*

*Ascendit columnam S. Daniel.*

Hæc autem non poterat inuidus ferre oculus, neque patri inuidiæ erant illa tolerabilia. Sed cum loci Dominus ad horum venisset cognitionem, erat autem illi nomen Gelasius, inconsideratè ira animo perturbatus, aut potius dæmonis importunitate commotus, quod non eam posuisset voluntate illius, & Imperatori renunciat quod factum fuerat. Renunciat etiam Gennadio, is enim constitus fuerat Episcopus Constantinopolitanus post decessum Anatolij. Atque ab Imperatore quidem dicens non E fuit exauditus. Episcopus verò non solum censebat sanctum è columna deiiciendum, sed etiam pœnæ subiiciendum. Redit ergo Gelasius totus ira percitus, alios quoque multos secum assumens, & è columna sanctum volens detrahere. Sed qui semper in sanctis suis est admirabilis Deus, qualia nunc quoque fecit illum audacter insultantem reprimens, & eius seruum, qui erat occultus gloriosum efficiens. Nam cum esset maxima serenitas, essetque aër purus & limpidus, nubes repente concurrerunt, & orta est caligo, & vehemens pluuia, & grando deorsum ferebatur. Tantusque erat eius impetus, vt etiam vitium cadere͂t folia & pampini,

*Struuntur ei calumniæ.*

*Quida͂ eum de columna conantur detrahere.*





*Horribilis gra͂do, & pluuia cadunt, vt sic inimici Danielis reprimantur.*

non solum fructus, erat enim tunc tempus vindemiæ. Sed nec hæc quidem reprimebant amentis stultitiam. Sed cum no͂ multum abfuisset quin ipse periret, nec sic quidem discebat sapere, neque scire volebat quanta gratia locupletatus esset Daniel. Sed anhelans, cum iis qui circa eum erant aggressus indignabatur, minabatur, & deiicere sanctum aggrediebatur.

Sed postquam qui cum eo erant, ei quæ erant optima suggesserunt, dicentes nec esse columnam agro propinquam, & hinc ei nullam futuram molestiam, immo verò eum percepturum fructum bonarum orationum. Postquam hæc dixerunt, persuaserunt, & tunc quidem iussit descendere, pudore, (vt arbitror,) motus propter eos qui aderant, ne videretur frustrà venisse, postea autem rursus ei pollicebatur ascensum, & cum rursus ascendisset qua͂tum voluisset manserunt. Cum autem columnæ admotis scalis, sanctus descenderet, & iam sexto gradu pedem figeret, eum qui erat inflexibilis cepit misericordia, dum illos videtet pedes tanquam alias columnas, quos per totas noctes & dies stationes reddiderant tumidos & vlceratos, & vulneribus plenos. Quæ ille cum stupore contemplatus, & sanctum adiurauit vt rursus rediret, & audacis sui cœpti petiit veniam. Postea verò ei columnam apposuit excelsiorem, & crassitudine validiorem, basique, & cæteris magnificentiorem, & de illius patientia, & tolerantia Imperatorem reddidit certiorem.

*Iussus Daniel de columna descendere, visis plagis pedum eius iterum iubetur, & rogatur ascendere.*

Venit paulo post quidam ad sanctum, Thrax quidem genere, ætate autem senex, qui ex scribendis contractibus victum sibi parabat. Is filium ferens vnigenam qui à maligno detinebatur spiritu, cum eum posuisset ad columnam, petebat & precabatur, vt sanaretur puer eius. Dei autem seruus misericordia motus, iussit eum potari oleo à sanctis qui illic erant. Quod cum factum esset, statim humi eum iacit sæuum dæmonium, eumque valdè laniat ac lacerat. Deinde magna voce cum lucta clamans. Egredior, heu, inquit, egredior. Cum dies iam adesset octauus, vbi dæmoniacus nigrum & concretu͂ sanguinem euomuisset, sancti patris sanatus est precibus. Postquam hunc curauit dæmoniacum, puellam quoque à dæmone vexatam sola manus impositione sanauit.

*Puerum & puella͂ à dæmone obsessos curat.*

Magnus etiam Leo qui Romanum regebat Imperium, naturam autem regere non poterat, sed proles ei deerat masculina, quid facit? Confugit ad Deum omnium Dominum, apud ipsum Daniele vsus intercessore. Ille verè parpit, & anno sequenti parituram esse vxorem protinus significauit. Res ergo vt dixerat successit. Idcirco eum remunerans Imperator, tertiæ columnæ iecit fundamentum.

*Precibus obtinet Imperatori prolem masculinam.*

Cum fama ergo sanctum vbique prædicaret, ad eum etiam venit Imperatrix Eudocia, quæ nuper seruata ex Aphrica, & magnam quidem ei reuerentiam, multum autem tribuens honorem, & rogans vt de columna descenderet, & ad sua loca veniret, & ea habitaret. Sunt autem, dicebat ea, mihi multa, & simul quidem amica silentio, & quæ possint aliam præbere consolationem. Ille verò bonam eius mentem accipiens, & laudans, statuit non transmigrare, sed in eo loco perseuerare in quo fuerat à Christo plantatus. Cum hæc & alia dixisset eiusmodi, & benedictione eam impertiisset, emittit. Tunc autem transit ad columnam Gelasij, & vitæ institutum aggressus est excelsius. Non erant autem hæc tolerabilia diabolo, & eius asse- A clis. Propterea ipse quidem ei rursus accendit fornacem tentationum, vsus est verò ministris hæreticis qui erant Byzantij. Isti cum quandam sumpsissent mulierem ex meretricibus, quæ erat genere Asiana, & vocabatur Basiana, cum nauigasset Byzantium, improbum, proh dolor, quæstum faciebat suo corpore. Eam cum verbis decepissent, & promissa pecunia totam ad id quod volebant incitassent, efficiunt vt vadat ad sanctum, & vel illum, vel vnum ex suis discipulis ad amorem alliciat, & ad fœdam prouocet libidinem. Proficiscitur ergo impudica ad pudicum comitum secum duce͂s multitudine͂, splendida externa vtens specie, & libidinosis gestibus, aureoque amictu, & alio intertexto B ornatu arbitrata se allecturam, & inescaturam illos oculos qui nihil terrenum dilexerunt. Manens autem in quodam agro qui erat ex aduerso columnæ, & mandræ discipulorum egregij Danielis, simulabat se ægrotare, vt si fieri posset, vel ipsi sancto ægrotationis animi causa esset: sin minus, illius saltem discipulis afferret perniciem.

*Venit ad ipsu͂ Eudocia Imperatrix.*

*Ab hæreticis mittitur meretrix, vt Daniele͂, aut saltem aliqu͂e ex eius discipulis ad concupiscentiam prouocet.*

Postquam autem longo tempore mansisset, inane & irritum erat callidum eius cœptum, descendit quidem ad eos qui miserant. Dicit verò execranda, & mentitur de sancto, quæ non solum magno illi in mentem venerunt nunquam. Hæc autem erant. Mei amore, dicebat, valdè quidem captus erat Daniel, animo verò telum acceperat, & tandem cum C iussisset suis discipulis, vt me sursum ad ipsum per scalas deducerent, ego autem passa non essem, me occidendi consilium ceperunt, vt hæc lateret intemperantia. Et ecce vix manus eorum effugiens mihi fuga consului. Sic mentiente Mænade, & ea dicente quæ probari non poterant, hæc verba illi attendentes, arripuerunt perinde ac verissima. Quæ enim volebant, ea etiam vera putabant, & ea ad alios transmittebant. Sed quid accidit? Malus spiritus statim mittitur ad malam & mendacem fœminam, & inuitus inuitam cogit effari fraudem hæreticorum in illam, & suum rursus mendacium, & machinationem. Cum ea͂ ergo accepissent ciues, & ad Sanctu͂ duxissent, rogarunt Sanctum vt cura- D ret. Ille aute͂ verus Christi discipulus, ei condonauit iniuriam, & eam cum oratione oleo sanctorum sanitati restituit, & expulit tetrum illud dæmonium.

*Meretrix sua spe frustrata, horrendum confingit me͂dacium.*

*Arripitur à dæmone mendax meretrix.*

*Sanatur à sancto.*

Non solum autem morbum qui modo inciderat, poterat curare sanctus, sed etiam ritu bonorum medicorum, & futurum nosse, & quod erat euenturum propheticè, & videre & dicere certissima poterat coniectura. Magnam quidem vrbem magnas ador turas esse minas, cum à superis accepisset reuelationem, eam Episcopo significat Gennadio, iubens contentiore vti precatione. Quin etiam Imperatori Leoni prædicit similia, & bis in hebdomada iubet communes fieri supplicationes. Sic enim eis pollicetur iram Dei futuram mitiorem. Atque ij qui- E dem sancti præceptis contemptui habitis, erant ipsa intellecturi experientia, ea quæ multitudo effecit peccatorum vt ad effectum deducerentur. Procedens autem id declarabit oratio. Quoniam autem diuini quoque agni sacrificatorem oportebat esse Danielem, qui iam ei sacrificauerat & corpus, & anima͂, è superis quide͂ mouet Imperatore͂ spiritus, mouet aute͂ Gennadiu͂ quoque Imperator, & ad eum scribit, vt acceptis multis ex Ecclesia, veniat ad magnu͂ Danielem, & eu͂ consummet ordine Sacerdotali. Cum is verò hæc fecisset, qui præuidendi futura magnam habebat potestatem, primum quide͂ spiritu præcognoscit futurum ad se aduentu͂. Deinde cum ille iam venisset ad columnam, dixit

*Claret spiritu prophetico.*

*Prænoscit Patriarcha aduentum ad se.*

se iam pridem desiderasse ad eum ascendere : sed curas prohibuisse Ecclesiasticas ne finem imponeret suo desiderio, nunc autem venire, vt & ipsum videret, eiusque precibus frueretur & sermonibus. Rogabat verò vt scalæ quoque adhiberentur. Frustra, inquit Daniel, hûc laborem vt suscipieres procurauit, qui te ad nos mouit. Hoc simul & stuporé & metum affert sacerdoti. Stuporem quidem, quonam modo sic eius cognouit aduentum. Timorem autem, quod mens eius magno Danieli erat manifesta. Neque enim nisi coactus fuisset ab Imperatore, ad eum vnquam venire annuisset.

Cum autem & Episcopus, & qui sequebantur Episcopum, multum rogauissent vt admouerentur scalæ & ad eum ascenderet, prohibebat verò inuictus Daniel, imminebat autem iam sol mediis eorum capitibus, calidis eos feriens radiis, & videbat Episcopus multitudinem siti & æstu torreri, iubet inferius Archidiacono preces dicere consuetas. Ipse autem cum esset precatus, ordinat magnum Danielem etiam non præsentem, Presbyterum, & simul multitudo, de eo qui erat verè dignus clamabat, dignus. Cum sic Patriarcha Gennadius nominasset Danielem sacerdotem, & ecce dixisset, & tibi populus iustam de more propterea emisit vocem, & Deus desuper tibi per me manum imposuit, & omnia vt semel dicam, suscepisti signa sacerdotij. Restat ergo vt scalæ admoueantur columnæ; vt sic etiã sacri particeps sacrificij, & Deo vocanti omnino cedas. Tunc cum beatus cognouisset Daniel hæc non fieri sine Dei numine : sed ei quoque grata esse & accepta quæ facta sunt, iubet poni scalas, cælestem margaritam, diuinam inquam communionem & dat & accipit. Deinde cum etiam fecisset alia omnia quæ solent fieri à sacerdotibus, & precatus esset pro multitudine, eos dimisit lætantes simul & admirantes. Hæc Imperatori quoque significantur.

*Ordinatur Sacerdos.*

Cum non ergo ingentes qui sunt Imperij proprij sumpsisset spiritus, sed didicisset quantum sit virtus Imperio præstantior, ipse quoque ad eum ascendit, & perinde ac si regium fastum & supercilium reliquisset inferius, & se exuisset, se quidem humi prosternit : tangit autem sacros illius pedes, quasi hæc faciendo magis honoraretur quàm quod esset Imperator. Quos cum tetigisset, impletur admiratione, erant enim valde tumentes & omnino scatentes vlceribus ; eratque simul horribile & miserabile illos videre & tangere. Tunc ergo Imperator donat eum basi geminarum columnarũ, quas ipse posuit, duplicem eam columnam nominans. Quam ascendens lætabatur Daniel. Nam & illa erat sublimior altitudine, & hæc etiam extendebatur ad exercitationem æstate quidem ardentius eum sole feriente : hyeme autem aëre frigidius. Cum verò & vis ventorum, niuisque & grandinis vehementer impeteret, & violentiam ostenderent minimè tolerabilem, certè multa consequebantur miracula : quæ quidem mihi vitanti prolixitatem orationis non sunt omnino dictu facilia.

*Venit ad Danielem Imperator.*

*Magna caloris & frigoris patitur incõmoda S. Daniel degens in columna.*

Iampridem quidem principium habebat anni ambitus, & mensis instabat quem Romani vocant Septembrem, in quo magni martyris Mamantis festum pij celebrant. Vespere ergo quando festum à piis præparatur, & tota nocte agitur vigilia, finem accipit magni Danielis prophetia. Et repentè in maxima & regia ciuitate incipit incendium, quod vsque adeò est excitatum, & adeò inualuit, vt ferè vniuersam contriuerit ciuitatem. Nam cœpit quidem à muro qui est prope mare, quem etiam nominant nauale, peruenit vsque ad forum Constantini, & pertigit ad portum Iuliani : quasi mediam cinxisset ciuitatem. Quo in loco comprehensa sunt vniuersa corpora : quæcumque verò fuere comprehensa facilè perierunt & sic pastus ignis in maximam creuit flammã, eratque malum inexpugnabile, quippe cùm quidquid ad opem ferendam afferebatur, argueretur nihil proficere. Quapropter multas domos, multa autem templa, virorumque & mulierum proserpsit depascens multitudinem. Multi verò partibus & membris corporis, quæ inuaserat ignis, statim mutilabantur : erantque semiustulati & media parte cæsi, miserabiliores iis qui omnino cum suis perierant. Erat ergo periculum ne quod vulgò celebratur orbis terræ miraculum, Constantini inquam ciuitas, cerneretur pati similia incendio Sodomorum. Vix tandem vt in tanto malo, eis venit in mentem Sancti Danielis prædictio, & credunt fore vt illius solum precibus malum vincatur. Hinc factum est vt ad eum magna celeritate currerent, ille quidem deflens filiorum priuationem, ille vxoris, alius autem omnium facultatum. Propter quæ sanctum tanto dolore affecerunt, vt totus repletus lacrymis eos damnaret negligentiæ, quod ipso eis multum testificante & prædicente, malum pœnitentia vitare non curarint. Hæc dicens illis quidem sic suadebat curam gerere orationis & ieiunij. Quin etiam ipse quoque manus in cælum tollens, illius implorabat auxilium, & post orationem cum eis dixisset finem calamitatis, eos dimisit. Post septem, inquit, dies cessabunt minæ ignis. Sic illic dixit, & res est consecuta. Septimo enim die non erat amplius ignis. Tunc & alios, & eos qui gerebant magistratus, quin etiam ipsum Imperatorẽ incessit metus, & secum assumpta Imperatrice, fit supplex B. Danieli, pro eo quidem quod præterierat misericordiam, securitatem autem in futurum postulans.

*Constantinopolitani diu præmoniti à Sãcto, vt orationi, & ieiunio vacarẽt, & tam salubre consilium contemnentes tantum malũ patiuntur.*

*Constantinopolitana ciuitas tota fere incendio absumpta.*

Atque iam quidem post autumnalem conuersionem mutato tempore erat hyems, & hyems maior quàm vt eam possit explicare oratio, quæ tamen superabatur ab inuicto generosi animo. Cadebant autem imbres plurimi, & ventorum erat procella vehemens, & erant adeò violenti & immanes, vt ferreas ansas columnarum, quæ duas columnas inter se coniungebant, & Danielem in alto ferebant, violenter auellerent : ille autem in parua sola contineretur columnella quæ inter eas erat iniecta. Simul ergo & procella irruebat, & conquassabantur columnæ, & iustus supernè tanquam ramus arboris huc & illuc circunferebatur, & circumagebatur. Inferius autem vociferabantur discipuli eius lacrymantes, & vna erat eis acerba expectatio patris eorum priuatio. Sed non itidem lababat spes Danielis in Domino. Clamauit igitur iustus, & Dominus exaudiuit eum, & desuperè cælo sicut è naui prius ventos increpat, & repente tranquillitas fuit & serenitas.

*Vi ventorum huc & illuc S. vir per columnas agitatur.*

*Oratione viri sancti vẽtorum vis cõprimitur.*

Cum audiuisset Imperator quæ Danieli acciderant, contendit ad videndum columnam, partim quidem pœnas sumpturus de iis qui ansas non fecerant firmas & validas : partim verò vt eas de cætero tutò committeret. Sed illos quidem magni Danielis mansuetudo eripit à minis Imperatoris, mortem eis minantis. Descendenti autem de monte Imperatori non paruum accidit periculum. Nam cum quidam metus equum fortè fortuna perturbasset quem ipse ascenderat, isque conterritus pedes erexisset anteriores, supinus quidé statim humi iacebat



iacebat equus, supinus autem etiam cum eo Imperator, id verò quod ante stabat super sellam regiam, frontem contriuit Imperatori, & quæ erat in capite coronam procul expellit. Quo tempore contigit eas quæ erant in ipsa margaritas, aliam aliò dispergi. Sed Daniel quoque cum præuenisset malignum oratione, à mala morte seruat Imperatorem, & sic reuersus fuit sine periculo.

*Imperator sancti oratione à mortu periculo liberatur.*

Itaque cum paulo post contigisset Regem Lazorum venire ad Imperatorem Romanorum causa faciendi fœderis, aliis quidem prætermissis, eum accipiens, & ducens ad Sanctum. Hoc est, inquit, mei Imperij miraculum. Ille autem vsque adeò obstupuit eius videns tolerantiam atque fortitudinem, vt non solum sanctum, sed etiam columnam in qua erat positus cum lacrymis adorans, multas voces emitteret barbarus valdè eruditæ mentis, & quæ multa didicerat. Ago tibi grãtias dicens, Rex cælestis, quod mihi qui ad terrenum Regem veneram, cælestem huius viri vitam ostenderis, & dignum me censueris qui essem spectator talium mysteriorum. Adeo autem vtrisque magnus ille visus est dignus admiratione, vt ambo illum ad definienda fœdera arbitrum constituerent. Porrò autem cum domum reuertisset Gubazius Rex Lazorum, & subiectis sibi populis narrabat miraculum, & sancti semper meminerat, neque vnquã mittebat Byzantium quin ad eum quoque scriberet litteras, quæ non terminabantur solis salutationibus, sed etiam plurimi faciebant eius meminisse, & rogabant vt oraret pro suo regno. Adeo stupebant omnes iusti tolerantiam, & propinqui, & hospites priuati, & Reges, & Romani & Barbari, & accedentes accedebant tanquam ad Angelum, & abeuntes eius inuocabant auxilium, & precibus ab eo aliquid petebant, & impetrabant.

*Rex Lazorũ ductus ad sanctum etiã eius columnã veneratur.*

*Gubazius Rex Lazorũ sæpe per litteras cõmendat se suumque Regnum precibus viri Dei.*

Atque sufficiũt quidem ea quæ nuper dicta sunt ad significandam illius fortitudinem, & quæ ab eo suscipiebantur certamina, erãt maiora quàm vt homini cõuenirent. Quoniam autem hoc maximè studeo nihil prętermittere eorum quæ sunt præcipua, adiiciam iis quæ dicta sunt maius quiddam, quod attinet ad fortitudinem, & tolerantiam, & ad eum admirandum qui dedit illi vires. Erat hyems, eaque glacialis, & valdè aspera, vehementes rursus ventorum procellæ, & grauiores præcedentibus, simul autem cum vento densa quoque nix decidebat. Venti itaque vehementius ingruentes, ei ex pelle confectam cucullam flando expellunt, & in vallem quãdam subiectam iaculantur. Cum ventis autem multa quoque nix, & frigida eius faciem impetebat. Ille autem neque habebat tectum ad quod confugeret, tota nocte, ô inuictam animam, omnia suffert vinculis corporis, temporis acerbitatem, niuem, ventos, asperam circa auroram concretionem, & conglasationem. Apparebat dies, & malum non cessabat, sed magis inualescebat, & hyems intendebatur. Discipuli autem nullo modo poterant è porta prospicere, neque erat vllus qui ei opem ferret. Totum ergo illum diem, & sequentem noctem quæ fuit multò acerbior, hic vir generosus fortiter, & constanter pertulit. Iam tertius erat dies tempestatis, desierat verò effera glacies, & cum scalas admouissent qui erant feruentiores ex discipulis, & properè ascẽdissent, vident sanctum iam nudatum, & omni ex parte glacie comprehensum, & capite, & facie, & reliquis partibus corporis. Cum calidis ergo aquis soluissent glaciem, quin etiam corpus aspersissent, & spongiis abstersissent, postquam ille ad se rediisset, & tanquam à morte suscitatus spiritum recepisset, vocé quoque accepit, & dixit. Cur, inquit, vultis mihi exhibere negotium, & suauiter dormientem vexatis? Nam cum modo Domini inuocarem auxilium, accidit mihi vt parum dormitarem. Cæterum bene sit vobis, ô filij, qui patris tantam curam geritis. Date autem mihi quo me induam. Erubescens (vt arbitror) propter nuditatem, non autem calore indigens. Illi verò alium amictum ad eum attulerunt, & eum induerunt,

*In aspera hyeme totus rigescit glacie.*

Postea autem multum eum rogante Imperatore (hæc enim ad eum vsque peruenerunt,) & decente. Si non tua causa, at nostra, & nostræ vtilitatis, parce istis nimis præcipitibus, & projectis periculis, & ne tibi ipsi mortem propemodum conscisces, & nos orbos relinquas, & ipse te ante tempus videaris è vita educere. Hæc & his plura dicente Imperatore, & rogante, & pedes simul prehensante, vix sustinuit, vt sibi paruum saltem fieret tectum, reueritus lacrymas Imperatoris. Hoc quidem iam à me dictum est, nihilominus tamen nũc quoque dicam. Nullum erat, nec videbatur Imperatori maius miraculum magni Danielis tolerantia & vita. Omnes ergo qui apud eum fungebantur legatione, siue essent reges, siue legati, aliquos quidem, per alios verò etiam per se deduxit ad sanctum. Illi verò magis stupebant videntes, quàm audientes, & sic redibant benedicentes, & anima effecti meliores. Quod autẽ vt futura quoque videret tanquam iam præsentia à superis acceperat, à me superius ostensum est. Est verò huius quoque rei manifestum indicium. Quædam fama in omnes partes manabat, Gezerichum Regem Vandalorum bellum gerere aduersus Romanos magno apparatu, & maiore audacia, & quod iam cum magna manu peruenit in Alexandriam, eam sibi volens belli facere præmium. Non parum ergo animo angebantur Magistratus, & ipse Imperator, qui etiam citò currit ad consuetum medicamentum animi ægritudinis, & sancto famam significat. Ille verò tanquam non præuidens, sed iam videns oculis ea quæ erant euentura, dixit protinus, non solum Gezerichum Alexandriam non esse occupaturum, sed in omnibus etiam aliis re infecta domum esse reuersurum. Factum est autem non multo post sicut diuina Danielis lingua prædixit.

*Victus precibus Imperatoris tectum vix admittit supra columnam.*

*S. Daniel magnum miraculum mũdi.*

*Gezerichus Rex Vandalorum collecto exercitu venit Alexandriam.*

*Prædicit S. Daniel ipsum non esse occupaturũ Alexandriam.*

Propter hæc ergo, & multa alia his admirabiliora, volens Imperator magnum remunerari Danielem, quoniam alia ratione non licebat, rogat vt saltẽ fiat domuncula illius discipulis. Sanctus verò, si dixisti quidem, inquit, de extruendo ædificio, nõ potest id mihi esse gratum, neque enim beato Simeoni vnquam hoc adfuit. Tu autem si velis mihi facere rem gratam, festina huc adducere illius reliquias, & rem mihi gratissimam acceptam tibi feram. Tunc lubens iubet Imperator, tum vt sacro domus ædificetur Simeoni, ante columnam Danielis, ad boream, tum verò vt domus quoque fierent hospitibus qui ad montem ascendebant, & magni Danielis discipulis, etsi ei Sanctus tunc multum prohiberet. Cum autem qui missi fuerant Antiochiam, sic iubente Imperatore reliquias attulissent, significat magnus Daniel Episcopo vrbis, vt publicet, & publicè annuncier exportationem tabernaculi, & vt ipse sedeat in vehiculo Imperatoris, sinu tenens reliquias, & sic iter faciat cum psalmis & hymnis. Et cum eas deduxerit ad templum militiæ principis Michaëlis, illic diuinam celebrent mystagogiam. Quæ cum peragerentur, & magno & splendidissimo comitatu deducerentur, multa per ipsa in transitu facere

*Rogat sibi deferri sancti Simeonis Stylitæ reliquias.*

*Mittuntur viri Antiochiã ab Imperatore qui eas asportent.*

*Cum magno honore deducuntur reliquiæ ad S. Danielem.*

miracula conſpectus eſt Dominus,quæ quidem ſigillatim omnino narrare non eſt præſentis temporis. Poſtquam autem finem acceperunt ea quæ pertinebant ad reliquias, & ipſe ſacerdos, & omnes qui ſimul conſequebantur,cum gaudio ad ſanctum aſcenderunt, maximas ſuauiſſima illa anima in eos verbis effudit gratias.

*Suauitate verborũ omnium animos demulcet.*

In huius beati viri labris tanta erat ſalutaris perſuaſio, & eius oratio propemodum æquè ac vita poterat delinire animum, & perſuadere vt viam auguſtam eligerent: vt non ſolum eos qui ad hoc ipſum aſcendebant,aut erant alioqui mites & manſueti,flere & eius magno amore capi perſuaderet: ſed eos ipſos qui erant etiam impudentes & agreſtes ſimiliter afficeret. Sed quænam facta à

*Ariadna Leonis Imperatoris filia matrimonio iũcta Zenoni Iſaurico.*

Daniele mirabilia ſunt? Imperator Leo ſuam filiam Ariadnam iam nubilem coniungit matrimonio Zenoni Iſaurico, & nuptiali eum honore conſulatus afficit. Deinde etiam eum mittit aduerſus Barbaros qui populabantur Thraciam. Ille au-

*Mittitur Zeno aduerſus Barbaros.*

tem ſimul cum iis qui eius imperio parebant principibus, ad velox auxilium, nempe beatum aſcendit Danielem. Ille verò propheticè effatur, & prædicit illæſum reuerſurum Zenonem, & alios qui-

*Prædicit Daniel Zenonem illæſum reuerſurum.*

dem eſſe ei poſtea ſtructuros inſidias: eum autem inſidiis fore ſuperiorem. Iam quidem Leo ex hominibus exceſſerat, & filius ex Zenone ſuſceptus, paruus inquam Leo, qui etiam ab auo fuerat renunciatus Imperator, quoniam propter nimis teneram ætatem non erat omnino aptus ad tantum adminiſtrandum Imperium,Zeno pater pueri à Senatu ad ſceptrum eſt perductus. Huic ergo Zenoni, eius quidem Imperio collega filius ſtatim deceſſit: Imperium autem ad ſolum patrem redit. Omnibus verò rebus Romanis quietis & tranquillis, grauis in eum exarſit inuidia à cognatis. Inſidiatores autem erant Armatus & Baſiliſcus. Cùm ergo ſæpe Zeno ſenſiſſet inſidias, omne quidem aliud deſpicit auxilium: aſcendit autem ad ſanctũ, & ei renunciat vniuerſa. Ille verò quid non ei prædixit eorum quæ erant euentura? Prædixit quidem fore vt ex Imperio expelleretur, & in exilio aleretur, & præ cibi inopia herba veſceretur, & ab iis qui ipſum oderant poſtea reuocaretur, & ad Imperium reuerteretur, & in eo vitæ finem acciperet. Ille autem cùm primùm quidem prædicti, ab Imperatrice Verina incitati, ei ſtruebant inſidias, lubens ceſſit Imperio, ſciens fieri non poſſe aliter, ei ad fugam opem ferente nocte & multo imbre.Et cum ponti fretum clam tranſmiſiſſet: cum vxore venit in Iſauriam.

*Zeno adipiſcitur Imperium.*

*Prædicit Zenonẽ de Imperio expellẽdũ, & poſtea reuocandum.*

*Baſiliſcus Imperator hæreticus.*

Sceptra quidem (vt dictum eſt) arripit Baſiliſcus, horribiliter verò ſtatim ſibilat aduerſus Dei Eccleſiam, & de carnis à Chriſto ſuſceptæ diſpenſatione nugatur quædam blaſphema & adulterina. Acacium autem qui tunc ſedem tenebat Pontificalem, qui rectam defendebat rationem: illius autem dogmatum tempeſtati, ſpiritus feruore, & dicendi libertate, vehementer reſiſtebat, vult iniqua morte mulctare. Hoc cum multos congregaſſet ex iis qui vitam agunt ſolitariam, & ex iis qui promiſcuè viuunt & communiter, & grex concurriſſet vniuerſus, ſeruauit paſtorem qui ne periret veniebat in periculum. Decretum fuerat magnum quoque Danielem vocare in auxilium, & viro miti Sacerdos Imperatoris rabiem ſignificat. Cum autem qui erat ſapiens ad malefaciendum,hoc cognouiſſet Imperator, ipſe quoque Danieli ſignificat hunc ipſum potius Sacerdotem fuiſſe cauſam huius tumultus. Nam & facit ciuitatem aduerſus

*Acacĩ Patriarchæ Catholicĩ conatur occidere.*

me inſurgere, & milites corrumpit ac peruertit,& in me maledicta congerit, & probra inurit, & aduerſus me facit innumerabilia. Quocirca oportet te, aiebat, precibus tuis Imperatorì potius opem ferre contra Epiſcopum. Sed hic mihi conſideret aliquis,admirabilis Danielis & in diſcernendo ſummam ſapientiam, & in dimicando pro Chriſto fortitudinem & generoſitatem. Quorum illud quidem oſtendit in deprehendendo maleficio,hoc verò quod non ſolum probro affecerit eum qui ſuſceptam à vero Deo humanitatem probro afficiebat: ſed etiam maximas minas in eum intenderit, & propheticè ei effatus ſit; Diſrumpens, inquit, diſrumpet Deus regnum tuum,& alia adiecerit quæ cor eius vſque adeò poterant mordere & tangere, vt nec ille quidem qui miniſter erat futurus verborum, auſus fuerit hæc ore renunciare Imperatori: ſed à magno petierit, vt litteris, iiſque obſignatis hæc Imperatori ſignificarentur. Et ſic ille quidem receſſit.Pontifex autẽ cùm omnes ferè eximios congregaſſet Epiſcopos, mittit ad magnum Danielem, eum adhortans vt ſuum pro Chriſto daret auxilium. Atque iſti quidem profecti hæc ſignificauerunt. Quoniam verò ſancto erat valde difficile è columna deſcendere, & renuebat, quid rurſus machinatur Patriarcha? Rurſus mittit Epiſcopos, iubens eos ei apparere mœſtos, vtique miſerabilibus & verbis & geſtibus, & profundere lacrymas, validiſſimum medicamentum ad perſuaſionem, & omni ratione conari eum flectere. Imitare,dicentes,pium magiſtrum.Declinauit ille quoque de cœlis & deſcendit, procurans ſalutem hominum. Quid ergo abſurdi fuerit ſi tu pauliſper de columna deſcenderis, & quæ venit in periculum ne pereat, ſeruaueris Eccleſiam: pro qua ipſam amans proprio non pepercit ſanguini? Beatus igitur cùm eos videret vehementius precantes, & cum miſerabili clamore calidas lacrymas emittentes, neſciebat quid ageret illa miſericors anima. Currit ad orationem, & vox ſtatim è cælo exiſtit, quæ iubet ei vt deſcendat, & rurſus reuertatur ad columnam. Sic eum cum gaudio excipientes Epiſcopi, deduxerunt ad Pontificem: qui dici non poteſt quanta rurſus fuerit plenus lætitia, & quanto eum honore exceperit. Atque ſtatim Chriſti miles vertit ad aduerſarium,etſi ei in conſpectum non venerit:verbis autem ſolum tanquam eminus emiſſis iaculis, vſus ſit, ſicut etiam per eam quam prius miſerat epiſtolam nouum appellans Diocletianũ. Et cum per vtraque eum terruiſſet, nempe & præſentis ſæculi, & futuri ſupplicia, tanquam improbum mancipium, perſuaſit vt fugeret. Minarum enim timore affectus cum reſpondiſſet. Ecce tibi concedo ciuitatem & omnes qui ſunt in ea,ipſe prætextu exercitationis proceſſit extra terminos ciuitatis.

*Conatur Imperator Danielem cõtra Epiſcopum commouere.*

*Minas intendit Imperatori S. Daniel, eique mala prænunciat.*

*Imperator S. viri minarũ timore affectus,recedit à ciuitate.*

Sed nec ſic quidem eum dimiſit vir fortiſſimus: ſed fugiẽtem tanquam qui clypeum abieciſſet, perſequebatur militem, & contendebat eum apprehẽdere vt argueret, & cum eo ſingulari certaret certamine. Iuit ergo viam quæ illuc ferebat. Vide autem mihi zelum Athletæ. Nam cum ei pedes laboraſſent exercitatione, & non poſſent ingredi, commodato accipit alios pedes, & ducebatur portatus ab aliis. Fuitne verò eius iter inane & abſque miraculis? Nequaquam. Quidam enim leproſus ad eum in via accedens, rogabat vt ab eo aſſequeretur curationem. At ille, miſericordia motus cum ei iuſſiſſet vt corpus in mari lauaret, ſtatim mundatus eſt.Confluit autem ad eum vniuerſa ferè ciuitas,

*Fugientem Imperatorem perſequitur.*

*Nota S. viri zelũ pro fide Catholica.*

*Rogatur ab Epiſcopis vt labẽti Eccleſiæ ſuccurrat.*

*Iubetur diuinitus de colũna deſcẽdere.*

*Ductus ad Patriarcham honorificè ſuſcipitur.*

*Sanat leproſum.*



*Confluit ferè vniuerſa ciuitas vt Danielẽ videat.*

ciuitas, ægrotantes quidem deſiderio ſanationis, propè habentes exemplar, ieproſum qui fuerat mundatus. Sani autem vt viderent eos qui curabantur, & ſpectaculo miraculorum minimè priuarentur. Cum autem ſic ſplendidè comitatus magnus ille Daniel ad locum in quo erat Imperator, fuit prope palatium Septimi, vir quidam Gothus genere, deſuper proſpiciens per feneſtram, cum ſanctum vidiſſet ſic deduci & portari, eius irridet mollitiem, & ironicè eloquitur. Ecce, inquit,nouus conſul. Hæc dixit, & ſtatim accipit fructum

*Vliſio diuina in viri Dei irriſorem.*

ſuarum nugarum. Illinc enim deturbatus humi iacebat mortuus. Vident quod factum fuerat Satellites, & dolore ſimul & ira repleti, & alioqui timore correpti, ne vel alius ex ſuis,vel ipſe Imperator ſimile quid aduerſus magnum illum locutus in eadẽ incideret,non ſinebant ſanctum ingredi regiã. Cum verò iis qui cum eo erant conãtibus ingredi, alioqui magna erat perturbatio, tunc cũ Euangelicæ iuſſionis pedum ſuorum excutere puluerem,eos

*Prohibitus à militibus ne ad Imperatorem ingrederetur, pedum puluerem excutit.*

qui cum ipſo erant hortatus eſſet ſanctus, & ipſe hoc feciſſet,reuerſus eſt:ſed neq; tunc vacuus.Multi enim milites, qui cum eum parum ſolum vidiſſent,mores & habitum ſtupuiſſent euangelicũ,eum ſtatim ſunt conſecuti. Et ſic quidem vadit Byzantium homo Dei.

*Tandẽ Imperator veritus populi tumultum, virum Dei proſicientẽ reuocare conatur.*

Imperator autem viri reueritus virtutem, & veritus ne quid ei graue accideret propter illius contemptionem, mittit ad eum quamprimum, & rogat vt reuertatur.Ille verò non modò nõ flexus,ſed etiam magis irritatus cum dixiſſet fore vt hic breui excidat ab Imperio, ſiquis in tunica remãſerat pulis excuſſit, & proceſſit fidenti animo. Cum hæc annunciarentur Imperatori,ſimul etiam ſua ſponte cecidit turris palatij: perinde ac ſi per res inanimas arrogantem & inſolentem Deus vellet erudire. Quænam autem ab accedente facta ſunt miracula? Quomodo enim ex vrbe cũ eis eſt egreſſus, ita etiã ingredientem ipſa rurſus ſequebantur,quodammodo ipſa,(vt ita dicam)Dei virtute famulum deducẽte:cum ex his pauca, eaque propter ſatietatem veluti curſim adduxero,tranſibo ad ea quæ ſuperſunt.

*In aduentu viri Dei corruit turris palatij.*

*Multos ſanat & infirmos, & damoniacos.*

Duo quidem ab ipſo adoleſcentes primũ ſanantur, qui vexabantur à dæmonibus. Deinde mulier quædam alia fide Chananæa,quæ habebat filiam à dæmonibus obſeſſam, ſanam eam recepit. Poſtquã autem fuit in maximo Dei templo, & ſimul verſatus fuit cum Patriarcha, qui ipſum magna cum lætitia accepit & honore,hic quoque aliis quidẽ noua,ſibi verò ſolita facit miracula.Serpẽs qui alicũde prorepſerat, & ſe magni Danielis pedibus per

*Nota de ſerpente pedes viri Dei inuadente.*

ſpiras inuoluerat,erat terribile ſpectaculum. Et cũ ad eum defendendum qui aderant accurriſſent,illos quidem inſimulat timiditatis:ipſe autẽ ſerpẽti audacter ac fidenter minatus,cum ei tanquã miniſtro magna imperaſſet auctoritate:Vade,inquit,& tuas latebras repete & ſpecus ſubterraneos. Ille verò perinde vt qui non poſſet contradicere,ſtatim repit ad parietem,& in conſpectu omnium diſrumpitur.

*Iuſſus ſerpens à viro Dei ſuas repetere latebras,repẽs ad parietẽ in cõſpectu omnium diſrumpitur.*

Hæc cũ de magno Daniele didiciſſet mulier Rais fide quidẽ feruentiſſima,gloria autẽ valde inſignis, ad eũ accurrens,illius pedes rigãs lacrymis,precibus ab eo cõtendit vt ſibi naſceretur filius. Cum autem humi deiecta vidiſſet eius pedis ſoleã,exercitatione à tendine diſciſſam,ſtupet tolerantiã,& dans funiculum,rogat vt cùm circa illius pedem inuoluerit, ei rurſus reddat.Ille verò primum quidem nõ ſuſtinebat. Deinde motus eius lacrymis,& præterea Epiſcopi & cæterorum verbis flexus,non ſolum cũ funem circumuoluiſſet ei reddit: ſed etiam ſignifi-

*Sterili mulieri filiũ impetrat, cuius etiam nomen prædicit.*

cauit fore vt ipſa pareret filium, & prædixit etiam nomen filij.Zenonem dicens,ó mulier, vocabis filium. Propterea ſanctum quoque timens Imperator,& ei omnino repugnare declinans, eum aggreditur arte & blanditiis. Et cum ipſe ſæpe eum, & per multos,vt ad ipſum veniret precatus, non perſuadebat, ipſe ad eum venit, & ritu ſupplicis adorat,& illius pedes prehenſat, rogans vt ſibi detur venia. Ille autem illum multis probris inſequitur. Deinde etiam aperit id quod multos latebat.Humilitas illa, dicens, & contritio eſt artificioſa ſimulatio,denſa pelle tegens importunitatem eius & immanitatem.Sed citò videbitis qui omnia perſpicit Dei oculum,& validam manum quæ etiam potẽtes deiicit. Atque cum ſic quidem ſanctus tam multa feciſſet miracula, Deique vertiſſet & profligaſſet hoſtem,& res Eccleſiæ benè conſtituiſſet, quinetiã futura prædixiſſet:reuertitur ad columnã, & certamina ac labores magno & forti animo ſuſcipit.

*Tandem Imperator ad pedes viri proſtratus veniã precatur.*

*A ſancto minis & probris inſequitur.*

*Humilitatem & contritionem Imperatoris fictã eſſe omnibus aperit.*

*Rebus Eccleſiæ conſtitutis reuertitur ad columnam.*

Non multum interfluxit temporis,& Baſiliſcus, vt à magno prædictum fuerat Daniele, à regia expellitur,& Zeno rurſus ſceptra tenet, & finem acceperunt eius prædictiones. Et ad magnum Danielem venit Zeno cum vxore, videns conuenientes exitus prædictionum, euentu autem dignas redditurus gratias.

*Baſiliſcus iuxta viri Dei prædictionem expellitur, & Zeno rurſus reuocatur.*

Oratio autem, cum iam veniat ſanctus ad finẽ, deſitura eſt ipſa quoque in ſilentium. Verumenimverò cum hic quoque pauca quædam ante finem dixerimus,ſic ſiſtemus orationem.Cognouit vir ille propheticus ſuam ad Dominum migrationem: idque apertè ſuis prædixit diſcipulis. Cum autem præſtitutus dies iam appropinquaret, eis benedictionem reliquit in ſcriptis:eoſque admonuit vt ſectarentur humilitatem,obedientiam amarent, ieiunium, & quod eſt primum & maximum præceptũ, charitatem,hæreticorum zizania cauerent,& à matre Eccleſia non diſiungerentur.Dicitur autem hoc viſum eſſe circa eũ, nempe tribus diebus ante mortem, iam media nocte concurriſſe & ad eum conueniſſe ſanctos qui fuerũt à ſeculo,Prophetas,Apoſtolos,Martyres, & omnes denique ſanctos, qui & magnum benignè ſalutarunt,& iuſſerunt eum diuinum celebrare myſteriũ. Quod quidem celebrauit, & intemerata ipſa ſumpſit ſacramenta. Atque iam quidem magnus extremum agebat ſpiritũ, & ipſe Antiſtes Epiſcoporum Euphemius cũ aliis veniebat ad emigrationem.Quæ prius dicta eſt Rais,mãgnificè parabat ea quæ pertinebant ad ſepulturam. Et cum multos adduxiſſet artifices, & iuſſiſſet fieri tumulum in inferiori parte baſis columnę,& vſque ad faſtigium, ſtatuit ex vtraque parte tumuli homines qui faces ferrent & lampades tenerent manibus, & ea canerent quæ cani ſolent in deceſſu. Cumque illa corpus infra detuliſſet, in plumbeo id ponit loculo.Ille enim mandauit diſcipulis,ſeu Imperatores,ſeu Reges,aut vlli alij,ſe inuicem ſuperare contendant in loculi ſumptu & magnificẽtia,nolite ſuſcipere:ſed illic & ſic corpus deponi ſinite vbi & quomodo voluerit Rais fideliſſima. Hæc ergo peracta ſunt,& dæmoniacus qui aderat ſanatus eſt.

*Visitatur à Sanctis Apoſtolis & Martyribus.*

*Diuino celebrato myſterio, & ſumpto ſacramento, moritur.*

*Paratur tumulus ad baſim columnæ.*

*Corpus ſacrũ in plũbeo deponitur loculo.*

*Sanatur dæmoniacus.*

Porro autem quædã quoque alia facta ſunt miracula.Tres enim per ſtellas Cruces,cum dies eſſet & ſol luceret clariſſimus,cũ ſumma pulchritudine & ſplendore dicuntur apparuiſſe,& ſtetiſſe ſupra pretioſum illũ loculum.Quinetiã volaſſe colũbas candidiſſimas, quæ cum eo ſemper eſt,gratiam ſpiritus ſignificãtes. Sic ergo ſacrum illud corpus Danielis depoſitum fuit manibus primi Pontificis. Rurſus illi quoque impoſitæ fuerunt reliquiæ trium puerorum

*Tres ſtellatæ Cruces ſole lucente, viſa ſtetiſſe ſupra loculum.*

*Trium puerorum reliquiæ cum corpore viri Dei recondita.*

rorum qui erant Babylone,cum iussisset sanctus,ne A tam illius reliquias, quàm eos qui erant ei impositi honorarent accedentes. Talis fuit vita magni Danielis ab ortu vsque ad decessum. Qui cum obiisset omnem exercitationem, & omnes genus certaminis,effectus plenus dierum in senectute bona excedit è vita, cum ad octogesimum annum peruenisset,& menses tres.

*Ætas sancti viri.*

Aiunt autem eum quoque capillis capitis processu temporis adeò euasisse comatum, vt quadruplici coma discriminarentur;longitudo autem eorum ad quatuor cubitos produceretur. Barba quoque erat ei densa,quæ ipsa quoque bifariam discriminabatur.

*Longitudo capillorum sancti viri ad quatuor cubitos producta.*

## NOTÆ.

Daniel.] *De eo Mart. Roman. 11. Decemb.& Græci in Menologio. Edidit fusius eius acta Metaph. quæ Lippom. tom.5. & Sur. tom.6. descripserunt. Meminit eiusdem Nicephorus hist. lib.15. cap.22.& lib.16.c.6. Citantur eius acta à S. Ioanne Damasceno in orat.3. de Imaginibus.*

Patriam habuit Mesopotamiam.] *Mesopotamia est regio inter Euphratem,& Tigrim,in maiori Asiatico Nam μέσ☉, medius, ποταμὸς, fluuius. D.Ambros.lib. de paradiso, Mesopotamia dicitur, quod Tigris, & Euphrates incluserint eam, eo quod inter duo flumina constituta sit.*

Venire Antiochiam.] *Antiochia est vrbs in Syria, quæ prius Metropolis Epiphane, & Reblata, ab aliis Theopolis, hoc est,Dei ciuitas est appellata. Hanc Seleucus Nicanor in suorum memoriam condidit Olympiade 119. quam Orantes fluuius interfluit, ab Occidentali regione lauat mœnia eius Farfar fluuius.*

Venit ad Mandram.] *Mandra Græcè, spelunca,cubile,receptaculum ouium,bouum,aliorumque huiusmodi. Inde per translationem sumitur Mandra pro Monasterio,vnde Archimandrita,id est, pastor, seu Abbas, & pater Monasterij.*

Morbus inuadit Patriarcham.] *Patriarcha est patrum Princeps,hoc est, Pontificum primus. Hi quatuor principio fuere, Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus,postea translata Byzantium, Imperij sede, additus est & Constantinopolitanus, Sex præterea Patriarchæ extant ex priuilegio, vel consuetudine, scilicet Aquileiensis, Gradensis, Bituricensis, Cantuariensis, Toletanus, & Pisanus. Quorum duo tantum nomen Patriarchæ retinuere,scilicet Aquileiensis, & Gradensis, qui est Patriarcha Venetiarum, alij dicuntur Primates vel Archiepiscopi. Vide Lalium Zecchium de Repub. Eccl. de Patriarchis.*

Monasterium Acœmetorum.] *Alias Monasteriũ Dij, à Dio Archimandrita, viro sanctitate claro, cuius diem natalem Græci celebrant 19. Iulij, vt constat ex eorum Menologio. Deinde cum ob multitudinem Monachorum in hoc Monasterio, perpetuo & incessanter diuinæ laudes canerentur, & celebrarentur, propterea dictum est Monasterium Acœmetorum, id est, non dormientium. Consule Baronium tom.4. Annal. & in Notis Martyrologij 8.Februarij.*

Mentiente Mænade.] *Vetus adagium cum quis furiosus, seu insanus, humilitatem, & mansuetudinem simulat exterius. Mænas Græcè, furiosa siue insana dicitur, ab μαίνομαι, quod est furere. Fuerunt autem Mænades mulieres, quæ Liberum patrem semper sequutæ, Bacchi sacra celebrabant, passis capillis furentium more huc atque illuc cursitantes. Iuuenal. Crinemque rotant vlulante Priapo Mænades.*

Venit in Isauriam.] *Est Isauria regio minoris Asiæ, sic dicta quod vndique aurarum flatibus pateat.*

## VITA S. NILAMMONIS INCLVSI.

### *Ex Nicephori Hist. lib.13. c.17.*

CVm Constantinopoli rixa exorta esset inter Alexãdrinos, & plebem Constantinopolitanam, & res ad conflictum peruenisset, multique vulnerati, non pauci etiam cæsi fuissent, Theophilus Episcopus impetum multitudinis metuens, inde recessit, & vnà cum Isaachio Monacho hyeme ineunte Alexandriam venit. Accidit autem vt Geras appelleret, oppidum circiter quinquaginta stadia à Pelusio situm. Quod autem ibi tum Episcopus mortuus esset, incolæ, & ciues in locum eius Nilammonem legerunt virum bonum, & propter virtutem percelebrem:Monasticaque philosophia præclarum. Degebat autem ante oppidum parua casa B inclusus, cuius aditum saxis obstruxerat. Et cum Episcopalem dignitatem suscipere detrectaret, Theophilus ei vt à se consecrationem susciperet, suasit.

*Riax inter Alexandrinos, & plebẽ Constantinopolitanam.*

*S. Nilammon eligitur Episcopus Geræ.*

*Degit inclusus in cella.*

Postquam verò eum sæpius pernegantem non expugnauit: Cras ille tandem, inquit, si ita placet, ô pater, quod constitueris facito, me autem hodie res meas agere dispone. Vbi postridie Theophilus ad eum venit,pro eo atque inter eos conuenerat, & fores aperiri iussit Nilammon.Age verò, C inquit. Deo primum precationem offeramus. Approbauit hoc Theophilus, & orationem peregit. Nilammon autem inter precandum vitam finiit, idque tum Theophilus, & qui cum eo foris stabant, ignorabant. Atque vbi plurima diei pars præteriit, & clamorem eorum Nilammon non exaudiit, reuolutis ab ostio saxis, mortuum illum repererunt, eumque sicuti conuenit, coopertum atque compositum, magnificè sepelierunt. Super sepulchro eius ciues precatoriam domum condidere,obitusque eius diem ad hoc vsque tempus festum læti peragunt. Ita Nilammõ mortem oppetiit, si quidem mors dicenda est, quam sibi ipsi potius D precibus votisque exoptauit, quàm vt Episcopus fieret,indignum se ea dignitate propter summissionem animi esse ratus.

*Impetrat à Deo mortem ne fiat Episcopus.*

*Ciues ad honorẽ ipsius templũ ædificãt, eiusque festum quotannis celebrant.*

## NOTÆ.

Nilammon.] *De quo Mart. Roman. cum Baronio 6.Ianuarij. Agunt & de eodem omnes Ecclesiasticæ historiæ scriptores, nec non & multi ex recentioribus. Vulgò dicitur S. Lamon.*

Quinquaginta stadia à Pelusio, &c.] *Pelusium est oppidum in extrema Ægypti ora. Illud condidit Peleus Achillis Pater monitu Deorum post lustrationem. Eo enim tempore Peleus furiis agitabatur,quia fratrem Phocum interemerat.*

## VITA S. SENVPHII EREMITÆ.

### *Ex Simeone Metaphraste, in Vita SS. Ioannis,& Cyri 31.Ianuarij.*

CVm intellexisset Theodosius, quod Scete, est autem hæc solitudo in Ægypto quidem sita, sic nominata philosophabatur vir quidam genere & ipse Ægyptius, maximorum sanè effector miraculorum, scribit protinus ad Theophilum Alexandiæ Episcopum, iubens vt efficiat quo vir ille admirabilis quamprimum veniat Constantinopolim. Eis autem literis quoque continebatur,

*S. Senuphius apud Scetim viuit solitarius.*

*A Theodosio Imperatore Constantinopolim accersitur.*



tinebatur, quod eius aduentu opus esset. Ille ve- A rò iis acceptis, statim ad eum venit, & datis literis, preces Imperatoris & vsum, qui vrgebat,significat. Deinde etiam ipse quoque ex se facit quod potest, vehementer rogat, orat, supplicat,ne preces despiciat Imperatoris,neque suos vilipendat labores,sed veniat ad ciuitatem,& bellum,quod in eã paratur,suis auertat precibus,& à tanto periculo & metu eam liberet,vtpote quod in eius potestate situm sit,vt ciuitas vel salua sit,vel intereat.Admirabilis autem ille Senuphius (hoc enim nomine vir ille vocabatur) primùm quidem, vt consentaneum est, ne rogaret prohibuit, non ad mensuram eius quam habebat gratiæ,sed ad mensuram potius eius, qua erat dies humilitatis aspiciens:Magna est, in- B quit,mea in ciuitatem beneuolentia, & ipsam saluam esse cupio, sed non voluntatem quoque vires sequuntur, ex ea quæ est ad Deum fiducia. Quin etiam rogauit ipsum Alexandrinum Episcopum,ne de eo talia sentiret, neque eum putaret vulgo antecellere.

*Nota S. viri humilitatem.*

Cum autem eum ipse omnino non dimitteret, nec sciret magnus quidnam faceret Senuphius: discessum quidem suum pulchrè differt,dat autem sic quoque auxilium,idque facit admirabilius.Nam & statim stetit ad Orientem, & cum superhumerale & baculum in cælum sustulisset: Domine Deus, inquit, Deus exercituum,da huic meo superhumerali & huic baculo,vt tantum possit, quantum ego C ipse, si illic adessem. Hæc cum Deo dixisset, quæ habebat in manibus, dat statim Pontifici. Hæc accipe, dicens, & mitte statim ad Imperatorem: ille autem superhumerale quidem imponat capiti, baculum verò manu ferat:deinde cum manus opus fuerit conferere cum hostibus, præcedat omnes alios, & audacter procedat aduersus inimicos.Nam si ego quidem possim à Deo exaudiri,existimo fore, vt ipse sit illis terribilis,& sine sanguine glorioſam referat victoriam.

*Mittit Imperatori superhumerale & baculum suũ, ad debellandos inimicos.*

Hæc cum ad Imperatorem lubenter essent allata: ille quidem munit caput superhumerali quauis galea tutius, baculo autem munit dexteram lancea longè validius, & hac ratione confidens fore, vt D hostibus videretur terribilior(vt aiunt) claua Herculis. Iam accedentibus hostibus, ipse primus præcedit ducens totum exercitum. Propter Senuphij autem ad Deum orationem nulla erat dilatio, sed res statim finem accipiebat. Simulac enim eum viderunt barbari, admirati ipsum tanquam vnum ex cælestibus, ad fugam statim spectabant, & pedum virtutem laudabant, fugiebant verò nõ aliquo certo ordine,vt qui non essent omnino obliti virium, sed vt qui essent emotæ mentis, & perterriti, alij aliò dispersi, terga volentibus facilia, expedita venatio, secura persecutio, & libera ab omni periculo, ipsi potius propter fugam, quæ erat sine vllo certo ordine,plagas & vulnera atque adeò mortem E sibi inuicem conciliantes: adeò vt Imperator non solum sine sanguine, sed etiam sine vllo labore hãc victoriam retulerit. Festum ille nominauit hunc diem,& nunc quoque post tantum tempus magnificè celebratur ab Alexandrinis: nominatur ab eis εἰκονέσιον, ab imagine: ab eis enim Imperatori facta est quædam statua, eo quo tunc modo armata, & capite quidem superhumerali induta, dextera autem tenens baculum.

*Imperator cũ superhumerali & baculo viri Dei procedens ad bellum,fugat Barbaros.*

*Victoria patrata sine labore, & sanguinis effusione.*

*Tanta victoria festum ab Alexandrinis celebratum.*

## NOTÆ.

Quod Scete.] *De deserto Scetis sæpe fit mentio in vitis Patrum Orientis apud Heribertum Rosweidum.*

Senuphius.] *De quo agunt Lippom. & Surius in vita Sanctorum Ioannis & Cyri 31. Ianuarij. Plura de eodem Baronius tom.4.Annalium.*

## VITA S. STEPHANI IVNIORIS,

### *qui pro cultu sanctarum imaginum martyrium passus est. Ex Sancto Ioanne Damasceno collecta.*

BEATISSIMVM atque admirandum Stephanum tulit Domina ac Regina vrbium Constantinopolis. Natus est autem Anastasij tempore,qui tunc Imperij sceptrum tenebat. Pij porrò ipsius parentes fuerunt, atque integerrima fide præditi. Et cum masculina carerent prole, ob eam causam in diuinis templis versabãtur,& à Deo obnixè precibus contendebant, vt sibi hoc suo voto frui daretur. Ac quodam die, cum peruigilium de more celebraretur, Anna ipsius mater cum orationem in longum produxisset, & cum Dei genitricis imagine, tanquam cum viua disseruisset, seque, si quod optabat, consequeretur, ipsius filio id quod peperisset, consecraturam esse recepisset: sub orationis finem, somno arrepta, fœminam incredibili quadam, atque omni sermone præstantiore, forma præditam cernit:quæ & ipsius pedem vellicans: Abi, inquit, in pace, muliercula. Est enim tibi in vtero filius,quemadmodum postulasti. Ipsa autem non sine admiratione cõsurgens, maxima voluptate perfundebatur. At postea maturè in lucem edito filio, confestim ad Blachernense templum vnà cũ marito proficiscitur:eumque ei à qua acceperat,offert. Iterũ sub id tempus quo Stephanus est conceptus, aliud quoddam accidit, quod silentio modo præterire nõ decet.Nam cũ eximius vir Germanus, in Patriarchicum thronum ascensurus esset, plebs ingenti frequentia,ad maximum S.Sophiæ templũ, ipsius videndi cupiditate cõcurrebat.Erat enim ille virtutis nomine clarus, & illustris,atque in omniũ linguis non sine voluptate versabatur. Vnà autem cũ omnibus præclarum illud parentũ Stephani par occurrens,scamnum quoddam occuparat,quo eum quem cupiebat, è superiori loco intueri posset.

*Patria S.Stephani.*

*Parentes eius Catholici pro habenda prole masculina indesinenter orant.*

*Anna matri Stephani apparet Dei genitrix.*

*Populus concurrit ad videndum nouũ Patriarchã Germanum.*

Cùm igitur ille per Ecclesiam transiret, statim mulier, quæ Stephanum gestabat in vtero, accurrens: Benedic,Domine, id quod in vtero meo est, clamare cœpit. Ille autem perspicaci animæ oculo eum,qui vtero gestabatur, intuens:Benedicat hunc Dominus per primi martyris intercessiones, respõdit.Apud omnes porrò mulier affirmabat,se ea hora qua hoc audisset,igneam flammã ex diuino illo ore prosilientem vidisse. Vt igitur in lucem editus est, statim eum,vt magnus Germanus prædixerat,Stephanum appellarunt.

*Anna rogat S. Germanũ, vt benedicat puerum quem in vtero gestabat.*

*Flamma ex ore S.Germani prosilire visa.*

*Parẽtes iuxta Sãcti viri Germani prædictionem filium Stephanum appellant.*

Cum igitur Stephanus de virtute in virtutẽ pro- E grediens,iam ad adolescentiæ peruenisset annos,in Auxentianũ montem se contulit. Et cum Ioannem quendam virum sanctum, in cauerna habitantem inuenisset: eum vnà cum parentibus rogat, vt ei monasticum habitum conferat. Ille autem eius, & votis parentum annuens, eum tondet & monastica veste induit, decimũ sextum iã vitæ annũ agentem. Protinus igitur Stephanus ad monastica certamina sese accingens, nullum continentiæ genus prætermisit,& magistri inhærens vestigiis, eius sanctitatẽ sequebatur. Qui quidem ob eximium erga Deum amorem, omnibusque numeris perfectam & absolutam virtutem,frequẽtes gratias diuinitus consequutus, & quidem eiusmodi, vt iam brutis animan

*Adolescens monasticum habitum suscipit à Ioãne Anachoreta.*

animantibus imperaret, eisque tanquam ministris A vteretur. Canis enim de more in monte assidebat. *S. Ioannes magister S. Stephani etiã brutis animantibus imperat.* Qui quidem si quando Stephanum abesse contigisset, canem de nomine vocabat, ac in charta quadam, ea qua necesse erant, conscribens, eamque canis collo appendens, ita demum eum ad Monasterium descendere iubebat, atque litteris illis perlectis, quam ocyssimè reuerti. Ille autem non secus atque animal quoddam rationis particeps statim imperata faciebat, ac summa celeritate ad Monasterium pergens, & cellæ præfecti adstans, aduentũ suum latratu significabat. Ac tunc ij, qui in illo domicilio consuetum ipsius ministerium cognoscebant, ad eum properabant, ac perlecta charta, quæ ea postulabat, exequebantur. Atque ita iussis perfunctus canis, ad Dominum rursus se referebat. *Nota mira de cane litteras perferente.*

Contigit autem aliquando, vt Stephanus ex aliquo ministerio reuersus, diuinum illum Ioannem, posito ad speluncæ fenestram capite, acerbissimè flentem offenderet. Cum autem ipse defixa humi fronte, ab eo nequaquam vt solebat, benediceretur, perdiu ad hunc modum prostratus humi, secum ipse reputabat quorsum tandem hæc patris lamentatio spectaret. At vir ille perspicacissimus, cum animo suo versans, ac deinde se erigens. Tua causa, inquit, charissime fili, tua, inquam, causa, in hoc luctu fui. Planè enim hoc noui fore, vt hic locus tua tempestate incrementũ C capiat, ac rursus ab impiis imaginum hostibus euertatur. Ad quæ cum Stephanus admodum dolenter imo corde ingemuisset. Quid autem, inquit, pater honorande, an illud quoque fore prospexisti, vt vnà ipse peream, atque à peruersa doctrina vincar? Tunc ille, bona verba, inquit, fili, nunquam aduenias. Cæterum vide quemadmodum caute ambules. Hæc, & alia locutus, quæ ipsi in posterum euentura erant, apertissimè prædixit. *S. Ioannes Iconoclastarũ hæresim prædixit.*

Igitur eo tempore, cum sacerrimus Stephanus patrem suum carnalem ad Dominum proficisci resciuisset, spiritualis huiusce patris hortatu Byzantium perit, ac iustis ipsi persolutis, diuenditisque omnibus facultatibus, ac matre, & vna sorore assũ- D ptis, ad montem redit. Cumque ipsius opera illæ senis benedictionem accepissent, ad mulierum Monasterium ductas, eas detondet, ac Dei cultui consecrat. Non multum temporis intercessit, cum diuinus Ioannes suam ad Dominum profectionem imminere sentiens, multis magnum Stephanum præceptis instruxit, atque ad extremum osculatus, debito iustis somno conquieuit, spiritumque suũ immortalibus manibus commendauit. Statim itaque præstantissimus Stephanus, patris morte per tesseram significata, Monachorum greges conuocauit, qui cum beati Ioannis corpus religiosè ac E reuerenter osculati essent, orbitatemque suam deplorassent, in reliquiarum loculo ipsum condiderunt. *Pater S. Stephani moritur.* *Mater & soror consolãt ad Monasterium mulierum.* *Moritur S. Ioannes magister Stephani.*

Illo defuncto, statim & speluncæ, & gratiæ hæres spiritualis ipsius filius Stephanus extitit. Ergo augustissimam illam speluncam ingreditur, annos natus aliquanto plusquam triginta. Cumque celebris eius sanctitatis fama vbique vagaretur: permulti ipsius virtutes imitari cupientes, ad eum accedebant. Verum cum discipulorum eius numerus crescceret, atque ad viginti vsque progressus fuisset, ipse maiotibus dignum se censens, atque etiam tranquillam vitam vnicè amans, & asperiori vitæ generi corpus addicere constituens, Marinum quendam eis præfecit patrem. Ipse autem peragra- *Multi subdũt se Stephani magisterio.*

to prorsus montis cacumine, speluncam cellula illa longè minorem extruit, latitudinis non pluſquam sesquicubitum habentem, longitudinis autem cubitos duos. Ad orientalem autem partem conchæ formam effingit, ea altitudine, vt curuato corpore, vix illic stare posset, reliquam autem partem tecti expertem reliquit. Iam autem duos, & quadraginta annos natus, vna nocte, cum Marinũ clam vocasset, eique quod haberet in animo aperuisset (nec enim cuiquam exploratum erat, cur locum illum extruxisset) vnà cum eo profectus, in parua illa, & sepulchri similitudinem referente domuncula, seipsum includit. *Degit in augustissima cella sub dio.*

Sic igitur cum Monachi omnes matutinis precibus perfuncti, ad speluncæ vestibulum venissent, flexisque capitibus, paternam benedictionem, (vt mos ferebat) sibi donari postulassent, nec vox patris vsquam audiretur, in magna animi perturbatione versari cœperunt. In speluncam itaque illius videndi desiderio insiliunt. Quem vt minimè reperiunt, luctibus, & querelis sese affligebant. Ac postea alij aliò dispersi patrem quærebant. Quem cum inuenissent, in augusta illa spelunca cõmorantem: Et quid hoc est pater? inquiunt. Cur tãtis vitæ asperitatibus teipsum addicis? Tũc ille. Quid tandẽ, inquit, aliter facerem, cum arcta, vt scriptura docet, atque augusta sit via, quæ in cœlum ducit? Quod vt illi audierunt, nihil aliud adiecerunt. Hoc tantum ab eo petierunt, vt cellæ suæ tectum adiret, & non ita sub dio vitam traduceret. Qui rursus cum tecti loco sibi cœlum sufficere respõdisset, ad hunc modum perstabat, contrarias inter se aëris mutationes ferens. Nam & per æstatem solis ardore flagrabat, & per hyemem frigore rigebat. Ad hæc etiam vna melota, eaque parua ac vili tegebatur, ac stoream solã ad breuem somnum adhibebat. Quin etiam tanquam huiusmodi ærumna non satis plena ac perfecta esset, ferro quoque totum corpus suum cingebat. *Ferro corpus cingit.*

Per id tempus grauis, quædam procella Ecclesiã Dei concussit. Nam Leo Isauricus Constantinopolitanus Imperator, cum ad decimum iam Imperij annum peruenisset, hæresim, quam à longo tempore conceperat de abolendis extirpandisque imaginibus, palam protulit. Accita igitur, & coacta Senatorum classe, absurdum illud & impium euomuit errorem, imaginum picturas formam quandam idolorum retinere inquiens, neque iis cultum adhibendum esse, ne alioqui Dei loco imprudentes idola veneremur. Protinus igitur ingens tumultus à plebe excitatus est, ac mœstitiæ nubes Orthodoxorum Ecclesiam obtegebat. De hac impietate cum certior fuisset Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, vir libera atque intrepida pietate præditus, per quendam ex præcipuis Ecclesiæ ministris hæc ei mandat: haudquaquam oportebat Imperator, te qui tum vitam, tum Imperium à Deo accepisses, aduersus conditorem tuum insolenter extolli, atque (vt vulgò dicitur) non mouenda mouere, patrumque terminos, quos illi antiquitus posuerunt, transferre studere. Velim itaque hoc scias Imperator, quod si iniquum hoc dogma confirmare, atque constabilire in animum induxeris, me primo nullo modo assentientem habiturus es, sed promptum ac paratum, qui pro Christi imagine animam meam profundam, pro qua ille, vt collapsam atque prostratam imaginem meam instauraret, cruorem suum effudit: perspicuum est enim, ignominiam eam, & contumeliam, quæ Christi imagini infertur, in exemplar ipsum redundare. *Leo Isauricus Imperator conceptam iã diu hæresim de abolẽdis imaginibus palã profert.* *Ad saniorem mentem eum reducere conatur S. Germanus Patriarcha.*

Quocir



Quocirca nobis faciendum est, vt gratorum seruo- A rum officio fungentes, pro Domini honore periculum adeamus.

Leo autem Imperator furens contra rectam fidem, cum iussisset adduci beatum Germanum, cœpit blandis sermonibus eum delinire. At verò beatus blanditias eius paruifaciens, ad memoriam ei reducebat sponsiones ipsius ante ipsum factas, qualiter Deum sibi dedisset vadem, in nullo commoturum Ecclesiam à suis Apostolicis, & diuinitus traditis ritibus. Quæ quidem omnia cùm constanti animo ei exprobraret, Imperator furore percitus, eum è sede sua exturbauit. *Pellitur sua sede S. Germanus.*

Cernere verò erat audacissima facinora omnem impietatem excedentia, quæ sine vllo metu perpe- B trabantur. Nam & sacrosancta vasa ob venerandarum imaginum picturas, pedibus obterebantur, & templorum decor & pulchritudo, quam sacrarum imaginum picturæ pariebant, partim abradebatur, partim calce illiniebatur, etenim vbi Christi, aut matris illius, aut Sanctorum imago erat, vel in ignẽ coniiciebatur, vel in puluerẽ redigebatur, vel etiam albario opere inducebatur. At vbi arborum, aut auium, aut bestiarum effigies, aut etiam circus, aut venationes pictæ erant, his nimirum parcebatur, ac summa cura prospiciebatur. *Sacræ imagines conculcãtur.*

Interea Leone ex hac vita sublato, filius eius Constantinus Copronimus post eum Imperij gubernacula susce pit. Qui statim ac ad Imperij dignitatem elatus est, sæuius atque crudelius, quàm pater eius fecerat, aduersus sacras imagines desæuit. Quin etiam cùm à pietatis amatoribus, eximiisque monastici ordinis viris reprehensus, atque conuictus esset, implacabile aduersus eos bellum excitat. Igitur stolidam omnem illam sapientiæque expertem multitudinem, quæ ipsius Imperio subiecta erat, in concionem aduocat, ac veneranda Crucis ligna, vna cum diuinis Dominici corporis & sanguinis mysteriis, atque omni labe puris Euangeliis, in quibus Dei filius Christianis ne iurent prorsus interdicit, palàm proponit, atque ita per ea vniuersos iureiurando astringit, nunquam se diuinas imagines adoraturos: quin ea potiùs idola vocaturos D (cùm ipse potiùs impietatis idolum esset) ac nec quidem communionem à Monachis accepturos, nec salutantibus quicquam humanitatis vicissim exhibituros. Verùm si quisquam eorum Monachũ aliquem vspiam obuiam habuisset, tenebricosum eum, & immemorandum, & idolorum cultorem appellaturos, ac demum (ô horrendum furorem, ô ingentem tuam, Christe, patientiam ac lenitatem!) lapidibus ipsum appetituros. *Constantinus Leonis patris Imperij, & hæresis hæres & successor.*

Quin etiam sacri ordinis quendam nactus, cui & nomen cum ipso idem & eadem fidei sententia erat, ei, proh scelestum facinus! Ecclesiæ curam, administrationemque committit, non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique E canonico suffragio atque decreto, sed tyrannica potiùs potestate Antistitem ipsum constituens. Etenim non secus ac in scena apertè luderent, ac non seriò agerent, ambo in pulpitum ascenderunt, ac deinde Imperator manibus impuris diploidem sacram nefario homini profanè imponit, dignum Episcopatu eum esse clamãs, qui graui potiùs ignominia & vituperatione dignus erat. O impuram & absurdam audaciam! ô execrandum facinus! Qui enim se accinctus erat, Antistitem sacrum creabat. Qui cum tribus mulieribus flagitiosissimè sese contaminauerat, inter sacratos Pontifices constituebat: id quod nec apud Gentilium quidem Sacerdotes vn- *Flagitiosissimum quendã Anteſtitem constituit.* *Nota inauditam Imperatoris hæretici audaciam.*

quam perpetratum fuisse repertum est: ita vt illud sacræ Scripturæ hic locum haberet: Qualis populus, talis Sacerdos. *Isa 24.*

Cùm itaque in hunc modum obscœnum illud par coiisset: atque * Attagas (vt vulgò dici cõsueuit) Numenio sese adiũxisset, literæ ad omnes vrbes ac prouincias commeabant, quibus Episcopi ad Imperialem Vrbem confestim accersebantur. Id autem eo fiebat, vt concilium aduersus venerandas imagines cogeretur. Insigne quoque Blachernis Deiparæ templum, eximia quadam ac penè incomparabili pulchritudine, & lapillis aureis in vtroque pariete arte summa exornatum abrasit & immutauit, deletis videlicet omnibus imaginum formis. Etenim eximio & pererudito artificio carnalis Christi natiuitas, & diuina ipsius miracula, & venerandorũ mysteriorum traditio, ac denique per ipsius Crucem in infernum descensus, & resurrectio picta illic erant. ** Vetus paræmia, cùm nequissimi simul coëunt.* *Dei genitricis templum magnificentissimum, & excellentissimũ prophanatũ, & sacris imaginibus priuatum.*

Quibus omnibus horrendum in modum abrasis atque deletis, ille perditionis filius Constantinus Imperator arborum species atque omnis generis auium formas eorum loco supplendas curauit. At tum sanè quispiam non incommodè illud Danidis dixisset: Venerunt gentes in hæreditatem tuã, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes C sanctorũ tuorum bestiis terræ, hoc est, venerãdas, ac sacras martyrum reliquias: quas partim igni, partim mari, partim denique, (ô facinus orbi vniuerso dãnũ ferens!) præcipitiis tradiderunt. In hoc igitur venerando templo conscleratus tyrannus, vna cum impio illo gregis mercenario, & non minus execrãdis Episcopis, qui cum ipso erant, insidens, improbum consessum cogens (vt quis enim hoc conciliũ appellarit) statuas, ô rem grauem! & idola, sacras imagines vocat. Ac deinde illi iniquitatem suã iniquitate, & malum (vt dici solet) malo cumulantes, orthodoxum illum Germanũ anathemati per summum furorem subiiciunt: ea scilicet facientes, quæ ipsi pati merebantur: Idololatram illum, & lignorum cultorem appellantes, cùm verè ipsi dæmonum cultores, & amici essent. Quonam pacto, Christe, lenitatem illam tuam, quæ nullis verbis explicari potest, non admirer? Quonam pacto benignitatis tuæ, quæ vim sermonis omnem superat, abyssum exponere queam? Adhuc porrò audacissimæ illæ linguæ eò proruperunt, vt ingens quoque istud & improbum eloqui non dubitarint, nimirum illam ipsam Dei genitricem Virginem inutilem quandam post mortem & cómodi omnis expertem rem esse, nec cuiquam omnino adiumento ac præsidio esse posse. *Martyrum Reliquiæ igni tradita.* *Episcopi hæresi Imperatoris consentiunt.* *Horribilis Iconoclastarũ in B. Virginẽ blasphemia.*

Postea autem Imperator, cũ hæresiarchas illos, qui eandem cum eo doctrinam tuebantur acciuisset (erant autem illi Theodosius Nacoliæ, Sisinnius item & Basilius, quorum alter Pastillæ, alter Tricacabi cognomentum habebat: ac præterea Callistus, & Comboconon qui in scribarum numero tum erat: ac denique Masaras, qui eadem cum Sarracenis de Religione sentiebat) ad Patriarcham, qui non modò nomen idem, sed etiam eosdem mores, ac doctrinam eandem habebat, eos mittit, hac autem de causa id faciebat, vt vnà cum ipsis ad Philippici Monasterium nauigaret: atque cùm diuinitus inspirato Stephano disputationem iniret. At ille quæ Stephani tum doctrina, tum sanctitas esset minimè ignorans, quodque præ eo ne propè quidem (vt dici solet)

solet) iacularetur, disputationem recusauit, eam ipsis potius, si possent permittens. Inter Constantinum enim (inquiebat) & Stephanum, quod ad dicendi vim attinet, plurimum interest, si quidem mihi sermo duntaxat præstò est, illi autem cum sermone diuini quoque Spiritus potentia. Cæterum etiam atque etiam attendendum est, quid enim amplius vos ab eo audituri estis? Illi verò assumpto falsi illius Concilij decreto, hoc est, siculneo, (vt dicitur) auxilio, ad prædictum Monasterium veniunt, atque in balnei gradibus manentes, sanctum virum accersunt, suæ nempe dignitati potius conuenire censentes, vt ille ad se descenderet, quàm vt ipsi ad eum se conferrent. Quoniam autem tum ob eas quas superius diximus causas, tum etiam quia ferreis catenis astrictus erat, pedibus suis ingredi non poterat, duobus viris innixus ad eos proficiscitur.

*S. Stephanus ferreis catenis astrictus, pro fide Catholica.*

Primus itaque Theodosius Ephesinus Episcopus ad hunc modum eum alloquitur. Quonam tandem modo, ô homo Dei, animum induxisti, nos omnes in hæreticorum numero reponere, teque supra Imperatores, supra Patriarchas, supra Episcopos, ac cæteros Christianos sapere iudicasti? An nos omnes id molimur, vt nostrarum ipsimet animarum iacturam faciamus? At iustus vir leni ac placida voce: Aduerte (inquit) quid de Elia Propheta scriptura prodiderit: nimirum quemadmodũ ad Achab dixerit: Non conturbo Israël, inquit, sed tu, & domus patris tui. Neque enim ego sum qui conturbo, verùm hi qui contempta veterum Patrum traditione, nouum quoddam dogma in Ecclesiam inuexerunt. Nam si quicquid antiquitate præstat, veneratione dignum est (vt quidam vir sapiens dixit) recentia vtique hæc, & adscititia vehementer absurda, itáque imbecilla sunt, vt quæ perspicuè adulterini Ecclesiæ Catholicæ fœtus sint. Ac proinde non intempestiuè propheticum illud mihi dicere in mentem venit: Reges terræ, & Principes cum mercenariis pastoribus conuenerunt in vnum, aduersus Christi administrationem inania meditati sunt.

*Constantia S. Stephani.*

*Basil. hom. 1. de ieiunio.*

Hæc cum ad hunc modum Stephanus protulisset, Constantinus Nicomediensis Episcopus, vt erat truculentia, & impudentia singulari, statim è subsellio suo exiliens, atque nihil à calcitronibus asinis diuersum faciens, aduersus sanctum virum impetũ fecit, eique humi sedenti calces in faciem incussit. Ac præterea vnus ex sæuis satellitibus imum ipsum ventrem calcibus impetens resupinum in terram prostrauit, ac deinde continenter eius pectus pede feriebat. At diuinus Stephanus Dominico præcepto obtemperans, seipsum ei ad libidinem feriendum prompto animo præbebat. Hæc porro Callisto Senatori minimè æqua atque honesta visa sunt, ob eamque causam cum profano illi Constantino silentium indixisset, ad Stephanum his verbis vsus est. Duabus tibi positis conditionibus, nempe vel vt pareas, ac concilij libello subscribas, vel mortem subeas, vt qui patrum, ac diuinitus eruditorum Imperatorum legem repudies ac proscribas, vtram è duabus magis velis, confestim elige. Rursum ergo ille diuinitus afflatus Stephanus: Attento ad mea verba animo esto, inquit, Domine Patrici. Ea enim cum magno Paulo ipse quoque clamo: Mihi viuere Christus est, ac pro veneranda ipsius imagine mori lucrum. Quocirca (semel iam dixi, & rursus dicam) si hemina mihi sanguinis est, ea quoque pro Christo fundatur. Cæterum facite, vt mihi concilij vestri decretum recitetur, quò intelligam quibus tandem rationibus adducti, diruendas ac delendas diuinas imagines censuistis. Protinus ergo Constantinus Nacolius libellum illum recitandum suscepit. Cumque initio sic legisset, Decreta sancti & Oecumenici Septimi Concilij, Sanctus vir silentio manu significato: O singulare mendacium, inquit, infirmo enim, & caduco fundamento caducũ quoque profectò & imbecillum ædificium imposuistis. Quonam enim modo sanctum existimari queat, quod sancta profanare minimè dubitauit? Quid enim? An non sancta à vobis protrita sunt? An non cum in concilio vestro sederetis, libellus vobis à quibusdã piis viris oblatus est, qui Episcopum quendã eo nomine deferret, quod lancem sanctã in qua Christi ac Dei genitricis imagines sculptę erant contriuisset? Vos autem cõtritionis illius crimen imaginibus ascribẽtes, ipsum quidé omni crimine soluistis: pios autẽ viros à cœtu proscripsistis, idolorũ vindices eos appellãtes. Quo quid audacius flagitioſiusque fingi potest? An non etiam sacram supellectilẽ sanctis imaginibus exornatam concerpsistis? An non adiectiuũ hoc, Sanctus, ab omnibus iustis, ab omnibus Apostolis, & Prophetis, à Martyribus piisque viris abiecistis? Sancitũ enim à vobis est, ô generosi viri, vt cum quisquam ad horum aliquẽ adiret, ex eoque quæreretur, quò abiret, respõderet: Ad Apostolos, ad quadraginta martyres. Siue, vnde, veniret, itidem responderet, ex templo martyris Theodori, ex templo martyris Georgij. An non hæ vestræ doctrinæ sunt? Quonam ergo pacto, qui sancta proscripsistis, Sanctum concilium coẽgistis? ô singularem absurditatem!

*Ostendit ipsorum Concilium nec sanctum, nec legitimum dici debere.*

*Iconoclastæ ab Apostolis, & martyribus sancti nomen auferunt.*

Iam quî Oecumenicum illud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antistes (citra eius authoritatem nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiasticæ ad normam redigantur) gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec denique Hierosolymitanus? Vbinam eorum libelli sunt? Aut quinam per diuersa loca missi sunt, quibus falsum vestrum concilium confirmaretur, vt hac ratione Oecumenicum censeri possit? Tum autem quomodo Septimum dicatur, quod sex priora Concilia minimè sequitur? Quicquid enim septimum est, sextum, & quintum, & ea quæ antecedunt sequatur necesse est, vt septimum esse queat. Cum igitur vos sex Conciliorum sanctiones abrogaueritis, quid est quamobrem concilium vestrum Septimum appelletis?

*Nullum Oecumenicum Concilium dici potest, quod nõ fuerit à Romano Pontifice conuocatum & approbatum.*

Ad quæ cum Tricacabus dixisset, & quodnam tandem ex sex illis Conciliis decretum à nobis abrogatum est? Quid, inquit vir Sanctus? An non sex omnia Concilia in sacrosanctis templis coacta sunt? Primum nimirum in Niceæ Metropoli, atque amplissimo vrbis illius templo. Secundum Constantinopoli in sancto Pacis templo. Tertium in pulcherrimo illo Theologi templo, quod in Ephesina Metropoli situm est. Quartum in sanctissima Metropolitanæ Chalcedonis æde. Quintum autem, ac Sextum in Palatij æde, quam Ouatum vulgò appellant in Trullo. Quid igitur? An non in omnibus hisce templis imagines pictæ erant? Quodnam autem ex prædictis Conciliis, quemadmodum vestrum, deiiciendas eas ac delendas esse censuit? Responde ad hæc Episcope.

*Concilia Oecumenica, & legitima, in templis coacta & peracta.*

Cùm autem rem ita se habere dixisset, sublatis ad cœlum oculis ac manibus, grauique gemitu imo pectore emisso, vir Sanctus alta voce exclamauit. Si quis Dominum Iesum Christum in imagine quantum ad humanitatem attinet circumscriptum non adorat, Anathema sit, cum iisque partem habeat



habeat qui dixerunt: Tolle, tolle, crucifige eum. At illi ob præclaram hanc ipsius dicendi fiduciam stupore defixi, cum beata illa lingua adhuc loqui ac veritatis hostes fortiter infectari pararet, firmissima verborum tela, tanquam sagittas in manus potentis, illi metuentes, statim eum quidem in custodiam coniici præcipiũt, ipsi autem obtectis præpudore vultibus, ad Aulam abierunt. Percunctante igitur Imperatore, quidnam ipsi perfecissent, atque Episcopis cladem suam occultare conantibus: Victi sumus, ait Callistus Senator, ô Imperator, victi sumus. Magnus enim doctrina vir ille, magnus in disputando; incomparabilis ipsius virtus est, animus intrepidus, non modò minis superior est, sed ipsam quoque mortem contemnit.

*S. viri constantia etiam ab inimicis laudatur.*

Imperator huiusce Stephani virtutem audiens, secumque istud perpendẽs, quod si hũc quoque retibus suis includeret, fauoremque ipsius ac præsidium sibi adiungeret, execrando suo dogmati magnum ob ingentem virtutis illius claritatem atque splendorum robur conciliaret: Callistum quendam Patritij ordinis, summa secum familiaritate deuinctum, atque suam hæresim apprimè callentem, & eximia dicendi facultate præditum, ad se accersit, eumque ad sanctum virum legat his verbis vtens: Ad Auxentianum montem contende, ac Stephano qui illic delitescit, atque ex Immemorandorũ classe ac numero est, persuade Concilij decretis assentiatur, & subscribat, sicque eum alloquere. Pij ac rectissimè de religione sentientes Imperatores Constantinus & Leo, beneuolentia erga te, quia virtute, & sanctitate delectaris, impulsi, te orthodoxi Concilij decreto nunc edito & promulgato subscribere iubent. Tu verò & caricas ipsi & palmas feres, amygdala item, aliaque nonnulla, quibus vir Dei colendæ pietatis studio deuotus ali consueuit. Norat enim & ipse, quanta esset illius continentia, penè vt etiam hoc virtutis genere cum spiritibus à materia remotis cõtenderet. Callistus itaque quàm celerrimè poterat ad montem profectus, sancto viro Imperatoris mandata exponit, eaque omnia, quæ alliciendi atque inflectendi vim habebant, in medium profert, ipsumque ad subscribendum pertrahere conatur. Verùm pietatis corona erat Stephanus, zeloque atque virtute Protomartyris similis. Tanquam enim qui Dominum à dextris suis esse semper prouideret, ac propterea nullius hæresis impetu concuteretur, ad pernicioſum illum nuntium his verbis vsus est: At ego nec huic decreto, nec falsi huius Concilij vaniloquio subscribam, nec illud vnquam comprobabo, nec amarum dulce, nec tenebras lucem dicam. Sacrarum autem imaginum causã promptum mihi ac procliue est mortem oppetere, Imperatoris minas, qui has delere ausus est, nihil moranti. Hæc vbi dixit, cauam manum statim ostendens: Etiam si mihi, inquit, tantulum duntaxat sanguinis esset, id tamen pro Christi imagine profundere minimè dubitarem. Quos verò ab eo ad me cibos attulisti, referas sanè licet: quoniam (vt cum diuina scriptura loquas) oleo peccatoris non impinguetur caput meum, nec hæreticorum cibis guttur meum deliniatur. Hac oratione audita, Callistus maximo pudore suffusus reuertitur, atque Imperatorem adiens, omnia ei narrat. Ille autẽ iræ ac furoris nube obducitur, ac statim sicarios vnà cum Callisto mittit, eisque imperat vt sanctum virum à cella sua abstrahant, ac protinus ad inferius Monasterium deductũ, illic cum summa cura ac vigilantia inclusum tenerent, quod arbitratu suo de eo constituerit. Sic igitur dicto citius, id quod imperatũ fuerat exequi contendentes, ad speluncã veniunt, & sanguinario animo insiliunt, ostioque statim calcibus effracto, pium virum per vim foras trahunt. Ac cernere erat rem proborum oculis admiratione dignam ac memorandã. Etenim ex ingenti quadam continẽtia, & domicilij humilitate atque angustia, tibiæ ipsius in feruoribus adhærerant, vt nec vllo modo stare vel moueri posset. Quod cum amentes homines perspexissent, summa admiratione perfusi sunt, atque ex sæuitia & feritate animos ad commiserationem inflexerunt. Ac duo quidẽ ex ipsis (sunt enim inter malos & flagitioſos homines semimali quidam, atque eiusmodi vt eorum improbitati remedium afferri possit) concepta ex sancti viri ærumna commiseratione, consertis manibus, acceptum eum deferebant. Mox autem ad patris Auxentij cœmeterium venientes, eum vnà cum Monachis illis, quibuscum versabantur, incluserunt, atque ipsi pro foribus excubabant, imperium aliquod & nuntium à Tyranno expectantes.

*Munèribus Imperator Stephanũ attrahere conatur.*

*Fortiter refutat subscribere impio conciliabulo.*

*Mittuntur satellites qui Stephanũ de cella expellant.*

*Mirãtur virũ Dei virtutẽ.*

At enimverò generosus ille, atque eximia virtute præditus Stephanus, tot molestiis affectus, ac facinoroſi cuiusdam hominis ritu, in custodiã cõiectus, animo non concidit: verùm vnà cùm sociis suis, alta & modulata voce psallebat: Impollutam imaginem tuam, ô bone adoramus. Ac deinde quid aliud huiusmodi ab ipsis psallebatur: In cogitationũ mearum latrones incidi, ab iisque mihi misero mens abrepta est. At iis quibus custodia commissa fuerat, pro foribus stantes, atque quod ab eis cantabatur audientes, ac veluti excantari sese propter illos existimantes, capita mouebant, seque miseros ducebant, quod à Monachis, qui nihil sceleris admisissent, atque iniquè inclusi tenerentur, optimo iure latrones appellarentur.

*Patientia S. Stephani in carcere constituti.*

Cùm autem sex dies iam effluxissent, in quibus pius ille vir nihil cibi gustarat, septimo die affuit quidam à Tyranno missus, qui sanctum virum ob id quod recens acciderat, (nunciatum enim fuerat, bellum, à Scythis inferri) cellæ suæ restituit. Cæterùm ille κάκιστος potius, hoc est, pessimus, quàm Callistus, cùm vnum ex sancti viri discipulis nomine Sergium, remotis arbitris accersiuisset, misero illi persuadet, vt non Iudam solũ pro ditionis reũ agi sinat, sed ipse quoque rursus patris & præceptoris sui proditorem se præbeat. Confestim igitur in ipsius perniciem meditari non desiit, atque omnem artem adhibere, quo magnum illum virum cassibus suis implicitum teneret. Vt autẽ se frustra laborare & nihil efficere perspexit (cur enim sacrã illam animam atque ab omni reprehensionis nota immunẽ aggrediebatur?) statim à sancto ouili digreditur, velut nimirũ filius improbus atque alienus, à semita recta claudicans, atque ad eũ, qui legendis Nicomediensis oræ vectigalibus præerat, Attilicalamum nomine, accedit, eumque socium & adiutorem in his, quæ aduersus sanctum virum struebantur adhibet. Ambo igitur in capitis sui perniciem inito consensu, libellum in eum calumniis refertum peruersissimo animo conscribunt. In quo primùm illud inserunt, eum Imperatoris tamquam hæretici memoriam execrari, & diris deuouere, eumque Syrum atque Vitelium appellare.

*Cella pristinæ restituitur.*

*Sergius S. viri discipulus abducitur ab hæreticis, & libellum diffamatorium contra magistrum scribit.*

Mulier quædã illustris atque honesta, marito haud ita pridem orbata, festinanter sanctum virum adiit. Cúmque se viduã, ac liberorum expertem, ac proinde solam esse, ipsi narrasset: nihil aliud sibi superesse dicebat, quàm vt monastica veste, cuius se incredibili quodam desiderio teneri asserebat, in-

dueretur. Ille autem longa eam oratione instructã, ac salutiferis præceptis sedulò eruditam, dimisit, his verbis ad extremum vtens. Vide cum quo paciscaris, ac si qua te animæ cura tenet, id quod promisisti, mox præsta, ne te cunctantem mors inuadat. Pia igitur illa mulier ad matrem rediens, ac patris sermones in intimis cordis penetralibus abditos tenens, facultates omnes suas auro commutat, eoque magna ex parte pauperibus erogato, confestim parẽtes, propinquos, vicinos, amicos relinquẽs, ad diuinum Stephanum se confert, non paruam auri illius portionem secum gestans. At ille asperiori orationis genere ad eam vtens. Cum tu (inquit) ex saluatore ipso audieris eius discipulum esse minimè posse, qui non bonis omnibus renunciauerit, quonam modo contempto, ac pro nihilo habito hoc præcepto, partem aliquam mundi retines?

*Mulier nobilis valedicere mundo cupiens virum Dei consulit.*

Hæc vt mulier audiit, ipsius perspicaciã ad stuporem vsque admirans; Non me (inquit) honorande pater, auara, spiritualis potius (nisi me animus fallit) cupiditas impulit, vt auri aliquid mihi reliqui facerem, quod videlicet id per tuas sanctas manus erogari, maiore mque mihi tuâ operâ vtilitatem cõparari cuperem. Tum ille. Alienorum delictorum scintillas manibus meis extinguere nullo modo sustineo, vereo r enim ne qua earum furtim succendatur, maxim umque in animo meo incendium excitet. Id enim nonnullis dum non satis animum attendunt, vsu venire compertum habeo. Illud autem omnino perspicuum est, quod qui seminat, idem quoque suis manibus metit. Hæc locutus, eam quidem r ursum ad matrem redire, haudquaquam vtile esse iudicauit. Cæterum vt vicinis locis vnà cum p pio Marino peragratis, ipsamet suis manibus pecu niam illam distribueret imperauit. Quo munere c cum perfuncta fuisset, tum denique Monastica eam veste induit, atque ad mulierum Monasterium t transmittit, Antistitique etiam atque etiam mandat, vt summam ipsius curam gerat, manumque ei ad virtutis studium amplexandum porrigat, seduloqu e opituletur. Atque hæc quidem ita se habuerunt.

*Egregiũ sancti viri dictum.*

*Mulierem Monastica veste indutam transmittit ad Monasterium famulorum.*

Hoc cum sc ripsissent, per militem quendam ad Imperatorem, qui tum in Scytharũ locis morabatur, libellum mittunt. Ille igitur lucri cuiusdam instar eum a ccipiens, ac Leonem iam in vinculis habens, ad Ar atherum, qui vicariam ipsi in vrbis gubernatione c operam nauabat, epistolam quam primùm scribit hoc exemplo.

Ad Mona sterium illud, quod ad Auxentiani montis radi ces situm est, summa celeritate proficiscere. In eo enim quædam Immemorandorum scorta sub pietatis prætextu degunt, quarum tu vnam, cui nomen Anna est, assumptam, per publicos e quos quàm celerrimè ad nos mitte.

Ille igitur scelerati Regis sceleratior Præfectus, simulatque litteras accepit, militum agmine cinctus ad Monasterium proficiscitur, ac sacras illas mulieres tertiæ horæ laudes Deo canentes offendit. Confestim itaque milites, quibus ipse septus erat, gladios stringunt, ac Christi sponsas circundãt. Ita diuina laudatione incondito clamore compressa, Christi famulæ, qua fugerent non habentes, partim intra sacri altaris cancellos sese protinus abdebant, partim venerandum diuinæ mensæ peplum subibant, partim ad montem excurrere tentabant, sed ab ineuitabilibus illis prædonibus retinebãtur. Quorum impetum domus illius Præfecta minimè ignorans (etenim in sua cella quiescebat) mulier ætate quidem prouecta, cæterùm in perferendis laboribus vegeta, intrepido animo ad eos egreditur, atque; Quid perpetratis, (inquit) cum Christiani sitis? Quid in mulieres diuino cultui consecratas, quæ nemini vnquam iniuriã vllam inferre in animo habuerunt, impetum fecistis? Hi autem venerandæ illius anus libertatem summoperè admirantes, atque eam Antistitem esse intelligentes, insolenti illo impetu statim in diuersum mutato, non sine quodam pudore ac reuerentia leniter ad eam his verbis vtuntur. Annam Stephani amasiam nobis dede. Hoc enim Imperatoris edictum poscit. Ipsa autem eam protinus ac quandam alteram, cum ea nomine Theophanam accersens. Abite, inquit, ad Imperatorem, ac prudenter ipsi respondete. Cæterum quoad eius fieri poterit, prouidendum vobis est, ne per fraudem aliquam in prædam incidatis. Postquam igitur adductæ sunt, atque ille eas adesse comperit, disiungi ab inuicem iubet, ac deinde accitam Annam ad hunc modum affatur.

*Præpositæ Monasterij dicendi libertas.*

Mihi quidem nullo modo omnino dubium est, quin omnia ea vera sint, quæ de te ad me perlata sunt. Cæterum eo te acciri volui, vt tu quoque liberè ac summota omni dissimulatione, cuncta detegas, nimirum quonam pacto ille prætigiator ac sceleratus huc te adduxerit, vt & bonorum tuorũ possessiones relinqueres, ac paternam nobilitatem pro nihilo duceres, ac denique hanc tenebrarum vestem indueres. Perspicuum videlicet est (quemadmodum etiam à quibusdam intellexi) id illum tibi idcirco suasisse, vt te tanquam scorto abuteretur. Verùm quid tandem in eo pulchritudinis perspexisti, vt tu in eam fraudem incideres? At casta illa mulier, turpibus his verbis auditis. Absit (inquit) Imperator, vt hac de causa paternas opes abiecerim, atque ornatum omnem exuerim, vt animã meam huiusmodi libidinibus in seruitutem addicerem. Verùm qui hæc de me detulerunt (vt cum Dauide loquar) acuerunt linguam suam sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. En igitur corpus meum tibi proponitur, ferro, igni, verberibus excrucietur, nihil aliud quãdiu mihi spiritus ac vita suppetet ex Anna audies, quàm quod verum est. Sanctum & iustum virum hunc esse, animæque meæ salutem attulisse, perspectum habeo. Obriguit ad hæc tyrannus, horaque parte haud exigua vocis vsu caruit, summumque læuæ manus digitum (vt illi in more erat) præmordens, ac dexteram manum in orbem torquens, hanc quidem sedulò custodiri iubet, ipsius autẽ comitem inuitam licet & repugnantem domum reuerti. Quò etiam vt rediit, Antistiti suæ ac magno Stephano cuncta exponit.

*Anna scortũ Stephani ab Imperatore vocatur.*

*Sapiens Annæ responsum.*

At verò Imperator non multo post, confecto ex animi sententia bello, Constantinopolim rediit, ac parum admodum, aut nihil omnino de publicarum rerum administratione laborans, hoc vnum seriò agit, ac negotiis omnibus anteponit, nempe vt Stephanum retibus suis implicitum teneat. Annam itaque de qua verba fecimus, in Phialæ carcere includi iubet (est autem ille mirè caliginosus, atque inferno propemodum haud absimilis) ac deinde per cubicularium quendam hęc ei significat. Parce tibi ipsi mulier, animumque induc honestè viuere, atque abiecto hoc tenebrarum indumento, cum Imperatrice vitam degere. Cæterum crastino die, dum interrogaberis, fac coram omnibus vera dicas. Præstò est enim ancilla tua, quæ etiam si ea quæ perpetrata sunt, inficiari volueris, te conuincet. Ego autem veritatis patronus ac propu

*Teterrimo carceri mancipatur Anna.*



propugnator membratim ac frustatim carnes tuas lacerabo; faciamque vt intelligas, quantùm Imperator, qui te hæc monet, valeat: quantum rursus Immemorandorum antistes Stephanus. Sin autem hoc tibi persuaderi sinas, vt nomẽ eius aperte deferas, ipsiusque voluptates ac libidines palam prodas, maximos à nobis honores ac munera consequeris.

*Monachi ab Imperatore, & hæreticus, Immemorandi appellabãtur.*

Hæc vt pia Anna audiuit, nihil aliud quàm meras nugas hæc omnia esse ducens, breue responsum dedit, hoc vnum inquiens: Dei voluntas fiat. At Imperator cum ingentem hominum cœtum ante palatij carcerem postridie manè collegisset, vt qui se ipsi, quod volebat persuasurum esse confideret, nudam eam in omnium conspectu sisti iubet, virgarumque fasce, in ipsius oculis & aspectu posito: hæc, inquit, non ad spectaculum duntaxat, incutiendũque tibi terrorem adhibui, sed vt tergum tuum & ventrem iis conscindam, nisi execrandos Stephani concubitus hodierno die in apertum proferas. Ad quæ cum casta illa mulier, animique magnitudine præstans, ad Christi exemplum obticuisset, Tyrannus oculos in eam iracundè coniiciens, ac meretricem eam, quæ pudicitiæ amore tenebatur, sceleſto ore appellans, flagris eam crudeliter affici iubet. Cùm itaque ipsa à quatuor valentissimis hominibus distenta fuisset, ac perdiu, & ventre & tergo tunderetur, nihil aliud ab ipsa audiri poterat, quàm hoc solùm: Non noui hominem, quemadmodum ipse ais. Non noui, Domine, miserere. At verò versipellis illa ancilla, Imperatoris iussu, in ipsius conspectu stans, manus aduersus eam prætendebat, ac ne conspuere quidem ipsam verebatur. Cúmque nonnulli ipsius calamitate sese commoueri fingerent, atque in aurem insusurrantes, ipsam admonerent, vt ea quæ Imperatoris voluntati consentanea essent, diceret, atque ad hunc modum cruciatu eximeretur, illa in pristina animi fortitudine ac tolerantia perstans, à vero minimè desciscebat.

*Nudam in cõspectu omnium Annã expositam conatur Imperator eò perducere, vt mendacia in S. Stephanum confingat.*

*Flagris crudeliter caditur Anna castissima.*

*A quadam ancilla conspuitur.*

Vt autem eam verberum multitudine confectam, ac penè spiritum exhalantem Tyrannus vidit, subsellio exurgens, celeri cursu in palatiũ se abdidit, eam in vno quodam vrbis Monasterio includi iubens, & quidem ita, vt omni corporis cura destitueretur. Nec versuta quidem illa ancilla, quæ sanctum virum & heram suam accusauerat, iustum Dei iudicium effugit. Nam cum trans turbam ad Aulicalamum peruenisset, seque fabulam detecturam esse confirmaret, & quonam modo vt sancto viro calumniam strueret, subornata fuisset, nisi ipse quod promiserat, expleret, id ille metuens, cuidam eorum qui legendis Bythiniæ tributis præerant, eam in matrimonium collocat. Prægnans autem facta gemellos filios in lucem edit. Cæterùm sub mediam noctem repentè conturbati infantes illi, arreptis maternis mammillis, horrendumque in modum exesis, eam protinus necant, atque vna cum ea viperini illi fœtus extinguuntur.

*Gemelli duo maternis mammis exesi, crudeli morte matrem enecant.*

Cæterum Imperator varios ac multiplices insidiarum modos animo versare non desinebat, quo sanctum virum morte afficeret. Quocirca postridie, cùm Georgium quemdam cognomento Syncletum, nitidum ac vigentem iuuenem, ipsique charissimum acciuisset, priuatim eum ita alloquitur: Quantam, ô Georgi, tui erga me amoris vim esse ais? Infinitam (inquit ille) Imperator, nec in mensuram vllam cadentem. Tum Imperator: Audeasne igitur pro hac tua erga me beneuolentia mortem oppetere? Et quidem libenter, inquit ille, ac summa cum animi voluptate istud fecerim. Hic Imperator animo lætissimo ipsum osculatus: En, inquit, nouum quoque Isaac. Ac deinde: Nec vt mea causa mortem subeas, Georgi, nec vt membrum aliquod tibi adimi sinas, nec denique vt quicquam aliud huiusmodi sustineas, nunc iubeo; verum hoc vnum, vt ad Auxentianum montem properè te conferas, cumque omni memoria indigno Stephano agas, eique persuadeas, vt tibi monasticum habitum imponat, ac te in suorum albũ ascribat. Quod cùm contigerit, statim ad nos quàm celerrimè poteris, redeas.

*Mittitur ab Imperatore qui dam fraudulenter, vt habitũ Monasticum à S. Stephano suscipiat.*

Ille autem hunc sermonem prompto ac lubenti animo excip , atque ad hanc fraudem obeundam, ab eo, (vt erat) in huiusmodi rebus ingeniosissimus) plurimis verbis instructus, & eruditus, confestim ad montem ascendit, ac sub nemoroso quodam loco ac virgultis pleno delitescens, media nocte dæmonibus non absimilis egreditur, atque ad Monasterium accedens, voces ad ciendam misericordiam comparatas, emittebat. Miseremini mei (inquiens) miseremini, Christiani omnes qui hic habitatis, nec me à feris abripi, aut in præcipitium ac voraginem ruere sinite. Oberraui enim in via, nec quid faciam habeo. Hæc & alia quædam cum simulatissimo animo quereretur, Stephanus vir humanus & ad misericordiam propensus exaudiens, Marianum Monachum accersit (rei enim commentitiæ simplex illa ac fuci & malitiæ expers anima fidem adhibebat) atque abi properè, inquit, ac lugentem istum, quicumque tandem ille sit, huc admitte, nec pereat.

*Nota S. viri mansuetudinem.*

Ille igitur confestim admissus, ad ipsius genua confestim se abiicit, atque (ô Deus bone) quanta cum simulationis larua impurus ille & execrandus, visitatum illud, Benedic pater summè venerande, pronunciauit. Postquàm autem sanctus vir ipsi bene precatus est, ipsumque exurgere iussit: tum ab indumentis, tum à facie ac genis prorsus abrasis eum agnouit; siquidem erasomento erat: nam id omnibus Tyrannus edixerat, in hoc nimirum Deo aduersam legem sanciens, ad Mosem videlicet dicenti: Loquere ad populum, ac prohibe ne barbam in rotundum radant, aut eam implexam gerant; etenim vt in aliis omnibus rebus, sic in hac quoque ipsi aduersari contendebat. Atque omnibus tam iuuenibus, quàm senibus barbam ad cutim vsque radere præceperat, vt qui eos tanquam salaces equos, ad benè semper curandam cutim, atque ad lasciuiæ studium extimularet.

*Leuit. 19.*

*Tyranni præceptum de omnium barbis radendis.*

Cùm igitur hinc eum ex Imperatoris classe esse coniecissent, percunctabatur ab eo, vndenam esset, & quò pergeret. Ille autem (ac vide quæso hominis malitiam) quin ex aulicorum numero esset, minimè inficias ibat. Cæterùm, inquit, dum flagitiosissimi Imperatoris sententiam & ego, & socij mei sequimur, penè in Iudaismũ præcipites abrepti sumus, atque in ingens animæ periculũ iam incidimus. Ego verò quo in malo versarer, tandem aliquando persentiscens, ad tuæ sanctitatis pedes (vt vides) properanter veni, vt Angelicum hunc habitum, cuius desiderio teneor, à te obtineam. Quocirca ne me quæso abiicias, honorande pater, nec tametsi indignum, à præclara hac spelunca remoueas. Tum ille nomini suo respondens Stephanus: nequeo, inquit, fili, huiusmodi rem aggredi, ne quid mihi periculi à Tyranno creetur. Ille autem statim figmentum suum ac simulationem adigens, atque id omni studio contendens, vt fabu-

*Insidiatoris malitia & versutia insigni.*

iam eam quam agebat, quoad eius fieri posset, ab omni suspicione vendicaret. Ac propterea quo sanctum virum ad id quod expetebat alliceret: Rationem, inquit, Deo pro anima mea reddes, nisi me hodierno die sine vlla cunctatione detonsum in Monachorum ordinem adscribas, nihil enim mihi alioqui supereſt, quàm vt statim ad prioris vitæ institutum reuertar.

At venerandus ille vir hoc sermone commotus (norat enim omnia pro nihilo ducere, cum de animæ salute agi existimaret:) Etiamsi periculum hac in re situm est, inquit, tamen quia te sincero animi affectu accessisse dixisti, non committam, vt contra Dominicum præceptum te foras eiiciam. Cæterum attento animo sis oportet, pectusque tuum aduersus omnem ærumnam præmunias. Sic enim suos Dominus explorare solet. Hoc sermone habito, mundanam vestem ipsi detrahit, atque obedientiæ vestimento eum induit. Atque ita impostor ille ad tertiam vsque diem perstitit, non tam decipiens, quàm ipsemet à dæmone, qui eum ad huiusmodi facinus abripiebat, deceptus.

*Tandem insidiator à sancto, veste Monastica induitur.*

Nec verò subdolum Tyrannum hoc fugit, verùm interim dum hæc peragebantur, ingentem hominũ multitudinem in theatro colligens, ac gradus eos, in quibus purpuratorum corona stare consueuerat, ascendens, mœroreque profligati hominis laruam induens: Nulla mihi reliqua vitæ pars est, inquit, præ veteratoria Deo inuisi Immemorandorum horum agminis nequitia. Cum autem populus ad istud exclamasset; Quonam modo hæc, cùm huiusce habitus ne vestigium quidem vllum in tua vrbe supersit? Ille editiori voce; Insidias eorum, inquit, nullo pacto ferre queo. Omnes enim meos subdolo animo circumuentos ad se petraxerunt, atque adamatis suis tenebris manciparunt. Nunc autem tanquam ne nunc quidem iis quæ perpetrarunt contenti, grauiora prioribus adiecerunt, ac Georgium meum, quem (vt scitis) amore complectebar, à latere meo abreptum auulsumque, Monachum, (ô terra! ô Sol!) effecerunt, hæc me intolerando quodam mœrore excruciant. Cæterum cura nostra in Dominum coniicienda est, nobisque ad eum preces adhibendæ, atque ille breui (quod expetimus) in apertum proferet.

*Vt Stephanũ odiosum reddat Imperator, palam in theatro dicit ab ipso esse sibi abreptos familiares amicos.*

Ad hunc modũ præstigiator ille ac vanus, quod curarat atque impetrarat, ac veteratorio animo molitus fuerat, iam iamque euenturum erat, antè prædicit, vt vatis famam consequeretur, qui densissimis tenebris ac scelere plenus erat. Cum autem ij qui aderant, quique nihil ad veritatem, sed ad gratiam omnia sua tum facta, tum dicta referebant, tritum illud ac peruulgatum dixissent: Cor regis in manu Dei est, & orante te, Deus omnino exaudiet, concionem soluerunt.

*Prou. 21.*

Porrò admirandus Stephanus execrãdum illum, ac mali malum discipulum, post tertium diem acersit, plurimisque instructum detondet, & Monastico habitu adornat, atque vt Salomonis verbis vtar, inaurem auream nari porcinæ imponit. Ille autem nihil diuina illa præcepta moratus, montem tanquam ignauus quidam miles, & fugax, relinquens, ad aulam abiit. Imperator verò libenter eum excipit, ac læto animo amplectitur, nõ ob sanctum habitum, vt oportebat, sed ob id potiùs quod eum abiecisset, hincque ipse iusti viri de medio tollendi nactus causam esset.

*Prou. 11.*

*Fraudulẽter accipiens habitum à viro Dei statim eum ipso redit ad Imperatorem.*

Confestim igitur omnibus cuiuscumque ætatis hominibus, ad publicum theatrum, sub matutinum tempus ipsius iussu coactis, stans ille eodem quo prius loco, alta quadam voce, ac mira lætitia perfuso animo, vicit (inquit) fortuna mea, precesque meas Dominus exaudiuit. Papæ, cuius hominis? Immo verò earum potius principis tenebrarum auditor extitit. Cum autem multitudo pro suo more illi applausisset, atque ista ad gratiam, & obsequium comparata, rursus dixisset. Quando autem, ô here, te Dominus non exaudiuit? Ipse hoc sermone delectatus, ac iucundè arridens; Reuelauit mihi (inquit) Deus, quem quærebam. Quem si vultis hodierno die vobis commonstrabo. Ac simul spectandum eum produxit. Promiscua itaque illa multitudo, simul atque ipsum conspexit, quo tempori magis obsequeretur, hunc (inquit) malè de te meritum, malum ac nefas est intueri. Obtruncetur ergo quamprimùm nefandus iste, obtruncetur. Quæ cum dicerent, id quidem dicebant, quod illum pari oportebat. Cæterum ab Imperatoris mente ac sententia prorsus aberrabant.

*Peruersa plebs applaudit Imperatori.*

Quocirca statim Tyranno ita iubente, sacram ipsi epomidem detrahunt, eamque ad populum vna cum cucullo (nam ita appellari consueuit) abiiciũt, quæ extemplo ab impuris illis ac sceleratis conculcata sunt. Vt autem cruciferum quoque analabũ, hoc est redimiculum, vt etiam ipsum deiicerent, nefario illi demere cœperunt, manibus acceptum illum Imperator vndique contorquebat, quidnam istud esset scisitans.

*Habitus Monasticus ab hæreticis cõculcatur.*

Tum Senator quidam, vt nomine, ita etiam re Dracontius. Proiiciatur, inquit, Imperator, hic quoque satanei laquei funis, dignus ipse proculdubio eiusmodi laqueo. Quod etiam cum illico factum fuisset, is quoque à plebe protritus cernebatur. Et quidem res præclaræ indigno homini rectè detrahebantur, at non ita rectè à sceleſta ac sacrilega multitudine per contumeliam obterebantur. Post autem quatuor homines prono corpore acceptis profani illius vestibus tanquam pelle aliqua, ipsum statim exuunt, atque eius loco militarem vestem ipsi imponunt, caput ipsius galea cingunt. Cumque eum prius inspectante turba, vndis eluissent (ad expiandam scilicet spurcitiem eam quam in sacro illo habitu contraxerat) ad Iudaïcum modum (quid enim aliud dicam?) ipsi quoque res diuinas ac sacras ludibrio habuissent, (ô quonam pacto hæc vel aures dũtaxat ferent?) tũ denique suismet manibus Imperator ense ipsius humeris appẽso, eũ Hippocomi dignitate ornat. Atque hanc Georgius abnegati magistri mercedem tulit, quemadmodum Iudas pro negato Christo triginta talenta. Confestim itaque multitudo, impetu facto, sancti viri discipulos disturbat, ac Monasterium vna cum templo igni absumit, sanctumque virum illum, latronum instar è spelunca abreptum, ad Chalcedonis nauale adducit. Quænam lingua calamitates eas, quas in tam longo itinere perferendas habuit, oratione complecti queat? Alij enim eum magno impetu trahebant, alij fustibus à tergo feriebant, alij in vallem eam deuoluebant: alij tibias eius calcibus laniabant, erant etiam qui in venerandam eius faciem conspuerent: alij denique petulantiori animo præditi cæsis palmarum ramis, ante ipsum incedebant cachinnantes, & illudentes, & sexcenta in eum dicteria iacientes. Quidnam porrò hæc ab impio Iudæorum furore distabant? Vt autem nullo in eum genere contumeliarum prætermisso, ad littus peruenerunt, tum demum lembo impositum, ad Philippici Monasterium, (id autem Chrysopoli haud longè à Byzantio situm est) fortem virum

*A plebe S. Stephani Monasterium comburitur & Monachi effugantur.*

*Multis iniuriis & malis afficitur S. Stephanus,*



virum abducunt. Vbi etiam illum custodientes, de ipsius statu Imperatorem certiorem faciunt. Quẽ vbi atrocem illam huiusce viri raptationem & cõtumelias, incensumque Monasterium audiisset: lætitiam inde concepisse aiunt, atque edictum statim promulgasse, quo capitalem pœnam in eum sanciebat, qui ad Auxentianum collem vel solùm appropinquare ausus fuisset.

*Decem & septẽ dies transit absque cibo.*

Vbi autem septem & decem integros dies in illo Monasterio ita consumpsit, vt nihil prorsus cibi attingeret, tametsi alioqui Imperator plurima ad eum alimenta mitteret: nam ea ille rursus remittebat, nullum prorsus ex eis degustans. Per hos autem dies grauissimo morbo correptus huiusce Monasterij Præfectus, quantùm quidem ad medicos attinebat, vitæ spem omnem abiecerat: mittit ad sanctum virum, eumque ad se veniat rogat: quo, inquit, alter alteri extremam salutem dicamus: incertum est enim, an nona hora apud viuos futurus sim. Quod vbi audiit statim ad eum accessit: ac deinde cùm manu eius collum tenuisset, labia quidem ipsa precationis causa mouebat, febris autem quæ morbum pepererat, à corpore profugiebat. Quid postea? Poculum suum vino mero impletum ei ad bibendum porrigit. Quod cùm hausisset, statim plurimus sudor ex ipso manauit, & dicto citius sanitati restitutus est. Cùm igitur ei non tam extremum quàm iucundum osculum præbuisset, illinc excedens, profectionem suam (vt cum propheta loquar) in mari statuit, atque in eam nauem quæ parata erat ascendens, exulatum profectus est, in Proconnesum scilicet, ob eam causam quod eorum Concilio sub scribere noluisset.

*Ægrotat vir Dei.*

*Sanitati restituitur.*

*Exulat in Procõnesum.*

Cúmque desertissima quæque Insulæ loca peragrasset, in speluncam admiratione dignam incidit (Cissadam eam incolæ nuncupabant) in qua Christianæ Annæ templũ erat. Hac igitur re oblectatus, atque huiusmodi locum non sine numine diuino sese inuenisse ratus, domicilium sibi ex eo constituit, herbarum quæ illic nascebantur radices luculentæ cuiusdã mensæ instar habens. At verò omnes ipsius discipuli ab Auxentiano monte depulsi, tanquam oues vndique oberrabant, pastorem suum quærentes. Tandem autem eum, cùm ad Proconnesum venissent, inuenerunt: duobus tantùm exceptis, qui à præclarissimo illo ouili, vt à diuino duodenario Iudas, vel potius à Paulo Demas, & Hermogenes sese auulserant, ac pro Monastico habitu mundanum induerant, nimirũ Sergio, de quo ante verba fecimus, qui etiam inuectiuum atque execrandum aduersus virum sanctũ volumen condidit, & ter misero Stephano, qui cum Presbyter, ac supradicti Callisti minister primùm extitisset; ac deinde à sancto viro in album Monachorum inscriptus fuisset, atque in montis Monasterio sacerdotis munus obiisset, postea tamen & Monasticum habitum & Deum eiuratum abiecisset, Tyranno mundana venuit, atque ab ipsomet Tyranno mundana veste indutus, quem prius vitam abiicere oportebat, nefariam illam vocem emisit: (ô scelerata labia! ô impuram & fœtidam linguam!) hodierno die, here, à satanicis faucibus opera tua ereptus, ac tenebroso amictu exutus, splendidum pallium indui. Cuius execrando sermone Tyrannus summopere delectatus, Sophiani palatij ministrum eum constituit. Quò etiam crebro commeãs, gaudij patrem eum, qui multis luctibus dignus erat, appellabat.

*Habitat in spelunca.*

*Inuenitur à discipulis, duobus exceptis qui à fide, & habitu sancto defecerant.*

His itaque solis ab ouili sacrosancto auulsis, cæteri omnes in Proconnesum (vt à me dictum est) appulsi, Monasterium construxerunt. Quin & à philosophica ista vitæ degendæ ratione, ne diuini quidem Stephani mater abfuit: verùm vnà cum sorore insulam illam adiens, contubernium ipsius amplexa est. Illic itaque diuinus Stephanus extructa columna, ac supra eam angustissima quadam ædicula, in ea sese inclusit, annos iam nouem & quadraginta natus. Perinde autem ac si magnos consecratæ vitæ labores tum primùm iniisset, ita seipsum asperrimis quibusque certaminibus dedebat: non secus videlicet ac si certamen ipse secum instituisset, atque id contenderet, vt vnà cum ætate, labores quoque nouis incrementis cumularet. Quam ob causam diuina quoque miraculorum gratia ipsi insedit, atque admirabilium operum admirabilis effector extitit. Cæcus enim quidam iuxta illum Euangelicum à natiuitate cæcum, ad eum adiens, suppliceſque easdem voces vnà cum pari fide mittens, lucem quam nemo non expetit, obnixè sibi dari rogabat. Ipse autem, vt qui modestè atque humiliter de se sentiret, primùm detrectabat. Cum verò ille supplex instaret: Si fidem ad Deum habes, si imaginis ipsius cultor es: lucem ac rerum ab eo admirabili modo conditarum pulchritudinem intuere. Vix hæc dixerat, cùm ille apertis oculis, ac purgata ea, quæ in ipsis offusa erat, cæcitate, lætus ac lucem cernens ambulabat: testisque omni exceptione maior miraculi à Stephano editi. Atque hoc primum & maximum in ea insula beati viri miraculum extitit.

*Visitatur à matre Sãctus Stephanus.*

*Degit in columna vir Dei.*

*Claret miraculis.*

*Cæco visum restituit.*

Alterum autem atque ab eo posterius (quamquam haud scio an porentia inferius censeri debeat) huiusmodi fuit. Fœminæ cuidam haud obscuro loco natæ, quæ Cyzici degebat, filius erat nouennis à malo dæmone diuexatus. Quo secum assumpto mater, in insulam profecta est. Vt autem ipse admirandi viri cubiculum vel solum perspexit, tumultuari & æstuare, ac nunc sublimis in altum ferri, nunc rursum in terram allidi cœpit, inconditas quasdam voces in sanctum virum emittens, dæmone nimirum, dum mouebatur, ipsum mouente, vimque ei, dum vim ipsemet pateretur, afferente. At mater, cuius viscera non minus quam illius distorquebantur (quid enim aliud cùm mater esset?) tum lacrymas internæ flammæ indices profundebat, tum voces quibus misericordiam moueret, emittebat: Misereſcat te mei (inquiens) misereſcat te eius qui longè grauioris mœroris dæmone conflictatur. Vnigenitus enim mihi hic est, atque hoc vno spes omnis mea nitebatur.

Huius igitur luctibus commotus Stephanus, vni discipulorum imperat, vt Crucis signum vniuerso pueri corpori adhibeat. Ipse autem intra se collectus, atque animæ oculum attollens, eum qui celerrimè salutem afferre poterat, inuocabat. Atque ipse quidem lacrymis perfusus precabatur: ille autem humi magno cum impetu deiectus, amissa voce iacebat. Ipse surgere eum, atque ad se venire iubebat: iussis obsequebatur. Demum eum adorata Christi imagine, matri suæ sanum atque incolumem tradidit.

*Puerum obsessum à dæmone liberat.*

Eodem tempore miles quidam nomine Stephanus genere Armenius, ab Europæ partibus profectus, qui dimidia sui parte contabuerat, totusque præ morbo humi vergebat, cum magna illa miracula, quæ à magno hoc viro designabantur intellexisset, ad eum perrexit: atque ad eius pedes accidens, ea postulare cœpit, quæ & ipse accipere summo

*Construunt Monasterũ.*

fummopere optabat,& ille facilè præbere poterat. At ille qui fide erga Dominũ & beneuolentia præditus erat, miraculum ad ipſum transfert. Cumque ei qui ægrotabat, vt & ipſius & matris imaginem adoraret imperaſſet, atque ille id faceret, ſanum eum prorſus ac valentem reddidit. Vt igitur ad commilitones ſuos ſe recepit, quærebatur ex eo quanam ratione conualuiſſet, ille autem eam minimè reticebat, nimirum, Monachus quidam (dicebat) nomine Stephanus, qui apud Proconneſum in anguſtiſſima quadam ædicula degit, duas me imagines adorare iuſſit, vnam quæ Chriſti,alteram quæ Deiparæ dicebatur,ac protinus conualui, corpuſque omnino erexi.

*Miles,Christi & virginis matris venerans imagines,à graui infirmitate liberatur.*

At impij illi ac ſcelerati manus non ſine magno terrore complaudentes: Væ tibi (inquiunt)qui in idololatriam proruiſti, confeſtim itaque eum apud ſummum Thraciæ Præfectum deferunt. Qui cum de eo quæſtionem habuiſſet, nulla interpoſita mora, eum ad Imperatorem miſit. Is verò cum accuratiùs eum examinaſſet, atque recuperatæ valetudinis modum intellexiſſet, pro ea qua laborabat ſtoliditate, non intellexit.Verum quod ipſi ſummo ſtudio erat, percunctabatur eum qui morbo liberatus fuerat, an in ſimulachrorum cultu perſtaret. Qui cum ingenti pœnitudine ſe affici,atque huiuſmodi ſimulachra execrari dixiſſet: Tyrannus vt ei impietatis mercedem referret, Centurionem eum creauit. Cæterum vindex Dei iuſtitia è veſtigio ingratum illum eſt perſecuta, nam cum ſtatim ab aula reuerteretur, atque in equum conſcendere pararet, ille ſubitò ſaltitans, in terram eum proſtrauit, atque contriuit, nec calcibus in eum inſilire deſtitit, quoad ille ingratam animam euomuiſſet.

*Vltio diuina in militem ingratum.*

Tyrannus igitur tanquam hinc arrepta anſa Sanctum virum quamprimùm è Proconneſo ad ſe adduci iubet, illud addens, quod ne exilio quidem mulctatus ſibi temperaſſet, quin plebem idolis cultum adhibere doceret. Cum ergo illinc abductus eſſet, vt in Phiala, perquàm obſcuro ergaſtulo, tum vinctis ferro manibus, tum pedibus ad lignum ferro aſtrictis includeretur, edixit. Interiectis autem quibuſdam diebus, ad Heliacum, qui Pharus dicitur, duobus tantum primarij ordinis viris comitatus, Sanctum virum præſtò eſſe iubet. Cum autem ad eum idem ſanctus Stephanus ductus fuiſſet, à pio quodam viro nummum petit, eumque cellulæ ſuæ furtim impoſuit. Tyrannus itaque cum eum vidit,exclamare cœpit.O vim mihi illatam, ô calamitatem, ô arrogantiam? Videte à quonam Imperium meum contumelia afficiatur, à quonam ludibrio habeatur. Cum autem vir Sanctus nihil omnino reſpondiſſet, verum humi defixus hæreret: Tyrannus eum iracundè proſpiciens, ignemque (vt dici ſolet) ſpirans, atque vt ipſi in more poſitum erat,manum in orbem contorquens, alteque exclamans; Non mihi reſpondes (inquit) ſceleſtum caput? At ille. Si me ita leuiter condemnare in animo habes, Imperator, ſupplicio quam celerrimè affice. Sin autem huc me idcirco adeſſe iuſſiſti, vt me interrogares, ac viciſſim audires, iracundiam lenitate tempera, atque æquo animo & interroga, & audi. Tunc Imperator. Dic age, quibuſnam paternis decretis minimè paruimus, vt apud te in hæreticorum numero cenſeamur? Quoniam, inquit ille, venerandarum imaginum picturam multis ante temporibus à diuinis patribus traditam, ſceleratè ab Eccleſiis abiecistis. Tyrannus autem: Ne has, inquit, imaginum picturas dicas,

*Ducitur ad Imperatorem Stephanus.*

(neque enim ſunt) ſed planè idolorum picturas, quidnam porro idolis cum ſanctis commune eſt?

Hic verò Sanctus vir ille:Non, inquit, cùm imagines adoramus,materiæ cultum aut venerationem tribuimus, verum imaginum honor ad exemplar tranſit, quemadmodum à Baſilio dictum eſt. Quid (inquit Tyrannus) æquumne eſt ea,quæ à patribus ante ſunt prædicata, quæque & multa & perobſcura ſunt, ac neque mente comprehendi, neque verbis vllis explicari poſſunt, per colores in ſenſum cadentes exprimere, atque in materia adorare, cum eorum eſſentia nemini, niſi quantum ad infinitatem (vt Gregorij verbo vtar) attinet, explorata ſit?Minimè verò (ait Sanctus vir.)Ecquis enim mortalium, qui quidem mentis compos ſit, diuinitatis naturam, quæ & materia caret, & omnem mentis captum fugit, coloribus & materia conflatis pingi poſſe dixerit? Cuius enim forma ne mente quidem delineari poteſt, quonam tandem modo ipſa coloribus exprimi queat? At nos cum Chriſtum in imagine pingimus, diuinitatis naturam haudquaquam pingimus, verum Theandricam eam formam quæ in noſtra ſpecie apparuit, quamque Apoſtolicæ manus contrectarunt, quemadmodum alicubi ait Theologus Ioannes: Quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt. Quod ſi mihi dictum illud Moyſis in medium protuleris. Non facies tibi ſimilitudinem vllius rei, tam ex iis quæ in cœlo, quàm ex iis quæ in terra ſunt: hunc tibi Moſen oſtendo duorum Cherubin effigiem auro efficientem. Quibus de rebus ad hunc quoque modum diuinus Apoſtolus diſſeruit; Et Cherubin obumbrantia Propitiatorium. Quin ipſum quoque Propitiatoriũ & Tabernaculum teſtimonij,& ſancta Sanctorũ,an non cæleſtium figuram exprimebant?Quemadmodum idem Apoſtolus rurſus ait: vmbræ cæleſtium deſeruiuimus. Quid igitur ſceleris admittimus, cum Chriſti formam humanitus aſpectam in imagine pingimus, & adoramus? Quid autem? An cum Crucem etiam, ex quacumque tandem materia confecta ſit, adoramus,rei conditæ cultum adhibere videmur, adorationem materiæ tribuentes?Sed & templa ſancta,& ſacroſancta vaſa à nobis adornata, nullã nobis reprehenſionis notam inurunt,ſi quidem ea per Chriſtri inuocationem in ſancta mutari, perſuaſum habemus.

*Honor imagini exhibitus refertur ad prototypum.*

*Etiam in templo antiquo Cherubin erant.*

Quid?An tu quoque corporis & ſanguinis Chriſti antitypa ab Eccleſia proſcribes, vt quæ imaginem & veram figuram teneant, quæ & adoramus, & oſculamur, & eorum perceptione ſanctitatem conſequimur? Vos igitur inter ſanctum & profanum minimè diſtinguentes, Chriſti imaginem non ſecus atque Apollinis ſtatuam, Deiparæque item non ſecus ac Dianæ idolum appellare, minimè horruiſtis, quin ipſam quoque pedibus protriuiſtis & exuſſiſtis.Ad hæc Imperator. O cæca mente perdite, inquit, ac ſupra omnes immemorandos obliuione digne,his imaginibus proculcatis,Chriſtúmne proculcauimus? Cum verò ille verè in diuinis rebus ſolers Stephanus in morem eorum qui bellica laude præſtant, aduerſarium ſuomet telo ferire, ac per ea ipſa quæ dixerat,profligare cuperet manũ in cucullam immittens, atque inde nummũ in quo impius ille ſculptus erat extrahẽs, eũque quemadmodum Chriſtus olim, Cæſaris nummum Iudæis oſtendens: Cuiuſnam(inquit)eſt hæc imago & ſuperſcriptio?Eo autem mirante & reſpõdente,cuius tandem alius quàm Imperatorum. Quid (inquit vir





vir diuinus) ſi quis eum contumelioſe in terram proiectum pedibus terat, pœnaſne aliquas luet? Quidni autem,dixerunt ij qui adſtabant, cum Imperatoriam effigiem procudat? Ad hæc vir ſanctus grauem quendam ex imo pectore gemitum emittens, ac cum magno animi dolore exclamans: O inmanem,inquit, cæcitatem! Si pro mortalis Imperatoris forma & effigie grauiſſimas pœnas irrogandas eſſe dixiſtis: quas tandem pœnas eum eſſe iubiturum putatis, qui filij Dei & matris ipſius effigiem conculcarit, ignique tradere minimè dubitarit? Vix hæc dixerat, cùm nummum eum pedibus protriuit.

*Egregia ratione ostendit grauissimam sceleris imaginem Christi eiusque matris conculcatum.*

*Imperatorũ imaginẽ pedibus conculcat vir Dei.*

Cùm autem qui adſtabant, ferarum ritu accurriſſent, vt ſanctum virum præcipitem in mare deiicerent (audax enim & præceps eſt aſſentatio,dum obſequiis aliquem demereri nimirum ſtudet,mediocritatis omnes fines excedit) Imperator lenitatem ſimulans, quo iracundiæ haudquaquam obnoxius videretur, qui eam ingentem atque arcanam in animo inſidentem habebat: in præſens quidem eos prohibet, atque ab huiuſmodi conatu abducit. Cæterùm ſanctum virum collo alligari ac manibus à tergo vinciri iuſſum ad publicum Prætorij carcerem amandat, vt videlicet ob protritam Imperatoris imaginem pœnas à lege conſtitutas lueret. Hæc nimirum lenis ille ac facilis, cunctoſque iniuriarum obliuione ſuperans. Nam qui Chriſti imaginem proculcarant atque in ignem coniecerant, ij ſuæ imaginis vindices ſedebant, atque vltricem huiuſce facinoris legem proferebant. Et quis autem amentiam eorum ſatis rideat, imò potiùs eorum vecordiam & cæcitatem ſatis deplorare queat?

*Detruditur in carcerem.*

At ſpiritu diuino maiorem in modum afflatus Stephanus, ſimulatque vel ipſum carceris limen attigit, pectore incalеſcens, atque ab eo quo præditus erat, perſpicaci ſpiritu concitatus, dierum ſuorum metam in lingua ſua locutus eſt,his verbis vtens: hæc eſt præſentis vitæ meæ requies. Hic enim ſaltem vſque ad extremum ſpiritum habitare neceſſe eſt: quoniam pro imaginis Chriſti honore hanc ſedem elegi, ſecundum illud Dauidicũ: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. In interiori carcere concluſos eximiæ virtutis Monachos trecentos quadraginta duos ex variis locis collectos, atque in eodem carcere condemnatos inuenit, qui partim nares, partim aures exſectas habebant, partim euulſos oculos, partim amputatas manus:ob id videlicet,quod pro venerandarum imaginum pictura & erectione lucubrationes edidiſſent. At quidem alij plagarum notas adhuc circunferebant: alij præclaras genas pice illitas atque ambuſtas habebant: alij caput ad ludibrium abraſum. Quorum varios iſtos ac multiplices cruciatus diuinus Stephanus cernens, patientiæ nomine beatos eos prædicabat, ac contra lacrymis dignum ſeſe iudicabat,vt qui in earumdem plagarum partem cum illis minimè veniſſet, nec pro Chriſti imagine membrorum exectionem quoque pertuliſſet.

*Psalm. 39.*

*Trecenti 42. Monachi ob cultum sanctarum imaginum detrusi in carcerẽ.*

At diuini illi patres, vt primum ſanctum virum conſpexerunt, ad eum tanquam ad magiſtrum & præceptorem acceſſerunt, vt ab eo ſalutis præceptis erudirentur. Itaque ex Prætorio Monaſterium factum eſt: quippe cum illic omnis monaſticæ vitæ forma ac regula ad vnguem obſeruaretur. Ij autem quibus carceris cuſtodia mandata erat, quique ſancti viri famam iampridem audierant, tum demum animi quoque ipſius ſtatum ab ea trã-

*Carcer mutatus in Monasterium.*

quillitate, quæ in ipſius moribus elucebat, quantũ fieri poterat coniectantes, ad eum tanquam ad Dei Angelum animas conuertebant, eique ſummam reuerentiam, ac venerationem tribuebant, adeò vt quidam etiam eorum, remotis arbitris, eadem ad vxorem ſuam diceret, quæ olim Manue ille: Morte moriemur, præ Tyranni huius furore: Virum enim perinde ac Deum hodierna die vidi,hũc inquam in vincula coniectum Monachum, quem Auxentianum vocant.

*A carceris custodibus magno honore afficitur S. vir.*

Sapiens autem illa mulier non frigidè ac negligenter ad hæc verba affecta, verùm per concinnum atque prudentẽ ad virum interrogationẽ vitæ ſancti huius patris rationem omnem perſcrutata,clàm in carcerem ingreſſa eſt, acceptiſque venerandis eius pedibus, ab eo, vt pro ſe precaretur, ipſaque viciſſim, ei quæ opus eſſent, ſubminiſtraret, poſtulabat. At diuinitus inſpiratus Stephanus preces quidem ei annuit & conceſſit:cæterùm adduci non poterat,vt quicquam ab ea ſuſciperet. Inſtabat autem rurſus illa dicens: Quidnam eſt, quamobrem tu exiguam fidei erga te meæ promptitudinem tam obſtinatè reiicis? Quanquam enim id ipſa non merear, tuam tamen moderationem ac benignitatem ad indignos quoque indulgenter ſe dimittere compertum habeo. Quemadmodum enim Sarephana illa Eliæ farinam, & Sunamitis Eliſæo cubiculum hoſpitij cauſa præbebat, ac beata illa vidua duos in ſumma ſua penuria obolos erogabat,ac deniquo Samaritana illa ex fonte hauſtam aquam Deo porrigebat: ad eundem etiam ipſa modum cum pari fide aliquid in te conferre beneficij ſtudeam, ne quæſo deſiderio meo excidam.

Ille verò rurſum id conſtanter recuſabat, non quidem ob naturæ contumaciam, aut ipſius indignitatem id officij in ſe repudiari dicẽs (ego enim, inquiebat, memet indignum, atque omnium poſtremum duco) ſed quia ab eo prohiberetur, qui cum hæreticis quicquam commune haberi vetuerat: neque enim meminiſſe, ſe cum imaginum hoſtibus vllum vnquam commercium habuiſſe,aut aliquid omnino ab eorum manibus accepiſſe.Hæc vt illa audiit, humi ſe prouoluens, quid non dicebat, quid non faciebat, vt oſtenderet quàm ab hæreticorum ſocietate atque commercio ſemper abhorruiſſet? Abſit hoc à me (inquiebat) venerande pater, vt Chriſti, aut matris ipſius, aut vllius ſancti imaginem contempſerim. Scio enim me à patre noſtro Germano didiciſſe, quas pœnas daturi ſunt, qui eò audaciæ proruperint. Cæterùm fac quæſo, vt nec vir meus, nec cuſtodum quiſquam reſciſcat, quod pietati tuæ indicare cupio, atque ego reipſa omnem dubitationem tibi eximam. Hæc locuta, ſtatim domum recurrit, atque aperta arca tres imagines arcanas eduxit, vnam Dei Genitricis filium ſeculis omnibus antiquiorem complectentis, duas alias Petri & Pauli Apoſtolorum. Quas vt ipſo inſpectante religioſè adorauit, ipſi poſtea porrexit:Accipe iſta,inquiens,atque hinc tibi mei, hoc eſt mulieris peccatricis memoria refricetur.Ad hunc modum piis ipſius moribus comprobatis, petitioni cedit, ac deinceps Sabbatho ac Dominico die ad eum ipſa panis vncias ſex, aquæ non plus tribus poculis, afferebat. Tantulum enim ſingulis hebdomadibus ipſi cibi ac potus fuit,totos vndecim menſes, quos in Prætorio tranſegit.

*A custodis carcerũ vxore pascitur.*

Quadam autem die vna cum cæteris captiuis ſedente viro diuino,de ſuppliciis illis,quæ iuſtis viris ab iniquis iniquiſſimi Imperatoris Præfectis variis locis illata fuerant, ſermo ortus eſt. Siquidem

in medium progressus Antonius quidam è Creta oriundus, vir fortis, & qui fortibus certaminibus egregiè defunctus fuerat. Quonam modo, (inquit) præclara Pauli Monachi certamina vobis ob oculos proponere queam? Aut quonam pacto ea sine lacrymis commemorem? Princeps quidam Cypri præfectus erat, nomine Theophanes, cognomento Lardotyrus. Hic cum sanctum virum, vt in eum inquireret, accepisset, ad Heracliti Prætorium eum duxit. Proposita autem erat humi Christi in cruce protensi imago, vnaque item cruciatus instrumentum, quod Catapultam vocant. Aitque ad eum Præfectus (scelesta inquam illa lingua, atque iniquitatem in excelsum loquens) vnũ è duobus tibi Paule proponitur, nimirum, vt aut calcata imagine, vitam obtineas, aut hoc tormenti genere discrucieris. Hoc autem dicens, puerorum laruis Leonem perterrefacere velle videbatur.

*Catapulta supplicij genus.*

Statim enim generosus ille vir magna voce exclamans. Absit à me, inquit, Domine Iesu Christe, vnigenite fili Dei; vt Theandricam hanc imaginem pedibus teram; atque hæc locutus, statim humi se curuans, osculum ei fixit, reipsa planum faciens, quàm nihil iudicis minas moraretur. Ille itaque confestim iracundia totus æstuans, nudari sanctum virum, atque in Catapulta extendi iubet, vbi cum tortores duabus tabulis ipsum firmissimè compressissent, ac ferreis pectinibus totum ipsum corpus exarassent, prono capite suspenderunt, ac deinde non exiguo igne infra eum accenso, ita demum holocaustum Deo gratum ipsum effecerunt.

*Pauli Monachi pro cultu sanctarum imaginum crudele supplicium.*

Hoc eò commemorante, patribusque lacrymis madentibus; Theosterictus quidam hoc nomen meritò consequutus, vir senex ac Sacerdotij dignitate ornatus, qui ex pio illo Monasterio erat, quod Peleceta nuncupatur, atque & nasum abscissum, & genas feruenti pice ac bitumine illitas, miserumque in modum ambustas habebat (hos enim cruciatus pietatis causa pertulerat) prodiens ipse quoque in medium superioribus sermonibus hæc adiecit. Impossibile est, impossibile inquam est, vt vel hic ipse Antistes noster Stephanus scilicet siccis oculis ista commemoret. Quanam enim oratione quisquam illius qui tum Asiam cum imperio obtinebat, furorem amplecti possit? Cui Lachanodracon quidem cognomentum erat, verum ipsius fel atque iracundia draconis quoque virus amaritudine superabat. Ad quem beatus Stephanus: Narra quæso, pater, nihil omittens eorum quæ tum contigerunt; verum omnia oratione prosequens. Etenim per eiusmodi exempla, cum animi promptitudine, tum rubore impleti, ad eundem zelum præparamur; si quidem voluntas Dei hoc tulerit, vt pro diuina ipsius imagine nos quoque certamen subeamus. Tum igitur Theosterictus inchoatum sermonem in hunc modum prosequitur.

Cum incruentum sacrificium in Monasterio nostro celebraretur (erat autem vespera sanctæ ac magnæ quintæ feriæ, in qua Christus Iudæis tradendus erat) hic draconis nomen habens Tyranni iussu cum magna militum manu in Monasterium impetum fecit, ac mysticum quidem sacrum euertit: mysticis videlicet hymnis protinus silentio compressis, lectissimos autem Monachos duodequadraginta vinculis ferreis adstrinxit, reliquos verò partim verberibus crudelem in modum lacerauit, partim eorum barbam pice illitam exussit, naribus prius amputatis, quorum numerum ipse quoque augeo, quemadmodum faciei meæ notæ certissimè testantur. Quibus impius ille nendum expletis, vniuersum Monasterium postea inflammauit, ipsam Ecclesiam vnà cum reliquis ædificiis concremans. Mox autem prædictos duodequadraginta patres ad extremos Ephesi fines relegauit, vbi cum eos in veteris balnei fornice conclusisset, ac deinde aditum obstruxisset, in hunc modum eos è vita migrare coëgit.

*Monachi duo de quadraginta crudeli morte afficiuntur.*

Cum vsque adeò tristes tragœdiæ narrarentur, atque omnes in gemitus ac lacrymas prorumperẽt, rogatus à patribus Stephanus, vt ad mitigandum eorum mœrorem orationem aliquam haberet, intimo corde ingemiscens: Gratias, inquit, Deo agere possumus fratres, ac patres, gratias, inquam, ei agere de omnibus rebus quæ præter voluntatem accidunt. Etenim gratiarum actio cum patientia coniuncta, coronas nobis nectere consueuit. Quocirca etiam si igne, aut gladio, aut maris profundo, aut præcipitio, aut alio quodam mortis genere nos mulctent, qui impietatis scelere sese deuinxerunt, prono atque alacri animo cuncta perferamus. Habemus enim velut exemplar quoddam, in quod intuemur claros illos patres qui ante nos extiterunt, & per martyrium Deo vitam consecrarunt, nimirum sanctum illum Petrum Blachernis in vincula coniectum, qui cum spectante Imperatore pro Christi imagine neruis atrocissime concideretur, nullũ ignaui ac timidi animi specimen in eo cruciatu edidit, verum acerbioribus eum plagis verborum lacerauit, Iulianum alterum, & Apostatam appellans, atque in his tormẽtis gratias Deo agens, animam exhalauit.

*S. Petrus pro cultu sanctarum imaginum martyrio functus.*

Habemus item Ioannem Monagriæ Præfectum, quem Tyrannus, cum nullo omnino terrore afficere potuisset, neque adducere, vt Christi, matrisque ipsius imaginem pedibus protereret, sacco inclusit, grauique ipsi saxo appenso, in profundum mare deiecit. Si quis tandem est, qui omnia facinora enumerando recensere possit, quæ per omnes Tyranni prouincias Prætores, qui eum crudelitate superabant, aduersus sanctos viros designarunt? Immo verò quis est, qui Sanctorum aduersus eos contentionem atque ad extremum vsque spiritum patientiam vllo sermone referre queat? Quorum si nos exemplum sequamur, beati profectò erimus, vt qui exiguis laboribus amplissimas opes nobis ipsis aggeramus. Neque enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Hæc & alia his plura, ad excitandos, & acuendos eorum animos, qui vnà cum eo vincti tenebantur, accommodata cum dixisset, orationi suæ finem imposuit.

*Item & Ioannes sacco inclusus in mare deiicitur.*

Non multi dies intercesserant, cum ipse suam à terra ad Deum migrationem animæ oculis prospiciens, quadragesimo ante mortem suam die præclaram illam mulierem, illam, inquam, hospitalitatis laude florentem, ac nouam Isandulam, atque eorum qui in vinculis erant ministram accersit, ad eamque his verbis vtitur. Tuæ erga me hospitalitatis fructum velim tibi cum fœnore Christus rependat. Bellè enim mihi, atque vt ipsi gratum est, ministrasti, ac me recreasti. Deinceps autem ad quadraginta vsque dies prorsus mecum ipse versari, ac memet excutere cupio. Peto igitur abs te, vt panem eum, & aquam, quæ ad me afferre consueueras, per hos dies ne afferas. Vt autem eo nomine mœrentem eam vidit, atque huiusce rei causam scire cupientem; Noui, inquit, mihi, vitæ finem imminere:

*S. Stephanus præuidet suum obitum.*

*Totos dies quadraginta ieiunio permanet.*

ac



ac propterea Monasticæ exercitationis rigorẽ etiam atque etiam intendere gestio. Cessit his auditis hospitalis illa ac præstanti fide mulier.

Per omnes itaque noctes & dies non desinebat vir sanctus patres eos, quos carceris socios habebat, monere, docere, salutaribus præceptis erudire, atque id efficere, vt toto penè nocturno tempore in canendis Deo laudibus versarentur: adeò vt ciues etiam nonnulli qui sanctioris vitæ studium colebant, vilibus pannis obuoluti clàm ad eum ingrederentur, & ipsius benedictione atque doctrina non sine magna animi voluptate fruerentur. In his igitur muneribus cum quadraginta illi dies absumerentur, ac iam octauus & trigesimus inchoaret, hospitalem illam mulierem rursus accersitam, audientibus patribus, ita alloquitur. Deus qui se piis omnibus laborum fructus centuplicato redditurum promisit, benigno oculo te ex alto sancto suo aspiciat, ac pro tuo in me officio longè copiosiorem tibi mercedem referat. Ipsius enim verè discipula fuisti, qui dixit: Quod fecistis vni ex minimis his meis, mihi fecistis. Et, qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et, qui potum dat calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam. En itaque tuæ erga me voluntatis merces expleta est, quam tu eiusmodi à Deo habitura es, vt ea tibi nunquam eripi possit. At postea sacris imaginibus ostensis: Accipe, inquit, præclarum hoc tuum depositum, quod quidem tibi, & in præsenti hac vita aduersus omne malum præsidij loco sit, & in futura tuæ erga Deum beneuolentiæ, atque Orthodoxæ fidei pignus. Hæc vbi dixit, altè sursum ex imo pectore ingemiscens, apertè hoc extulit: Crastina luce, ex hac vita migrans, ad alium mundum atque Imperatorem proficiscar. Ipsa igitur cum amarum quendam & acerbum gemitum edidisset, extremamque ei salutem dixisset, receptasque eas quas vtendas dederat imagines, linteo quodam obuoluisset, domum postea se recepit. At diuinitus afflatus Stephanus, conuocatis rursum patribus, eos in diuinis laudibus concinendis pernoctare iubebat.

*Hospitatrici suæ gratias agit.*

*Apertè diem sui obitus prædicit.*

Porrò autem ille Deo prorsus inuisus Tyrannus, præter alia, quæ Deo odio & execrationi erant facinora, ne Brumalium quidem ceremoniam contemnebat, verùm eam quoque splendidè ac luculenter celebrabat, vt qui Brumum quendam ac Bacchum in his Gentilium ritu colere in animum induxisset, eousque vt frugum ac vini curam gerentes, atque ad maturitatem eas perducentes, summis honoribus afficeret. Parabat itaque tertiæ vxori suæ Eudociæ Brumalium postridie, iuxta quinti elementi circumductionem diem festum celebrare. Progressus autem, atque ad scholarũ porticus sedẽs vnà cũ Symmistis suis, satanicas quasdam cũ organis ac citharis cantiones aduentanti festo congruentes addiscebat. Hic igitur ab impiis quibusdam viris ad eum delatum est, Stephanum ex Prætorio Monasterium effecisse, eumque totas noctes illic in cantillandis psalmis traducere, ac præterea complures ciues illuc proficiscentes, idolorum cultum ab eo edoceri.

*Brumalia celebrat Imperator.*

Hæc ille vt audiuit, grauiore ira inflammatus, statim militi cuidam, qui in Proximi ordine ascriptus erat, hoc imperat, vt sanctum virum è carcere eductum extra vrbem obtruncet, illic nempe vbi prius eximiæ Martyris Mauræ templum situm erat. Pòst autem locus ille carnificina factus est, templo scilicet illo à Tyranno funditus euerso, & solo æquato, ac Maura nuncupato, quo in loco fœdera cum dæmonibus occultè sanciebat, tametsi non ad extremum vsque scelus hoc ipsius obscurum fuerit: prodidit enim id quod clã ab eo perpetrabatur Suphlamij filius ipsis sacrificij loco dono datus, de quo nunc consultò sermonem silentio comprimemus. Cùm igitur sanctum virum morti addixisset: confestim edictum huiusmodi per totam vrbem promulgauit.

*Iussu Imperatoris S. Stephanus educitur de carcere vt obtrũcetur.*

*Dæmonibus sacrificat impius Imperator.*

Quisquis amicum, aut affinẽ, aut omnino genere coniunctum habere, eumque occultare, aut etiam pullam vestem ferre deprehensus fuerit: hic post varia tormentorum genera exilio mulctabitur. Cernere igitur erat vrbem grauissima calamitate laborantem. Neque enim inimici duntaxat inimicos apud Imperatorẽ facillimè accusabant: sed etiam amici amicos, & fratres fratres, & serui dominos, atque (vt breui complectar) in grauiore luctu & planctu tota vrbs versabatur, quàm cum Iulianus & Valens Imperij Romani clauum tenerent.

At verò carnifex ille, qui missus fuerat, sancto viro à Prætorio assumpto, colloque ipsius ac manibus ligno alligatis, ad cædem properabat. Eo autem die Tyrannus è palatio progressus, in Milij porticu stabat, vbi prius sex illa œcumenica concilia depicta erant, pòst autem crudelis Imperatoris iussu, inducto albario opere, deleta fuerant, atque eorum loco Circus ille quem amabat, atque plurimi faciebat, atque auriga is, quem in deliciis habebat, atque Vraniacum, hoc est, cælestem, cum ne terra quidem esset, appellarat, picti cernebãtur. In hoc igitur loco cùm superbè staret, omnesque eũ faustis ominibus prosequerentur. Nulla mihi, inquit, requies est ista, Immemorandi isti exitium vitæ meæ afferunt. Hic verò quidam eius factionis ait. Et vbinam tandem vllus eorum delituit, aut vestigium vllum ipsorum in hac vrbe tua, aut in vlla alia ciuitate, vel regione occultatum est, cum omnes funditus deleti sint? En enim Imperij quoque tui hostem, hoc est, Auxentianum Stephanum adduci hodie vidi, vt quas meritus est pœnas subeat. Tum Imperator: Et quid iucundius Stephano accidere queat, quàm vt gladio vitam finiat? Verùm huius desiderij minimè compos futurus est: multo enim grauiore mortis genere mulctabitur. Nunc quoque Imperatrix non mediocriter aduersus nos stomachabitur, si festum ipsius diem in cæde conficiamus. Quocirca nouus hic Herodes, atque vxoris mancipium reduci quamprimùm eum in Prætorium iubet.

*Sex Concilia depicta, opere albario deleri iubet.*

*Reducitur in carcerem vir sanctus.*

Quod cum contigisset, rursum cum iis patribus, qui in vinculis erant, Dauidicos psalmos canebat: Qui habitat in adiutorio altissimi, & quæ deinceps sequuntur. Tyrannus autem cum vesperam totam in tibiarum & cithararum cantu transegisset, postridie instructa splendidissima cœna, cum iis qui suæ factionis erant, epulabatur. Cumque duos quosdam fratres tum dignitate claros, tum corporis simul atque animi pulchritudine florentes (quos postea inuidiæ œstro percitus interfecit) seorsum acciuisset: Ite ad Prætorium, inquit, ac meo nomine ad Auxentianum Stephanum hæc dicite: Vides quanta tui cura afficiar, vt qui tibi ex ipsis mortis faucibus erepto vitam concesserim: quocirca tandem aliquando animum inflectens, voluntati meæ obsequere. Non quidem me fugit, quin homo contumax & durus ad cõtumelias potius nobis inferendas proruptus sit. Vos verò si

*Mittũtur duo viri, qui Stephano Imperatoris sententiæ assentire persuadeant.*

 sermo

sermonum illecebris inflectere eius animum potueritis, rem gratam mihi feceritis, & ministerium istud vestrum comprobabo. Sin istud ei persuaderi nequeat, tandiu eum à vobis, & à fronte, & à tergo verberari volo, quoad miserè animam efflauerit.

*Benignè & modestè se gerunt erga sanctum.*

Igitur præclari illi duo fratres, postquam ad Prætorium venerunt, furiosam quidem illam Tyranni sententiam sancto viro exponunt, verùm nullo eum malo prorsus affecerunt, quin potius vbi eum sermonibus ad cohortandum accommodatis confirmassent, atque ab eo benedictionem accepissent, ad reditum se accinxerunt. Quæ autem ad Imperatorem dixerunt, huiusmodi fuere. Imperator, miserum illum in pristina sententia perstantem, tuum Imperium infaustis ominibus persequentem offendimus, ac proinde tot plagis proscidimus, vt penè spiritus omnis expers iaceat, nec certum sit an crastina die inter viuos futurus sit. Qua quidem ex re cum mirificam lætitiam ferinus ille concepisset, atque ingentem risum effudisset, luxui quo ipsi nihil erat carius, operam dare postea pergebat, vt qui ventris, & eorum quæ ventre inferiora sunt, seruus est.

*Hortatur Sanctos patres in carcere detentos ad perseuerantiam & constantiam.*

At dignissimus Stephanus sub auroram ad se conuocato Monachorum agmine, postremum hunc ad eos sermonem habuit, valete patres, & fratres, valete, atque in Orthodoxa fide constantissimè perseuerate, ac pro mea tenuitate quæso preces fundite. Etenim iam iamque adest mortis meæ tempus, ac pro foribus iam corona est, quamobrem vereor ne caliginosa dæmonum multitudo propter ignorantiarum mearum multitudinem impedimento mihi sit. Cum autem cucullam quoque abiicere præpararet, ne id faceret patres prohibebant, negantes conuenire, vt sine pretioso hoc indumenti genere dierum suorum finem videret. Ad quos diuinitus afflatus

*Deponit cucullam vir Dei, ne ab inimicis prophanetur, & parat se ad mortem.*

vir ille: Athletam (inquit) nudum decet luctari. Ac præterea ne æquum quidem est, pretiosam hanc rem à furente populo contumelia affici, ac pedibus conculcari. Hæc cum locutus esset, omnes ei morem gesserunt, itaque cucullam quoque exuit, ac cum pelliceo duntaxat pallio, vna cum Monachis sedebat, de his rebus quæ ad salutem pertinebant, sermonem ad eos habens.

Verum enimverò fieri omnino non poterat, vt quæ in carcere acta fuerant, & quo pacto duo illi pij fratres admodum benignè, & indulgenter cum Diuo Stephano egissent, Tyrannus ignoraret. Quare cum de his omnibus à dæmone aliquo (vt vero consentaneum est) certior factus fuisset, hora diei secunda è somno experrectus, leoninum quiddam rugiens, atque ad aulæ vestibulum festinanter proficiscens: O vim mihi illatam! exclamauit. O insignem mei contemptum! Nemo est qui mihi opituletur, nemo qui subsidium ferat. Quid mihi cum tenebricosis, & immemorandis istis? (sic enim ipsi vsitatum ac familiare erat Monachos appellare.) Cum autem ij qui voluptatibus ac deliciis dediti erant, vltro ad intemperantem illam mensam currerent, perturbatissimo animo ipsis occurrens, magno cum clamore quærebat. Quò pergitis, & quem quæritis? his autem respondentibus. Ad te benignum nostrum Dominum imus. Tum ille altiori voce: Non sum, inquit, Dominus vester, non sum Imperator. Alius Dominus vester est, alius Imperator, ad cuius pedes vos ipsos prouoluitis, contactisque ipsius vestigiis, ab eo vota, preceſque supplices petitis, nemo in me obsequiosus est, vt illo de medio sublato, animum meum reficiat, & recreet. His verò animi anxietate laborantibus, & quisnam ille esset scisciantibus, quisquis ille quem ipsi ei anteferrent, aut quem alium Imperatorem agnoscerent: Tum ipse contra, Stephanus Auxentianus est, inquit.

Nondum integrum nomen in eorum aurem influxerat, cum subito impetus quidam & clamor promiscuus, & vox quædam incondita personabat, omnibus ad Prætorium concurrentibus. Mox truculentorum Leonum instar in carcerem insilientes: Date nobis (custodibus inquiunt) Auxentianum Stephanum. At ille constanti, & intrepido animo, velut in hoc ipsum paratus, ad eos decoro gestu ac vultu ab omni perturbatione libero egreditur, & quemadmodum olim Christus Iudæis, ipsius cædem anhelantibus; Ego sum quem quæritis, inquit. Illi autem illico eum arripiunt, atque in terram allidunt, ferreisque vinculis, quibus eius pedes astringebantur, ab eo extractis, ad publicam viam raptim eum adducunt, calcibus in eum insilientes, saxis impetentes, fustibus ferientes, nullum denique supplicij contumeliæque genus omittentes.

*Inhumaniter & ignominiosè trahitur ad supplicium vir Dei.*

Cum autem per primam Prætorij portam non tam duceretur quàm raptaretur, ac iam in templi Theodori Martyris vestibulo esset, manibus humi fixis, ac sublato aliquantum capite, vltimum adorationis munus Martyri persoluebat, etenim ne in tanta quidem calamitate pietatis amorem ex animo suo eiecerat. Quem ex sanguinariis hominibus quidam, Philommatius nomine, conspicatus, præcipiti quodam furore percitus: Videsne, exclamauit, Immemorandus iste tanquam Martyr mori cupit? Atque hoc sermone habito, ad siphones qui illic erant, quique ob ea incendia quæ interdum oboriuntur, adhiberi solent, excurrit, auulsumque ab iis paruum lignum trahit, ac sanctum virum quàm vehementissimè potest, in cerebri membrana ferit, sicque protinus interemptum, Martyrem quidem illum profecto, seipsum autem (quod omnium grauissimum scelus est) Martyris carnificem reddit.

*Ligno percussus in cerebro emittit spiritum.*

Ac vide quæso vim illam Dei vltricem. Non enim quemadmodum plerumque solet, moram vllam interposuit, sed celeri pede processit. Etenim simul atque feriit, ipse quoque in terram diabolica plaga percussus ruit, dentibus horrendum in modum stridens, & ore spumam emittens, atque ita graue illud flagellum permansit, ad extremum vsque spiritum miserum illum comprimens atque castigans. At nec sic quidem tamen furibundum illud vulgus animorum impetum remisit, verum per publicam viam eum adhuc raptabat. Et quidnam tandem ex sacrosanctis illis Stephani membris coronæ expers relictum est? Nam & manus ac pedes ad saxa offendentes conterebantur, & digiti vna cum vnguibus auellebantur, atque in terram spargebantur, & venter disrumpebatur, atque intestina omnia profluebant. Siquidem è sceleſtis illis hominibus vnus grauissimum lapidem vtraque manu acceptum in ipsius ventrem iniecit, vnde confestim abdita omnis viscerum compages aquæ ritu in terram effusa est: nam & mortuo Stephano per summum furorem insultabant, nec contumeliis in eum debacchari cessabant, circundantes eum tanquam canes multi, atque omni modo raptantes & discerpentes,

*Vltio diuina in viri Dei interfectorem.*

*Omnia corporis eius ossa & membra euelluntur, & conteruntur.*

*Corpus sancti viri per totam vrbem raptatur.*



pentes, saxisque per totam viam incessentes, non viri duntaxat, sed etiam mulieres; qui nec pueriles quidem ætatem sanguinarij huius impetus expertem reliquerunt: nam ipsi quoque litterario ludo relicto, (sic enim Imperator iusserat) lapides manibus gestabant, eisque Stephanum infectabantur, ac quisquis in eum, dum raptaretur, incidens lapidem non iecisset, pœnas luebat, atque Imperatoris hostis censebatur.

Quin etiam cùm ad Bonis locum Martyrem raptantes peruenissent, caupo quidam pisces coquens, vt eum raptari videt, vitæ vsura adhuc eum frui arbitratus, assumpto flagrante titione in caluaria ipsum ferit, ac repentè confracto occipitio, cerebrum effluere cœpit. Theodorus autè quidam vir pius à tergo sequens, illud è capite fluere videns, simulato lapsu sustulit, & ipsum furtim impositum in sinu abscondit. Atque ita deinde ad spectaculum motus properat, nimirum cernere cupiens, quonam tandem, sedato furore, reliquias martyris proiicerent. At verò sanguinaria illa turba sanctum virum raptans, cùm ad Monocionis Monasterium accessisset, in animo habebat beati viri sororem (illic enim diuinum vitæ genus colebat) per vim eiicere, eóque ipsam adigere, vt fraternum corpus tot certaminibus defunctum saxis peteret. Verùm illa hoc prænoscens, atque in obscurum quoddam sepulchrum sese abdens, huiusmodi facinus aufugit. Illi igitur spe hac sua deiecti rursus Martyris cadauer trahentes, in Ethnicorum reorum foueam proiiciunt, vbi prius quidem Sancti Pelagij Martyris templum erat, verùm posteà vetustate labefactatum impius Imperator euerterat, atque in sepulchralia redegerat, ac Pelagij sepulchretum nuncupabat, adeò vt tunc quoque diuinæ Scripturæ locum illud haberet: Cum iniquis vir iustus deputatus est.

*Furtim S. viri cerebrum à quodã Theodoro colligitur.*

*In Ethnicorũ sepulchrum proiicitur Sancti viri corpus.*

*Luc. 22.*

Postmodum læti redeuntes, qui latronum sæuitiam crudelitatis suæ immanitate superauerant, lætum Tyrannum adeunt, veluti dæmonis cuiusdam intemperiis diuexati, qui sceleratissimè in ipso pugnauerant. Quos quidem lubenti animo susceptos ad mensam suam eduliorum copia onustam adhibuit. Cúmque illi ærumnosissimam Martyris mortem referrent, audiens ille magnopere ridebat, ac lætitia diffundebatur, hominis (ne quid amplius dicam) cruciatus & calamitates in voluptatis materiam trahens. Atque hæc quidem in hunc modum se habuerunt. Martyrio porrò perfunctus est ille egregius sanè luctator Stephanus tertio & quinquagesimo ætatis suæ anno, Nouembris mensis octauo & vigesimo die.

*Sũmopere ob mortem sancti viri exultat Imperator.*

Cæterùm nec ea quidé miracula silétio præterire conuenit, quæ ab ipso, illius videlicet beneficio, qui dixit: Ego glorificantes me glorificabo qui autem me contemnunt erunt ignobiles, etiam post mortem patrata sunt. Eo enim ipso die, quo sanctum virum, (vt Scripturæ verbis vtar) aggressi viri sanguinum, tanquam arietem insignem de medio sustulerunt, cùm tranquillum cælum esset, & radiis solaribus colluceret, hora tertia ad orientalem aulæ partem ignea nubes ad mõtis verticem, vbi vir egregius Monasticæ vitæ certamina exantlarat, repentè coorta, atque deinde ad summas vrbis partes excurrens vniuersum aërem horrenda caligine infecit & obscurauit. Cúmque vna cum ea vehemens turbo excitatus esset, ingens vis grandinis, magnitudinis haud facilè credendæ cecidit, idque circa palatium duntaxat, hincque multi in discrimen vitæ venerunt.

*Horribilis grando cadit moriente viro Dei.*

Porrò autem pius ille Theodorus, qui confractam capitis sanctissimi partem sustulerat, cùm ad beati Dij Monasterium profectus esset, eiusque antistitem remotis arbitris conuenisset, ei quæcumque insignis athleta Stephanus eo die pertulisset, exposuit. Ille autem acerbè ingemiscens, ad quoddam protomartyris Stephani Oratoriũ, quod ad dexteram templi Monasterij partem erat, eum ducit: atque vnam quandam educens, in ea diuinas reliquias collocat, præsente quodam puero Monasterij, & quæ fiebant, inspectante. Ambo autem orationis munere perfuncti, tanquam thesaurum quendam ingentis pretij intra altare occultant.

*Cerebrũ S. viri sub altari reconditur.*

Interiecto autem aliquo tempore, accusatur apud Imperatorem Theodorus: nam ne tum quidem à tentatione liberum atque immunem liuor reliquit, verùm vt imaginum adorator exilio mulctatur, atque in Siciliam Insulam vna cum vxore ac liberis ablegatur. Quem cùm diuturno tempore exilij causa illic commoratus fuisset, in patriam rursus reduxit iudex iustus Deus. Reductionis autem modus huiusmodi fuit. Etenim adolescens ille, de quo proximè verba fecimus, ad maturam ætatem prouectus cum antistite agebat, vt diaconus crearetur. Quod cùm ab eo impetrare non posset, vt qui & iuuenilem ipsius ætatem perspiceret, & vitæ socordiam exploratam haberet, se grauissimo eum malo affecturum comminatus est. Itaque vnam illam occultè surripit, atque ad Imperatorem currit, eique rem totam exponit: Antistes enim meus, inquit, vna cum Theodoro, qui in Siciliam exilij causa missus est, damnatorum, quos tu vt nocentes & facinorosos morte afficis, ossa colit atque adorat: te autem Tyrannum ac nouum Apostatam appellat.

*Mittitur in exilium Theodorus.*

*Puer absconsum sancti viri reliquiarum thesaurum reuelat Imperatori.*

His auditis Imperator ira inflammatur, atque Antistitem illum correptum ac vinculis firmissimè adstrictum, in carcere custodiri iubet: Theodorum autem è Sicilia reductum dignas huiusmodi facinoris pœnas subire, puerum autem ad vtrumque conuincendum asseruari. Reducitur itaque è Sicilia Theodorus. Statimque eum & Antistitem in medium producit Imperator, atque in faciem ipsis puerum sistit, vt quod factum fuerat indicaret. Cùm autem illi nihil se huiusmodi scire asserent, vnam afferre iubetur adolescens. Atque (ô ingens miraculum!) euanescit illa, nec hucusque reperiri potest. Itaque vacuis manibus reuertitur. Imperator pudore suffunditur, atque id quod contigerat, premere silentio, atque occultare conatur, ne illustriorem etiam quàm ante sancti viri gloriam reddat, neque enim ipsum fugiebat, quia diuinum Stephanum omnes penè sanctum confitebantur. Iuuenem autem illum vt calumniatorem multis verberibus laceratum exilio mandat. Sic nimirum Deus iustos à tentationibus eripere, impios autem eorum loco tradere nouit.

*Theodorus reuocatur ab exilio, vt causam dicat coram Imperatore.*

*Miraculose vna in qua S. Stephani reliquiæ erãt recõdita euanescit.*

*Vltio diuina in impiũ calumniatorẽ.*

## NOTÆ.

Stephanus.] *De eo Mart. Rom. cum Baronio 28. Nouembris. Græci etiam hac die in Menologio, eius martyrium recitant. Extant eius gesta fusiùs scripta apud Surium tom. 6. Agunt præterea de eodem Zonaras 3. parte Annalium, in Constantino Copronimo. Cedrenus in compendio anno 25. eiusdem Imperat. necnon Ioannes Episcopus Hierosolymitanus in vita S. Ioannis Damasceni, & Baron. tom. 9. Annalium.*

Diuinæ mensæ peplum subibant.] *Peplum accipitur hoc loco pro ornamento altaris. Eratque peplum antiquitus pallium muliebre ex purpura signatum, cuius fimbriæ aurei staminis summitate resplendebant.*

Tanquam salaces equos.] *Salaces equi quasi luxuriosi dicuntur. Nam salax, idem est quod luxuriosus, à sale, quia luxuria salsa est & amara: vnde Ouidius, Caudaque salacem, &c. Vel salax à Salio dicitur, quia frequenter salit, sicut facit priapus ex luxuria. Vide Ianuensem in suo Catholico.*

Sacram epomidem detrahunt.] *Epomis, epomidis nomen Græcum, Latinè vestis seu toga, & tunica dicitur.*

Redimiculum.] *Aliàs analabum, sumitur propriè pro ornamento capitis, vnde fit quod analabum seu redimiculum hoc loco accipiatur per translationem pro caputio seu cucullo Monachorum.*

Hippocomi dignitate ornat.] *Hippocomi dicuntur mangones ab equis componendis, vnde Hippocomus vulgò dicitur* vn Courratier, ou Maquignon de cheuaux, fardeur de cheuaux.

Dicteria iacientes.] *Dicteria in aliquem iacere, idem est quod verbis illusoriis aliquem lacessere, vulgò,* brocarder, & se mocquer de quelqu'vn.

Lembo impositum.] *Lembus est nauicula breuis & velocissima.*

In Proconnesum.] *Proconnesus est insula in Propontide, quam solum inter alias habitari plerique dixerunt. Propontis autem dicitur æquor patens, atque diffusum. Hæc angustiis Bosphori Thracij cum Euxino ponto coniungitur. Nam Geographi primas angustias maris se coarctantis Hellespontum vocant. Inde expatiatur æquor, quæ laxitas Propontis appellatur. Vbi iterum in arctum coit, & spargitur, illæ angustiæ, Bosphorus Thracius nuncupatur. Vbi iterum effunditur, Pontus Euxinus dicitur.*

Theandricam formam.] *Theandrica forma quasi diuina forma dicitur.*

Antitypa.] *Antitypum, Latinè exemplar similis formæ.*

Instrumentum quod catapultam vocant.] *Catapulta est tormenti genus, de quo vide librum qui inscribitur Cruciatus Martyrum.*

Ad siphones qui illic erant.] *Siphones sunt canales, tibiæ, fistulæ, per quas vrgente spiritu, aqua, vel alius liquor emittitur, à sono vocis dicti, si, si, si. Vnde illud Iuuenalis: Effigiemque deæ longis siphonibus implent. Vulgus vocat* vne fontaine, ou tuyau.

*Finis Insignium Eremitarum Orientis Vitarum.*

INDEX RERVM

# IN VITAS INSIGNIVM EREMITARVM ORIENTIS.


*A*

*ACARIVS Episcopus Constantin. hæreticus.* 30
*Agaremus struens insidias S. Sabæ, deglutitur à terra.* 25
*Alamundarus inuadit Arabiã & Palæstinã.* 38
*Amanes Rex Barbarorum benignè tractat & recipit legatos Christianorum.* 18
*Amicitia inter Euthymium & Theoctistum.* 62
*S. Andronici Eremitæ vita.* 61
*Angelorum innumera multitudo S. Simeonis Sãli corpus ad sepulcrum comitatur.* 48
*Angelorum melodiam audit S. Sabas in obitu Anthimi Eremitæ.* 31
*Anachoretæ communiter ignorant triticũ, solis herbis & radicibus vescentes.* 15
*Anachoretæ ianioris constantia mirabilis.* 17
*Anachoretam quẽdam reperit S. Sabas, qui per spatium 40. annorum hominẽ nõ viderat.* 27
*Anachoretæ centum & 40. in Laura S. Sabæ.* 36
*Anastasius Imperator fulmine percussus moritur.* 33
*Anastasius Archiep. Hierosolym. moritur.* 25
*Antiochia diro terræmotu concussa.* 44
*S. Antiochi Eremitæ vita.* 49
*S. Apollinaris virginis vita.* 59
*Apollinaris & Eutychis hæresis.* 76
*Arabia fælix, olim dicta Saba, nunc autem Homeritis.* 56
*Arabes Cretam occupant.* 72
*Ariadna Leonis Imperatoris filia matrimonio iuncta Leoni Isaurrico.* 82
*Ariadnam Imperatricem ad fidem Catholicam & pietatem tuendam hortatur S. Sabas.* 31
*Arsenius Samaritanus sacrum baptisma suscipit à beato Saba.* 34
*S. Athanasius in spelunca Latrensis montis vixit solitarius.* 12
*S. Athanasia solitariam vitam amplectitur.* 61
*S. Anthusæ virginis vita.* 12
*S. Auxentij Abbatis vita.* 75

*B*

*Basilius frater S. Pauli Eremitæ, Anachoretica vitã ducit in Brachianis mõtibus.* 12
*Basiliscus Imperator hæreticus.* 82
*Blasphemia horribilis Iconoclastarum in B. Virginem.* 87
*Barbari inhumanè tractant Monachos in Laurà S. Sabæ existentes.* 58
*Barbarorum sæuitia describitur.* 14
*Barbari conuertuntur & baptizantur à S. Euthymio.* 63
*S. Barsanuphi Eremitæ vitã.* 39
*Bulgari vastant Thraciam.* 68
*Brumalia celebrat Imperator Iconoclasta.* 97

*C*

*CAbades Rex Persarum visitat S. Iacobum Eremitam.* 12
*Chalcedonensis synodus congregatur.* 76
*Carnis cogitationibus infestatus Sanctus Ioannicius se draconi præbet deuorandum.* 69
*S. Catharinam virginem & martyrem summa deuotione prosequitur S. Paulus Eremita.* 13
*Catapulta supplicij genus.* 96
*Catholici ab exilio reuocantur.* 33
*Cherubin erant in antiquo templo.* 97
*Cellæ S. Ioannis Silentiarij descriptio.* 39
*Concilijũ occasione rei miraculosæ congregatũ.* 40
*Concilium œcumenicum nullum dici potest, quod non fuerit à Romano Pontifice conuocatum, & approbatum.* 89
*Cõcilia œcumenica in tẽplis coacta & peracta.* 89
*Concilia sex depicta, opere albario deleta.* 97
*SS. Cosmas & Damianus apparent S. Theodoro Sicerti.* 51
*Cõstantinus Caballinus Imperator Iconoclasta.* 12
*Constantinopolitana ciuitas tota ferè incendio absumpta.* 80
*Cyrillus Monachus tentatus à dæmone, precibus S. Ioannis Silentiarij liberatur.* 39

*D*

*S. DAniclis Stylitæ vita.* 78
*Diabolus in forma Leonis apparet S. Sabæ.* 24
*Diabolus in draconis specie apparens, cellam S. Martiniani euertere conatur.* 3
*Dictum egregium S. Theodori Siccotis.* 51
*Dictum egregium S. Stephani iunioris.* 90
*Dionysia mater S. Euthymij Abbatis.* 62
*Disceptatio inter duos patres de lapsu Orig.* 44
*Dominicis diebus ad Ecclesiam conuenire solent Eremitæ.* 15
*Dunaan Hebræus Christianorum inimicus.* 57

*E*

*S. ELesbaan Regis & Eremitæ vita.* 56
*Elias Patriarcha deponitur, & mittitur in exilium.* 32
*Eremiticæ vitæ encõmia.* 13
*Eremitarum cellæ longiùs separatæ.* 15
*Epiphanius Patriarcha Cõstantinopolitanus.* 34
*Epiphanius Monachus S. Ioannicium comburere conatur.* 71
*Epistola S. Sabæ ad Imperatorem N.* 32
*Eudoxia ob crebras afflictiones ad veram fidem deducitur.* 65
*Eudocia Imperatrix visitat S. Danielẽ Stylitẽ.* 79
*Eutyches hæreticus abolitas olim hæreses renouat.* 76
*S. Euthymij Eremitæ vita.* 62

*F*

*FEstum S. Euthymij tempore S. Sabæ iam celebrabatur.* 26
*Figura S. Theoctistes virginis.* 73
*Flauianus Episcopus ab hæreticis sede & ciuitate sua pellitur.* 32
*Frater quidam carnis cogitationibus consentiens dirè cruciatur à dæmone.* 64
*Forma & mores S. Euthymij Abbatis.* 67
*Forma & mores S. Quiriaci Anachoretæ.* 23

*G*

*S. GEorgius martyr apparet matri S. Theodori Siceotis. 49. necnõ ipsi Theodoro.* 51
*Gemelli duo matrem crudeli morte enecant, mammis ipsius exesis.* 91
*S. Germanus Patriarcha Constant. ab Iconoclastis sede sua pellitur.* 87
*S. Gerasimus Anachoreta videt animam S. Euthymij ab Angelis in cælum deferri.* 21
*Gezericus Rex Vandalorum collecto exercitu venit in Alexandriam.* 81
*Gubazius Rex Lazorum per litteras se precibus S. Danielis Stylitæ commendat.* 81
*Gurias Anachoreta inuidet S. Ioannicio.* 71

*H*

*HAbitus monasticus cõculcatur ab hæreticis.* 92
*Hæretici Imperatoris fulti præsidio, Catholicos persequuntur.* 32
*Hieremias Anachoreta ex Armenia venit ad S. Sabam.* 26
*Hierosolyma magna laborat siccitate.* 52
*Historia interemptionis Patrum qui erant in Sina, & Raythi regione.* 13
*Historia interemptionis Patrum qui erant in deserto Thecuæ.* 20
*Historia interemptionis Patrum qui erant in Laura S. Sabæ.* 36
*Honestatem & grauitatem semper & vbique Monachi seruare debent.* 18
*Honor Imagini exhibitus, refertur ad prototypum.* 94
*Humana ratio imbecillis ad diuina perscrutanda iudicia.* 15
*Humilitas S. Antiochi Eremitæ.* 53
*Hunni vastant Thraciam.* 70

*I*

*S. IAcobi Eremitæ vita.* 7
*S. Iacobi alterius Eremitæ vita.* 12
*Iacobus Monachus graui tentatione carnis pressus, amputat sibi genitalia.* 29
*Iconoclastæ ab Apostolis & martyribus, sancti nomen auferunt.* 87
*Imagines sacræ conculcantur ab hæreticis.* 88
*Ingratitudinem summopere fugere debemus.* 25
*S. Ioannicij Eremitæ vita.* 67
*S. Ioannis Silentiarij vita.* 36
*S. Ioannes magister S. Stephani iunioris, brutis animantibus imperat.* 86
*Ioannes Chuzubites Monachus; quondam Cæsariensis Episcopus.* 56
*Irene Imperatrix sanctas Imagines restituit.* 68
*S. Iuliani Anachoretæ vita.* 39
*Iustinus Imperat.* 33
*Iustinianus Imperator mittit exercitum contra Samaritanos.* 34
*Iuuenalis Patriarcha sedi suæ restituitur.* 56

*L*

*LAtrones nomen S. Sabæ nominantes, non læduntur.* 28
*Latrones paupertatem S. Sabæ videntes, compuncti recedunt à Leonibus.* 28
*Laura S. Sabæ beatissimæ virgini Dei genitrici consecrata.* 37
*Leo Isauricus Imperator conceptam iamdudum hæresim de abolendis imaginibus palam profert.* 86
*Leo Armenus arripit Imperium.* 70
*Leo succedit Martiano Imperatori.* 66
*Leo vice asini Zozimo Eremitæ deseruit.* 56
*Leo S. Sabam orantẽ non audet interrũpere.* 28
*Leo S. Ioannem Silentiarium diu noctuque custodit in deserto.* 38
*Leo asinum ad pascua ducit & reducit.* 30
*Leo custodit olera S. Quiriaci Anachoretæ.* 22

*M*

*MArcianus Imperator mittit qui Sanctum Auxentium adducant in Concilium.* 76
*Marcianus Abbas Angelico monitu mittit cibaria fratribus S. Sabæ.* 27
*Maria Dei genitrix virgo S. Theodorum Siceotem sanat.* 53
*Maria Dei genitrix apparet Annæ matri S. Stephani*

# *Index Rerum in Insignium Vitas Eremitarum Orientis.*


phani iunioris. 85
B. Mariæ solitariæ vita & mors. 22
S. Martiniani Eremitæ vita. 3
Martyrius Patriarcha Hierosolymit. moritur, cui succedit Sallustius. 26
Martyrius & Elias S. Anachoretæ veniunt ad B. Euthymium. 66
Martyrum Reliquiæ igni traditæ. 87
Mauritius obtinet Imperium. 52
Methodius Patriarcha visitat S. Ioannicium. 72
Michaël Imperator Iconoclasta arripit Imperiū. 12. 72.
Michaëlis Imperatoris malitia. 71
Mirum quid de cane litteras perferente. 86
Monachi trecenti 42. ob cultum SS. Imaginum detrusi in carcerem. 95
Monachi improbi struunt calumnias S. Sabæ. 26
Monachi 42. crudeli morte afficiuntur pro cultu SS. Imaginum. 96
Monachi cum aliquò veniunt, prius templum visitare debent. 18
Monachi duo Nestoriana hæresi infecti, monitis S. Sabæ conuertuntur. 29
Monacham vitio carnis deditam, sanat S. Ioannicius. 69

N

NEstorij hæresis. 76
Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus sede sua pellitur à Leone Imperatore Iconoclasta. 70
Nicephori Imperatoris mortem prædicit S. Ioannicius. 70. necnõ & Stauratij Imperatoris. 70
Niconis Abbatis sanctitas. 41
S. Nilammonis Inclusi vita. 84
S. Nilus comprehenditur à Barbaris & malè tractatur. 18
Nisiris Dux Cretæ, temeritatis pœnas luit. 73
Nomina quorundam Patrum à Barbaris occisorum. 16. 18
Nõni & Leõtij mortẽ prædicit S. Quiriacus. 22

O

OCulorum mortificationem cuiusdam discipuli sui egregriè probat S. Sabas. 31
Contus. 20
Corinthus. 23
Cranium. 39
Creta. 75

D

DIa. 75
Dicteria. 100
Dromades. 20
Dyptica. 36

E

ELæa. 11
Ephebus. 20
Epomis. 100
Euboëa. 75
Eutyches hæreticus. 76

G

GEronomium. 39
Globus. 78

H

HEliopolis. 40
Hemerodromus. 20
Hesperus. 35
Hippocomus. 100

I

Ismaëlitæ. 58

P

PAganismo cessante, invalescit Arrianismus. 62
Palæstina fame & siccitate opprimitur. 32
Parus Insula ceruis & capreis abundans. 73
Passio SS. Monachorum in Laura S. Sabæ intersectorum. 58
Pauli Monachi pro cultu SS. Imaginum crudele supplicium. 96
S. Pauli Eremitæ Latrensis vita. 12
Paxillum de pede Leonis extrahit S. Sabas. 30
Pœna inobedientis & incredduli fratris. 38
S. Petrus Monachus pro cultu SS. Imaginum martyrium subit. 96
Photius Patriarcha Constantinopolitanus visitat S. Paulum Eremitam. 13
S. Photina viuit vita solitaria supra excelsam rupem in medio maris. 7

Q

S. QViriaci Anachoretæ vita. 20
Quiricus presbyter pulchra ratione retundit calumnias S. Sabæ illatas. 26

R

RElIquiæ S. Simeonis Stylitæ cum magno honore asseruntur ad S. Danielem Stylitã. 82
Religio & viuendi modus Barbarorum. 15
Res notatu dignissima. 40
Responsum & dictum mirabile S. Sabæ. 35
Rex Lazorum S. Danielis columnã veneratur. 81
Rixa inter Alexandrinos, & plebem Constantinopolitanam. 84

S

S. SAbæ Abbatis vita. 23
Samaritani multas Christianis inferunt injurias. 34
Scillæ perdit amaritudinẽ orãte S. Quiriaco. 20
S. Senuphij Eremitæ vita. 84
Sententia S. Simeonis Sali de lapsu Origenis. 45
Sẽtẽtia egregia S. Sabæ de vita Anachoretica. 37
Sententia S. Simeonis Stylitæ de Euthymio. 165
S. Simeonis Stylitæ obitum declarat S. Auxentius. 78
S. Simeon Stylites cucullã suam mittit Imperatori. 78
S. Simeonis Sali vita mirabilis. 40
Simeon S. Anachoreta in Insula Paro. 72
Similitudo egregia. 17
S. Stephani Iunioris vita & martyrium. 85
Sudarium Christi defertur S. Paulo Eremitæ. 13
Synodus Chalcedonensis congregatur. 64

T

TEmplum Dei genitricis excellentissimũ prophanatum, & sacris imaginibus priuatum. 87
Templum Dei genitricis elegantissimum in Insula Paro. 72
Thecue patria Amos Prophetæ. 20
S. Theodori Siceotis vita. 49
S. Theoctistus Abbas moritur. 66
S. Theoctistes virginis vita. 72
Theodosius Imperator solo baculo & superhumerali S. Semphij Eremitæ, fugat Barbaros. 85
Theodosius Monachus hæreticus Eudoxiam Imperatricem corrumpit. 64
Thomas Patriarcha Constantinopolitanus moritur. 55
Tyrannis, & crudelitas hæreticorum in Presbyteros & Monachos. 32

V

VAlens Imperator Arrianus capitur à Barbaris, viuus incendio concrematur. 62
Victoria patrata sine sanguinis effusione. 85
Vltio diuina in ingratissimum militem. 94
Vltio diuina in impium calumniatorem. 94
Vrna in qua S. Stephani reliquiæ reconditæ erant, miraculosè euanescit. 99

Z

ZElus S. Auxentij pro honore S. Dei genitricis virginis Mariæ. 77
Zeno Imperator expulsus, interfecto Basilisco, rursus accipit Imperium. 25
B. Zoë pœnitentis abstinentia & miracula. 5
S. Zozimi Eremitæ vita. 56


# INDEX ANNOTATIONVM IN VITAS Insignium Eremitarum Orientis.


A

AEdituus. 20
Aegyptus. 20
Agarenus. 36
Agaso. 61
Alamundarus. 39
Albugo. 49
Ambo. 48
Amuletum. 99
Apollinaris hæreticus. 78
Arabia. 20. 58
Archimandrita. 56
Antitypa. 100

B

BEllaria. 78
Beta. 78
Bithynia. 78
Byzantium. 78

C

CAppadocia. 35
Capellæ. 49
Catapulta. 100
Cæsarea. 7
Cento. 20
Cicer. 48
Concha. 36


Laus Deo, beatissimæque Virgini Dei genitrici Mariæ.

*Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Censuræ & iudicio in omnibus me submitto.*


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA